






COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Parenti suo Eliæ consecrati,

CURSUS THEOLOGICUS

Summam Theologicam Angelici Doctoris D. Thomæ complectens.

TOMUS TERTIUS

Tractatus sextus. — De sacrosanctissimo mysterio Trinitatis.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D

CAROLO AMABILI DE LA TOUR-D'AUVERGNE-LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA




E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
Apud VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
25, via Grenella, 25

BRUXELLIS
Apud G. LEBROCQUY
SUCCURSALIS RECTOREM
5, forum Lovanium, 5

1877

[redacted]


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
NOV 5 1953
LIBRARY

1082

INDEX
DISPUTATIONUM
ET DUBIORUM

Quæ in hoc tertio tomo (nempe priori editione priori parte tomi secundi), una cum quæstionibus et articulis D. Thomæ continentur.

TRACTATUS VI.

De sacrosanctissimæ Trinitatis mysterio. Procemium. 1

QUÆSTIO XXVII.

De processione divinarum personarum. 4
Art. 1. Utrum processio sit in divinis? 4

Disputatio I.

De processione divinarum personarum. 5
Dub. 1. An aliqua processio sit in divinis? 6
Dub. 2. Utrum processiones in divinis sint actus intellectus, et voluntatis? an vero solius naturæ divinæ, aut virtualiter, aut ex parte nostri modi concipiendi præintelligitur intellectui et voluntati? 20
Dub. 3. Utrum actus intellectus et voluntatis, secundum quos reperiuntur processiones in divinis, sint actus intelligendi et volendi? an vero alii ex æquo ab his aliquo modo distincti? 30
Dub. 4. Utrum actus intelligendi, et volendi, secundum quos reperiuntur processiones in divinis sint tantum emanationes ad ordinem intelligibilem pertinentes? an vero sint vere, et proprie actiones, sive operationes ad hunc ordinem spectantes? 51
Art. 2. Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit. 59

Disputatio II.

De generatione Verbi divini. 59
Dub. 1. Quid sint generatio in communi, et generatio viventium? et an illo prior in divinis reperiatur? 59
Dub. 2. Utrum processioni Verbi divini conveniat ratio generationis viventium? 70
Dub. 3. Ex quibus capitibus sit efficax, ad probandam generationem Verbi divini ratio D. Thomæ, nempe, quod intelligere Dei est esse Dei? 87
Dub. 4. Utrum adeo processio Verbi divini sit formalissime generatio, ut ipsa ratio formalissima prædicti Verbi sit formalissima ratio Filii? 99
Art. 3. Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi? 107
Art. 4. Utrum processio amoris in divinis sit generatio? 107

Disputatio III.

De processione divini amoris, seu Spiritus sancti. 108
Dub. 1. Utrum in divinis sit alia processio per volnntatem? 108
Dub. 2. Utrum processio Spiritus Sancti sit generatio? 123
Dub. 3. Utrum ratio a D. Thoma in hoc art. 4 adducta ad probandum, processionem Spiritus Sancti, non esse generationem, sit sufficiens? 141
Dub. 4. Quæ specialiter obstent contra ea, quæ in explicatione rationis D. Thomæ dubio præcedenti adduximus? et quomodo solvenda? 159
Art. 5. Utrum sint plures processiones in divinis, quam duæ? 171

QUÆSTIO XXVIII.

De relationibus divinis. 172
Art. 1. Utrum Deo sint aliquæ relationes reales? 172

Disputatio IV.

De relationibus divinis quoad *an est* earum. 172
Dub. 1. An in Deo dentur relationes reales? 172
Dub. 2. Utrum relationes divinæ præcise secundum esse *ad* sint reales? 178
Art. 2. Utrum relatio in Deo sit idem, quod sua essentia? 192

Disputatio V.

De relationibus divinis quoad identitatem earum cum essentia Dei. 192

Dub. 1. Utrum relationes divinæ distinguantur realiter ab essentia Dei, sicut res a re? 193
Dub. 2. Utrum relationes divinæ distinguantur ab essentia Dei ex natura rei, seu actu, et secluso intellectu, minori tamen distinctione, quam sit illa, quæ est inter rem et rem? 197
Dub. 3. Utrum tanta sit identitas inter essentiam Dei, et relationes divinas, ut istæ, quatenus virtualiter distinctæ ab essentia, intrinsece includant illam? 217
Dub. 4. Utrum tanta sit identitas inter essentiam divinam, et relationes, ut istæ sint de intrinseca illius ratione? 240

Disputatio VI.

De divinis relationibus quoad rationem, secundum quam dicunt, vel non dicunt perfectionem. 247
Dub. 1. Utrum relationes divinæ, ut distinctæ virtualiter ab essentia Dei, afferant perfectionem? 247
Dub 2. Utrum relationes divinæ, ut distinctæ virtualiter ab essentia, afferant proxime secundum suum esse *ad*, seu secundum quod exprimunt esse *ad*, perfectionem distinctam virtualiter a perfectione essentiæ? 252

Disputatio VII.

De divinis relationibus quoad *esse* existentiæ, per quod existunt. 281
Dub. unic. Utrum relationes divinæ existant per proprias existentias relativas, distinctas virtualiter ab existentia absoluta divinæ essentiæ? an vero solum habeant existere per existentiam absolutam ejusdem essentiæ? 281
Art. 3. Utrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur? 310
Art. 4. Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio? 311

Disputatio VIII.

De divinis relationibus quoad numerum, et distinctionem earum inter se. 311
Dub. 1. Utrum relationes in divinis distinguantur realiter ab invicem? 312
Dub. 2. Utrum tantum sint in Deo quatuor relationes reales, nempe, Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio? 323
Dub. 3 Utrum sicut Paternitas, Filiatio, et Processio realiter inter se distinguuntur, ita etiam spiratio a Paternitate et Filiatione sit realiter diversa? 331

QUÆSTIO XXIX.

De personis divinis. 338
Art. 1. De diffinitione personæ. 338
Art. 2. Utrum persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia et essentia? 339
Art. 3. Utrum nomen *persona* sit ponendum in divinis? 339
Art. 4. Utrum hoc nomen *persona* significet relationem? 340

Disputatio IX.

De personis divinis absolute, et in communi sumptis. 341
Dub. 1. An recte diffiniatur a Boëtio persona generaliter sumpta, per hoc, quod sit *rationalis naturæ individua substantia?* 341
Dub. 2. Utrum ratio personæ inveniatur in divinis? 344
Dub. 3. Quod sit directum et formale, quodve materiale et directum, et quod tandem sit indirectum significatum hujus nominis *persona divina*. ut per conceptus nostros confusos et imperfectos, Theologicos tamen, cognitum? 352
Dub. 4. Utrum personæ divinæ afferant suas proprias substantias relativas? 361
Dub. 5. Utrum personæ divinæ non solum subsistant per proprias subsistentias relativas, sed etiam ultra has habeant aliam subsistentiam absolutam omnibus illis communem, et ratione divinæ naturæ eisdem formaliter convenientem? 369

QUÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in divinis. 392
Art. 1. Utrum sit ponere plures personas in divinis? 392
Art. 2. Utrum in Deo sint plures personæ, quam tres? 392
Art. 3. Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis? 393
Art. 4. Utrum hoc nomen persona possit esse commune tribus personis? 394

QUÆSTIO XXXI.

De his quæ ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis. 395
Art. 1. Utrum sit Trinitas in divinis? 395
Art. 2. Utrum Filius sit alius a Patre? 395
Art. 3. Utrum dictio exclusiva, solus, sit addenda termino essentia'i in divinis? 396
Art. 4. Utrum dictio exclusiva possit adjungi termino personali? 397

Disputatio X.

De personis divinis quoad pluralitatem earum, nec non et quoad ea, in quibus sunt unum. 399
Dub. 1. Utrum sicut in divinis conceduntur tres personæ realiter distinctæ, ita etiam concedendæ sint tres res, tres unitates, tres quidditates, tria (ut sic dicamus) aliquid, tria entia, tresque veritates realiter etiam distinctæ? 399
Dub. 2. Utrum in illis, in quibus reperitur pluralitas in divinis, reperiatur etiam numerus transcendentalis? 411
Dub. 3. Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis, et quid sit illud? 422
Dub. 4. Utrum utendum sit nomine Trinitatis in divinis? 429
Dub. 5. Utrum ratio personæ divinæ sit communis univoce respectu trium personarum divinarum? et an quidditative (ut sic loquamur) de illis dicatur? 434

QUÆSTIO XXXII.

De divinarum personarum cognitione. 445
Art. 1. Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci? 445
Art. 2. Utrum s'nt ponendæ notiones in divinis? 447

Art. 3. Utrum sint quinque notiones? 447
Art. 4. Utrum liceat contrarie opinari de notionibus? 448

Disputatio XI.

De divinis notionibus. 449
Dub. 1. Quid sit notio divina? 449
Dub. 2. Utrum notiones sint ponendæ in divinis? 452
Dub. 3. Utrum tantum sint quinque notiones in divinis? 458

QUÆSTIO XXXIII.

De persona Patris. 478
Art. 1. Utrum competat Patri esse principium? 478
Art 2. Utrum hoc nomen *pater* sit nomen proprie divinæ personæ? 479
Art. 3. Utrum hoc nomen *pater* dicatur in divinis perprius, secundum quod personaliter sumitur? 479
Art. 4. Utrum esse ingenitum sit Patri proprium? 480

QUÆSTIO XXXIV.

De persona Filii. 481
Art. 1. Utrum verbum in divinis sit nomen personale? 481
Art. 2. Utrum verbum sit proprium nomen Filii? 482
Art. 3. Utrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturam? 484

Disputatio XII.

De objecto, ex cujus cognitione Verbum divinum procedit. 484
Dub. 1. Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo? 484
Dub. 2. Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione creaturarum possibilium? 504
Dub. 3. Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione creaturarum futurarum? 527

QUÆSTIO XXXV.

De imagine. 534
Art. 1. Utrum imago in divinis dicatur personaliter? 534
Art. 2 Utrum nomen imaginis sit proprium Filii? 534

Disputatio XIII.

De imagine in divinis reperta. 535
Dub. 1. Utrum ratio imaginis proprie et formaliter in divinis reperiatur? et an essentialiter, an vero solum personaliter sic sumpta dicatur? 535
Dub. 2. Utrum imaginis ratio solum conveniat Verbo in divinis, an vero etiam Spiritui Sancto? 538

QUÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus Sancti. 547
Art. 1. Utrum hoc nomen Spiritus Sanctus sit proprium nomen alicujus divinæ personæ? 547
Art. 2. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio? 548

Disputatio XIV.

De principio, a quo procedit Spiritus Sanctus. 549
Dub. 1. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio? 549
Dub. 2. In quibus sensibus, et qua utilitate a Theologis inquiratur, an si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo? 564
Dub. 3. Utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo? 572
Art. 3. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium? 599
Art. 4. Utrum Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti? 600

Disputatio XV.

De Spiritu Sancto quoad modum procedendi a Patre et Filio 601
Dub. 1. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium? 601
Dub. 2. Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti? 604
Dub. 3. Utrum hoc unicum principium Spiritus Sancti quoad virtutem spirativam constituatur ex essentia et voluntate, necnon ex relatione spirationis activæ? an vero præcise ex prædicta essentia, et voluntate connotando relationes Paternitatis et Filiationis? 606
Dub. 4. Utrum relatio spirationis activæ, non solum requiratur ad constitutionem potentiæ spirativæ, sed etiam prædicta relatio sit per se subsistens, et sic sumpta spiret ut quod? 614
Dub. 5. Utrum Spiritus Sanctus per se procedat a duabus personis, ita ut utraque ex parte ejusdem Spiritus sancti et suæ proprietatis personalis exigatur? 622
Dub. 6. Utrum Spiritus Sanctus procedat ex amore omnium, quæ formaliter et necessario sunt in Deo, necnon ex amore creaturarum possibilium, ut talium, aut in aliqua differentia temporis existentium? 635

QUÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus Sancti, quod est amor. 636
Art. 1. Utrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti? 636
Art. 2. Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto? 637

QUÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus Sancti, quod est donum. 638
Art. 1. Utrum donum sit nomen personale? 638
Art. 2. Utrum donum sit proprium nomen Spiritus Sancti? 638

Disputatio XVI.

De Spiritu Sancto, ut est amor, et donum. 639
Dub. 1. Utrum Pater, et Filius diligant se Spiritu Sancto? 639

BQ
6852

Dub. 2. Utrum esse donum dicatur tam essentialiter quam personaliter, seu notionaliter in divinis? 644
Dub. 3. Utrum esse donum ex vi suæ processionis sit proprium solius Spiritus sancti? 648

QUÆSTIO XXXIX.

De personis ad essentiam relatis. 656
Art. 1. Utrum in divinis essentia sit idem quod persona? 656
Art. 2. Utrum sit dicendum, tres personas esse unius essentiæ? 657
Art. 3. Utrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis? 658
Art. 4. Utrum essentialia concreta possint supponere pro persona? 658
Art. 5. Utrum nomina essentialia in abstracto significata, possint supponere pro persona? 659

Disputatio XVII.

De modo, quo nomina essentialia, et personalia prædicantur, et supponunt in divinis. 660
Dub. 1. Utrum nomina essentialia in concreto prædicentur pluraliter in divinis? 660
Dub. 2. Utrum generaliter loquendo ad multiplicationem concreti substantivi, requiratur multiplicatio formarum, et suppositorum; an vero sufficiat sola multiplicatio formarum? 664
Dub. 3. Utrum nomina essentialia concreta in divinis possint supponere pro personis? et quando de facto pro una v. g. aut duabus, etc., supponant? 669
Dub. 4. Utrum nomina abstracta essentialia possint in divinis supponere pro personis. 672
Art. 6. Utrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus? 673
Art. 7. Utrum nomina essentialia sint approprianda personis? 674
Art. 8. Utrum convenienter a sacris doctoribus sint essentialia personis attributa? 674

QUÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes, sive proprietates? 676
Art. 1. Utrum relatio sit idem quod persona? 676
Art. 2. Utrum personæ distinguantur per relationes? 677

Disputatio XVIII.

De constitutivo et distinctivo divinarum personarum? 678
Dub. 1. Utrum in divinis personis sint aliquæ proprietates, quibus constituantur, et distinguantur? 678
Dub. 2. Utrum proprietates, quibus personæ divinæ constituuntur, et distinguuntur, sint absolutæ, vel relativæ? 683
Dub. 3. An proprietates relativæ, quibus personæ divinæ secundum nostrum modum concipiendi constituuntur, et distinguuntur, sint relationes secundum rationem originum, vel potius secundum aliquam aliam rationem relativam? 693
Dub. 4. Utrum proprietates constitutivæ et distinctivæ divinarum personarum, et peculiariter persona Patris, sint relationes divinæ, adhuc prout exprimunt *esse ad;* seu munus respiciendi, an vero secundum aliud munus relativum? 699
Art. 3. Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases? 711
Art. 4. Utrum actus notionales præintelligantur proprietatibus? 711

QUÆSTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales. 712
Art. 1. Utrum actus notionales sint attribuendi personis? 712
Art. 2. Utrum actus notionales sint voluntarii? 714
Art. 3. Utrum actus notionales sint de aliquo? 715
Art. 4. Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium? 716
Art. 5. Utrum potentia generandi significet relationem, et non essentiam? 717
Art. 6. Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit? 717

QUÆSTIO XLII.

De æqualitate, et similitudine divinarum personarum ad invicem. 718
Art. 1. Utrum æqualitas locum habeat in divinis? 718
Art. 2. Utrum persona procedens, sit coæterna suo principio, ut Filius Patri? 719
Art. 3. Utrum in divinis personis sit ordo naturæ? 719
Art. 4. Utrum Filius sit æqualis Patri secundum magnitudinem? 720
Art. 5. Utrum Filius sit in Patre, et e converso? 721
Art. 6. Utrum Filius sit æqualis Patri secundum potentiam? 721

QUÆSTIO XLIII.

De missione divinarum personarum. 721
Art. 1. Utrum alicui personæ divinæ conveniat mitti? 721
Art. 2. Utrum missio sit æterna, vel temporalis tantum? 722
Art. 3. Utrum missio invisibilis divinæ personæ, sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis? 722
Art. 4. Utrum Patri conveniat mitti? 723
Art. 5. Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti? 723
Art. 6. Utrum missio invisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ? 723
Art. 7. Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti? 724
Art. 8. Utrum aliqua persona divina mittatur, nisi ab ea, a qua procedit æternaliter? 725

Disputatio XIX.

De missione divinarum personarum? 725
Dub. 1. Utrum alicui personæ divinæ conveniat mitti? ubi etiam explicatur in quo consistit missio, de qua Angelicus Præceptor art. 1 hujus quæstionis agit? 725
Dub. 2. An cuilibet personæ divinæ conveniat mitti? et an ex personis, quæ mittuntur, possit una mitti sine alia? ac tandem utrum

ex eisdem personis missis, aliqua earum possit mitti ab altera, a qua non procedit? 730

Dub. 3. Utrum missio recte dividatur in visibilem, et invisibilem? et an utroque modo Filius, et Spiritus sanctus sint missi? et tandem an utraque ex his missionibus fuerit temporalis? 737

Dub. 4. An missio invisibilis divinarum personarum solum fiat per dona gratiæ sanctificantis an vero etiam per alia dona? 741

Dub. 5. Utrum in invisibili missione ea sola ratione dicantur mitti divinæ personæ, quia dona gratiæ sanctificantis ab eis procedentia donentur? 752



INDEX LOCORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTUR

EX VETERI TESTAMENTO

Ex Genesi.

1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram.* 478 664
Spiritus Dei ferebatur super aquas. 122
Faciamus hominem ad imaginem, etc. 517
17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* 123
22. *Nunc cognovi, quod times Deum.* 122

Ex Exodo

3. *Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos.* 281
13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel* 124
15. *Flavit Spiritus.* 19

Ex Job.

14. *Nonne tu, qui solus es?* 281

Ex Psalmis.

2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 70
Ego hodie genui te. 11
63. *Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus.* 2
109. *Iratus est furore Dominus in populum suum.* 122
Et tradidit eos in manus gentium. 122
109. *Tecum principium.* 478
Ex utero ante luciferum genui te. 15, 73
110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, etc.* 3

Ex Proverbiis.

8. *Dominus creavit me.* 18, 77
Ego jam concepta eram. 73
Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. 73
Ante colles ego parturiebar. 73. 7
15. *Longe est Dominus ab impiis.* 742
30. *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* 689

Ex Ecclesiaste.

4. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* 2
7. *Alta profunditas, quis inveniet eam.* 2

Ex Canticis.

8. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* 117, 538

Ex Sapientia.

1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* 742
Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. 742. 747
1. *Dixerunt enim cogitantes apud se.* 30

Ex Ecclesiastico.

24. *Gyrum cœli circuivi sola.* 398
Ab initio, et ante sæcula creata sum. 77
Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. 18

Ex Isaia.

6. *Vidi Dominum sedentem supèr solium excelsum et elevatum,* etc. 1
48. *Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus.* 734
53. *Generationem ejus quis enarrabit?* 73
61. *Spiritus Domini super me : eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me.* 551
63. *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sancti ejus.* 121
Ult. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse,* etc. 72

Ex Osea.

4. *Ligavit eum Spiritus in alis suis.* 19

Ex Joele.

2. *Effundam de spiritu meo.* 121

Ex Amos.

4. *Deus formans tonitruum, et creat spiritum.* 18

EX NOVO TESTAMENTO

Ex Matthæo.

6. *Pater noster, qui es in cœlis.* 479
Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. 110
9. *Dixerunt intra se : Hic blasphemat.* 30
10. *Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* 550
11. *Nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius.* 71, 121
16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* 73
26. *Spiritus promptus est.* 19
27. *Emisit spiritum.* 19
28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* 683

Ex Marco.

1. *Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei.* 71
14. *Genimen vitis.* 78

Ex Luca.

1. *Spiritus Sanctus superveniet in te.* 750
11. *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* 121

Ex Joanne.

1. *In principio erat Verbum.* 478
1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* 123
Filius, qui est in sinu Patris. 7, 73, 123
3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* 123, 644
Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus. 71
5. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius*, etc. 71
Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 726
Sicut Pater habet vitam in semetipso : sic, etc. 73
6. *Hunc enim Pater signavit Deus.* 538
Sicut misit me vivens Pater. 726
8. *Principium, qui, et loquor vobis.* 478
Ego ex Deo processi, et veni. 6
10. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* 73, 80
Ego, et Pater unum sumus. 193
Facis te ipsum Deum. 19
Ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. 7
14. *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est.* 7
Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. 108
Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. 742
In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo. 7
Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. 644, 731 742
15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* 7, 644, 726
Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. 108, 550, 549, 561
19. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* 551, 726
Ille me clarificabit : quia de meo accipiet. 7, 128, 552
Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. 552
Exivi a Patre, et veni in mundum. 6
17. *Ut cognoscant te solum Deum verum.* 398
20. *Accipite Spiritum Sanctum.* 750

Ex Actibus Apostol.

2. *Fecit Deus hunc Jesum.* 18
5. *Deus Spiritum Sanctum dedit obedientibus sibi.* 121
13. *Resuscitans Jesum*, etc. 71

Ex epistol. ad Romanos.

1. *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo.* 71
Prædestinatus est Filius Dei in virtute. 71
Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 121
5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* 551, 752
8. *Si quis Spiritum Christi non habet : hic non est ejus.* 550
Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 121
Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. 546

Ex epistol. 1 ad Corinthios.

2. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 108
3. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* 742
8. *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* 122
13. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* 123
15. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus, et imaginem cœlestis.* 546

Ex Epist. 2 ad Corinth.

13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus.* 624

Ex epistol. ad Galatas.

4. *Misit Deus Filium suum.* 726
Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. 550

Ex epist. ad Ephesios.

2. *Creati in operibus bonis.* 19
3. *A quo omnis paternitas in cœlo, et in terra.* 463
4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* 121

Ex epist. ad Philippenses.

1. *Eo quod habeam vos in corde.* 117
2. *Qui cum in forma Dei esset.* 433

Ex epist. ad Colossenses.

1. *Qui est imago Dei invisibilis.* 535
Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ. 538

Ex epist. ad Hebræos.

1. *Multifariam, multisque modis olim Deus,* etc. 71
Qui cum sit splendor et figura substantiæ ejus. 538
Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. 71

Ex epist. Jacobi.

1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* 64

Ex epist. Joannis.

2. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* 753
4. *Charissimi, diligamus nos invicem : quia charitas,* etc. 21
Filium suum unigenitum misit Deus. 726
Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. 117, 742
5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.* 411
Hi tres unum sunt. 193

Ex Apocalypsi.

1. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.* 281
19. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit.* 689

LAUS DEO.



TRACTATUS

SEXTUS

DE SS. TRINITATIS

MYSTERIO.

PROŒMIUM.

Post tractatus, quos de Deo ut uno, in primo et secundo tomo hujus nostri Cursus Theologici in lucem edidimus, statim una cum Angelico Doctore tractatus de sacro-sancto Trinitatis mysterio sese nobis offert. Nam, ut sanctissimus Præceptor in præsenti docet, sicut Deus ut unus quodammodo præsupponitur ad seipsum ut Trinum, et ipse ut Trinus statim quasi subsequitur ad se ut unum : ita post tractatus illos de Deo quatenus unus, debet primo loco subsequi præsens tractatus, qui de Deo ut Trino, sive de sacro-sancto Trinitatis mysterio inscribitur.

§ I.

Quam sit intellectu difficile mysterium Trinitatis.

Mysterium autem hoc præ nimia sua celsitudine, summa profunditate, et densissimis nebulis, una cum inaccessibili luce, quibus undequaque circumscriptum est, ita est intellectu difficile, et afflatu
ar. inexplicabile, ut Hilarius, non posse hominem sua intelligentia illud consequi, et
ros. Ambrosius, impossibile esse illius scire se-
om. cretum, asseruerint. Quia, ut D. Thom. in hac 1 p. q. 32 art. 1 explicat, fieri nequit, ut per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum perveniatur.

Hinc Isaias Deum sedentem super so- Isaiæ 6.
lium excelsum, et elevatum protulit; quia eum non solum ut unum, sed etiam ut Trinum in ænigmate vidit. Et propterea Seraphin illa ter *Sanctus* decantantia, unum tamen Deum et Dominum proclamantia simul conspexit : ut per hunc excelsum et elevatum thronum innueret, Trinitatis arcanum, hancque unitatem essentiæ in Trinitate personarum ita vim nostræ naturalis rationis superexcedere, ut quantumvis majorem ac majorem volatum ad illius cognitionem assumat : semper tamen præ nimia prædicti mysterii celsitudine Deus in ita excelso et elevato throno residet, ut illuc usque pertingere nequaquam valeat. Sicut
etiam ob hanc rationem idem Isaias, Deum Isaiæ 6.
non solum in excelso et elevato throno residere, et Seraphin ter *Sanctus* decantare, sed etiam hæc eadem Seraphin duabus alis Domini faciem, duabus vero illius pedes velare, ac tandem duabus volare inspexit : ut per hoc etiam denotaret, quod adhuc Angelici spiritus, quantumvis ad augustissimum hoc arcanum suis naturalibus viri-

bus intelligendum volarent, nunquam tamen præ nimia ejus sublimitate, et immensa ipsius profunditate posse tantum mysterium capere, sed eis semper latens, semper velatum, absconditumque remanere.

3. Eccles. 7 Hinc Ecclesiastes c. 7 asseruit : *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Quæ verba D.Thom. S. Th. cap. 12 ad Rom. lect. 5 de Trinitatis arcano exponit, quippe quod immensa quædam profunditas est, quæ transvadari nulla ratione potest. Quod etiam docuit Nazianz. Nazianz. sermonem de Trinitate texens, his verbis :

Immensum exigua pelagus sulcare carina,
Et parva æthereàm penna volitare per arcem
Paramus, etc.

Eccles. 4 Hinc etiam Ecclesiastes 4 dicitur : *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Ita enim implicatus est hujus divini funiculi nodus, quo Trinitas personarum, et unitas essentiæ nectuntur, ut humana ratio illum non solum non plene capere, verum nec explicare, aut solvere valeat.

Hinc denique Pharaonis Magi omnia alia signa, quæ Moyses coram eodem Pharaone fecit, pariter et ipsi patrarunt; cum tamen in tertia plaga defecerint (plagæ enim cœperunt, ex quo aqua in sanguinem versa August. est). Cujus rationem reddit August. q. 25 super Exod. Quia nimirum tertia hæc plaga sacræ Trinitatis symbolum erat, et humanum ingenium atque sapientia in tertia plaga, nempe in contuitu Trinitatis omnino deficit, et quo magis sacrum istud, et reconditum arcanum se supra se ipsam elevando perscrutari conatur, eo altius et altius super eam assurgit, illudque præ nimia ejusdem celsitudine consequi non va-Psal. 63. let, juxta illud : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.*

§ II.

Quomodo arcanum hoc facile intellectu per fidem reddatur.

1. Sed licet alta hujus mysterii profunditas, summa ejus celsitudo, ratione cujus in excelso throno habitare perhibetur, triplicisque hujus funiculi nodus humanæ capacitatis vires ita longo post se relinquat intervallo, ut nec tantam profunditatem transfretare, nec ad tantam celsitudinem pervenire, nec adeo implicati funiculi nodum solvere propriis viribus queat, sed in conspectu ejus, ad instar Magorum Pharaonis in conspectu tertiæ plagæ mysterium hoc denotantis, penitus deficiat : si tamen lumine fidei confortetur, si crebro ad fulgentissimum, simulque caliginosum ejusdem fidei sidus aspexerit, tunc, ubi lux humanæ sapientiæ deficit, aut aliter, quam oportet, suadet, statim ejusdem fidei immensum jubar in caliginoso loco lucens ita viam illustrat, mentem elevat, et tanquam ductrix et magistra sapientissima cursum dirigit, ut facile, et absque erroris periculo ad tanti mysterii notitiam perveniatur. Unde quodammodo hic cernitur id, quod de Moysis virga Exodi 4 refertur. Illa Exod. 4. enim non eodem, sed diverso modo apprehensa, nunc virgam, quæ facile capitur, nunc serpentem, quæ horrorem et timorem incutit, referebat. Ita etiam hoc, et cætera alia fidei nostræ sacramenta humanæ rationis discursibus fidei lumine destitutis apprehensa arduis apparent referta difficultatibus, et in eorum cognitione timens et tremens mens nostra deficit. Si tamen fulgentissimo, simulque caliginoso fidei lumine apprehendantur, ita ejus luce illustrantur, ut non difficulter, sed facili negotio percipi queant, nec, ut serpens, terreant, sed, ut virga et baculus quo quis innitatur, facile, et cum voluptate capiantur.

Quare, licet in aliis tractatibus Theolo- 5
gicis ad fidei lumen recurrendum semper sit, in hoc tamen tractatu potiori ratione sidus istud crebrius aspiciendum nobis erit, ut veritatis scopum in ita arduo et abscondito mysterio attingere facili negotio, et absque naufragii periculo possimus. Nec curandum utcumque est, ut fulgentissimum hoc sidus se solo præeat, sed insuper ut associatum, et informatum firma spe, et ardenti charitate viam illustret, et ducatum præstet. Sic enim Trinitatem ipsam, a qua cecidimus (idest, cujus non parum perfectam, licet ænigmaticam notitiam in hac vita, necnon et jus ad illam clare in cœlesti patria conspiciendam peccando in Adamo amisimus) non poterimus non, nunc quidem in ænigmate, postea clare, et facie ad faciem intueri. Ut enim in serm. 1 sermonum parvorum, dixit Bernard. : Bernard. *Est Trinitas creatrix, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et est Trinitas, quæ cecidit, intellectus, memoria, et voluntas. Et est Trinitas, in quam ista cecidit, impotentia, ignorantia, et concupiscentia. Et est Trinitas, per quam Trinitas cadens resurgit ad Trinitatem, de qua cecidit, fides, spes et charitas.*

§ III.

Ubinam fidei lumen ad mysterium Trinitatis intelligendum præcipue luceat.

6 Sed quia sidus hoc fidei caligine et claritate involutum in sacra pagina, necnon in Conciliis, et Patribus ut in cœlo quodam serenissimo residet, et lucet, indeque fulgentissimam, simulque caliginosam lucem spargit : propterea ad cœlum istud crebro recurremus, ut inde illustrati, ac luce perfusi immensum hoc pelagus transfretemus.

Cæterum, quia hoc est divinæ providentiæ peculiare ingenium, ut sicut creato hoc mundo majori, ac proinde cœlo itidem majori, statim minorem alium mundum, cœlumque minus, nempe hominem produxit, in quo sub forma breviori, quæ in mundo majori sparsa erant, miro artificio, mirabilique nexu quasi in brevi quadam summa collegit, et recondidit : ita semel nobis communicato majori illo Scripturæ, Conciliorum, et Patrum cœlo, ubi sidus fidei magis sparsum fulgore simul et caligine circumdatum sub fulgenti quadam caligine luceret : postmodum aliud cœlum minus, Angelicum nimirum Doctorem condidit, in cujus Theologica summa, quidquid est in sacra pagina, Conciliis, et Patribus, sub breviori quadam forma invenitur : et quæ alias sparsa erant, et præ nimia multitudine capi non poterant, in hac Angelici Doctoris summa, quasi in cœlesti quadam eorumdem summa continentur.

Quia igitur hoc est peculiare divinæ providentiæ ingenium, propterea ad cœlum majus, ad cœlumque minus, ut ex utroque luce perfundamur, sæpe accedemus : et a cœlo majori ad cœlum minus, et e contra multoties vela pandemus. Ac tandem, quia in cœlo minori summatim ea, quæ in majori cœlo sparsa sunt, invenientur collecta, et ad brevem formam redacta, idcirco sæpius ab hoc cœlo minori in idem cœlum minus, a Thoma nimirum Aquinate in eumdem Thomam, et per ipsummet viam carpendo discurremus, nec latum quidem unguem a Thoma in aliquo (Deo dante eodemque Thoma patrocinante) discedemus. Sic enim sidere hoc fulgentissimo fidei a cœlo majori, in quo magis sparsum est, nobis clarescente, et per cœlum minus, nempe Thomam, transeunte, ibique sese magis colligente, magisque virtutem suam quodammodo uniente : ita via, qua ad cognitionem mysteriorum ejusdem fidei, maxime vero ad hoc potissimum Trinitatis arcanum pervenitur, manebit illustrata, ut facile possint cerni, et eorum sublimitas, non quidem per speciem, sed per speculum, et in ænigmate non difficulter queat contemplari.

7. Licet autem plura possemus in laudem hujus minoris cœli, ejusque excelsæ ac sublimis doctrinæ e cœlo majori delapsæ congerere : quia tamen non pauca de hoc in 1 tom. nostri Cursus Theologici in Oratione exhortatoria pro Doctoris Angelici doctrinæ commendatione collegimus, propterea quoad hoc silemus, et satis nobis esse duximus eam in præsenti, vel (ut melius dicamus) in ea omnem Scripturæ, Conciliorum, et aliorum Patrum Theologiam silentio venerari. Siquidem doctrina Angelici Doctoris est, tum cœlum illud minus, ubi cœlum aliud majus abbreviatum est : tum etiam veluti memoriale quoddam mirabilium Dei, idest, thesaurorum sapientiæ et scientiæ Dei, qui in aliis rebus dispersi et diffusi sunt, juxta illud : *Memoriam* Psal. 110 *fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus*. Tum denique manna illud suavissimum, quod omnium ciborum spiritualium saporem refert, seu omni Scripturæ, Conciliorum, et Patrum doctrina refertum est, ut undequaque illam redoleat, et sapiat, ac eorum mentes in hac Angelica D. Thomæ mente residere, eorumque linguas, et calamos Aquinatis linguam, et calamum movere videantur.

§ IV.

Ordo servandus in tradendo hoc mysterio.

8. Ut autem, quæ in hoc cœlo minori, et memoriali mirabilium Dei circa mysterium hoc recondita sunt, reperire, et aliis tradere melius valeamus, eo ordine illa in ipso inquiremus, quo ab eodem Angelico Doctore (fide ipsa praeeunte) disposita, et tradita sunt : et ita in q. 27 hujus 1 part. quæ est prima earum, in quibus de arcano isto Trinitatis personarum disseritur, ibidem de originibus, sive processionibus divinarum personarum una cum D. Thoma agemus, ex eo quod origines ad personas ipsas quodammodo præsupponuntur. In quæst. vero 28 de relationibus originis, quibus personæ ipsæ constituuntur, simul cum Angelico Doctore discutietur.

A q. vero 29 usque ad 32 ea, quæ sunt

communia divinis personis consideratis absolute et secundum se, sive illa pertineant ad nomen, sive ad numerum personarum, sive ad ea, quæ ad earumdem personarum pluralitatem consequuntur, sive tandem ad earum notitiam, aut notionem, sequentes Sanctissimi Præceptoris vestigia explicabimus. A q. deinde 32 usque ad 38 de iis, quæ singulis personis absolute consideratis propria sunt, juxta ea, quæ ibidem docet D. Thomas sermo texetur. A q. denique 39 usque ad ultimam hujus tractatus, nempe usque ad 43 inclusive disputabitur de comparatione divinarum personarum ad essentiam, et ad proprietates, quibus constituuntur et distinguuntur, et ad actus notionales : ac tandem de collatione earum inter se, non solum quantum ad æqualitatem, et similitudinem : sed etiam quantum ad missionem, qua una persona mittitur ab alia : quia Angelicus Doctor de his in prædictis quæstionibus sermonem facit.

§ V.

Redditur ratio ordinis servandi in tradendo hoc sanctissimæ Trinitatis sacramento.

9. Ratio autem hujus ordinis, quem sanctissimus Præceptor servavit, ex rebus ipsis tradendis satis liquet. Nam cum origines præsupponantur personis, oportuit primo loco de illis sermonem instituere. Et deinde personæ prius sunt considerandæ secundum se, quam in comparatione ad alia. Et ulterius in consideratione personarum secundum se, prius agendum erat de communibus, quam de particularibus.

Potestque alia via ratio ordinis jam dicti tradi ex his, quæ addit Nazarius in explicatione proœmii sancti Doctoris. Etenim in qualibet scientia, et quolibet illius tractatu supponitur subjectum illius : et hoc supposito, ejus principia primo loco traduntur. Postmodum subjectum ipsum in communi consideratur : et deinde partes illius subjectivæ, aut quasi subjectivæ : et tandem proprietates ex eo, et ex ejus subjectivis, aut quasi subjectivis partibus dimanantes. Quem ordinem in Philosophia Aristoteles servavit, ut ibidem explicuit D. Thomas. Cum igitur subjectum hujus tractatus sit Trinitas divinarum personarum in una essentia : propterea juxta præscriptum Aristotelis agit primo D. Thomas de principiis, aut quasi principiis divinarum personarum constitutivis et distinctivis, quæ sunt relationes consequentes nostro modo intelligendi origines, de quibus, utpote earumdem relationum quasi fontibus, primo loco agendum erat. Secundo disserit in communi de nomine et ratione personæ secundum absolutam ejus considerationem, et de aliis ad eamdem sic sumptam spectantibus. Et deinde de singulis personis in particulari sermonem instituit : ac tandem tradit proprietates, ac quasi passiones personarum, quæ sunt æqualitas, similitudo, missio, etc.

Nazarius

Aristot. D.Thom.

QUÆSTIO XXVII

De processione divinarum personarum.

Consideratis autem iis, quæ ad divinæ essentiæ unitatem pertinent, restat considerare de iis, quæ pertinent ad Trinitatem personarum in divinis. Et quia personæ divinæ secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinæ prius considerandum est de origine, sive processione; secundo de relationibus originis; tertio de personis.

ARTICULUS I.

Utrum processio sit in divinis?

1 dist. 13 ar. 1 et 2 contra gent. c. 11 et po. q. 10 ar. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non possit esse aliqua processio. Processio enim significat motum ad extra : sed in divinis nihil est mobile, neque extraneum. Ergo neque processio.

2. Præterea, omne procedens est diversum ab eo, a quo procedit : sed in Deo non est aliqua diversitas, sed summa simplicitas : ergo in Deo non est processio aliqua.

3. Præterea, procedere ab alio, videtur rationi primi principii repugnare : sed Deus est primum principium, ut supra * ostensum est : ergo in Deo processio locum non habet.

* Q. [illegible] art. 1.

Sed contra est, quod dicit Dominus Johann. 8 : Ego ex Deo processi.

Respondeo dicendum, quod divina Scriptura in rebus divinis nominibus ad processionem pertinentibus utitur. Hanc

Hanc autem processionem diversi diversimode acceperunt. Quidam enim acceperunt hanc processionem, secundum quod effectus procedit a causa. Et sic accepit Arrius dicens, Filium procedere a Patre sicut primam ejus creaturam, et Spiritum sanctum procedere a Patre, et Filio sicut creaturam utriusque. Et secundum hoc, neque Filius, neque Spiritus sanctus esset verus Deus. Quod est contra id, quod dicitur de Filio 1 Joann. ultim. : Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus. Et de Spiritu sancto dicitur 1 Corinth. 3 : Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti : templum autem habere solius Dei est. Alii vero hanc processionem acceperunt, secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in quantum vel movet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimit. Et sic accepit Sabellius dicens, ipsum Deum Patrem Filium dici, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine, et eumdem dici Spiritum sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, et ad vitam movet. Huic autem acceptioni repugnant verba Domini de se dicentis Joann. 5 : Non potest facere a se Filius quicquam. Et multa alia, per quæ ostenditur, quod non est ipse Pater, qui Filius. Si quis autem diligenter consideret, uterque accepit processionem, secundum quod est aliquid ad extra. Unde neuter posuit processionem in ipso Deo. Sed cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extra : ita secundum actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intra. Et hoc maxime patet in intellectu, cujus actio, scilicet intelligere, manet in intelligente. Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat : et dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis. Cum autem Deus sit super omnia : ea, quæ in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundum modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ, a quibus etiam similitudo accepta deficit a repræsentatione divinorum. Non ergo accipienda est processio secundum quod est in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicujus causæ in exteriorem effectum, ut calor a calefaciente in calefactum, sed secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso. Et sic fides catholica processionem ponit in divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de processione, quæ est motus localis, vel quæ est secundum actionem tendentem in exteriorem materiam, vel in exteriorem effectum : talis autem processio non est divinis, ut dictum * est.

* In ... p. ar.

Ad secundum dicendum, quod id, quod procedit secundum processionem, quæ est ad extra, oportet esse diversum ab eo a quo procedit. Sed id, quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diversum : imo quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo, a quo procedit. Manifestum est enim, quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, et magis unum. Nam intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis unum cum intellecto. Unde, cum divinum intelligere sit in fine perfectionis (ut supra * dictum est), necesse est, quod Verbum divinum sit perfecte unum cum eo, a quo procedit, absque omni diversitate.

* Q 14 ar. 2.

Ad tertium dicendum, quod procedere a principio ut extraneum, et diversum, repugnat rationi primi principii, sed procedere ut intimum et absque diversitate per modum intelligibilem includitur in ratione primi principii. Cum enim dicimus ædificatorem principium domus, in ratione hujus principii includitur conceptio suæ artis : et includeretur in ratione primi principii, si ædificator esset primum principium. Deus autem, qui est primum principium rerum, comparatur ad res creatas, ut artifex ad artificiata.

Prima conclusio : In divinis est vere et proprie aliqua processio.

Secunda conclusio : Hæc processio non est secundum eum modum, quo reperitur in corporalibus, scilicet vel per motum localem, vel per actionem alicujus causæ in exteriorem effectum ; sed secundum emanationem intelligibilem.

DISPUTATIO I.

De processione divinarum personarum.

Cur primo loco de origine, seu processione personarum disputatio excitetur, satis constat ex nuper dictis ; et ideo quo ad hoc in præsenti nihil amplius occurrit dicendum.

Animadversio tam pro hac, quam reliquis hujus nostri Cursus Theologi disputationibus non parum observanda.

Antiquum currendi modum, pristinumve procedendi stylum in hac, et reliquis hujus Theologici nostri Cursus tomi disputationibus mutatum, quis forte mirabitur. Cum enim adversariorum sententia in primo tomo suis stipata rationibus prima cucurrerit, deinde nostra, vel (ut verius loquamur) Angelici Doctoris sententia, et denique solutiones ad argumenta adversæ sint subsecutæ : ordine in hoc tomo variato Thomistica præcedit oppositam, et hæc suis cum fundamentis, et eorum solutionibus tandem collocatur. Cæterum mutationem hanc, et antiquum currendi modum non sine gravi fundamento inversum esse, putandum est. Ad id enim nos, inter alia, doctissimorum virorum compulit non semel iterata petitio, ex eo quod præsens modus currendi, stylusve hic procedendi clarior pristino, et minus illo laboriosus videtur. Quandoquidem facilius longe, et clarius argumentis occurritur immediate locatis, quam multo ante propositis, et non nisi magna paginarum revoluta copia inveniendis. Quare, ut eorum venerabili petitioni debito præstolemur obsequio, sic metam hujus nostri Cursus attingere consulto decrevimus. Verum non ideo intelligendum est, formalem, ut sic dicamus, incepti Cursus stylum haud minimum fuisse mutatum. Styli namque nostri ratio, quem hucusque sumus secuti, non in hoc, quod primam, vel ultimam sedem argumenta opposita occupent, sita est (id namque valde est materiale, utpote, ut sic dicamus, localem vel situalem collocationem dumtaxat importans) : sed in hoc, quod eodem modo fulgentissimi Ecclesiæ jubaris Magni Aquinatis mentem profundissimam patefacere gestiat, ejus testimonia fideliter referat, eorumdem vim perpendat, a sinistrisque interpretationibus vindicet, rationes non aliunde, quam ex ipsismet D. Thomæ

Animadversio pro sequentibus totius Cursus disputationibus.

testimoniis desumat, latitantem in eis pretiosam margaritam pro viribus invenire contendat, et adversariorum denique evasiones eis adhibitas, vel quæ adhiberi poterant, impugnet, et evertat : quod eodem prorsus modo in hoc, et sequentibus tomis, Deo dante, præstabimus, sicuti in priori id pro exiguis nostris viribus præstare conati sumus. Itaque eisdem ramis, licet diversimode collocatis, variegata eadem uterque tomus est arbor, non diversa, a simplici pullulat radice, non duplici. Idem equidem est hortus terminis, quos ultra non extenditur, conclusus Thomisticis, in quo Angelici ejusdem præceptoris idemmet incorruptus fluvius erumpit, qui languidas ejus rosas sua amœnitate coronat, ac torrente voluptatis suæ in vitam efficit revirescere æternam. Hic igitur fluvius, qui nobis

Claud. de conf. Ma. Theod. .... *Cunctis amnibus extat*
Utilior, nullas confessus murmure ripas,

in utroque nostri Cursus tomo impermixtus omnino, ac proinde idem prorsus in ambobus formalis, et ipsissimus (ut sic loquamur) stylus reperietur.

DUBIUM I.

An aliqua processio sit in divinis?

Ut hujus dubii decisio clarior maneat, primo loco termini illius explicandi sunt.

§ I.

Explicatio tituli.

1. Animadversio pro luce tituli. D. Thom. Pro tituli ergo intelligentia notandum est, tres in eo terminos contineri. Primus quidem, *aliqua processio*, qui (ut constat ex iis, quæ tradit D. Thomas in præsenti, et quæst. 10 de Potentia art. 1 necnon in 1 distinct. 38 quæst. 1 art. 1 in corpore) licet soleat interdum sumi pro motu locali progressivo, interdum pro actione, sive immanente, sive transeunte, qua aliquid procedit ab alio ut a sua causa, vel principio, et ita ex hoc capite prædicta particula, quantum est ex vi sua, et cum præcisione sumpta non videbatur sumi, prout trahitur et determinatur ad aliquem ex his modis procedendi determinate sumptum, sed indeterminate et indistincte pro aliquo processionis modo : attamen, hoc ipso quod addatur illa particula *in divinis*, accipitur, prout trahitur et determinatur ad processionem secundum actionem, sive emanationem immanentem : siquidem, quod procedit in divinis, quippe quod eo ipso est realiter Deus, non potest non procedere a Deo, et manere in Deo. Secundus est, ly *sit*, per quem denotatur, an re vera, actu, et formaliter; et non solum ex parte nostri modi concipiendi, aut virtualiter, metaphorice, sive translatitie sit in divinis aliqua processio. Tertius tandem, ly *in divinis*, idest, an intra Deum ipsum, seu intra naturam divinam sit talis processio : ut per hoc innuatur, non esse sermonem de processionibus, quæ emanant a Deo, et sunt passive (modo tamen in primo tomo nostri Cursus Theologici tractatu 5 disp. 3 dubio unico insinuato) extra ipsum Deum, nempe in creaturis. Et ita sensus totius tituli est, an intra Deum sit secundum rem, formaliter, et proprie aliquis modus processionis?

§ II.

Sententia Catholica.

2. Conclusio de fide, et probatio ex Scriptura. Joann. 8 Dicendum ergo est, dari in divinis seu intra Deum actu, vere, et formaliter realem processionem unius personæ ab alia. Hæc est de fide. Nam Joannis 8 : Filius, qui est una ex personis Trinitatis, de se ipso loquens, inquit : *Ego ex Deo processi, et veni.* Quem locum explicant de æterna Filii processione Rupertus lib. 5 de Glorificatione Trinitatis cap. 14, Hilarius 6 de Trinitate, Athanasius in expositione fidei, Cyrillus, Augustinus, Glossa, et alii. Et cap. 16 : ***Exivi a Patre, et veni in mundum.*** Quod testimonium explicant de æterna processione Christi omnes Patres, et recentiores expositores, et de eadem intellexerunt illud discipuli, ut patet ex verbis sequentibus : *Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget : in hoc credimus, quia a Deo existi.* Quasi dicerent : Scimus, te cognoscere omnium cogitationes, et quid velint te interrogare, antequam interrogeris, *et in hoc*, id est propter hoc, aut hoc argumento credimus, *quia a Deo existi*, idest a Deo processisti ut Filius ejus naturalis. Quia habere ita perspectas hominum cogitationes proprium est Dei. Et in Symbolo Nicæno dicitur : *Deum de Deo*; Psalm. 2 et 109 : *Ego hodie genui te.* Quod de hac æterna processione Verbi intelligunt Athanas. lib. 5 contra

Rupert. Hilarius. Athan. Cyrillus. August. Gloss. Joan. 16. Symbol. Nicænum. Psal. et 109. Athan.

contra Arrianos, Augustinus, Basilius lib. 2 contra Eunomium in medio, et post medium : et alii Proverbiorum 8 : *Ante omnes colles ego parturiebar*, vel, *generabat me*, ut legunt Septuaginta. Quæ verba de eadem processione explicant noster Cyrillus lib. 5 Thesauri cap. 5 et sequentibus, Basilius lib. 2 et 4 contra Eunomium. Origines homil. 9 in Isaiam, et homil. 6 in Jeremiam.

3. Et similiter de Spiritu Sancto, qui est una ex divinis personis, inquit Christus Dominus Joan. 13 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quod testimonium tam Patres Latini, quam Græci Concilii Florentini intellexerunt de æterna processione Spiritus Sancti. Nam Græci utebantur illo ad probandum contra Latinos, Spiritum Sanctum procedere æterna processione a solo Patre : ac proinde supponebant, esse intelligendum de hac processione. Latini vero admittentes hoc ut certum respondebant, id non obstare, quominus Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio. Et ita constat ex communi consensu, tam Græcorum quam Latinorum illius Concilii, prædictum testimonium intellectum fuisse de æterna processione Spiritus Sancti.

Et deinde cap. 16 ejusdem Joan. dixit Christus Dominus de Spiritu Sancto : *Ille me clarificabit : quia de meo accipiet.* Quod Hilarius lib. 8 de Trinitate, et Augustinus tractatu 100 in Joannem explicant de acceptione naturæ divinæ, quam Spiritus Sanctus per suam æternam processionem accepit a Patre et Filio. Et ad Romanos 8 et Joan. 15 : Spiritus Sanctus vocatur spiritus Christi et veritatis, quia procedit a Filio. Ita explicat Concilium Alexand. ut habetur in epistola 10 Cyrilli, et in primo tomo Conciliorum inter acta Concilii Ephesini. Et tandem hoc ipsum diffinitum est in illo Symboli Nicæni : *Qui a Patre Filioque procedit* : et in Symbolo Athanasii : *Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.*

4. Unde nihil refert, si dicas, ex his testimoniis solum haberi, Deum esse principium, a quo aliquid procedit : non tamen, quod id, quod procedit, et per consequens processio ipsa, maneat intra Deum, ut in conclusione asserebamus : quæ tamen duo esse inter se distincta, et non necessario connexa, constat ex eo, quod licet Deus sit principium, a quo creaturæ procedunt, non tamen propterea istæ, aut earum processio in eo manent.

Ex dictis igitur constat, hanc evasionem nihil referre : tum, quia ex contextu et circumstantiis horum testimoniorum constat, quomodo id, quod in eis dicitur procedere a Deo, sit intra ipsum Deum, quippe quod est verus Deus, illique natura divina per illam processionem saltem de materiali communicatur, ut intuenti prædicta testimonia una cum contextu, et circumstantiis eorum, necnon explicationes Patrum, quas adduximus, constabit. Tum etiam, quia de eo, quod in istis testimoniis dicitur procedere, in aliis dicitur esse in principio, a quo procedit; ut Joan. 1 : *Filius, qui est in sinu Patris.* Et cap. 10 : *Ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Et cap. 14 : *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et postea : *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo.* Quod etiam de Spiritu Sancto constat omnibus iis testimoniis, in quibus asseritur, ipsum esse Deum : quia, quod procedit a Deo, et est Deus, non potest esse extra; sed necessario debet esse intra ipsum Deum. Unde assertionem hanc tuentur tanquam de fide omnes Patres et Theologi.

§ III.

Sententia Catholica duplici ratione ex Scriptura petita stabilitur.

5. Ratio autem fundamentalis nostræ assertionis non aliunde, quam ex testimoniis adductis desumenda est. Quoniam de Trinitatis mysterio, et de processionibus divinis sentiendum est juxta id, quod ex Scriptura, Conciliis et Patribus habemus : tum, quia funiculus hic triplex difficile rumpitur, vel (ut melius dicamus) non potest disrumpi : tum etiam, quia cognitio processionum divinarum superat captum rationis naturalis, ut docet D. Thomas infra quæst. 32 artic. 1 et nos ibi dicemus : at ex Scriptura, Patribus et Conciliis habemus dari actu, vere et formaliter in Deo, seu intra naturam divinam processiones : ergo ita sentiendum est.

6. Secundo probatur eadem assertio alia ratione ex Scriptura deprompta. Nam in divinis seu intra Deum datur Trinitas personarum in unitate numerica ejusdem essentiæ, juxta illud Symboli Athanasii : *Fi-*

des autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur. Et infra : *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas*, etc. Ergo etiam debet dari una persona improducta, a qua aliæ vere et formaliter habeant procedere intra ipsum Deum : et per consequens vere et formaliter dabitur processio intra illum. Hæc ultima consequentia patet ex priori : siquidem nequeunt dari intra Deum personæ, quæ vere et formaliter habeant procedere ab ipso ; quin ibidem detur processio earum. Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Tum, quia omnis multitudo debet reduci ad unitatem, ut ostendit D.
D.Thom. Thomas supra quæst. 11 artic. 3 et 1 contra Gentes cap. 42, et ita in natura divina debet dari una prima persona, a qua omnes aliæ intra Deum existentes habeant vere et formaliter procedere. Sicut etiam propter proportionalem rationem omnes creaturæ debent esse a Deo, ut a primo et unico principio. Tum etiam, quia alioqui darentur in divinis plures personæ improductæ, pluraque prima principia : siquidem nulla ex personis divinis procederet ab alia, vel aliis; et omnes creaturæ procederent ab ipsis : hoc autem pugnat cum hoc, quod est, personas illas divinas esse ejusdem naturæ numericæ : quia, cum una non procederet ab alia, ac proinde non distinguerentur oppositione relativa producentis et producti, non possent non distingui ratione naturarum, et proprietatum absolutarum, ut infra quæst. 40 latius ostendemus.

7. Quam rationem adduxerunt, tum Concilium Nicænum in professione fidei, quam refert Nazianzenus oratione 50 de Fide Nicæna : tum etiam Damascenus lib. 1 fidei cap. 11 circa medium, his verbis : *Quapropter neque tres Deos dicimus Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum ; sed unum potius sanctam Trinitatem Deum Filio, et Spiritu Sancto in unam causam* (intellige, secundum quod causa sumitur late, et est idem quod principium) *Patrem scilicet relatis.* Tum, etiam Synodus Sirmica canone 26 ubi anathematizat eum, qui *innascibilem et sine initio dicat Filium, tanquam duo sine principio, et duo innascibilia, et duo innata dicens, duos faciat Deos.* Quem canonem Hilarius lib. de Synodis circa medium sic declarat : *Cum ergo unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt ; cum idcirco Deus unus sit, cum Pater Deus sit, et Filius Dei Deus sit, quia innascibilitas sola penes unum sit.* Tum præterea idemmet Hilarius lib. 4 de Trinitate circa medium, et inter medium et finem, et lib. 5 columna antepenultima, et lib. 7 inter medium et finem. Tum denique D. Thomas 1 parte quæst. 33 art. 4 ad 4 his verbis : *Dicendum, quod sicut in quolibet genere oportet ponere unum primum, ita in divina natura oportet ponere principium, quod non sit ab alio, quod ingenitum dicitur. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos et duas naturas divinas. Unde Hilarius dicit in lib. de Synodis : Cum unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt. Et hoc præcipue, quia si essent duo innascibiles, unus eorum non esset ab alio, et sic non distinguerentur oppositione relativa. Oportet igitur, quod distinguerentur diversitate naturæ.*

(Concil. Nicæn. — Nazianz. — Damasc. — Synod. Sirmica. — Hilar. — Hilar. — D.Thom.)

8. Nec refert, si contra rationem hanc objicias primo, quod ex unitate divinæ essentiæ in tribus personis divinis potius colligendum erat, omnes illas esse improductas, et nullam ex illis procedere ab alia : quia, quod procedit ab alio, debet habere distinctum *esse*, distinctamque naturam, saltem numerice, ab eo, a quo procedit, ut in processionibus creatis cernere licet.

(Objectio prima contra secundam rationem.)

Respondetur enim negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod inter alia, quæ sufficiunt, ad hoc ut unum procedat ab alio, unum est, quod sit personaliter realiter distinctum ab eo, a quo procedit; licet non sit distinctum realiter quoad essentiam. Sicut etiam videmus, quod adhuc in rebus creatis datur vera processio, quamvis non detur distinctio realis quoad essentiam, sed sola distinctio realis quoad modum habendi eamdem essentiam, ut patet in processione verbi creati, et adæquantis repræsentationem speciei intelligibilis, quod est ejusdem naturæ cum specie intelligibili, et objecto ; licet differat realiter ab eis quoad modum essendi, ut constat ex iis, quæ nostri Complutenses in libris de Anima disp. 18 a num. 34 usque ad numerum 38 et deinde num. 40 docent : et nos in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tract. 2 de Visione Dei disput 2. n. 139, et tractatu 3 de Scientia Dei disput. 2 num. 14 et deinceps tradidimus : et nihilominus verbum procedit realiter ab specie intelligibili, et ab illius objecto.

(Solutio. — N. Com.)

9. Imo hinc major quoad hanc rem sumitur probatio, ut infra disput. sequenti num. 40 magis prosequemur. Nam cum processio, quæ est in divinis, verbi gratia processio Filii

(Retorquet objec...)

Filii, debeat esse secundum emanationem intelligibilem, ex eo quod hæc processio est omnium perfectissima, oportet, ut sit emanatio alicujus in eadem natura : siquidem id convenit prædictæ emanationi adhuc in creatis; et quod distinctio realis, quæ ibidem intervenire debet, sit in diverso modo habendi talem naturam, scilicet in personalitatibus : quia, ut num. 21 dicemus, summa perfectio emanationis intelligibilis, quæ ex se est communicativa ejusdem naturæ, quæ intelligitur, petit, ut si sit summe perfecta, tunc eamdem naturam intellectam communicet tam quoad substantiam, quam quoad omnes modos ad lineam naturæ, sive in *esse* reali, sive in *esse* intelligibili pertinentes : et ita solum distinguantur producens, et productum penes id, quod non spectat ad lineam naturæ, scilicet secundum personalitates, quarum una sumpta in concreto sit producens, et alia producta : ex eo quod istæ sunt incompossibiles in una et eadem persona, ut ex se constat.

10. Objectio secunda. Ex quo etiam nihil obest, si secundo objicias contra eamdem rationem; quod etsi omnis pluralitas reducenda sit ad unitatem in rebus creatis, quatenus omnes illæ reducuntur ad primum ens, a quo habent esse; non tamen in personis divinis : quia de ratione illarum est, ut habeant naturam divinam, sintque ens a se, ac proinde nequeunt esse ens ab alio.

Confirmatio. Quod etiam potest confirmari ex eo, quod de ratione Dei est, ut si primum ens, primumque principium : repugnat autem primo enti, primoque principio esse ab alio. Sicut in scientiis primæ conclusioni ut tali repugnat, quod deducatur ex alia priori conclusione; sed ratio primæ conclusionis solum potest convenire illi conclusioni, quæ ex altera non infertur.

Responsio ad objectionem. Ex dictis igitur constat, hanc objectionem nihil obesse. Nam ad rationem personæ habentis naturam divinam tantum requiritur, quod non sit ab alio ut a vera causa, seu a communicante illi diversam naturam, sive quoad substantiam, sive quoad modum eamdem naturam habendi, qui pertineat ad lineam naturæ. Nam quævis creatura, præcise quia talis, debet esse ab alio tanquam a vera causa : et ita vel non potest ei communicari quoad substantiam eadem natura secundum numerum, vel, si ei communicatur, nequit communicari ipsi prædicta natura sub eodem modo essendi, nempe sub modo essendi naturali et entitativo, sed sub diverso ex iis, quæ pertinent ad lineam naturæ, nempe sub modo essendi repræsentativo sive intelligibili : et ratione hujus solet dici absolute communicari illi diversam numero naturam. Nam sicut ad hoc, quod absolute et simpliciter dicatur communicari alicui eamdem numero naturam, requiritur, ut communicetur ei talis natura sub modo essendi naturali et entitativo : ita ad hoc, ut non cum addito, scilicet in esse repræsentativo, sed absolute et simpliciter dicatur non communicari eamdem numero naturam, satis est, quod non communicetur sub modo essendi naturali et entitativo. Videantur ea, quæ nostrum Collegium Complutense in lib. Physicorum disp. 8 n. 7 et 8 docet, et illa, quæ nos in 1 tomo tractatu 3 disp. 2 diximus. N. Compl.

11. Solutio ad confirmationem. Ad confirmationem autem, sive explicationem patet etiam ex dictis. Quoniam persona divina non dicitur primum ens, primumque principium, nisi quia non est ab alio ut a causa, estque primum principium, primaque causa creaturarum : non vero excludit, quod communicetur essentia Dei uni personæ divinæ ab alia per puram originem liberam ab imperfectionibus jam dictis veræ et propriæ causalitatis. Nam hoc ipso, quod per illam originem et processionem communicetur eadem omnino natura, quæ est in producente, et quoad omnem modum suæ lineæ, oportet, ut illa processio sit omnium perfectissima : siquidem est processio summe assimilativa producti cum producente : et per consequens etiam oportebit, tum quod per illam communicetur natura divina : siquidem sola natura divina potest per processionem omnium perfectissimam realiter loquendo communicari, solaque ipsa est quoad omnem modum numericum spectantem ad naturæ lineam communicabilis : ex eo quod sola ipsa potest sic esse in pluribus suppositis : tum etiam, quod talis processio sit intra Deum : quandoquidem processio, quæ est communicativa naturæ divinæ, non potest non esse intra Deum.

Unde exemplum illud de prima conclusione in hac confirmatione adductum nihil quoad præsens urget. Sicut nec exemplum de primo principio conclusionum urgeret : quia, sicut primæ conclusioni non repugnat deduci ex primo principio, bene tamen ex conclusione alia : ita primo enti, primoque principio, quatenus convenit omnibus Trinitatis personis ut talibus, non repugnat nisi quod sit ab alio ut a causa, et quod 12.

dependenter ab alio ut a vera causa habeat rationem primi principii, seu (quod in idem quoad præsens redit) primæ causæ respectu creaturarum : quoniam solum dicitur primum per exclusionem dependentiæ ab alio priori, tanquam a vera causa respectu illius.

Alia solutio. Secundo respondetur, sive magis explicatur prædicta solutio. Etenim licet repugnet, Deum secundum suam naturam procedere ab alio, ita quod ejus essentia ab alio producatur : ex eo quod prædicta essentia est primum et improductum ens, et ideo solum potest ab una persona alteri communicari, non vero produci : attamen non repugnat, quod in ratione personæ procedat Deus ab alio, id est, ab alia persona divina, quando persona procedens est talis conditionis, ut non petat esse origine priorem, quam aliæ, aut alia ex eisdem personis, ut in persona Filii, et Spiritus Sancti constat. Quare, etsi repugnet, idem secundum naturam, aut secundum personam esse simul productum et improductum ; non tamen, quod secundum naturam sit improductum, et secundum personam productum.

13. Tertia objectio. Nec etiam obstat, si tertio contra eamdem rationem cum Scoto (cui hæc ratio D. Thomæ non placet) objicias, quod unitas divinæ essentiæ et immultiplicabilitas illius probatur ex infinitate ejusdem essentiæ; non vero ex hoc, quod in divinis non dentur duo innascibiles : ergo male in hac ratione infert D. Thomas, prædictas personas fore diversæ naturæ, si una non procederet ab alia, seu si essent duæ personæ innascibiles ; sed id solummodo ex sola finitate et limitatione naturæ colligi poterat.

Diluitur. Respondetur enim, quod quemadmodum ex infinitate divinæ essentiæ utrumque concluditur, scilicet, prædictam essentiam non posse esse nisi unicam : et personas divinas non posse distingui nisi oppositione relativa, seu (quod in idem quoad præsens redit) per hoc, quod se respiciant per modum procedentis, et id, a quo procedit, et econtra : quoniam infinitas illius petit, ut omnis perfectio absoluta, quæ est in una persona, sit in alia, ut quæst. 40 dicemus; ideoque si semel distinguuntur, tantum potest esse per hoc, quod opponantur relative, seu per hoc, quod una persona procedat ab alia ; non vero ratione essentiæ, aut alicujus perfectionis absolutæ : ita ex hoc, quod personæ divinæ distinguantur sola relativa oppositione, seu præcise per hoc, quod una procedat ab alia, colligitur unitas, ac proinde infinitas divinæ essentiæ : et e converso ex hoc, quod personæ distinguantur, et non per oppositionem relativam, optime infertur diversitas jam dicta in essentia, seu natura inter easdem personas. Sicut e contra ex finitate et limitatione alicujus naturæ optime colligitur, illam secundum suum *esse* naturale et entitativum non posse eamdem omnino subsistere in duabus personis ; sed debere saltem numerice distingui : et insuper personas illas non distingui sola oppositione relativa; sed suis proprietatibus absolutis : et ex eo, quod prædictis proprietatibus absolutis distinguantur, colligimus, tum, illam essentiam esse finitam, et limitatam, ut q. 40 nuper citata magis explicabimus : tum etiam, quod hoc ipso, quod sit secundum suum *esse* naturale et entitativum in pluribus, debet idem numero saltem distingui.

Diximus, in idem redire, *quod personæ non distinguantur nisi oppositione relativa ; et quod personæ mutuo se respiciant per modum procedentis, et id, a quo procedit, et e contra.* Quoniam, ut ex infra dicendis amplius patebit, ex tribus generibus relationum, nempe, unitatis, et numeri; mensuræ, et mensurabilis; producentis, et producti adæquantibus totum *esse* relativum, duo illa priora nequeunt in Deo, maxime tanquam constituentia personas divinas, et illas distinguentia, inveniri ; ut docet D. Thomas infra quæst. 28 art. 4 et nos ibidem latius dicemus. Quare ad constituendas, et distinguendas easdem personas divinas, quæ sola oppositione relativa constitui, et distingui debent, super hoc, quod una respiciat aliam, solum restabit relatio originis, seu relatio procedentis ad eum, a quo procedit; et e contra. Et ita in idem quoad præsens redibit, unam personam debere distingui ab alia sola oppositione relativa, et distinguendas esse per hoc, quod se respiciant per modum procedentis, et id, a quo procedit, et e contra. Videantur nostri Complutenses in Logica disp. 14 quæst. 4 et D. Thomas infra quæst. 28 articulo 4. 14. D.Thom. N. Compl. D.Thom.

§ IV.

Eadem Catholica sententia alia ratione fulcitur.

15. Ultima ratio sive congruentia pro conclusione. Ultimo probatur assertio quadam congruentia ex Angelico Doctore in præsenti, et quæst. 10 de Potentia art. 1 desumpta, quæ potest sub hac forma proponi. Nam intra

intra naturam intellectualem creatam, et per consequens imperfectam, datur processio, qua v. g. verbum imperfectionibus admixtum procedit ad intra : ergo, cum Deus sit naturæ intellectualis perfectissimæ, dabitur etiam intra illum processio, qua perfectissimum verbum v. g. intra illum procedat. Antecedens probat D. Thomas sequentibus verbis : *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat : et dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis.* Potestque idem antecedens explicari inductione generali nostrarum intellectionum naturalium, necnon et intellectionum Angelicarum, per quas hoc ipso, quod cognoscantur objecta eis connaturalia, producitur verbum. Consequentia vero probatur. Nam si intra naturam intellectualem creatam, ac proinde imperfectam, producitur verbum imperfectionibus involutum, hoc ipso quod intelligat objecta sibi connaturalia : etiam intra naturam intellectualem perfectissimam, nempe divinam, producetur verbum perfectissimum, hoc ipso quod Deus intelligat.

Thom.

16. Objectio prima contra illam.

Nec obest, si dicas, ex hac ratione non suaderi intentum : quia maxima illa, in qua innititur, nempe, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, format verbum*, est falsa ut patet in visione beatifica creata, per quam etsi Deus quidditative intelligatur, non tamen per eam producitur verbum, ut constat ex iis, quæ tomo primo hujus nostri Cursus Theologici tractatu de Visione Dei disput. 2 num. 206 et deinceps diximus, et ex illis, quæ N. Complut. in lib. de Anima disput. 21 num. 78 docent.

N. Compl.

Prior illius solutio.

Non itaque hoc obest. Quoniam nec Angelicus Doctor, nec nos cum illo adducimus rationem hanc, ut demonstrationem, vel ut rationem probabilem se sola, et non supposita fide suadentem hoc mysterium ; sed tantum, ut congruentiam quamdam non parum aptam ad illud supposita eadem fide explicandum, quaque satis declaratur, quomodo nihil ab adversariis adducitur, quod oppositum hujus mysterii, sive processionis intra Deum convincat. Unde contra hoc nihil obest objectio adducta. Nam, ut in tractatu nuper citato innuimus, maxima illa ab Angelico Doctore in hoc art. adducta, nempe, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat : et dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis*, non est intelligenda de quavis intellectione, ita ut fiat distributio pro singulis generum ; sed tantum pro generibus singulorum, et denotetur, quod in quovis ordine, et serie intelligentium, hoc ipso quod intelligatur in illo, debet dari intra eum aliqua processio verbi ad intra. Hoc autem verissimum est. Nam intra seriem intelligentium intellectione creata ordinis naturalis datur aliqua intellectio, per quam hoc ipso, quod intelligatur per eam, intra hunc ordinem debet dari ad intra productio, et processio verbi : imo omnis intellectio ordinis naturalis illud producit : ac proinde in hoc ordine potest fieri distributio pro singulis generum, ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 num. 23 diximus. Quamvis ad hanc maximam Angelici Doctoris, et intentum ejus per accidens se habeat, quod in intellectionibus ordinis naturalis possit fieri prædicta distributio pro singulis generum quoad hoc, quod est esse productiones verbi. Et similiter in serie intelligentium intellectione creata supernaturali, et divini ordinis datur aliqua intellectio, per quam hoc ipso, quod intelligatur, producitur verbum, ut in omnibus intellectionibus supernaturalibus, unica excepta visione beatifica, cernere licet.

17. Enucleatur ex dictis ratio D.Thom.

Hinc igitur satis congruenter deducitur ratio Angelici Doctoris. Nam si intra ordinem creatum intelligentium intellectione naturali, debet dari aliqua intellectio, per quam hoc ipso, quod intelligatur per illam, formatur verbum : et similiter intra ordinem intellectionum supernaturalium, et creatarum hoc ipsum contingit : non est cur intra ordinem intelligentium per intellectionem increatam, et divinam per essentiam non debeat dari aliqua intellectio, nempe Paterna, per quam intra Deum detur processio verbi ; sicut in aliis intellectionibus jam dictis datur ad intra processio verbi manentis intra intelligentes per ipsas.

Posterior enodatio ejusdem objectionis.

Secundo potest responderi ad hanc objectionem dicendo, mentem sancti Doctoris tantum esse manuducere nos ex iis, quæ experimur in nobis ; non vero ex iis, quæ inveniuntur in aliis, ad cognitionem hujus mysterii, seu processionis verbi manentis intra Deum : quia ex nobis, et experi-

mento cognitis a nobis facilius, manuducimur in alia incognita : et propterea non dixit, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, format verbum,* nihil aliud addendo; per quæ verba amplectebatur omnes alias intellectiones aliarum creaturarum, nempe Angelorum : sed asseruit, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, etc.* Et statim addidit : *Quam quidem conceptionem vox significat : et dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis*, ut innueret, se loqui de nostris intellectionibus, quæ dicuntur verbum cordis, et significantur verbo vocis. Unde etiam loquitur S. Doctor de solis nostris intellectionibus ordinis naturalis, quippe nobis notioribus, et quas ut tales experimur; non vero de intellectionibus supernaturalibus, quas sola fide, ut tales sunt, non vero experimento attingimus. Et ita vis hujus congruentiæ consistit in hoc, quod in nobis quicumque intelligit intellectione ordinis naturalis, seu (quod in idem quoad præsens redit) intellectione omnino sibi connaturali, debet ex hoc ipso, quod intelligit, dari intra illum processio verbi : ergo hoc ipso, quod Deus intelligat per intellectionem omnino sibi connaturalem, qua seipsum intelligit, debebit intra illum dari processio verbi : siquidem ea, quæ pertinent ad Deum, debemus intelligere ad instar eorum, quæ reperiuntur in nobis, quatenus intellectuales sumus, secundum quam rationem attingimus ordinem supremum, nempe intellectualem.

18. Objectio secunda. Nec etiam refert, si secundo objicias, quod hoc ipso, quod in visione beatifica non producatur verbum, neque etiam Deus videndo, et intelligendo se ipsum producet illud : siquidem visio beatifica, et creata est participatio intellectionis, seu visionis, qua Deus seipsum videt : et ideo sicut participat hoc, quod est videre Deum eo modo, quo ipse se videt, nempe, quidditative, et intuitive, quamvis non comprehensive : ita participaret fœcunditatem, qua produceret verbum eodem modo, nempe, quidditative repræsentativum ipsius Dei, si semel per visionem, qua Deus se ipsum videt, produceretur ad intra verbum.

Confirmatio prior. D. Thom. Confirmatur primo. Quoniam juxta ea, quæ docet D. Thomas in hoc articulo debemus intelligere divina, non quidem ad instar eorum, quæ reperiuntur in creaturis imperfectioribus : sed ad instar illorum, quæ inveniuntur in creaturis nobilioribus : ergo si intellectio creata omnium nobilissima, qualis est visio beatifica, non producit verbum ad intra, nec etiam intellectio divina illud producet.

Potestque hoc ipsum explicari, et confirmari secundo in creaturis perfectioribus, et in intellectionibus ordinis naturalis earum, quibus quilibet Angelus seipsum cognoscit. Nam licet non repugnet, dari verbum creatum repræsentans quemlibet ex Angelis, nihilominus intellectiones istæ nobilissimæ non producunt illud, ut multi probabiliter volunt : vel saltem, si Angeli haberent sibi præsentissimam, et unitam suam essentiam in ratione verbi, seu objecti actu terminantis intellectionem, sicut habent illam unitam in ratione speciei intelligibilis, non producerent verbum : quemadmodum nec infunditur eis a Deo species intelligibilis repræsentans illorum essentias, ex eo quod tales essentiæ sunt ipsis unitæ in ratione speciei intelligibilis : ergo solum intellectiones imperfectæ non habentes unitum, et præsens suum objectum in ratione verbi producunt illud : ergo nec hoc, quod est producere verbum, in creaturis est simpliciter perfectio, sed ad summum secundum quid : siquidem non reperitur in creaturis, et in intellectionibus perfectioribus, nec Deus habens sibi præsentissimam suam essentiam in ratione objecti actu terminantis intellectionem producet verbum : nec ex eo, quod contingit in creaturis circa productionem verbi, potest colligi, dari productionem verbi in divinis : quandoquidem, quoties perfectiones creaturarum sunt talis conditionis, ut ex se postulent imperfectionem simpliciter, et ratione hujus non inveniantur in creaturis perfectioribus, toties debet inde inferri, esse relegandas a Deo, ut inductive constat. Confirmatio secunda.

19. Enodatio primi objectionis. Non igitur hæc secunda objectio refert. Quoniam potius ex hoc, quod visio beatifica et creata sit participatio visionis, qua Deus se ipsum videt, colligendum est, non habere tantam vim, tantamque fœcunditatem, ut per eam producatur verbum repræsentativum Dei, prout est in se. Quoniam ad hoc desideratur, ut non sit visio participata, et finita, sed visio Dei infinita, et per essentiam, ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 num. 247 latius diximus : ex eo quod verbum repræsentans quidditative, et intuitive Deum, debet esse ejusdem immaterialitatis cum illo, et habere eamdem numero naturam in esse intelligibili cum ipso,

ipso, ut ibidem latius ostendimus. Et ita cum hæc duo infinitatem, et non qualemcumque, sed infinitatem per essentiam involvant : quia nihil creatum potest esse ejusdem immaterialitatis, seu depurationis a potentialitate cum Deo, nec habere eamdem numero naturam divinam adhuc in esse intelligibili, ut in eadem disput. diximus : inde est, ut visio beatifica, et creata, hoc ipso quod sit participatio visionis increatæ Dei, nequeat habere tantam vim, tantamque fœcunditatem, ut per eam producatur prædictum verbum.

...unda ...utio. Adde primo, quod, ut in tractatu, et disput. nuper citatis notavimus, visio beatifica non est participatio visionis notionalis divinæ, seu visionis, qua essentia Dei prout in Patre se ipsam videt ; sed præcise visionis essentialis Dei, quæ est communis omnibus personis Trinitatis : hæc autem, præcise quia essentialis, non habet producere verbum repræsentativum Dei : alioqui Filius, et Spiritus Sanctus illud producerent.

...stc- ...res- ...nsio. Adde secundo, quod si sequamur secundam illam explicationem rationis D. Thomæ num. 17 traditam, nempe, sanctum Doctorem, dum inquit, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, etc.* loqui de intellectione ordinis naturalis, et nostra, ac proinde omnino connaturali nostro intellectui, tunc ex eo, quod contingit in visione beatifica creata, nequit deduci argumentum ad probandum, Deum, seu Patrem æternum se ipsum intelligentem non producere verbum. Quoniam visio beatifica creata non est omnino connaturalis videnti per illam, ut constat ex illis, quæ tomo, tractatu, et disputatione citatis num. 170 diximus. Et ratio divi Thomæ tantum innititur in hoc, quod visio, sive intellectio nobis omnino connaturalis producit verbum : et ita non erit cur visio, sive intellectio connaturalissima Deo, qualis est ea, qua se ipsum intelligit, non producat illud.

...0. ...una ...fir- ...atio ...itur. Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens intellectum de creaturis perfectioribus formaliter in *esse* talium sumptis, seu quatenus perfectiores sunt : non vero de eisdem quoad id, in quo non sunt perfectiores. Et deinde neganda est consequentia. Quoniam visio beatifica creata habet de perfectione, quod sit visio quidditativa Dei, prout est in se, et quod non indigeat verbo a se producto : ex eo quod versatur circa divinam essentiam, prout est in se, et hæc sic attacta unitur cum intellectu beati in ratione verbi. Cæterum eadem visio habet aliquid de imperfectione, nimirum, quod cum hoc, quod est non indigere verbo a se producto, non habet fœcunditatem ad illud producendum ; cum tamen aliæ intellectiones creatæ, quæ sunt simpliciter imperfectiores eadem visione beatifica, habeant fœcunditatem, involutam tamen cum indigentia verbi, ad ipsum producendum. Et ita quoad hanc fœcunditatem præcisam præcisione pure præcisiva ab indigentia, exprimunt excessum secundum quid respectu ejusdem visionis beatificæ : ex eo quod hæc nulla ratione potest concipi sub conceptu fœcundæ respectu productionis verbi. Quare, cum intellectio divina contineat perfectiones omnium intellectionum, et non utcumque, sed sub nobilissimo modo continendi, oportet, ut habeat id perfectionis, quod est in visione beatifica, nempe, esse visionem quidditativam Dei, prout est in se, et non indigere verbo, et insuper id, quod est in aliis intellectionibus, nobiliori tamen modo habitum, scilicet, producere verbum, non quidem ex fœcunditate admixta cum indigentia, sed ex pura fœcunditate : quod quidem soli intellectioni increatæ Dei potest competere.

Ad secundam confirmationem respondetur negando antecedens quoad primam ejus partem, nimirum, quod Angeli per intellectionem, qua quivis ex illis se ipsum cognoscit, non producit verbum. Et ratio negandi prædictum antecedens constat ex iis, quæ in 1 tomo tract. 2 disp. 2 n. 224 et 230 necnon et 248 diximus. Et ad probationem patet ex dictis ibidem, quomodo essentia Angeli non habet sufficientem actualitatem ad hoc, ut per se ipsam sit præsens suo intellectui in ratione objecti actu terminantis intellectionem : ac proinde non posse per se ipsam uniri cum eodem intellectu in ratione talis objecti, sed necessario indigere verbo : ex eo quod de ratione verbi, aut ejus, quod in ratione verbi, sive objecti actu terminantis intellectionem unitur, debet esse *esse* essentialiter intellectum, id est, *esse* talis conditionis, ut non possit non esse semper actu terminans intellectionem primariam, seu omnino connaturalem sui. Sicut de ratione ejus, quod unitur per modum speciei intelligibilis, est, quod indispensabiliter ex se habeat esse habitualiter, et proxime intelligibile, ut ibidem latius expendimus. Et propterea asse-

21. Enodatur secunda confirmatio quoad primam partem.

ruimus, esse proprium solius essentiæ divinæ uniri per se ipsam cum intellectu in ratione verbi, seu objecti actu terminantis intellectionem : ex eo quod sola ipsa est essentialiter intellecta per intellectionem primariam, seu omnino connaturalem sui, scilicet, per intellectionem divinam.

Quoad posteriorem partem dissolvitur primo. Ad secundam vero partem ejusdem antecedentis, nimirum, quod saltem, si Angeli haberent sibi præsentissimam suam essentiam in ratione verbi, seu objecti actu terminantis intellectionem, tunc non producerent illud per prædictam intellectionem, qua unusquisque se ipsum cognoscit, respondetur primo, quod in eo eventu Angeli producerent verbum, non quidem ex indigentia, sed ex pura fœcunditate, sicut Deus ; et non utcumque, sed infinitæ perfectionis. Quia essentia, quæ potest uniri in ratione verbi, seu objecti actu terminantis intellectionem, habet ex se esse essentialiter intellectam, estque suum *intelligere*, ut tract. et disp. nuper cit. num. 248 diximus. Essentia autem, quæ est objectum essentialiter intellectum, estque suum *intelligere*, est etiam essentia infinita, ac proinde divina, et ratio producendi verbum infinite perfectum : et ita Angelus ille esset, et non esset Angelus.

22. Occurritur secundo ad eamdem partem. Secundo ad eamdem antecedentis partem respondetur, quod adhuc dato gratis, essentiam Angeli esse unitam cum suo intellectu in ratione objecti actu intellecti, seu actu terminantis intellectionem ; et nihilominus essentiam manere finitam, sicut modo est (quod tamen in sententia D. Thomæ loco cit. explicata pugnantia inter se involvit) : ac tandem etiam dato, tunc Angelum non producere verbum, nihil inde contra nos : quia id provenit, partim ex perfectione essentiæ Angelicæ, ex eo quod haberet actualitatem sufficientem, ut uniretur in ratione objecti actu intellecti ; et partim ex imperfectione, ex eo quod non haberet tantam perfectionem, quanta requiritur ad producendum verbum ex pura fœcunditate, scilicet, perfectionem infinitam, quæ omnino requiritur ad illud sic producendum. Quare, cum Deus habeat omnimodam perfectionem excogitabilem, oportet, ut producat verbum ex fœcunditate, licet essentia divina per se ipsam sit unita cum suo intellectu in ratione objecti actu intellecti.

Enucleatur ex dictis ratio D. Thom. Unde vis rationis D. Thomæ consistit in hoc, quod in creaturis intellectio producit verbum, ita ut hoc pertineat ad earum perfectionem, denudabilem tamen ab imperfectionibus : ex eo quod productio verbi cum præcisione sumpta nihil exprimit imperfectionis : dato tamen, quod aliquando prædicta intellectio illud non producat, ex eo quod objectum ipsius intellectionis est per se unitum in ratione objecti actu intellecti, seu actu terminantis intellectionem, tunc hoc partim provenit ex perfectione, nempe, ex eo quod non indigeat verbo ; partim autem ex defectu et carentia illius, nimirum ex eo, quod licet non indigeat verbo, non tamen habet vim sufficientem ad producendum illud ex sola fœcunditate : quoniam ad hoc necessario requiritur perfectio infinita : ergo, cum in Deo reperiatur infinita perfectio, oportebit, ut ex ejus intellectione producatur verbum non ex indigentia, sed ex fœcunditate.

Ratio autem, ob quam diximus, quod hoc ipso, quod essentia aliqua sit per se ipsam unita in ratione objecti intellecti cum suo intellectu, tunc si non producit verbum, id provenit, partim ex eo quod non haberet tantam perfectionem, quanta requiritur ad illud producendum ex fœcunditate, nempe, ex eo quod non haberet perfectionem infinitam, potest reddi ex eo, quod in eo eventu productio verbi arguit, et petit perfectionem infinitam in producente. Hoc autem inde liquet : quia verbum in eo eventu productum non posset esse verbum, quod solum in *esse* repræsentativo esset ejusdem naturæ cum re intellecta : quandoquidem verbum istud est per se primo institutum, ad hoc ut constituat objectum, quod repræsentat, in ratione objecti actu intellecti, seu actu terminantis intellectionem, ut constat ex dictis tomo 1 hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disput. 2 dub. ultimo. Et cum essentia illa Angeli per se ipsam haberet in eo eventu esse actu immediate terminantem intellectionem, non posset reddi, et constitui in ratione prædicti objecti per tale verbum. Sicut, quod est per se ipsum lux, nequit constitui ab alio in ratione lucis, ut ex iis, quæ disput. nuper citata num. 222 asseruimus, satis liquet. Et propterea oportet, quod verbum tunc productum haberet produci ex fœcunditate, ut ex se, et ex modo dictis constat : ac tandem, quod esset ejusdem naturæ, non in *esse* intelligibili tantum, sed in *esse* naturali, et entitativo cum essentia Angeli producente illud per prædictam intellectionem, qua se ipsum intelligit. Constat autem, essentiam

sentiam finitam non posse esse rationem producendi verbum ejusdem naturæ sub *esse* naturali, et entitativo cum intelligente; sed hoc arguere infinitatem tam in essentia, quatenus communicata sic verbo, quam in eadem essentia, ut est ratio producendi tale verbum, ut in essentia divina sic communicata Verbo divino, et in potentia generativa, quæ in æterno Patre ad suam essentiam sic Verbo communicandam, cernitur. Unde ex defectu hujus infinitæ perfectionis non potest Angelus in eo eventu producere verbum per illam intellectionem, qua se ipsum intelligit.

24. Tertia objectio. Nec tandem obest, si objicias tertio contra eamdem tertiam rationem D. Thomæ, quod per intellectionem produci verbum arguit imperfectionem in ipso verbo, aut in producente illud : ergo, etc. Antecedens probatur. Quia, vel verbum producitur ex nihilo, vel ex aliquo? Si ex nihilo, tunc eo ipso erit quid creatum, et imperfectum : quia processio ex nihilo est propria creaturæ, quæ necessario est involuta imperfectionibus. Si ex aliquo, tunc arguetur imperfectio in eo, a quo per actionem immanentem procedit, in quoque prædictum verbum suscipitur, scilicet, quod careat ex se termino procedenti : siquidem, si haberet illum, non produceret eum ; sed sine tali productione, et processione una cum prædicto termino præexisteret. Quare, cum Deo repugnet quævis imperfectio tam ex parte ipsius, ut est producens, quam ex parte termini per eum producti, et intra ipsum manentis, et hæc imperfectio non pugnet cum creaturis, idcirco, ex eo quod creatura intellectualis intelligendo producat verbum, nequit colligi, quod natura intellectualis summe perfecta, qualis est divina, producat intra se ipsam per suam intellectionem aliquod verbum ; sed potius inde oppositum colligendum erat.

25. Solvitur. Non igitur hoc obest. Nam etsi processio ex aliquo, seu de aliquo tanquam ex potentia manente in eo quod procedit, involvat imperfectionem ; non tamen processio ex aliquo, seu de aliquo, ut ex actu purissimo identificante sibi terminum procedentem, et processionem ejus, ac proinde totam ejus substantiam, et proprietatem personalem : ac tandem in eodem signo *in quo* adhuc secundum rationem (fundatam tamen in rebus) inferentem eamdem proprietatem personalem. Quare, cum Verbum divinum producatur ex essentia, seu de essentia divina ut ex actu, sive de actu purissimo habente prædictas conditiones, inde est ut ibidem nulla involvatur imperfectio in ipso Verbo, ex eo quod ex aliquo producatur. Et propterea Psalm. 109 dicitur : *Ex utero ante Luciferum genui te.* Sicut nec etiam involvitur in ipso producente, a quo per veram productionem, et non solum per naturalem quasi dimanationem producitur, nempe in Patre æterno, aliqua imperfectio : quoniam non præintelligitur in aliquo signo *in quo* adhuc secundum rationem (fundatam tamen in rebus) ad Verbum, et ita nunquam caret illo; sed semper petit, quod per æternam processionem habeat ab æterno ipsum : quia habere ex vi fœcunditatis verbum (quod quidem ab ente infinito per essentiam petitur, quodque maximam arguit perfectionem) exigit, ut semper, et in quocumque signo *in quo* per veram processionem verbum habeatur : ex eo quod hoc modo, et non aliter haberi potest, ut ex jam dictis et infra dicendis amplius constabit. Psal. 109

§ V.

Oppositus hæreticorum error, duo priora argumenta, necnon et responsiones ad illa.

26. Hæreticorum error, et primum fundamentum. Sed licet ea, quæ huc usque diximus, sint adeo vera, nihilominus non defuere plures, et diversi hæretici, qui ex variis capitibus partem negantem tuerentur, quos refert divus Thomas in hoc articulo, quorumque error potest probari primo. Nam creaturæ pure intellectuales, quales sunt Angelicæ, non producunt aliquam aliam personam Angelicam, ut communiter docent Theologi : ergo neque una persona divina producet aliam : et per consequens nec erit processio intra Deum, seu in divinis. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam nequit dari processio, seu productio intra Deum, nisi per hoc, quod una persona divina producat aliam : siquidem id, quod procedit intra Deum, debet re ipsa habere naturam divinam, et subsistere in illa, quod est procedere reipsa per modum personæ divinæ a Deo, seu ab alia persona divina. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quoniam ea, quæ reperiuntur in Deo, non debent esse ad instar illorum, quæ inveniuntur in creaturis imperfectioribus ; sed ad instar eorum, quæ dantur in perfectioribus, quales sunt Angeli . ergo si in his una persona

non procedit ab alia, nec etiam in divinis una persona divina erit ab alia procedens.

Evanescit. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo ea, quæ reperiuntur in divinis, intelligenda sunt ad instar creaturarum perfectiorum, quatenus perfectiores sunt; non vero formaliter quoad id, quod de imperfectione involvunt, quale est in substantiis Angelicis, quod non possint producere aliam substantiam Angelicam. Unde, quia in eisdem substantiis, quatenus perfectiores sunt, invenitur processio ad intra secundum emanationem intelligibilem, et in hoc nulla includitur imperfectio necessario, et indispensabiliter, propterea processio ista reperitur etiam intra Deum, et nobiliori modo, quam in substantiis Angelicis. Et ideo licet in his id, quod procedit per emanationem intelligibilem, non sit persona, ex eo quod *intelligere* Angelicum non est ejus substantia, ac proinde nec terminus ejus per se primo productus erit substantia; bene tamen id, quod procedit a Deo per prædictam emanationem, habet rationem personæ, quia *intelligere* divinum est substantia, et essentia divina; et ideo terminus ad intra procedens per illud debet afferre substantiam, et essentiam divinam, et esse substantialiter subsistens in natura Dei : et per consequens habere rationem personæ. Quæ so-

D.Thom. lutio desumitur ex divo Thoma quæst. 10 de Potentia articulo primo ad 5 his verbis : *Dicendum, quod in intellectualibus substantiis, quæ sunt nobilissimæ creaturæ, est etiam processio secundum operationem intellectus, et voluntatis : et quantum ad hoc invenitur in eis increatæ Trinitatis imago : sed verbum, et amor in eis non sunt personæ subsistentes. Earum enim intelligere, et velle non est ipsarum substantia : sed hoc proprium Dei est. Unde verbum, et amor procedunt in Deo ut personæ subsistentes; non autem in intellectualibus creaturis.*

27. Secundum fundamentum. Secundo, et principaliter probatur idem error. Nam repugnat, esse in divinis plures personas realiter distinctas : ergo et quod sit intra Deum vera et realis processio. Consequentia est legitima. Quia, quod in divinis, seu intra Deum vere et realiter procedit, debet esse persona divina, ut nuper dicebamus; et non utcumque, sed realiter distincta a persona, a qua procedit : ex eo quod nihil potest procedere a se ipso : ergo si hæc distinctio personarum in divinis repugnat, nequibit ibidem dari processio. Antecedens autem probatur. Quoniam ex infinitate naturæ divinæ colligimus, eam esse immultiplicabilem, et tantum posse esse unam numero : ergo, cum persona divina, hoc ipso quod divina, sit infinita, nequibit etiam multiplicari.

Diluitur. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est. Quoniam infinitas personæ divinæ ut talis, est infinitas relativa ad intra, ac per consequens includit oppositionem relativam cum alia persona, quæ quidem oppositio nequit esse sine multiplicitate personarum infinitarum. Cæterum infinitas essentiæ divinæ non est infinitas relativa : et ideo non potest distingui, et multiplicari penes oppositionem relativam, sed, si multiplicaretur, et distingueretur, deberet esse ratione finitatis, et limitationis tollentis infinitatem : siquidem tantum est duplex modus distinctionis, et multiplicationis realis : alius oppositionis relativæ, qui cum præcisione sumptus non opponitur infinitati, et alius ortus ex limitatione, et finitate, ratione cujus unum non potest extendi ad identificandum sibi aliud.

§ VI.

Reliqua argumenta hæreticorum, et eorum enodatio.

Tertio. Quia alioqui Deus non esset summe simplex : hoc autem admitti nequit, ut communiter docent Theologi : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam quotiescumque unum procedit ab alio, oportet, esse aliquid commune utrique, quod procedenti communicetur ab eo, a quo procedit; et aliquid proprium, per quod procedens ab illo distinguatur : siquidem nihil procedit a se ipso : ubi autem invenitur aliquid, in quo duo conveniant, et aliquid, per quod realiter distinguantur, ibidem etiam invenitur pluralitas, et compositio : et per consequens id, in quo reperiuntur ista, non erit summe simplex. 28.

Solu. D.Th. Respondetur negando sequelam. Et ad probationem occurrit D. Thomas quæst. citata de Potentia art. 1 ad 12 his verbis : *Dicendum, quod in Filio est aliquid commune Patri, scilicet essentia; et aliquid, per quod a Patre distinguitur, scilicet relatio. Non tamen est ibi compositio : quia relatio est secundum rem essentia.*

Quarto. Quoniam omne procedens ab alio 29.

uar- um.

alio recipit aliquid ab eo, a quo procedit : quod autem recipit aliquid, est indigentis naturæ : ergo nihil poterit procedere intra Deum. Major non indiget probatione. Siquidem id, quod procedit ab alio, habet, et recipit *esse* ab illo : alioqui non esset cur ab illo procederet. Minor autem est etiam perspicua. Quia, nisi recipiens esset indigentis naturæ, nihil ei deesset : et ita nihil reciperet. Propter quod etiam in rebus naturalibus receptibilitas tribuitur materiæ, quæ est valde indigens. Consequentia autem non videtur indigere probatione.

Nec refert, si occurras, quod recipiens, quando præexistit receptioni, est indigens; quando vero jam recepit, tunc jam habet, et non est indigens : personæ autem divinæ procedentes, nempe Filius, et Spiritus Sanctus, recipiunt quidem a Patre suum *esse*; non tamen præexistunt receptioni, et sic nulla est in eis indigentia.

Nam contra hoc est. Tum, quod creatura quælibet est indigentis naturæ : et tamen non præexistit receptioni, qua recepit *esse* a Deo. Et similiter, licet ab æterno reciperet suum *esse*, et semper Deo coexisteret, nihilominus haberet etiam esse indigentem : ergo non excluditur indigentia a recipiente per hoc, quod receptioni non præexistat. Tum etiam, quia omne, quod non habet aliquid, nisi secundum quod recipit illud ab alio, oportet ut in se consideratum careat eo licet habeat potentiam ad illud habendum, et per consequens quod sit indigens. Sicut aër in se consideratus caret lumine, quod ab alio recipit, ad quodque habet potentiam, et eo ipso est indigens. Si ergo Filius, et Spiritus Sanctus non habent esse, nisi per hoc, quod recipiant illud a Patre, necesse est, quod, si secundum se considerentur, nihil sint; quamvis non repugnet, ut habeant *esse* ab eodem Patre : ergo eo ipso erunt indigentes. Tum deinde : quia, quod recipit *esse* ab alio, dependet ab illo : siquidem non haberet illud *esse*, nisi daretur, et communicaretur ei ab altero : dependentia autem est signum indigentiæ. Tum denique : quia quod procedit secundum suum *esse* ab alio, procedit ab illo, ad hoc ut sit : quod autem procedit, ut sit, non semper fuit : sicut quod procedit ad aliquem locum, non semper fuit in illo loco : ergo cum esse aliquando sub nihilitate, sit signum magnæ indigentiæ, oportet, ut id, quod procedit ab alio, habeat satis indigentiæ.

30. Enodatur admittendo solutionem datam.

Respondetur, legitimam esse solutionem nuper traditam, maxime, si in ea fiat sermo de recipiente eamdem numero naturam totalem, quæ est in eo, a quo procedit : ac proinde de recipiente naturam infinitam, seu (quod in idem quoad præsens redit) de recipiente, quod non utcumque, sed semper, et indefectibiliter debet esse in *recepisse* : quia solum id, quod recipit naturam infinitam, seu divinam, potest hoc modo esse semper in *recepisse*. Desumiturque hæc solutio ex D. Thoma loco nuper citato in solutione ad 13 ubi sic ait : *Dicendum, quod recipiens, antequam recipiat, indiget. Ad hoc enim accipit, ut indigentiam repleat : sed postquam jam acceperit, non indiget : habet enim, quo indigebat. Si ergo aliquid est, quod receptioni non præexistit, sed semper est in recepisse; hoc nullo modo est indigens. Filius autem non sic accipit a Patre, quasi prius non habens, et postea accipiens : sed quia hoc ipsum quod est, habet a Patre. Unde non sequitur, quod sit indigens.* D.Thom.

Solvitur prima impugnatio contra eamdem solutionem.

Et ad primam probationem in contrarium dicendum est, ideo creaturam esse indigentis naturæ quia licet non præexistat receptioni, qua accipit *esse* a Deo; attamen prius duratione, quam illud recipiat, est sub nihilitate : et licet ab æterno illud reciperet, nihilominus non repugnat, quod non sit ab æterno : et ita illud *esse* ab æterno communicatum, non est *esse* ex se permanens, seu ex necessario existens : ac proinde creatura non est semper, et indefectibiliter in *recepisse* respectu illius *esse*; sed indiget libera conservatione Dei, ad hoc ut permaneat : quæ omnia indigentiam denotant.

Quare cum hæc non reperiantur in divinis, v. g. in Verbo procedente a Deo, consequens est, ut in eo nulla sit indigentia, ex eo quod procedat ad intra a Patre. Et propterea D. Thomas quæst. et artic. citatis de Potentia in solutione ad 14, assignans disparitatem inter processionem creaturæ, et processionem Verbi, seu Filii in divinis sic ait : *Dicendum, quod creatura accipit a Deo esse quoddam, quod non esset permanens, nisi divinitus conservaretur, et ideo etiam postquam esse accepit, indiget divina operatione, ut conservetur in esse, et sic est naturæ indigentis. Filius autem accipit a Patre idem numero esse, et eamdem naturam numero, quam Pater habet Unde non est naturæ indigentis.* Constat autem idem esse, creaturam accipere *esse* a Deo, D.Thom.

quod non esset permanens, nisi divinitus conservaretur, ac ita accipere *esse* a Deo, ut vel aliquando creatura fuerit sub nihilitate, vel non repugnet ei sub illa esse, ac tandem non habere *esse* permanens, et omnino necessarium, seu *esse*, quod nulla ratione deficere possit. Sicut etiam in idem redit, Filium accipere a Patre eamdem numero naturam, quam ipse habet, ac accipere naturam divinam, quæ est in Patre, seu *esse* omnino indefectibile, et per consequens non posse esse sub nihilitate, sed habere omnimodam necessitatem in essendo, et includere omnem excogitabilem perfectionem, licet communicatam a Patre : quod quidem pugnat cum indigentia.

31. Occurritur secundæ. Ad secundam probationem neganda est major, quando illud, quod accipit ab alio, est talis conditionis, ut in suo conceptu includat, quod semper et necessario habeat illud ab altero, accipiatque ab eo omnem excogitabilem perfectionem, ut in præsenti contingit. Unde exemplum illud allatum de aëre, qui in se consideratus caret lumine, nihil convincit : siquidem non est de conceptu aëris, quod semper et necessario illuminetur a sole : et multo minus, quod communicetur ei eadem numero lux, quæ est in sole. Unde aër non hoc ipso, quod consideretur in se, consideratur lucidus cum tamen Filius in divinis hoc ipso, quod in se consideretur, debeat, si concipiatur prout est in se, concipi cum omni excogitabili perfectione, quæ est in Patre, seu concipi ut unum cum eodem Patre ; quamvis debeat considerari, ut semper et necessario procedens ab illo.

D Thom. Quæ solutio deprompta est ex D. Thoma art. nuper citato in solutione ad 15 his verbis : *Dicendum, quod Filius in se consideratur, secundum illud, quod absolute habet, quod est Patris essentia, et secundum hoc non est nihil, sed unum cum Patre. Secundum vero quod refertur ad Patrem, consideratur ut recipiens esse a Patre. Unde nec sic etiam est nihil. Et ita nullo modo Filius est nihil. Esset autem in se consideratus nihil, si esset in eo aliquid absolutum distinctum a Patre, sicut est in creaturis.*

32. Solvitur tertia. Ad tertiam autem probationem dicendum est, veram esse majorem, quando *esse* receptum est saltem numero distinctum ab eo, quod est in recipiente, seu quando communicatur ei diversa numero natura ; secus vero quando eadem numero natura communicatur recipienti. Nam eo ipso debet realiter loquendo illi communicari natura divina cum omni excogitabili perfectione : ex eo quod sola natura divina potest eadem numero, et sub eodem modo essendi naturali esse in pluribus personis : et ita ibidem non involvitur aliqua dependentia, quæ est signum indigentiæ, quæque derogat dignitati divinæ personæ. Quinimo hoc, quod est unam personam procedere ab alia in unitate naturæ, est simpliciter necessarium, ad hoc ut in Deo sit summa perfectio.

Unde D. Thomas in solutione ad 6 art. citati sic inquit : *Habere originem ab aliquo, quod sit in essentia diversum, derogat dignitati divinæ : hoc enim est proprium creaturæ* (ac proinde importat dependentiam, et indigentiam) : *sed habere originem ab aliquo coessentiali, magis ad perfectionem divinam pertinet. Non enim esset in divinitate perfectio, nisi esset ibi intelligere et velle in actu. Quibus positis necesse est poni verbi, et amoris processionem.* D.Thom.

Ad ultimam vero probationem respondet idem Angelicus Doctor in solutione ad 16 ejusdem articuli, ubi sic inquit : *Dicendum, quod Filius ad hoc procedit, ut sit : sed processio ejus est æterna, sicut processio splendoris a sole est ei coæva : et propter hoc etiam Filius est æternus.* Diluitur ultima Angel. Doctor.

Ultimo probatur idem error. Nam si aliquid procederet intra Deum, maxime Filius, et Spiritus Sanctus, sed uterque habet veram rationem creaturæ et effectus Dei : ergo nequeunt procedere intra ipsum Deum : et per consequens nulla erit processio in divinis, seu intra ipsum Deum. Major cum utraque consequentia constat. Minor vero quoad Filium probatur ex illo Proverb. 8 ubi de sapientia divina, quæ est Filius, secundum translationem Septuaginta interpretum dicitur : *Dominus creavit me.* Et Ecclesiast. 24 de eadem sapientia asseritur : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et Actorum 2 quod *Deus fecit Jesum.* Quoad Spiritum Sanctum vero probatur ex Amos 4 juxta translationem Septuag. ubi dicitur : *Deus format tonitruum, et creat spiritum.* Constat autem, quod quando hoc nomen *spiritus* absolute sumptus reperitur in Scriptura, sumitur pro Spiritu Sancto, ut docent Hieronymus Michææ 2 et Habacuc 2, necnon Origenes lib. 1 Periarchon cap. 3, et alii. 33. Ultimum fundamentum hæreticorum. Prov. Eccli 24 Actor Amos Hieron. Orig.

Confirmatur. Quia tam Filius, quam Spiritus Sanctus procedunt a Deo ut a causa : Confirmatio.

causa : ergo habent veram rationem effectus, et creaturæ. Consequentia videtur legitima. Antecedens vero probatur. Quia procedunt a Deo ut a principio : causa autem, et principium idem sunt, ut habent Aristoteles, et D. Thomas 4 Metaph. cap. 2 et lib. 5 capite 1.

31. Respondetur negando minorem. Et ad primum, et secundum testimonium adducta ad probandum, Filium in divinis habere rationem creaturæ et effectus Dei, respondetur, illa loca intelligi de sapientia creata, ut habet D. Thomas in præsenti quæst. 41 art. 3 ad 4, et Athanasius lib. 3 contra Arrianos. Vel de humanitate Christi, ut explicat idem D. Thomas, et Athanas. ibidem, et orat. contra prædictos Arrianos, Nazianzenus orat. 3 de Theologia, et alii. Dicitur autem humanitas Christi Domini creata, licet fuerit vere generata : tum, quia res magnæ, quando generantur, dicuntur creari, ut patet Genesis 1, humanitas autem Christi Domini merito inter res magnas computatur ; tum etiam, quia in primo instanti suæ productionis fuit sanctificata, et sanctificatio dicitur creatio, juxta illud ad Ephesios 2 : *Creati in operibus bonis*. Tum denique : quia prædicta humanitas non fuit cooperata ad unionem sui cum Verbo; sicut nullus cooperatur ad suam productionem.

Adde primo, prædicta testimonia posse etiam intelligi, aut de B. Virgine ut habet Galatinus lib. 7 de arcanis cap. 1 aut de Ecclesia, ut docet Athanasius tomo 3 de humana natura suscepta, contra Apollinarium ; aut de Filio Dei, ut est Deus, ut tenet Epiphanius hæresi 73, Athanasius lib. 3 contra Arrianos, et Hilarius lib. de synodis canone 5. Dicitur autem creatus Filius Dei (teste eodem Hilario) non quidem quia vere et proprie hoc habeat ; sed ut intelligatur, quod producitur subsistens sine aliqua mutatione generantis, et sine materia præsupposita, ut contingit in creatione.

Adde secundo ex N. Cyrillo lib. 5 Thesauri c. 6. quod illud verbum *creavit* sumitur pro *generavit;* sicut e contra Isaiæ 1 et Job 38, verbum *generare* accipitur pro *creare*.

Ad tertium testimonium respondetur, Christum Dominum dici factum ratione humanitatis. Ita Basilius lib. 2 et 4 contra Eunomium. N. Cyrillus lib. 9 Thesauri cap. 3. Vel dicatur *factus*, id est, *declaratus, et prædicatus*, juxta illud Joannis 10 : *Facis te ipsum Deum*, id est, *prædicas*, ut explicat idem Cyrillus lib. 10 Thesauri cap. 7, et Basilius 4 contra Eunomium. De quo videri potest nonum Hypotyposeon regula 44.

Ad testimonium vero, quod adducitur ad probandum, Spiritum Sanctum esse creatum, et effectum Dei, respondetur intelligi de vento, aëre, aut de anima humana, vel substantia invisibili, ut explicant Hieronymus, Theodoretus, et Rupertus ibi, et Basilius lib. 3 contra Eunomium in fine. Ad regulam autem illam in contrarium adductam dicendum est, eam universaliter intellectam non approbari ab Augustino lib. 2 de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 10. Nam aliquando *spiritus* solitarie sumptus sumitur pro spiritu malo, ut Osee 4 : *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Aliquando pro anima, ut Matthæi 26 : *Spiritus promptus est*; et c. 27 : *Emisit spiritum.* Aliquando pro aëre, ut Exod. 15 : *Flavit spiritus, etc.* Unde regula illa est vera, quando contextus aliud non insinuat, ut in illo loco revera insinuat. Imo non solum insinuat, sed id etiam exigit : et ita hac ratione exponi possunt Hieronymus, et Origenes in contrarium adducti.

36. Ad confirmationem respondetur, morem esse apud Græcos pro eodem usurpare causam, et principium, ut docuit Concilium Florentinum sessione ultima in Litteris sanctæ unionis. Et ita non mirum, quod Aristoteles, quippe Græcus, usus fuerit more eorum prædicto loquendi modo; non tamen propterea isti termini sunt synonymi, ut Angel. Doctor 5 Metaphysicæ lectione 1 ad finem explicat. Unde Latini nomine causæ significant id, quod influit in aliquod habens naturam numero saltem diversam ab ea, quæ est in producente, ac per consequens retinens imperfectionem indigentiæ, et dependentiæ; quod tamen non exigitur ad rationem principii. Et ita asserimus, has processiones, et earum terminos totales esse a Deo tanquam a principio; non vero tanquam a causa. Cæterum cum hoc stat, ut jam innuimus, quod si more Græcorum, et ut ipsi loquuntur, quis loquatur; tunc nomen causæ non ea ratione sumatur, qua dicitur de Deo respectu creaturarum, sed alia non involvente imperfectionem creaturæ in eo, quod causatur.

Quæ solutio desumpta est ex eodem Angelico Doctore quæst. 10 de Potentia artic. 1 ad 8, his verbis : *Dicendum, quod*

Latini Doctores raro, vel nunquam ad significandum originem divinarum personarum nomine causæ utuntur : tum, quia causæ apud nos respondet effectus. Unde, ne cogamur Filium, vel Spiritum Sanctum factos dicere, Patrem non dicimus causam eorum : tum, quia apud nos nomen causæ significat aliquid in essentia diversum : dicimus enim causam ad quam sequitur aliud. Tum etiam, quia apud Gentiles Philosophos nomen causæ dictum de Deo habitudinem ipsius ad creaturas designat. Dicunt enim, Deum esse primam causam, et creaturas esse ejus causata. Unde, ne aliquis Filium, et Spiritum Sanctum inter creaturas secundum essentiam a Deo diversas suspicetur esse ponendos, nomen causæ refugimus in divinis. Græci tamen absolutius in divinis utuntur nomine causæ, ipso solam originem significantes. Et ideo in divinis personis utuntur nomine causæ. Aliquid enim inconvenienter in lingua Latina dicitur, quod propter proprietatem idiomatis convenienter in lingua Græca dici potest. Non autem oportet, si nomen causæ confitemur in divinis secundum Græcos, quod eodem modo accipiatur, sicut cum de creaturis dicitur, prout in quatuor genera secundum Philos. dividitur. Huc usque Doctor Angelicus.

DUBIUM II.

Utrum processiones in divinis sint actus intellectus, et voluntatis? an vero solius naturæ divinæ, ut virtualiter, aut ex parte nostri modi concipiendi præ ntelligitur intellectui et voluntati?

57. Postquam explicuimus dari processiones in divinis ; oportet exponere proprium earum active sumptarum principium, aut quasi principium ; sive illud virtualiter, sive solum ex parte nostri modi concipiendi ab eisdem distinguatur : de quo in præsenti non disputamus.

§ I.

Explicatio tituli.

Explicatur titulus. In titulo ergo consulto non inquirimus absolute, an processiones in divinis sint actus solius naturæ divinæ? sed an sint actus illius, ut præintelligitur, sive virtualiter, sive nostro modo concipiendi intellectui et voluntati? Ut quoad unam ex his processionibus, nempe Filii, abstineamus ab illa quæstione ; an intellectus, et *intelligere* divinum distinguantur virtualiter a natura divina? an vero solum ex parte nostri modi concipiendi? ex eo quod hæc duo pertineant ad lineam naturæ intellectualis : de quo plura in tomo 1 hujus nostri Cursus Theologici tractatu 3 de Scientia Dei disput. 4 num. 43 diximus. Nam, etsi intellectus, et *intelligere* spectent alias ad conceptum divinæ naturæ, adhuc posset merito dubitari, an hæc processio in divinis sit actus intellectus? an vero naturæ divinæ, ut ex parte nostri modi concipiendi præintelligitur intellectui, et intellectioni Dei? Quia, cum natura divina sit forma eminentissima, posset dubitari, an sit ratio, seu principium *quo* hujus processionis, ut est ens per essentiam, vel ut est summe spiritualis, et actus purus? an vero, ut etiam dicit intellectum, et *intelligere* divinum? Sicut, licet ipsamet essentialiter dicat rationem speciei intelligibilis, et intellectionis, ita ut hæc duo pertineant ad lineam naturæ : nihilominus unitur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis ; non vero in ratione intellectionis : ita ut de materiali, et veluti per accidens se habeat ad hanc unionem, quod intellectio Dei pertineat ad conceptum divinæ naturæ : quatenus per hoc significatur, quod intellectio divina ita formaliter loquendo manet incommunicata, ac si ibidem non esset.

Et licet alii aliis verbis dubium hoc excitent, nimirum, utrum processiones in divinis sint secundum emanationem intelligibilem, necne? Nihilominus uterque inquirendi modus in idem redit. Quoniam emanatio intelligibilis coincidit cum emanatione, sive processione tam per intellectum, ut ex se constat, quam per voluntatem : ex eo quod voluntas est appetitus intellectivus, seu est appetitus tendens in bonum apprehensum per intellectum, et ita ejus processio dicitur propter hanc rationem emanatio, sive processio pertinens ad ordinem intelligibilem. Maxime, quia natura intellectualis ut talis per se petit tam intellectum, quam voluntatem et emanationem, sive processionem per utramque potentiam : et ideo utraque per se spectat ad ordinem intelligibilem, vocaturque ob hanc rationem emanatio intelligibilis.

§ II.

§ II.

Sententia omnino tenenda.

38. Dicendum ergo est, processiones in divinis non esse actus solius naturæ divinæ, sive Dei, ut præintelligitur suo intellectui et voluntati; sed esse etiam actus intellectus et voluntatis, seu esse emanationes, et productiones ordinis intelligibilis. Assertio hæc satis colligitur ex Scriptura. Nam Filius in illa sæpe vocatur *Verbum*, ut Ecclesiastici 1 et 1 Joannis 1 et 5 et Apocalypsis 19. Sicut etiam vocatur *Sapientia*, ut Proverbiorum 8 et Ecclesiastici 24. Necnon etiam *Veritas*, ut Joan. 14 et deinde 1 Joannis 4. Spiritus Sanctus vocatur *Charitas* ex Deo procedens, dum dicitur : *Charissimi, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est*, ut exponit Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 17 et 18. Et propterea Gregorius homilia 30 in Evangel. inquit : *Ipse Spiritus Sanctus est amor* : at emanatio, sive processio verbi, sapientiæ, et veritatis est processio intellectualis, et per intellectum : sicut etiam processio amoris est per voluntatem : ergo, etc.

39. Eamdem etiam assertionem tuentur sancti Patres. Nam in primis aperte dicunt, Filium per intellectum procedere ; et propterea recte, ac proprie appellari Verbum, ut Augustinus sæpe in lib. de Trinitate præsertim in lib. 25 a cap. 10 usque ad 16 et tractatu 1 in Joannem, Hilarius lib. 2 de Trinitate prope medium, Hieronymus epistola 140 quæ est ad Principiam, Cyprianus, seu potius Rufinus in expositione Symboli : Anselmus in Monologio cap. 45 et ex Græcis Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius in illud Joannis 1 : *In principio erat Verbum*, Basilius homilia in idem initium Joannis, Theodoretus lib. 2 de Græcarum affectionum curatione, et Damascenus lib. 1 de fide cap. 6.

Et deinde de Spiritu Sancto dicunt procedere ex actu voluntatis, ideoque appellari amorem, ut Augustinus tomo 9 lib. de Cogitatione veræ vitæ cap. 17 et 18 et tomo 3 lib. 9 de Trinitate cap. 12, Anselmus in Monologio cap. 50 et tribus sequentibus, Richardus de Sancto-Victore lib. 6 de Trinitate cap. 10 et 14. Concilium Toletanum 11 in confessione fidei, ubi Spiritum Sanctum charitatem vocat, et Concilium Vormatiense, quod in confessione fidei eodem modo loquitur. Ac tandem de utraque processione docuit hoc ipsum D. Thomas in hoc artic. necnon et art. 5 istius quæstionis, ubi, ut ostenderet, tantum esse in divinis duas processiones, sic inquit : *Dicendum, quod processiones in divinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali, et divina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere et velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem : neque totaliter est remotum a genere actionum, quæ sunt ad extra. Nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensu. Relinquitur igitur quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi verbi et amoris.* Quod etiam docuit q. 10 de Potentia art. 1, et 4 contra Gentes cap. 11 et alibi sæpe. Unde assertionem hanc communiter tuentur omnes Doctores Scholastici.

40. Quare nihil refert id, quod Durandus respondet, nempe, Filium Dei appellari Verbum, et Spiritum Sanctum amorem, eorumque processiones nuncupari actus intellectus et voluntatis; non quidem proprie, sed secundum quamdam adaptationem : ex eo quod, sicut in natura creata prima processio est intellectio, et ad hanc subsequitur volitio, et propterea verbum per intellectum procedens est primum procedens, et amor, qui procedit per voluntatem, nuncupatur secundum procedens : ita etiam in natura divina processio Filii est prima, et processio Spiritus Sancti secunda, ideoque Filius est prima persona procedens, et Spiritus Sanctus secunda.

Ex dictis igitur constat, quomodo hæc evasio nihil refert : tum, quia juxta regulam traditam ab August. tom. 3 lib. 2 de Doctrina Christiana c. 10 et ab Athanasio lib. de communi essentia Patris, Filii, et Spiritus Sancti prope finem, sub hoc titulo : *Obtrectare Filio est obtrectare Spiritui Sancto*, necnon a communi consensu Scholasticorum receptam, verba Scripturæ semper sunt accipienda proprie, cum ex hac acceptione non sequitur aliquod inconveniens, vel absurdum : quia recta ratio dictat, mensuram, et regulam in quocumque genere debere esse certam : et ita nihil haberemus certum ex Scriptura, quæ est regula nostrarum conceptionum et actionum, si pro nostro libito, et sine urgenti ratione, ex eo quod ex opposito sequitur aliquod absurdum, possemus ejus verba accipere metaphorice, et non proprie. Quare,

cum nullum sequatur absurdum, ex eo quod verba Scripturæ pro assertione adducta intelligantur proprie, et non metaphorice, ut ex solutionibus argumentorum,
D.Thom. et ex iis, quæ ex D. Thoma q. 34 art. 1 et q. 35 art. etiam 1 in hoc tractatu dicemus, constabit : consequens erit, prædicta testimonia esse in sensu proprio intelligenda.

Secundo Tum etiam : quia in eodem sensu proprio intelliguntur communiter a Patribus
Conc. Constantin. 5. et Theologis. Et propterea Concilium Constantinopolitanum 5 inter alia Concilia in expositione fidei sic loquitur : *Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, etc. Unus Dominus, solus ex solo; Deus ex Deo; character, et imago deitatis, Verbum operativum, Sapientia consistentiæ omnium comprehensiva.* Et similiter ob hanc rationem Patres, ex eo quod Filius dicitur Verbum, colligunt, illum procedere per intel-
Basil. lectum. Unde Basilius homilia in illud : *In principio erat Verbum*; post medium ait : *Cur verbum? ut, quod ex mente procedit,*
Cyrillus Alexand. *ostendatur.* Et N. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 in Joan. cap. 5 inquit : *Filius appellatur Verbum, ac Sapientia : quoniam ex intellectu immediate, atque indivisibiliter est.* Et sic de aliis Patribus.

41. Nazar. Angelic. Doctor. Quare hanc sententiam Durandi rejiciunt, et acriter impugnant, teste Nazario artic. 5 hujus quæstionis, universi Theologi (unico forte excepto,) et præcipue
D.Thom. disciputi D. Thomæ : et quidem satis consone ad mentem Angelici Magistri in hoc artic. ubi postquam dixit, processionem in divinis non esse accipiendam secundum actionem transeuntem, addidit : *Sed secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso. Et sic Fides Catholica processionem ponit in divinis.* Et infra quæst. 34 artic. 1 in solutione ad 1 ubi Origenem appellat fontem Arrianorum, ex eo quod in commentariis ad 1 caput Joannis videatur asserere, Filium non appellari proprie Verbum, sed metaphorice, et hoc contendebant Arriani, ne (ut ibidem asserit Angelicus Doctor) sub ratione verbi procedentis cogerentur fateri, Filium Dei non esse extra substantiam Patris, ac proinde esse Deum.

§ III.

Prior et fundamentalis ratio pro sententia tenenda.

Prior autem et fundamentalis ratio assertionis desumitur ex D. Thoma in hoc artic. et artic. 3 ac 5 hujus quæstionis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam processio in divinis debet esse secundum actionem immanentem; et non qualemcumque, sed ad naturam pure intellectualem, qualis est divina, pertinentem : ergo debet etiam esse secundum operationes, sive actiones intellectus et voluntatis : et per consequens prædictæ processiones non erunt actus solius naturæ divinæ, sive Dei ut præintellecti (modo jam dicto) suo intellectui et voluntati; sed etiam erunt actus harum (ut sic dicamus) virium et facultatum. Hæc secunda consequentia patet ex priori. 42. Ratio prima pro assertione.

Prior vero ex antecedenti. Siquidem in natura pure intellectuali nulla operatio immanens potest esse præter operationem intellectus et voluntatis. Tum, quia operationes naturæ pure intellectualis quatenus talis, ac proinde viventis vita pure intellectuali debent esse operationes vitales vitalitate pure intellectuali : operationes autem vitales vitalitate pure intellectuali tantum sunt operationes intellectus et voluntatis. Tum etiam, quia operationes naturæ pure intellectualis debent esse omnino elevatæ supra materiam, ita ut non dependeant ab illa : tales autem operationes debent esse intellectio, et volitio : quia solæ istæ sunt hoc modo elevatæ, sicut sola natura, quæ est radix intelligendi et volendi habet hanc elevationem. Tum denique, quia sicut operationes naturæ pure vegetative tantum sunt operationes vegetandi ortæ a potentiis vegetativis, et ab appetitu vegetandi in eis incluso : ex eo quod anima vegetativa propter sui imperfectionem non habet appetitum distinctum ab aliis potentiis : et similiter operationes naturæ pure sensitivæ sunt operationes sentiendi et appetendi appetitu sensitivo distincto ab aliis potentiis animæ : eo quod natura sensitiva propter sui majorem perfectionem exigit propriam virtutem appetitivam : ita etiam operationes naturæ pure intellectualis tantum erunt operationes intelligendi, et appetitus intellectualis, nempe voluntatis.

Antecedens autem probatur. Tum sigil-

latim

latim quoad singulas partes : tum etiam simul quoad utramque. Sigillatim quidem quoad primam satis liquet. Nam si processio in divinis esset secundum actionem transeuntem, tunc talis processio neque esset intra Deum, sive processio in divinis : et per consequens non esset processio, de qua loquimur : neque ejus terminus esset Deus : quia terminus, qui est Deus, non potest esse extra ipsum Deum. Quoad secundam vero partem idem antecedens etiam constat. Nam si processio in divinis non esset secundum operationem pertinentem ad naturam pure intellectualem, non esset processio ducens ortum a natura divina ut a principio *quo*, neque esset processio manens in Deo : siquidem Deus est naturæ pure intellectualis : ac proinde operationes ejus, maxime vero illæ, quæ in ipso omnino manent, debent pertinere ad naturam intellectualem.

Et tandem simul quoad utramque partem prædictum antecedens suadetur. Quia propterea in homine sunt aliæ operationes præter immanentes pertinentes ad naturam intellectualem, quia homo non est naturæ pure intellectualis, sed (ut sic dicamus) mixtæ, et pertinentis ad ordinem essendi, vegetandi, sentiendi, et intelligendi; e contra autem in Angelis tantum sunt operationes immanentes pertinentes ad naturam pure intellectualem, quia ipsi sunt naturæ pure intellectualis : ergo, cum Deus sit naturæ pure intellectualis, non poterit non quævis processio in illo esse secundum operationem, sive actionem immanentem pertinentem ad naturam pure intellectualem.

44. Desumitur autem hæc prior ratio ex
hom. D. Thoma non solum locis citatis; sed etiam hac 1 parte quæst. 54 art 5 ubi in hominibus agnovit plures vires præter vires intellectus, et voluntatis : ac proinde plures operationes præter immanentes, et spectantes ad naturam pure intellectualem : e contra vero in Angelis propter rationem modo tactam : et ideo sic inquit : *Dicendum, quod in anima nostra sunt quædam vires, quarum operationes per organa corporea exercentur : et hujusmodi vires sunt actus quarumdam partium corporis, sicut est visus in oculo, et auditus in aure. Quædam vero vires animæ nostræ sunt, quarum operationes per organa corporea non exercentur, ut intellectus, et voluntas : et hujusmodi non sunt actus aliquarum partium corporis. Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter unita, ut ex supra dictis patet. Unde de viribus animæ non possunt eis competere, nisi intellectus, et voluntas. Et hoc etiam Commentator dicit* 12 *Metaphys. quod substantiæ separatæ dividuntur in intellectum, et voluntatem. Et hoc convenit ordini universi, ut suprema creatura intellectualis sit totaliter intellectiva, et non secundum partem, ut anima nostra. Et propter hoc etiam Angeli vocantur intellectus, et mentes.*

Quare : cum Deus sit naturæ purissime intellectualis, sive spiritualis, oportet, ut in eo potiori ratione non sint aliæ vires, præter intellectum, et voluntatem : et per consequens nec aliæ operationes præter operationes intellectus, et voluntatis.

Confirmatur primo ratione D. Thomæ 45. Confirmatur.
in hoc artic. Nam processio secundum actionem transeuntem convenit rebus corporalibus : processio autem secundum actionem immanentem, quæ est *intelligere*, et *velle*, seu (quod in idem quoad præsens redit) processio verbi, et amoris reperitur in substantiis pure intellectualibus, sive spiritualibus : ergo processio in Deo non est intelligenda ad modum actionis transeuntis; sed ad modum emanationis intelligibilis, nempe, per *intelligere*, et *velle*. Antecedens supponitur ut certum. Consequentia vero probatur. Quia, quæ in Deo formaliter reperiuntur, non debent concipi ad modum eorum, quæ in infimis creaturis inveniuntur; sed ad modum eorum, quæ in supremis creaturis, nempe intellectualibus, sunt : ex eo quod creaturæ, quo sunt nobiliores, eo, quantum est ex parte sua, magis Deo approximantur, et exprimunt ea, quæ sunt in illo : et ita, dato quod in Deo sint processiones, (quod ex testimoniis Scripturæ et Patrum constat) bene sequitur, eas esse secundum emanationes intelligibiles in supremis creaturis repertas.

Unde nihil refert id, quod ex doctrina 46.
Durandi oppositam sententiam sectantis Evasio
(ut infra videbimus) posset dici, nempe, ex doctrina
quod, etsi in naturis finitis debeat Durandi.
processio et communicatio esse secundum potentias, et vires proximas proprias illius naturæ; non tamen in natura infinita, et infinite fœcunda : quia hæc propter sui infinitatem, et eminentiam se per se ipsam immediate communicat, et non mediis suis viribus proximis ad intelligendum et volendum. Impugnatur

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. primo.

Quoniam, quod natura divina sit perfectissima, et infinite fœcunda, non tollit, quominus pertineat ad aliquem gradum ex iis, qui sunt constitutivi naturæ, nempe, ad gradum intellectualitatis, sub omnimoda tamen actualitate : et per consequens infinite perfectum : ergo neque etiam tollet, quod processio in illa, et ab illa ut a principio *quo* ortum ducens, sit secundum vires proprias hujus gradus : ergo neque quod sit secundum operationem, sive emanationem intelligibilem intellectus, aut voluntatis.

Probatur prior consequentia. Antecedens patet. Prima vero consequentia ex antecedenti aperte sequitur. Quoniam, quod natura sit gradus intellectualis, sub omni tamen actualitate, et puritate constituta, ac proinde sit infinita, et infinite fœcunda, ut in natura divina contingit, non tollit, quod habeat vires proximas correspondentes tali naturæ; sed quod non distinguantur ab illa realiter; bene tamen virtualiter, si fuerint distinctæ lineæ, aut ex parte solius modi concipiendi, si ad eamdem lineam pertinuerint (hac enim identitate debet identificare sibi natura infinita omnem virtutem agendi). Sicut non est contra infinitatem divinæ naturæ, quod intelligat per vires proximas intellectus, ab ea ex parte nostri modi concipiendi distinctas, et quod velit per vires proximas voluntatis, quæ sunt extra lineam naturæ, et virtualiter ab eadem distinguuntur : ergo neque etiam tollet, quod processio in divinis sit secundum vires proximas naturæ intellectualis, dummodo tales vires non distinguantur realiter ab eadem natura; sed solum virtualiter; si sint extra lineam naturæ; vel ex parte solius modi concipiendi, arguentis tamen solam eminentiam et æquivalentiam distinctis rebus pertinentibus ad eamdem lineam, si tales vires sint ex genere suo spectantes ad lineam naturæ.

Suadetur posterior consequentia. Ex quo etiam secunda consequentia aperte constat. Quoniam vires proximæ naturæ intellectualis tantum sunt intellectus, et voluntas, licet hæ in creaturis intellectualibus distinguantur realiter ab earum natura, et voluntas in divinis distinguatur virtualiter a natura divina, et intellectus, juxta Angelici Doctoris mentem in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 3 et tractatu 4 explicatam, differat solum ex parte nostri modi concipiendi ab eadem natura, quia pertinet ad eamdem lineam naturæ divinæ consistentem in intellectione, et juxta aliorum sententiam distinguatur virtualiter ab ipsa, ex eo quod est extra lineam naturæ. Quæ impugnatio desumitur ex D. Thoma supra quæst. 14 artic. 4 et infra quæst. 78 art. 1. D.Tho

47. Refutatur secundo eadem evasio. Confirmatur, et explicatur secundo ex dictis. Quoniam, quod natura divina sit infinita, et infinite fœcunda, non tollit, quod processio in divinis intelligatur, non quidem admodum processionum, quæ reperiuntur in creaturis infimis, sed ad modum earum, quæ sunt in nobilioribus, seclusis tamen imperfectionibus, ut ex se constat, et ex dictis patet : at in creaturis intellectualibus, et nobilioribus non reperitur, quod habeant alias processiones ad intra, nisi illas, quæ sunt per intellectum, et voluntatem, et ab his processionibus possunt separari imperfectiones, hoc ipso quod procedant per intellectum, et voluntatem identificatam cum natura, et substantia ejus, a quo procedunt, et in quo manent : ergo prædicta infinitas, et fœcunditas naturæ divinæ non tollet, quominus processiones in divinis procedant modo dicto immediate, et proxime ab intellectu, et voluntate divina.

Major cum consequentia, et prima parte minoris satis liquet. Minor autem quoad secundam partem, nimirum, quod ab his processionibus possint separari imperfectiones, hoc ipso quod procedant per intellectum, et voluntatem identificatam cum natura et substantia ejus, a quo procedunt, etiam videtur perspicua. Quoniam processio ortum ducens ut a principio *quo* ab intellectu, et voluntate identificata (modo insinuato) cum natura ejus, a quo procedit, et in quo reperitur, est processio infinitæ perfectionis, quippe exigens in suo principio vim, et perfectionem infinitam : ex eo quod distinctio realis inter principium proximum, et remotum agendi arguit finitatem, et limitationem : e contra vero identificatio inter vim agendi proximam, et remotam, innuit infinitatem, et summam perfectionem in ratione talis principii ut optime docet N. Collegium Complutense in lib. Physic. disp. 10 n. 28 ac proinde eo ipso poterit separari ab omnibus imperfectionibus. N. Col

§ IV.

Eadem sententia ratione alia fulcitur.

4 Secundo probatur assertio ratione, quam innuit

innuit Angelicus Doctor artic. 5 hujus quæstionis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam processiones in divinis debent esse actus illarum virium, ex quibus possit sumi sufficiens ratio, cur una earum sit prior, et alia posterior : cur una sit generatio, alia vero non : cur tandem tantum sint duæ processiones : sed si essent actus ut principii *quo* solius naturæ divinæ immediate sumptæ, et ut præit intellectum, et voluntatem Dei, non posset reddi sufficiens ratio horum; secus vero si sint etiam actus intellectus, et voluntatis divinæ : ergo etiam erunt actus divini intellectus, et voluntatis ; non vero solius naturæ divinæ, ut præcedit prædictas vires proximas operandi ad intra. Major videtur perspicua. Quoniam, cum processiones sumant suam quasi speciem ex suo principio, inde est, ut debeant assignari eis talia principia, ut ex illis depromatur sufficiens ratio eorum, quæ prædictis processionibus essentialiter competunt, qualia sunt illa, quæ in majori referuntur.

Minor autem quoad primam partem etiam constat. Quoniam hoc ipso quod processiones istæ essent immediate a natura, et non procederent ab ea ut a principio *quo*, quatenus est quasi modificata per aliqua principia proxima, sive virtualiter, sive saltem ex parte nostri modi concipiendi ab ea distincta, non esset cur una ex his processionibus sit prior alia, sed utraque immediate esset a natura : nec esset cur una esset generatio, et non alia : siquidem per utramque communicatur natura, et principium communicationis illius est unum, et idem formalissime, scilicet, ipsa natura divina, prout præcedit intellectum, et voluntatem. Nec tandem esset cur non sint plures quam duæ : quandoquidem ipsa natura est infinita, et infinite fœcunda : et sicut hæc fœcunditas non est quasi satiata unica processione, non obstante quod talis processio sit infinita, sic non erit cur satietur duplici, et sic de aliis.

Quoad secundam vero partem eadem minor etiam liquet. Nam, cum intellectus, et intellectio sit prior voluntate, et volitione, necesse est, ut processio per intellectum sit etiam prior processione per voluntatem : et cum processio per intellectum sit adhuc in creatis generatio secundum quid, ut bene expendit nostrum Collegium Complutense in libris de Anima disputatione 18 numero 30, secus vero processio per voluntatem, oportet, ut processio per intellectum perfectissimum, qualis est intellectus divinus, sit perfectissima generatio : non vero processio per voluntatem quantumvis perfectissimam, qualis est voluntas divina, propter rationes infra latius expendendas. Ac tandem, cum in natura pure intellectuali, sive spirituali tantummodo sint istæ duæ potentiæ, sive virtutes proximæ ad operandum, scilicet, intellectus, et voluntas, necesse erit, ut in natura divina, quæ est pure intellectualis, sint tantum duæ processiones : quia cum unaquæque sit infinita, explet totam vim operandi ad intra, quæ est in quavis ex his rationibus et viribus, ita ut una expleat totam vim proximam operandi per intellectum omnino ad intra, et alia totam vim producendi ad intra per voluntatem.

49. Evasio. Nec refert, si occurras, quod etiamsi processiones istæ essent actus divinæ naturæ ut principii *quo*, quatenus præcedit intellectum, et voluntatem Dei : nihilominus posset horum omnium, quæ in hac ratione tanguntur, reddi ratio ex propria natura earumdem processionum et essentiæ divinæ : ex eo quod ipsa, et processiones ejus ex se habent esse talis conditionis, ut hoc ipsum exigant : idque a posteriori, ex eo quod de facto in ipsa natura divina, et ejus processionibus contingit, colligimus : neque erit necesse aliam hujus reddi rationem præter istam : sicut nulla alia redditur ratio in anima nostra, cur, cum sit una et eadem simplicissima forma, nihilominus est radix plurium, et diversarum potentiarum vitalium, et quarumdam quidem per prius, aliarum vero per posterius, ac tandem est radix tot, et non plurium : quia hæc est natura formæ organicæ et vitalis, hocque illæ potentiæ vitales exposcunt, et id a posteriori, ex eo quod de facto contingit in prædictis potentiis, et anima, unde oriuntur, colligimus.

Præcluditur. Non itaque hoc refert, sed ex dictis satis corruit. Quoniam licet aliquando possit reddi sufficiens ratio dimanationis potentiarum proximarum et vitalium, nec non et aliorum in hoc exemplo tactorum ex ipsa natura animæ, et potentiarum ejus : quia potentiæ vitales et proximæ illius hoc ex sua natura habent, nempe, ut aliquæ, vel aliqua ex illis immediate nectantur cum anima, non vero aliæ : et deinde cum ipsa anima, et ejus potentiæ sint finitæ, ex se etiam retinent, ut sint tot, et non plures. Cæterum neque in ipsa anima, neque in quavis alia re, sive finita, sive infinita po-

test reddi sufficiens ratio suarum operationum, negato (ut sic dicamus) transitu per principia formalia, et proxima earumdem operationum, sive illa realiter, ut in creaturis, sive virtualiter, aut ex parte nostri modi concipiendi distinguantur a suo principio radicali, ut in Deo contingit. Et ratio horum est jam tacta, nempe, non posse principium radicale influere in suas operationes, nisi mediis suis viribus et facultatibus proximis jam dictis : neque infinitatem principii radicalis arguere carentiam hujus principii proximi, sed solum non debere tale principium proximum distingui realiter a principio radicali. Quæ ratio habet adhuc majorem vim, suppositis iis, quæ dubio ultimo hujus disputationis dicemus, scilicet, processiones in divinis non esse puras emanationes, ut emanatio distinguitur ab actione vera et rigorosa, libera ab imperfectionibus : sed inter prædictas actiones esse connumerandas.

50. Confirmatur. Confirmatur ex his, quæ jam asseruimus. Nam hoc ipso, quod debeat reddi ratio processionum vitalium non excludendo principia proxima earum, oportet, ut ratio divinarum processionum reddatur, non ex qualibuscumque principiis proximis, sed ex intellectu et voluntate : quia prima ex processionibus divinis ex se habet communicare naturam divinam, et processio per intellectum est valde accommodata ad hoc : ex eo quod verbum per illam procedens debet ex vi processionis habere eamdem naturam cum objecto per se primo intellecto : et ita si Deus intelligendo se producit verbum, tunc communicabit illi ex vi processionis divinam naturam, ut ex infra afferendis amplius patebit. Et similiter alia ex divinis processionibus, nempe processio Spiritus Sancti, ex se etiam habet producere impulsum perfectissimum, ut ex iis, quæ art. 4 dicemus, constabit : ad hoc autem est valde accommodata divina voluntas : ex eo quod voluntas ex se habet producere impulsum in rem amatam : ac proinde a voluntate perfectissima, qualis est divina, non poterit non ex vi processionis perfectissimus impulsus, modo inferius explicando, prodire.

§ V.

Opposita sententia, duo priora ejus fundamenta, et illorum solutiones.

51. Oppositam tamen sententiam, nempe, processiones in divinis esse actus solius naturæ divinæ, ut præintellectæ actibus intellectus et voluntatis, tenuit Durandus in primo dist. 6 q. 2 et ita inquit, quod si Deus per impossibile non esset intelligens, aut volens, nihilominus darentur prædictæ processiones intra illum : ac proinde intellectus, et voluntas, actusque harum facultatum de materiali, et quasi per accidens se habere in ordine ad prædictas processiones. Pro qua etiam sententia refertur Gregor. in 1 distinct. 10 q. unica, et dist. 13 quæst. etiam unica. Opposita sententia Durandi. Gregor.

Et probatur primo. Nam Hilarius lib. de Synodis inquit, quod voluntas Dei attulit creaturis substantiam, quam habent ; sed natura Dei attulit Filium. Et Damascenus lib. 4 fidei cap. 8 loquens de generatione Filii ait, quod generatio est opus naturæ. Et Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 20 inquit Verbum, per quod omnia facta sunt, esse Filium Dei natura. In quibus testimoniis, ut constat, naturæ divinæ, non vero intellectui Dei tribuitur, quod sit ratio, seu principium Filii : cumque eadem sit ratio de processione Spiritus Sancti quoad hoc, quod est esse etiam opus solius naturæ divinæ (ut ex statim dicendis pro hac Durandi sententia patebit) : consequens erit, ut nulla ex his processionibus sit actus intellectus, aut voluntatis, sed solius naturæ divinæ, ut illis præintelligitur. Primum fundamentum. Hilari. Damasc. August.

Respondetur, quod ut recte notavit divus Thomas quæst. 30 hujus primæ partis art. 2 ad 2. Et quæst. 10 de Potentia art. 2 ad 11 processio per intellectum, et per naturam coincidunt in Deo : quia intellectio est constitutiva naturæ divinæ, ut ex dictis in primo tomo tractatu 3 disput. 4 num. 43 et deinceps constat, et quia ex vi talis processionis communicatur natura divina, ut ex dicendis disputat. sequenti patebit. Accedit has processiones dici etiam naturales, sive per naturam : quia sunt omnino necessariæ, et non liberæ ; et id, quod est necessarium solet dici naturale. 52 Diluitur D. Th.

Secundo probatur eadem sententia. Quia actus intellectus, et voluntatis divinæ sunt essentiales, et per consequens communes toti Trinitati : sed processiones sunt actus notionales, et proprii : et ita Pater generat, non vero Filius, aut Spiritus sanctus : sicut etiam Pater, et Filius spirant, et producunt Spiritum sanctum, cum tamen ab eodem Spiritu sancto nulla sit processio : ergo, etc. 53 Secundum.

Respondetur

[...]nodatur. Respondetur, quod etsi actus intellectus, et voluntatis divinæ, ut præcise dicunt quid absolutum, sint essentiales, non vero notionales : attamen ut connotant relationes sunt notionales. Et ita actus intellectus divini prout in Patre, seu ut connotat personam Patris est fœcundus ad producendum Filium, et est generatio activa Filii. Sicut etiam actus voluntatis divinæ prout in Patre et Filio est actus notionalis, et spiratio activa Spiritus sancti, ut ex infra dicendis amplius constabit.

Retorquetur contra suum auctorem. Ad le, hoc argumentum posse etiam retorqueri contra suum auctorem nempe Durandum. Quia etiam natura divina est communis toti Trinitati. Unde, sicut hoc non obstante, in ejus sententia Pater per illam generat, non vero Filius : quia in Patre connotat relationem Paternitatis, non vero in Filio : ita intellectio essentialis, licet sit communis toti Trinitati, poterit esse generatio Filii, quia prædicta intellectio connotando Paternitatem habet rationem actionis notionalis, licet secundum se, et cum præcisione sumpta non habeat omnia requisita ad hoc, ut rationem prædictæ generationis sortiatur.

§ VI.

Duo alia argumenta pro sententia Durandi una cum enodationibus eorum.

54. Tertium argumentum. Tertio. Nam in creaturis fœcunditas, et communicatio naturæ non convenit eis per intellectum et voluntatem, nec sunt actus harum potentiarum : ergo neque processiones in divinis, per quas communicatur natura divina, erunt actus intellectus et voluntatis Dei. Consequentia patet ex paritate rationis : et quia divina debemus intelligere ad instar eorum, quæ reperiuntur in creaturis. Antecedens autem probatur. Nam si creaturæ sint expertes intellectionis et volitionis, ut contingit verbi gratia, in igne, tunc planum est, communicationem propriæ naturæ non fieri per actus intellectus, et voluntatis : quin imo etiam si ignis esset intellectivus et volitivus, tunc eodem modo calefaceret, et igniret, ac modo, ut ex se constare videtur. Si autem creaturæ sint intellectuales et volitivæ, tunc, si sunt pure intellectuales, sunt infœcundæ, et nequeunt communicare propriam naturam, ut in Angelis contingit. Si autem non sint pure intellectuales, ut in hominibus accidit, tunc non sunt fœcundæ, nec communicant suam naturam, quia intelligunt aut volunt, sed per suam naturam et potentiam generativam distinctam ab intellectu et voluntate.

Confirmatur. Nam per actus immanentes nihil producitur : ergo, etc. Antecedens probatur : tum, quia illud docuit Aristoteles, Commentator, et D. Thomas 9 Metaphysicæ textu 16. Tum etiam : quia non sunt instituti ad producendam, sed aduniendam potentiam intellectivam cum suo objecto : et propterea visio beata, quæ est suprema inter intellectiones creatas, nihil producit. Tum deinde : quia *intelligere* est esse rem intellectam in *esse* intelligibili : in hoc autem nulla involvitur formaliter loquendo productio, sed solum informatio quædam per formam rei intellectæ : sicut esse sub modo essendi naturali eamdem rem alias intellectam, tantum importat informationem quamdam per prædictam formam. Tum denique : quia actus intellectus nostri non sunt actiones de prædicamento actionis, sed sunt qualitates quædam, ut ostendunt nostri Complutenses in libris de Anima disputat. 21 num. 10 et nos in primo tomo tractatu 2 disp. 2 dubio ultimo diximus : ergo per eas nihil producitur : ergo similiter in Deo per prædictas processiones nihil procedet. Confirmatio. Aristot. Commentator. D. Thom. N. Compl.

Respondetur distinguendo antecedens : *In creaturis fœcunditas et communicatio naturæ non convenit eis per intellectum* : si intelligitur de communicatione naturæ in *esse* intelligibili, negandum est respectu creaturarum perfectiorum, nempe intellectualium, si vero intelligatur de communicatione naturæ in *esse* naturali, seu sub modo essendi naturali, concedendum erit : sed negari debet consequentia : quoniam paritas rationis potius petit oppositum, ut nuper tangebamus. Nam, sicut per intellectionem imperfectam communicatur natura objecti intellecti non plene et perfecte, idest, non sub modo essendi perfecto, scilicet, sub modo essendi naturali : ita per communicationem omnibus modis perfectissimam, nempe per intellectionem divinam communicabitur natura divina per illam intellecta sub omni modo essendi, et perfectissime : ac proinde sub modo essendi intelligibili denudato ab imperfectionibus, et simul sub modo essendi naturali. 55. Dissolvitur primo.

Secundo respondetur, quod transeat antecedens, et negetur consequentia. Et ad probationem dicendum est, paritatem rationis potius petere oppositum. Nam creaturæ Diluitur secundo.

adæquate dividuntur in creaturas pure corporeas, et in mixtas ex corpore et spiritu, quod soli homini competit, ac tandem in pure spirituales, seu nihil habentes de corpore : ex quibus illæ duæ priores, quia absolute sunt corporeæ, propterea, licet principium radicale communicationis naturæ sit ipsa natura, non tamen principium proximum, sed indigent potentia generativa sibi proportionata, nempe potentia generativa, per quam communicent suam naturam in *esse* naturali. Posteriores vero quia non habent plene gradum intellectualem, sed involutum imperfectionibus et limitatione, propterea non possunt esse fœcundæ ad communicandam suam naturam sub *esse* naturali ; quia, ut hoc modo communicarent naturam pure intellectualem non præsupponentem subjectum, ac proinde agerent ex non præsupposito subjecto, oportebat, ut haberent vim agendi infinitam : et cum deberent operari per intellectum et voluntatem, requirebatur, ut esset in eis natura pure intellectualis, et libera ab imperfectionibus et limitatione. Quare cum Deus sit naturæ pure intellectualis liberæ ab imperfectionibus, et limitatione, poterit communicare suam naturam per facultatem proximam sibi proportionatam : nempe, per intellectum, ut ita cuivis naturæ, sive creatæ, sive increatæ (cui convenit fœcunditas) correspondeat sua propria, et proportionata facultas proxima, per quam suam naturam communicet.

Additamentum. Adde : quod, licet creaturæ pure intellectuales non sint fœcundæ ad communicandam suam naturam sub *esse* naturali, sunt tamen fœcundæ ad communicandam illam sub *esse* intelligibili, quod præcisum ab *esse* naturali, et entitativo est *esse* secundum quid, et cum addito, et tamen hæc communicatio convenit illis immediate per suum intellectum. Quare, quia ea, quæ sunt in divinis, et simul in creaturis, debent intelligi ad modum eorum, quæ reperiuntur in creaturis perfectioribus, sublatis tamen imperfectionibus, idcirco, licet creaturæ intellectuales solum sint fœcundæ ad communicandam suam naturam intelligibiliter, nihilominus processiones in divinis debent intelligi ad modum harum processionum sublata imperfectione, quæ in istis inferioribus processionibus reperitur, quæ est communicare naturam sub modo essendi præcise intelligibili, non vero entitativo et naturali.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens, juxta ea tamen, quæ in primo tomo tractatu 2 disputat. 2 numer. 207 diximus. Et ad primam probationem respondent Suarez disput. 48 suæ Metaphysicæ sectione 2 num. 20, Montesinus prima secundæ disputat. 3 quæst. 5 a num. 69 et deinceps, Molina 1 part. quæstione 27. art. 1 disputat. 8 membro 2 et alii, discrimen istud assignatum ab Aristotele, et divo Thoma tantum consistere in hoc, quod per actiones immanentes nihil producitur, quod remaneat post ipsas, secus vero per transeuntes : vel in hoc, quod actiones immanentes nihil producunt extra ipsum operantem, secus vero transeuntes. 56 Solut aliorum ad confir mation nem Suare Monte nus. Molir

Cæterum contra hanc solutionem obstat, esse plures actiones transeuntes, ut citharizatio, et illuminatio formaliter sumpta, quæ nihil post se permanens relinquunt. Et similiter esse aliquas operationes immanentes, et virtualiter transeuntes, per quas aliquid extra ipsum operans producitur, ut constat in creatione, quæ est actus immanens divini intellectus et voluntatis, per quam producuntur res ad extra, ex eo quod actus ille ratione suæ infinitæ perfectionis habet summam efficacitatem, et ita possunt efficere id, quod alii actus transeuntes efficerent. Rejic tur.

Quare melius respondetur cum D. Thoma locis citatis, et 9 Ethicorum, Aristotelem loqui permissive, ita ut actioni immanenti possit permitti, quod non habeat terminum productum : ex eo quod actio immanens ob generalem rationem actionis immanentis illum non petit, secus vero est de actione transeunte ordinata ad transformandam materiam exteriorem, de qua Aristoteles, et D. Thomas locis citatis loquuntur, quæque semper debet habere terminum ab illa distinctum, et per ipsam productum. 57 Ver respo sio

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod etsi actus intellectus sint instituti ad uniendum intelligibiliter intellectum cum objecto, sive ad contemplandum illud, attamen ad hanc unionem et contemplationem requiritur in intellectionibus indigentibus ratione suæ limitationis verbo, vel objecto realiter ab intelligente distincto, et (ut sic dicamus) supplente vices verbi, nempe in omnibus intellectionibus creatis ; vel quod producant illud, ut eo mediante contemplemur objectum, et ei perfecte uniantur (ut optime docent nostri Complutenses in libris de Anima disputat. 21 quæst. 5 et constat ex iis, quæ in 1 tomo Ad secu dar prol tion.

tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disput. 2 num. 207 diximus) vel quod, si non produxerint verbum (ut in solis visionibus beatificis contingit) ex eo quod versantur circa objectum summe actuale, nempe circa Deum clare visum prout est in se, tunc ipsum objectum suppleat rationem verbi : quia de ejus essentia est esse objectum quantum est de se actu intellectum, seu actu terminans intellectionem : sicut de essentia verbi est hoc ipsum, ut loco nuper citato disputat. 2 a num. 230 usque ad numerum 234 expendimus. Et tandem in intellectione perfectissima, et libera ab indigentia et limitatione, quæ in summo perfectionis gradu unit intelligibiliter intellectum perfectissimum, nempe divinum, cum suo objecto per se primo intellecto scilicet, cum divina essentia, requiritur quod licet non producat verbum tanquam id, quo indiget ad contemplandum prædictum objectum, attamen perfectio illius summæ unionis inferat, quod sit ipsa productio verbi ex pura fœcunditate : ita ut, si non esset in ea talis fœcunditas, optime colligeretur, non esse intelligibiliter summam et perfectissimam unionem intellectus perfectissimi cum suo objecto per se primo intellecto : quia fœcunditas ista in ordine intellectuali, et non admixta indigentiæ spectat ad perfectionem supremæ naturæ intellectualis : sicut sterilitas in eadem natura diceret imperfectionem, et similiter pro luctio ejusdem verbi ex indigentia eam dicit : quoniam eo ipso denotatur, intelligentem non esse tantæ actualitatis, ut se ipso sit suum *esse* intellectum, ut loco citato prosecuti sumus.

58. Ad tertiam. Ad tertiam vero probationem dicendum est, quod intelligere est esse actu rem intellectam, quatenus per hoc denotatur, non quidem quod ipsum *intelligere* formalissime sumptum, prout præcise exprimit ipsam contemplationem objecti, det intellectui, ut habeat ipsam naturam rei intellectæ, quia hoc est proprium verbi, sive objecti, ut ex se habet, quod sit suum *esse* intellectum, sed quia ipsa intellectio est existentia in ordine intelligibili eorum, quæ ad hunc ordinem spectant, ac proinde est ipsa existentia verbi tribuentis intellectui, ut habeat ipsammet naturam rei intellectæ, ut in 1 tomo nostri Cursus Theologici tractatu 3 disputatio 2 num. 105 et tractatu 4 disputat. 1 num. 21 diximus. Et ideo sicut existentia naturalis, verbi gratia hominis, dat illi, non quidem quod sit homo, sed quod essentia hominis sit actu existens, et propterea dicitur, hominem esse actu, idest, extra causas hominem per suam existentiam : ita intelligere dicitur esse actu rem intellectam, seu intellectum per suum *intelligere* fieri actu rem intellectam, non quidem quia sit ipsa forma et natura rei intellectæ, sed quia dat illi, quod in *esse* intelligibili sit actu existens. Cæterum hoc est discrimen inter existentiam ordinis naturalis, et ordinis intelligibilis, quod illa non est reipsa operatio aliqua vitalis, ut ex se constat, secus vero ista : quia est unio vitalis, et in actu secundo intellectus cum suo objecto, seu (quod in idem quoad præsens redit) est ipsa vitalis contemplatio in actu secundo objecti intellecti, ex eo quod hæc contemplatio est ultima actualitas ordinis intelligibilis, et ita est accommodata, tum ad hoc, ut sit existentia hujus ordinis, sicut ultima actualitas ordinis naturalis est apta ad hoc, ut sit existentia ejus : tum etiam ad hoc, ut producat terminum vitalem, ac proinde secundum illam possit dari processio. Videantur tamen ea, quæ locis citatis diximus.

Ad ultimam probationem satis constat ex iis, quæ in primo tomo tractatu 2 disputat. 2 numer. 207 diximus : quomodo, et si intellectio nostra sit qualitas, est tamen vera operatio a motu libera : quia hoc genus actionis creatæ importat formam perfectam spectantem ad prædicamentum qualitatis ut nostri Complutenses in libris de Anima disputat. 21 num. 6 ostendunt. Et ita prædicta intellectio est forma eminens, quæ ob sui eminentiam, et ultimam actualitatem æquivalet actioni transeunti, et termino illius : termino quidem, quia est forma, et qualitas quædam perfecta, sicut terminus prædictæ actionis : actioni vero, quia eminenti modo est ultima actualitas potentiæ, et consistit in exercitio quodam actualissimo : et ita est forma quædam perfecta in actuali exercitio, et ultima actualitate constituta, qua intellectus actualiter vivit, et objecto vitaliter et intelligibiliter unitur : ideoque, si sibi opus fuerit ad contemplandum perfecte suum objectum, quod producat terminum, producet utique illum; secus vero, si eo non indiguerit. Sicut, si fuerit in summo perfectionis gradu intra suam lineam, tunc producet terminum ex fœcunditate, licet non ex indigentia, ut in divinis cernitur. 59. Ad ultimam. N. Compl.

Ultimo probatur eadem sententia Durandi. Nam propterea creaturæ indigent 60. Ultimum fundamentum Durandi.

principio agendi proximo, et aliquo modo distincto a natura, quia earum natura est finita et limitata in ratione naturæ communicativæ sui : sed natura divina est infinita in ratione naturæ sui communicativæ, adhuc ut præintelligitur intellectui et voluntati, siquidem adhuc secundum hanc rationem est ens per essentiam : ergo seipsa immediate, et ut præintelligitur intellectui et voluntati, erit immediate communicativa sui ; et per consequens ejus communicatio erit ante actus intellectus et voluntatis : quandoquidem hoc ipso, quod fœcunditas naturæ, seu vis proxima et communicativa sui præsupponatur ad intellectum et voluntatem, etiam communicatio naturæ præcedet ad actus intellectus et voluntatis : sicut, quia intellectus præsupponitur ad voluntatem, idcirco intellectio debet præsupponi ad volitionem.

Corruit ex dictis. Respondetur, satis constare ex dictis, quomodo licet sit contra infinitatem alicujus naturæ, et principii radicalis distingui a principio proximo realiter, non tamen virtualiter, aut ex parte nostri modi concipiendi : quin potius hoc ad summam perfectionem principii radicalis spectat.

DUBIUM III.

Utrum actus intellectus et voluntatis, secundum quos reperiuntur processiones in divinis, sint actus intelligendi et volendi? an vero alii ex æquo ab his aliquo modo distincti?

61. Postquam explicuimus, processiones in divinis esse actus intellectus et voluntatis Dei, restat, ut exponamus, an sint ipsa intellectio et volitio? an vero alii actus ab intellectu et voluntate divina eliciti, aut quasi eliciti, et ex æquo ab intellectione et volitione virtualiter distincti? Controvertemus autem dubium hoc, majoris claritatis et brevitatis gratia, peculiariter in processione per intellectum : quia in utraque quoad hoc est eadem ratio, et ita quod circa processionem per intellectum decisum fuerit, debet etiam quoad processionem per voluntatem intelligi : quamvis etiam de processione per voluntatem aliquid dicemus.

Cæterum, licet plures Theologi ad explicationem processionum divinarum soleant hic non pauca excitare dubia circa naturam intellectionis et dictionis creatæ, et aliorum ad eas spectantium, quia tamen hæc ad libros de Anima pertinent, et illa optime, et valde ad mentem D. Thomæ nostrum Collegium Complutense ibi disp. 21 per totam discutit : propterea in his modo non immorabimur, sed eis suppositis (quæ omnino videnda sunt) inde tantum iterum adjiciemus illa, quæ prorsus necessaria fuerint ad plenam hujus dubii decisionem, et in aliis lectorem ad prædictam disputationem remittimus. N. Compl.

§ I.

Vera D. Thomæ sententia.

Dicendum ergo est, processiones in divinis non esse actus intellectus et voluntatis ex æquo distinctos adhuc virtualiter ab *intelligere* et *velle* ; sed esse ipsummet *intelligere* et *velle*, modificata tamen per quemdam quasi modum eisdem virtualiter superadditum. Assertio quoad processionem per intellectum, ac proinde quoad processionem etiam per voluntatem (quia, ut diximus, in utraque eodem proportionali modo philosophandum est) videtur colligi quoad primam ejus partem ex illo Sapientiæ 2 : *Dixerunt enim cogitantes apud se* : et ex illo Matthæi 9 : *Dixerunt intra se, hic blasphemat* : ex quibus verbis colligit Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 10 quod ipsum *dicere* mentis est cogitare, et ita ait : *Quid est enim, dixerunt intra se, nisi cogitando?* Cumque quoad hoc eadem sit ratio de dictione et intellectione increata, ut communiter docent Theologi, inde est, ut ex hoc testimonio Scripturæ assertio nostra juxta Augustini expositionem quoad primam ejus partem colligatur. 62. Conclusio continens duas partes. Suadetur quoad priorem ex Scriptura ex PP. Sapient. 2. Matt. 9. August.

Eamdem etiam tuetur D. Thomas in præsenti, ubi ait : quod *quicumque intelligit, producit verbum*. Si autem productio verbi, seu dictio non esset formaliter intellectio, non dixisset sanctus Doctor, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit*, sed ex hoc ipso, quod haberet alteram actionem formaliter, sive virtualiter distinctam ab intellectione, scilicet dictionem, producit verbum. Et quæst. 34 art. 1 ad 3 ubi inquit : *Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam* : ac proinde *dicere* includet formaliter *intelligere* consistens in illa habitudine ad rem intellectam. Et 4 contra Gentes cap. 11 ante medium, ubi sic inquit : *Est autem de ratione interioris verbi, quod* D. Thom.

quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis. Intellectus enim intelligendo concipit, et format intentionem, sive rationem intellectam, quæ est interius verbum. Oportet igitur, quod a Deo secundum ipsum suum intelligere procedat Verbum ipsius. Et de Veritate quæst. 4 art. 2 ubi loquens de verbo sic ait : *Ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi. Unde etiam, quando mens intelligit se ipsam, ejus conceptio non est ipsa mens, sed aliquid expressum a notitia mentis.* Et de Potentia quæst. 9 art. 5 his verbis : *Verbum conceptum in intellectu nostro cum procedat ab intellectu nostro in quantum est intellectus.* Et hoc ipsum docet ibidem de Verbo divino, nempe, procedere a Patre, in quantum est intelligens.

63. Aug. Idem etiam docuerunt, tum Augustinus tomo 3 lib. 6 de Trinitate cap. 2 dum dixit, quod *verbum est sapientia genita.* Quod tes- Thom. timonium sic explicat D. Thomas quæst. 34 nuper citata art. 1 art. 2 : *Id enim, quod intellectus in concipiendo format, est verbum. Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Unde et Augustinus dicit, quod verbum est sapientia genita. Quod nihil aliud est, quam ipsa conceptio sapientis, quæ etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per eumdem modum potest intelligi, quod dicere Dei sit cogitando intueri, in quantum scilicet intuitu cogitationis divinæ concipitur Verbum Dei.*

gent. Tum etiam Fulgentius lib. 3 ad Monymum cap. 7 his verbis : *Sed sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet utique cogitando habet : quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se* lm. *cogitare.* Anselmus in Menologio c. 34 ubi sic habet : *Quoniam autem idem est summo spiritui scire quod intelligere, sive dicere, necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quæ scit, quo ea dicit aut intelligit.*

4. Quoad utramque vero partem, nempe processionem v. g. per intellectum esse ipsum *intelligere*, et hoc non utcumque, sed ut quasi modificatum quodam quasi modo, quod quidem significari potest per hoc, quod sit expressio verbi, seu conceptionis, tuetur eamdem assertionem Angelicus Doctor quæst. 4 de Veritate nuper citata art. 2 ad 5 ubi loquens de intellectionibus ordinis naturalis, sic ait : *In nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem, nec aliter possumus intelligere, nisi hujusmodi conceptionem exprimendo. Et ideo omne intelligere in nobis proprie loquendo est dicere.* Cumque quoad hoc sit eodem proportionali modo philosophandum in nobis, et in Deo, ut ex D. Fulgentio dicebamus, et ex communi Theologorum consensu constat, fit inde, ut processio Verbi in divinis dicat etiam conjunctum quoddam quasi coalescens ex ipso *intelligere* essentiali Dei, et ex quadam formalitate quasi modali, per quam modificetur. Quod quidem conjunctum potest explicari per hoc, quod sit *intelligere* divinum, et essentiale exprimendo verbum, seu (quod in idem quoad præsens redit) per hoc, quod sit prædictum *intelligere* modificatum per relationem Paternitatis tanquam per quoddam connotatum ipsius, sive per hoc, quod Pater non habeat prædictum *intelligere* ab alio : nam eo ipso erit *intelligere* divinum, et essentiale exprimendo verbum.

Et tandem utramque assertionis partem 65. docuit idem sanctissimus Præceptor de S. Doctor. Potentia quæst. 2 art. 5 ubi loquens de potentia generativa, et de actione generandi in divinis repertis, sic ait : *Similiter ergo dicendum est de actione et potentia. Nam generatio significat actionem cum aliquo respectu : et potentia generandi significat potentiam cum respectu. Unde ipsa generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantum. Et similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantum.* Ubi rationem generationis constituit D. Thomas in actione divina, de qua in testimoniis relatis pro prima assertionis parte locutus fuerat, scilicet in ipso *intelligere*, sed prout est Patris tantum, seu prout est modificatum per relationem Paternitatis : sicut etiam potentiam generativam, inquit, consistere in omnipotentia Dei modificata per eamdem Paternitatem, sive in eodem *intelligere* cum prædicta modificatione, ut constat ex iis, quæ in hac 1 part. quæst. 41 art. 5 docet : quoniam quoad præsens sumit omnipotentiam pro omnipotentia radicali consistente in prædicto *intelligere*. Cur autem Angelicus Doctor sumpserit in præsenti sic divinam omnipotentiam, et explicaverit divinum *intelligere*, ut habet rationem potentiæ generativæ, per omnipotentiam, respectu cu-

jus habet rationem radicis? alibi, Deo dante, explicabitur.

66. Capreol. Cajetan. Bannez. Ripa. Zumel. Valent. Suarez. Vasquez. Arrubal. Granado.

Unde assertionem hanc quoad utramque ejus partem tuentur Capreolus in 1 distinct. 27 quæst. 2 conclus. 2, Cajetanus in præsenti § *Ad secundam dubitationem*, Bannez, Ripa, Zumel, et Nazarius in hoc art. qui addit, hanc esse communem Thomistarum sententiam. Pro qua etiam referuntur Valentia in præsenti, Suarez lib. 1 de Trinitate cap. 7, Vasquez in præsenti disputat. 112 cap. 3, Arrubal disputat. 97 cap. ult., Granado tomo 3 in 1 partem tract. 2 disputat. 3 sect. 3.

§ II.

D. Thomæ sententia explicatur, et quoad secundam ejus partem probatu faciliorem primo loco suadetur.

67. Explicatur assertio.

Cæterum, quia assertio nostra aliquali indiget explicatione, propterea prius explicanda, et deinde probanda est. Explicatur ergo sic. Etenim mens Angelici Doctoris in ea est, quod licet *intelligere* possit præscindi a dictione, seu productione verbi, et propterea beati videntes divinam essentiam intelligunt clare illam, non tamen dicunt, sive producunt verbum : et similiter *intelligere* essentiale prout in Filio et Spiritu sancto est *intelligere* divinum, non tamen dictio et productio verbi : nihilominus dictio includit necessario ipsum *intelligere :* quia, ut ex D. Thoma dicebamus, nihil aliud est *dicere*, nisi prædictum *intelligere*, exprimendo sive producendo verbum. Et propterea *dicere*, et *intelligere*, non sunt duo actus ex æquo inter se distincti adhuc virtualiter, seu ad invicem se mutuo in suis præcisis conceptibus excludentes; sed unus eorum, nempe *dicere*, includit *intelligere*, quia importat idem *intelligere* modificatum, aut quasi modificatum per quemdam quasi modum, quo accedente habet complete rationem dictionis.

Dilucidatur exemplo.

Potestque hoc non parum elucidari sequenti exemplo. Etenim sicut actus scientificus, in opinione satis probabili, producit habitum scientiæ ordinis naturalis, non quidem per alium actum formaliter, et ex æquo distinctum ab eodem actu scientifico, siquidem habitus iste quatenus talis petit oriri ab actu scientifico; sed per se ipsum modificatum per quemdam modum, seu formalitatem quamdam modalem causalitatis et fœcunditatis *ut quo* respectu ejusdem habitus, taliter, quod nec solus modus iste, nec solus actus scientificus, sed prædictus actus modificatus per hunc modum fœcunditatis, sive efficacitatis sit actualis productio habitus scientiæ : et propterea talis modus dicitur causalitas *ut quo*, non vero absolute causalitas respectu prædicti habitus : quia est quid requisitum ad talem causalitatem, et aliquo modo ad ejus integrum et completum conceptum pertinet, licet non sit integre et adæquate ipsa causalitas.

App... cati... exem... plu... ad in... tum

Ita *intelligere* quatenus tale potest esse in nobis productio verbi : non tamen cum præcisione, sed ut modificatum per modalem quamdam formalitatem causalitatis *ut quo* respectu ejusdem verbi, taliter, quod nec solus modus iste, nec solum *intelligere* sit integra causalitas et productio verbi : sed *intelligere* sic modificatum : propter quam rationem prædictus modus nuncupatur causalitas *ut quo* respectu verbi : quia nimirum ad eam requiritur, et aliquo modo ad ejus integrum conceptum spectat, licet non sit integra causalitas et productio ejusdem verbi : ac proinde nec solum *intelligere*, nec solus prædictus modus, sed *intelligere* modificatum cum hoc modo est ipsa causalitas et expressio verbi creati. Et similiter *intelligere* divinum quatenus tale est productio Verbi divini, non quidem cum præcisione acceptum, sed ut quasi modificatum per quemdam quasi modum expressionis verbi *ut quo*, taliter, quod nec solum *intelligere*, nec prædictus quasi modus sit ipsa expressio verbi, sed *intelligere* divinum quasi modificatum per hunc quasi modum, qui quidem est ipsa relatio Paternitatis, sive hoc quod est, Patrem habere illud a se. Et ideo talis modus dicitur productio sive expressio verbi *ut quo :* quia non est integra expressio, licet sit requisitus ad talem expressionem, et aliquo modo, saltem in obliquo, ad ejus conceptum spectet. Quamvis (ut in hoc eodem dubio dicemus) inter exemplum allatum de actu scientifico, et intellectionem creatam ex una parte, et divinam ex alia, sit aliqua diversitas quoad præsens notanda, nimirum, quod actus scientificus, et intellectio creata petunt ratione suæ limitationis, ut addatur eis in recto modus ille, aut quasi modus, ad hoc ut actus scientificus sit actualis productio prædicti habitus, et dictio actu causet verbum : cæterum intellectio divina propter sui infinitatem habet ex se, quidquid in esse entis requiritur in recto, ut

ut sit productio verbi, et solum requirit illum quasi modum tanquam connotatum, et quid in obliquo importatum.

Assertio ergo sic explicata sequitur aperte quoad secundam ejus partem ex priori : et ita, quia ejus probatio facile et breviter deducitur, idcirco primo loco suadetur ratione insinuata a D. Thoma locis citatis. Nam hoc ipso, quod *dicere* divinum, per quod producitur Verbum, includat et dicat formaliter ipsum *intelligere* essentiale, oportet, ut addat aliquam quasi modificationem, ad hoc ut sit complete et absolute productio et expressio Verbi : ergo prædictum *dicere*, consistet in divino *intelligere* essentiali, quasi modificato tamen per quemdam quasi modum, nimirum, per relationem Paternitatis, sive per hoc quod Pater non habeat illud ab alio. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Nam *intelligere* essentiale cum præcisione sumptum est commune toti Trinitati : et tamen in singulis personis non habet rationem dictionis et expressionis verbi, sed solum in Patre : ergo, ut prædictum *intelligere* essentiale sit ipsum *dicere* et productio Verbi, oportet, ut ei aliquid quodammodo superaddatur in Patre, quod non habet in Filio et Spiritu sancto : alioqui non esset cur in singulis personis non esset actualis dictio et expressio verbi. Cumque hoc solum possit esse quidam quasi modus habendi illud repertus in Patre, qui non sit in aliis duabus personis, nempe, habendi illud per modum primæ personæ Trinitatis, sive per modum personæ non habentis illud ab alio, aut per modum personæ constitutæ per relationem Paternitatis : consequens est, ut prædictum *dicere* addat aliquam quasi modificationem, ad hoc ut sit complete productio et expressio verbi.

Confirmatur ratione, quam innuit idem sanctus Doctor quæst. 34 jam dicta art. 1 ad 3 Quoniam, quod intellectio producat verbum, non dicit specialem habitudinem ad rem intellectam, ita ut ex vi hujus conceptus expressi, intellectio quatenus talis productio versetur circa illam, ut ex se constat : ergo talis productio non addit novum actum intellectus, sed solum novam modificationem, aut quasi modificationem actus intelligendi. Sicut, quia in actu scientifico, esse productionem habitus scientiæ, non convenit illi respectu objecti scibilis ut talis, ita ut productio illa sub hoc conceptu præciso et expresso versetur circa ipsum, propterea non addit aliquem alium actum distinctum ab actu scientifico, sed solum aliquem modum seu formalitatem modalem ejusdem actus.

Nec refert si objicias, quod hæc sola modificatio superaddita intellectioni essentiali, per quam addat relationem Paternitatis, non est sufficiens ad constituendam illam in ratione dictionis, seu expressionis, et productionis Verbi divini : ergo necesse est addere alium actum intellectus ex æquo distinctum, saltem virtualiter, ab intellectione, quæ sit dictio ejusdem Verbi. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia *intelligere* essentiale formaliter sumptum solum habet esse perfectissimam perceptionem, ac manifestationem formalem, et per modum actus secundi rei intellectæ : ergo per hoc quod illam intelligamus ut conjunctam Patri et modificatam per relationem Paternitatis, solum concipietur ut præbens illi suum quasi effectum, nempe, quod percipiat, et ei manifestetur, quidquid est perfectibile et manifestabile per illam tanquam per actum divini intellectus, non vero quod per illam dicat, et exprimat Verbum. Sicut quando concipimus eamdem intellectionem ut existentem in Spiritu sancto, solum concipimus illam ut tribuentem ei, per modum actus secundi, quod percipiat omne perceptibile, eique per illam tanquam per actum secundum divini intellectus cuncta manifestentur : et hoc non ob aliud, nisi quia prædicta intellectio solum habet esse perceptionem cujusvis perceptibilis. Nam si sub conceptu intellectionis aliquid aliud haberet, non posset non illud tribuere Spiritui sancto, sicut tribuit ipsi, quód percipiat per illam. Maxime, quia in ratione intellectionis est in illo ut in supposito connaturalissimo : et quævis forma, aut quasi forma sic existens in suo supposito debet illi tribuere, quidquid in se habet, ut inductione facta in aliis formis, seu quasi formis cernitur.

69. Objectio contra assertionem et ejus fundamentum.

Respondetur enim negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, intellectionem essentialem formaliter sumptam duo munera inter alia habere, quæ ad conceptum ipsius sub ratione intellectionis divinæ pertinent. Primum est, quod reipsa est completa perceptio perfectissima per modum actus secundi respectu cujusvis perceptibilis. Secundum vero, quod reipsa formaliter habeat, quidquid requiritur ex parte recti ad hoc ut sit ipsa expressio et

70. Occurritur.

productio Verbi divini, quamvis aliquid ulterius requiratur pro connotato, ad hoc ut complete habeat rationem productionis Verbi, et in actu exercito sit ipsa expressio illius, nempe, quod sit quasi modificata per relationem Paternitatis, seu per hoc, quod habens illam sit prima persona Trinitatis. Et propterea, hoc ipso, quod concipiatur in prima persona Trinitatis, nempe in Patre, ac proinde connotet relationem Paternitatis, habebit quidquid adæquate requiritur ex parte recti et obliqui, ad hoc ut sit ipsa productio et expressio Verbi divini, tribuatque Patri, ut illud exprimat et producat; secus vero si concipiatur prout in Filio, aut in Spiritu sancto : quia ibidem non reperitur prædictum connotatum.

Ex quo etiam fit, ut licet sit in illis, secundum quod alias habet rationem recti respectu dictionis ; non tamen sub conceptu recti, et actu exercentis rationem talis recti : quia ipsamet sub conceptu recti, et ut exercens rationem recti dicit se ipsam connotando prædictum connotatum, ac proinde se ipsam non qualitercumque, sed modificatam per relationem Paternitatis : et per consequens hinc etiam fiet, ut non tribuat duabus illis personis, nempe Filio, et Spiritui sancto, quod sint actu dicentes et exprimentes verbum : quoniam conceptus iste denotat eamdem intellectionem essentialem sub conceptu illo recti jam dicti, et ut actu exercentis rationem recti.

71. Elucidatur solutio. Explicatur hoc. Etenim hoc est discrimen inter naturam creatam, et divinam in *intelligere* essentiali consistentem, quod illa, quippe finita, tantum potest esse in unico supposito, ac proinde habere unicum tantum modum essendi : cæterum natura divina in *intelligere* essentiali consistens propter oppositam rationem petit esse in pluribus suppositis divinis, et per consequens triplicem modum essendi specie, aut quasi specie distinctum. Unde, sicut natura creata quia tantum petit unicum suppositum, ideo, prout est in illo ut in supposito adæquato sibi connaturalissimo, tribuit illi, quidquid in se habet : ita quia natura divina, seu *intelligere* essentiale est in tribus suppositis quasi specie distinctis ut in suppositis sibi connaturalissimis, quorum quodlibet est illi inadæquatum, idcirco, quatenus est in uno modificata per illud, non est in altero ut modificata per ipsum, et quatenus est in uno inadæquate, et sic modificata, illudque connotat, ut quasi specie diversum ab alio, tribuit ei aliquid, quod non tribuit alteri. Et sic quatenus est in Patre, et connotat Paternitatem præstat eidem Patri, quod dicat et producat Verbum : quia ipsa sic sumpta habet esse actualem expressionem ejusdem Verbi. Et deinde, quatenus est in Filio modificata per filiationem, connotandoque illam, tribuit eidem Filio et Verbo, quod sit genitum, et quid dictum per modum Verbi expressi a Patre etc. Sicut etiam, quatenus est in Spiritu sancto connotando ejus personalitatem, præstat ipsi, quod procedat a Patre et Filio ut verus Deus; non quidem ita, ut Spiritus sanctus hoc habeat ex vi processionis, sed identice et materialiter.

72. D. Tho[mas] Quæ omnia, loquendo specialiter de Verbo divino, insinuavit D. Thomas infra quæst. 34 art. 2 ad 4 his verbis : *Dicendum quod eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis, ut dictum est. Est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus. Unde est quidem intelligens, non ut producens verbum, sed ut Verbum procedens, prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino, sed relatione sola distinguitur a principio Verbi.*

Illus[tra]tur a[m]pliu[s]. Potestque hoc amplius elucidari ex eo, quod natura divina consistens in *intelligere* essentiali ex vi sua habet esse fœcundam ad intra respectu duarum tantummodo processionum, quarum una et prior sit per intellectum, alia vero et posterior sit per voluntatem, ut ex dicendis art. 5 patebit. Cumque ipsa se sola non distinguatur realiter a personis procedentibus per has processiones, nempe a Verbo, et Spiritu sancto, oportet, ut ratione suæ fœcunditatis petat aliam personalitatem, quæ non sit ab alia persona, sed sit improducta : ut ita nec processiones sint plures, quam duæ jam dictæ, nec desit eidem naturæ, ut connotat hanc personalitatem, sufficiens distinctio, ratione cujus ab ea tanquam a principio *quo* procedant prædictæ personæ : nec tandem desit ipsi principium *quod*, nempe aliqua persona improducta, quæ ab aliis personis non utcumque, sicut essentia divina, sed realiter distinguatur, et per modum principii *quod* sit fontale principium omnium processionum ad intra. Et ideo ipsa natura divina, seu *intelligere* essentiale divinum ex vi sua habet connotare has tres personalitates, et connotando primam non procedentem ab alia, tribuere huic personæ, quod sit fontale principium communicandi

municandi Deitatem, ac proinde quod dicat et exprimat verbum : ergo ipsum *intelligere* essentiale ex vi sua habet, quod modificatum per prædictam personalitatem, seu (quod in idem quoad præsens redit) connotando illam sit expressio et productio Verbi.

§ III.

Angelici Doctoris sententia quoad primam ejus partem, ac proinde quoad secundam, ratione fundamentali fulcitur.

73. Deinde eadem assertio quoad primam ejus partem (et per consequens quoad secundam, quæ, ut ex dictis § præcedenti constat, aperte sequitur ex priori) probatur ratione desumpta ex Angelico Doctore 1 part. quæst. 34 articulo 1 ad 3 et articulo 3 aliisque locis citatis, necnon ex D. Augustino 15 de Trinitate cap. 13 quam tangit nostrum Collegium Complutense in libris de Anima disputat. 21 num. 59, potestque ex eodem sub hac forma proponi. Quoniam generaliter loquendo omne verbum intellectuale procedit ex notitia rei intellectæ formaliter sumpta : ergo procedit ab *intelligere* ; ac proinde procedet ab illo, non utcumque, sed modificato, aut quasi modificato per modum, aut quasi modum jam dictum. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequi videtur, ut constat ex nuper dictis. Prima vero ex antecedenti etiam liquet. Antecedens autem probatur : tum, quia præcise per hoc, quod producatur verbum, habet res intellecta esse intellectam, idest, terminare actu intellectionem ratione verbi, ut nostrum Collegium Complutense disputat. citata num. 43 et sequentibus docuit, et nos statim ostendemus : ergo verbum procedit ex notitia rei intellectæ : alioquin præcise per hoc, quod produceretur verbum, non haberet res intellecta terminare actu intellectionem ratione ejusdem verbi Tum etiam : quia de ratione verbi mentalis (de quo loquimur) est, quod procedat ab intellectu tanquam terminus suæ operationis : operatio autem adæquata intellectus est notitia rei intellectæ : sicut operatio adæquata visus est notitia rei visibilis. Tum denique : quia cognitio essentialis constitutiva Dei est infinite perfecta, et propterea infinite efficax et fœcunda : et ita si addatur illi modus quidam, scilicet relatio Paternitatis, ratione cujus opponatur cum Verbo, potest, et debet ex prædicta notitia verbum infinitæ perfectionis procedere. Cumque in creatis (debita tamen proportione servata) debeat quoad hoc eodem modo philosophari : consequens erit, ut generaliter loquendo omne verbum intellectuale procedat ex notitia rei intellectæ.

Nec refert, si occurras ex Henrico quodlibeto 6 quæst. 1 quod licet *dicere* Dei includat *intelligere*, sive sit ipsum *intelligere* formaliter sumptum ; non tamen inde sequitur, quod *intelligere* essentiale includatur in divino *dicere*, seu sit in recto ipsum *dicere* Dei. Quoniam in Deo datur duplex *intelligere*, aliud per modum simplicis apprehensionis, et veluti (ut sic dicamus) imperfectum, per quod nullum producitur verbum, aliud vero notionale, et perfectissimum, quod quidem est productio verbi, et ex æquo distinguitur ab illo *intelligere* essentiali. Sicut etiam in creaturis datur intellectio imperfecta, per quam nullum producitur verbum, nempe simplex apprehensio : quia verbum adhuc per modum verbi imperfecti producitur per discursum, quando nondum assequimur perfecte notitiam essentiæ rei : et postea peracto discursu, quando perfecte acquirimus prædictam notitiam, formatur perfectum verbum ejusdem rei. Et propterea Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 15 et 16 dixit, tunc formari verbum (intellige perfectum), quando non sunt volubiles cogitationes. — 74. Occurrit Henricus. — August.

Non igitur hæc evasio est alicujus momenti. Nam in primis falsum est, dari in Deo hoc duplex *intelligere*. Tum, quia oppositum docuit D. Thomas infra quæst. 37 art. 2 ad 1 ubi ait, quod *intelligere* in divinis non sumitur nisi essentialiter : ut per hoc denotaret, non esse aliud *intelligere*, quod ex se habet rationem intellectionis, præterquam *intelligere*, quod est commune tribus personis. — 75. Confutatur primo. — D.Thom.

Tum etiam, quia in Deo non datur duplex justitia, aut misericordia, quarum una sit essentialis, et alia notionalis, et idem est de aliis attributis, licet in Patre non sint ab alio, bene tamen in Filio : sed tantum datur unicum attributum v. g. misericordiæ, quod in Patre non sit ab alio, cum tamen in Filio sit et communicetur ei a Patre : ergo similiter non dabitur duplex intellectus, aut duplex *intelligere*, aliud quidem essentiale, aliud vero notionale ex æquo distinctum, sed idem *intelligere*, quod prout in Patre non sit ab alio, et prout in Filio sit a Patre : ac proinde, si *dicere* Pa-

tris est formaliter *intelligere*, erit ij summet *intelligere* essentiale prout in Patre.

Tum denique : quoniam, si daretur *intelligere* notionale ex æquo distinctum ab essentiali et communi, solum posset distingui sic ab eo per relationem, siquidem notionalia distinguuntur ab essentialibus, et communibus toti Trinitati, quia illa dicunt relationem, secus vero essentialia et communia; at relatio non est sufficiens ad constituendum aliquod *intelligere* divinum ex æquo distinctum ab *intelligere* essentiali et communi, ex eo quod quævis intellectio est actus secundus vitalis, et perceptio objecti dicens ordinem ad suum objectum, ut objectum illius est; relatio vero divina neque est actus vitalis, neque perceptio objecti, sed terminus naturæ divinæ constitutivus personæ, et connotatum quoddam ad ipsam dictionem, nec dicit ordinem ad objectum ut objectum, sed tantum ad suum correlativum, nisi ratione absoluti, et essentialis in ea inclusi, ut communiter docent Theologi cum D.

D.Thom. Thoma 1 part. quæst. 34 art. 3 ad 1 et 4 et nos etiam latius infra dicemus : ergo etc.

76. Amplius impugnatur. Deinde : adhuc dato, quod in Patre esset duplex *intelligere* ex æquo distinctum, nihilominus *intelligere* essentiale non esset cur non haberet rationem expressionis verbi : et ita semper salvaretur, quod *intelligere* essentiale est saltem in recto ipsum *dicere*, et productio verbi. Et ratio est aperta. Nam *intelligere* essentiale constitutivum Dei est perfectissimum omnium in ratione intellectionis, et ideo eminenti ratione continet perfectionem simplicis apprehensionis, compositionis, discursus, assensus, et judicii directi, ac reflexi, necnon perfectionem intellectionis notionalis, si daretur ex æquo distincta a tali *intelligere* essentiali : ergo potiori ratione prædictum *intelligere* in Patre esset productio et expressio verbi, quam aliud *intelligere* notionale in eodem Patre repertum, quod ex æquo ab *intelligere* essentiali distingueretur : siquidem hoc *intelligere* essentiale esset perfectius illo notionali, et juxta doctrinam Henrici *intelligere* perfectum, est, saltem in recto, ipsa productio et expressio verbi.

Tandem : id, quod Henricus addit, nempe in creaturis per *intelligere* imperfectum, seu simplicem apprehensionem non produci verbum, ac proinde in Deo per notitiam correspondentem huic simplici apprehensioni (qualem putat esse *intelligere* essentiale) non formari verbum, est contra

D.Thom. D. Thomam de Potentia, quæst. 8 art. 4 et quæst. 9 art. 5, de spiritualibus creaturis art. 9 ad 6, de Veritate quæst. 4 art. 2, Quodlibeto 1 art. 11, et Joannis 1 lectione, 1, necnon in hoc articulo, ut supra notavimus, et in 1 hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disputat. 2 num. 207 explicavimus : ac tandem in aliis locis relatis a nostro Collegio Complutensi in lib. de Anima disputat. 21. num. 81 et 82. Et præterea est etiam falsum. Quoniam per omnem intellectionem creatam, præterquam per visionem beatificam, debet formari verbum, ut constat ex illis, quæ in tomo nostro 1 nuper citato tractatu, et disputatione jam dictis asseruimus : necnon et ex iis, quæ N. Complutenses loco etiam modo citato, necnon et num. 83 ac deinceps docuerunt. N. Compl.

77. Roboratur impugnatio ratione D. Thomæ. Ex quibus sequens ratio desumpta ex D. Thoma locis relatis potest ad hoc suadendum formari. Quoniam ad omnem intellectionem requiritur, ut objectum terminans illam sit intra intellectum, et unitum cum eo in ratione objecti actu terminantis eamdem intellectionem : ergo in omni intellectione creata, sive naturali, sive supernaturali, quæ non terminatur ad Deum, prout est in se, seu ut clare visum, debet produci verbum, ratione cujus objectum sit actu intellectum, seu sit actu terminans actualem sui intellectionem.

Antecedens patet : tum, quia cum sit proprium intellectus intelligere trahendo ad se suum objectum, et tale objectum habeat respectu illius, tam rationem objecti motivi, quam terminativi, oportet quod secundum utramque rationem trahatur ad intellectum, quoties prædictum objectum non est per se unitum illi, et cum sufficienti actualitate et immaterialitate, ad hoc ut possit utrumque munus exercere. Quare, cum per speciem intelligibilem solum trahatur objectum ad intellectum in ratione objecti motivi, et principii intellectionis, non vero in ratione objecti terminativi, seu (ut melius dicamus) terminantis intellectionem, consequens est, ut in prædicto eventu debeat necessario dari species expressa seu verbum, per quod objectum intellectum trahatur ad virtutem intellectivam, in ratione objecti terminantis intellectionem. Unde, sicut species intelligibilis essentialiter est principium intellectionis, quia per eam res intelligibilis in ratione objecti motivi ad intellectum trahitur, et ideo objectum exterius ratione illius est principium

principium efficiens respectu intellectionis : ita etiam verbum essentialiter erit ipsa intellectio intellecta, seu terminus, vel objectum interius, de cujus conceptu sit esse objectum intellectum, seu objectum actu terminans intellectionem ; eo quod ratione illius objectum exterius, vel non habens sufficientem immaterialitatem et actualitatem sit actu terminans ultimate intellectionem : siquidem per illud trahitur res ad intellectum in ratione objecti actu terminantis intellectionem. Et propterea D.
Thom. Thomas 4 contra Gentes cap. 11 inquit, quod *esse verbi est intelligi* : quæ quidem verba inter alias explicationes, quæ eis possunt adhiberi, hanc non parum consonam habent, nempe, verbum esse talis conditionis, ut ab intrinseco ei competat esse indispensabiliter objectum terminans actu intellectionem.

78. Tum etiam (et est explicatio, majorque confirmatio præcedentis probationis), quia de ratione objecti terminantis intellectionem est, ut habeat actu aliquod *esse*, ratione cujus terminet illam : sicut de ratione objecti motivi intellectus est, ut gaudeat actu aliquo *esse*, ratione cujus exerceat rationem objecti motivi : sed objectum intellectus non terminat intellectionem secundum *esse*, quod habet ad extra : ex eo quod proprium est intellectus intelligere trahendo ad se res : ergo secundum quod est ad intra in intellectu, et unitum cum eo in ratione objecti terminantis intellectionem.

Consequentia vero primi, et principalis enthymematis hujus rationis num. 77 adducta probatur. Quoniam aliæ intellectiones creatæ, præter visionem beatificam, vel terminantur ad objecta creata, quæ non sunt secundum se intra intellectum, vel, si secundum se sunt intra illum, habent tamen *esse* creatum, de cujus ratione non est esse actualiter intellectum, seu petere, quod indispensabiliter sit semper, et in exercitio terminans intellectionem, vel, si terminentur ad objectum increatum, non tamen terminantur ad illud, ut est quidditative, et clare cognoscibile : ac proinde non terminantur ad ipsum, prout secundum suam substantiam est unitum cum intellectu in ratione objecti clare, et quidditative visi, seu secundum quod est unitum secundum suam substantiam cum intellectu in ratione objecti actu terminantis intellectionem, nisi in sola visione beatifica : ergo necessario debet in prædictis intellectionibus produci verbum, ratione cujus objectum sit actu intra intellectum terminans actu intellectionem. Sed circa rationem hanc videantur illa quæ in primo tomo tractatu 2 disputat. 2 dubio penultimo, et ultimo diximus : necnon nostrum Collegium Complutense disputat. nuper citata a num. 84 usque ad 97 ubi plures objectiones contra eam adducit et solvit, necnon a num. 44 usque ad 49 ubi plura huc spectantia expendit. N. Compl.

Ad illud autem, quod in favorem solutionis Henrici adductum est ex Augustino respondetur, sanctum Doctorem solum velle, quod per cogitationes, quibus cogitamus, an debeamus inquirere cognitionem rerum, vel non, nulla ratione formatur verbum rei cognoscendæ : non tamen negat, formari verbum proportionatum illi cogitationi, et repræsentans id, quod per eam cogitatur. Ita explicat Augustinum D. Thomas de Potentia quæst. 9 art. 9 D. Thom. et Johannis 1 lectione 1.

§ IV.

Prædicta Angelici Doctoris sententia ratione alia stabilitur.

Tandem probatur assertio ratione, quam insinuat D. Thomas infra quæst. 41 art. 5 79. Ultimo probatur assertio D. Thom.
quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam in Deo potentia generativa, seu (ut sic loquamur) dictiva Verbi divini est ipsamet divina essentia connotando Paternitatem, ut constabit ex dicendis in eadem quæst. et art. 2 ac 4 hujus quæstionis : et per consequens juxta ea, quæ in 1 tomo tractatu 3 disputat. 4 num. 43 diximus, est ipsummet *intelligere* essentiale connotando eamdem Paternitatem : siquidem divina essentia, juxta ibidem dicta, consistit in prædicto *intelligere* : ergo actualis generatio, et dictio Verbi divini consistet in prædicto *intelligere* connotando ipsam Paternitatem. Patet consequentia. Quia sicut in divinis id ipsum, quod habet rationem intellectus, est etiam formalissime loquendo ipsa actualis intellectio absque virtuali distinctione : et id, quod habet rationem voluntatis in divinis est formalissime loquendo ipsa volitio : ita etiam id, quod in Deo est potentia generativa, erit etiam formalissime absque virtuali distinctione ipsa generatio, et dictio Verbi. Et ratio est eadem in omnibus his. Quoniam facultates, et vires, quæ sunt in Deo, debent esse per modum

actus purissimi : et ita nec potentia generativa debet distingui ab actuali generatione, nec intellectus ab intellectione, nec voluntas a volitione, et sic de aliis. Videantur ea, quæ in 1 tomo tractatu 4 disputat. 2 n. 34 diximus.

80. Evasio adversariorum. Nec refert, si occurras ex adversariis, quod sicut *intelligere* divinum est radix volitionis : et tamen volitio, quæ est actus correspondens huic radici, est actus secundus virtualiter, et ex æquo distinctus *ab intelligere :* ita etiam idem *intelligere* potest habere rationem potentiæ generativæ respectu Verbi : et nihilominus actus generationis correspondens prædictæ potentiæ generativæ poterit esse alius actus secundus ex æquo distinctus virtualiter ab eodem *intelligere*. Et ratio videtur esse eadem utrobique. Quoniam *dicere* est actus secundarius divinæ naturæ, et *intelligere* primarius : sicut volitio est actus secundarius ejusdem divinæ naturæ conveniens ei post primarium, scilicet intellectionem, ut est radix illius. Unde, sicut ad lineam radicis volitionis, ut est radix per modum actus purissimi illius, satis est, quod sit ipse actus secundus intelligendi, et quod prædictus actus sit radix volendi : ita ad rationem potentiæ generativæ per modum actus purissimi satis erit, quod sit ipsa intellectio essentialis connotando Paternitatem, licet distinguatur ex æquo virtualiter, seu distinctione virtuali excludentis, et exclusi ab ipsa actuali generatione.

81. Impugnatur. Non itaque hoc refert. Quoniam radix volitionis, et volitio ipsa pertinent ad distinctas lineas : ex eo quod radix prædicta est intellectus, et intellectio omnino inter se identificata, quæ ex se spectant ad lineam diversam a volitione : et ita non mirum, quod radix volendi, et volitio virtualiter distinguantur per modum actus, et actus ex æquo distinctorum. Cæterum potentia generativa, et generatio Verbi divini pertinent ad eamdem lineam. Cujus ratio est. Tum, quia in universum cuivis potentiæ generativæ debet correspondere sua propria actio generandi tanquam quid pertinens, quantum est in se, ad eamdem lineam, quamvis alias ratione imperfectionis et truncationis (ut sic dicamus) unius lineæ constituant duas lineas partiales : quod tamen in Deo non potest contingere.

Tum etiam : quia sicut intellectus, et intellectio constituunt unicam lineam distinctam ex æquo a voluntate et volitione : ita potentia generativa pertinet ad unicam lineam, non ex æquo distinctam ab intellectu, et *intelligere*, sed tanquam quid importans intellectum, et *intelligere* cum prædicto connotato, ut ex dicendis loco citato constabit : et ideo etiam generatio ipsa, quæ est proprius actus illius, ad hanc eamdem lineam non ex æquo distinctam ab *intelligere* pertinebit. Unde, sicut intellectio divina est ipse intellectus, et vis ad percipiendum, nec non et ipsa perceptio Dei : ita potentia generativa non ex æquo distincta erit ipse intellectus, et intellectio essentialis Dei connotando Paternitatem : et similiter prædictus intellectus, et intellectio cum hoc connotato habebit esse ipsam actualem generationem Verbi divini, et expressionem illius : siquidem, ut constat ex iis, quæ in 2 tomo tract. 4 disput. 2 n. 34 dicebamus, quæ pertinent ad eamdem lineam, nequeunt, quatenus ad illam pertinent, distingui in divinis adhuc virtualiter.

Confirmatur primo. Nam inde colligimus, volitionem in Deo non pertinere ad lineam radicis ejusdem volitionis, nempe, ad lineam intellectionis divinæ, sed distingui virtualiter ab illa, quia habet aliud quasi principium proximum, cum quo omnino identificatur absque distinctione virtuali, ad cujusque lineam spectat, quod quidem quasi principium nihil aliud est, quam ipsa voluntas Dei : ergo, cum generatio, et expressio Verbi divini non habeat aliud quasi principium proximum adhuc ex parte nostri modi concipiendi, cum quo omnino absque distinctione virtuali identificetur, ad cujusque lineam pertineat, præterquam potentiam ipsam generativam, nempe intellectum Dei per modum actus secundi, et purissimi connotando Paternitatem, seu intellectionem ipsam essentialem, quæ absque distinctione virtuali est intellectus, et ipsum *intelligere*, et insuper eamdem Paternitatem connotat, fit inde, ut prædicta generatio Verbi spectet ad lineam potentiæ generativæ, cum eaque absque virtuali distinctione identificetur : et per consequens nihil aliud sit, quam prædictum *intelligere* connotando Paternitatem. Confirmatur primo.

82. Roboratur secundo. Confirmatur secundo ex iis, quæ in 1 tomo tract. 4 disp. 4 a n. 44 usque ad numerum 48 ex D. Thoma diximus. Nam ex eo quod voluntas Dei habet esse vim per modum actus purissimi ad amandum ipsum Deum, et gaudendum de illius bonis, et connotando objecta creata, ut objecta materialia inadæquata, retinet vim ad volendum efficaciter secundario illa sub proprio motivo,

motivo, et ratione formali voluntatis, propterea actualis amor Dei, et gaudium de bonis illius, necnon et volitio efficax creaturarum, connotando illas per modum objecti materialis, et inadæquati, identificantur cum eadem voluntate divina absque distinctione virtuali, et modo ibidem explicato : et ita prædictus amor Dei nihil est aliud, quam voluntas per modum actus purissimi; et volitio efficax creaturarum nihil est aliud, quam ipsa divina voluntas connotans per modum objecti materialis, et inadæquati (adhuc in ratione objecti materialis) easdem creaturas ut efficaciter volitas : ergo, cum intellectus Dei habeat vim ad intelligendum ipsam divinam essentiam, et ad dicendum, seu producendum Verbum divinum sub ratione objectiva propria intellectus, connotando tamen Paternitatem, consequens erit, ut actualis intellectio divinæ essentiæ connotando Paternitatem, et actualis dictio, et productio Verbi non distinguantur virtualiter, sed sint unum, et idem absque tali distinctione.

Ultimo confirmatur. Confirmatur tandem destruendo fundamentum hujus solutionis. Nam generatio et communicatio naturæ divinæ est actus per se primus potentiæ generativæ Dei : volitio autem non est actus per se primus respectu radicis ad volendum, sed actus per se primus illius est intellectio divina constitutiva Dei. Et ita, licet volitio, et radix illius distinguantur virtualiter, et ad distinctas lineas spectent, nihilominus potentia generativa, et generatio ipsa Verbi divini non distinguentur virtualiter, nec ad diversas lineas spectabunt.

83. Unde falsum est id, quod in hac solutione, quam impugnamus, ad illam suadendam adducebatur, nempe, esse eamdem rationem in volitione divina collata cum radice illius, scilicet intellectione, et in generatione Verbi comparata cum potentia generativa ipsius quoad hoc, quod est, generationem, et potentiam generativam distingui inter se virtualiter, non minus quam radicem volitionis, et volitionem ipsam divinam, ex eo quod omnia ista sunt actus secundarii, et secundario Deo convenientes.

[illegible] Ex dictis igitur constat, hoc falsum esse, nec eamdem rationem utrobique urgere. Tum : quia licet generatio Verbi divini non sit actus omnino per se primus respectu Dei, et ejus naturam constituens, est tamen actus per se primus respectu potentiæ generativæ, sicut volitio hoc ipsum habet collata cum divina voluntate : et ideo, sicut hæc duo identificantur inter se absque distinctione virtuali, ita etiam potentia generativa Verbi, et generatio illius. Tum etiam : quia etsi generatio Verbi non habeat rationem prædicti actus per se primi respectu Dei, petit tamen (sicuti jam ostendimus) ut id, quod est alias rectum ejusdem, sit ipse actus per se primarius, scilicet, *intelligere* constituens divinam naturam : ex eo quod divinum *intelligere* constitutivum Dei debet esse id, quod alias habet rationem recti respectu potentiæ generativæ, ut q. 41 art. 5 dicemus, et per consequens respectu ipsius generationis pertinentis ad eamdem lineam : et ita idem *intelligere* connotando Paternitatem erit ipsa productio, et dictio divini Verbi. Cæterum radix volitionis non habet esse alias rectum, quod importatur a volitione ipsa : sed sunt duo actus ex æquo distincti, ut ex dictis constat.

Diximus, *intelligere* essentiale esse alias rectum potentiæ generativæ, et generationis divinæ : non quidem quia rectum potentiæ generativæ sub conceptu recti addat aliquam formalitatem in *esse* entis supra illud, ut est alias rectum ; sed quia, ut num. 70 hujus dubii dicebamus, rectum sub conceptu recti debet concipi ut connotans obliquum. Et ita *intelligere* essentiale cum præcisione conceptum absque prædicta connotatione non habebit adhuc rationem recti sub conceptu recti respectu dictionis sub conceptu dictionis, et generationis Verbi divini.

Ex quo etiam fit (ut per hoc tacita quædam objectio solvatur, et natura dictionis ac generationis Verbi magis pateflat) hoc esse discrimen inter *intelligere* essentiale, ut est rectum dictionis, et productionis Verbi, et inter ipsam dictionem, et expressionem illius, ut est sub conceptu dictionis, et expressionis prædicti Verbi, quod licet utrobique importetur *intelligere* essentiale in recto, et Paternitas in obliquo et per modum connotati ; attamen *intelligere* essentiale, ut est rectum dictionis, affert prædictam Paternitatem per modum connotati quasi extrinseci, licet omnino indispensabiliter, et per se, ac intrinsece quasi inspecti; at vero dictio, seu *dicere* importat ipsum *intelligere* essentiale, et eamdem Paternitatem per modum connotati intrinseci : ita ut non solum intrinsece quasi inspiciatur, sed etiam ipsa Paternitas per modum alicujus intrinseci ipsi dic- Discrimen inter intelligere essentiale et dicere.

tioni formaliter consideratæ, in obliquo tamen importata, in dictione claudatur : non secus, proportione tamen servata, ac Paternitas, sive quævis alia personalitas in divinis, ut est sub conceptu personalitatis in abstracto, connotat naturam divinam : et ut habet rationem personæ in concreto, etiam eamdem connotat, ac in obliquo affert : cæterum secundum priorem illam considerationem dicit eamdem ut connotatum quasi extrinsecum, et non inclusum in illa : cum tamen secundum hanc posteriorem considerationem dicat illam in obliquo per modum connotati intrinseci, et in eadem dictione, ut dictio est, inclusi. Quod adhuc clarius in personalitate, et persona creata cernitur, ut intuenti constabit.

84. Effugium junioris. Ex quibus omnibus constat, nihil referre, si huic nostræ ultimæ rationi cum juniore quodam occurras, quod etsi lineæ dicentes aliquid absolutum dumtaxat sint talis conditionis, ut in eis actus primus et secundus non distinguantur : attamen lineæ coalescentes ex absoluto et relativo, ut in potentia generativa contingit, oppositum habent. Et ita licet *intelligere* Dei connotando Paternitatem sit potentia generativa : nihilominus generatio erit alius actus ex æquo distinctus ab ipso *intelligere*, qui per ipsam relationem Paternitatis constituatur, saltem tanquam per rectum ipsius.

Evertitur primo. Ex dictis igitur constat, hanc evasionem nihil referre. Tum quia tota ratio, propter quam lineæ dicentes solum aliquid absolutum, debent pertingere usque ad actum secundum, et ultimum absque distinctione virtuali, est, ne secundum suas rationes formalissimas sint aliquid potentiale : siquidem ratio formalis, quæ non pertingit ad hoc, ut se ipsa formalissime dicat ultimam actualitatem suæ lineæ, est ratio truncata, et imperfecta, dicensque aliquid potentialitatis, et defectus actualitatis omnimodæ intra suam lineam : constat autem, rationem hanc æque in omnibus lineis procedere : ergo, etc.

Secundo refutatur. Tum etiam, quia lineæ dicentes aliquid absolutum in recto, et aliquid relativum in obliquo, debent ex parte absoluti esse summe actuales, et similiter ex parte relativi, ut in hac solutione, quam impugnamus, innuitur : ergo id, quod in recto in *esse* entis ex parte absoluti importatur ad constituendam potentiam generativam, debet habere summam actualitatem in ordine ad illam in *esse* potentiæ summe actualis quasi constituendam : siquidem totum hoc, quod ex parte absoluti, et in *esse* entis desideratur ad hoc munus, debet esse quid absolutum, et hoc est intra suam lineam summe actuale : et similiter id, quod ex parte relationis petitur in obliquo ad constituendam potentiam generativam, debet esse intra suam lineam summe actuale : ergo, si hæc duo in unum conjungantur, tunc quodlibet eorum intra suam lineam habebit totum id, quod desideratur ad constituendam potentiam generativam summe actualem, seu per modum actus purissimi, ac proinde potentiam generativam, quæ sit ipsa actualis generatio.

Tum denique ; quia principium *quod* creaturarum non est hic Deus, ut dicit præcise quid absolutum, sed dicit naturam divinam subsistentem in tribus personis divinis, licet hoc non petatur ex parte creaturarum, sed ex parte divinæ naturæ, et suppositorum ejus : et tamen omnipotentia Dei, et personalitates divinæ ita integrant hoc principium, ut loquendo de his, quæ ex parte Dei intrinsece requiruntur, actualis productio creaturarum non sit distincta a virtute producendi illas, ut constat ex illis, quæ in 2 tomo tractatu 4 disput. 3 n. 18 et deinceps, et tract. 5 disp. 7 n. 58 et sequentibus diximus : ergo, ex eo quod aliqua linea coalescat ex duplici formalitate, altera in recto, altera in obliquo, quarum una sit absoluta, et altera relativa, non recte colligitur, quod in linea illa virtus producendi debet distingui virtualiter ab ipsa productione. Tertio eluditur.

§ V.

Opposita sententia, tria priora illius fundamenta et eorum solutiones.

Oppositam tamen sententiam tenuit Scotus in 1 dist. 2 q. 7 et dist. 27 q. 1 et 2 pro eadem etiam referuntur O'Kam in 1 dist. 7 q. 2 in fine, Gabriel eadem distinct. et quæst. artic. 1 in fine, et ex recentioribus Molina super hunc articulum disp. 1. Unde distinguunt in Patre duplicem actum intellectus. Primus est *intelligere* essentiale, et commune tribus personis. Secundus vero est *dicere*, conveniens soli Patri, quod quidem licet sit actus intellectus, non tamen est formaliter intellectio, sed eam a suo conceptu excludit, et ex æquo ab illa formaliter, sive virtualiter distinguitur, et per hunc actum Verbum in divinis procedit. Et deinde 85. Contraria sententia. Scotus. O'Kam. Gabriel. Molina.

deinde eodem proportionali modo loquuntur de processione per voluntatem. Nam in Patre et Filio constituunt etiam duplicem actum voluntatis, alium, qui est *velle*, quique est communis toti Trinitati, alium, qui est *spirare*, et hic est solummodo in Patre et Filio, et per eum procedit Spiritus Sanctus.

imum ida- itum. Probatur primo. Nam *intelligere* adhuc in divinis est *esse*, sive existentia Verbi, *dicere* vero est productio ejusdem Verbi : ergo distinguuntur virtualiter, sive formaliter tanquam duæ rationes particulares se invicem a sua ratione formali excludentes. Antecedens quoad primam partem constat ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disp. 2 n. 105 et tomo 2 tract. 4 disp. 1 n. 21 diximus : ex eo quod, sicut ordo intelligibilis ambiens etiam verbum importat easdem naturas, quæ sunt in ordine entitativo et naturali, sub modo tamen essendi intelligibili : ita affert proprium *esse* existentiæ illarum in *esse* intelligibili : cumque existentia in quovis ordine sit ultima actualitas illius ordinis, et *intelligere* sit ultima actualitas ordinis intelligibilis : fit inde, ut sit existentia hujus ordinis : ac proinde habeat etiam rationem existentiæ in ordine intelligibili respectu verbi, ut ad illud spectantis. Consequentia vero probatur. Quia existentia termini producti per aliquam productionem, et ipsa productio debent distingui saltem virtualiter ut duæ rationes particulares, quarum una non includat in suo formali conceptu aliam : et propterea in creatis, ubi distinguuntur realiter ea, quæ sunt virtualiter distincta in divinis, productio existentiæ alicujus rei naturalis, et existentia illius distinguuntur distinctione reali, sive ex natura rei excludentis et exclusi.

da- r. Respondetur concedendo antecedens et negando consequentiam. Et ad probationem distinguendum est antecedens : et si intelligatur de productione alicujus rei, et existentia illius rei in *esse* entitativo, concedi poterit saltem in creaturis : secus vero, si intelligatur de productione alicujus rei, et existentia ejus in *esse* intelligibili. Nam tunc actio productiva, et existentia termini non est necesse, ut distinguantur ex æquo adhuc virtualiter, seu distinctione excludentis et exclusi, sed satis erit, quod differant virtualiter distinctione includentis, et inclusi, ut in præsenti contingit. Nam *intelligere* Dei passive significatum est ipsa existentia Verbi divini, ut disp. sequenti dub. 3 dicemus : et tamen idemmet *intelligere* connotando Paternitatem est *dicere*, et productio ejusdem Verbi ; ac proinde productio Verbi divini, et existentia illius non distinguuntur ex æquo ; sed per modum includentis et inclusi.

Secundo suadetur eadem sententia. Quoniam dictio, seu productio Verbi divini activa se tota distinguitur realiter a productione passiva ejusdem Verbi : ergo non includit in suo conceptu intellectionem, nec e converso intellectio dictionem. Patet consequentia. Quia in divinis intellectio est communis toti Trinitati, et non distinguitur realiter a processionibus, sive activis, sive passivis. Antecedens autem probatur. Quoniam dictio, seu productio activa Verbi divini se tota opponitur realiter relative productioni passivæ ejusdem Verbi : quia mutuo se totis ad invicem respiciunt relationibus realibus productionis activæ et passivæ. 86. Secundum fundamentum.

Nec refert, si occurras, quod sicut Pater, qui est dicens, et Filius, qui est Verbum productum, licet se totis distinguantur realiter ; non tamen se totis et totaliter : et ideo differunt in proprietatibus personalibus, et conveniunt, ac includunt divinam essentiam, seu *intelligere* essentiale : ita etiam productio activa, et passiva distinguuntur realiter se ipsis, non vero taliter : et propterea dictio, quæ est productio activa, poterit includere divinam essentiam, sive *intelligere* essentiale.

Non itaque hoc refert, propter apertam disparitatem, quæ est inter Patrem et Filium ex una parte et productionem activam quæ est in Patre, et passivam, quæ est in Filio, ex alia. Nam cum Pater et Filius sint personæ divinæ, non possunt se totis, et totaliter realiter distingui, sed debent necessario includere naturam divinam consistentem in *intelligere* essentiali : secus vero productio activa, et passiva, quæ solum identice sunt Deus, et dicunt naturam divinam, non tamen hoc habent formaliter, et cum præcisione sumptæ.

Respondetur, legitimam esse solutionem nuper datam. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod etiam productio activa Filii debet in divinis essentialiter includere ipsam divinam essentiam : siquidem, ut ex dictis constat, dictio et generatio ipsius necessario includunt ipsum *intelligere* divinum, et essentiale, per quod constituitur divina natura, licet distinguatur virtualiter ab illo ratione illius quasi modi, nempe Paternitatis, quam virtualiter 87. Respondetur admittendo solutionem datam.

superaddit, et in obliquo importat : hoc autem satis est ad hoc, ut non solum hoc connotatum, sed etiam ipsum *dicere*, et productio activa Verbi ut coalescens ex ipso *intelligere*, et ex hoc obliquo habeat absolute loquendo distingui realiter a productione passiva Filii, licet non distinguatur ratione intellectionis essentialis, quam includit productio activa Verbi, quæque communicatur eidem Verbo. Sicut Pater et Filius distinguuntur absolute loquendo realiter inter se, licet essentia divina solum distinguatur ratione ab utroque, et in ambobus inveniatur.

88. Tertium fundamentum. Tertio. Nam in nobis intellectio et dictio sunt duo actus intellectus formaliter sive virtualiter distincti, ita ut unus in suo conceptu non includat alterum : et per consequens verbum solum procedit per actum intellectus qui est dictio, non vero per actum intellectus, qui sit intellectio : ergo etiam in divinis dabuntur intellectio et dictio eodem modo inter se distinctæ, et processio Verbi non erit formaliter per intellectionem, sed per dictionem.

Probatio consequentiæ. Consequentia videtur perspicua. Quia de increatis debemus philosophari ad instar rerum creatarum, sublatis tamen imperfectionibus : constat autem, nullam involvi imperfectionem, ex eo quod in aliquibus formalitatibus divinis constituatur distinctio virtualis excludentis, et exclusi inter illas. Et propterea justitia sub conceptu justitiæ distinguitur virtualiter in Deo a sua misericordia, et non qualicumque distinctione, sed excludentis et exclusi : siquidem justitia sub conceptu justitiæ non est formalissime misericordia sub conceptu misericordiæ, sed solum identice.

Suadetur antecedens. Antecedens autem probatur. Nam in primis intellectio in nobis non includit dictionem, seu productionem verbi, et ideo D.Thom. D. Thomas 1 p. q. 34 art. 1 ad 3 loquens de intellectione creata, sic inquit : *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur*. Ubi aperte sentit, non includere essentialiter dictionem, quæ est origo quædam verbi mentalis ab ipsa. Et hoc ipsum ratio suadet. Nam, ut constat ex iis, quæ nostrum Collegium Complutense in libris de Anima disp. 21 q. 1 et 5 docet, et ex illis, quæ in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disp. 2 dub. penult. et ult. diximus, intellectio potest reperiri sine verbo producto per illam, ut patet in visione beatifica, per quam, loco citato ostendimus, implicare contradictionem produci verbum. Et deinde, dictionem non includere intellectionem, sed ex æquo distingui ab ea, etiam constat. Siquidem dicere tantum importat proferre verbum : proferre autem verbum neque est, neque includit formaliter intellectionem, sed solum productionem ejusdem verbi. Sicut, quod objectum sensibile producat speciem sensibilem, vel intellectus agens speciem intelligibilem, aut os externum formet verbum, nec est, nec includit formaliter cognitionem, sed solam habitudinem producentis ad rem productam.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem, quod etsi intellectio, prout est contemplatio objecti non includat dictionem, nihilominus dictio includit intellectionem, ut § sequenti magis explicabimus : quia dicere nihil aliud est, quam intelligere proferendo et exprimendo verbum. Nec instantiæ in hac probatione adductæ aliquid in contrarium probant. Quoniam actus proprius objecti sensibilis, intellectus agentis, aut oris externi non est cognitio, sicut actus proprius, et adæquatus intellectus possibilis est intellectio. Unde, sicut nulla actio naturalis potest procedere a luce, quatenus præcise est formaliter lux, nisi illuminatio, vel eademmet modificata per tantam, vel tantam intentionem; quia illuminatio est actus adæquatus prædictæ lucis sic sumptæ : ita, quia intellectio est actus adæquatus intellectus, nihil potest oriri ab eo mediante operatione illius, nisi mediante intellectione secundum se sumpta, vel modificata cum aliquo modo, vel formalitate modali, aut quasi modali propria ipsius. 89. Enodatur tertium.

§ VI.

Quartum argumentum ejusdem sententiæ, cum sua confirmatione proponitur et diluitur.

Quarto probatur eadem sententia. Quoniam dictio in nobis est prior intellectione : ergo non includit intellectionem, nec intellectio dictionem : ergo licet in divinis intellectio sit prior dictione, ut communiter docent Theologi, nihilominus nec dictio includet formaliter intellectionem divinam; nec e converso intellectio divina dictionem. Hæc ultima consequentia videtur legitima. Quoniam de dictione, et intellectione divina debemus (ut nuper dicebamus 90. Quartum fundamentum.

bamus) philosophari sicut de intellectione, et dictione creata : quamvis cum hoc discrimine, quod dictio, et verbum per illam productum non reperiantur in divinis propter indigentiam intellectionis; sed ex pura fœcunditate divinæ naturæ consistentis in *intelligere* essentiali, et ita *intelligere* sit prius, quam *dicere*, semoveanturque ibi omnes imperfectiones; e contra vero in creaturis *dicere* non sit ex pura fœcunditate naturæ intellectualis, sed ex indigentia intellectionis, ut in 1 tomo tractatu 2 disputatione 2 num. 207 et 246 asserebamus : et ideo dictio, et verbum productum sunt priora intellectione, ut ex statim dicendis amplius patebit.

Prima vero consequentia, quoad primam ejus partem ex eodem antecedenti sequitur. Quoniam id, quod est prius, non includit essentialiter illud, quod est posterius : ergo dictio in creaturis, si semel est prior intellectione, non includet essentialiter illam. Quoad secundam vero partem ex hac priori, et ex antecedenti eadem consequentia aperte infertur. Quoniam, hoc ipso quod intellectio præsupponat dictionem, et verbum productum, non est necesse, ut ipsa producat verbum : et consequenter nec quod includat dictionem, quæ est productio verbi. Antecedens autem probatur. Quoniam intellectio præsupponit verbum, eo quod in illo tanquam in objecto contemplatur rem intellectam, ut docet nostrum Collegium Complutense in lib. de Anima disput. 21 num. 42 et objectum intellectionis contemplativæ præsupponitur ad illam : ergo multo magis præsupponet dictionem, quæ præcedit verbum tanquam productio illius.

Confirmatur, et simul impugnatur tacita quædam solutio, quæ præcedenti argumento adhiberi poterat. Nam in præsenti non potest habere locum, quod verbum sit prius intellectione in genere causæ formalis : et tamen intellectio in alio genere causæ, scilicet in genere causæ efficientis sit prior, ut ita eadem intellectio producat verbum, et in verbo a se producto contempletur rem intellectam : ergo, etc. Antecedens probatur. Tum, quia id quod est prius alio in genere causæ efficientis, debet etiam esse prius in genere causæ formalis, quam illud : quoniam unumquodque agit in quantum est in actu : atque adeo in quantum præsupponitur cum omni actualitate, et causa formali requisita ad suum *esse*, et *agere*. Tum etiam : quia hoc ipso quod intellectio esset prior verbo in genere causæ efficientis, posset dari sine illo : nam in illo priori, in quo præcedit verbum, non indigeret ipso : et qua ratione tunc non indigeret illo, posset etiam in quovis alio posteriori non indigere eodem verbo : siquidem intellectio in quovis signo est ejusdem conditionis.

Ad hoc quartum argumentum optime respondent N. Complutenses in libris de Anima disp. 21 a num. 63 usque ad 70. 91. N. Compl.
Quia vero, quæ ibidem dicuntur, valde conducunt ad intelligentiam dictionis, et intellectionis creatæ : et quomodo inter se, et cum verbo conferantur, ex eisque pendet explicatio aliquorum testimoniorum D. Thomæ, quæ pro contraria sententia adducuntur : ac tandem intelligentia eorum, in quibus intellectio, et dictio creata, et increata conveniunt : propterea placuit prædictam solutionem hic adjicere. Sicut etiam propter eamdem rationem ex eisdem Complutensibus solutionem confirmationis hujus argumenti desumemus.

Animadversio pro solutione. Idem Complut.

Respondetur igitur, prænotando, intellectionem creatam producentem verbum, quippe quæ est etiam qualitas quædam, et forma ex se perfecta, ut prædicti Complutenses disp. 21 nuper citata num. 8 et 41 docent, posse considerari tripliciter. Primo quidem, ut est (ut sic dicamus) in via, seu ut habet esse inchoative. Secundo, ut habet esse quietum, seu completive. Tertio, ut præscindit ab utroque statu, seu quasi statu.

Triplex consideratio intellectionis creatæ, et discrimen inter singulos modos.

Inter quæ hoc versatur discrimen, quod intellectio primo modo sumpta dicit eamdem intellectionem ortam ab intellectu informato per speciem intelligibilem, quatenus immediate terminatur ad verbum ut ad effectum productum, et ut ad objectum immediate, et ratione sui per se primo intellectum ; et solum mediate attingit res intellectas in verbo repræsentatas : non quidem ita ut intellectio quantum est ex vi hujus status, et considerationis formalissime, et cum præcisione sumptæ transeat mediante verbo ad res intellectas, quia hoc est proprium alterius status ejusdem intellectionis statim explicandi; sed quia status, et consideratio ista sistit in verbo, quod est veluti medium quoddam ad percipiendum res in illo repræsentatas. Quoniam non terminatur ad illud, ut actu, et in exercitio est ratio, quare objectum in illo repræsentatum percipiatur, seu terminet intellectionem ; sed ut idem verbum est sibi ratio illam terminandi.

Quid dicat intellectio secundo modo? At intellectio secundo modo sumpta dicit ipsam intellectionem, prout in verbo producto contemplatur rem intellectam in ipso repræsentatam, seu prout a verbo, vel ratione verbi prius intellecti transit ad res intellectas, et repræsentatas in illo. N. Compl. Nam, cum intellectio prædicta habeat hæc duo munera, ut prædicti Complutenses in eadem disput. num. 42 et deinceps docent, et secundum priorem considerationem solum exerceat primum munus, quod exercere potest; et secundum posteriorem exerceat ultimum munus, quod ei competit : inde est, ut secundum priorem rationem censeatur esse quasi in via, et inchoative ; at vero secundum posteriorem habeat *esse* completive, et perfectum, seu quietum : quippe non tendens ad aliud munus sibi necessario, et indispensabiliter debitum, ut in priori consideratione accidit; sed sistit in ultimo ex illis, a quibus suam perfectionem accipit.

92. Quid intellectio tertio modo considerata? Cæterum intellectio ultimo modo accepta dicit eamdem intellectionem, prout præscindit ab hoc, quod est terminari ad verbum, ut ad objectum immediate intellectum, et ut est sibi ratio terminandi eamdem intellectionem ; et ab hoc, quod est terminari ad objectum in verbo repræsentatum : quatenus sub hac præcisa, et formali consideratione non dicit in particulari, et determinate aliquod ex his muneribus ; sed solum dicit eamdem intellectionem, prout terminatur ad aliquod ex his objectis : ac proinde prout præscindit secundum nostram considerationem ab his statibus; quamvis in exercitio et reipsa nequeat terminari ad aliquod objectum, nisi ut prædicta intellectio simul est sub aliquo ex prædictis statibus, aut quasi statibus, atque adeo non nisi juxta modum, et considerationem illius status.

De qua intellectione sit hæc triplex consideratio? Diximus intellectionem producentem verbum habere hanc triplicem considerationem : quia hic non loquimur de intellectione creata prout abstrahit ab omni intellectione, sive producente verbum, sive non ; sed de ea, quæ illud producit, et simul percipit idem verbum (modo disput. N. Compl. citata num. 47 et 48 ab eisdem Complutensibus explicato), et in verbo contemplatur rem intellectam. Nam intellectio non producens verbum tantum habet respectu objecti per se primo intellecti munus contemplationis, non vero intellectionis (ut sic loquamur) practicæ, id est, producentis suum objectum immediate intellectum : sed ex illa habitudine, quatenus primo terminata ad suum objectum per se primo intellectum, intelligitur habere omnem suam perfectionem; quamvis inde transeat ad alia, ut ad objecta secundaria : et ita intellectio secundum se, et ut abstrahit ab omni intellectione creata, dicit intellectionem, sive tantum habeat *esse* perfectum, ita ut nequeat habere *esse* viale, aut quasi viale jam explicatum : sive præscindat ab utroque.

Verum licet istæ duæ rationes habeant inter se suum ordinem, et prioritatem a *quo* jam explicatam; non tamen ibidem intercedit aliqua prioritas in *quo* etiam rationis cum fundamento in re : quia intellectio non producit verbum, nisi intelligendo, atque adeo nequit concipi talis productio sine intellectione. Et rursus intellectio producens verbum non potest, dum intelligitur producere illud, non percipere ipsum, quia tunc debet concipi ut terminata ad objectum per se primo intellectum, quod est verbum. Sicut in universum intellectio qualitercumque considerata, debet aliquo modo habere objectum intellectum. 93.

Et tandem, cum idem verbum non sit objectum per se primo intellectum, nisi per modum imaginis, et similitudinis rei intellectæ, ut ex dictis constat : inde est, ut nequeat intelligi, quin simul intelligatur res per illud repræsentata, ex eo quod idem est motus in imaginem, et in id, cujus est imago : quamvis quia in hoc ipso intercedit duplex munus, nimirum, quod talis imago sit sibi ipsi ratio terminandi intellectionem, et simul sit ratio, quare res intellecta terminet illam, propterea illud munus est quodammodo prius prioritate jam dicta, quam istud; et si intellectio consideretur secundum id, quod habet præcise ex vi unius muneris, non habet id ipsum, quod ex vi alterius. Maxime, quia licet munus producendi verbum, et attingendi illud, ut est sibi ratio, quare per se primo terminet perceptionem sui, non distinguantur, nisi tantum ex parte modi significandi et concipiendi : attamen munus contemplandi in verbo producto rem intellectam, atque adeo ratione illius transeundi ad istam, distinguitur virtualiter a duobus prioribus muneribus : quia duo illa priora munera includunt modum, seu formalitatem illam modalem requisitam ad prædictam productionem, ut supra explicavimus.

Hinc

4. præ- atis ..tur itum da- tum.

Hinc ergo ad argumentum respondetur, concedendo antecedens, si intelligatur de dictione collata cum intellectione completive, et in *esse* quieto sumpta; non vero de dictione comparata cum intellectione accepta secundum se, vel prout est in via modo explicato. Nam secundum se accepta prior est dictione : ex eo quod intellectio secundum se, modificata tamen per illum modum, seu formalitatem modalem jam explicatam, et virtualiter saltem ab ea distinctam, habet rationem dictionis, et quod per aliud modificatur, est prius sua modificatione, et conjuncto illo, seu quasi conjuncto ex utroque coalescente. Et deinde intellectio prout in via ad contemplandum in *esse* quieto objectum, quod per se ipsum non potest uniri in ratione rei intellectæ cum intellectu, est formaliter dictio : quia intellectus producit verbum ad hoc, ut in ipso contempletur in *esse* quieto objectum prædictum; ita ut hæc contemplatio subsequatur subsecutione jam explicata ad prædictam productionem. Et ideo, dum intelligitur producere illud, intelligitur etiam esse quasi in via, et tendentia ad contemplandum ipsum.

5. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens primæ consequentiæ quoad primam ejus partem, et concedenda consequentia, si intelligatur de intellectione in *esse* quieto, et completive; neganda vero, si intelligatur de illa secundum se, vel ut est quasi in via, et tendentia jam explicata, secundum quam ultimam rationem est formalissime idem, quod dictio. Et ad probationem tam antecedentis, quam primæ consequentiæ, quatenus possunt pugnare contra solutionem datam, dicendum est verbum posse etiam tripliciter sumi. Primo prout habet rationem termini producti. Secundo prout est forma actualissima, ratione cujus intellectus fit, non quidem habitualiter, sed actualiter res intellecta. Tertio secundum quod non solum habet vim petentem actu, et in exercitio esse id, in quo intellectus contemplatur objectum : sed secundum quod in actu exercito exsequitur hoc munus. Quæ quidem considerationes verbi ita inter se comparantur, ut secunda supponat primam, ex eo quod prius est prioritate a *quo* produci verbum, quam tribuere intellectui, quod sit actualissime res intellecta. Tertia vero subsequitur eodem modo ad secundam : nam ideo intellectio contemplatur objectum in verbo, quia verbum est forma rei intellectæ repræsentans eam actualissime.

lex bi .i- tio.

Intellectio igitur (ut ita ad formam prædictæ probationis respondeamus) in *esse* quieto, et completive præsupponitur ad verbum secundum posteriorem considerationem sumptum : quia sicut prius est, quod visio corporea contemplans rem visam in se ipsa terminetur ad illam, quam quod ipsa actu, et in exercitio sit visa, ita prius est, quod intellectio ut contemplans in *esse* quieto rem intellectam in verbo terminetur actu, et in exercitio ad prædictum verbum, quam quod illud in actu exercito exequatur hoc munus essendi id, in quo intellectus contemplatur rem intellectam.

Ex hac triplici consideratione verbi occurritur probationi consequentiæ.

Et deinde eadem intellectio in *esse* quieto, et completive licet præsupponatur ad verbum secundum ultimam considerationem : nihilominus præsupponit illud secundum duas priores considerationes : ac proinde multo magis præsupponet dictionem, quæ præcedit verbum tanquam productio illius : ex eo quod nequit intellectio contemplari in verbo secundum *esse* quietum rem intellectam, quin præsupponatur verbum productum; imo quin præsupponatur prædictum verbum in ratione constituentis intellectum in hoc, quod est esse actualiter rem intellectam.

Et ratio est. Quia, ut nos tomo 1 tractatu 3 disput 4 num. 7 expendimus, intellectio, licet non secundum alias considerationes, bene tamen secundum hanc, secundum quam consideratur in *esse* quieto, habet se per modum ultimæ actualitatis, et existentiæ ordinis intelligibilis : existentia autem alicujus ordinis præsupponit formam actualem ejusdem ordinis, quale est verbum, ut tribuit intellectui, quod sit in ordine intelligibili res intellecta.

Cæterum intellectio in abstractione jam dicta, vel prout est (ut sic dicamus) in via, est prior verbo secundum omnes has considerationes sumpto : ex eo quod prædicta intellectio in via est ipsa effectio illius ; et intellectio, quæ abstrahit a viali, et ab ea, quæ habet *esse* quietum, non potest non includi in intellectione, prout est dictio, seu in intellectione viali jam explicata, ut ex dictis constat.

Ad confirmationem respondetur ex N. Complutensibus disp. citata, negando antecedens juxta nuper dicta. Quia cum verbum concurrat ad specificandam intellectionem, modo tamen supra explicato, potest in ge- 96. Solvitur confirmatio.

nere causæ formalis extrinsecæ præcedere illam ; licet quia ipsa facit suum objectum interius, et immediatum, scilicet verbum, possit esse prior illo in genere causæ efficientis.

Et ad primam probationem dicendum est, causam efficientem, et causalitatem ejus debere esse priorem in genere causæ efficientis, quam suus effectus in *esse* effectus consideratus, et simul habere aliquo modo prioritatem in genere causæ formalis intrinsecæ respectu illius sic sumpti ; quatenus per hoc significatur, quod debet præcedere ad ipsum sic acceptum, ut constituta per suam rationem formalem intrinsecam. Cæterum prædicta causa, et ejus causalitas non debent esse priores eodem effectu, quatenus talis effectus habet rationem objecti concurrentis ad specificationem ejusdem causæ, aut causalitatis illius : nam tunc prædictus effectus potest esse secundum hanc considerationem prior in genere causæ formalis extrinsecæ, et ad specificationem influentis, quam illud, ad cujus specificationem concurrit, ut contingit in potentiis collatis cum suis actibus, qui ab illa secundum unam considerationem fiunt, et secundum aliam specificant prædictas potentias.

Retorquetur probatio adducta pro prædicta confirmat.

Unde, quod ibidem dicitur, scilicet unumquodque agere, quatenus est in actu, atque adeo ut præsupponitur cum omni sua actualitate, et causa formali requisita ad suum *esse*, et *agere*, potius est pro nobis, si fiat collatio inter agens, et suum effectum, quatenus est objectum modo explicato. Quia ad hoc, ut præsupponatur cum omni requisito ad *esse*, et *agere*, desideratur, ut objectum in *esse* objecti sit prius illo, et prædictum agens, causalitasque ejus sint in genere causæ jam explicato quid posterius, quidque dependens a suo objecto in *esse* objecti considerato.

Et ad secundam probationem negandum est antecedens. Quoniam hæc prioritas intellectionis respectu verbi non est prioritas *in quo*, sed *a quo* ; neque est prioritas absoluta, et libera ab omni posterioritate in aliquo alio genere causæ : et ita intellectio creata producens verbum semper indiget illo ; tum ut objecto, et termino specificante, secundum quam rationem est prius eadem intellectione : tum etiam ut effectu, non quidem quia, secundum quod est effectus, habeat prioritatem respectu intellectionis, sed quia prædicta intellectio, ut est productio verbi, debet esse necessario connexa cum illo. Et ideo optime colligeretur a posteriori, intellectionem non esse productionem verbi, nisi actu daretur verbum productum per illam.

§ VII.

Quintum argumentum ejusdem sententiæ cum suis confirmationibus.

Quinto probatur eadem sententia ratione desumpta ex D. Thoma infra quæst. 37 art. 1 ubi inquit, actus intelligendi, et amandi esse essentiales ; quamvis cum hoc discrimine quantum ad modum loquendi, quod *amare*, et *amor* propter penuriam vocabulorum dicuntur etiam notionaliter, eo quod eisdem nominibus significamus Spiritum Sanctum, et ejus processionem : *intelligere* autem nunquam sumitur notionaliter, quia actus intellectus, qui est notionalis, habet proprium nomen, quo significari solet, et ita appellatur *dictio*, et ejus terminus nuncupatur verbum : si autem processio Filii esset intellectio formaliter, et processio Spiritus Sancti esset volitio, jam *intelligere*, et *velle* non tantum dicerentur essentialiter, sed etiam notionaliter : quod tamen D. Thomas negat. 97 Quintum fundamentum D.Tho

Confirmatur primo ex eodem Angelico Doctore, tum in hoc articulo asserente, *processionem in divinis accipiendam esse secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente*. Ubi data opera non videtur dixisse ab *intelligente*, sed a *dicente*, ut significaret, propriam rationem emanationis, de qua loquebatur, nullo modo consistere in intellectione, sed præcise in dictione. Tum etiam quæst. 41 artic. 1 ad 2 ubi inquit processiones divinas tantum esse relationes, et ita processiones, v. g. Verbi, active sumptam tantum esse Paternitatem. Tum denique in aliis locis in eadem quæst. 41 a nobis referendis, ubi hoc ipsum videtur asserere. Confirm. D.Th

Confirmatur secundo. Quoniam infra q. 34 art. 1 ad 3 sic inquit : *intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam ; dicere vero importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum*, et addit : *nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum*. Ubi non solum constituit distinctas habitudines, in quarum una consistat *intelligere*, et in alia *dicere* : sed etiam excludit priorem a ratione, sive conceptu productionis verbi, quæ est ipsum *dicere* : et e contra, dum inquit, quod *dicere* 98 Confirm. D.Th

cere non est aliud, quam proferre verbum : quasi asserens, non includere habitudinem intelligentis ad rem intellectam; sed solum habitudinem proferentis, sive producendis adverbum productum, et quod *intelligere* solum affert habitudinem intelligentis ad rem intellectam.

otio. Nec refert, si dicas, sanctum Doctorem non asseruisse absolute, ipsam dictionem importare solam illam habitudinem : sed addita particula *principaliter*, ut denotaret, quod etiam dicit habitudinem ad rem intellectam : ac per consequens includit etiam in suo conceptu intellectionem in hac habitudine consistentem.

ntra. Non itaque hoc refert. Quoniam S. Doctor non addidit particulam *principaliter*, ut significaret, quod dictio importet habitudinem ad rem intellectam ut intellectam, ac per consequens sit formalissime intellectio, aut eam in suo conceptu includat; sed ut innueret, quod mediante verbo, et per consequens minus principaliter importat aliam habitudinem, scilicet ad res manifestatas in ipso verbo : quæ tamen habitudo non est intelligentis ad res intellectas ut tales, et per consequens neque intellectio : ex eo quod, licet res manifestatæ sint etiam intellectæ, non respicit eas ut intellectas, sed ut manifestatas, et repræsentatas in ipso verbo.

hom. Et propterea, postquam sanctus Doctor protulit : ***Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum***, statim addit : ***Nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum : sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.*** Ubi consulto addidit hæc ultima verba, ut denotaret, quænam sit ratio formalis terminativa hujus habitudinis ad res intellectas, nempe, eas esse repræsentatas in verbo : ac proinde prædictam habitudinem dictionis solum terminari ad illas ut repræsentatas, non tamen ut intellectas.

i. Ex quo etiam confirmatur tandem hoc
99. ipsum ratione desumpta ex testimoniis nu-
ur- per adductis, et ad hanc formam redactis.
ur. Quia hæ duæ habitudines intelligentis ad rem intellectam, et dicentis ad verbum productum, sunt omnino condistinctæ formaliter, sive virtualiter inter se, ita ut una non includat alteram : ergo etiam *intelligere* et *dicere* distinguentur eodem modo inter se, sicut duæ rationes particulares, quarum una non includat alteram. Consequentia videtur perspicua. Quia, cum *intelligere* et *dicere* consistant in prædictis habitudinibus, oportet, ut eodem modo distinguantur inter se, ac ipsæ habitudines. Antecedens autem probatur. Nam termini, et objecta harum habitudinum distinguuntur inter se, ita ut unum formaliter loquendo non includat alterum : siquidem terminus, et objectum dictionis est ipsum verbum, et res manifestatæ in verbo ut manifestatæ in illo ; terminus vero, et objectum habitudinis intellectionis sunt res intellectæ, non ut manifestatæ in verbo, sed ut intellectæ : ergo etiam ipsæ habitudines eodem modo inter se distinguentur, quippe quæ a suis terminis et objectis desumunt suam unitatem et distinctionem.

Unde etiam fit, nihil referre, si huic Responsio.
confirmationi occurras, quod etsi convincat intentum de intellectione cum præcisione sumpta; non tamen de ipsamet formaliter accepta, modificata tamen per aliquem modum, aut quasi modum. Nam etsi intellectio se sola non sit productio verbi; attamen ipsamet adhuc formalissime sumpta, si modificetur per aliquem modum, aut quasi modum, est dictio et productio verbi : quia dicere nihil aliud est, quam intelligere exprimendo verbum : et ita dictio coalescit ex intellectione in recto, et ex illa formalitate modali, aut quasi modali in obliquo, et hoc tam in creatis quam in divinis. Et propterea *dicere* in Patre nihil aliud est, quam *intelligere* connotando Paternitatem.

Ex ratione igitur facta constat, hanc 100.
solutionem nullius esse roboris. Nam illæ Impugnatur.
habitudines distinguuntur in recto, quarum objecta principalia, et immediate inspecta distinguuntur : sed objecta principalia intellectionis et dictionis sunt distincta : ergo etiam habitudines earum debent esse in recto distinctæ. Major cum consequentia patet. Minor autem etiam liquet : siquidem objectum principale et immediatum intellectionis est res intellecta, et in divinis est essentia Dei, quæ primo intelligitur, quæque est objectum specificativum et adæquatum divinæ intellectionis : objectum vero immediatum et principale dictionis ut talis est verbum dictum, seu productum.

§ VIII.

Enodatio quinti argumenti, et primæ confirmationis illius.

101. Vera solutio ad quintum fundamentum.

Ad quintum respondetur, quod licet intellectio, ut connotat Paternitatem, et per consequens ut significatur nomine dictio-

nis, sit quid notionale : attamen, ut præcise dicit intellectionem divinam non connotando peculiariter Paternitatem, ac proinde significatur per *intellectionem*, sive *intelligere* cum præcisione sumptum, non sumitur notionaliter; sed solum essentialiter. Et propterea D. Thomas dixit, illud sumi solum essentialiter : quia loquebatur de eo secundum hanc posteriorem considerationem.

D.Thom.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem, patet ex dictis, non ideo sanctum Doctorem consulto dixisse, processionem in divinis accipiendam esse secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quia verbum non procedat per intellectionem : siquidem S. Doctor in eodem articulo oppositum expresse asseruit, dum dixit, quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, producit verbum :* quod etiam constat ex testimoniis pro assertione relatis : sed quia verbum non procedit per intellectionem qualitercumque, sed per eamdem modificatam per aliquem modum, aut quasi modum, et *intelligere* sic modificatum vocatur *dicere* ; ita quidem, ut hic modus in creaturis etiam importetur in recto propter limitationem et imperfectionem ejusdem intellectionis creatæ, ut nostri Complutenses disput. citata num. 62 recte notarunt : in divinis autem ubi omnis limitatio et imperfectio rejicienda est, afferatur in obliquo, tum propter infinitatem et summam fœcunditatem divinæ intellectionis, cui satis est, ut afferat hunc quasi modum in obliquo, ad hoc ut sit productio verbi : tum etiam ob summam simplicitatem, et unitatem per se, quam in suis rationibus formalibus Deus exigit : quæ tamen simplicitas et unitas non essent in illo, si potentia generativa, aut generatio coalesceret ex intellectione, et Paternitate virtualiter distinctis, et ex æquo in recto importatis; bene tamen si una in recto, et alia in obliquo afferatur.

S. Doctor.

Ad secundum vero testimonium in hac confirmatione adductum patebit ex dicendis dubio sequenti in solutione ultimi : sicut etiam ad tertium testimonium ejusdem confirmationis constabit ex illis, quæ infra in quæst. 41 adducemus.

§ IX.

Solutio secundæ confirmationis ejusdem quinti argumenti.

102. Ad secundam confirmationem. N. Compl.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod propter rationem supra a nobis traditam cum nostris Complutensibus disput. citata num. 72, potius D. Thomas in verbis ibidem relatis explicavit optime naturam intellectionis et dictionis ; et non qualitercumque, sed juxta nostram sententiam ex eodem S. Doctore deductam. Hoc autem nulla alia ratione melius capietur, quam si omnia verba D. Thomæ ad rem hanc conducentia hic ponantur, et fusius (quia hoc res hæc postulat) explicentur.

Angel. Doctor.

Etenim Angelicus Doctor ibidem sic inquit : *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum : nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum ; sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.* In his ergo verbis optime (ut diximus) explicavit D. Thomas, quidnam sit *intelligere*, et *dicere*. Nam in prioribus verbis loquitur de *intelligere* in *esse* quieto, ut præsupponit verbum productum, et in illo contemplatur objectum : et ita nec respicit verbum, nec rem intellectam tanquam effectum productum per illam sic sumptam ; sed tanquam objecta intellecta habentia inter se subordinationem jam explicatam : et propterea optime dixit S. Doctor, quod in *intelligere* sic sumpto nulla importatur ratio originis, id est, quod ab eo sic formaliter accepto nihil procedit per realem processionem (quamvis, si identice accipiatur, possit ab illo aliquid per realem processionem procedere) : ac proinde non importat ordinem ad terminum productum ut talem, sed ad subjectum, quia respectu hujus solummodo habet in creaturis realem causalitatem, scilicet formæ ad subjectum : propter quam rationem divus Thomas addidit verba illa, *sed solum informatio quædam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.*

Mens Ange. Doctoris in verbis prioribus explicatur.

D.Thom.

103. Quamvis circa hæc ultima verba, nempe, *prout intellectus noster fit in actu per formam rei*

rei intellectæ, animadvertendum sit, non ideo sanctum Doctorem dixisse, quod intellectio sit informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ, ut per hoc significaret, quod forma rei intellectæ sit id, per quod formalissime constituitur intellectus in ratione intelligentis, ita ut hoc sit effectus formalis primarius formæ rei intellectæ; sed ut denotaret, quænam sit illa forma, a qua intellectio in *esse* quieto, et ut habet rationem contemplationis, seu ut comparatur per modum existentiæ in ordine intelligibili cum intellectu, et aliis pertinentibus ad prædictum ordinem, habeat quodammodo oriri ut a causa formali, et per modum effectus, aut quasi effectus formalis secundarii. Nam sicut existentia ordinis naturalis oritur in genere causæ formalis a forma naturali : ita et existentia ordinis intelligibilis debet etiam (ut in 1 tomo tractatu 4 disput. 1 num. 22 diximus) oriri in genere causæ, aut quasi causæ formalis, et per modum effectus secundarii ab aliqua forma, nempe a verbo, quia hoc est forma rei intellectæ actualissima, a qua determinatur intellectus in genere causæ formalis, ad hoc ut subsequatur intellectio, non prout est in statu, aut quasi statu viali, secundum quam rationem præcedit verbum, et est productio illius ; sed prout est in *esse* quieto, seu prout habet rationem contemplationis, secundum quam considerationem importatur per modum existentiæ totius ordinis intelligibilis, ex eo quod est ultima actualitas illius.

Unde sicut optime diceretur, existentiam hominis in *esse* naturali dicere specialem quamdam informationem, quæ informat prædictum hominem, prout est in actu per formam propriam ipsius, nempe per animam rationalem ; quia ab eadem anima determinatur homo in genere causæ formalis, ad hoc ut habeat prædictam existentiam, et ad hoc ut existentia illa sit hujus speciei, et non alterius, ut N. Complutenses in libris Physicorum disput. 3 num. 76 docent : ita optime dixit S. Doctor, intellectionem, prout est in *esse* quieto, seu ut habet rationem existentiæ, esse informationem quamdam peculiarem in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ : quia a verbo, quod est forma rei intellectæ, et producitur per eamdem intellectionem *in fieri*, determinatur in genere causæ, aut quasi causæ formalis ipse intellectus, ad hoc ut subsequatur intellectio in *esse* quieto, et ut est contemplatio in eodem verbo rei intellectæ : quia in intellectionibus indigentibus verbo non potest dari prædicta contemplatio rei intellectæ, nisi in illo : ac proinde per ipsum determinatur intellectus, ad hoc ut subsequatur eadem intellectio, prout est existentia ordinis intelligibilis.

Nec huic explicationi dissonat, quod etiam intellectio oriatur quodammodo in genere causæ formalis ab specie intelligibili. Quia non oritur sic ab illa, nisi (ut sic dicamus) initiative, et ut determinata per verbum, quod est forma actualissima, a quaque proinde peculiari ratione debet oriri in prædicto genere causæ, aut quasi causæ formalis eadem intellectio, prout est ultima actualitas, seu existentia ordinis intelligibilis. Videatur alia satis probabilis explicatio horum verborum D. Thomæ, quam tradunt N. Complutenses in libris de Anima disputat. 21 num. 33 quaque nos etiam in 1 tomo tractatu 2 disput. 2 num. 212 usi sumus. N. Compl.

104. Aperitur mens D.Thom. in verbis posterioribus. Cæterum cum in verbis sequentibus Angelicus Præceptor addit, quod *dicere importat principaliter habitudinem ad verbum : nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum :* explicat ipsum *dicere*, non quidem adæquate, sed inadæquate secundum quod affert modum illum causalitatis *ut quo*, num. 67 explicatum, et simul ipsum *intelligere*, quod modificat, non quidem utcumque, sed præcise secundum quod ex eo, et ex prædicto modo virtualiter saltem ab eo distincto resultat integra causalitas, et productio verbi, prout præcise exprimit rationem causalitatis, et productionis, ac proinde habitudinem producentis ad verbum productum.

Nam ipsum *dicere* adæquate sumptum importat rationem intellectionis : quia includit quod sit immediata perceptio verbi, et mediata objecti in illo repræsentati : atque adeo non exprimit solam habitudinem producentis ut talis.

Unde propter hanc rationem addidit, quod *mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti :* ut ita explicaret idem *dicere* creatum (de quo solum in his ultimis verbis et in aliis immediate præcedentibus loquebatur) quoad hanc habitudinem inadæquatam, sive expressum munus, quod habet ratione ipsius *intelligere*, quod includit, quodque per prædictam formalitatem modalem modificatur. Ac tan

dem in his, et in præcedentibus verbis ab eodem S. Doctore ad naturam dictionis explicandam adductis satis denotatur, quod *dicere* nihil est aliud, quam *intelligere*, prout est in statu viali, et tendentia ad contemplandum in verbo, et in *esse* quieto rem intellectam. Quoniam, ut ex dictis constat, *intelligere* producens verbum non aliter est in statu viali, et dicit habitudinem tendentiæ prædictæ, nisi producendo, et dicendo verbum, ad hoc ut in eo contempletur quiete rem intellectam ; ac proinde nisi intelligendo etiam verbum, ut est quid primo, et in executione intellectum, et ut ex illis duobus muneribus, quæ simul in quovis signo *in quo* etiam rationis habet, scilicet, esse sibi rationem terminandi intellectionem, et esse id, ratione cujus objectum in eo repræsentatum terminat illam, habet exercere illud prius, quod aliquo modo præcedit hoc posterius.

105. Aliter explicatur testimonium præcedens D.Thom.

Adde pro majori omnium horum explicatione, quod verba illa D. Thomæ in hoc eodem testimonio ad explicandam naturam intellectionis, prout aliquo modo distinctæ a dictione, adducta possunt etiam intelligi de intellectione secundum se, et sua essentialia, prout præscindit ab statu viali, et quieto, secundum quam rationem nulla in eo ratio originis importatur; sed solum informatio quædam præscindendo ab hoc, quod per illam in diversis statibus sumptam producatur, vel supponatur productum verbum mentale.

Animadversio pro ejus intelligentia.

Advertendum tamen, quod cum D. Thomas dixit, quod *dicere mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam*, etc. loquitur peculiariter de *dicere* creato. Nam sicut, dum in verbis antecedentibus ait, quod *intelligere* importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, locutus est de *intelligere* creato, et propterea addidit, quod prædictum *intelligere* solum dicit informationem quamdam in intellectu nostro, et deinde hoc, servata proportione, applicuit ad divina : ita, dum statim asseruit, quod *dicere* mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, locutus est de *dicere* creato, quamvis postea hoc ad *dicere* divinum servatis servandis applicuerit.

Ratio prædictæ animadversionis.

Ratio autem, propter quam prædicta verba sunt peculiariter adaptanda dictioni creatæ, est. Quoniam intellectus creatus dum dicit, et exprimit verbum, dicit illud ex indigentia : quia non aliter potest intelligere, nisi mediante verbo, et ideo mediante illo, et non aliter, dicit habitudinem ad rem intellectam : at intellectus divinus Patris dicit ex fœcunditate, non vero ex indigentia verbi ad intelligendum mediante illo. Et propterea ipsum *dicere* secundum id, quod includit de intellectione divina, dicit se ipso, et absque indigentia verbi producti habitudinem, aut quasi habitudinem ad res intellectas : quia respectu illius essentia divina, non vero ipsum verbum, habet esse objectum omnino per se primo intellectum : quamvis quoad aliquid horum sit sua quasi similitudo inter utrumque *dicere;* quatenus, licet *dicere* Patris divini, prout includit *intelligere*, dicat se ipso, et modo dicto habitudinem ad res intellectas : attamen mediante quodammodo verbo dicit etiam habitudinem, aut quasi habitudinem ad illas, quatenus prædictum *dicere* communicat verbo ipsum *intelligere* divinum, in quo prædicta quasi habitudo importatur. Unde, quando divus Thomas applicuit dictioni divinæ id, quod de dictione creata docuit, debet intelligi juxta modo dicta.

10[6]. Adm[ittitur] solut[io] int[er] argu[en]du[m] da[ta] ad [hanc] con[fir]mat[io]nem [...] vit [...] imp[u]gnat[io].

Unde solutio inter arguendum adhibita huic confirmationi, et intellecta juxta nunc dicta, admitti potest. Nec obest impugnatio contra eam adducta. Quia sicut in verbo, prout habet peculiari, et propria repræsentatione, et manifestatione sibi conveniente repræsentare, et manifestare res in eo repræsentatas, includitur intime, quod repræsentet eas per modum objecti per se primo intellecti, et quod simul sit ratio quare res in eo manifestatæ terminent intellectionem, ut N. Complutenses in libris de Anima disput. 21 num. 43 et deinceps, et nos in 1 tomo hujus Cursus Theologici tractatu 2 disput. 2 num. 229 diximus ; ita in hoc, quod res repræsentatæ, et manifestatæ in verbo repræsententur in illo, intrinsece clauditur, quod sint mediante illo intellectæ. Quemadmodum, quia peculiaris modus repræsentationis speciei intelligibilis intime imbibit, ut repræsentet per modum principii intellectionis, et objecti motivi *quo* ipsius intellectus : ideo ibidem etiam includitur, quod objectum per illam reddatur intelligibile, et constituatur in *esse* objecti motivi *quod* ejusdem intellectus. Unde, sicut actio productiva speciei includit hunc ultimum respectum ; ita actio productiva verbi debet necessario includere intellectionem, ut ita per illam possit habere verbum hoc, quod est, repræsentare per modum objecti actu intellecti, et quod res in illo manifestatæ per eam intelligantur.

N. Con[...]

§ X.

§ X.

Responsio ad ultimam confirmationem ejusdem quinti argumenti.

Ex quibus omnibus ad ultimam confirmationem respondetur, quod illæ habitudines distinguuntur in recto formaliter, et ex æquo, quarum objecta principalia immediate inspecta, et formalia eodem modo distinguuntur : quod quidem in præsenti non contingit : siquidem (ut ex D. Thoma asseruimus) dictio in creatis habet mediante verbo, de cujus ratione est esse per se primo dictum, et objectum per se primo intellectum, importare habitudinem ad rem intellectam : et per consequens in objecto illius includitur objectum habitudinis, quam dicit intellectio. Et similiter hoc ipsum reperitur in divinis : quamvis aliter, et aliter propter discrimen jam insinuatum inter intellectionem creatam producentem verbum, et intellectionem divinam illud exprimentem. Nam cum prædicta intellectio creata producat illud ex indigentia, fit inde, ut nequeat terminari ad res intellectas nisi mediante ipso verbo, ut num. 105 dicebamus : at cum intellectio divina exprimat illud ex fœcunditate, ideo non indiget eo, ad hoc ut terminetur ad res intellectas; licet hoc ipso, quod ex fœcunditate ipsum exprimat, terminetur ad res intellectas mediante verbo, quatenus illi communicat se ipsam, ut disputatione sequenti latius dicemus, et sic communicata terminatur etiam ad res intellectas.

Potestque hæc solutio magis elucidari, ex eo quod (ut N. Complutenses in sua Logica disp. 16 num. 12 dicunt, et nos in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 85 tetigimus) actio potius specificatur a suo principio, quam a suo termino sive objecto terminativo : dictio autem in divinis, si conferatur cum suo principio, aut quasi principio, nempe cum potentia generativa, seu dictiva, a qua solum ex parte nostri modi concipiendi distinguitur, includit idem qaasi principium *quod* intellectionis, nempe intellectum, ut habet vim ad intelligendum : quia in eo vis ad intelligendum, et dicendum non est multiplex adhuc virtualiter, ita ut duplex intellectus virtualiter diversus sit in Deo assignandus. Nam cum ejus actus adæquatus sit intellectio, prout abstrahit a quavis intellectione, sive producente, sive non producente verbum, inde est, ut idemmet prorsus intellectus sit intellectivus, et dictivus mediante intellectione habente vim, et fœcunditatem ad producendum verbum. Et propterea dictio etiam includit intellectionem.

Ex quo etiam fit, quod eadem dictio, et intellectio in divinis adhuc ex parte objecti formalis terminativi non distinguantur ex æquo : siquidem objectum formale divinæ intellectionis est ipsamet essentia Dei, seu ipsamet intellectio : quia hæc est constitutiva Dei, ut in 1 tomo tractatu 3 disp. 3 dub. 2 late diximus : objectum vero formale prædictæ intellectionis, ut est dictio, est etiam ipsamet essentia, et intellectio divina ut communicata Verbo, et connotans relationem Filiationis : ac proinde objectum formale intellectionis includitur in objecto formali dictionis; quamvis aliquid peculiariter addat pro connotato, ut est objectum dictionis, quod non addit, neque connotat sub conceptu, et munere præciso intellectionis. Cæterum prædictum connotatum est talis conditionis, ut non tollat, quominus eadem intellectio adhuc inclusa in dictione, et objecto ejus sit una et eadem : ex eo quod ipsamet connotat divinas relationes personales, ut connotata inadæquata ipsi; et cum concipitur sub conceptu dictionis, tantum concipitur sub conceptu sui, ut peculiariter connotat unum ex suis connotatis inadæquatis, nempe Paternitatem ; et ita hoc connotatum non refundit multiplicationem formalem in eam. Per quod manet soluta tacita quædam objectio, quæ contra solutionem hanc poterat fieri.

DUBIUM IV.

Utrum actus intelligendi, et volendi, secundum quos reperiuntur processiones in divinis, sint tantum emanationes ad ordinem intelligibilem pertinentes? an vero sint vere, et proprie actiones, sive operationes ad hunc ordinem spectantes?

Dubium hoc, sicut et præcedens, majo- 110.
ris claritatis, et brevitatis gratia peculiariter circa processionem per intellectum discutiemus : et quidquid de ea dictum fuerit, debet etiam cum proportione de processione per voluntatom intelligi. Merito autem post præcedens dubium statim hoc subsequitur : quoniam semel ostensa efficacitate, quam habet divina intellectio, et volitio circa productionem Verbi, et Spiritus Sancti, statim pulsat animum inquirere, an hæc efficacia sit per modum puræ

emanationis? an vero habeat veram, et propriam rationem actionis, sive operationis ad ordinem intelligibilem spectantis?

§ I.

Sententia Angelici Doctoris.

111. Assertio, et fundamentum D.Thom.

Dicendum ergo est, processiones in divinis esse vere, et proprie actiones, sive operationes ad ordinem intelligibilem spectantes. Ita divus Thomas in hoc articulo, ubi concludit, Verbi divini processionem esse secundum emanationem intelligibilem, sumpto nomine *emanationis* pro actione, ut ipse se explicat in articulo sequenti his verbis : *Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis : procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ*. Idem etiam docuit S. Doctor artic. 3 ubi sic inquit : *Respondeo dicendum, quod in divinis sunt duæ processiones, scilicet, processio Verbi, et quædam alia. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod in divinis non est processio, nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus, et actio voluntatis. Processio autem Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem*. Et artic. 5 hoc idem asserit eisdem fere verbis : *Dicendum, quod processiones in divinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent*. Et quæst. 10 de Potentia artic. 2 in corpore inquit, processionem adæquate dividi in illam, quæ est secundum motum localem, et secundum actionem transeuntem, vel secundum actionem immanentem.

112. Occurrunt adversarii ad testimonia D.Thom.

Nec refert, si dicas, quod D. Thomas aliquando processiones divinas nuncupat emanationes intelligibiles, ut in hoc articulo; aliquando vero actiones, ut in aliis testimoniis pro assertione relatis : ergo non est cur magis dicatur, sumere emanationem intelligibilem, prout est actio hujus ordinis, quam sumere actionem, prout coïncidit cum emanatione intelligibili, et non habet veram, et propriam rationem actionis, sed tantum emanationis.

Præcluditur illorum responsioni primo.

Non itaque hoc refert. Tum : quia, ut ex dicendis n. 126 constabit, emanatio intelligibilis, prout versatur circa terminum realiter distinctum, et excludit rationem actionis, dicit imperfectionem. Et ita D. Thomas nomine emanationis intelligibilis non intellexit emanationem, quæ a suo conceptu excludit rationem actionis ad ordinem intelligibilem spectantis.

Tum etiam : quia S. Doctor artic. 1 hujus quæst. inquit, quod, cum Deus sit super omnia, non sunt intelligenda ea, quæ in eo inveniuntur, secundum modum infimarum creaturarum; sed secundum modum, seu similitudinem supremarum : ac proinde sentit, quod processiones in divinis non sunt accipiendæ secundum processiones, quæ in ratione processionum sunt imperfectiores in creaturis; sed secundum processiones, quæ in ratione talium sunt perfectiores in eisdem creaturis. Constat autem, quod emanatio intelligibilis, aut quævis alia emanatio reperta in creaturis, et excludens a suo conceptu veram, et propriam rationem actionis, non est processio perfectior in ratione processionis ex iis, quæ in creaturis inveniuntur, sed esse longe perfectiorem illam, quæ coïncidit cum emanatione intelligibili habente veram, et propriam rationem actionis, sive operationis intelligibilis. Et ita, cum divus Thomas intulit in hoc articulo, processionem in divinis esse secundum emanationem intelligibilem, ex eo quod debet esse secundum processiones perfectiores in ratione processionum, quæ reperiuntur in creaturis, non sumpsit nomen *emanationis intelligibilis*, prout significat emanationem intelligibilem distinctam ab actione intelligibili vere, et proprie tali, sed prout significat eamdem emanationem intelligibilem, quatenus est actio vere, et proprie talis ad hunc ordinem spectans.

Tum denique : quia, ut constat ex contextu articuli 2, 3 et 5 hujus quæstionis, Angelicus Doctor inquit, processiones in divinis esse actiones immanentes intellectus et voluntatis; ex eo quod in creaturis intellectualibus tantum dantur istæ processiones, et propterea convenientiam inter processiones creatas naturæ intellectualis, et processiones divinas esse secundum aliquam convenientiam formalem, licet analogam, inter utrasque : hæc autem convenientia nequit esse in ratione emanationis intelligibilis, prout excludit veram rationem actionis : quia talis emanatio non reperitur in similibus processionibus intellectus, et voluntatis creatæ, nempe verbi, et amoris, de quibus S. Doctor loquitur, ut optime ostendunt N. Complutenses in libris de Anima disput. 21 num. 10 et sequentibus : ac proinde solum potest esse prædicta convenientia in ratione emanationis

nis intelligibilis, prout est idem, quod actio ad hunc ordinem spectans : et per consequens emanatio intelligibilis, de qua in prædictis locis D. Thomas loquitur, tantum est emanatio coïncidens cum vera, et propria actione intelligibili.

Ex quo fit, non obesse, si dicas, S. Doctorem non sumpsisse nomen actionis pro actione immanenti vere, et proprie tali, sed quæ tantum improprie sit actio.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Quoniam actio sic sumpta coïncidit cum emanatione intelligibili excludente a suo conceptu veram, et propriam rationem actionis immanentis, ut intuenti constabit.

Accedit, quod S. Doctor absolute dixit, processiones in divinis esse actiones immanentes : ac proinde sentit, habere proprie rationem talium. Sicut, si de aliquo dicatur absolute esse hominem, eo ipso significatur, habere vere, et proprie rationem hominis, non vero improprie, et metaphorice. Maxime, quando inde nullum sequitur absurdum, ut in præsenti non sequi, ex iis, quæ in hoc eodem dubio dicemus, satis constabit. Unde S. Doctorem sequuntur Cajetanus in præsenti art. 5 et communiter ejus discipuli. Et propterea ab eisdem in particulari referendis abstinemus.

§ II.

Divi Thomæ sententia ratione priori, et fundamentali corroboratur.

Prima autem, et fundamentalis ratio pro assertione innuitur a D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Nam processiones in divinis debent esse ex eis, quæ in creaturis nobilioribus, nempe in intellectualibus quatenus talibus reperiuntur, ita ut, quidquid in his processionibus reperitur denudabile ab imperfectionibus : debeat convenire processionibus divinis denudatum ab imperfectionibus : sed processiones repertæ in creaturis nobilioribus, scilicet intellectualibus quatenus talibus, sunt vere, et proprie actiones immanentes pertinentes ad ordinem intelligibilem, et hæc ratio in eis est denudabilis ab imperfectionibus : ergo etiam processiones divinæ habebunt veram rationem actionis immanentis, et intelligibilis, seclusis tamen imperfectionibus.

Major videtur certa ex iis, quæ D. Thomas in corpore hujus articuli docet, quæque § præcedenti retulimus, nimirum, quod cum Deus sit perfectissimum ens, et super omnia alia entia, debent intelligi ea, quæ sunt in illo, ad modum eorum, quæ in creaturis perfectioribus, nempe intellectualibus quatenus talibus reperiuntur : quia istæ, et ea, quæ in eis sunt, hoc ipso quod sunt perfectiora, magis accedunt, magisque similia sunt supremo, et perfectissimo enti : ac proinde processiones in divinis debent esse ad modum earum, sive (quod in idem quoad præsens redit) ex eis, quæ in creaturis intellectualibus quatenus talibus inveniuntur, secludendo tamen earum imperfectiones.

Minor autem quoad primam partem, scilicet, prædictas processiones repertas in creaturis intellectualibus quatenus talibus habere veram, et propriam rationem actionis immanentis, et intelligibilis, constat ex iis, quæ nostri Complutenses in lib. de Anima disput. 21 quæst. 1 docent; necnon ex illis, quæ in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disp. 2 num. 207 diximus. Quoad secundam vero partem, nempe, rationem hanc actionis immanentis, et intelligibilis esse denudabilem ab imperfectionibus, probatur. Quia, sicut ratio substantiæ potest denudari ab imperfectionibus, quia tantum exprimit esse per se : et similiter ratio relationis est eodem modo separabilis ab eisdem imperfectionibus, quia solummodo exprimit ordinem ad terminum, in quibus nulla explicatur imperfectio : ita etiam ratio actionis immanentis poterit denudari ab imperfectionibus, quia tantum exprimit, quod vere, et proprie per eam aliquid producatur, et quod in producente maneat : hoc autem nullam explicat imperfectionem, sed potius maximam perfectionem : siquidem vis ad producendum dicit maximam perfectionem, et actualitatem : et per consequens ipsa actualis productio ei correspondens debet esse maxime actualis, et eo ipso ponere non parum perfectionis in producente, quoties in eo manet.

117. N. Compl.

Quæ ratio est adeo efficax, ut ea paululum expensa facile adversariorum evasiones corruant. Nam in primis id, quod ait Molina, nempe, rationem actionis immanentis non posse denudari ab imperfectionibus motus versantis inter duos terminos *a quo*, et *ad quem*, seu ab imperfectionibus motus 3 Physicorum ab Aristotele diffiniti, necnon ab imperfectionibus causandi terminum habentem saltem distinctam numero essen- 118. Occurrit Molina. Aristot.

tiam a producente, corruit facile ex dictis. Quoniam prædictæ imperfectiones solum concomitantur indispensabiliter actiones creatas, vel aliquas ex illis, non tamen omnes, et quamvis actionem vere, et proprie sumptam.

Impugnatur, et simul eluciḍantur nuper dicta. Hoc autem declaratur elucidando paulisper ea, quæ diximus. Nam licet relatio creata v. g. indispensabiliter importet, quod sit ad aliud habens essentiam saltem realiter numerice distinctam, et quod sit quasi via, et tendentia quædam inter utrumque correlativum distincta secluso intellectu ab utroque, ut nostrum Collegium Complutense in sua Logica disputatione 14 num. 51 docet : nihilominus, quia ratio analoga relationis realis non exprimit has imperfectiones, sed tantum ordinem relativi ad suum terminum, in quo nulla imperfectio explicatur, idcirco ratio relationis vere, et proprie sumptæ potest denudari ab imperfectionibus, et inveniri in Deo. Sed similiter, licet demus, actionem immanentem creatam dicere prædictas imperfectiones, nihilominus ratio analoga actionis immanentis vere, et proprie talis non exprimit illas, sed solum, quod sit vera, et realis productio sui termini, et quod talis productio maneat in producente, abstrahendo ab hoc, quod sit in illo per realem receptionem, et inhæsionem, quod involvit imperfectionem, vel per identificationem, sicut *intelligere* divinum in Deo manet, quod quidem nihil explicat imperfectionis. Ergo talis ratio erit denudabilis ab imperfectionibus, licet in creaturis eas involvat.

N. Compl.

119. Refutatur ulterius ex Arist. et D.Thom. Deinde hæc eadem evasio facile etiam præcluditur sequenti ratione desumpta ex Aristotele 3 de Anima text. 29 et D. Thomas ibidem, necnon in hac 1 parte quæst. 18 artic. 1. Quoniam intellectio creata non est (saltem per se loquendo) admixta imperfectionibus motus versantis inter duos terminos, *a quo*, et *ad quem*, seu (quod in idem quoad præsens redit) non est admixta motui proprie dicto, qui diffinitur in 3 Physicorum per hoc, quod, sit *actus entis in potentia*, etc. Et deinde eadem intellectio, quoties producit terminum, communicat illi eamdem numero naturam, quam habet objectum per se primo intellectum, sub diverso tamen modo essendi, nempe, sub modo essendi intelligibili. Ergo intellectio divina, nempe, intellectio Patris, denudabitur ab imperfectionibus motus, non obstante, quod sit vera actio : et similiter communicabit eamdem naturam divinam Verbo, quamvis habeat veram rationem actionis immanentis intelligibilis : et per consequens ratio hæc erit denudabilis a prædictis imperfectionibus.

120. Probatur antecedens quoad primam partem. N. Compl. Antecedens quoad primam partem est Aristotelis, et D. Thomæ locis cit. et illud optime probat N. Collegium Complutense in lib. Physicorum disp. 16 num. 14 et in libris de Anima disp. 21 num. 8 et 11 ac tandem num. 98 ex eo quod prædictus motus est actus imperfectus, et relinquens mobile in potentia ad ulteriorem actum : et ita talis actus non est complementum mobilis; sed est via ad complementum illius : *intelligere* autem est actus perfectus, et complementum operantis non relinquens ipsum in potentia ad ulteriorem actum : quia non est necesse, ut post eum subsequatur aliquis alius terminus ab eo productus, ut in eadem disputatione prædictum Collegium Complutense ostendit, et nos in 1 tomo hujus Cursus Theologici tractatu 2 de Visione Dei disput. 2 a num. 202 usque ad n. 251 late ostendimus. Et propterea, si aliquando prædictus terminus per intellectionem producitur, non ordinatur intellectio ad illum, sicut ordinatur motus stricte dictus ad suum terminum; sed potius talis terminus est propter intellectionem, ut in eadem disput. 21 quæst. 5 prædicti Complut. docent, et nos loco citato num. 207 diximus, et satis colligitur ex illis, quæ in eadem disput. dub. 9 et 10 asseruimus.

Iidem Compl.

Suadetur quoad secundam partem. Quoad secundam vero partem, nempe, intellectionem creatam, non obstante, quod sit vera actio immanens, nihilominus, quando producit verbum, communicare illi eamdem numero naturam cum objecto per se primo intellecto, sub diverso tamen modo essendi, scilicet, sub *esse* intelligibili, constat ex illis, quæ in eodem 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici disput. 2 nuper citata num. 131 et deinceps diximus. Ex eo quod verbum est formalis similitudo objecti per se primo repræsentati, et intellecti mediante illo : omnis autem similitudo formalis debet fundari in unitate naturæ, in qua est prædicta similitudo : alioqui non esset, cur unum ex illis extremis esset simile alteri in prædicta natura. Et propterea, quia imago externa Cæsaris tantum repræsentat formaliter illum quoad accidentia externa, et non habet similitudinem cum eis quoad differentias individuales eorum, idcirco debet esse ejusdem naturæ cum

cum prædictis accidentibus quoad rationes eorum specificas, non vero quoad individuales. Cumque verbum creatum, et objectum (v. g. Petrus) per se primo intellectum, et repræsentatum mediante illo non sint ejusdem naturæ numero sub modo essendi naturali, et entitativo, oportet, ut sint ejusdem numero naturæ sub modo essendi intelligibili : et ita prædicta intellectio Petri, dum producit verbum ejusdem Petri, tribuit ei eamdem numero naturam cum Petro per se primo intellecto, licet sub diverso modo essendi, nempe, sub modo essendi intelligibili. Quam rationem disput. nuper citata a prædicto num. 131 usque ad n. 138 prosecuti sumus, de quoque plura diximus in tractatu 3 de Scientia Dei, disput. 2 a num. 14 usque ad n. 53. Et rursus alia circa hæc a n. 66 ejusdem disputationis, usque ad n. 110 multoties adduximus.

1. Prima vero consequentia quoad primam ejus partem ex priori antecedentis parte satis liquet. Quoniam si intellectio creata, non obstante, quod sit vera actio, potest denudari ab imperfectionibus motus, ex eo quod hæc imperfectio solum convenit actioni de prædicamento actionis, non vero actioni de prædicamento qualitatis, licet talis actio (ut N. Complutenses disput. 21 citata quæst. 1 docent) sit vere, et proprie actio : non est cur intellectioni divinæ Patris non competat, quod, licet si vera et propria actio, nihilominus sit denudabilis ab imperfectionibus motus versantis inter duos terminos, *a quo*, et *ad quem*, seu essentialiter includentis, quod sit actus entis in potentia.

Quoad secundam vero partem, videlicet, prædictam intellectionem posse communicare eamdem prorsus numero naturam Filio, licet sit vera, et propria actio, ex posteriori ejusdem antecedentis parte satis deducitur. Quoniam, si intellectio creata, licet sit vera, et propria actio immanens, potest communicare eamdem numero naturam suo verbo sub modo essendi imperfecto, scilicet, sub *esse* intelligibili, prout excludit modum essendi naturalem, quia, licet ipsa sit actio immanens, est tamen involuta imperfectionibus limitationis, et accidentis, non est cur intellectio perfectissima et infinita, qualis est intellectio Patris, non sit actio perfectissima, et simul communicet Verbo eamdem numero naturam sub modo essendi omnino perfecto, nimirum, sub modo essendi intelligibili non excludente modum essendi naturalem.

Maxime, quia inde colligimus, intellectionem, prout est productio verbi similis in natura, esse denudabilem ab imperfectionibus productionis similis in natura tantum specifica, aut similis sub *esse* tantum repræsentativo ; ac proinde dabilem esse intellectionem, quæ et habeat rationem intellectionis perfectissimæ, et simul intellectionis producentis simile in natura numerica, et sub modo essendi naturali, quia intellectio creata, et imperfecta ex vi suæ lineæ producit simile in natura, tam specifica, quam numerica sub modo essendi intelligibili tantummodo : et ita intellectio perfectissima, conservando rationem intellectionis perfectissimæ, poterit producere verbum perfecte simile, et per consequens simile in natura numerica sub modo essendi perfecto, scilicet intelligibili, simul et naturali, ut D. Thomas 4 contra Gentes cap. 11 arguit. Ergo si eadem intellectio creata, ut est actio immanens, et imperfecta, habet intra suam lineam producere verbum simile in natura sub modo essendi imperfecto, colligemus, dabilem esse aliam intellectionem perfectissimam intra lineam intellectionis, quæ, retinendo veram rationem actionis immanentis, producat perfecte simile, scilicet, in natura numerica, et sub modo essendi perfecto, nimirum sub modo essendi intelligibili, simul et naturali. Secunda vero consequentia primi, et præcipui enthymematis hujus rationis ex antecedenti, et ex prima consequentia aperte sequitur, et ideo probatione non indiget. D.Thom.

Confirmatur ratione desumpta ex Aristotele, et divo Thoma locis num. 119 citatis. Quoniam *intelligere* creatum, ut habet rationem actionis immanentis, est actus perfecti : et ita in hoc distinguitur ab aliis actionibus de prædicamento actionis, quod illæ sunt actus imperfecti, ista vero est actus perfecti. Unde Aristotel. loquens de sensatione, ac proinde potiori jure de intellectione, sic inquit : *Unde alia hæc species motus ; motus enim imperfecti actus : simpliciter autem actus alter est, qui perfecti*. Et D. Thomas lect. 12 inquit : *Manifestum est, quod sentire, si dicatur motus, est alia species ab ea, de qua determinatum est in lib. Physicorum. Ille enim motus est actus existentis in potentia, sed iste motus est actus perfecti*. Et ut explicaret, quomodo motus iste non dicat imperfectionem ; sed rationem motus communiter, et ample dicti, addit 1 part. q. 18 art. 1 : *Illa pro-* 122. Confirmatur. Aristot. D.Thom.

prie sunt viventia, quæ seipsa secundum aliquam speciem motus movent, sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est, existentis in potentia, sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere, et sentire dicitur moveri, ut dicitur in 3 de Anima. Quod etiam fatetur S. Doctor in hac 1 part. quæst. 9 ad 1. Ergo prædictum *intelligere* creatum sub pura et præcisa ratione actionis, quæ sit actus perfecti, non considerando alias rationes, quæ in ipso, quia creatum est, inveniuntur, nullam exprimet imperfectionem : siquidem sub isto præciso conceptu actionis immanentis tantum dicit esse actum perfecti. Ergo non est, cur sit essentialiter determinatum, ad hoc ut necessario contrahatur per differentias essentialiter involventes imperfectionem, et ab ea indenudabiles. Sicut, quia idem *intelligere* creatum sub ratione entis, aut intellectionis nihil exprimit imperfectionis, sed quod sit actus perfecti, propterea non est essentialiter determinatum, ad hoc ut in ratione intellectionis contrahatur per differentias essentialiter imperfectas, et indenudabiles ab imperfectionibus.

S. Doctor.

123. Alia evasio ex Molina et Suarez.

Ex quo etiam corruit alia evasio, quæ ex Molina, et Suarez posset adduci, nempe, actionem immanentem importare indispensabiliter duas alias imperfectiones, scilicet, quod supponat potentiam passivam in eliciente illam, ad hoc ut in eo maneat, et recipiatur : et tandem, quod per veram elicientiam procedat ab agente, ac proinde distinguatur realiter ab illo.

Refutatur.

Ex dictis igitur hæc evasio corruit. Quoniam si non est contra rationem actionis immanentis, quod communicet eamdem numero naturam sub modo essendi, tam naturali, quam intelligibili, quæ est in producente : non erit contra rationem ejus, quod sit infinita, et summe perfecta intra suam lineam : quippe cum sola actio, et productio infinita, et summe perfecta intra suam lineam possit communicare eamdem numero naturam sub modo essendi naturali, et intelligibili, quæ est in producente : sicut etiam sola natura infinita intra suam lineam, nempe divina, potest hoc modo communicari. Constat autem, de ratione actionis, sive productionis infinitæ intra suam lineam esse, ut identificetur cum suo principio, aut quasi principio, ut constat ex iis, quæ in 2 tomo hujus N. Cursus Theologici tract. 4 de Voluntate Dei disput. 2 n. 34 diximus. Et propterea omnes actus secundi finiti, et limitati alicujus lineæ distinguuntur a suis principiis ; et omnes actus secundi reperti in Deo, ut intellectio, et volitio, identificantur cum suis quasi principiis. Ergo non erit contra naturam intellectionis, ut est actio infinita intra suam lineam, quod identificetur cum intellectu ; ac proinde quod nec procedat ab eo per veram elicientiam, nec supponat potentiam passivam et receptivam.

§ III.

Eadem sanctissimi præceptoris sententia ratione alia comprobatur.

12 Secu et fu dam tal rati D.Th

Secunda vero ratio, per quam præcedens non parum confirmatur, desumitur ex D. Thoma in hac 1 p. q. 25 art. 1 potestque sub hac forma proponi. Quoniam conceptus virtutis activæ, sive potentiæ activæ in Deo est denudabilis ab imperfectionibus : ergo potiori jure ratio actionis denudabilis erit ab illis : ergo non erit, cur processiones in divinis non sint vere, et proprie actiones immanentes. Hæc ultima consequentia ex priori aperte constat. Prior vero ex antecedenti videtur sequi. Quoniam ratio actionis collata cum virtute, aut potentia activa, est perfectior illa, quatenus dicit majorem actualitatem, quam ipsa. Et propterea D. Thomas loco citato in solutione ad 2 dixit, quod quandocumque actus est aliud a potentia, oportet, quod actus sit nobilior potentia : ergo, si ratio potentiæ activæ est denudabilis ab imperfectionibus, consequens erit, ut actus ei directe correspondens, nempe actio vere, et proprie talis, queat etiam ab eisdem denudari. D.Th

Antecedens autem probatur. Quoniam, cum potentia activa conveniat rei, quatenus est in actu, consequens est, quod sicut hoc, quod est esse in actu, est denudabile ab imperfectionibus, et propterea est dabile ens summe in actu, quod sit denudabile ab omni imperfectione potentialitatis : ita etiam potentia activa erit denudabilis ab imperfectionibus, ita ut sit summe actualis absque omni potentialitate, et per consequens libera ab omni imperfectionis nota, quæ semper ex aliqua potentialitate procedit. Ideoque D. Thomas sequenti discursu rem hanc elucidante probat, Deum habere omnipotentiam ; *Manifestum est enim, quod unumquodque, secundum quod est actu, et perfectum secundum hoc est principium activum alicujus. Patitur autem unumquodque, secundum* D.Tho

secundum quod est deficiens, et imperfectum. Ostensum est autem supra, quod Deus est purus actus, et simpliciter, et universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Unde sibi maxime competit esse principium activum, et nullo modo pati. Relinquitur ergo, quod in Deo maxime sit potentia actus.

25. Confirmatur rationes D. Thom. — Confirmatur ratione ejusdem S. Doctoris loco citato. Quoniam Deus respectu creaturarum habet potentiam activam proprie talem denudabilem ab imperfectionibus : et rursus actus ei correspondens est actio immanens identificata cum eadem potentia activa : ergo talis actio denudari poterit ab imperfectionibus : ac proinde ratio vera actionum conveniet divinis processionibus. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam, si actio correspondens omnipotentiæ est denudabilis ab imperfectionibus, consequens erit, ut licet processiones divinæ sint actiones, possint denudari ab omni imperfectione : et si semel sic denudari possunt, oportet, ut secundum rationem veram actionis in Deo reperiantur. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem quoad primam partem ex dictis numero immediate præcedenti patet. Quoad secundam vero etiam liquet. Tum : quia Deus ad extra nequit operari per actionem transeuntem, sed per suum *scire*, quod habet rationem potentiæ executivæ, quæque est virtualiter transiens, ut constat ex iis, quæ in 1 tomo hujus Cursus Theologici tractatu 3 de Scientia Dei disputatione 5 num. 43 et sequentibus diximus. Tum etiam : quia, ut nuper dicebamus ex D. Thoma, actio transiens correspondens prædictæ potentiæ activæ Dei, et collata cum illa, esset actualior eadem potentia : quod tamen, ut constat, est aperte falsum. Unde idem S. Doctor postquam in prædicta quæst. 25 art. 1 in solutione ad 2 dixit, quod *quandocumque actus est aliud a potentia, oportet, quod actus sit nobilior potentia;* statim addidit : *Sed actio Dei non est aliud ab ejus potentia sed utrumque est essentia divina, quia nec esse ejus est aliud ab ejus essentia. Unde non oportet, quod aliquid sit nobilius, quam potentia Dei.*

6. Confirmatur secundo D. Thom. — Confirmatur secundo ratione deprompta ex D. Thoma infra quæst. 41 art. 5. Quoniam in Patre datur potentia generativa respectu Verbi divini, ut loco citato cum eodem S. Doctore probabimus : ergo dabitur etiam vera generatio respectu illius : ergo talis generatio habebit veram, et propriam rationem actionis. Patet hæc ultima consequentia : tum, quia generatio essentialiter involvit rationem actionis, quippe quæ debet involvere veram productionem rei genitæ. Tum etiam, quia generatio præcise consistens in emanatione non includente in suo conceptu formali veram rationem actionis, est imperfecta in ratione influentis in rem genitam : et propterea non nisi ut subordinata alteri priori actioni, et eam involvens, seu præsupponens potest attingere rem genitam, ut contingit in generatione substantiæ creatæ ab alia juxta ea, quæ late, et dilucide docent nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 10 a num. 92 usque ad num. 120.

Solutio cujusdam junioris. — Nec refert evasio cujusdam junioris asserentis, quod saltem in termino actionis vere, et proprie talis invenitur semper aliqua imperfectio. Et propterea, licet divina omnipotentia, et ejus actio sint liberæ ab imperfectionibus, nihilominus earum terminus debet eas involvere : hoc autem satis est, ad hoc ut processiones divinæ non sint veræ, et propriæ actiones, quia terminus illarum nequit esse involutus imperfectionibus.

Rejicitur. — Non itaque hoc refert. Quoniam potentia activa, et actio ei correspondens denudabiles ab imperfectionibus non inferunt imperfectionem in termino producto, nisi alias terminus ipse petat indispensabiliter ob sui naturam esse involutum imperfectionibus; sed producunt eum cum tali, vel tanta perfectione, quantam ipse petit : et si terminus petit omnimodam perfectionem, non est cur, ex eo quod fiat per potentiam, sive virtutem activam, aut generationem infinitæ perfectionis, necnon et per actionem itidem infinite perfectam, habeat involvere aliquid imperfectionis : sed Verbum divinum petit infinitam perfectionem, ut ex se constat : ergo ex hoc, quod producatur per potentiam activam, sive generativam, et per actionem generativam vere, et proprie talem, quæ sint denudabiles ab imperfectionibus, quæque dicant infinitam perfectionem, non idcirco debebit produci involutum imperfectionibus ; sed potius inde oppositum colligetur.

§ IV.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et eorum solutionibus.

Quamvis omnia fundamenta oppositæ 127.

Sententia contraria. sententiæ ex dictis facile corruant, nihilominus majoris claritatis gratia, et ut omnibus illis expressius fiat satis, placuit adversariorum sententiam, et eorum argumenta, necnon et eorum solutiones hic adducere. Quia vero omnia illa unico fere verbo solvuntur, idcirco prius cuncta argumenta, deinde vero solutiones eorum proponentur. Contrariam ergo sententiam nostræ assertioni amplexi sunt Suarez lib. 1 de Trinitate c. 8 n. 5 et tomo 2 Metaphys. disp. 48 sect. 4 n. 10, Molina hic disp. 1 et alii sentientes, divinas processiones esse emanationes intelligibiles, seu ad ordinem intelligibilem spectantes, esseque immanentes; non tamen veram, et propriam rationem actionis, sive operationis immanentis sortiri. Probatur primo a Molina ex D. Thoma in hoc articulo, ubi data opera, loquens de processionibus divinis, sic concludit : *Non ergo accipienda est processio, secundum quod est in corporalibus; sed secundum emanationem intelligibilem, utpole verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso* : ut utendo nomine emanationis, non vero actionis intelligibilis, denotaret, processionem in divinis non habere veram, et propriam rationem actionis, sive operationis intelligibilis; sed tantum emanationis ad hunc ordinem spectantis.

Suarez. Molina. Primum fundamentum. D.Thom.

128. Secundum fundamentum. Secundo. Nam, si processiones divinæ active sumptæ essent vere, et proprie actiones, tunc id, quod per eas produceretur, haberet veram rationem effectus : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Minor est certa. Quoniam ratio effectus dicit imperfectionem dependentiæ veræ, et propriæ : quæ quidem non potest reperiri in Filio, aut Spiritu Sancto per has processiones procedentibus. Sequela vero probatur. Quoniam, si prædictæ processiones essent vere, et proprie actiones, etiam terminus earum esset vere, et proprie quid actum per illas : sicut si tantum essent emanationes, non vero proprie actiones, tunc terminus per illas procedens tantum esset quid emanans, non vero actum. Constat autem, idem esse, aliquid esse actum vere, et proprie per actionem, et esse vere, et proprie effectum illius. Et propterea, licet in divinis admittatur, Verbum v. g. procedere a Patre, non tamen esse quid actum per generationem.

Confirm. prior. Molina. Confirmatur primo ex Molina. Quoniam de ratione actionis immanentis veræ et propriæ sunt multæ imperfectiones : ergo divinæ processiones nequibunt habere rationem talis actionis. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probat Molina : ex eo quod de ratione prædictæ actionis est, esse productionem termini realiter, et essentialiter diversi ab ipso producente, et esse medium quoddam inter duos terminos, scilicet *a quo* et *ad quem*, nempe, inter non *esse*, et *esse* : ac tandem præsupponere potentiam passivam, in qua recipiatur : quæ tamen omnia includunt aliquid imperfectionis, ut intuenti constabit.

Confirmatur secundo ex Suarez. Quia de ratione actionis immanentis vere et proprie talis est, quod oriatur a suo principio per veram elicientiam : sed hoc repugnat divinis processionibus : ergo, etc. Minor est certa. Quoniam divinæ processiones, v. g. generatio activa non distinguitur realiter a Patre, ut communiter docent Theologi : id autem, quod non distinguitur realiter ab aliquo, non potest oriri ab eo per veram elicientiam. Major autem supponitur a Suarez ex inductione universali actionum creatarum vere et proprie talium, quæ vere eliciuntur a suis principiis. Confi. secu. Suar.

Ultimo. Nam processiones in divinis sunt formalissime loquendo ipsæ relationes : ergo non habebunt veram, et propriam rationem actionis immanentis; sed ad summum erunt emanationes quædam. Antecedens est D. Thomæ infra qu. 41 art. 1 in solutione ad 2, his verbis : *Dicendum, quod actus notionales secundum modum significandi tantum, differunt a relationibus personarum, sed re sunt omnino idem. Unde Magister dicit in 1 sent. distinct. 26 quod generatio, et nativitas aliis nominibus dicuntur Paternitas, et Filiatio.* Consequentia vero probatur. Quoniam relatio non habet veram, et propriam rationem actionis; sed ad summum est emanatio sui a fundamento : et si aliquando aliquid mediante illa emanaverit, ut in divinis contingit, ubi suus terminus mediante ea dimanat, tunc erit emanatio sui termini; non autem vera, et propria actio. 129 Ultim. fund. mentu.

Ad primum patet ex dictis num. 124. Ad secundum neganda est sequela. Ad probationem neganda est major : quia istis nominibus *agens*, et *actum* apud Latinos significantur causa, et effectus : cum tamen ex communi usu *actio* non significet actum secundum præcise correspondentem causæ ut tali, cui correspondet effectus ut talis; licet nomen actionis desumptum fuerit a prædicta actione, et potissime ab actione admixta motui, quippe quæ est aliis notior. 130. Diluun. tur pri. mum et secu. dum funda. mentum

Potestque

Potestque hoc explicari exemplo adducto a D. Thoma infra quæst. 33 artic. 1 ad 2 ubi inquit, quod licet Pater sit principium Filii, nihilominus Filius non dicitur principiatus, quia isto nomine apud Latinos denotatur quædam minoratio, et subjectio principiati : quæ tamen in Filio Dei non reperitur.

Ad primam, et secundam confirmationem patet ex dictis a num. 116 usque ad num. 125.

Ad ultimum patebit ex dicendis quæst. 41 art. 1. Pro nunc autem respondetur, sanctum Doctorem loqui de eo, quod addit actus notionalis v. g. *dicere* supra actum essentialem, nempe intellectionem constitutivam divinæ naturæ. Nam id, quod addit supra illam, solum ex parte modi significandi distinguitur a relatione Paternitatis, et ipsa absque additione virtuali est connotatum, et obliquum quoddam importatum ab ipso actu notionali, nempe, ab ipso *dicere*; et simul est constitutiva personæ Patris.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod processio, quæ est in divinis, non possit dici generatio. Generatio enim est mutatio de non esse in esse corruptioni opposita, et utriusque subjectum est materia. Sed nihil horum competit divinis. Ergo non potest generatio esse in divinis.

2. Præterea, in Deo est processio secundum modum intelligibilem, ut dictum * est : sed in nobis talis processio non dicitur generatio. Ergo neque in Deo.

3. Præterea, omne genitum accipit esse a generante. Esse ergo cujuslibet geniti est esse receptum. Sed nullum esse receptum est per se subsistens. Cum igitur esse divinum sit esse per se subsistens (ut supra probatum * est) sequitur, quod nullius geniti esse sit esse divinum. Non est ergo generatio in divinis.

Sed contra est, quod dicitur in Psalmo 2 : Ego hodie genui te.

Respondeo dicendum, quod processio Verbi in divinis dicitur generatio.

Ad cujus evidentiam sciendum est, quod nomine generationis dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia, et corruptibilia : et sic generatio nihil aliud est, quam mutatio de non esse ad esse. Alio modo proprie in viventibus : et sic generatio significat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto, et hæc proprie dicitur nativitas. Non tamen omne hujusmodi dicitur genitum : sed proprie quod procedit secundum rationem similitudinis. Unde pilus, vel capillus non habet rationem geniti, et filii : sed solum quod procedit secundum rationem similitudinis non cujuscumque : nam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, et filiationis, licet sit similitudo secundum genus : sed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat secundum rationem similitudinis in natura ejusdem speciei. Sicut homo procedit ab homine, et equus ab equo. In viventibus autem, quæ de potentia in actum vitæ procedunt, sicut sunt homines, et animalia, generatio utramque generationem includit. Si autem sit aliquod vivens, cujus vita non exeat de potentia in actum, processio (si qua in tali vivente invenitur) excludit omnino primam rationem generationis, sed potest habere rationem generationis, quæ est propria viventium. Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis : procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ : et a principio conjuncto, ut supra * jam dictum est : et secundum rationem similitudinis. Quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens. Quia in Deo idem est intelligere, et esse, ut supra * ostensum est. Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, et ipsum Verbum procedens dicitur Filius.

* Art. præc.

* Q. 3 art. 4 et q. 14 artic. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de generatione secundum rationem primam, prout importat exitum de potentia in actum, et sic non invenitur in divinis, ut supra * dictum est.

* In corp. art.

Ad secundum dicendum, quod intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Unde verbum, quod secundum intelligibilem operationem procedit in nobis, non est ejusdem naturæ cum eo, a quo procedit. Unde non proprie, et complete competit sibi ratio generationis : sed intelligere divinum est ipsa substantia intelligentis, ut supra * dictum est. Unde verbum procedens procedit, ut ejusdem naturæ subsistens. Et propter hoc proprie dicitur genitum, et Filius. Unde et his, quæ pertinent ad generationem viventium, utitur Scriptura ad significandam processionem divinæ Sapientiæ, scilicet conceptione et partu. Dicitur enim, ex persona divinæ Sapientiæ Proverbiorum 8 : Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram, ante colles ego parturiebar. Sed in intellectu nostro utimur nomine conceptionis, secundum quod in verbo nostri intellectus invenitur similitudo rei intellectæ; licet non inveniatur naturæ identitas.

* Q. 14 art. 4.

Ad tertium dicendum, quod non omne acceptum est receptum in aliquo subjecto, alioquin non posset dici, quod tota substantia rei creatæ sit accepta a Deo, cum totius substantiæ non sit aliquod subjectum receptivum. Sic igitur id, quod est genitum in divinis, accipit esse a generante, non tanquam illud esse sit receptum in aliqua materia, vel subjecto, quod repugnat subsistentiæ divini esse : sed secundum hoc dicitur esse acceptum, in quantum procedens ab alio habet esse divinum, non quasi aliud ab esse divino existens. In ipsa enim perfectione divini esse continetur, et Verbum intelligibiliter procedens, et principium Verbi, sicut et quæcumque ad ejus perfectionem pertinent ut supra * dictum est.

* Q. 4 art. 2 et q. 34 artic. 4.

Prima conclusio : Si generatio sumatur, prout est communis ad omnia generabilia, et corruptibilia, scilicet, ut est mutatio de non esse ad esse, nulla processio in divinis est dicenda generatio.

Secunda conclusio : Si generatio sumatur, prout est propria viventium, nimirum, prout est origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ, tunc processio Verbi in divinis dicitur proprie generatio, et Verbum procedens dicitur proprie Filius.

DISPUTATIO II.

De generatione Verbi divini.

Post disputationem præcedentem, in qua de processionibus divinis in communi, aut quasi in communi sumptis egimus, recto ordine in hac disputatione de processione, seu generatione Verbi divini, quæ inter divinas processiones prior est sermonem instituimus.

DUBIUM I.

Quid sint generatio in communi, et generatio viventium? et an illa prior in divinis reperiatur?

Ut melius pateat id, quod in tota hac 1

disputatione explicare intendimus, nempe, an processio Verbi in divinis sit generatio? et quæ species, aut quasi species generationis ei competat? oportet primo loco explicare, quidnam sit generatio in communi? et quid generatio propria viventium? Ut ita melius capiatur, utrum prædicta processio habeat rationem generationis, et an utraque generationis ratio illi competat? Nomine autem generationis in communi intelligimus generationem substantialem, prout est communis ad omnia generabilia, et corruptibilia, sive illa sint non viventia, sive viventia saltem creata. Nam utrum hæc ratio generationis sit etiam communis generationi increatæ? infra in hoc eodem dubio decidetur. Sicut etiam nomine generationis viventium denotatur generatio, prout habet esse communem ad omnia viventia. Consulto vero in secunda tituli parte non inquirimus, an utraque generatio conveniat processioni Verbi divini? sed an ratio generationis in communi ei competat? Quoniam hoc secundum parum difficultatis habet : et ideo potest in hoc eodem dubio, in quo ratio generationis in communi explicatur, absolvi. Cæterum, an prædicta processio sortiatur rationem generationis viventium? non parum difficultatis ingerit : et propterea non paucis in hoc dubio, in quo diffinitio generationis viventium exponitur, sed multis in sequentibus dubiis discutiendum est.

§ I.

Explicatur, quid sit generatio substantialis in communi.

2. Prima conclusio. Dicendum est primo, generationem in communi, seu prout est communis ad omnia generabilia, et corruptibilia substantialia, recte diffiniri per hoc, quod sit *mutatio de non esse ad esse*. Ita D. Thomas in hoc art. et communiter Doctores. Desumiturque hæc diffinitio ex Aristotele, tum 8 Physicorum text. 7 ubi prædictam generationem substantialem diffinit per hoc, quod sit *mutatio de non ente ad ens*, sive (quod in idem quoad præsens redit) *de non esse ad esse*. Tum etiam primo de Generatione, ubi diffinit illam per hoc, quod sit *mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu*. Unde, dum in diffinitione adducta a D. Thoma ex Aristotele loco citato ex 8 Physicorum dicitur, quod est

D.Thom.

Aristot.

mutatio de non esse ad esse, debet per ly *esse* intelligi *esse* substantiale, quod a forma substantiali provenit. Sicut etiam per ly *non esse* intelligitur privatio, qua materia privata est eodem *esse* substantiali. Cujus rationem optime reddunt ex D. Thoma nostri Complutenses in lib. de Generatione disput. 2 n. 78. et deinceps. Quia, cum *esse* substantiale sit *esse* absolute, simpliciter, et sine addito, *esse* vero accidentale non sit *esse* simpliciter, et sine addito, sed cum illo, nempe *esse* secundum quid, et accidentale, propterea nomine *esse* simpliciter, et absolute dicti optime intelligitur *esse* substantiale, et a forma substantiali proveniens.

N. Com

3. Ratio conclusionis D.Th. Rationem autem hujus assertionis adduxit D. Thomas in hoc art. et 4 contra Gentes cap. 14. Quoniam generatio substantialis, prout est communis ad omnia generabilia, et corruptibilia, non aliter competit ipsis, nisi quatenus exeunt de potentia in actum, seu (quod in idem quoad præsens redit) quatenus materia prima, quæ est in potentia ad aliquam formam substantialem, recipit actu illam, et transit ab hoc, quod est esse in potentia ad eam, ad hoc, quod est actu habere illam : ergo generatio optime diffinitur per hoc, quod sit *mutatio de non esse ad esse*. Patet consequentia. Quia idem est ille transitus materiæ a non *esse* sub forma substantiali ad *esse* sub illa, ac mutatio de non *esse* ad *esse* : et ita mutatio hæc optime explicatur per hoc, quod materia habeat prædictum transitum, et iste transitus per hanc mutationem.

4. Objectio. Nec refert, si objicias, generationem substantialem, v. g. non viventium, non semper habere rationem mutationis : ergo non bene diffinitur generatio, de qua loquimur, per hoc, quod sit *mutatio de non esse ad esse*. Consequentia est aperta. Antecedens autem probatur ratione desumpta ex D. Thoma 3 part. q. 77 artic. 5. Nam, quando comburuntur species sacramentales, tunc in puncto generationis, et ex vi præcedentis miraculi convertitur quantitas illius hostiæ consecratæ in materiam primam, et ea semel per conversionem producta, tunc virtute agentis naturalis generatur in illo instanti ignis : et idem contingeret, etiamsi materia illa fieret per creationem, ut optime probat nostrum Collegium Complutense in lib. de Generatione disp. 2 n. 19 et nos in ultimo tomo hujus nostri Cursus Theologici tract. de Eucharistia

D.Tho

N. Comp

ristia dicemus : sed prædicta generatio ignis, cum non supponat materiam vere privatam forma substantiali ejusdem ignis, quippe quæ producitur in eodem instanti reali ac prædicta forma, non potest esse realis mutatio : quandoquidem ad realem mutationem saltem requiritur transitus a privatione ad habitum : ergo jam dabitur aliqua substantialis generatio in non viventibus, quæ non sit mutatio.

Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam. Nam, licet generatio substantialis possit ex præsupposito miraculo non afferre actu mutationem, ut in exemplo posito contingit, nihilominus illam per se petit, estque vera radix illius, ac proinde connaturaliter loquendo semper habet illam adjunctam, ut optime probant nostri Complutenses loco nuper citato n. 22. Et propterea, sicut homo recte diffinitur per risibilitatem, quia, licet per accidens posset supernaturaliter esse sine illa, nihilominus per se loquendo semper eam habet, illamque petit : ita, quia generatio substantialis secundum suam essentiam considerata habet esse radicem, vel rationem a priori mutationis substantialis, illamque per se loquendo semper infert, quamvis per accidens ratione præsuppositi miraculi possit eam actu non inferre, ideo optime diffinitur per mutationem materiæ de non *esse*, ad *esse*. Circa hæc tamen (ut aliquibus objectionibus in oppositum pugnantibus satisfiat) videantur nostri Complutenses disp. nuper citata quæst. 2.

§ II.

Exponitur, quid sit generatio propria viventium.

Dicendum est secundo, generationem viventium optime diffiniri per hoc, quod sit *origo viventis a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ ejusdem speciei.* Ita D. Thomas in hoc art. et 4 contra Gentes c. 11 desumiturque ex Aristotele 7 Metaphysicæ c. 8 et 8, Ethicorum c. 12 necnon 1 de Generatione animalium cap. 1 et 2, quam etiam recipiunt omnes expositores divi Thomæ in hoc loco.

Explicatur assertio, et simul prædicta diffinitio. In primis ergo generatio dicitur *origo viventis*, ut denotetur, quod proprius terminus illius debet esse vivens, ut ita distinguatur a generatione non viventium. Nomine autem viventis intelligitur vivens totale, et suppositum per se subsistens, ita ut per hanc particulam distinguatur generatio a nutritione, qua acquiritur nova pars substantiæ viventis. Nam, licet talis pars sit (modo tamen in lib. de Generat. disput. 5 quæst. 3 et 4 a nostris Complutensibus explicato) vivens; nihilominus nutritio illa non habet rationem generationis viventium simpliciter, et absolute talis.

Deinde eadem generatio asseritur esse *a principio vivente*, ut denotetur, quale debeat esse principium generationis, et quomodo ad generationem viventium non sit satis, quod terminus ejus sit vivens; sed insuper desideratur, quod principium ejus sit etiam vivens ut tale : et per consequens, quod talis generatio sit vitalis, ad quam proinde ipsum vivens (modo statim dicendo) se se moveat. Unde generatio vermium procedens a Sole (ut multi volunt) non est generatio viventium, quia non procedit a principio vivente : nec generatio Evæ ex costa Adami habuit, ut fuit ab illo, rationem prædictæ generationis : quia, secundum quod fuit ab Adamo, non processit a vivente ut tali : ex eo quod Adamus non concurrit vitaliter ad illam, nec ab eo in genere causæ efficientis processit, sed tantum materialiter, seu præbendo materiam in ipsam influxit.

6. Additur præterea illa particula *conjuncto*, ut innuatur, generationem viventium esse talis conditionis, ut debeat esse quodammodo de substantia, vel quodammodo de parte, seu de aliquo substantiæ generantis, quod saltem in principio generationis habeat esse conjunctum eidem generanti : ac proinde vivens genitum debet secundum aliquid sui esse conjunctum saltem in initio generationis cum suo principio vivente, a quo procedit.

Hoc autem optime explicat D. Thomas 4 contra Gentes c. 11 in plantis, et animalibus generantibus sibi similia, quia non nisi medio semine generant : semen autem saltem in principio fuit conjunctum ipsi generanti, habuitque esse aliquomodo partem, seu quasi partem, vel aliquid ipsius, quatenus est aliquid contentum intra ipsum generans, ita ut per se petat esse intra illud : et sic vivens generans non imprimit suam formam in materia omnino extrinseca, sed in materia quodammodo (per se tamen) intrinseca : quod tamen non petit

generatio non viventium. Nam ignis v. g. nullam sui partem substantialem, nec aliquid sui, seu intra ipsum per se contentum transfundit in ignem genitum, ut in eo imprimat suam propriam formam. Unde Aristoteles ob hanc rationem lib. 8 Ethicorum c. 12 et lib. 1 magnorum Moralium c. 34 peculiariter de parentibus dixit, eos diligere filios, quia sunt aliquid sui.

Aristot.

7. Ponitur tandem in eadem diffinitione *in similitudinem naturæ specificæ* : quia ad rationem generationis viventium requiritur, ut vivens, quod per illam connaturaliter procedit, sit saltem ejusdem naturæ specificæ. Et propterea vermiculi ab homine v. g. per actionem vitalem ex proprio humore generati non procedunt ab eo per generationem propriam viventium : quoniam non sunt ejusdem naturæ specificæ cum ipso homine. Sicut etiam (ut id obiter dicamus) productio pilorum, vel capillorum animalis excluditur a D. Thoma in præsenti a ratione generationis viventium : quia juxta probabilem opinionem non informantur eadem forma substantiali, qua ipsum animal : et ita, quia ad adducendum aliquid in exemplum sufficit uti opinione probabili; propterea Angelicus Doctor ad præsens intentum confirmandum usus est prædicto exemplo : quamvis juxta ejus sententiam pili, vel capilli informentur eadem anima, et secundum eumdem gradum atomum substantialem, qua totum animal, ut ex eodem S. Doctore docent N. Complutenses in lib. de Anima disp. 6 n. 30 et 45.

D.Thom.

N. Compl.

8. Diximus, *quod ad rationem generationis viventium requiritur, ut vivens per eam procedens exeat simile saltem in eadem natura specifica*. Quia, licet hoc ad minus requiratur, non tamen obest, sed potius prodest ad rationem prædictæ generationis, quod vivens aliquando procedat simile in eadem numero natura : siquidem hoc ipso, quod ad generationem prædictam desideretur identitas in natura, consequens est, ut quo hæc identitas fuerit major, ac proinde pertigerit usque ad identitatem in eadem numero natura, eo generatio erit perfectior in ratione vitalis generationis.

Unde, licet quoties vivens genitum est materiale, tunc similitudo, et identitas tantum sit identitas secundum speciem, quia eo ipso habet diversam materiam a generante, et materia est radix distinctionis numericæ : attamen quando genitum est pure spirituale, tunc oportet, ut hoc ipso, quod sit ejusdem naturæ specificæ cum generante communicetur ei eadem numero natura : ex eo quod non habent unde distinctio numerica desumatur. Et propterea in divinis est vera, et propria generatio viventium, ut infra dicemus; licet communicetur eadem numero natura divina, quæ est in generante. Unde D. Thomas hoc ipsum 4 contra Gentes c. 11 explicans sic ait : *Natura, quæ est una secundum speciem, non dividitur in plura secundum numerum, nisi propter materiam : divina autem natura omnino immaterialis est. Impossibile est igitur, quod natura divina sit una specie, et numero differens. Verbum igitur Dei in eadem natura numero communicat cum Deo, propter quod Verbum Dei, et Deus, cujus est verbum, non sunt duo Dii, sed unus Deus. Nam quod apud nos duo habentes humanam naturam sint duo homines, ex hoc contingit, quod natura humana numero dividitur in duobus.*

D.Th.

9. Assertio sic explicata non aliter, quam ex explicatione tradita suadetur. Quoniam nihil aliud apparet, quod requiratur ad rationem generationis viventium, præter ea, quæ in hac diffinitione sic explicata ponuntur, et hoc ipso quod omnia hæc inveniantur, eo ipso productio illa est generatio viventium propria, ut inductione facta in generatione hominis, et aliorum satis constabit.

Ex p. dict. expli. tion. suad. assert.

Nec refert si objicias primo, quod generatio muli ex accessu asini ad equam, est generatio viventium : et tamen mulus non est ejusdem naturæ specificæ cum generante : ergo ad rationem generationis viventium non requiritur similitudo in natura ejusdem speciei.

Objec. prim.

Respondetur enim, generationem istam muli esse monstruosam et præter intentionem asini generantis, et ita non mirum, quod, etsi sit generatio viventis, non procedat in similitudinem naturæ specificæ, sed genericæ, et modo statim explicando. Quia diffinitio generationis viventium intelligitur de generatione non monstruosa, sed in qua unum vivens connaturaliter omnino procedit ab alio, qualis est generatio hominis ab homine, et equi ab equo : et de hac generatione viventium oportuit peculiariter in præsenti mentionem facere; quia de ea nunc loquimur, ut inde deducamus generationem Verbi divini : hæc autem debet esse omnino connaturalis, ut ex se constat; et ideo de generatione viventium omnino connaturali debebat D. Thomas diffinitionem tradere.

Respo. detur.

Quæ

Quæ solutio desumitur ex Aristotele 7 Metaphysicæ textu 8 his verbis : *In quibusdam vero palam : quia generans tale quidem est, quale generatum, nec tamen idem, nec unum numero, sed unum in specie, ut in Physicis. Homo namque hominem generat, nisi quid præter naturam fiat, ut equus mulum, et hoc quoque simile. Commune enim super equum, et asinum non est nominatum proximum genus, sunt autem ambo forsan velut mulus.* Quæ verba sic explicat D. Thomas ibidem lect. 7 : *Licet in aliquibus sit dubium, utrum generans sit simile generato, tamen in quibusdam palam est, quod generans sit quoddam tale, quale est generatum, non quidem unum numero, sed idem specie, ut patet in naturalbius : homo enim generat hominem, similiter equus equum, et unaquæque res naturalis aliam similem in specie sibi, nisi accidat aliquid præter naturam, sicut est, cum equus generat mulum, et dicitur ista generatio præter naturam, quia est præter intentionem naturæ particularis.*

Adde, posse etiam dici, quod ad rationem generationis viventium satis est, quod quantum est ex vi virtutis generativæ residentis in generante, produceretur genitum simile in natura specifica generantis; quamvis per accidens oppositum contingat, ut in mulo patet. Quæ solutio insinuatur a D. Thoma loco nuper citato, ubi sic inquit : *Virtus enim formativa, quæ est in spermate maris, naturaliter est ordinata, ut producat omnino simile ei, a quo sperma est decisum : sed de secundaria intentione est, quod quando perfecta similitudo induci non potest, inducatur qualiscumque potest similitudo; et quia in generatione muli sperma equi non potest inducere speciem equi in materia propter hoc, quod non est proportionata ad suscipiendam speciem equi, inducit speciem propinquam. Unde etiam in generatione muli est aliquo modo generans simile generato : est enim aliquod proximum genus, quod non est nominatum, commune equo, et asino, et sub illo genere continetur etiam mulus.*

Nec etiam refert si secundo contra eamdem diffinitionem objicias, quod, ut nuper dicebamus, ea generatio viventium in præsenti diffinitur, ex qua deducitur, Verbum divinum esse proprie genitum, et Filium : ergo debuit addi in diffinitione tradita, quod principium illius sit vivens, non qualecumque, sed cognoscens, et quod terminus illius sit etiam cognoscens : ac proinde prædicta diffinitio debuit sic tradi, nimirum, quod generatio sit *origo viventis cognoscentis a vivente cognoscente*, etc. Consequentia patet. Quia generatio Verbi divini vel non est generatio, vel, si est generatio, debet esse viventis cognoscentis a vivente cognoscente : ergo, ut colligeretur, hanc rationem generationis ei convenire, debebat tradi diffinitio generationis viventis cognoscentis in communi, quæ est, *origo viventis cognoscentis a vivente cognoscente*, etc. non vero ea, quam nos tradidimus, quæ est communis ad generationem viventium non cognoscentium.

Occurrunt Molina in præsenti § *Advertc-* 12.
rim, Vasquez disput. 113 cap. 1, Conimb. Solutio aliorum.
1 de Gener. cap. 4, quæst. 10 art. 1, re Molina.
vera addendas esse prædictas particulas in Vasquez. Conimb.
definitione generationis viventium, ut ex ea colligatur, Verbum in divinis esse genitum, et Filium : idque confirmant, tum ex D. Thoma 3 part. quæst. 32 art. 3 et super epistolam ad Ephesios cap. 3 lect. 9 ubi (ut ipsi aiunt) asserit, nomen patris et filii in solis cognoscentibus reperiri : tum etiam ex etymologia nominis *filii*, quod deducitur ex nomine Græco significante amorem, qui in solis cognoscentibus invenitur. D.Thom.

Cæterum contra hoc est. Tum, quod D. Thomas non meminit harum particularum, quæ ab his auctoribus definitioni generationis viventium adduntur. Tum etiam : quia, vel nomine cognoscentis intelligitur cognoscens actualiter, vel radicaliter. Non primum : quia, quod vivens genitor actu cognoscat, non est necessarium ad generationem : et ita generatio eodem modo se haberet, quamvis genitor, dum generat, nihil actu cognosceret, ut in creatis cernitur. Si vero secundum asseratur, ex eo quod terminus formalis generationis viventium cognoscitivorum est natura ipsa ut radicaliter cognoscitiva : tunc non erit necesse aliquam aliam particulam addere, ad hoc ut significetur, quod vivens genitum procedit simile in natura cognoscitiva : quia totum hoc explicatur in hac definitione per hoc, quod vivens genitum oriatur simile in eadem natura cum vivente, a quo generatur : et ita nec debet in ea exprimi actualis cognitio, nec natura ipsa ut radicaliter cognoscitiva : siquidem sensus illius ultimæ particulæ, nempe, *in similitudinem naturæ ejusdem speciei*, est, quod vivens generatum exeat simile secundum speciem in natura viva, quam habet generans; sive illa sit viva vita viventium non cognoscentium, sive vita viventium

Rejicitur hæc solutio.

cognoscentium : et ita viventia cognoscentia procedunt similia ex vi suæ generationis specialis in eadem natura cognoscitiva sui generantis : ac proinde ex hac definitione tradita a D. Thoma optime colligitur, quod Verbum in divinis debeat, ob rationem specialem suæ generationis intra propriam lineam consideratæ, seu ex vi hujus definitionis ut ei peculiariter applicatæ, procedere simile in eadem natura cognoscitiva sui generantis.

D.Thom.

13. Non favent adducta pro solutione juniorum.

Nec ea, quæ pro se adducunt prædicti juniores, eis favent. Non quidem primum. Quia D. Thomas 3 part. solum dixit, nomina hæc tribui proprie viventibus, et præcipue animalibus, idest, utentibus cognitione : ubi non negat, posse tribui aliquo modo proprie rebus viventibus, et carentibus cognitione, sed tantum, non tribui eis æque proprie, ac principaliter, sicut tribuitur animalibus. Unde idem S. Doctor 3 part. quæst. 35 artic. 3 ad 1 sic inquit : *Dicendum, quod paternitas, sive maternitas, et filiatio non competunt in quacumque generatione, sed in sola generatione viventium. Et ideo, si aliqua inanimata ex aliqua materia fiant, non propter hoc consequitur in eis relatio maternitatis, et filiationis, sed solum in generatione viventium, quæ proprie nativitas dicitur.* Et deinde neque secundum eis opitulatur. Tum : quia, ut junior quidam satis peritus notavit, in aliis linguis nomen *filii* non deducitur a nomine denotante amorem. Tum etiam : quia ex etymologia nominis non deducitur sufficiens argumentum ad probandum, debere id, a quo deducitur etymologia, convenire rei significatæ per illud.

D.Thom.

Aliter refutantur.

Accedit. Quod etsi demus, ad rationem patris, et filii desiderari, quod tam genitor, quam genitum sint naturæ cognoscitivæ : non tamen propterea in prædicta definitione deberet addi aliqua particula. Quia hæc definitio etiam extenditur ad generationes viventium cognoscitivorum, modo tamen nuper explicato : ex eo quod, ubi vivens genitor fuerit cognoscitivus, ibi, ob specialem rationem illius generationis, communicatur genito natura cognoscitiva, hoc ipso quod tali generationi competat tradita definitio, eique quoad ultimam ejus particulam peculiariter applicetur, ut dictum est : et per consequens ibidem etiam reperientur relationes paternitatis, et filiationis, ut in processione Verbi divini a Patre propter hanc rationem contingit. Et ideo ex hoc, quod Verbum divinum procedit a Patre per suum *intelligere*, et communicatur ei natura Patris, optime colligitur, procedere ab illo ex vi suæ generationis, ut filium a patre.

§ III.

Statuitur, rationem generationis substantialis, ut est communis, tam viventibus, quam non viventibus, non convenire processioni Verbi divini.

14. Tertia conclusio.

Dicendum est tertio, rationem generationis substantialis, prout est communis tam generationi viventium, quam non viventium, non convenire processioni Verbi in divinis. Hæc assertio aperte colligitur ex sacra pagina, ut patet ex illo Jacobi 1 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Constat autem ex dictis num. 2 rationem generationis, prout est communis ad generationem viventium, et non viventium, importare, vel petere mutationem. Unde assertionem hanc communiter docent Patres, et Theologi, peculiariter vero D. Thomas in hoc art. et 4 contra Gentes c. 14 his verbis : *In Deo generationem intelligibilem ponimus, non autem talem, qualis est in materialibus rebus, quarum generatio mutatio quædam est corruptioni opposita.*

Jac. 1.

D.Thom.

Ratio conclusionis ex D. Thoma.

Assertionis istius rationem adduxit divus Thomas in præsenti, et 4 contra Gentes cap. 14. Quoniam generatio, prout importat, aut petit mutationem, tantum potest convenire rebus, quæ exeunt, aut exire possunt de potentia in actum : Verbum autem divinum, cum sit in Deo, ut actus purus, nequit exire de potentia in actum : ergo ejus processioni non potest convenire ratio generationis importantis, vel petentis prædictam mutationem : ac proinde nec ratio generationis, prout est communis, tam viventibus, quam non viventibus : siquidem hæc affert, vel exigit prædictam mutationem, ut n. 2 asserebamus.

15. Confirmatur ex S. Doctore.

Confirmatur ratione deprompta ex eodem S. Doctore loco citato ex 4 contra Gentes, quamque etiam ex parte insinuat 2 de Anima lect. 12 et in hac 1 part. quæst. 9 art. 1 ad 1 et quæst. 18 art. 1. Quoniam verbum in nobis non producitur per actionem, quæ sit motus proprie, et stricte dictus, de quo in 3 Physicorum dicitur, quod *est actus entis in potentia, etc.* ut constat ex his, quæ in lib. Physicorum disput. 16 num. 13 et in lib. de Anima disputat. 21 num.

pl. num. 6, N. Complutenses docent : nec etiam habet rationem mutationis communiter dictæ, nisi quia nos intelligendo quodammodo procedimus de potentia in actum, ex eo quod non sumus semper in actuali cognitione : ergo in Deo processio Verbi, nec habebit rationem motus proprie, et stricte dicti, de quo in 3 Physicorum, nec etiam motus communiter sumpti : ac proinde nec ei conveniet ratio generationis competens tam viventibus quam non viventibus.

Hæc ultima consequentia patet ex dictis. Siquidem ratio generationis conveniens, tam viventibus quam non viventibus petit, quod sit motus, qui diffinitur in 3 Physicorum per hoc, *quod sit actus entis in potentia, etc.* ut prædicti Complutenses disp. ipl. citata num. 16 probant : ergo processioni Verbi, cui non convenit ratio motus communiter dicti, non poterit prædicta ratio generationis communis, tam viventibus quam non viventibus competere. Prima vero consequentia etiam constat. Quoniam, si processio nostri verbi non est motus proprie dictus, et in 3 Physicorum definitus, multo minus processioni Verbi divini hoc conveniet. Sicut nec ratio mutationis communiter dictæ conveniens processioni nostri verbi, eo quod non semper sumus in actuali intellectione, illi competet. Siquidem processio Verbi divini mensuratur æternitate : ac proinde semper, et indefectibiliter est in Deo. Antecedens autem quoad primam patet ex ibidem dictis. Quoad secundam vero etiam constat. Quoniam, si nos semper, et indefectibiliter essemus in actuali cognitione alicujus objecti, non esset unde quoad hoc esset in nobis aliqua mutatio, sive proprie, et stricte, sive communiter dicta.

§ IV.

Objectio contra hanc assertionem, et ejus solutio.

6. ...e tio ...tra ...clu- ...em. Nec refert, si objicias, quod juxta ea, quæ dubio sequenti dicemus, processioni Verbi divini competit definitio generationis viventium : ergo etiam ei competet definitio generationis, prout communis est, tam viventibus, quam non viventibus. Patet ...hom. consequentia. Quia, ut ex D. Thoma in hoc art. constat, ratio generationis, prout communis viventibus, et non viventibus, est essentialiter superior respectu generationis viventium : constat autem, quod cui conveniit ratio aliqua, debet etiam id, quod est essentialiter superius tali rationi, convenire. Sicut, cui convenit ratio hominis, debet etiam competere ratio animalis eidem homini conveniens, et communis.

Confirmatur. Quoniam, vel ratio generationis, prout dicit mutationem de non *esse* ad *esse*, competit generationi viventium per modum rationis genericæ, aut essentialiter superioris, vel non? Si primum. Ergo, cui convenit ratio generationis viventium, competet, propter rationem nuper tactam, ratio communis, tam generationi viventium, quam non viventium. Secundum autem dici nequit, ne ibidem detur duplex species atoma generationis : alia quidem consistens in hoc, quod vivens generetur generatione propria viventium; alia vero in hoc, quod transeat a non *esse* ad *esse* substantiale : siquidem utraque hæc ratio in productione viventium creatorum reperitur. Confirmatio.

17. Diluitur objectio. Respondetur enim distinguendo antecedens : *Processioni Verbi competit definitio generationis viventium :* prout generatio viventium abstrahit a generatione viventium, sive creata, sive increata, concedendum est : prout generatio viventium reperitur in creaturis, iterum distinguendum est antecedens, et concedendum, si intelligatur de prædicta generatione quoad id, quod de perfectione dicit, quodque est satis ad salvandam rationem formalem generationis viventium; negandum vero, si intelligatur quoad id, quod includit de imperfectione. Et deinde neganda est consequentia. Quoniam generatio, prout est communis generationi viventium et non viventium, non includitur in generatione viventium, prout abstrahit ab omni generatione viventium, sive creata, sive increata : sicut nec includitur in generatione viventium creatorum secundum id, quod perfectionis exprimit, sed secundum id, quod dicit imperfectionis.

18. Dilucidatur solutio. Explicatur hoc. Etenim generatio viventium potest sumi, vel primo secundum se, sive secundum rationem analogam omni generationi viventium, sive creatæ, sive increatæ : vel secundo, quatenus dicit generationem viventium creatorum. Si primo modo consideretur, nihil exprimit imperfectionis secundum rationem differentialem, secundum quam in hac abstractione distinguitur a generatione non viventium : nec in ea sic sumpta invenitur ratio generationis, prout est communis, tam ge-

nerationi viventium, quam non viventium : ac proinde ratio hæc analoga generationis viventium secundum suam rationem differentialem sic in communi sumptam non petit contrahere, tanquam quid sibi superius, rationem prædictam generationis, prout est communis generationi viventium et non viventium : nec aliquid aliud, quod imperfectionem dicat. Si vero secundo modo consideretur, tunc dicit aliquid imperfectionis, et aliquid perfectionis : perfectionis quidem, quia exprimit originem vitalem viventis a vivente, etc. : quod quidem satis perfectionis dicit, si sub hoc præciso conceptu consideretur. Imperfectionis vero, quia dicit rationem generationis viventium, non qualitercumque, sed ut determinatam ad generationem creatam. Nam secundum istam rationem dicit generationem viventium exeuntium de potentia in actum, et affert propriam rationem differentialem generationum viventium creatorum, ut contrahentem rationem generationis, prout est communis, tam viventibus, quam non viventibus : et per consequens in prædicta generatione viventium sic sumpta includitur per modum rationis superioris ratio illa generationis communis viventibus, et non viventibus.

Quare : etsi ex hoc, quod alicui conveniat ratio generationis viventium prout determinata ad viventia creata, colligatur, debere eidem convenire rationem generationis, prout est communis, tam viventibus quam non viventibus, seu (quod in idem quoad præsens redit) rationem generationis substantialis petentis mutationem de non *esse* ad *esse* : non tamen id colligitur ex hoc, quod alicui competat ratio generationis viventium, prout secundum suam rationem differentialem abstrahit a generatione viventium, sive creata, sive increata, vel prout dicit generationem viventium creatorum quoad id præcise, quod perfectionis exprimit. Unde, cum processioni Verbi divini conveniat definitio, et ratio generationis viventium, prout secundum suam rationem differentialem abstrahit a creata et increata, sive prout dicit generationem viventium creatorum quoad id, quod perfectionis habet, quodque est satis ad salvandam rationem formalem generationis viventium, non vero quoad id, quod imperfectionis includit, inde est, ut non conveniat eidem ratio generationis, prout est communis, tam viventibus, quam non viventibus.

Possuntque hæc omnia elucidari exemplo sapientiæ ut sic, secundum suam rationem differentialem consideratæ, vel sapientiæ creatæ eodem modo sumptæ. Nam sapientia ut sic, quoad rationem analogam, et differentialem sapientiæ abstrahentis a creata et increata, nihil exprimit imperfectionis, nec in hoc conceptu includitur per modum superioris essentialis ratio qualitatis, aut accidentis, aut quæcumque alia imperfectio. Et similiter sapientia creata modo dicto accepta licet, quatenus consideratur ut creata, dicat imperfectionem, et in ea includatur per modum superioris essentialis ratio communissima qualitatis, et accidentis : attamen, si concipiatur præcise, secundum quod est cognitio per altissimas causas, exprimit aliquid perfectionis : et secundum hanc rationem præcise sumpta non petit, quod indispensabiliter includat per modum superioris rationem communissimam qualitatis. Et propterea ratio sapientiæ, prout dicit cognitionem per altissimas causas, potest abstrahi a Deo, et creaturis, et in Deo inveniri, quin in eo includatur ratio aliqua qualitatis, aut accidentis.

Per quæ ad confirmationem satis patet, et simul, quomodo sit intelligendum id, quod D. Thomas in præsenti docet, dum ait, rationem generationis communiter dictam, seu prout est *mutatio de non esse ad esse*, convenire per modum superioris generationi viventium.

§ V.

Aliæ objectiones, et enodatio earum.

Nec refert, si urgeas, quod si ratio generationis viventium creatorum potest concipi secundum id, quod dicit perfectionis, et ab ea sic concepta potest abstrahi ratio communis generationis viventium, conveniens etiam processioni Verbi divini, non est cur generatio non viventium non possit concipi quoad id, quod est in ea perfectionis, nempe, prout est productio naturæ substantialis per se subsistentis : ac proinde non erit, cur ab ea sic sumpta non abstrahatur ratio communis generationis substantialis conveniens, tam non viventibus, quam etiam viventibus, sive increato, sive creatis : ergo, etc.

Respondetur enim negando antecedens. Quoniam, licet generatio viventium creatorum secundum suam rationem genericam dicat

dicat imperfectionem, quatenus includit generationem communem, tam viventibus, quam non viventibus, nempe, mutationem de non *esse* ad *esse* : attamen secundum suam rationem differentialem conceptam præcise, secundum quod exprimit esse originem *viventis a vivente, etc*, non concipiendo rationem limitationis ibidem repertam, non exprimit imperfectionem : et in hoc ipso, quod ibidem exprimitur, salvatur vera ratio generationis viventium prout distincta a generatione non viventium.

Cæterum ratio generationis non viventium habet, tam secundum rationem generationis communem viventibus, et non viventibus creatis, quam secundum suam rationem differentialem, involvere, et exprimere aliquid imperfectionis : ita ut, nisi hæc exprimatur, non salvetur ibidem vera ratio generationis. Nam secundum rationem genericam dicit rationem mutationis substantialis de non *esse* ad *esse*, prout abstrahit a mutatione a non *esse* ad *esse* vitæ, et a mutatione a non *esse* ad *esse*, quod non sit *esse* vitæ : sicut etiam secundum suam rationem differentialem, secundum quam distinguitur a generatione viventium, addit, quod hæc mutatio sit ad *esse* excludens vitam. Unde, licet ibidem inveniatur ratio productionis naturæ substantialis per se subsistentis; non tamen in hac ratione salvatur quidditas generationis substantialis; sed solum ratio communis ad creationem, et generationem : ac proinde, usque dum concipiatur ratio generationis, quæ sit contrahibilis per generationem non viventium, seu per rationem differentialem ipsius.

Ratio autem, ob quam dicimus, generationem non viventium secundum utramque rationem generationis sumptam exprimere illud imperfectionis jam explicatum, generationem vero viventium non necessario illud explicare, non potest aliunde melius reddi, quam ex definitionibus traditis ab Aristotele, et D. Thoma, communiterque receptis ab eorum discipulis. Nam quoties agitur de essentiis rerum, tunc optima via ad eas investigandas et declarandas est stare definitionibus a Principibus illius scientiæ, in qua de illis agitur, traditis, et ab eorum discipulis unanimi consensu admissis. Stando ergo quoad præsens in definitionibus generationis viventium, et generationis communis viventibus, et non viventibus, necnon et generationis non viventium, planum fiet id, quod diximus. Nam in definitione generationis viventium est aliquid, quod exprimat perfectionem, non exprimendo imperfectionem, quodque sit satis ad generationem viventium, ut intuenti constabit : cum tamen in definitione generationis, ut est communis viventibus, et non viventibus, et generationis non viventium nihil reperiatur, quod sit satis ad rationem generationis, quod non exprimat aliquid imperfectionis : si quidem generatio, prout est communis viventibus, et non viventibus, definitur per hoc, quod sit *mutatio de non esse ad esse :* et generatio non viventium per hoc, quod sit *mutatio ad esse excludens vitam :* et nec ratio mutationis ad *esse* nec ratio mutationis ad *esse excludens vitam*, quæ requiruntur ad prædictas rationes generationis, possunt non exprimere aliquid imperfectionis.

Quare : sicut inde colligimus, sapientiam creatam involvere aliquid imperfectionis, et aliquid perfectionis denudabilis ab imperfectione, et transferibilis ad Deum, quia definitur inter alia per hoc, quod sit *cognitio per altissimas causas*, et in isto conceptu præciso, ut revera præscindi potest a limitatione, quæ ibidem reperitur, ex hoc quod sapientia illa sit creata, non exprimitur imperfectio : et similiter ex eo, quod homo definitur per *animal rationale*, et in hoc conceptu expresso non potest non involvi, et explicari imperfectio, colligimus illum sub eo conceptu hominis non esse denudabilem ab imperfectionibus, nec rationem hominis posse abstrahi a Deo, et creaturis. Ita ex hoc, quod generatio viventium creatorum definitur per hoc, quod *sit origo viventis, etc.* et in hoc conceptu præciso (ut revera præscindi potest a limitatione, quæ ibidem reperitur, ex eo quod est origo viventis creati ut talis, etc.) non exprimitur imperfectio, colligimus, posse abstrahi rationem quamdam generationis viventium denudabilem ab imperfectionibus, in qua prædicta generatio consistat, et hanc esse ponibilem in Deo. Et similiter ex hoc, quod generatio non viventium definitur per hoc, quod secundum rationem generalem generationis contrahibilem per rationem differentialem generationis non viventium sit *mutatio de non esse ad esse*, et secundum rationem differentialem generationis non viventium per hoc, quod sit *mutatio ad esse excludens vitam*, et in hoc conceptu adhuc præciso a limitatione generali creaturæ exprimitur imperfectio, colligemus, rationem generationis non viventium, 22.

necnon generationis ut sic, prout est contrahibilis ad generationem non viventium, non esse denudabilem ab imperfectionibus, nec transferibilem ad Deum : ac proinde non esse dabilem rationem generationis abstractam a generatione viventium, et non viventium, quæ sit ponibilis in Deo.

23. Alia objectio. Unde nihil obest id, quod junior quidam objicit, nempe, Aristotelem, et D. Thomam solum definiisse generationem non viventium creatorum ut talium. Et similiter, dum Angelicus Doctor dixit, generationem, ut est communis viventibus, et non viventibus, non reperiri in Deo, solum loqui de ea ut præcise est communis ad generabilia, et corruptibilia : et propterea asseruit, quod *nomine generationis dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia, et corruptibilia : et sic generatio nihil aliud est, quam mutatio de non esse ad esse.* Sicut e contra, dum definivit generationem viventium, quia loquebatur de illa in omni sua abstractione, idcirco non restrinxit eam ad peculiaria viventia, sed absolute de ipsa, ut est generatio viventium, locutus est ; et ita addidit : *Alio modo proprie in viventibus : et sic generatio significat originem alicujus viventis, etc.*

Angel. Doctor.

Responsio. Respondetur enim ex modo dictis, quod hoc ipso, quod divus Thomas definiens generationem, prout est communis viventibus, et non viventibus corruptibilibus, tantum definivit eam per *permutationem de non esse ad esse*, quæ indenudabilis est ab imperfectionibus, et ab expressione earum, satis innuit, esse talis conditionis, ut nihil sit in ea sufficiens ad rationem generationis, a quo possit abstrahi ratio generationis non exprimens aliquid imperfectionis, et quæ possit simul abstrahi a Deo, seu a divina generatione, et esse communis ipsi et aliis. Sicut hoc ipso quod (ut modo dicebamus) in definitione hominis nihil ponatur, quod sit satis ad salvandam rationem hominis, nisi *animal rationale*, quod est indenudabile sub hoc conceptu ab expressione imperfectionum, denotatur, rationem hominis formaliter talem non posse esse essentialiter communem Deo, et nobis : ac proinde non posse ab utroque talem rationem abstrahi.

24. Explicatur solutio et simul roboratur assertio tertia. Possuntque hæc omnia explicari, et simul confirmari nostra tertia assertio ex eo quod, si quis contenderet, rationem accidentis esse denudabilem ab imperfectionibus, ac proinde transferri posse ad Deum, tunc optime falsitatis convinceretur adducendo definitionem traditam ab Aristotele, et divo Thoma, et communiter ab eorum discipulis receptam, nempe, quod *accidentis esse est inesse*, in qua definitione nihil ponitur, quod sit satis ad rationem accidentis, quod non exprimat imperfectionem, ut intuenti constabit. Et ita licet talis definitio tradita sit de accidenti creato, nihilominus ratio accidentis non est denudabilis ab imperfectionibus, nec poterit dari vera ratio formalis illius, quæ sit communis Deo, et creaturis : quandoquidem ad id desideraratur, ut esset aliquid in prædicta definitione sufficiens ad rationem accidentis, quod non exprimeret imperfectionem.

Sicut e contra ad hoc ut ratio sapientiæ sit denudabilis ab imperfectionibus, et transferibilis in Deum, requiritur, ut, dum definitur sapientia creata per hoc, quod sit *habitus cognoscitivus per altissimas causas*, sit ibi aliquid sufficiens ad rationem sapientiæ secundum suam rationem differentialem consideratæ (ut revera est,) quod sit denudabile ab imperfectionibus, nempe, ratio cognoscitivi per altissimas causas. Ita ergo in præsenti proportionabiliter philosophandum est.

Unde, sicut contendens, rationem accidentis esse denudabilem ab imperfectionibus, et eam non consistere in inhærentia adhuc aptitudinali, sed in ratione alia, quæ alias est conjuncta cum prædicta inhærentia, non solum optime convinceretur adducendo contra illum prædictam diffinitionem, et modo explicato eam expendendo ; sed etiam hæc esset melior, et accommodatior via ad hoc intentum, imo forte non esset alia via ad id idonea : sic hoc ipsum in præsenti, proportione servata, dicendum est.

§ VI.

Aliæ duæ objectiones, et responsio ad illas.

Ex quibus omnibus fit primo, nihil obesse, si ulterius insistas, quod hæc propositio, *generatio viventium, prout abstrahit a creata, et increata, est essentialiter generatio*, non potest non admitti, ut ex se constat : ergo ratio generationis, prout est communis tam viventibus, quam non viventibus, convenit essentialiter generationi viventium, prout abstrahit a creata, et increata : ac proinde processioni Verbi divini. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam, quod convenit essentialiter alicui, convenit eodem

eodem modo ei, quod continetur sub illo : sicut, quod competit essentialiter animali, competit etiam essentialiter homini sub animali contento. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quia prædicatum prædictæ propositionis non est generatio viventium, prout abstrahit a creata, et increata. Tum : quia id ex terminis ipsis videtur constare. Tum etiam : quia illa propositio non est omnino identica, sed distincta ab hac, nempe, *generatio viventium, prout abstrahit a creata, et increata, est generatio eorumdem viventium, prout eodem modo abstrahit a creata, et increata* : ergo prædicatum prædictæ propositionis erit generatio ut sic, prout abstrahit a generatione, sive illa sit viventium, sive non viventium : quia non restat aliud, pro quo illud prædicatum accipiatur : et per consequens prædicta generatio abstrahens à generatione viventium, et non viventium convenit essentialiter generationi viventium, prout abstrahit a creata, et increata.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Nam licet prædicatum prædictæ propositionis non sit ex vi verborum præcise sumptorum generatio viventium in abstractione jam explicata; attamen, quia talia sunt prædicata, qualia exiguntur ab eorum subjectis, ut communiter docent Dialectici, propterea illud prædicatum restringitur ratione subjecti ad hoc, ut ex parte rei prædicatæ solummodo prædicetur generatio viventium ; non vero generatio, ut est communis etiam non viventibus : ex eo quod, ut jam diximus, generatio viventium, ut abstrahit a creata, et increata, non habet supra se aliquam aliam rationem generationis.

Potestque hoc explicari exemplo hujus propositionis : *Ens verum, et reale, prout abstrahit a creato et increato, est essentialiter ens*. Nam juxta opinionem eorum, quos nostri Complutenses in sua Logica disput. 1 n. 6 referunt, quique dicunt, ens, prout abstrahit a reali, et rationis, non prædicari analogice, sed solum pure æquivoce de ente reali et rationis, ac proinde solum nomen esse commune illis, tunc prædicatum prædictæ propositionis licet ex vi verborum non denotet ens reale, nihilominus ratione subjecti restringitur ad hoc, ut ex parte rei prædicatæ solum prædicetur prædictum ens reale : ex eo quod juxta opinionem hanc ens reale non habet per modum prædicati superioris sibi essentialis aliquod aliud prædicatum, cujus ratio significata possit de eo prædicari.

Aliud exemplum. Quod etiam videre licet in aliis propositionibus, ut in hac : *Canis latrabilis est essentialiter canis*. Nam, ex eo quod hoc prædicatum ex vi verborum, et præcise sumptum est æquivocum ad canem latrabilem, et alios canes, propterea ratione subjecti restringitur ad hoc, ut, si attendamus ad rem significatam, et prædicatam, tunc ex parte ejusdem rei prædicatæ solum prædicetur canis restrictus ad canem latrabilem, licet vox sit communis omnibus canibus. Sic ergo in præsenti philosophandum est. Nam generatio, ut hoc nomine significatur, tantum dicitur æquivoce de generatione non viventium, et de generatione viventium, prout abstrahit a creata, et increata.

27. Satisfit objectioni in forma. Unde ad formam argumenti concesso antecedenti neganda est utraque consequentia. Et ad probationem primæ consequentiæ, in qua innititur probatio secundæ, negandum est antecedens intellectum de prædicato ex parte rei, quæ prædicatur. Ad cujus priorem probationem negandum etiam est antecedens propter rationem datam : et ad posteriorem distinguendum est antecedens : et si sensus illius sit, quod illa propositio non est omnino identica ex parte rei prædicatæ, negari debet : si vero sensus fuerit, non esse omnino identicam ex parte modi prædicandi, seu potius ex parte nominis, ex eo quod nomen illud est æquivoce commune, tam generationi viventium, ut abstrahit a creata, et increata, quam generationi non viventium, concedi poterit : et deinde neganda est prima consequentia intellecta de prædicato ex parte rei prædicatæ : atque adeo debet absolute negari ultima consequentia.

28. Alia replica. Fit secundo, nihil obesse, si urgeas, non cohærere ista cum illis, quæ disp. 1 hujus tractatus n 25 diximus, nempe, Verbum divinum produci de substantia, vel ex substantia Patris tanquam ex actu purissimo : ergo, etc. Antecedens probatur. Quoniam, si semel Verbum producitur de substantia Patris, tunc generatio illius conveniet cum generatione, prout abstrahit a generatione viventium, in hoc, quod sit productio ex aliquo, prout præscindit ab hoc, quod sit ex aliquo tanquam ex pura potentia, et ex aliquo, ut ex actu purissimo in similitudinem ejusdem naturæ sive specificæ, sive genericæ, sive analogicæ : ergo etiam conveniet cum generatione non viventium in ratione generationis ut sic : et per conse-

quens ista quæ nuper dicebamus, non cohærebunt cum illis, quæ loco citato asseruimus.

Prima consequentia (ex qua secunda pendet) videtur aperte sequi ex antecedenti. Quoniam productio ex aliquo in prædicta abstractione nec dicit productionem, quæ sit creatio, quippe quæ non est ex nihilo; cujus tamen oppositum ad creationem desideratur, neque productionem, quæ sit conversio : nam ad hanc desideratur, ut sit ex aliquo tanquam ex termino *a quo*, quod secundum se pereat, et convertatur in terminum *ad quem* : cum tamen productio ex aliquo, sive ut ex pura potentia, sive ut ex actu, de qua in præsenti loquimur, involvat, quod illud aliquid, ex quo res producitur, maneat formaliter in producto. Nec tandem dicit rationem productionis, abstrahit a creatione, et generatione, ut ex nuper dictis facile colligi potest. Ergo dicet rationem generationis : quia non restat aliud actionis genus præter enumerata. Ergo, cum ratio hæc possit esse communis generationi non viventium, ut intuenti constabit, fit inde, ut processio Verbi divini conveniat cum generatione non viventium in ratione generationis ut sic.

29. Confirmatio. Confirmabis. Quoniam saltem ratio productionis ex aliquo, prout præscindit ab hoc, quod sit ex illo tanquam ex actu purissimo, vel tanquam ex potentia in similitudinem naturæ specificæ potest abstrahi a generatione Verbi divini, et a plurimis generationibus non viventium : et tamen ratio hæc est denudabilis ab imperfectionibus, et sufficiens ad rationem generationis ut sic, prout est communis generationi prædictorum non viventium, et Verbi divini, ut ex discursu nuper facto constat : ergo jam poterit saltem dari aliqua ratio generationis communis prædictis generationibus non viventium, et Verbi Dei.

Enodatur replica cum sua confirmatione. Ex dictis igitur, fit, id nihil obesse. Quoniam etsi rationes prædictarum productionum (de quibus tam in objectione ista, quam in ejus confirmatione fit sermo) possint abstrahi a generatione Verbi divini, et omnium, vel aliquorum non viventium : hæ tamen rationes non sunt satis ad generationem, sed sunt conceptus inadæquati illius, ut ex definitionibus generationum a nobis expensis constat : et ita, licet non constituant aliquam ex actionibus in objectione recensitis, non ideo habebunt adæquate rationem generationis, sed solum esse quid ad illam desideratum. Unde, ex eo quod hæ rationes sint abstrahibiles a Deo, et creaturis, non idcirco ratio generationis poterit ab eisdem abstrahi. Sicut licet ratio entis, aut substantiæ, vel intellectivi sint conceptus inadæquati hominis, et isti possint abstrahi a Deo, et creaturis, non tamen propterea ratio hominis sub conceptu et ratione hominis erit sic abstrahibilis : quia rationes illæ tantum sunt inadæquatæ respectu ejus, et non sufficientes ad rationem ejusdem hominis constituendam.

DUBIUM II.

Utrum processioni Verbi divini conveniat ratio generationis viventium?

Postquam explicuimus, rationem generationis, prout est communis tam viventibus, quam non viventibus, non convenire processioni Verbi divini, restat, ut explicemus, an ratio generationis viventium, ac proinde definitio illius, quam dubio præcedenti tradidimus, prædictæ processioni competat.

§ I.

Veritas catholica.

Dicendum ergo est, processioni Verbi divini convenire rationem generationis viventium. Hæc est de fide. Nam Psalmo 2 dicitur : *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Quod testimonium intelligitur a Paulo ad Hebræos 1 de æterna ac naturali generatione, et filiatione Verbi : et ita, ut ostendat, Christum non esse Filium Dei adoptivum, sicut cæteri alii justi, aut Angeli beati, sed esse Filium Dei naturalem, ac proinde verum Deum, utitur hoc testimonio dicens : *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Unde illud intelligunt communiter Patres de æterna ac naturali generatione Verbi, ut Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10 sub initio, Basilius lib. 2 contra Eunomium, Augustinus ad eumdem Psal. 2 et in Enchiridio c. 49, Fulgentius objectione 3 Arrianorum, Gregorius lib. 32 Moralium cap. 6 in fine, Isidorus lib. 1 contra Judæos c. 1, Tertullianus contra Praxeam c. 7 et 11, Anastasius Sinaita lib. qui inscribitur *Viæ dux* c. 2, § *De filiatione*, Cyrillus noster Alexandrinus

drinus in Joannem c. 4 et de recta Fide ad Reginas, § *Eum autem*, necnon D. Thomas in hoc art. et 4. contra Gentes c. 2.

Nec refert, hoc testimonium intelligi etiam a Paulo Actorum 13 de Resurrectione Christi : et ita ibidem dicitur : *Resuscitans Jesum, sicut et in Psal. 2 scriptum est : Filius meus es tu : ego hodie genui te.*

Non itaque hoc refert. Tum : quia, ut communiter docent Theologi, eadem verba Scripturæ solent habere multiplicem sensum litteralem, ut hic contingit. Tum etiam : quia hic Paulus ideo adduxit prædicta verba, dum agit de Resurrectione Christi Domini, quia per illam manifestata est filiatio naturalis, et generatio æterna ipsius. Nam sicut ad Romanos 1 inquit, quod *Christus prædestinatus est* (idest, *manifestatus est*, secundum expositionem Græcorum) *Filius Dei in virtute per resurrectionem mortuorum* : ita hoc ipsum in prædicto testimonio Actorum 13 innuit : quia sicut resurrectio mortuorum in virtute Christi manifestavit, illum esse Filium Dei naturalem : ita etiam Resurrectio ipsius Christi considerata quoad omnes ejus circumstantias habet eamdem filiationem naturalem manifestare.

Ex quo etiam fit, nihil referre id, quod aliqui (D. Thoma teste loco citato ex 4 contra Gentes) volunt nempe, testimonium hoc intelligi de Davide. Tum : quia, adhuc hoc admisso, poterat etiam de Verbo divino juxta nuper dicta litteraliter intelligi. Tum etiam : quia evasionem hanc optime refellit D. Thomas cap. dicto ex 4 contra Gentes his verbis : *Neque enim Davidi potest competere quod additur : Ego hodie genui te; et quod subditur : Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ : cum ejus Regnum non usque ad terminos terræ fuerit dilatatum, ut historia libri Regum declarat.*

Eamdem etiam veritatem probant omnia Scripturæ testimonia, in quibus dicitur, Verbum, sive Christum esse Filium Dei, vel Deum esse Patrem illius, ut Matthæi 11 : *Nemo novit Filium, nisi Pater neque Patrem quis novit nisi Filius.* Et Marci 1 : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei.* Joannis 3 : *Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus*, etc., et cap. 5 : *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat.* Paulus etiam Apostolus hæc verba frequenter adducit : dicit enim ad Roman. 1 : *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo.* Et ad Hebr. 1 : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et alibi sæpe. Ad Heb. 1.

Quæ testimonia congerit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 2 et ex illis probat, quomodo Verbum sit Filius Dei naturalis, ac proinde sit vere genitus generatione viventium. Quia ut ipse ibidem inquit, *nomina Patris, et Filii generationem aliquam* (nempe generationem viventium) *consequuntur* : et ut optime notavit Fulgentius : *Ad duas objectiones Arianorum*, versum finem, *quis Filium dicat, et genitum nesciat? Quis Patrem valeat credere, quem non considerat genuisse?* Et Augustinus 5 de Trinitate cap. 6 prope medium : *Ideo Filius, quia genitus : et quia Filius, utique genitus.* Et c. 7 : *Hoc significatur, cum dicitur genitus, quod significatur, cum dicitur Filius : ideo enim Filius, quia genitus : et quia Filius, utique genitus.* D.Thom. Fulgent. August

32. Erronea interpretatio testimoniorum Scripturæ.

Nec obest, si dicas, prædicta testimonia intelligi, vel de filiatione adoptiva ; vel, quod nomina *Patris*, et *Filii*, ac proinde ratio generationis ex eis deducta, sumuntur late, prout denotant quodcunque principium, et quemcumque terminum ab alio procedentem, ac tandem quamcumque productionem etiamsi illa sit creatio : nam sæpe Scriptura utitur prædictis nominibus ad creationem rerum explicandam.

Non itaque hoc obest. Nam errorem hunc optime impugnat Angelicus Doctor 4 contra Gentes cap. 3 his verbis : *Considerandum tamen, quod prædictis nominibus divina Scriptura utitur etiam ad creationem rerum ostendendam. Dicitur enim Job 38 : Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stilias roris? De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cælo quis genuit? Ne igitur nihil aliud ex paternitatis, filiationis, et generationis vocabulis intelligeretur, quam creationis efficacia, addidit Scripturæ auctoritas, ut eum, quem Filium, et genitum nominabat, etiam Deum esse non taceret : ut sic prædicta generatione aliquid amplius, quam creatio intelligeretur. Dicitur enim Joannis 1 : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et quod Verbi nomine Filius intelligatur, ex consequentibus ostenditur. Nam subdit : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Et Paulus dicit ad Titum 3 : Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Rejicitur. Angel. Doctor.

Idem S. Doct. Ut hoc autem magis explicaret, et confirmaret, addit S. Doctor : *Hoc etiam veteris testamenti Scriptura non tacuit, Christum Deum nominans : dicitur enim in Psalmo : Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui, dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. Et quod ad Christum dicatur, patet per id, quod subditur. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et Isaiæ* 9 *dicitur : Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis Sic igitur ex sacra Scriptura docemur Filium Dei a Deo genitum Deum esse. Filium autem Dei Jesum Christum Petrus confessus est, ei dicens : Tu es Christus Filius Dei vivi. Ipse igitur et unigenitus est, et Deus est* : ac proinde, hoc ipso, quod dicatur in Scriptura *genitus*, et *Filius*, non potest intelligi per hæc verba, quod sit creatus, aut Filius Dei adoptivus : siquidem hæc duo Deo repugnant.

33. Quod etiam amplius confirmavit idem S. Doctor 4 contra Gentes, tum cap. 7 ratione 1 ubi sic ait : *Cum enim Scriptura divina, et Christum Dei Filium, et Angelos Dei filios nominat : alia tamen, et alia ratione. Unde Apostolus Hebræorum* 1 *dicit : Cui dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? quod ad Christum, asserit, esse dictum. Secundum autem positionem prædictam eadem ratione Angeli filii Dei dicerentur, et Christus : utrisque enim unum nomen filiationis competeret secundum quamdam sublimitatem naturæ, in qua creati sunt a Deo. Nec obstat, si Christus sit excellentioris naturæ præ Angelis. Quia etiam inter Angelos, ordines diversi inveniuntur : et tamen omnibus eadem filiationis ratio competit.* Tum etiam ratione 2 ejusdem capitis, ubi sic inquit : *Cum ratione creationis* (adde, necnon ratione gratiæ adoptivæ) *nomen filiationis divinæ multis conveniat, puta omnibus Angelis et Sanctis : si etiam eadem ratione Christus filius diceretur, non esset unigenitus : licet per excellentiam suæ naturæ inter cæteros primogenitus posset dici. Asserit autem eum Scriptura esse unigenitum Joan.* 1 : *Vidimus eum, quasi unigenitum a Patre.*

34. Isaiæ ult. Præterea eadem veritas assertionis nostræ continetur in illo Isaiæ ultimo : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Quod testimonium sic explicat Angelicus Doctor 4 contra Gent. cap. 2 : *Licet dici possit, hoc esse referendum ad multiplicationem filiorum Israel de capitivitate revertentium in terram suam, quia præmittitur : Parturivit et peperit Sion filios suos : tamen hoc proposito non obsistit : ad quodcumque enim ratio aptetur, ipsa tamen ratio, quæ ex Dei ore inducitur, firma et stabilis manet : ut, si ipse aliis generationem tribuat, sterilis non sit. Nec esset conveniens, ut, qui alios vere generare facit, ipse non vere, sed per similitudinem generet : cum oporteat, nobilius aliquid esse in causa, quam in causatis, ut ostensum est. Joannis etiam* 1 *dicitur : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Et iterum : Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Et Paulus dixit Hebræorum* 1 : *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Quod etiam optime explicuere Athanasius lib. 3 contra Arianos prope initium, his verbis : *Quod si non fæcunda, sed sterilis est divina substantia, ut lux non lucens, aut fons, qui amissis fluentis exaruit : qui fit, ut vim condendi illum habere dicentes nullo pudore suffundantur.* Cyrillus noster Alexandrinus Dialogo de Trinitate lib. 1 col. penultima, ubi Arianos ita vituperat : *Ipsam Dei Patris naturam in hoc simul dehonestant : quandoquidem contendunt, non esse fructiferum, et spoliant eum gignendi facultate : cujus tamen figuras parturiens, et fructificans creaturarum natura in se declarat.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7 sub initio : *Nam qui omnibus vim gignendi compartitur, eum hac facultate privare, impium sane fuerit.*

Nec obstat, si dicas, quod si hoc testimonium aliquid probaret, convinceret utique, etiam Filium, et Spiritum sanctum generare ad intra, quippe qui tribuunt etiam creaturis virtutem generandi.

Non igitur hoc obstat. Quoniam testimonium hoc Isaiæ solum intelligitur, juxta Sanctorum doctrinam, de prima persona Trinitatis : ex eo quod sola ipsa habet a se communicare creaturis virtutem generandi : cum tamen aliæ personæ hoc habeant a Patre. Et propterea, ut infra dicetur, sola prima persona habet ad intra generare. Unde Angelicus Doctor, loquens in speciali quæst. 9 de Potentia art. 9 ad 9 de Patre : et

et Filio, inquit : *Sequitur autem, quod sit in Deo generatio ex hoc, quod tribuit aliis generationem, ut causa effectiva, et exemplaris. Pater autem est exemplar generationis, ut generans : sed Filius ut genitus* (ac proinde habens a Patre totum suum *esse*, et virtutem, qua tribuit creaturis, quod generent). *Unde non oportet, quod generet.*

36. Prover. 8. Et licet hæc eadem veritas posset pluribus aliis Scripturæ testimoniis suaderi, ut ex Proverbiorum 8 ubi sapientia increata (nempe Verbum) de se ipsa inquit : *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram :* et post pauca : *Ante omnes colles ego parturiebar.* Quod testimonium intelligunt communiter Patres de generatione Verbi divini. Necnon ex illo Psalmi 109 : *Ex utero ante luciferum genui te.* Quæ verba fere omnes antiqui Patres de æterna Christi generatione explicant. Ac tandem ex illo Isaiæ : *Generationem ejus quis enarrabit?* Quod testimonium de æterna Christi processione communiter exponitur a Patribus. Licet ergo ex his et aliis pluribus testimoniis possit hæc veritas suaderi : nihilominus consulto, ob evitandam prolixitatem, ea omittimus : addentes tantummodo, prædictam veritatem esse propter testimonia adducta definitam in Symbolo Apostolorum : *Et in Jesum Christum Filium ejus.* In Symbolo Athanasii : *Filius a Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.* In Concilio Nicæno in professione fidei, ubi habentur verba relata ex Symbolo. Et in Concilio Ephesino sub Theodosio juniore, et Cœlestino Papa I Canone 13 sic habetur : *Ait igitur Magna, et Sancta Synodus, ipsum, qui est ex Deo Patre naturaliter natus, Filius unigenitus, etc.* Et tandem hoc ipsum dicitur in epistola 1 Clementis ad Jacobum fratrem Domini. In epist. Xisti I ad omnes Christi fideles. In epist. Xisti II ad Gratum quemdam episcopum. Nec non in aliis Pontificum epistolis. Et ideo hoc ipsum omnes Theologi, ut de fide, fatentur.

[Psal. 109. — Isaiæ 53. — Symbol. Apostol. — Symb. Athan. — Concil. Nicænum. — Conc. Ephes. — Clem. P. — Xist. I. — Xist. II.]

§ II.

Veritas catholica ratione ex definitione generationis viventium desumpta stabilitur.

37. Prima ratio fundamentalis. Ratio prior, et fundamentalis pro assertione desumitur ex D. Thoma in hoc art. et potest ad hanc formam reduci. Nam processioni Verbi divini conveniunt omnes particulæ definitionis generationis viventium, nempe, *quod sit origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ :* ergo prædictæ processioni vere, et proprie conveniet ratio generationis viventium. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur discurrendo per singulas particulas definitionis. Nam in primis, processio Verbi divini est *origo viventis a principio vivente.* Quia propterea dicitur Matthæi 16 : *Tu es Christus filius Dei vivi*, idest habens vitam a Patre vivente. Et Johannis 11 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Et ratio est. Quoniam processio, per quam Verbum divinum procedit, est operatio vitalis, nempe intellectio Paterna, quæ, hoc ipso quod vitalis, debet tam ipsa, quam id, quod per illam indispensabiliter procedit (ut in præsenti contingit) procedere a principio vivente. Unde, adhuc in nobis, verbum est terminus vitalis, et indispensabiliter petens actionem vitalem, nempe intellectionem, per quam producatur, necnon et principium vitale utriusque.

[Processio Verbi divini est origo viventis a principio vivente. — Matt. 16. — Joan. 11.]

38. Est etiam a principio conjuncto. Deinde, quod prædicta processio Verbi divini sit *a principio conjuncto*, satis constat. Tum ex illo Joannis 1 : *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris.* Ubi satis denotatur conjunctio Verbi cum suo principio. Tum ex illo Sapientiæ : *Ego jam concepta eram.* Quia, ut explicat D. Thomas 4 contra Gentes cap. 11 prope finem : *Id quod generatur, quandiu in generante manet, dicitur esse conceptum. Verbum autem Dei ita est a Deo genitum, quod tamen ab ipso non recedit, sed in eo manet.* Tum denique : quia per hanc particulam *a principio conjuncto* significatur specialis modus, quo viventia naturali modo producuntur a generante conferente (modo in dubio præcedenti tacto) aliquid substantiæ suæ, quod in substantia genita includatur. Constat autem, Verbum in divinis ita procedere a Patre : siquidem, ut statim dicemus, procedit ab illo, ut a conferente eidem Verbo ipsammet numero substantiam, seu essentiam, quæ est in Patre. Et propterea in Concilio Nicæno Verbum dicitur Filius unigenitus de Patre, hoc est, de substantia Patris, seu, cui Pater eamdemmet substantiam, et essentiam communicavit. Sicut etiam ob eamdem rationem Joannis 10 dixit Christus : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Quo testimonio utitur Concilium Lateranense in cap. *Damnamus*,

[Joan. 1. — Prover. 8. — D. Thom. — Concil. Nic. — Joan. 10. — Conc. Later.]

De summa Trinitate, ad probandum, Filium produci de substantia Patris.

Et ratio horum est. Nam cum Verbum divinum procedat per actionem immanentem, oportet, ut maneat in principio a quo procedit, ac proinde oriatur a principio conjuncto. Cumque, omnibus quæ manent in Deo communicetur aliquid ex vi suæ processionis, quod idemmet sit in suo producente, sive in principio, a quo procedunt : et propterea etiam Spiritui sancto communicatur ex vi processionis ipse amor divinus, et essentialis : fit inde, ut Verbo divino, cui cuncta hæc conveniunt, debeat etiam competere, quod oriatur a principio conjuncto.

39. Probatur tandem quod sit in similitudinem naturæ. Sapient. 7. Ad Coloss. 1 Joan. 10. D.Thom.

Tandem in quod ultima particula, nempe, *in similitudinem naturæ*, conveniat processioni Verbi divini, constat. Tum ex illo Sapientiæ 7 et ad Colossenses 1 ubi Verbum vocatur imago Dei : imago autem perfecta, qualis est Verbum divinum, debet esse in similitudinem omnimodam naturæ. Et ideo Joannis 10 dicitur : *Ego et Pater unum sumus.* Quam probationem prosequitur D. Thomas 4 contra Gentes cap. 7 his fere verbis : *Nulla substantia creata repræsentat Deum quantum ad ejus substantiam. Quidquid enim ex perfectione cujuscumque creaturæ apparet, minus est, quam quod Deus est. Unde per nullam creaturam sciri potest de Deo, quid est. Filius autem repræsentat Patrem. Dicit enim de eo Apostolus ad Colossenses* 1 *quod est imago invisibilis Dei. Et ne æstimetur esse imago deficiens, essentiam Dei non repræsentans, per quam non possit cognosci de Deo, quid est, sicut vir dicitur imago Dei*, 1 *Corinthiorum* 11 *ostenditur*, *perfecta est imago*, *ipsam Dei substantiam repræsentans ad Hebræos* 1 *dicente Apostolo : Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Ergo Verbum erit ejusdem naturæ cum Patre : siquidem, quod non est ejusdem naturæ cum illo, non potest ipsum perfecte repræsentare.

D.Thom. Tum etiam ex ratione, quam D. Thomas in hoc art. adducit ad probandum, particulam istam convenire processioni Verbi divini, nempe, quod *intelligere* Dei est *esse* Dei, idest, ipsissima (ut sic dicamus) essentia, et natura Dei absque distinctione virtuali. Nam hoc ipso, quod Verbum procedat per intellectionem divinam (ut Angelicus Doctor in præsenti, et art. præcedenti dixerat, nosque cum illo ibidem ostendimus) et prædicta intellectio sit formalissime ipsa essentia, et natura Patris : oportet, ut communicetur illi eadem intellectio, et natura Patris : ac proinde procedat in similitudinem naturæ. Sicut, quia Spiritus sanctus procedit per voluntatem, et volitionem Patris et Filii, quæ formalissime loquendo est ipse amor Dei essentialis, ut infra dicemus, et dubio 3 præcedentis disputationis asseruimus, oportet, ut communicetur ei prædictus amor essentialis.

Angel. Doctor.

§ III.

Alia ratio pro catholica veritate per quam præcedens fulcitur.

40. Ultima ratio, et confirmatio præcedentis.

Tandem probatur assertio ratione alia, per quam præcedens confirmatur, quamque disp. 1 tetigimus, et in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici locis statim referendis insinuavimus. Nam processio verbi creati est generatio vitalis imperfecta, et secundum quid, ergo processio Verbi increati erit generatio vitalis perfecta, et simpliciter talis. Antecedens probatur. Nam verbum creatum procedit simile suo principio in eadem numero natura sub modo essendi imperfecto, scilicet, sub modo essendi repræsentativo, ut 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 141 et tractatu 3 disp. 2 num. 14 asseruimus : et simul est terminus vitalis procedens a principio vitali conjuncto, ut § præcedenti dicebamus : ergo ejus processio erit generatio vitalis, licet imperfecta, et secundum quid : siquidem similitudo, seu identitas in natura tantum est identitas sub modo essendi diminuto, scilicet, sub modo essendi repræsentativo et intelligibili.

Consequentia vero probatur. Quoniam id, quod imperfecte, et diminute reperitur in verbo creato, debet inveniri perfecte, et sub modo essendi perfecto in Verbo increato, et ejus processione : ergo si per processionem verbi creati tantum communicatur similitudo, et identitas in natura sub modo essendi secundum quid, ac proinde est generatio secundum quid, fiet inde, ut per processionem Verbi increati communicetur identitas in natura sub modo essendi perfecto : et per consequens erit generatio perfecta, et simpliciter talis.

Quam rationem tetigit D. Thomas 4 contra Gent. cap. 14 his verbis : *Quia Filii Dei generatio non est materialis, sed intelligibilis, stulte jam dubitatur, si Pater totam naturam* D.Thom.

naturam dedit, aut partem. Manifestum est enim, quod si Deus se intelligit, oportet, quod tota plenitudo ipsius contineatur in Verbo. Nec tamen substantia Filio data desinit esse in Patre. Quia nec etiam apud nos desinit esse propria natura in re, quæ intelligitur, ex hoc quod verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habet, ut intelligibiliter eamdem naturam numero contineat.

41. Evasio. Nec refert, si dicas, hinc solum haberi, quod processio Verbi increati sit in similitudinem naturæ sub modo essendi infinite repræsentativo cum præcisione sumpto; non vero sub modo essendi naturali, et repræsentativo simul : siquidem verbum creatum solum procedit simile in natura sub modo essendi repræsentativo, finito tamen. Et ita Verbum increatum solum procedet simile sub *esse* repræsentativo, licet infinito.

Impugnatur primo. Nam contra hoc est primo, quod linea similitudinis in natura sub *esse* repræsentativo, sive intelligibili non pertingens ad hoc, ut sit etiam sub modo essendi naturali, et entitativo, est linea imperfecta, quantumvis detur, quod habeat infinitatem in *esse* repræsentativo : quia est linea infinitatis sub modo essendi diminuto, et secundum quid, scilicet, sub modo essendi repræsentativo, sive intelligibili cum præcisione sumpto et includente modum essendi naturalem. Sicut linea accidentis, quantumvis infinitatis cum eadem linea compossibilis haberet, semper est linea imperfecta, quia est linea entis secundum quid : ergo hoc ipso, quod Verbum divinum procedat simile in natura cum suo principio, debet procedere simile illi in eadem natura, non solum sub modo essendi intelligibili, sed etiam sub modo essendi naturali, et entitativo.

Confirmatur. Confirmatur. Quia Verbum divinum, vel non habet generari, vel si hoc habet, debet esse genitum generatione vitali, non quidem, quæ sit talis secundum quid, sed quæ sit simpliciter talis : ergo hoc ipso, quod procedat simile suo principio, debet procedere simile illi in natura, non solum sub *esse* intelligibili, sed etiam sub *esse* naturali, et entitativo. Patet consequentia. Quia alioqui tantum esset genitum generatione viventium secundum quid tali : siquidem ad generationem viventium simpliciter talem, et omnino perfectam requiritur identitas in natura cum suo principio sub modo essendi naturali.

42. Deinde. Nam identitas in natura sub modo essendi naturali est identitas in illa sub modo essendi perfecto : et identitas in eadem natura sub modo essendi intentionali præcise est identitas in illa sub modo essendi imperfecto : ergo si processio imperfecta verbi creati, hoc ipso quod sit imperfecta, tribuit hanc posteriorem identitatem imperfectam, oportet, ut processio summe perfecta Verbi increati tribuat illam priorem identitatem perfectam. Impugnatur secundo.

Confirmatur primo. Nam ex hoc, quod scientia practica creaturarum sit causa imperfecta, nempe, præcise per modum dirigentis, respectu sui objecti, non vero per modum exsequentis, colligimus, quod scientia increata, et divina terminata ad creaturas est causa sui objecti practici, nimirum creaturarum, perfecto modo, scilicet, per modum dirigentis, simul et exsequentis, ut in 1 tomo tractatu 3 disput. 5 num. 43 et sequentibus diximus : ergo ex eo, quod verbum creatum procedat simile suo principio in natura sub modo essendi imperfecto, scilicet, sub modo essendi intentionali cum præcisione sumpto, et excludente similitudinem, et identitatem sub modo essendi naturali, colligemus, quod Verbum in divinis procedit simile in natura suo principio per similitudinem omnino perfectam, scilicet, tam sub modo essendi intelligibili, quam naturali. Confirmatur primo a simili.

Confirmatur secundo. Quoniam *esse* intelligibile, et naturale, seu entitativum est in Deo unum et idem *esse* absque distinctione virtuali, ut in tomo citato tractatu 2 disputat. 2 num. 65 et tractatu 3 disput. 3 n. 17, tom. 2 tract. 4 disp. 2 diximus : et per consequens identitas in *esse* intelligibili, et naturali cum divina natura erit una et eadem formalissime identitas absque distinctione virtuali : ergo hoc ipso, quod Verbum divinum procedat simile in natura cum Deo sub modo essendi intentionali, seu intelligibili, pertinget ad hoc, ut sit idem cum ipso in eadem natura sub modo essendi naturali, et entitativo. Confirm. secundo.

Adde primo, quod, sicut intra lineam speciei intelligibilis datur species, quæ sit accidens, et species, quæ sit substantia, ita intra lineam verbi datur verbum, quod sit accidens, et verbum, quod sit substantia : ergo sicut species intelligibilis, quæ est accidens, habet, quod sub modo essendi repræsentativo, et intelligibili sit idem cum suo objecto quoad id, per quod constituitur in ratione objecti formalis; et species, quæ est substantia, et idem, 43. Urgetur amplius.

tam in *esse* intelligibili, quam naturali, et entitativo cum eodem objecto formali, ut in substantia Angeli, quatenus habet rationem speciei intelligibilis respectu sui cernere licet : ita, licet verbum, quod est accidens, habeat, ut tantum sub *esse* intelligibili sit idem cum suo objecto quoad id, per quod constituitur in ratione objecti formalis respectu illius, necnon et cum suo principio, seu ratione formali illius, quoties ipse intelligens se solo, vel simul cum aliis (modo tamen infra innuendo) est objectum intellectum, ut inductive constat : attamen verbum, quod fuerit substantia, erit in eventu nuper dicto ejusdem naturæ sub modo essendi tam intelligibili, quam naturali cum suo objecto, et cum prædicto principio, a quo procedit, considerato quoad id, per quod tanquam per rationem producendi habet, in *esse* entitativo, et naturali esse principium ejusdem verbi : ergo, cum Verbum divinum procedat per modum verbi substantialis a Patre se, et omnia alia intelligente, quippe quod procedit per processionem substantialem, oportebit, quod sit idem tam in *esse* intelligibili quam naturali, et entitativo cum suo objecto quoad id, quod est formale in illo in ratione objecti, scilicet, quoad naturam divinam, necnon et cum suo principio in *esse* naturali et entitativo tali, nempe cum Patre, quoad id, quod est ei ratio formalis producendi illud, nimirum, quoad eamdem naturam divinam.

44. Roboratur ulterius. Adde secundo, quod verbum, quod est ejusdem naturæ tantum in *esse* intelligibili cum suo objecto formali, necnon cum suo principio intelligente se ipsum, et per illam intellectionem producente idem verbum, habet tribuere illis, quod sint intellecta, seu quod sint actu terminantia intellectionem : sed Verbum divinum non potest tribuere divinæ essentiæ, quæ est objectum formale illius, nec suo principio intelligenti se ipsum, nempe Patri, quod sint actu intellecta, seu actu terminantia intellectionem divinam : quia essentia Dei hoc habet a se, et id Patri convenit ratione suæ essentiæ, quæ non communicatur ei ab alio : ergo vel Verbum divinum non procedit simile, seu idem quoad suam essentiam cum essentia Dei, ac proinde cum essentia Patris ; vel procedit ut simile, seu idem cum illis in *esse* intelligibili, simul et entitativo.

Consequentia non indiget probatione. Minor vero etiam est perspicua ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disputat. 2 num. 222 et deinceps diximus. Major vero inductive constat, necnon ex dictis ibidem num. 244 et propterea nihil creatum potest habere rationem verbi respectu Dei clare visi. Quia verbum, quod tantum in *esse* repræsentativo, seu intelligibili est idem cum objecto per se primo, non est institutum nisi ad hoc, ut reddat objectum actu intellectum, seu ad hoc, quod det objecto, quod terminet actu intellectionem. Sicut species intelligibilis, quæ præcise est idem in *esse* repræsentativo cum objecto intelligibili, tantum est per se primo instituta ad hoc, ut tribuat objecto, quod sit proxime intelligibile. Et propterea nihil creatum potest habere rationem speciei intelligibilis respectu Dei clare visi, ita ut, adhuc in *esse* intelligibili tantummodo, sit ejusdem naturæ cum illo ; quia hoc ipso, quod esset ejusdem naturæ cum eo in *esse* intelligibili tantummodo, tribueret illi, quod esset intellectum, seu terminans actu intellectionem claram sui, ut tomo et disputatione citatis dubio ultimo diximus : quod tamen, ut ex ibidem dictis constat, involvit apertam implicationem.

Unde, ut Verbum divinum non tribuat Deo, et essentiæ illius, necnon et Patri, quod sint actu intellecta, seu objecta actu terminantia divinam intellectionem, debet esse idem prorsus cum Patre quoad id, per quod constituitur in ratione objecti formalis respectu illius, necnon quoad id, per quod tanquam per rationem formalem habet, quod in *esse* entitativo et naturali sit principium ejusdem Verbi, nempe, quoad divinam essentiam, ut præstat utrumque munus : ut ita Pater tribuens illi suam naturam, per quam habet, ut sit intelligens, et objectum actu intellectum, tribuat etiam ipsi, quod ratione essentiæ, quam ei communicat, et modo infra dicendo, sit objectum actu intellectum, seu terminans actu cognitionem. 45.

Et ratio est. Quoniam verbum, et id, cujus est tale verbum, debent ita inter se conferri, ut, vel verbum sit essentialiter, et per se primo intellectum, et ita tribuat suo objecto, suoque principio tunc intellecto, quod sint actu intellecta ; vel quod suum objectum, suumque principium sint per prius essentialiter intellecta, et ideo tribuant verbo, quod sit actu essentialiter intellectum, ex eo quod communicat illi sub modo essendi naturali suam propriam essentiam Paternam : ut ita verificetur, quod id,

id, quod est essentialiter tale, habet esse per se primo tale, et reliqua, quæ sunt talia, habent esse talia ratione illius. Sed de his videri possunt ea, quæ tomo citato disput. 2 num. 222 tradidimus.

Cur autem multoties dixerimus, verbum, ac suum principium, et objectum debere esse idem quoad id, quod est formale, seu habet rationem essentiæ in ipsis, constabit ex infra dicendis, et nunc breviter potest reddi hujus ratio ex eo, quod de ratione verbi est, ut quantumvis sit idem cum suo objecto, et principio, semper tamen procedat ab illo, ac proinde distinguatur realiter ab ipso, non quidem in essentia; sed vel in modo essendi, ut in creatis contingit; vel in relatione procedentis ad id, a quo procedit. Et propterea in divinis Verbum non accipit a Patre, et de eodem Patre, seu de iis, quæ sunt formaliter in illo, et ad ejus constitutionem integram pertinent, nisi essentiam, et perfectiones illius absolutas : ut ita maneat distinctio realis inter utrumque, seu relatio geniti ad id, a quo generatur.

§ IV.

Argumentum 1 contra veritatem Catholicam a nobis traditam, et ejus enodatio.

46. Cæterum, licet veritas Catholica a nobis in assertione tradita sit adeo firma, nihilominus non desunt aliqua argumenta contra illam : et propterea, ut magis elucescat, oportet ea in hoc dubio adducere, et solvere : ex quibus primum desumitur; tum ex sacra Scriptura : tum etiam ex Patribus. Ex Scriptura quidem. Nam Proverbiorum 8 de Sapientia, seu Verbo Dei dicitur : *Dominus creavit me :* et Ecclesiastici 24 : *Ab initio, et ante sæcula creata sum.* Constat autem, id, quod est creatum, non esse vere, et proprie genitum : et per consequens nec ejus processionem esse proprie generationem. Ex Patribus vero. Quoniam Dionysius cap. 5 de Mystica Theologia inquit, in Deo nec Filii, nec Patris rationem esse ; et ita neque Verbi processio, quæ est in Deo, erit vera generatio : cum ad hanc Patris, et Filii relationes subsequantur. Et deinde Basilius lib. 2 contra Eunomium parum post principium reprehendit illum, ex eo quod Verbum divinum *genituram* appellaverit. Cumque genitura videatur significare terminum productum per generationem, inde est, ut Basilius negare videatur, Verbum produci per generationem. Et lib. 5 contra eumdem, sive lib. de Spiritu Sancto contra Eunomianos cap. 13 sic ait : *Nec Filius, nec generatio Deitatis proprium est; sed ex humana similitudine adductum.* Quod etiam alii Patres insinuare videntur.

Respondetur, quod, quantum attinet ad testimonia ex Scriptura desumpta, constat ex iis, quæ disput. 1 dub. 1 in solutione ad eadem testimonia diximus. Et præterea addi potest alia solutio, quam tradit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 8 his verbis : *Quod autem dicitur, Sapientiam esse creatam : primo quidem potest intelligi non de sapientia, quæ est Filius Dei, sed de sapientia quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Ecclesiastici primo : Ipse creavit eam, scilicet sapientiam, in Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua. Potest etiam referri ad naturam creatam assumptam a Filio, ut sit sensus : Ab initio, et ante sæcula creata sum, id est, prævisa sum creaturæ uniri. Vel per hoc, quod sapientia, et creata, et genita nuncupatur, modus divinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis : quod perfectionis est : sed in generationibus, quæ sunt apud nos, generans ipse mutatur : quod imperfectionis est : in creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius creatus, et genitus : ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas naturæ in Patre et Filio. Et sic hujusmodi Scripturæ intellectum Synodus exposuit, ut per Hilarium patet.* 47. Respondetur ad testimonia ex Scriptura. D. Thom.

Ad testimonium Dionysii respondetur, ipsum solum velle, quod Verbum in divinis non sit genitum, nec filius, per generationem, et filiationem involutam imperfectionibus, ut in viventibus creatis inveniuntur ; non vero negat, vere esse genitum, et filium generatione, et filiatione liberis ab imperfectionibus, quæque sint supra omnem generationem, et filiationem creatam. Hanc autem esse Dionysii mentem, constat ex contextu. Nam ibi loquebatur de modo, quo Deus per negationem cognoscitur ex creaturis, id est, per negationem, et remotionem eorum, quæ inveniuntur in illis : ita ut tollatur, quod imperfectionis est in eis, et maneat, quod perfectionis fuerit, et hoc ipsum in gradu perfectissimo, et superexcedenti tribuatur Deo. Unde, quoad præsens attinet, solum vult Dionysius, a generatione, et filiatione viventium creatorum removendum 48. Ad locum Dionysii.

esse id, quod imperfectionis est; et solum reperiri in divinis filiationem, et generationem in gradu perfectissimo, et superexcedenti.

Explicatur ex aliis ejusdem locis. Potestque hoc ipsum explicari aliis modis loquendi ejusdem Dionysii, in quibus docet, removendas esse a Deo actiones mentis, ut constat ex lib. de Divinis nominibus cap. 7; necnon a Deo potius removenda esse nomina, *verbi, sapientiæ, et subsistentiæ, etc.* quam de illo prædicanda, ut patet ex cap. 2 de cœlesti Hierarchia: et tamen primum loquendi modum explicat D. Thomas in 1 distinct. 35 quæst. 1 art. 1 ad 1 his verbis: *Dicendum, quod quandocumque scientia, vel intellectus, vel aliquid, quod ad perfectionem pertinet, in Deo negatur, intelligendum est secundum excessum, et non secundum defectum. Unde dicit Dionysius in 7 cap. de Divinis nominibus, sine mente, et insensibile esse, secundum excessum, et non secundum defectum in Deo est ordinandum. Pro tanto ergo negatur nomen intellectus Deo proprie convenire, quia non secundum modum creaturæ intelligit, sed eminentius.* Sicut etiam secundum modum loquendi explicat Angelicus Doctor in hac 1 parte quæst. 13 art. 3 ad 2 ubi loquens de his nominibus *sapiens, intelligens, etc.* sic inquit: *Dicendum, quod ideo hujusmodi nomina, dicit Dionysius, negari in Deo, quia id, quod significatur per nomen, non convenit eo modo ei quo nomen significat, sed excellentiori modo. Unde ibidem dicit Dionysius, quod est super omnem substantiam et vitam.* Pari ergo ratione quoad præsens, proportione servata, philosophandum est.

D. Thom.

49. Ad primum locum Basilii. Ad primum autem testimonium ex Basilio desumptum respondetur concedendo, Verbum divinum formalissime loquendo non esse vocandum *genituram*, quamvis vere sit filius, vereque sit genitus. Quia, ut bene notavit Vasquez in præsenti disput. 113 cap. 2 num. 9, nomen illud non significat rem genitam; sed actum ipsum parturiendi, et originem: Filius autem non est origo si formalissime loquamur; sed origine a Patre nascitur. Quamvis pro majori explicatione Basilii recolendum sit, ipsum sermone Græco scripsisse, et in eo reprehendisse Eunomium, eo quod Filium Dei appellasset *gennema*, pro quo *geniluram* transtulit interpres. Cæterum *gennema* Latine idem est, quod *genimen*, seu *germen, fœtus, fructus, progenies.* Et propterea Basilius reprehendit Eunomium: tum, quia illud nomen nunquam Scriptura sacra tribuit Dei Filio: tum etiam, quia nomen hoc genericum est, et tam de fœtu nondum formato, et per abortum ejecto, et de quolibet germine etiam non sentiente, quam de filio naturaliter nato dicitur: quo sensu vinum, *genimen vitis* Marci 14 asseritur. Marci 14.

Vasquez.

Ad secundum locum Basilii. Ad secundum autem testimonium ex eodem Basilio desumptum constat ex iis, quæ ad testimonium Dionysii diximus. Unde idem Basilius ita conclu lit: *Generat Deus, non ut homo generat autem vere.* Et ita solum vult, quod etsi humana exempla sint adducenda ad explicationem divinorum, sunt tamen imperfectiones removendæ: propterea que simul adducit emissionem spiritus ex ore in exemplum, ad explicandum, Filium in divinis procedere aliter a Patre: et postea reprehendit hæreticum, contra quem disputat, eo quod despiciens exempla humana everteret divina dogmata, quæ ex ipsis intelliguntur.

§ V.

Argumentum secundum contra eamdem veritatem, et responsio ad illud.

50. Secundum argumentum. Secundum argumentum est. Quoniam generatio viventium non est perfectio simpliciter simplex: ergo non erit formaliter in Deo. Consequentia videtur perspicua. Quoniam, ut ex communi Theologorum sententia constat, in Deo solummodo reperiuntur formaliter perfectiones simpliciter simplices, cæteræ vero tantum sunt in illo eminenter, sive virtualiter. Antecedens autem probatur: ex eo quod perfectio simpliciter simplex definitur per hoc, quod sit *melior ipsa, quam non ipsa, et quælibet incompossibilis cum ipsa:* sed generatio viventium non est hujusmodi: siquidem non esset melius Spiritui Sancto, quod procederet per illam, quam quod procederet per spirationem passivam, quæ est incompossibilis cum processione per generationem: ergo, etc.

Confirm. 1. Confirmatur primo. Quoniam generationi viventium est essentialiter adjuncta magna quædam imperfectio: ergo neque erit perfectio simpliciter simplex, nec conveniet processioni Verbi divini. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Quia generatio activa viventium ordinatur ad filium tanquam ad finem, et proprium specificativum realiter ab ea distinctum: sed ordinari ad aliud tanquam ad finem, et specificativum a se realiter distinctum

tinctum dicit magnam imperfectionem, nempe, non esse ultimum finem omnium, neque habere se solo, quidquid requiritur ad suam specificationem, et essentiam : ergo, etc.

51. …firm. 2.

Confirmatur secundo. Nam generatio viventium habet indispensabiliter adjunctas duas alias imperfectiones inclusas in illa particula *a principio conjuncto*. Prima est, quod genitum producatur mediante semine, sive aliqua parte viventis generantis, quæ communicetur genito, et maneat in ipso. Secunda vero, quod genitum non sit conjunctum generanti, nisi in principio generationis; non autem in fine : et ita non habeat complete rationem geniti, donec separetur omnino a generante : sed hæc non possunt competere processioni Verbi divini : ergo nec ratio prædictæ generationis. Consequentia est legitima. Minor autem etiam constat. Quia alioqui Verbum divinum esset compositum ex multiplici parte, essetque omnino separatum a Patre : et per consequens non esset Deus. Major vero probatur inductione facta in viventibus creatis, quæ omnia hoc ipso, quod producantur per generationem vitalem, ac proinde a principio conjuncto, habent produci mediante semine, vel aliqua parte viventis generantis eis communicata, quæque, usquedum in fine generationis sint omnino separata a suo principio, non habent complete quidquid requiritur, ad hoc ut suam integram perfectionem consequantur, ut docuit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 11.

…ncm. 2. …ur-…s.

Nec refert, si dixeris, has imperfectiones convenire generationi viventium creatæ, quia creata est; non vero secundum sua essentialia, et indispensabilia in ratione generationis viventium. Nam contra hoc est, quod per definitionem illam viventium, quam dubio præcedenti adduximus, nempe, *quod sit origo viventis a vivente conjuncto, etc.* definita est generatio viventium secundum sua essentialia, et indispensabilia, quæ de illa consequimur lumine rationis naturalis, non vero mediante revelatione : et propterea talis definitio desumpta est ex Aristotele locis ibidem citatis : constat autem, rationem naturalem lumine suo non consequi aliam generationem præter eam, quæ habet prædictas imperfectiones, estque a principio conjuncto juxta modum jam explicatum : ergo signum est, prædictam generationem, quatenus est generatio viventium, essentialiter includere prædictas imperfectiones.

…tra …tur.

53. Diluitur secundum argumentum.

Respondetur, generationem viventium secundum id, quod in recto indispensabiliter dicit, esse perfectionem simpliciter simplicem : quia, ut ex dictis constat, prædicta generatio activa in divinis dicit in recto divinam essentiam. Cæterum secundum id, quod dicit in obliquo, nempe relationem Paternitatis, non exprimit perfectionem, si prædicta relatio consideretur quoad illud, quod exprimit ratione *ad* : licet ratione essentiæ divinæ consideratæ per modum transcendentis, et in eadem relatione sic inclusæ sit perfectio simpliciter simplex. Inde tamen non sequitur, vel generationem, adhuc secundum suum obliquum, non esse ponendam in divinis, siquidem ad hoc satis est, ut ex vi sui conceptus expresse non dicat imperfectionem, sitque talis conditionis, ut possit imbibere divinam essentiam per modum transcendentis consideratam, et ratione illius esse perfectionem simpliciter simplicem : vel Spiritui Sancto deesse aliquam perfectionem simpliciter simplicem, ex eo quod non procedat per generationem : siquidem ejus processio imbibit per modum transcendentis totam illam perfectionem, quæ est in generatione Verbi : ex eo quod utraque processio includit divinam essentiam, et omnes ejus perfectiones per modum transcendentis consideratas, ratione cujus, et non aliter, ambæ dicunt æqualem perfectionem, ut infra ex professo ostendetur. Unde juxta hæc debet intelligi dictum illud ex communi Theologorum consensu in hoc secundo argumento adductum.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem transeat major intellecta de generatione creata : negetur tamen de generatione increata, ob summam ejus perfectionem et excellentiam.

54. Ad secundam confirmationem quoad priorem partem fit satis.

Ad secundam confirmationem neganda est major quoad utramque partem. Et ad probationem, quatenus per eam intenditur probare, priorem ex illis imperfectionibus esse necessario annexam generationi viventium, constat ex dictis, quomodo etsi viventia creata, quia creata sunt, includant illam imperfectionem; non tamen hæc petitur a generatione viventium considerata secundum rationem communem, et analogam ad generationem, tam creatam, quam increatam. Et ita generatio increata procedit a principio conjuncto, quatenus Filius generatur de substantia Patris tanquam de actu purissimo; id est, quatenus communicatur

illi per modum actus purissimi eadem numero essentia, quæ est in Patre.

Quoad posteriorem ejus partem occurritur. Ad eamdem vero probationem, quatenus per illam suadetur posterior illa imperfectio generationis viventium, respondetur, quod etsi viventia creata non habeant complete rationem genitorum, usquedum omnino separentur a matre, secus tamen vivens divinum, quale est Verbum Dei : quia illa non habent omnia requisita, ad hoc ut deveniant ad perfectum statum mediante nutritione, et augmentatione, nisi separentur omnino a matre. Quæ disparitatis ratio desumitur ex D. Thoma 4 contra Gentes cap. 11 his verbis : *Est autem differentia inter conceptionem Verbi Dei, et materialem conceptionem, quæ apud nos in animalibus invenitur. Nam proles, quandiu concepta est, et in utero clauditur, nondum habet ultimam perfectionem, ut per se subsistat a generante secundum locum diversa. Unde oportet, quod in corporali generatione animalium aliud sit genitæ prolis conceptio, atque aliud partus ipsius, secundum quem etiam loco separantur proles genita a generante, ab utero generantis egrediens. Verbum autem Dei in ipso Deo dicente existens est perfectum, in se subsistens, distinctum a Deo dicente. Non enim expectatur ibi localis distinctio, si sola relatione distinguuntur ut dictum est. Idem est ergo in generatione Verbi Dei conceptio, et partus : Et ideo, postquam ex ore Sapientiæ dictum est : Ego jam concepta eram ; post pauca subditur : Ante colles ego parturiebar.*

D. Thom.

Exemplo elucidatur solutio. Potestque hoc explicari magis exemplo duplicis alterius imperfectionis repertæ in generatione viventium creatorum, nempe, quod per se loquendo fiat cum motu, sive mutatione proprie dicta, et quod procedat a duplici principio : ab uno quidem passivo, ab alio vero activo : et tamen hæc duo non reperiuntur in generatione Verbi divini, ut optime explicat Angelicus Doctor loco citato ex 4 contra Gentes.

Angel. Doctor.

55. Placet solutio adhibita inter arguendum. Unde solutio ibidem ad hanc confirmationem tradita est legitima. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod per definitionem generationis viventium dubio præcedenti allatam definita est a Theologis, et Philosophis lumine fidei illustratis, generatio viventium quoad indispensabilia, quæ de illa ratio naturalis lumine fidei adjuta consequitur. Sicut, dum definitur accidens per aptitudinalem, non vero per actualem inhærentiam, non definitur secundum id præcise, quod ratio naturalis se sola adipiscitur (sic enim per actualem inhærentiam definiretur); sed secundum quod aliquo modo corrigitur, et adjuvatur per lumen fidei. Unde, licet ratio naturalis non consequatur se sola, quod detur aliqua generatio libera ab imperfectionibus in hac confirmatione relatis : nihilominus lumine fidei adjuta et correcta judicat, tales imperfectiones non esse de illius essentia : ac proinde dabilem esse generationem, quæ eas non includat, ut in divinis contingit.

56. Non obstat impugnatio ejus. Nec obest, quod hæc definitio desumpta sit ex Aristotele. Quia desumitur ex illo materialiter, non vero formaliter, id est, quod licet ipse non definierit nisi tantum generationem viventium creatorum, quia non est assecutus aliquam aliam generationem : attamen ejus verba in amplitudine, quam præ se ferunt, sumpta, possunt accipi ad significandam generationem viventium, prout abstrahit a creata, et increata : et si accipiantur in eo sensu, quo fides rationem naturalem corrigit, et illustrat, invenietur, in illa nihil esse imperfectionis indispensabiliter desideratum ad rationem generationis viventium in sua abstractione sumptam; sed tantum dicere, quod sit *origo viventis a vivente conjuncto, in similitudinem naturæ* : sive hoc habeat, quia vivens genitum procedat ex principio vivente, ex eo quod communicatur ei aliqua pars, aut aliquid materiale realiter distinctum, quod præesset in generante, et postea sit in genito ; sive quia communicatur ei idem actus purissimus, qui idemmet secundum numerum sit in generante, et in genito, et ab utroque non distinguatur : ac proinde, sive sit tantum in similitudinem, et unitatem specificam una cum distinctione numerica, ut in viventibus creatis contingit; sive in similitudinem, seu identitatem ejusdem numero naturæ, ut in divinis cernitur.

Instantia pro hac responsione data. Potestque hoc explicari ex definitione accidentis, quæ ex Philosopho potest desumi, scilicet, quod *accidens est, cujus esse est inesse*, per quam, ut formaliter traditur ex Aristotele, denotatur, ejus *esse* consistere in actuale *inesse*. Cum tamen hæc definitio, ut a Philosophis et Theologis lumine fidei adjutis traditur, solum materialiter maneat eadem, et sensus illius sit, quod essentia accidentis tantum consistit in vi ad inhærendum; sive hæc sit separabilis ab actuali inhæsione, ut in accidentibus entitativis, et perfectioribus, cernitur; sive non sit separabilis ab illa, ut in formalitatibus, et modis accidentalibus contingit.

§ VI.

§ VI.

Argumentum tertium contra prædictam veritatem, et solutio illius.

[7. ...tium ...gu- ...um.] Tertium, et principale argumentum contra traditam veritatem est, quod processio Verbi divini non est univoca : ergo nec erit generatio viventium. Consequentia videtur legitima. Quoniam generatio viventis perfecti (nisi sit monstruosa, et præter intentionem generantis, qualem non esse generationem Verbi divini, constat) semper est generatio univoca, ut inductive patet. Antecedens autem probatur. Quia principium, et terminus prædictæ processionis differunt specie, aut quasi specie in proprietatibus personalibus per se petitis ad talem processionem, et ad rationem principii, ac termini illius : sed processio univoca debet esse processio termini a principio ejusdem speciei, et non habentis distinctas specie proprietates : ergo prædicta processio Verbi divini non erit univoca.

[...da- ...r.] Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, sufficere ad generationem viventium, quod eadem natura sit in generante, et in genito ; quamvis differant in specie, aut quasi specie proprietatibus personalibus. Et propterea generatio Christi Domini a B. Virgine est univoca : ex eo quod Christus Dominus et Beata Virgo habent eamdem naturam humanam secundum speciem ; licet proprietates personales utriusque plusquam genere differant. Et ratio est eadem utrobique. Quia, quod aliqua generatio sit univoca, sumitur ex convenientia inter terminum formalem generationis, et rationem formalem generandi, quæ est in generante : non vero ex aliis, quæ solummodo sunt modi naturæ individualis, sive personalis. Quare, cum in utraque generatione reperiatur prædicta convenientia, oportet, ut utraque generatio sit univoca.

§ VII.

Argumentum quartum cum sua confirmatione proponitur, et diluitur.

[...8. ...tum ...u- ...um.] Quartum argumentum est. Nam essentia verbi creati non est *intelligere* : sed *intelligi*, seu esse objectum actu terminans intellectionem : ergo licet Verbo divino communicetur identice *intelligere* Dei ex eo quod in Deo *intelligere*, et *intelligi* sunt idem ; non tamen hoc formalissime petet, quatenus est terminus suæ processionis : et per consequens nec ejus processio erit proprie generatio viventium. Hæc ultima consequentia patet ex dictis. Quoniam ad rationem generationis viventium requiritur, quod termino, formalissime quatenus est terminus suæ processionis, communicetur natura generantis, ita ut talis natura sit terminus formalis illius processionis ; et non sufficit, quod identice communicetur illi prædicta natura, ut in processione Spiritus Sancti contingit : at natura Dei generantis consistit in ipso *intelligere ;* non vero in *intelligi*, seu in hoc, quod est esse objectum actu terminans intellectionem : ergo, etc.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quoniam Verbum divinum, quatenus est terminus formalis suæ processionis, tantum petit, quod communicetur ei in gradu perfectissimo id, quod communicatur verbo creato involutum imperfectionibus : et ideo, si verbo creato tantum communicatur hoc, quod est *intelligi*, non vero *intelligere*, fiet inde, ut Verbo divino, quatenus est terminus suæ processionis formalissime sumpto tantum communicetur hoc, quod est *intelligi* in gradu perfectissimo, nimirum, *intelligi*, divinum ; non vero ipsum *intelligere* Dei. Antecedens autem satis constat. Quoniam verbum creatum licet sit objectum intellectum, seu terminans intellectionem ; non tamen est intelligens : et propterea per suam processionem non communicatur illi ipsum *intelligere*.

Ex quo etiam sequens confirmatio deducitur. Nam adhuc dum intellectus intelligit se ipsum, et suam intellectionem, tunc verbum non procedit simile illis in *esse* naturali et entitativo ; sed solum in *esse* intentionali et intelligibili : ergo etiam, cum Pater æternus intelligit se ipsum per intellectionem essentialem, in qua natura ejus consistit, tunc Verbum, quatenus est terminus suæ processionis, tantum procedet simile illi in *esse* intentionali et intelligibili infinite perfecto præcise intra lineam intelligibilem et intentionalem, non vero in *esse* naturali et entitativo ; sed ad summum ei conveniet hoc identice, ex eo quod in Deo *esse* intelligibile, et entitativum sunt identice idem : et per consequens talis processio non erit generatio. [59. Confirmatio.]

Hæc secunda consequentia patet ex priori, et ex jam liquet inductione facta [Probatio ... consequentiæ]

in aliis, quæ reperiuntur in creaturis, et in Deo, ut v. g. in sapientia, quæ quia in creaturis tantum petit esse cognitionem finitam per altissimas causas, propterea translata ad Deum tantum habet formalissime loquendo, quod sit cognitio infinita per prædictas causas : et ita cætera, quæ ei in Deo conveniunt tantum competunt illi identice : et hoc sufficit ad hoc, ut non sit involuta cum imperfectionibus : ergo si processioni verbi creati tantum competit, quod ejus terminus procedat similis suo objecto in *esse* intentionali, et intelligibili finito, consequens erit, quod processioni Verbi divini formalissime sumptæ tantum conveniat, quod terminus ejus, nempe Verbum, prout dicit rationem formalissimam terminandi procedat similis suo objecto in *esse* intentionali, et intelligibili infinite perfecto, non vero in *esse* naturali, et entitativo, aut in aliis, quæ sunt in Deo ; sed hoc ad summum ei competet identice, ex eo quod in Deo omnia ista identificantur : idque satis erit ad hoc, ut prædictum Verbum non sit involutum inperfectionibus; cum quibus tamen esset involutum, si identice non communicaretur ei identitas in natura sub *esse* naturali et entitativo.

60. Diluitur argumentum. Respondetur, quod etsi ad integrum conceptum verbi creati non pertineat ipsum *intelligere*, bene tamen ipsum *intelligi*, saltem tanquam modus illius : nihilominus ad essentiam, seu naturam Verbi increati quatenus talis debet spectare, quod si ipsum *intelligere* in *esse* intelligibili, et naturali, necnon et simul ipsum *intelligi*, absque distinctione virtuali. Nam sicut essentia existentiæ creatæ, et substantialis consistit in hoc, quod sit ultima actualitas naturæ substantialis, per quam intra lineam substantiæ ultimate completur; non vero est ipsa natura substantialis, quam actuat; sed ab ea ratione suæ limitationis distinguitur : cæterum existentia divina ob sui eminentiam est simul intra propriam lineam ipsa existentia, et essentia Dei, et purissima, ac ultima naturæ divinæ actualitas, necnon et ipsa natura divina. Ita essentia verbi creati, quippe adhuc secundum rationem generalem verbi creati limitati, tantum petit secundum hanc rationem, quod repræsentet objectum; et quod sit ipsum *intelligi*, seu, quod ratione modi essendi in *esse* intelligibili sibi convenientis habeat indispensabiliter (modo tamen alibi tacto) esse objectum actu terminans intellectionem : at essentia Verbi increati ex vi suæ lineæ habet constitui per suum *intelligi* divinum, esseque ipsummet *intelligere* in *esse* entitativo et naturali, et simul in *esse* intelligibili ; addendo tamen per modum proprietatis personalis, non vero per modum naturæ ipsius, quod a Patre, seu a dicente procedat; ac proinde addendo relationem Filiationis.

Unde, sicut facta comparatione inter duo illa munera, quæ conveniunt existentiæ divinæ, nempe, et esse existentiam Dei, et esse ejus naturam, tunc absolute loquendo potissimum ejus munus et esse (ut sic loquamur) ipsissimam naturam Dei, ut exprimit *intelligere*, non vero ut exprimit munus existendi : ita, facta collatione inter duo munera convenientia Verbo increato, scilicet, esse ipsum *intelligere*, et *intelligi*, tunc absolute loquendo potissimum, et per se primum munus suæ naturæ est *intelligere*. Et sicut existentia divina, non absolute sumpta, sed ut explicatur nomine existentiæ Dei, tantum exprimit ipsam quoad munus existendi : ac proinde ex vi hujus conceptus expressi non creatur expresse, et ex parte nostri modi concipiendi de alio munere absolute et simpliciter potissimo ibidem invento, et adhuc virtualiter non distincto : ita essentia Verbi divini, non absolute accepta, sed ut præcise explicatur per *intelligi* divinum, tantum exprimit munus terminandi (modo tamen, tam in hoc, quam in sequenti dubio explicando) divinam intellectionem, et sub hoc conceptu expresso non curatur expresse ex parte nostri modi concipiendi de alio munere. Et propterea sic concepta existentia Dei, et essentia Verbi divini dicit quodammodo potissime munus istud : ex eo præcise, quod de alio ex vi hujus expressi conceptus non curatur expresse. Cæterum ipsummet Verbum, sicut et ipsamet existentia Dei, ut terminant generationem Verbi, non terminant formalissime, et potissime (si absolute, et simpliciter loquamur) sub his muneribus expressis existendi, et hujus, quod est *intelligi*, sed sub munere intellectionis divinæ primordialis, quæ est potissima ratio divinæ naturæ : licet alias rationes, sive munera ex parte solius nostri modi concipiendi diversa spectent etiam ad ipsam formalem rationem terminandi, quippe quæ ad unam et eamdem lineam una cum ipso *intelligere* pertinent. 61.

Ad probationem primæ consequentiæ. Quare : contra hoc nihil obest probatio primæ consequentiæ in hoc argumento adducta. Quoniam hoc ipso, quod communicetur

cetur Verbo divino in gradu perfectissimo, et ex vi processionis ipsum *intelligi* divinum, seu hoc, quod est habere essentialiter, et intra propriam lineam, quod sit objectum actualissimum divinæ intellectionis, oportet, ut ei communicetur ex vi processionis ipsum *intelligere* divinum, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali et entitativo, ut ex dictis, et in sequenti dubio dicendis patebit. Sicut hoc ipso, quod existentia aliqua sit perfectissima omnium intra suam lineam, debet esse omnino idem absque distinctione virtuali cum divina essentia.

62. Diximus : *Quod essentia Verbi increati ex vi suæ lineæ habet constitui per suum intelligi, et per ipsum intelligere, tam in esse intelligibili, quam in esse naturali, et entitativo sumptum*, ut denotaremus, non esse contra rationem verbi creati, ut aliquando ob specialem, et atomam ejus differentiam habeat, tum, quod petat esse ipsum *intelligi*, id est, esse objectum ratione eorum, quæ ex se affert (modo tamen alibi tacto), terminans actu intellectionem. Tum etiam, quod in *esse* intelligibili tantummodo sit ipsum *intelligere*, ut contingit in verbo creato repræsentante per se primo aliquam intellectionem : quia hoc non arguit infinitatem, sicut illam arguit, quod aliquid sit ipsum *intelligere* in *esse* entitativo, et intelligibili, et simul sit ipsum *intelligi*, id est, quod sit ipsum verbum, et species intelligibilis, et ipsa intellectio, per quam intelligitur : ex eo quod hoc arguit summam puritatem, et actualitatem intra lineam intellectualem.

63. Ad confirmationem. Ad confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia. Quia, ut ex dictis a num. 41 usque ad num. 46 constat, linea verbi perfectissimi petit, ut non solum in *esse* repræsentativo, sive intelligibili, sed etiam in *esse* entitativo et naturali sit idem quoad suam essentiam cum suo objecto. Quod etiam amplius ex iis, quæ in sequenti dubio dicemus, patebit. Et ad probationem in contrarium satis liquet ex dictis. Nec exemplum illud de sapientia ibidem adductum obest, sed potius prodest, ut numeris nuper citatis insinuavimus. Quoniam, etsi in creaturis sapientia tantum sit directive causa rerum ; attamen in divinis est formalissime idem, quod scientia, et est etiam causa exsequens respectu rerum scitarum, quæ a Deo exsequi possunt, ut ex dictis in 1 tomo tractatu 3 disput. 5 num. 46 et sequentibus constat.

Et ratio est eadem utrobique, nempe, quod totum hoc pertinet ad lineam scientiæ, ut ex ibidem dictis patet : sicut, et tota identitas jam dicta inter verbum omnium perfectissimum, et suum principium pertinet ad lineam ejusdem verbi, ut ex jam dictis, et ex dicendis sequenti dubio amplius constabit. Quare : licet ea, quæ non spectant ad aliquam ex divinis lineis in particulari consideratam, satis sit, quod competant ipsi identice, ad hoc salvetur prædictam lineam esse denudatam ab imperfectionibus : attamen illa, quæ sunt propria alicujus lineæ, debent ipsi non solum identice, sed etiam formalissime, seu (quod in idem quoad præsens redit) absque distinctione aliqua virtuali (ne linea illa sit cum imperfectionibus admixta) convenire.

§ VIII.

Argumentum ultimum adversus eamdem Catholicam veritatem, ejusque enodatio.

Ultimum argumentum est. Quoniam processioni Verbi divini non convenit ultima particula posita in definitione generationis viventium, nempe, quod ejus terminus procedat *in similitudinem naturæ generantis* : ergo nec conveniet ratio generationis viventium. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Nam verbum ex se, et ex genere suo, ac proinde etiam Verbum divinum, habet, ut non procedat simile naturæ intelligentis, quatenus intelligens est, sed speciei intelligibili, seu objecto cognito, quatenus est objectum intellectionis, per quam prædictum verbum procedit : sed essentia Dei, sive Patris æterni non consistit in hoc, quod habeat rationem speciei intelligibilis, aut rationem objecti cogniti; sed in hoc, quod sit intelligens : ergo Verbum divinum non procedet simile suo principio in eo, quod habet in eodem principio rationem essentiæ, sive naturæ : et per consequens processioni Verbi divini non conveniet ultima particula definitionis, nempe, quod ejus terminus sit *in similitudinem naturæ*. 64. Ultimum argumentum.

Nec refert, si dixeris, tum, quod in Deo ratio speciei intelligibilis, et objecti cogniti, necnon et intellectionis est una et eadem simplicissima formalitas absque distinctione virtuali : et propterea ista tria spectant ad lineam essentiæ divinæ, proindeque in idem redit, Verbum divinum 65. Solutio prima.

procedere simile essentiæ Patris, ut habet rationem speciei intelligibilis, et objecti cogniti, ac procedere simile illi, ut habet rationem intelligentis, seu intellectionis.

Secunda. Tum etiam : quia in intellectione, in qua natura intelligens est objectum per se primum ejusdem intellectionis, in idem redit, quod verbum procedat simile speciei intelligibili, et objecto cognito, ac quod procedat simile naturæ intelligentis. Et ideo in divinis, ubi natura intelligens est objectum per se primo intellectum, redit in idem, quod Verbum procedat simile essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei, et objecti cogniti, et quod procedat simile ipsi, ut habenti rationem naturæ intelligentis.

66. Impugnatur prima solutio. Nam contra primum obstat. Quod licet in Deo tria illa non distinguantur virtualiter; sed dicant distincta munera ejusdem essentiæ absque prædicta distinctione virtuali, cum distinctione tamen ex parte nostri modi concipiendi : nihilominus facta collatione inter illa, tunc ratio primaria, et potissima naturæ divinæ consistit in eadem natura, prout est intellectio; non vero, prout habet rationem speciei intelligibilis, aut objecti intellecti : ergo, nisi Verbum divinum exeat simile naturæ Dei, quatenus est intellectio, ita ut hoc sit terminus formalissimus suæ processionis, non procedet ex vi illius, et formalissime in similitudinem naturæ ut talis. Patet consequentia. Quia ad hoc desideratur, quod procedat simile, modo dicto, in eo, quod primario et potissime habet rationem naturæ. Ideoque, licet beatis communicetur essentia divina in ratione speciei intelligibilis, et objecti intellecti, nihilominus non communicatur eis essentia divina in ratione naturæ : quia non communicatur illis eadem natura, ut habet rationem intellectionis.

Insurgitur contra secundam solutionem. Ex quo etiam contra secundum obstat. Quod adhuc dum objectum per se primum intellectionis est ipsa natura intelligens, seu ipsa intellectio, tunc in ea munus objectivi intellecti, et speciei intelligibilis non est potissima et primaria ratio illius : ergo licet verbum identice procedat simile suo principio in eo, quod habet primario et potissime rationem naturæ, non hoc ei formalissime, et quatenus est terminus formalissimus prædictæ processionis, competet : et per consequens talis processio non erit generatio viventis. Patet hæc ultima consequentia. Quia, ut nuper innuebamus, ad hanc requiritur, quod terminus ejus, formalissime ut est terminus suæ processionis, exeat similis producenti in eo, quod potissime habet in illo rationem naturæ, et non sufficit, quod solum identice ei competat.

67. Respondetur ad argumentum. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod verbum ex se et ex genere suo habet, ut procedat simile, quantum fieri possit, speciei intelligibili consideratæ quoad omnia, quæ ad lineam prædictæ speciei spectant : et quod potissime assimiletur illi quoad id, quod est potissimum intra lineam prædictæ speciei. Unde, quia in specie intelligibili creata quod potissime invenitur, est natura ipsa in ea repræsentata, idcirco verbum adæquatum ipsius procedit potissime simile in tali natura. Quia vero ultra prædictam naturam est in eadem specie modus essendi in illa intelligibiliter, idcirco verbum procedit simile in eadem natura sub modo essendi intelligibili : non quidem ita ut procedat adæquate, sed solum inadæquate simile in hoc modo essendi : quia species intelligibilis creata, et verbum ei correspondens non possunt propter sui limitationem esse omnino similia in prædicto modo essendi, sed in hoc debent specie saltem modali distingui, et solum generice, aut quasi generice convenire, ut ex alibi dictis constat. Et propterea diximus, verbum procedere simile, quantum fieri potest, speciei intelligibili quoad omnia, quæ ad lineam prædictæ speciei spectant.

Cæterum, quia ad lineam speciei intelligibilis creatæ non spectat, quod sit ejusdem naturæ cum suo objecto, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* entitativo et naturali, licet alias ipsa species hoc habeat : et propterea, quando species intelligibilis creata est eadem substantia intelligentis, tunc per accidens est, et extra lineam prædictæ speciei, quod sit in *esse* entitativo et naturali ipsum objectum, ut contingit in Angelo cognoscente se per suam substantiam, tanquam per speciem intelligibilem (ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disputatione 2 num. 107 et tractatu 3 disputatione 2 num. 31 diximus, ubi etiam plura huc spectantia explicuimus) : ideo verbum creatum, adhuc in eo eventu, non procedit simile prædictæ speciei quoad naturam objecti, quam habet, etiam in *esse* entitativo; sed tantum procedit simile illi in *esse* intelligibili.

68. Quare : cum in divinis ad lineam speciei intelligibilis

intelligibilis spectet, quod sit ipsa natura Dei, nempe ipsum *intelligere*; et hoc non utcumque, sed ita ut sit prædictum *intelligere* in *esse* entitativo et naturali, ut patet ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disputatione 2 num. 65 et tractatu 3 disputatione 3 num. 17 et tractatu 4 disputatione 2 numero 54 et deinceps diximus. Et similiter cum ad lineam ejusdem speciei in divinis pertineat, quod sit ipsa natura Dei, non solum ut est suum *intelligere*, sed etiam ut est suum *intelligi*, seu ut est objectum actu intellectum, ut constat ex illis, quæ in eodem tomo tractatu 3 disputatione 3 num. 18 et deinceps diximus : idcirco Verbum in divinis, quatenus est terminus formalis suæ processionis, procedit simile Patri generanti quoad suam naturam, tum, prout habet rationem speciei intelligibilis quoad munus illud inadæquatum, per quod æquivalet, et correspondet speciebus intelligibilibus creatis : tum etiam, prout dicit naturam Patris consistentem in ipso *intelligere* essentiali in *esse* naturali et entitativo sumpto : tum denique, inter alia, procedit etiam simile in eadem essentia, prout non solum dicit prædictum *intelligere*, sed ipsum *intelligi*, seu munus terminandi actu intellectionem. Sicut etiam, quia facta collatione inter hæc munera reperta in linea speciei intelligibilis, tunc munus illud, secundum quod dicit ipsam naturam Dei, nempe, ipsum *intelligere* essentiale jam explicatum, est potissimum munus in illa : ex eo quod linea speciei intelligibilis in divinis est eadem linea, ac linea naturæ, et in una et eadem linea id est potissimum, quod est formalius, et actualius id illa, cuique cætera munera quasi deserviunt, ut in præsenti contingit, ubi omnia, quæ in linea naturæ inveniuntur, sic se habent respectu ipsius *intelligere* essentialis : propterea Verbum divinum, ut est terminus formalis suæ processionis, procedit potissime simile in natura Patris, ut natura est, et ut dicit prædictum *intelligere* : et hoc est, quod ei potissime et formalissime ex vi suæ processionis communicatur : licet etiam cæteræ aliæ rationes, seu munera ad hanc eamdem lineam spectantia ei ex vi suæ processionis, ut est terminus formalis ejus, illi communicentur.

69 Unde, ut est terminus formalis prædictæ processionis, evadit simile naturæ Patris, ut gerit munus speciei intelligibilis, et ut non solum est ipsum *intelligere*, sed etiam ipsum *intelligi* : ideoque ex vi ejusdem processionis communicatur ei, quod sit suum *intelligere* in *esse* intelligibili, et in *esse* entitativo et naturali; et simul sit ipsum *intelligi*. Ut per primum illud munus prædicti *intelligere* ei communicati sit simile Patri in natura sua, ut habet rationem speciei intelligibilis, quoad illud præcisum munus, per quod æquivalet et correspondet speciebus intelligibilibus creatis. Et per secundum sit ei simile, ut exprimit rationem naturæ, ut natura est, et quodammodo distinguitur ex parte nostri modi concipiendi ab eodem *intelligere*, ut habet rationem speciei. Et tandem per tertium assimiletur ipsi, ut dicit ipsum *intelligi*. Per quæ ad omnia, quæ in hoc ultimo argumento adducuntur, satis constat.

Unde illud, quod de beatis ibidem affertur, nihil obest. Quoniam ipsis non communicatur natura divina, nisi quoad munus speciei intelligibilis sibi inadæquatum, et quoad munus insinuatum per ly *intelligi*, ut præcise dicit ipsum *intelligere* Dei, seu naturam divinam; non quidem sub *esse* entitativo et naturali; sed sub *esse* intelligibili, seu intellecto : eo sane proportionali modo, quo in cognitione creata, in qua per propriam speciem cognosceretur aliquod *intelligere*, tunc verbo per illam producto non communicaretur ipsum *intelligere* creatum in *esse* naturali, et entitativo; sed solum in *esse* intentionali, seu sub *esse* intellecto; quod quidem addit modum quemdam proprium ipsius verbi. Et ita verbum in eo eventu, et intellectus beati, ut ei communicatur natura divina modis insinuatis, non erunt ejusdem naturæ cum suis objectis absolute, simpliciter, ac sine addito; sed solum secundum quid, et cum addito, scilicet, in esse intentionali. Videantur ea, quæ in 1 tomo tractatu 3 disp. n. 2 66 et deinceps diximus.

Occurritur ad instantiam adductam in impugnatione prioris solutionis.

§ IX.

Objectio notanda contra solutionem datam, et occursus ad illam.

70\. Nec refert, si urgeas, quod processio intelligibilis non potest habere pro termino formali aliquid aliud præter rem procedentem; non qualitercumque sumptam, sed quatenus intelligibilem : ex eo quod objectum adæquatum intellectus ut sic est ens ut intelligibile : sicut etiam objectum adæquatum divini intellectus est ens divinum seu divina essentia, ut intelligibilis intelli-

Replica notanda.

gibilitate per modum actus purissimi : ergo processio Verbi divini non habebit pro termino formali essentiam Dei quoad primarium et potissimum ejus munus, seu secundum quod constituit Deum potissime, nempe, ut dicit *intelligere* ; sed secundum aliud munus non ita præcipuum, nec primarium, scilicet, ut est intelligibilis per modum actus purissimi, seu ut est actu intellecta actuque terminat divinam intellectionem : ac proinde prædicta processio non erit generatio viventium : quandoquidem ad hanc desideratur, quod terminus formalissimus illius sit natura secundum id, per quod primario et potissime constituitur in ratione naturæ.

71. Solutio prima. Respondetur enim primo, quod transeat antecedens, et distinguatur consequens primæ consequentiæ. Et si sensus illius sit, quod essentia Dei, ut dicit *intelligere* ejus primum, et essentiale, non sit terminus formalissimus *quo* in *esse* rei, sumpto termino isto, quatenus dicit (ut sic loquamur) nexum cum ratione *sub qua*, negari debet : secus vero, si sensus illius fuerit, quod non sit ratio formalis *sub qua*. Et deinde neganda est secunda consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod, loquendo de termino formali *quo* generationis viventium, est ad minus satis ad illam, quod terminus formalis *quo* ejus in *esse* rei, ut habet nexum cum ratione *sub qua*, sit eadem natura viva, quæ est in generante, sub conceptu tamen naturæ.

Unde, non definitur generatio ista per hoc, quod sit *secundum similitudinem naturæ*, tanquam per rationem formalem *sub qua*, ita ut hoc sit necessarium ad omnem generationem viventium ; sed tanquam per terminum formalem *quo* in *esse* rei, ut habentem nexum cum ratione *sub qua*, ita ut ad minus hoc in prædicta definitione denotetur. Constat autem, istud quoad præsens inveniri. Quoniam natura divina sub conceptu purissimi muneris, quod est in illa, scilicet, *intelligere* divinum primordiale dicit, idem *intelligere*, quatenus exprimit (ut sic loquamur) nexum cum eadem natura, ut est intelligibilis per modum actus purissimi, seu, ut est essentialiter intellecta. Sicut essentia intellectionis creatæ, sub conceptu talis, dicit nexum cum suo objecto formali, nempe, cum ente ut sic, quatenus est intelligibile, seu intellectum. Et ideo satis est, quod communicetur Verbo divino ipsum *intelligere* essentiale sub conceptu intellectionis divinæ, et essentialis, secundum quem dicit potissimum munus constitutivum naturæ Dei : et quod communicetur ei (modo dicto) ad hoc, ut habeat communicari, quantum satis est ad hoc, ut ejus communicatio, et productio verbi sit vitalis quædam generatio.

72. Enodatio secunda ex Cajetano. Secundo respondetur cum Cajetano in hac 1 parte q. 16 art. 3 in explicatione solutionis ad 3 D. Thomæ, ubi sic habet : *Verum autem rei est posterius quidem ente, prius autem cognitione, et est objectum intellectus, non formale (quoniam illud est ens) ; sed est conditio propria objecti formalis. Ens enim, licet secundum omnes conditiones, et modos, et rationes terminet intellectum, dum omnia intelliguntur actu, vel potentia certam tamen exigit conditionem generalem, qua exercet hoc, quod est perficere intellectum objective : et hanc addit verum supra ens. Non enim quomodolibet perficit intellectum, sicut nec quomodolibet perficit appetitum, nec quomodolibet agit. Unde inter verum, et bonum (quamvis conveniant in hoc, quod utrumque est objectum, et terminans, etc.) hoc interest, quod bonum est objectum formale voluntatis ; verum autem conditionem objecti formalis significare videtur. Et propterea omnis appetitio est appetitio boni formaliter : omnis autem intellectio non est intellectio veri formaliter ut in littera dicitur, sed rei veræ. Itaque ly rei, notat rem intellectam, et ly veræ conditionem, qua res intelligitur.* Hucusque Cajetanus. Quem sequuntur Nazarius loco citato ex 1 parte, Nazar. Araujo tomo 1 Metaphysicæ lib. 4. quæst. Araujo. 5 art. 1 num. 1 et 5, et alii.

73. Unde, juxta hunc dicendi modum satis intelligitur, quomodo, etsi generatio intellectualis, qualis est productio verbi creati adæquantis speciem intelligibilem (ut in eo, majoris claritatis gratia, exemplum ponamus), terminetur formaliter ad communicandam naturam, quæ est in prædicta specie ; quatenus talis natura est vera, ac proinde quatenus habet *esse* intelligibile, seu (ut melius loquamur) quatenus habet esse intellectum, quia hæ sunt rationes concomitantes ens, ut est objectum intellectus : nihilominus hoc debet intelligi, ita ut illa reduplicatio reduplicet solummodo conditiones repertas in ipso objecto formali, et necessario assistentes ipsi, ut optime notavit Cajetanus loco citato ; non tamen Cajetan. ita, ut reduplicet rationem formalissimam objectivam, seu terminativam, et per modum termini formalissimi communicatam. Nam hæc, respectu intellectionis v. g. creatæ,

creatæ, qua intelligitur natura humana; et ut prædicta intellectio condistinguitur specie ab aliis intellectionibus, est ipsa natura humana; licet necessario debeat habere, ad hoc ut terminet, duos illos superadditos modos, aut quasi modos in ea inventos (saltem ut habet *esse* in verbo), scilicet, modum veritatis, et modum intelligibilitatis. Et ita, ascendendo ad divina tunc respectu intellectionis Paternæ productivæ Verbi divini, quæ habet pro termino formali ipsam essentiam divinam, nempe, ipsum *intelligere*, ratio formalissima terminativa illius generationis, et quæ per modum termini formalissimi communicatur Verbo divino, erit ipsa natura, quæ est in specie intelligibili divina, id est, erit ipsa natura divina, ut potissime constituta per prædictum *intelligere* in *esse* entitativo et naturali sumptum; licet ibi debeant necessario superaddi, inter alia, duo quasi modi ex parte nostri modi concipiendi distincti ab ea, scilicet, modus veritatis, et modus intelligibilitatis ad hanc veritatem consecutus.

74. (…imadversio …essaria ad …ures …jectiones solvendas.) Unde, ad plura, quæ contra hucusque dicta objici possunt, dissolvenda, semper ante oculos habendum est id, quod ex nuper dictis satis colligitur, nimirum, essentiam divinam, ut intellectam, seu, ut terminantem formaliter productionem Verbi, dicere quasi quoddam concretum coalescens ex parte nostri modi concipiendi ex ratione quadam, et munere omnium formalissimo, scilicet, ex ipso *intelligere*, ut potissime constituit naturam Dei sub *esse* entitativo; et ex aliis duobus muneribus, aut quasi modis inter alia, ad hoc concretum concurrentibus, nempe, ex modis veritatis, et intelligibilitatis per modum actus purissimi, qui (servata proportione) correspondent modo illi veritatis reperto in objecto creato, necnon et modo intelligibilitatis invento in eodem objecto creato, et in specie intelligibili, ac verbo illius: ita quidem, ut ipsum *intelligere* sub *esse* naturali et entitativo, et ut petens, inter alia, hos quasi modos ex parte nostri modi concipiendi diversos, tanquam munera, et modos ei inadæquatos (secundum quam rationem est potissimum constitutivum Dei), sit terminus, et ratio omnium formalissima, habens munera alia quasi formalizare; cum tamen cætera munera non sint ita formalia in ratione terminandi: et hoc non ob aliud, nisi quia hoc ipsum a natura divina petitur.

Possuntque omnia hæc illustrari testimonio D. Thomæ loco supra citato, nempe, in hac prima parte quæst. 16 artic. 3 ad 3 his verbis: *Dicendum, quod cum dicitur, quod ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo, ita quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri assequatur apprehensionem entis: et sic locutio habet veritatem. Alio modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri: et hoc falsum est: sed verum non potest apprehendi nisi apprehendatur ratio entis: quia ens cadit in ratione veri. Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens; non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile. Sed tamen potest intelligi ens, ita quod non intelligatur ejus intelligibilitas. Et similiter ens intellectum est verum; non tamen intelligendo ens, intelligitur verum.* 75. Illustratur prædicta animadversio testimonio D.Thom.

Ubi (ut constat) Angelicus Doctor duo illa, in quibus tota præcedens solutio innititur, docet. Primum est, quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri assequatur apprehensionem entis, id est (ut explicat Cajetanus ibidem) nisi ratio veri ibidem inveniatur. Cajetan. Secundum autem, quod verum non potest apprehendi, non apprehensa ratione entis; bene tamen e contra. Nam in hoc satis insinuat, objectum formale intellectus esse ens non autem verum, aut intelligibile, quod formaliter sumptum subsequitur ad verum, ut Cajetanus ibidem etiam notavit. Quia, quoties aliqua duo, aut plura alia debent necessario inveniri in objecto formali alicujus potentiæ quatenus tali, ut v. g. in objecto intellectus, et facta collatione inter ea, unum eorum debet esse objectum formalissimum illius, ut in præsenti contingit, tunc illud potius debet prædictam rationem objecti sortiri, cui convenit esse semper intellectum, quoties alia intelliguntur; non vero illud, cui hoc non competit.

DUBIUM III.

Ex quibus capitibus sit efficax, ad probandam generationem Verbi divini ratio D. Thomæ, nempe, quod intelligere Dei est esse Dei?

Quamvis ex dictis in præcedenti dubio sufficienter maneat probata generatio Verbi divini, et vis hujus rationis D. Thomæ fuerit insinuata: nihilominus, quia ratio, quam idem Angelicus Doctor in hoc artic. Angel. Doctor.

adducit ad probandum, quod, supposita fide processionis Verbi divini, debet talis processio esse generatio, aliquibus visa est satis difficilis : ex eo, quod plura, et diversa capita, ex quibus suam vim habet, non admittunt : propterea placuit, rationem hanc in præsenti examinare, et diversa capita, ex quibus ejus efficacitas originem trahit, adducere. Quamvis capita ista in hoc dubio ex professo non examinabimus; sed potius illa innuemus : quia ex dictis disput. præcedenti, et in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disp. 2 et tractatu 4 disp. 1 et a nostris Complutensibus in lib. Physicorum disput. 10 et in lib. de Anima disput. 21 constare poterunt. N. Compl.

§ I.

Assignatur primum caput, unde ratio D. Thomæ est efficax.

76. Prima conclusio. Dicendum est primo, efficacitatem rationis Angelici Doctoris ad probandum, quod, supposita fide processionis Verbi divini, talis processio est generatio, desumi tanquam ex primo, et potissimo capite, ex eo quod *esse* Verbi divini non solum identice, sed formaliter est *intelligi :* et *intelligi*, ac *intelligere* in Deo sunt formaliter omnino absque distinctione virtuali unum et idem *esse*. Ita D. Thomas 4 contra Gentes cap. 11 ; Cajetanus in præsenti § *Circa rationem ;* Torres 4 parte commentarii super hunc articulum; Ferrara 4 contra Gentes cap. 11, § *Circa id quod dicitur*, et § *Ad 1 dicitur;* Silvester 1 volumine Conflatus quæst. 27 artic. 3; Bannez dubitatione circa hunc articulum; Nazarius controversia unica circa præsentem articulum, et communiter discipuli D. Thomæ. Quamvis Doctores isti discrepent in explicatione sensus, in quo prædictum caput, et fundamentum rationis D. Th. accipiendum sit. D.Thom. Cajetan. Torres. Ferrara. Silvest. Bannez. Nazar.

77. Ratio D. Thom. Assertio hæc non aliter melius, quam adducendo verba divi Thomæ loco citato, ubi sanctus Doctor vim rationis, quam in hoc articulo affert, explicat, et probat ex prædicto fundamento in hunc modum : *Cum autem intellectus divinus non solum sit semper in actu ; sed etiam sit ipse actus purus, oportet, quod substantia intellectus divini sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus. Esse autem verbi interius concepti, sive intentionis intellectæ, est ipsum suum intelligi. Idem ergo esse est Verbi divini, et intellectus divini : et per consequens ipsius Dei, qui est suus intellectus. Esse autem Dei est ejus essentia, vel natura, quæ idem est, quod ipse Deus. Verbum igitur Dei est ipsum esse divinum, et essentia ejus, et ipse verus Deus.*

Confirmat autem hoc ipsum S. Doctor sequentibus verbis : *Non autem sic est de verbo intellectus humani. Cum enim intellectus noster se ipsum intelligit, aliud est esse intellectus, et aliud ipsum ejus intelligere. Substantia enim intellectus erat in potentia intelligens, antequam intelligeret actu. Sequitur ergo, quod aliud sit esse intentionis intellectæ, et aliud intellectus ipsius : cum intentionis intellectæ esse sit ipsum intelligi. Unde oportet, quod in homine intelligente se ipsum verbum interius conceptum non sit homo verus, naturale esse hominis habens ; sed sit homo intellectus tantum, quasi quædam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa.* Confirmatio ejusdem.

78. Animadversio prima pro intelligentia rationis D.Thom. Confirmatur, et explicatur vis hujus rationis D. Thomæ, prænotando tamen tria. Primum est , quod *intelligere* est existentia in ordine intelligibili respectu speciei intelligibilis , intellectus , et verbi , quatenus ad hunc ordinem pertinent, ut constat ex illis, quæ disputatione præcedenti num. 95 et in 1 tomo tractatu 3 disputatione 2 num. 105 et tractatu 4 disputatione 1 num. 21 et deinceps diximus, ubi etiam plura argumenta contra veritatem istam pugnantia diluimus. Hoc autem non habet intellectio , quatenus præcise est productio verbi ; sed quatenus est contemplatio illius, et objecti per ipsum verbum repræsentati; quamvis id ex diverso capite proveniat in creatis, et in divinis. Nam in creatis ultimum munus intellectionis per se, et indispensabiliter ei competens est contemplatio verbi, et rei mediante illo intellectæ, ut patet ex iis, quæ disputatione 1 hujus tractatus numero 91 et 95 asseruimus. Et propterea, hoc ipso, quod intellectio sit existentia verbi in ordine intelligibili, debet esse existentia illius secundum hoc ultimum munus, secundum quod intellectio est ultima actualitas hujus ordinis. Sicut in ordine naturali et entitativo id, quod est ultima actualitas substantiæ, et ad ordinem substantiæ spectans, nihil est aliud, quam ipsa existentia ejusdem rei. In divinis autem idcirco intellectio, prout est contemplatio, est existentia Verbi, quia prout est productio, et dictio ejusdem Verbi, est propria solius Patris.

Secundum

Secundum est, quod etsi *intelligere* sub conceptu nuper dicto sit existentia intellectus, et speciei intelligibilis, et verbi in ordine intelligibili : nihilominus, ut est existentia intellectus, et speciei intelligibilis, significatur active, et ita dicitur *intelligere* esse existentiam eorumdem : at quatenus est existentia verbi, significatur passive, nempe per *intelligi* ; et ideo asseritur, quod *intelligi* est *esse*, seu existentia verbi. Nam sicut essentia intellectus, ut determinati per speciem intelligibilem, est, quod sit elicitivus, aut quasi elicitivus intellectionis : ita *intelligere*, ut est ejus existentia, significatur active. Et quemadmodum essentia verbi petit esse id, ad quod (modo alibi dicto) terminatur intellectio : sic prædicta intellectio, ut est existentia illius, significatur etiam passive : et propterea dicitur, quod *esse verbi est intelligi*.

Tertium est, quod verbum in creatis ex vi suæ processionis, seu, ut est terminus illius, habet quodammodo esse causam formalem intellectionis, prout est existentia illius : et ita ex vi sua illam infert, ut constat ex illis, quæ disputatione præcedenti numero 103 diximus. In divinis autem Verbum secundum suam essentiam consideratum, et ex vi suæ processionis, consistit in ipso *intelligere*, seu *intelligi* ; et non utcumque, sed ita ut existat per illud, tanquam per quid ad ejus lineam spectans.

Ratio autem, ob quam verbum creatum infert (modo dicto) intellectionem, ut existentiam sui, est ; quoniam, licet intellectio prout dictio præsupponatur ad verbum : attamen, prout est contemplatio, subsequitur ad illud, ut ex dictis disputatione præcedenti numero 91 et sequentibus liquet : et verbum determinat eam, ad hoc ut sit contemplatio hujus objecti potius, quam illius, ut in eadem disput. num. 103 nuper citato adnotavimus : et hoc convenit verbo, ex eo quod est forma actualissima repræsentans actualissime objectum. Cumque esse hoc modo formam repræsentativam sui objecti conveniat illi ex vi suæ processionis, et ut est terminus formalis illius, inde est, ut verbum creatum habeat ex vi suæ processionis esse quodammodo causam formalem intellectionis, prout est existentia ejusdem verbi : siquidem per hanc causalitatem nihil aliud intelligimus, præter prædictam determinationem, quæ per modum formæ determinat ad intellectionem, ut est contemplatio sui objecti.

Potestque hoc amplius explicari exemplo speciei intelligibilis, quæ quia habitualiter, et per modum formæ habitualis repræsentat suum objectum, propterea etiam habet aliquo modo determinare in genere causæ formalis, et ex vi suæ processionis ad eamdem intellectionem, ut in 2 tomo tractatu 4 disputatione 1 numero 22 diximus. Quare, cum verbum creatum perfectius, id est, actualiori modo repræsentet objectum, quam species intelligibilis, consequens erit, ut potiori ratione sit ex vi suæ lineæ quodammodo causa formalis respectu intellectionis, ut est existentia ejusdem verbi. Illustratur exemplo.

82. Quare Verbum divinum sit ipsum intelligere passive acceptum.

Ratio vero, propter quam essentia Verbi divini consistit in ipso *intelligere essentiali* passive significato absque aliqua distinctione virtuali ab illo, habetque ex vi suæ processionis, ut existat per ipsum, tanquam per aliquid pertinens ad suam lineam, reddi potest : ex eo quod, sicut vis elicitiva, aut quasi elicitiva intellectionis essentialis, hoc ipso quod sit actus purus, pertingit intra suam lineam usque ad suum *intelligere :* et hoc ipso, quod omnino connaturaliter, et necessario communicetur prædicta vis, habet ex vi suæ communicationis communicari, prout est ipsa actualis intellectio : siquidem, quod connaturaliter omnino, et necessario communicatur, debet communicari secundum ea, quæ habet intra suam lineam : ita vis per modum actus puri ad terminandam intellectionem Dei, in quo essentia Verbi divini absque distinctione virtuali consistit, quodque ei ex vi suæ processionis competit, ut ex se patet, debet etiam pertingere usque ad ipsum *intelligere*, tanquam usque ad aliquid suæ lineæ (ne prædicta vis ad terminandam intellectionem desinat habere secundum suam essentiam rationem actus puri in ratione virtutis terminandi) : et hoc ipso, quod Verbo divino ex vi suæ processionis, et intra suam lineam conveniat, quod sit terminus intellectionis Dei ratione suæ essentiæ, et quod in ratione terminandi sit actus purus, oportet competere eidem ex vi suæ processionis, et intra suam lineam, quod sit suum *intelligere*. Et sicut, quia vis ad intelligendum est actus purus, habet ex vi suæ peculiaris lineæ existere per suum *intelligere*, tanquam per aliquid propriæ lineæ : et hoc ipso, quod communicetur prædicta vis ad intelligendum, debet ex vi illius communicationis communicari, ut existens per prædictum

intelligere : ita vis per modum actus puri ad terminandam intellectionem existet ex vi suæ lineæ per prædictum *intelligere*, tanquam per aliquid pertinens ad eamdem lineam : et ex vi processionis habebit existere per illud; quamvis, quia prædicta vis terminandi habet passive significari, propterea *intelligere* passive significatum habet esse existentiam illius. Ac proinde jam Verbum in divinis ex vi suæ lineæ, et processionis habebit, quod sua essentia sit *intelligere*, et quod existat per prædictum *intelligere*, seu *intelligi* divinum, tanquam per aliquid pertinens ad suam lineam. Quod erat intentum hujus tertii notabilis quoad secundam ejus partem.

83. Ex prædictis animadversionibus aperitur vis rationis D.Thom.

Hinc ergo sequens deducitur confirmatio, et explicatio rationis D. Thomæ. Quoniam substantia intellectus divini, quæ est ipsa substantia, et essentia Dei, habet esse ita actualem, ut si ipsum suum *intelligere*, tanquam quid pertinens ad suam lineam, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disputatione 4 num. 43 et tractatu 4 disputatione 2 numero 34 diximus : ac proinde essentia Dei erit ita actualis, ut sit suum *existere*, tanquam quid ad suam lineam spectans, ut patet ex 2 et 3 notabili. Sed essentia Verbi divini est etiam ita actualissima, ut sit suum *intelligere* (quamvis talis essentia passive significetur, nempe per hoc, quod sit suum *intelligi)* : et per consequens est ita actualis, ut sit suum *existere*, tanquam quid pertinens ad suam lineam; ita ut totum hoc conveniat ei ex vi suæ processionis, ut ex eisdem notabilibus liquet. Ergo eadem erit existentia Dei, et essentia Verbi divini, tanquam aliquid pertinens ad suam lineam, et conveniens Verbo ex vi suæ processionis. Ergo Verbum procedet ut ejusdem prorsus essentiæ cum Deo, ejusque processio erit vera generatio.

Prior consequentia ex utraque præmissa videtur aperte sequi. Posterior tandem consequentia quoad priorem ejus partem ex prima consequentia deducitur. Nam essentia Dei nihil est aliud, quam essentia ita actualis, ut sit ipsum suum *intelligere*, suumque *existere*, tanquam quid ejusdem lineæ cum illa, ac proinde tanquam quid omnino identificatum cum ipsa, absque distinctione etiam virtuali : ergo si essentia Verbi divini ex vi suæ processionis est eodem modo suum *intelligere* (quamvis hoc passive significetur, aut significari possit, nempe per hoc, quod sit suum *intelligi)*, ac proinde etiam est suum *existere*, oportet, ut ex vi processionis Verbi eadem sit sua essentia, et essentia Dei. Ex quo etiam eadem consequentia quoad secundam ejus partem satis constat. Nam cum processio Verbi divini sit etiam origo viventis a principio vivente conjuncto, fiet inde, ejus processionem esse generationem, si semel Verbum procedit in similitudine, seu identitate naturæ : ac proinde tantum differant in proprietatibus personalibus, scilicet in hoc, quod Pater habet prædictam essentiam, a se, et Verbum a Patre.

84. Ex dictis etiam enucleatur ratio D.Thomæ ex 4 contra Gentes.

Ex quibus omnibus potest etiam elucidari confirmatio, quam ex D. Thoma 4 contra Gentes capite citato ad probandam vim rationis hujus articuli adduximus : ac per consequens præcedens ratio magis corroborari. Nam in nobis, cum intellectus intelligit se ipsum, aliud est *existere* naturale et entitativum intellectus ; aliud vero ejus *intelligere ;* secus vero in Deo : ergo in nobis aliud erit *existere* verbi in ordine intelligibili per illam intellectionem; et aliud *existere* naturale, et entitativum intellectus; econtra vero in Deo : ergo verbum in nobis non procedet ut idem in natura cum intellectu sub modo essendi naturali et entitativo; sed ad summum in *esse* repræsentativo et intelligibili : nec ejus processio erit generatio simpliciter, sed solum secundum quid; secus vero in Deo.

Antecedens patet. Quoniam in nobis licet *intelligere* habeat respectu intellectus, ut actuati specie intelligibili, rationem existentiæ in ordine intelligibili : non tamen rationem existentiæ in ordine naturali et entitativo : ex eo quod in nobis *esse* naturale et entitativum distinguitur saltem virtualiter ab *esse* intelligibili; non vero in Deo, sed sunt una et eadem ipsissima formalitas absque distinctione virtuali, ut in primo tomo tractatu 2 disputatione 2 numero 65 et tractatu 3 disputatione 3 numero 17 necnon tractatu 4 disputatione 2 numero 34 et 35 diximus. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia *existere* verbi in ordine intelligibili est ipsum *intelligere*, ut ex 1 notabili numero 78 adducto constat : ergo si in nobis *intelligere* distinguitur ab *existere* intellectus in *esse* naturali et entitativo ; secus vero in Deo : fiet inde, quod in nobis sit aliud *existere* entitativum et naturale intellectus intelligentis se; et aliud *existere* in *esse* intelligibili, per quod existit in hoc ordine verbum ; secus vero in Deo.

Ex

Ex quo etiam secunda consequentia liquet. Quoniam, quod non existit per eamdem existentiam ordinis naturalis et entitativi cum alio, sed solum per eamdem in *esse* intelligibili (ut in verbo creato contingit), erit ad summum ejusdem naturæ cum illo in *esse* intelligibili; non vero in modo essendi naturali et entitativo : et per consequens ejus generatio tantum erit generatio in *esse* intelligibili (quod est esse generationem secundum quid); non vero in *esse* naturali (quod est esse generationem simpliciter). Et similiter, quod extiterit per eamdem existentiam naturalem entitativam, necnon intelligibilem, ac intellectus intelligens seipsum, ex eo quod talis existentia est simul ipsissima existentia ordinis naturalis, et intelligibilis (ut in Verbo divino, et Patre æterno suam essentiam, suumque intellectum comprehendente contingit), ibidem verbum procedet ut ejusdem naturæ, tam in *esse* intelligibili, quam in naturali et entitativo cum intelligente.

Quam confirmationem, et explicationem non obscure adduxit D. Thomas infra quæst. 34 art. 2 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod in nobis non est idem esse, et intelligere. Unde illud, quod habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram. Sed esse Dei est ipsum ejus intelligere. Unde Verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus ejus ; sed pertinet ad ipsam naturam ejus. Et ideo oportet, quod sit aliquid subsistens. Quia, quidquid est in natura Dei, subsistit. Et ideo Damascenus dicit, quod Verbum Dei est substantiale, et in hypostasi ens : reliqua vero verba, scilicet nostra, virtutes sunt animæ.*

§ II.

Aliquæ objectiones contra ea, quæ pro assertione adduximus, et enodatio earum.

Nec refert, si objicias primo, quod *intelligi* tantum est denominatio extrinseca in re intellecta, ac proinde etiam in verbo : ergo non poterit esse ipsa existentia verbi : siquidem existentia debet esse aliquid intrinsecum in re, quæ per illam existit.

Respondetur, quod licet *intelligi* tantum sit denominatio extrinseca in re intellecta, quæ est objectum exterius, et distinctum a verbo : et propterea tam cognitio creata, quam divina sint aliquid extrinsecum respectu prædicti objecti : nihilominus prædictum *intelligi*, seu (quod in idem quoad præsens redit, ut ex dictis in 2 notabili numero 79 constat) prædictum *intelligere*, prout est contemplatio, ponit aliquid intrinsecum, nempe se ipsum, in objecto interno, nempe, in ipso verbo per illud producto : quamvis hoc aliter contingat in creatis et in divinis. Nam in creatis *intelligere,* prout est contemplatio rei intellectæ, necnon et ipsius verbi (juxta ea, quæ disputatione præcedenti numero 95 diximus) communicat se ipsum verbo tanquam forma, aut quasi forma suo subjecto, sive tanquam terminus suo terminabili, ex eo quod unitur illi per modum existentiæ, ut ex ibidem dictis, et in 1 tomo tractatu 3 disputatione 2 numero 105 et tractatu 4 disputatione 1 num. 21 et deinceps patet. Cæterum in divinis *intelligere* communicatur Verbo per modum essentiæ, et existentiæ ipsius (ut ex dictis notabili 3 a numero 80 usque ad 83 liquet), ac proinde tanquam quid cum illo identificatum, ita ut inter prædictam essentiam, et existentiam nulla sit distinctio, adhuc virtualis : ex eo quod in divinis eadem omnino est essentia, et existentia Verbi.

Diximus, quod *intelligere creatum, prout est contemplatio objecti, ponit aliquid intrinsecum, nempe se ipsum in objecto interno, scilicet, in suo verbo.* Nam licet prædicta intellectio creata possit bipartiri in se ipsam, prout est dictio, et prout est contemplatio : attamen, prout est dictio, præsupponitur ad verbum, et non recipitur in illo, ut disputatione præcedenti numero 90 et sequentibus diximus : cæterum, quatenus est contemplatio, habet rationem existentiæ respectu verbi considerati in *esse* intelligibili, et recipitur in illo tanquam in subjecto partiali. Sicut etiam, ut habet rationem existentiæ intelligibilis, recipitur tanquam in subjecto totali in eodem verbo, et in specie intelligibili, ac intellectu, ut sunt unum per identitatem : non quidem in *esse* naturali; sed in *esse* intelligibili, juxta ea, quæ in primo tomo tractatu 3 disputatione 2 dubio 2 late diximus. 87. Explicatur solutio.

Nec debet esse mirum : quod eadem realiter intellectio secundum unam sui rationem petat aliquid amplius ex parte subjecti : quod non petit secundum aliam. Nam hujus possunt plura adduci exempla rem istam non parum elucidantia. Etenim gratia sanctificans, prout habet rationem auxi- Ulterius illustratur exemplis.

lii in ordine ad actum amoris, et contritionis, non petit ex parte subjecti dispositionem aliquam; cum tamen, ut habet rationem naturæ, nequeat recipi connaturaliter in adultis, nisi media aliqua dispositione, scilicet, actibus charitatis, et contritionis. Et similiter anima rationalis, secundum quod dat primum gradum, solum recipitur in pura, et nuda materia; quamvis, ut tribuit posteriores gradus, recipiatur in eadem materia prima ut actuata per priores, ut nostri Complutenses in libris de Anima disputatione 2 numero 28 et deinceps, et in libro de Generatione disputatione 2 numero 112 et 113 docent. Ac tandem (ut multi probabiliter volunt) unio materiæ, et formæ, ut est receptio, et causalitas materiæ, petit ex parte subjecti solam materiam, in eaque solummodo recipitur; licet, quatenus est informatio, et causalitas formæ, recipiatur in ipsa forma, et una cum forma in eadem materia.

N. Compl.

88. Replica. Nec etiam refert, si urgeas, quod *intelligi* est essentia verbi : ergo nequit esse existentia illius : siquidem essentia, et existentia verbi, sicut essentia, et existentia cujusvis rei creatæ, distinguuntur realiter.

Solutio. Respondetur enim ex dictis, quod *intelligi*, prout præcise dicit esse objectum actu, et ex propriis meritis terminans intellectionem, pertinet ad rationem verbi ita quidem, ut verum sic sumptum sit quoddam quasi concretum coalescens, aut quasi coalescens ex natura in verbo repræsentata, tanquam ex ratione primaria, et formalissima; et ex quodam modo, aut quasi modo pertinente ad ordinem intelligibilem, et correspondente modo intelligibili habituali, quem, ultra naturam repræsentatam, importat species intelligibilis, et distincto ab illo penes majorem actualitatem intra prædictum ordinem. Et propterea verbum, quatenus dicit prædictum modum, seu, ut concipitur adæquate, quatenus coalescens ex ratione primaria, et ex hoc modo, habet esse actu intellectum, seu esse actu, et ex propriis meritis terminans intellectionem. Cæterum *intelligi*, prout dicit ipsum *intelligere*, quatenus habet rationem contemplationis, et ultimæ actualitatis respectu verbi, ac proinde quatenus, propter rationem numero 79 explicatam, significatur passive, sortitur rationem existentiæ respectu ejusdem verbi.

89. Secunda objectio. Nec etiam obest, si secundo objicias, quod materia, et forma habent unum et idem *esse* existentiæ in sententia Thomistarum : et nihilominus non habent eamdem essentiam : ergo non recte infertur a Thomistis, Verbum habere eamdem essentiam cum suo principio, nempe, cum Patre producente illud, ex eo quod utriusque essentia existit per eamdem existentiam, nempe per *intelligere*.

90. Solutio Vasquez. Occurrit Vasquez, quod omnia, quæ idem *esse* participant, censentur inter se idem, ac proinde habere eamdem naturam; nisi idem *esse* participent tanquam partes totius, ut corpus, et anima participant *esse* hominis. Quare, cum intellectio, et verbum in Deo habeant idem *esse* nec sint partes alicujus totius, propterea sunt ejusdem essentiæ, et solum differunt penes modum habendi eamdem essentiam.

91. Rejicitur. Cæterum hæc solutio non placet. Quoniam, si præcise intelligatur de parte stricte dicta, et distincta realiter a suo toto, tunc eo ipso falsitatis convincitur. Quoniam attributa Dei non sunt partes hoc modo; et tamen, licet existant per eamdem existentiam, per quam essentia Dei existit, ut ex dicendis in hoc eodem tractatu disputatione 7 numero 31 et sequentibus constabit, nihilominus non sunt, formalissime loquendo, ac proinde absque distinctione virtuali, ejusdem essentiæ, et rationis, tam inter se, quam cum natura divina. Si vero prædicta solutio intelligatur de parte latius sumpta, seu de omni eo, quod concurrit ad unum per se constituendum, tunc etiam est falsa : siquidem personæ divinæ sunt hoc modo partes, utpote concurrentes ad constituendam Trinitatem, quæ est unum per se : et nihilominus Verbum divinum et Pater existentes per eamdem existentiam habent etiam inter se unicam essentiam, scilicet naturam divinam, ita ut eadem prorsus natura, et essentia in ratione talis sit in ambobus.

92. Vera enodatio. Quare, melius occurritur huic objectioni ex dictis. Nam licet materia, et forma existant per eamdem indivisibilem existentiam, ut nostri Complutenses in lib. Physicorum disputatione 3 numero 48 optime explicant : attamen prædicta existentia non est per se primo debita materiæ, aut formæ, verbi gratia equi, sed toti composito, ut prædicti Complutenses disputatione citata numero 55 et deinceps expendunt : ac tandem prædicta existentia in creaturis non spectat ad unam et eamdem omnino lineam essentiæ, ex eo quod linea ista est in eis imperfecta, et truncata; sed pertinet

pertinet ad aliam lineam realiter partialiter saltem distinctam, ut idem Collegium Complutense disputatione relata numero 64 docuit. Et propterea ex hoc, quod materia et forma existant per eamdem existentiam, non recte infertur, quod habeant eamdem essentiam : quia, ut hæc illatio esset legitima, requirebantur duo illa, quæ in materia, et forma deficere diximus. Quare, cum essentia Verbi divini existat per existentiam Dei, tanquam per existentiam per se primo prædictæ essentiæ debitam, ex eo quod talis existentia pertinet ad suam lineam, ut a num. 80 usque ad 83 diximus, consequens est, ut ex eo, quod Verbum in divinis existat per eamdem existentiam, per quam existit Deus, sive Pater æternus, optime colligatur, habere eamdem essentiam cum illo.

Ex quo etiam fit, nihil obesse, si tertio objicias, quod Spiritus Sanctus secundum id, quod habet, ut est terminus suæ processionis, existit per existentiam Dei : et nihilominus, quatenus est terminus prædictæ processionis, non habet naturam divinam : alioqui non minus procederet ut filius, quam Verbum : ergo, etc. Major, in qua est difficultas, probatur ex eo, quod omnia, quæ sunt in divinis, existunt per eamdem indivisibilem existentiam, ut infra loco nuper citato dicemus, et constat ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disputatione 4 numero 7 et deinceps diximus. Cumque cuilibet termino producto per se primo per aliquam actionem, communicetur per illam existentia, fit inde, ut Spiritui Sancto, quatenus est terminus per se primus suæ processionis, communicetur existentia Dei.

Potestque hæc objectio confirmari, et explicari in divinis attributis, quorum ratio formalis est virtualiter distincta a ratione formali naturæ divinæ : cum tamen, juxta nuper dicta, debeant existere per existentiam Dei. Quæ confirmatio habet adhuc majorem vim in attributis intellectualibus, ut in Scientia, et aliis, quæ existunt per *intelligere* constitutivum Dei, tanquam per existentiam ordinis intelligibilis : cum tamen sint distinctæ rationes formales, ac ipsum *intelligere*, per quod sic existunt.

Ex dictis igitur hæc objectio cum sua confirmatione manet soluta. Quoniam existentia non communicatur attributis, tanquam quid eis per se primo debitum, nec tanquam aliquid pertinens ad eorum lineam, sed existunt per existentiam per se primo debitam naturæ divinæ, et secundario eisdem attributis communicatam ; et non utcumque, sed tanquam per aliquid extra eorum lineam, et pertinens ad lineam naturæ divinæ. Et similiter rationi formali Spiritus Sancti, ut est terminus formalis suæ processionis, id est, ut dicit impulsum, seu amorem perfectissimum intra lineam impulsus, et amoris, non communicatur existentia divina tanquam rei, cui per se primo debeatur, nec tanquam quid ad ejus lineam spectans.

Adde : esse valde probabile (de quo infra) quod Spiritui Sancto ex vi processionis non communicatur, adhuc tanquam secundario (ut sic dicamus) perfectibili, existentia Dei : ita ut illa processio se ipsa formalissime secundum id præcise, quod dicit intra propriam lineam, et a se ipsa pertingat ad illam communicandam ; sed communicatur ei talis existentia secundum illa, quæ prædicta processio identice dicit : ex eo quod, tam ipsa, quam terminus per illam procedens, sunt intra Deum, et propterea identificantur cum existentia divina, et existunt per illam. Non secus (proportione tamen servata) ac eidem Spiritui Sancto, ut est terminus formalis suæ processionis, non communicatur per illam essentia divina : et ideo non est Deus ex vi processionis ; sed id tantum ei convenit materialiter, et quia illa processio est intra Deum ac proinde identificatur cum Deo. Quod idem cum proportione de attributis divinis, ut dimanantibus per dimanationem virtualem ab essentia divina, dicimus. Cæterum Verbo divino ex vi suæ processionis communicatur *existere* divinum : quia pertinet ad lineam suæ essentiæ, et naturæ. 91 Aliter occurritur.

Unde non est alicujus momenti id, quod objicit junior quidam, nimirum, quod cuivis termino per se primo producto per aliquam actionem debet ex vi productionis communicari existentia : alioqui talis productio non esset vera et realis, extrahensque terminum extra suas causas, aut quasi causas. 92. Replica cujusdam junioris.

Hæc igitur objectio non est alicujus momenti. Nam in schola D. Thomæ satis est ad veram et realem productionem, quod communicet essentiam actualem, et quod ratione nexus, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco provenientis cum alia actione, aut ratione alicujus alterius communicetur termino producto existentia : sive hoc contingat ex vi eorum, quæ prædicta productio ex vi propriæ lineæ præcise sumptæ affert, Fit obviam.

sive ex vi alterius actionis connexæ aliquo modo cum ea, quæ ad essentiam actualem, aut rationem formalem alicujus ei communicandam præcise terminatur; sive ex vi illorum, quæ per se identice affert, ut in præsenti contingit. Et ita ex vi productionis humanitatis Christi Domini, seu ex vi actionis terminatæ ad communicandam illi propriam entitatem naturalem, non fuit ei communicata existentia, ut multi ex Thomistis valde probabiliter volunt : ex eo quod prædicta humanitas existit per existentiam increatam Verbi : et per consequens existentia illa fuit communicata per actionem unitivam Verbi cum humanitate.

N. Compl. Et similiter (ut nostri Complutenses in lib. Physicorum disputatione 4 numero 40 notarunt) quando species Sacramentales comburuntur, aut ex illis generantur vermes, tunc in puncto, verbi gratia combustionis, quando agens naturale introducit ibidem formam ignis, producitur a Deo ex vi præcedentis miraculi nova materia prima per conversionem specierum Sacramentalium in ipsam : et tamen ex vi illius conversionis terminatæ solummodo ad materiam primam, nequit ei communicari existentia : ex eo quod prædicta materia non est capax existentiæ, nisi mediante forma substantiali, ut iidem Complutenses in prædictis libris disputatione 3 numero 70 et sequentibus probant : ac proinde illa sola actio, quæ unit formam cum materia, quæque debet esse nexa cum priori illa actione terminata ad materiam, tribuit eidem materiæ, quod existat per existentiam sibi debitam, nempe, per existentiam formæ. Et ideo itidem satis est ad realem illam conversionem specierum Sacramentalium in materiam primam denuo productam, quod, ut hic et nunc sit, et inspectis omnibus, habeat nexum cum aliqua alia actione, quæ ibidem introducat formam, et communicet existentiam.

§ III.

Aliæ objectiones contra eamdem assertionem, et responsio ad illas.

96. Quarta objectio. Nec præterea obstat, si quarto objicias, non recte inferri, quod *intelligere* divinum, quod est ipsa essentia, et existentia Dei, pertineat ad lineam essentiæ Verbi divini, ex eo quod essentia Verbi est esse objectum actu terminans divinam intellectionem, estque simul actualitas purissima : ergo, cum tota structura rationis D. Thomæ, quam defendimus, hinc pendeat, fiet inde, ut, evanescente hoc fundamento et illatione, etiam ratio ipsa evanescat. Antecedens autem probatur. Nam etiam divina bonitas habet essentialiter esse objectum actu terminans volitionem divinam, estque actus purus intra suam lineam : et nihilominus volitio Dei non pertinet ad lineam divinæ bonitatis : ideoque volitio, et bonitas Dei non identificantur inter se absque distinctione virtuali : ergo, ex eo quod essentia Verbi consistat in *intelligi*, seu in hoc, quod sit objectum actu terminans intellectionem, sitque actualitas purissima intra suam lineam, non recte colligitur, quod *intelligere* Dei pertineat ad prædictam lineam.

Respondetur enim negando antecedens. Diluitur. Et ad probationem, concesso antecedenti, negetur consequentia. Et ratio disparitatis est. Quoniam sicut hoc est proprium primæ et fontalis lineæ, quæ est in divinis, nempe, lineæ naturæ, ut intra eam contineatur proprium, et formalissimum objectum illius, ut in 1 tomo tractatu 3 disputatione 3 numero 18 et deinceps, et disputatione 4 num. 54 et 55 diximus : et propterea essentia divina quæ est prima et fontalis linea consistens in ipso *intelligere*, est simul intra suam lineam ipsa intellectio, et objectum per se primo intellectum. Ita Verbum, quod est terminus per se primo productus per *intelligere* essentiale constitutivum Dei, habet hoc peculiariter, ut ad lineam suæ essentiæ pertineat, quod sit objectum actu intellectum, et ipsum *intelligere* sui : ac proinde sit ratione suæ essentiæ terminus, et objectum formale divinæ intellectionis : et simul sit ipsum *intelligere* Dei quamvis hoc ipsum non habeat nisi communicatum ab alio, nempe a Patre. Ratio autem, ob quam, hoc ipso quod Verbum divinum sit terminus per se primo productus per intellectionem essentialem tanquam per rationem producendi, debet necessario includere intra lineam suæ essentiæ, quod sit objectum actu intellectum per illam, et quod sit ipsa intellectio, constat ex iis, quæ dubio præcedenti a num. 61 usque ad 64 et a num. 67 usque ad 76 diximus; et patebit amplius ex illis, quæ conclusione 2 hujus dubii asseremus.

97. Replica. Nec obest, si urgeas, quod etsi *esse* Verbi divini consistat in *intelligi* : attamen *intelligi* illud non est essentiale, sed personale : ergo ex hoc, quod tale *intelligi* conveniat ipsi

ipsi ex vi suæ processionis, non sequitur, ex vi illius formaliter convenire eidem Verbo essentiam Dei.

Confirmatur. Quia *intelligi*, quod convenit Verbo, consistit in hoc, quod sit objectum secundarium intellectus Divini. Nam sicut verbum creatum est objectum per se primum intellectionis : quia objectum non habet unde sit ex se actu intellectum, seu terminans actu intellectionem; sed id habet ratione verbi : ita e contra accidit in divinis : quia essentia divina, quæ est objectum intellectionis, habet, unde sit ex se actu intellecta, seu actu terminans intellectionem : ergo, cum essentia Dei sit objectum per se primum intellectionis divinæ, non recte infertur, communicari Verbo essentiam Dei, ex eo quod communicetur illi prædictum *intelligi*.

Respondetur enim distinguendo antecedens : *Intelligi illud non est essentiale, sed personale :* idest non est præcise essentiale, concedatur : idest, habet aliud *intelligi* personale, in quo ejus natura consistat, præter *intelligi* essentiale supra explicatum, modificatum tamen per personalitatem Verbi, negetur. Et deinde neganda est consequentia. Quia ex antecedenti quoad id, quod a nobis conceditur, tantummodo infertur habere eamdem essentiam cum Patre, modificatam tamen per relationem, et personalitatem Verbi, seu per hoc, quod est esse acceptam (modo jam insinuato) a Patre.

Ad confirmationem vero respondetur distinguendo etiam antecedens : *Consistit in hoc, quod sit objectum secundarium intellectus divini*, quoad id quod ex parte modi habendi ipsum *intelligi*, sive quoad personalitatem, transeat : quoad *intelligi*, quod modificatur per illum quasi modum, seu personalitatem, negetur. Et deinde neganda est consequentia. Quia ut esset legitima, requirebatur, quod antecedens in priori sensu esset verum.

Ex quo etiam amplius patet, quomodo nihil obsit ad hoc, ut productio Verbi divini sit generatio, id, quod si essentia Verbi divini consistit in *intelligi*, seu in hoc, quod est esse objectum actu terminans intellectionem, non consistet formalissime in ipso *intelligere*, neque ex vi processionis communicabitur ei per se primo prædictum *intelligere*, in quo potissime consistit natura Dei; sed tantum hoc, quod est esse objectum actu intellectum : et per consequens ejus processio non erit generatio.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Tum quidem propter illa, quæ dubio præcedenti in solutione prædictæ confirmationis diximus. Tum etiam : quia sicut verbum creatum repræsentans, v. g. hominem, indispensabiliter includit, tam eumdem hominem sub modo essendi repræsentativo, quam esse objectum actu intellectum : et nihilominus, facta collatione inter hæc duo, tunc potissima ratio illius est, quod prædictum verbum sit homo, sub modo tamen essendi repræsentativo, licet etiam habeat indispensabiliter, quod sit objectum actu intellectum : ita, licet Verbum divinum habeat naturam sui objecti primarii, nempe Dei, sub *esse* intelligibili, et entitativo, ex eo quod est verbum perfectissimum ac proinde perfectissimo modo habens naturam prædicti objecti, et insuper conveniat ei essentialiter, quod sit objectum actu intellectum : nihilominus, facta collatione inter hæc duo munera, tunc potissima ejus ratio consistet in ipso *intelligere*. Maxime : quia hoc, quod est esse objectum actu intellectum, competit ei ob rationem generalem verbi : quamvis cum hoc stet (ut id etiam obiter dicamus, quod sit sua disparitas inter verbum creatum repræsentans hominem, et inter Verbum divinum) : quod homo sub *esse* naturali, secundum quam rationem est objectum sui verbi, non est objectum essentialiter intellectum, sed hoc tantum convenit ei prout est in verbo : cæterum objectum formale repræsentatum per Verbum divinum, scilicet natura Dei, habet etiam sub modo essendi naturali, et prout est in se ipsa, esse objectum essentialiter intellectum, licet hoc non sit ejus potissimum munus. Occurritur ex dictis.

§ IV.

Explicatur secundum caput ex quo ratio D. Thomæ suam efficacitatem habet.

Dicendum est secundo, rationem D. Thomæ esse ex alio capite efficacem, nempe, ex eo quod terminus formalis, et per se primus alicujus productionis univocæ, et principium immediatum illius debent esse ejusdem rationis. Assertio hæc satis indicatur ab Angelico Doctore in hoc articulo, ubi, ut ostenderet, Verbum in divinis procedere in identitate naturæ, et ejus processionem esse generationem, adduxit hæc duo principia, nimirum, quod Verbum procederet per *intelligere* Dei, 99. Secunda conclusio. Ratio D. Thomæ

idest, tanquam per productionem, et vim producendi (modo tamen supra explicato) : et quod prædictum *intelligere* est non solum identice, sed formalissime ipsum *esse* et essentia Dei : ut inde colligat, etiam Verbo communicari ipsum *esse* et essentiam divinam, esseque ejusdem essentiæ cum Deo illud producente : quia terminus per se primus alicujus actionis univocæ (qualis est processio Verbi) et ratio immediata producendi ipsum, debent esse ejusdem rationis.

Confirmatur et dilucidatur amplius. Confirmatur, et explicatur primo ex iis, quæ dubio præcedenti dicebamus. Quoniam processio Spiritus sancti per se primo terminatur ad communicandum illi rationem impulsus, et amoris divini, seu impulsus perfectissimi intra suam lineam : ex eo quod principium *quo* immediatum talis productionis est ipsa divina voluntas per modum actus purissimi, seu ipse amor divinus, et essentialis, quo Deus se ipsum diligit, et processio hæc est univoca : ergo in processione univoca optime ex ratione formali principii immediati *quo* colligitur ratio formalis termini per se primi : ergo, ex eo quod principium immediatum *quo* productionis Verbi sit ipsum *intelligere*, in quo consistit *esse* et essentia Dei, et hæc processio sit univoca, optime colligetur, Verbum procedere in identitate naturæ et essentiæ cum Deo. Ac tandem, cum etiam procedat per modum viventis a principio vivente conjuncto, optime etiam colligetur, ejus processionem esse generationem.

100. Confirm. secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Nam in creaturis generatio substantialis, prout est actio, non distinguitur ab alteratione præcedenti : et terminus ejus primarius in executione est accidens, ut satis luculenter nostri Complutenses in lib. de Generatione disput. 2 a num. 15 usque ad 19 ostendunt : et hoc non ob aliud, nisi quia substantia creata non est immediate operativa, et principium immediatum operandi, necnon terminus per se primus executionis debent esse ejusdem rationis, ut locis nuper relatis prædicti Complutenses probant. Ideoque D. Thomas quæst. unica de Anima art. 12 sic inquit : *Si vero est aliquod agens, quod directe et immediate sua actione producat substantiam, sicut nos dicimus de Deo, qui creando producit rerum substantias ; hujusmodi agens agit per suam essentiam, et sic non erit in eo aliud potentia activa et ejus essentia* : ergo in creaturis optime infertur, terminum primarium processionis, saltem univocæ, et principium immediate operativum respectu illius debere esse ejusdem rationis : ergo in divinis Angelicus Doctor optime intulit, Verbum divinum, et Patrem habere eamdem naturam : ex eo quod principium *quo* immediate productivum respectu illius est *intelligere* Dei, quod est ipsum *esse* et essentia Dei : siquidem, ubi non est specialis ratio oppositum suadens, qualis in præsenti non reperitur, debemus divina ad instar eorum concipere, quæ in creaturis cernuntur : ac proinde, cum prædictum Verbum (ut nuper dicebamus) procedat etiam ut vivens a principio vivente conjuncto, non poterit non ejus processio esse generatio. Circa fundamentum tamen hujus confirmationis videantur ea, quæ nostri Complutenses locis citatis docent.

(Margin: N. Compl.; D. Thom.)

Confirmatur tandem. Nam, vel processio Verbi est processio univoca, vel æquivoca? Si primum : ergo terminus per se primus illius, nempe Verbum, erit ejusdem rationis cum principio proximo *quo* productivo ipsius : siquidem ad processionem univocam hoc desideratur, ut inductive constat. Secundum autem dici nequit. Quoniam, etsi processio æquivoca dicat in principio productivo perfectionem ; arguit tamen imperfectionem in termino producto : ex eo quod non adæqueat vim, et perfectionem sui principii : ergo nulla processio in divinis potest esse æquivoca.

(Margin: N. Compl. Confirm. ultimo.)

101. Objectio contra hanc explicationem. Nec refert, si objicias, quod ex vi hujus rationis, et fundamenti illius non colligitur, Verbum divinum ex vi processionis procedere, ut habens naturam divinam sub conceptu naturæ : ergo ratio D. Thomæ non est sic intelligenda, nec in hoc fundamento innititur. Consequentia patet. Quia ratio sancti Doctoris, eo tendit, ut probet, Verbo divino communicari ex vi processionis naturam divinam. Antecedens autem probatur. Quia principium proximum hujus processionis, si cum præcisione sumatur, nempe in ratione principii proximi, non dicit naturam divinam sub conceptu naturæ : siquidem conceptus naturæ divinæ ut talis dicit fœcunditatem radicalem ; non vero immediatam tantummodo ejusdem naturæ : ergo, ex eo quod Verbum divinum, et ejus principium immediatum sint ejusdem rationis ex vi processionis, seu communicetur ei principium immediatum *quo* talis processionis, nempe *intelligere* Dei, non colligitur, communicari eidem naturam divinam sub conceptu naturæ.

Confirmatio. Confirmatur. Nam etsi visio beata cum præcisione,

præcisione, et formaliter sumpta sit participatio intellectionis essentialis Dei præcise acceptæ : nihilominus, si cum prædicta præcisione sumatur, non est participatio naturæ divinæ sub conceptu natura : ex eo quod per ipsam formaliter consideratam tantummodo participatur *intelligere* essentiale Dei ; non vero ipsa radix intelligendi, et videndi eumdem Deum : ergo pari ratione non communicabitur Verbo natura divina, ex eo quod communicetur ei *intelligere* divinum, quod est principium proximum *quo* respectu productionis illius : quia ex vi illius non communicatur ei ipsa radix intelligendi.

102. Diluitur objectio. Respondetur enim negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod licet natura divina sub conceptu naturæ dicat tam fœcunditatem proximam, quam radicalem, seu (quod in idem quoad præsens redit) tam vim radicalem, et proximam ad intelligendum, quam ipsum *intelligere* : attamen hæc pertinent ad unam et eamdem lineam, et non distinguuntur adhuc virtualiter, sed solum ex parte nostri modi concipiendi : et ita, ex eo quod Verbo communicetur essentia divina, ut habet rationem principii proximi *quo*, nempe, ut dicit ipsum intellectum, et *intelligere* divinum, optime colligitur, communicari eidem vim radicalem ad intelligendum : quia omnia hæc pertinent ad unam et eamdem lineam, et communicatio ad intra in divinis, per quam aliquid communicatur alicui ut ei, cui per se primo fit talis communicatio, per se et ab intrinseco petit, quod sit secundum adæquatam rationem lineæ, quæ communicatur.

Discrimen inter processionem Verbi, et Spiritus sancti. Unde in hoc cernitur manifestum discrimen inter processionem Spiritus sancti, et Verbi divini : quod in processione Spiritus sancti non colligitur ex communicatione ejus, quod habet in Patre, et Filio rationem principii proximi spirandi, communicari ipsi ex vi processionis principium radicale quo Pater, et Filius spirant, sed solum communicari illi totam lineam divinæ voluntatis : et hoc non ob aliud, nisi quia principium proximum *quo*, nempe voluntas, et principium radicale *quo*, nimirum divina natura, non pertinent ad unam et eamdem lineam. At in processione Verbi e contra res se habet : et ita, ex eo quod illi tanquam primo, cui fit communicatio, debeat communicari id, quod in Patre habet rationem principii *quo* proximi respectu productionis Verbi, optime colligitur, communicari eidem id, quod in ipso Patre habet rationem principii radicalis.

Potestque hoc magis declarari, ex eo quod id, quod habet rationem principii *quo* proximioris est ipsum *intelligere* Dei, quod est quasi gradus actualior, et differentialis divinæ naturæ : constat autem quod ei, cui ex vi processionis communicatur gradus quasi differentialis naturæ, debet communicari id, quod habet rationem naturæ sub conceptu naturæ, quoties talis communicatio est ex omni capite connaturalis, et necessaria, ut in præsenti contingit. Sicut hoc ipso, quod per processionem per voluntatem communicetur Spiritui sancto omnino connaturaliter, ac proinde ut termino per se primo illius communicationis, ipsum *velle* actuale Dei, quod secundum hanc rationem est ultima actualitas hujus lineæ, et hæc processio sit omnino necessaria, et perfectissima intra suam lineam, debet ei communicari, quidquid ad hanc lineam pertinet. Roboratur solutio.

Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia visio creata beatorum non est communicatio omnino connaturalis intellectionis essentialis Dei, nec communicatio univoca ejusdem, nec tandem petit, quod communicetur ei adæquate linea intellectionis : ex eo quod tantum est communicatio analoga, inadæquata, et per participationem : et ita prædicta visio formaliter, et cum præcisione sumpta non est adhuc participatio Dei sub conceptu naturæ : ac proinde, ex eo quod per illam communicetur per participationem intellectio essentialis Dei, non sequitur, communicari, et participari in ipsa formaliter considerata naturam divinam sub conceptu naturæ : secus vero contingit propter oppositam rationem in productione Verbi divini, dum communicatur ei intellectio essentialis, quæ in Patre, ultra hoc, quod est habere rationem productionis activæ respectu ejusdem Verbi, sortitur etiam rationem principii *quo* proximi respectu productionis illius. 103. Corruit confirmatio.

§ V.

Declaratur tertium caput efficacitatis rationis D. Thomæ.

104. Tertia conclusio explicans ex alio capite vim rationis D. Thom. Dicendum est tertio, rationem prædictam Angelici Doctoris habere etiam suam vim ex alio capite, nimirum, ex eo quod principium intelligendi, intellectio, et ver-

bum omnino connaturaliter tendentia in suum objectum debent convenire in eodem immaterialitatis gradu. Assertionem hanc tueri tenentur omnes discipuli D. Thomæ, quos tomo 1 tractatu 2 disput. 2 dubio penultimo retulimus, et aperte colligitur ex
D.Thom. iis, quæ docuit D. Thomas supra quæst. 12 art. 2 et 4. Probatur assertio. Quoniam, hoc ipso quod intelligens, intellectio, et verbum debeant convenire in eodem immaterialitatis gradu, ut loco nuper citato, et dubio 7 ac 8 ejusdem disputationis diximus, oportet, quod si *intelligere* Dei est non solum identice, sed formalissime ipsum *esse* Dei, ut etiam nos in eodem tomo tractatu 3 disput. 4 num. 43 asseruimus, ac proinde attingit supremum immaterialitatis gradum consistentem in hoc, quod sit
D.Thom. suum *esse*, ut D. Thomas locis citatis explicat, tunc etiam verbum per talem intellectionem productum attingat hunc eumdem gradum, sitque suum *esse* : ergo eo ipso Verbum divinum habebit ex vi processionis naturam divinam consistentem in hoc, quod sit suum *esse* : siquidem (ut dicebamus) verbum omnino connaturale intelligenti debet habere ex vi suæ processionis eumdem gradum immaterialitatis cum illo : ac proinde, cum Verbum divinum habeat una cum hoc procedere per modum viventis a principio vivente conjuncto, ut dubio præcedenti ostendimus, non poterit non ejus processio esse generatio.

105. Confirm. Confirmatur. Nam ex eo processio Spiritus sancti non est generatio, quia licet volens ut talis, necnon volitio, et terminus per eam productus debeant convenire in eodem gradu immaterialitatis, nihilominus volens quatenus talis, idest, ut constituitur in ratione volentis per volitionem, aut volitio ipsa non pertingunt ex vi suæ lineæ ad tantum immaterialitatis gradum, quod ex vi sua, et suæ lineæ sint suum *esse*, sed id habent identice. Et propterea, licet Spiritui sancto ex vi suæ processionis communicetur volitio essentialis quoad id, quod est suæ lineæ, non tamen idcirco communicatur ei ex vi suæ processionis, quod sit suum *esse*, ac proinde nec natura divina : ergo cum intellectio essentialis Dei, quæ est principium *quo* productionis Verbi, sit suum *esse*, et Verbum debeat convenire in eodem immaterialitatis gradu cum illa, oportet, quod communicetur ei ex vi suæ processionis, quod sit suum esse, et natura divina in hoc consistens, ejusque processio sit generatio.

Nec refert, si dicas, quod, etsi verbum omnino connaturale, quod est objectum per se primo intellectum per intellectionem, necnon intellectio, et intelligens quatenus tale debeant convenire in eodem immaterialitatis gradu, non tamen verbum, quod est secundario intellectum : sed Verbum in divinis est objectum secundario intellectum : ergo, etc. Major patet. Nam, ut nostri Complutenses in lib. de Anima disp. 21 n. 42 et deinceps docent, et probant ex D. Thoma, necnon ratione ex ipso desumpta, verbum in creatis est objectum per se primo intellectum, et ratione ejus objectum exterius intelligitur : et propterea convenientia in gradu immaterialitatis debet etiam esse inter intellectionem, intellectum, et verbum productum omnino connaturale : hoc autem non petitur inter intellectum, intellectionem, et verbum, quod non est objectum per se primo intellectum; sed tantum secundario intellectum : ex eo quod, sicut a ratione objecti per se primi intellectionis deficit : ita a convenientia in gradu immaterialitatis. Et ideo, licet attributa sint objecta secundaria divinæ intellectionis; non tamen conveniunt cum ea in gradu immaterialitatis ex vi suæ lineæ : siquidem non sunt suum *esse* absque distinctione virtuali (ut in 1 tomo loco statim referendo asseruimus). Minor autem satis liquet. Quoniam, ut in eodem tomo tractatu 3 disp. 3 n. 17 et deinceps diximus, objectum per se primum divinæ intellectionis tantum est divina essentia. 106. Objectio. N. Compl.

Non itaque hoc refert. Nam major neganda est. Et ad probationem dicendum, quod hoc, quod est verbum debere convenire in gradu immaterialitatis cum intellectu, et intellectione, oritur ex duplici capite, quorum quodlibet infert convenientiam in prædicto gradu. Nam oritur, tum, ex eo quod verbum sit objectum per se primo intellectum : tum etiam, ex eo quod sit terminus per se primus procedens per processionem divinam, et intra Deum manentem, nempe, per intellectionem : nam eo ipso est terminus processionis univocæ, et ad ordinem intelligibilem pertinentis : et iste petit eumdem gradum immaterialitatis cum suo principio, necnon cum intellectione, si sit terminus omnino connaturalis. Unde, quia Verbum in divinis habet hoc ultimum caput : propterea debet convenire in eodem immaterialitatis gradu cum Deo intelligente, et intellectione primordiali, 107. Solutio.

mordiali, et constitutiva divinæ naturæ, quæ est principium *quo* suæ processionis.

[Ex]plica-tur [ex]emplo. Potestque hoc explicari exemplo Spiritus sancti, ut est terminus processionis per voluntatem. Nam, licet secundum id, quod habet ex vi processionis adæquate sumptum, non sit objectum per se primum amatum a Deo : quia sicut sola divina essentia est objectum per se primum intellectionis Dei : ita ipsa sola, ut bona bonitate divina, est objectum per se primo amatum per voluntatem Dei : nihilominus, quia Spiritus sanctus, ut est amor Dei perfectissimus, et perfectissime spiratus, habet esse terminum per se primum processionis per voluntatem, idcirco debet convenire in eodem immaterialitatis gradu cum divina voluntate, et volitione : quamvis gradus iste ex vi suæ lineæ, et præcise sumptus (ut id obiter dicamus) non sit ita perfectus, ac gradus immaterialitatis divinæ essentiæ, seu intellectionis essentialis Dei; sed sit gradus, aut quasi gradus non ita perfectus, ad gradum tamen divinæ essentiæ reductive pertinens.

§ VI.

Ostenditur ultimum caput, ex quo ratio D. Thomæ suam efficacitatem sortitur.

108. [U]ltima [co]nclu-[s]io ex-[p]licans [e]x alio [p]rincipio vim [ra]tionis [D]. Thom. Dicendum est ultimo, rationem D. Thomæ inniti huic principio, nimirum, quod *intelligere* perfectissimum producit verbum summe idem cum suo principio : et ex eo optime deducere intentum. Assertionem hanc tueri tenentur discipuli D. Thomæ, ut ex infra dicendis patebit. Ratio autem illius multoties est a nobis tacta, et art. 4 hujus quæstionis amplius examinabitur : nunc autem ad hanc brevem formam reducitur. Quoniam, cum intellectio ex vi sua, et modo alibi tacto, producat terminum, qui sit aliquo modo idem secundum suam naturam cum suo principio, nempe, in *esse* intelligibili, oportet, ut per intellectionem perfectissimam producatur perfecte idem in natura : sed ubi *intelligere* est *esse*, seu ipsa essentia intelligentis, ut in Deo contingit, ibi intellectio est omnium perfectissima, quippe quæ eo ipso dicit omnem perfectionem suæ lineæ : ergo ibi producet verbum, quod sit omnino, et perfecte idem in natura cum intelligente : et per consequens, cum tale verbum (ut sæpe etiam diximus) sit vivens procedens a vivente conjuncto, nihil ei deficit ad hoc, ut ejus processio sit generatio viventium.

Potestque hæc ratio confirmari ex illis, quæ S. Doctor art. præcedenti ad 2 docet his verbis : *Manifestum est enim, quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, et magis unum. Nam intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis unum cum intellecto. Unde cum divinum intelligere sit in fine perfectionis, ut supra dictum est* (nempe quæst. 4 art. 2 ubi Angelicus Doctor dixit, prædictum *intelligere* esse actum purum : ac proinde quod est ipsum *esse* Dei) *necesse est, quod Verbum divinum sit perfecte unum cum eo, a quo procedit, absque omni diversitate.* 109. Confirm. ex D.Thom.

DUBIUM IV.

Utrum adeo processio Verbi divini sit formalissime generatio, ut ipsa ratio formalissima prædicti Verbi sit formalissima ratio Filii?

Quamvis decisio hujus dubii non difficulter ex iis, quæ dubiis præcedentibus diximus colligatur : quia tamen, quæ hucusque dicta sunt, non parum ex adducendis in hoc dubio elucidabuntur, propterea præsens dubium adjicimus. 110.

§ I.

Vera D. Thomæ sententia.

Dicendum ergo est, processionem Verbi in divinis esse generationem, ita ut ratio formalissima Verbi divini sit ratio formalissima Filii ex parte rei conceptæ, seu absque distinctione etiam virtuali, quamvis ex parte nostri modi concipiendi distinguantur. 111. Conclusio.

Explicatur assertio. Etenim, sicut essentia divina est actus quidam eminentissimus, et propterea simul habet rationem principii radicalis, et proximi ad intelligendum, necnon rationem speciei intelligibilis, et intellectionis absque distinctione virtuali : quia hæc omnia spectant ad unam et eamdem lineam, quamvis solum differant ex parte nostri modi concipiendi : non quidem ex eo quod omnia ista sunt synonyma : alioqui divina essentia non esset actus eminentissimus, sed quia significant plura munera inadæquata ejusdem prorsus essentiæ ad eamdem lineam spectantia. Nam, cum prædicta essentia sit adeo emi- Explicatur.

nens, non potest uno et eodem nomine, neque uno et eodem munere adæquate exprimi, sed debet pluribus, et distinctis nominibus significari, pluraque munera inadæquata in illa denotari ad hoc ut maxima ejus perfectio exprimatur, licet hoc non proveniat ex distinctione, adhuc virtuali, prædictæ essentiæ, sed ex eminentia illius. Quia, ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 n. 69 diximus, sola eminentia, qua aliquid æquivalet pluribus pertinentibus ad eamdem lineam, non sufficit ad distinctionem virtualem, sed requiritur, quod æquivaleat pluribus, ut pluribus, idest, pertinentibus ad distinctas lineas.

Ita in præsenti maxima eminentia, quam Filius in divinis adæquate sumptus dicit, tribuit ipsi, ut sint in eo plura, et distincta munera inadæquata; non quidem virtualiter, sed solum ex parte nostri modi concipiendi diversa, nempe, ratio Filii, Verbi, Imaginis, etc. Hoc autem non contingit, quia nomina hæc sint synonyma; sed ratione eminentiæ Filii adæquate sumpti, qui nequit uno et eodem nomine sufficienter exprimi; licet, quia prædicta munera spectant ad eamdem lineam secundum id, quod in recto dicunt, et non afferunt connotata spectantia ad distinctas lineas, sed ad unam et eamdem, nempe essentiam divinam, propterea solum distinguantur ex parte nostri modi concipiendi.

112. Probatur assertio ex D.Thom. Assertio ergo sic explicata traditur a D. Th. in hoc articulo, ubi concludit, processionem Verbi esse formaliter generationem, et ipsum formaliter esse Filium : et infra q. 34 art 2 ad 3 his verbis : *Dicendum, quod in nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filii. Unde dicit Augustinus : Eo dicitur Verbum, quo Filius. Ipsa enim nativitas Filii, quæ est proprietas personalis ejus, diversis nominibus significatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diversimode perfectionem ejus. Nam, ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius : ut ostendatur coæternus* (idest procedens coæternaliter a Patre) *dicitur Splendor : ut ostendatur omnino similis, dicitur Imago : ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod omnia ista designarentur.*

In quo testimonio duo expendenda sunt. Primum est, consulto sanctum Doctorem adduxisse verba illa Augustini, nempe : *Eo dicitur Verbum, quo Filius :* quo loquendi modo, satis significatur, quomodo ex parte rei conceptæ sit eadem in divinis formalissima ratio Verbi et Filii. Et ita, quia misericordia et justitia non sunt in Deo idem formalissime ex parte rei conceptæ, propterea non eo dicitur Deus misericors, quo justus. Sicut e contra, quia ex parte rei conceptæ absque distinctione virtuali sunt idem in Deo intellectus, et intellectio, idcirco eo dicitur Deus habere vim ad intelligendum, quo est intelligens. Secundum est, consulto etiam sanctissimum Præceptorem asseruisse, quod omnia hæc nomina significant eamdem proprietatem personalem Filii : ut ita denotaret, quomodo significatum eorum ex parte rei conceptæ sit idem : siquidem proprietas personalis Filii non potest esse virtualiter multiplex, et, ut ex dicendis constabit, debet eo ipso ex parte rei conferre idem connotatum adæquatum : et ita non erit, quomodo ex parte rei conceptæ, seu virtualiter distinguantur.


Idem etiam docent Athanasius in epist. ad Epictetum, et oratione 2 contra Arianos, Cyrillus noster 1 Thesauri c. 7, Ambros. lib. 1 de fide c. 2 et lib. 4 c. 3, Augustin. lib. 7 de Trinit. c. 2 et 3 et lib. 15 c. 14 de Essentia divinitatis, et lib. de Incarnatione Verbi c. 11, Hilarius lib. 3 de Trinit., et Basil. homil. in principium Joannis. Unde hanc sententiam tuentur Zumel, et Bannez in hoc art. Noster Cornejo 1 p. tract. 3 disp. 2 dub. 4, Ruiz in præsenti disput. 58 sect. 3, favent Cajet. et Ripa infra q 34 art. 3 ad 4, eamdemque tenent plures alii ex junioribus Thomistis. Probatur etiam ex Patribus. Athan. Cyrillus. Ambros. August. Hilarius Basilius Zumel. Bannez Cornejo Ruiz. Cajetan Ripa.

§ II.

Ratio fundamentalis pro vera sententia.

Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam in divinis processio Verbi quatenus talis est ex parte rei conceptæ generatio : ergo Verbum erit formalissime Filius : et e contra ratio formalissima Filii erit ex parte rei conceptæ ratio formalissima Verbi. Consequentia videtur perspicua. Nam, si Verbum, et Filius non essent formalissime idem, nec processio Verbi ut talis esset idem cum processione Filii. Antecedens autem probatur ex dictis dubio 2 hujus disputationis. Quoniam processio Verbi ut talis habet esse originem viventis a principio vivente conjuncto in 113 Prima ratio.

similitudinem



similitudinem naturæ : siquidem Verbum divinum ut tale est vivens, et procedit a Deo vivente, in eo manet, et ipsi divina natura ex vi processionis communicatur : ergo prædicta processio quatenus talis erit vera generatio.

Confirmatur. D. Thom. Confirmatur ratione desumpta ex D. Thomæ infra q. 28 et q. 32. Quoniam in divinis tantum dantur quatuor relationes reales, et duæ processiones, necnon et quinque notiones : ergo formalissima ratio Verbi divini erit formalissima ratio Filii. Patet consequentia. Quia alioqui relationes reales in divinis essent sex, nempe, quatuor illæ, quas q. sequenti referemus, nec non relatio dicentis ad Verbum dictum, et relatio Verbi ad suum dicentem : et deinde processiones essent tres, nempe, processio Filii, et Spiritus sancti, necnon et processio Verbi : siquidem, hoc ipso quod Verbum formalissime non sit Filius, nec etiam processio Filii erit formalissime idem ac processio Verbi. Et tandem notiones essent septem, scilicet, quinque illæ, quas q. 32 adducemus, et insuper aliæ duæ, quarum una notificaretur Pater, nempe relatio dicentis, et alia, qua notificaretur Filius, quæque esset relatio Verbi dicti ad suum dicentem.

114. Occurrunt adversarii ad rationem. Ex quo fit, non plene satisfacere solutionem quamdam, quæ ex doctrina adversariorum poterat adhiberi, tum rationi D. Thomæ, tum etiam confirmationi Rationi quidem, si dicatur, quod sicut Petrus ut talis habet esse genitus, aut creatus : et tamen non ob id formalissime ratio Petri est esse genitum, aut creatum, sed tantum inde ad summum sequitur, quod una ex his rationibus ei competit : ita, licet productio Verbi ut talis sit generatio, et Verbum ut tale sit genitum : non tamen idcirco ratio formalissima Verbi, aut ejus processionis erit ratio formalissima Filii, aut generationis, qua generatur, sed ad summum colligetur, quod Verbum includit utramque rationem, et quod in ejus processione ratio generationis claudatur.

Occurrunt ad confirmationem. Confirmationi autem posset ex eorum doctrina responderi, quod etsi non sit formalissime idem ratio Filii cum ratione Verbi, non tamen ob id relationes in divinis erunt plures, quam quatuor : quia non distinguuntur penes relationes, sed quia licet sit eadem relatio Filii et Verbi, attamen Filius dicit in recto relationem filiationis, et connotat essentiam, cum tamen Verbum dicat in recto essentiam ut manifestativam eorum, quæ per Verbum repræsentantur : ac proinde nec notiones erunt plures, quam quinque : siquidem ad hoc requirebatur multiplicatio saltem virtualis relationum. Et tandem nec processiones erunt plures, quam duæ : quia ad id etiam desiderabatur, ut relationes essent plures, quam modo sunt : siquidem relationes reales in divinis tantum esse possunt relationes originis, ut disp. 1 dub. 1 dicebamus, et ita non possunt magis multiplicari origines activæ, et passivæ, quam relationes.

Ex dictis igitur constat, hæc non plene satisfacere. Nam contra solutionem, quæ rationi principali adhibetur, obstat, quod productio Verbi ut talis non solum includit utcumque rationem generationis, sed ejus formalissima ratio consistit in hoc quod sit generatio : tum, quia secundum suam ultimam rationem habet esse originem viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ : tum etiam, quia si formalissima productio Verbi non esset formalissima ratio generationis, sed diversa, tunc secunda Trinitatis persona duplici processione virtualiter distincta procederet : et ita processiones in divinis non essent tantum duæ. Impugnatur prima solutio.

Confirmatur. Quia Pater æternus ea formalissima ratione, qua dicit, est generans : et propterea non generat, nisi dicendo, nec dicit, nisi generando : ergo similiter Filius ea ratione generabitur, qua dicitur, et eadem ratione, qua dicitur, generabitur : alioqui non esset idem formalissime fundamentum, aut quasi fundamentum, seu ratio fundandi relationis Filiationis, et Verbi : et per consequens non erit formalissime eadem relatio, quam Verbum et Filius dicunt ad Patrem : et ita in divinis dabuntur plures relationes, quam quatuor. Confirmatur.

Et deinde contra solutionem confirmationis obest, quod sicut Filius dicit in recto relationem filiationis, et connotat naturam divinam, ut ex se, et ex dictis constat : ita Verbum divinum affert etiam in recto relationem ad dicentem, seu ad Patrem, et connotat in obliquo naturam Dei : ergo, si formalissima ratio Filii non est formalissima ratio Verbi ex parte rei conceptæ, seu absque distinctione virtuali, non poterunt non relationes in divinis esse plures, quam quatuor, et notiones plures quam quinque ac tandem processiones non erunt tantum duæ. Consequentia constat ex dictis. 115. Impugnatur secunda solutio ex D.Thom.

D.Thom. Antecedens autem probatur : tum ex D. Thoma infra q. 34 art. 3 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod in nomine personæ includitur etiam natura in obliquo. Nam persona est rationalis naturæ individua substantia.* Cumque nomen Verbi sit nomen personale, inde est, ut juxta Angelici Doctòris mentem dicat naturam in obliquo, et relationem in recto. Et in solutione ad 4 ejusdem articuli, ubi sic ait : *Dicendum, quod nomen idææ principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam. Et ideo pluraliter dicitur in divinis, neque est personale. Sed nomen Verbi principaliter est impositum ad significandam relationem ad dicentem : et ex consequenti ad creaturas, in quantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam. Et propter hoc in divinis est unicum tantum Verbum, et personaliter dictum.* Et art. 2 ejusdem quæstionis, ubi sic habet : *Dicendum, quod Verbum proprie dictum in divinis personaliter accipitur, et est proprium nomen personæ Filii. Significat enim quamdam emanationem intellectus*, seu (quod in idem quoad præsens redit) emanationem intellectus *in facto esse*, quæ est idem formalissime ex parte rei conceptæ, ac relatio ejus ad dicentem, seu ad Patrem.

116. Impugnatur ratione. Tum etiam ratione desumpta ex sancto Doctore in solutione ad 4 nuper relata. Quoniam, si Verbum in divinis principaliter, et in recto diceret essentiam divinam ut manifestativam eorum, quæ repræsentantur in ea, tunc Verbum in divinis pluraliter diceretur : siquidem principaliter diceret ordinem repræsentativi ad plura, nempe, ad totam Trinitatem. Sicut idææ principaliter (modo tamen alibi tacto) dicunt ordinem, aut quasi ordinem ad creaturas, et propterea in sensu etiam suo loco a nobis insinuato multiplicantur.

Angel. Doctor. Tum deinde ratione deprompta ex eodem Angelico Doctore art. 2 citato et ad 2. Nam sicut splendor ex principali suo significato non utcumque lucem, sed ut procedentem ab alia luce modo illo peculiari, quo splendori convenit procedere, et propterea de principali significato denotat hanc processionem : ita verbum significat principaliter se ipsum ut dictum, et per locutionem productum, et ideo in recto, et de principali hanc relationem producti, et dicti ad suum producentem et dicentem affert.

117. Capreol. Tum denique ratione, quam insinuat D. Thomas locis relatis a Capreolo in 1 dist. 27 q. 2 art. 1 pro conclusione prima. Quoniam verbum creatum de principali significato importat, ut sit terminus intrinsecus per se primo productus per intellectionem a dicente. Et ita hoc ipso, quod concipias talem terminum, concipis verbum : ergo dicet de principali ordinem producti ad producentem, licet talis ordo sit transcendentalis, debet esse quasi prædicamentalis, dicet hunc ordinem ad suum producentem, et in hoc ejus præcipua ratio, ut est sub conceptu verbi, consistit.

§ III.

Objectiones contra dicta pro assertione, et ratione adducta, necnon et solutiones earum.

Nec refert, si objicias, quod unumquodque affert de principali suam essentiam, et naturam : at essentia Verbi et Filii in divinis est natura, et essentia divina, quæ est aliquid absolutum : ergo tam Verbum, quam Filius dicent de principali quid absolutum. 118. Objectio prima contra conclusionem, et rationem.

Non igitur hoc refert. Quoniam, etsi unumquodque absolute, et quoad rem ipsam sumptum afferat de principali id, quod in eo habet rationem naturæ, non tamen ut specialiter explicatur certis quibusdam nominibus, et ut est sub conceptibus, qui eis correspondent. Unde, licet personæ divinæ absolute, et quoad rem ipsam sumptæ afferant de principali unam et eamdem essentiam, nempe naturam divinam, attamen, ut significantur nomine personæ, et subsunt huic conceptui, dicunt in recto relationem, incommunicabilitatem, et in obliquo naturam : ideoque persona definitur, per hoc, quod sit *rationalis, sive intellectualis naturæ individua substantia*. Et similiter, licet essentia Petri absolute loquendo sit esse hominem, nihilominus, ut significatur nomine Petri, et subest huic conceptui, dicit in recto, et de principali Petreitatem. Dissolvitur.

Ratio autem horum omnium est. Quod cum quævis ratio formalis in suo ordine sit secundum aliquam considerationem, potissima, inde est, ut sit conceptibilis, et significabilis hoc modo : ac proinde, ut subest huic significationi, et conceptui, poterit in recto, et de principali significari. Unde sicut Petrus sub alio conceptu, nempe, sub conceptu hominis, concipitur ut dicens de principali suam essentiam : et

et persona divina concepta in concreto sub conceptu naturæ subsistentis in personalitate divina concipitur ut dicens de principali naturam divinam : ita Filius Dei conceptus sub conceptu Dei geniti, et Verbum divinum sub conceptu Dei intelligibiliter geniti dicunt de formali et principali significato naturam divinam.

Alia lutio. Potestque hæc eadem solutio aliter (quod tamen in idem cum iis, quæ diximus, redit) sic tradi, nempe, distinguendo antecedens : *Unumquodque dicit in recto suam essentiam, et naturam :* quando significatur, et concipitur sub conceptu, et nominibus significantibus naturam, concedatur : quando concipitur, et significatur, conceptibus, et nominibus denotantibus personam negetur. Verbum autem, et Filius dicunt conceptus, et nomina denotantia personam, non vero naturam.

119. bjectio cunda. Nec etiam obest, si secundo objicias, quod id, quod est formaliter genitum, et Filius debet de formali importare id, per quod habet rationem termini formalis *quo* generationis : sed secunda Trinitatis persona, ut est Verbum, et Filius, habet esse formaliter genita, ut ex dictis constat : ergo, adhuc quatenus est sub conceptu Verbi, et Filii, asseret de formali, et non tantum per modum connotati, terminum formalem *quo* suæ generationis, nempe, naturam divinam.

olutio. Respondetur enim ex dictis. Nam hoc argumento etiam probaretur, Petrum, qui est formaliter genitus, dicere principaliter naturam. Unde distinguendum est antecedens, et concedendum de eo, quod est formaliter genitum, et significatur, ac concipitur sub conceptu termini formalis *quo* suæ generationis : tunc enim de formali, et non qualitercumque, sed de formali, ac principali debet affere rationem formalem terminandi : negandum vero de eodem, si consideretur, et significetur de formali, et principali, non ut est terminus formalis *quo* suæ generationis, sed ut est terminus *qui* ejusdem generationis seu ut habet rationem personæ, cujus est proprium generari, ut in præsenti contingit. Nam secunda persona Trinitatis, ut significatur, et concipitur sub conceptu Verbi, et Filii, concipitur, et significatur, ut est persona, et ut est terminus *qui* suæ generationis, seu ut est genita *ut quod*, non vero significatur, aut concipitur de formali, et principali, quatenus est terminus *quo* formalis suæ generationis : sic enim concipitur, et significatur sub nomine, et conceptu Dei geniti, secundum quam rationem de formali et principali affertur Deitas, quæ est terminus formalis *quo*, et connotatur relatio per modum connotati formalis ipsius in ratione prædicti termini consideratæ.

Nec tandem obstat, si tertio objicias, 120. Objectio tertia. quod Pater æternus ut generans, et dicens dicit in recto suam essentiam, et in obliquo Paternitatem : siquidem, ut disput. præcedenti dubio 3 dicebamus, dictio sive generatio, necnon potentia generativa dicunt recto essentiam, connotando Paternitatem : ergo etiam in Filio hoc, quod est esse genitum, ac proinde esse Verbum, et Filius, dicet in recto essentiam, connotabit tamen Filiationem. Patet consequentia : tum ex paritate rationis : tum etiam, quia processio activa, et passiva mutuo sibi correspondent : et ita, si generatio activa dicit essentiam, et connotat Paternitatem, tunc generatio passiva dicet eamdem essentiam, connotando Filiationem correspondentem Paternitati.

Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis est. Enodatur. Quod relatio adhuc in recto sumpta est producibilis, non tamen est, aut esse potest ipsa productio, aut vis ad producendum, si de eo, quod hæc duo afferunt in recto, fiat sermo. Nam, sicut natura divina se ipsa connotando Paternitatem, est fœcunda ad productionem Filii, ita se ipsa connotando eamdem Paternitatem debet esse fœcunda per modum actus purissimi : ac proinde se ipsa cum prædicta connotatione debet esse ipsa actualis generatio et productio Filii. Unde licet Verbum, quod significatur per modum termini intrinseci producti per intellectionem Paternam, possit dicere in recto relationem, secundum quam est producibile, quæque sola in hac processione producitur, non tamen relatio aliqua potest in recto esse vis ad producendum, aut productio alicujus, ut ex dictis dubio nuper citato constat.

Potestque hoc amplius explicari, ex eo Elucidatur. quod essentia divina non præstat in ordine ad constituendam generationem Verbi sive activam, sive passivam, nisi id, quod nequit præstari a relationibus Paternitatis, aut Filiationis. Sicut e converso id tantum præstant relationes in ordine ad prædictam constitutionem, quod nequit præstari ab essentia. Quare, cum a relatione non possit præstari hoc, quod est, esse in recto ipsam

generationem activam, ut nuper dicebamus : ideo essentia habet rationem recti respectu generationis activæ. Quia vero relationes possunt produci *ut quod*, et esse ipsa actualis productio passiva, ut modo asserebamus : propterea nequit hoc præstari in recto ab essentia, ita ut ipsa sit in recto ipsa productio passiva. Sicut, quia essentia nequit ex se dicere oppositionem requisitam inter producens, et productum, et inter productionem activam et passivam, ideo munus hoc præstatur a relationibus, quamvis diversimode afferatur in generatione activa, et passiva. Nam hæc in recto affert oppositionem ratione relationis Filiationis in recto importatæ, illa vero in obliquo ratione relationis Paternitatis in obliquo adductæ.

§ IV.

Sententia opposita, primum ejus fundamentum cum duplici confirmatione, et enodatio eorum.

121. Contraria sententia. Ferrara. Nazar.

Contrariam tamen nostræ assertioni sententiam tuentur Ferrara 4 contra Gentes cap. 13 § *Ad 2 dubium*, Nazarius 1 p. quæst. 35 art. 3 controversia 3 pro qua etiam refertur ab aliquibus ex junioribus Suarez lib. 9 de Trinit. cap. 3 num. 4 et 5. (Suarez.)

Primum fundamentum.

Probatur primo. Quoniam ratio formalis Filii dicit in recto relationem quasi prædicamentalem, seu relationem secundum *esse*, ratio vero formalis Verbi dicit in recto essentiam divinam, ut est repræsentativa objecti intellecti : ergo processio Verbi divini non erit adeo formaliter generatio, ut ipsa ratio formalis prædicti Verbi sit ratio Filii. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem quoad primam partem etiam liquet. Quoniam totum *esse* Filii est ad Patrem : ac proinde dicet de formali, et in recto aliquid relativum. Quoad secundam vero partem probatur antecedens testimonio divi Thomæ, (D.Thom.) tum in 1 distinct. 27 art. 2 his verbis : *Dicendum, quod hoc nomen Verbum, ex virtute vocabuli potest personaliter, et essentialiter accipi. Non enim significat tantum relationem, sicut hoc nomen Pater, vel Filius, sed imponitur ad significandum rem aliquam absolutam simul cum respectu.* Ubi consulto Angelicus Doctor assignans significatum Verbi posuit primo loco, *rem absolutam*, et deinde, addidit *simul cum respectu ;* ut innueret, illam per se primo significari, et importari per Verbum, cum tamen respectu solum secundario, et in obliquo ab eo afferatur et significetur. Tum etiam q. 4 de Veritate art 5, ubi sic ait : *Hoc nomen Verbum imponitur ad significandum aliquid absolutum cum aliquo respectu adjuncto : est enim idem Verbum, quod Sapientia genita, ut dicit Augustinus.*

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam eadem est ratio formalissima verbi, et speciei intelligibilis, et solum differunt quoad diversum modum essendi, quatenus species repræsentat habitualiter objectum, et verbum repræsentat illud per modum similitudinis expressæ : sed essentia, et ratio formalissima speciei dicit in recto aliquid absolutum : ergo etiam ratio formalissima verbi hoc ipsum dicet, quamvis, quia est similitudo expressa ab intelligente, involvat etiam, et connotet relationem ad illud : ac proinde cum ratio formalissima Filii dicat per se primo esse relativum, non erunt idem prorsus rationes formales utriusque, scilicet Filii, et Verbi.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quia ratio formalissima verbi in creatis non dicit aliquid relativum prædicamentale, sed ad summum transcendentale : siquidem pertinet ad prædicamentum qualitatis : ergo dicet aliquid absolutum, cum prædicto tamen respectu transcendentali non extrahente illud a ratione absoluti : ergo etiam in divinis hoc ipsum habebit : ergo, cum Filius dicat aliquid relativum *secundum esse*, non erit eadem ratio formalissima utriusque.

122. Evertitur fundamentum primo. Corneje.

Ad primum respondetur primo cum nostro Cornejo loco citato, sanctum Doctorem loqui de verbo creato, quod licet de formali, et in recto dicat rationem termini intrinseci, et per se primo per intellectionem producti, attamen habitudo hæc est transcendentalis non extrahens illud a ratione absoluti quoad principale significatum. Cæterum Verbum increatum de formali, et principali significato dicit relationem *secundum esse*, seu quasi prædicamentalem. Quia licet in creatis possit dari relatio realis originis *secundum dici*, sive transcendentalis, secundum quam effectus respicit causam ut causam, et secundum quam ab ea accipit *esse*, quæque concurrit ad fundandam aliam relationem prædicamentalem, per quam effectus respicit causam pure sub ratione termini : at in divinis omnis relatio realis debet esse relatio originis.

ginis, non qualiscumque, sed relatio *secundum esse*, seu quasi prædicamentalis : alioqui, si relatio illa diceret quid absolutum, jam daretur aliquid absolutum in Filio, nempe hæc relatio originis a Patre, quod non esset utrique commune : quod quidem communiter rejicitur a Theologis, ut ex infra dicendis amplius constabit.

Alia solutio. Secundo respondetur, Angelicum Doctorem in quæst. 34 hujus 1 p. art. 3 in solutione ad 4 supra adducta correxisse sententiam, quam in 1 sententiarum, et q. 4 de Verit. jam relata habuerat. Ita Cajetanus ibidem, et plures alii ex probatioribus Thomistis. *Cajetan.*

Ad primam confirm. Ad primam confirmationem distinguenda est major : et si intelligatur de Verbo, et specie intelligibili, quatenus verbum concipitur, et significatur nomine verbi, neganda est : si vero intelligatur de verbo, et specie intelligibili, quatenus concipitur, et significatur sub conceptu, et nomine objecti intrinseci intellectionis, per illam tamen per se primo producti, concedenda est (saltem in verbo adæquante repræsentationem speciei intelligibilis) : quia sub hoc conceptu, et nomine dicit in recto naturam objecti repræsentati per speciem, sub diverso tamen modo essendi, et connotando relationem prædicti termini ad suum producentem. Et deinde concedenda est minor, et distinguendum est consequens juxta distinctionem nuper datam.

Ad secundam. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quomodo, etsi verbum creatum sub conceptu, et nomine verbi dicat in recto, et principaliter relationem transcendentalem termini expressi, et producti per expressionem, et dictionem intellectualem : nihilominus Verbum divinum debeat dicere in recto relationem quasi prædicamentalem, et *secundum esse* ad suum producentem, et exprimentem : ex eo quod in divinis relationes reales non possunt esse transcendentales : siquidem relationes istæ continentur intra genus absoluti, et omnia absoluta sunt communia toti Trinitati.

§ V.

Cætera argumenta ejusdem sententiæ, et responsio ad illa.

123. *Secundum, et principale fundamentum.* Secundo, et principaliter probatur eadem sententia. Nam Filius in divinis solum importat respectum ad Patrem : sed Verbum divinum affert respectum ad totam Trinitatem, necnon ad omnes creaturas : ergo etc. Major videtur perspicua ex iis, quæ in humanis contingunt : et ita sicut in humanis filius solum respicit patrem humanum, sic in divinis solummodo respiciet Patrem divinum. Minor autem etiam constat, tum ex Augustino lib. 83 quæst. q. 63 et divo Thoma de Veritate q. 4 art. 5 ad 7, ubi id affirmant de relatione ad creaturas. Tum etiam, quia verbum in divinis est repræsentativum omnium illorum, quæ in eadem minori referuntur : siquidem repræsentat omnia, quæ intelliguntur per intellectionem, qua producitur, et omnia illa per intellectionem Paternam, qua producitur, intelliguntur : constat autem, quod repræsentativum aliquorum dicit habitudinem ad illa : ergo etc. *August. D.Thom.*

Confirmatur primo. Nam Filius in divinis non præsupponit omnes personas Trinitatis : siquidem a Patre, et Filio procedit Spiritus sanctus : at ipsemet in ratione Verbi præsupponit productas omnes Trinitatis personas : ergo, etc. Minor probatur. Quoniam, ut est Verbum, deservit ad intuitivam earum cognitionem, seu est Verbum intuitivum : at verbum hoc præsupponit existens id, cujus est verbum : siquidem, quod actu non est in se ipso non potest videri. *Confirmatur primo.*

Confirmatur secundo. Quoniam Verbum secundum suam ultimam rationem consideratum est simile suo principio, nempe Patri : at Filius secundum quod Filius, hoc non habet : ergo, etc. Major videtur perspicua. Quoniam secundum prædictam rationem ultimam repræsentat illum, ac proinde est illi simile. Minor autem etiam patet. Quia Filius secundum suam ultimam rationem, nempe, secundum Filiationem opponitur Patri, et distinguitur specie, aut quasi specie ab illo : id autem, quod alteri opponitur, quodque specie est distinctum ab ipso, nequit secundum hanc rationem esse illi simile. *Confirmatur secundo.*

Ad secundum principale respondetur, quod, sicut Filius ratione relationis in recto importatæ tantum dicit respectum ad Patrem : ita Verbum ratione relationis, quam dicit ad suum producentem, nimirum, ad eumdem Patrem, solummodo dicit respectum ad ipsum. Et quemadmodum Verbum ratione connotati, nempe essentiæ divinæ, importat respectum rationis ad totam Trinitatem, et ad omnes creaturas, seu repræsentat omnia ista : sic Filius ha- *Evertitur fundamentum.*

bet hoc ipsum ratione ejusdem naturæ divinæ, quam connotat; quamvis, ut in explicatione assertionis dicebamus, Filius non exprimat hoc connotatum ut intelligibili, et immateriali modo communicatum, nec rationem termini producti per intelligibilem et immaterialem generationem; secus vero idem Filius, ut concipitur sub conceptu Verbi. Hoc autem, ut diximus, solum arguit distinctionem ex parte solius nostri modi concipiendi, non vero ex parte rei conceptæ. Nam ex parte hujus quidquid affert Filius in divinis, affert etiam Verbum et e contra.

Ad primam confirmat. Ad primam confirmationem respondetur, satis esse ad rationem verbi intuitivi, quod in eadem duratione reali sit cum re, quam intuitive repræsentat : ac proinde satis est, ut nulla sit prioritas *in quo* inter ipsum, et objectum repræsentatum, ut in præsenti contingit.

Ad secundam. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quomodo Verbum ut tale non sit simile suo principio ratione relationis, sed ratione naturæ connotatæ ab illo, quatenus concipitur, et significatur sub conceptu, et nomine personæ divinæ, seu Verbi : et quomodo hoc ipsum conveniat Filio, ut concipitur, et denotatur sub conceptu, et nomine Filii.

121. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam alias forma Sacramenti Baptismi posset tradi sub nomine Patris, Verbi, et Spiritus sancti : hoc autem non est admittendum, ut communiter docent Theologi : ergo etc. Sequela videtur certa. Quoniam forma sacramentorum non variatur, quando solum fit variatio in nominibus habentibus idem significatum formale : ex eo quod tunc retinetur eadem significatio, et hac retenta, remanet forma Sacramenti, ut docet D. Thomas 3 p. quæst. 66 articul. 5 ad 7. (D. Thom.)

Solutio Cajetani. Ad hoc Cajetanus in illo loco concedit sequelam : quia credit, esse sufficientem formam Baptismi illam, quæ traditur sub nominibus denotantibus eadem personas divinas, quamvis non exprimant illas sub nominibus Patris et Filii etc.

Alia et vera solutio. Cæterum, licet hæc solutio speculative probabilis sit, non tamen practice. Nam, ut colligitur ex D. Thoma in solutione allegata, in unoquoque idiomate sunt communiora, et usitatiora nomina, quibus res significantur, et sub his Sacramentorum formæ fuerunt a Christo institutæ. Communiora autem, et magis usitata nomina, quibus tres divinæ personæ significari solent, et sub quibus Matthæi ultimo Baptismi formam instituit, sunt hæc, nempe *Pater et Filius et Spiritus Sanctus* : et ita sub his, et non sub aliis, licet æquivalentibus, debet legitima Baptismi forma exhiberi. Maxime : quia Verbum, et Filius in divinis licet sint idem ex parte rei conceptæ, nihilominus ex parte nostri modi concipiendi distinguuntur ratione summæ eminentiæ, quam generatio divina, et terminus per illam productus dicit. (Matt. ult.)

125. Ultimum fundamentum. Quarto denique probatur eadem sententia. Nam Verbum divinum sub conceptu talis non producit Spiritum sanctum per voluntatem ; sed per modum formæ intelligibilis : at Filius ut Filius producit illum per voluntatem : ergo diversa erit ratio formalissima Filii, et Verbi. Consequentia videtur legitima. Minor vero est perspicua. Siquidem Pater, et Filius per voluntatem spirant Spiritum sanctum. Major autem etiam constat. Quoniam : sicut in nobis verbum non influit in amorem nisi per modum formæ intelligibilis ; ita etiam in divinis Verbum divinum sub hoc conceptu non nisi isto modo influet in amorem divinum, qui a Patre et Filio procedit. Et ratio est eadem utrobique. Quia forma apprehensa, nempe verbum, debet esse voluntati ratio amandi : forma autem apprehensa non nisi per modum formæ intelligibilis, seu (quod in idem quoad præsens redit) non nisi per modum formæ intellectæ concurrit ad amorem.

Confirmatio. Confirmatur. Quoniam Filius, ut talis, non est Patri ratio intelligendi : sed Verbum divinum est suo principio, nempe Patri, ratio intelligendi : ergo Verbum, et Filius non erunt omnino idem. Major ex se patet. Minor autem etiam constat. Quoniam verbum ex se habet esse formam actualissimam, per quam intellectus fit actu res intellecta, id autem, per quod intellectus fit res intellecta, est intellectui ratio intelligendi, ut in verbo creato cernitur.

Ad ultimum. Ad quartum constabit ex dicendis infra, an Verbum divinum per modum formæ intelligibilis, et simul per voluntatem concurrat ad productionem Spiritus sancti. Si autem in hoc pars affirmativa teneatur, tunc eadem ratione Filius hoc ipsum habebit.

Ad confirmationem. Ad confirmationem concedenda est major intellecta de filio in *esse* naturali, quamvis negari debeat de filio, qui solum est filius in *esse* intentionali, qualis est verbum in creatis : et deinde neganda est minor.

Et

Et ad probationem dicendum est, quod licet verbum in creatis sit intelligenti ratio quodammodo intelligendi : ex eo quod est forma actualissima, per quam objectum redditur actu intellectum, seu terminans intellectionem, per quamque intellectus fit in actus res intellecta, non tamen in divinis : ex eo quod essentia divina, propter suam summam actualitatem, est suum *intelligere*, et est actualissime ipsa res intellecta ut talis, seu suum *esse* intellectum. Et ita Pater æternus non indiget verbo, quod (modo insinuato) sit ei ratio intelligendi, per quodque sua essentia reddatur actu intellecta, sed potius essentia divina tribuit Verbo totam actualitatem, quæ requiritur ad hoc, ut sit suum *esse* intellectum.

ARTICULUS III.

Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi?

dist. 18 1 art. 1 et 4 contra Gent. 23 fin. pot. q. 10 art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit in divinis alia processio a generatione Verbi. Eadem enim ratione erit aliqua alia processio ab illa alia processione : et sic procederetur in infinitum : quod est inconveniens. Standum est igitur in prima, ut sit una tantum processio in divinis.

2. Præterea, in omni natura invenitur tantum unus modus communicationis illius naturæ. Et hoc ideo est : quia operationes secundum terminos habent unitatem, et diversitatem : sed processio in divinis non est nisi secundum communicationem divinæ naturæ. Cum igitur sit una tantum natura divina (ut supra * ostensum est) relinquitur, quod una sit tantum processio in divinis.

Quæst. art. 3.

3. Præterea, si sit in divinis alia processio ab intelligibili processione Verbi, non erit nisi processio amoris, quæ est secundum voluntatis operationem. Sed talis processio non potest esse alia a processione intellectus intelligibili : quia voluntas in Deo non est aliud ab intellectu, ut supra * ostensum est. Ergo in Deo non est alia processio præter processionem Verbi.

Quæst. art. 1.

Sed contra est, quod Spiritus sanctus procedit a Patre, ut dicitur Joannis 15 Ipse autem est alius a Filio, secundum illud Joannis 14 : Rogabo Patrem meum : et alium Paraclitum dabit vobis. Ergo in divinis est alia processio præter processionem Verbi.

Respondeo dicendum, quod in divinis sunt duæ processiones, scilicet, processio Verbi, et quædam alia.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod in divinis non est processio, nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus, et actio voluntatis. Processio autem Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem. Secundum autem operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet, processio amoris, secundum quam amatum est in amante : sicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta est in intelligente. Unde et præter processionem Verbi ponitur alia processio in divinis, quæ est processio amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod non est necessarium procedere in divinis processionibus in infinitum. Processio enim, quæ est ad intra in intellectuali natura, terminatur in processione voluntatis.

Ad secundum dicendum, quod quidquid est in Deo, est Deus, ut supra * ostensum est. Quod non contingit in aliis rebus. Et ideo per quamlibet processionem, quæ non est ad extra, communicatur divina natura, non autem aliæ naturæ.

Quæst. 3 art. 3 et 4.

Ad tertium dicendum, quod licet in Deo non sit aliud voluntas, et intellectus, tamen de ratione voluntatis, et intellectus est, quod processiones, quæ sunt secundum actionem utriusque, se habeant secundum quemdam ordinem. Non enim est processio amoris, nisi in ordine ad processionem verbi. Nihil enim potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Sicut igitur attenditur quidam ordo verbi ad principium, a quo procedit, licet in divinis sit eadem substantia intellectus, et conceptio intellectus : ita licet in Deo sit idem voluntas, et intellectus, tamen, quia de ratione amoris est, quod non procedat, nisi a conceptione intellectus, habet ordinis distinctionem processio amoris a processione Verbi in divinis.

Conclusio : Præter processionem Verbi ponenda est in divinis alia processio, nempe processio amoris.

ARTICULUS IV.

Utrum processio amoris in divinis sit generatio?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod processio amoris in divinis sit generatio. Quod enim procedit in similitudinem naturæ in viventibus, dicitur generatum, et nascens : sed id, quod procedit in divinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturæ : alias esset extraneum a natura divina, et sic esset processio ad extra : ergo, quod procedit in divinis per modum amoris, procedit ut genitum, et nascens. 1 dist., 13 art. 3 et 4 contra Gent. c. 23.

2. Præterea, sicut similitudo est de ratione Verbi, ita est etiam de ratione amoris. Unde dicitur Ecclesiastici 13 quod omne animal diligit simile sibi. Si igitur ratione similitudinis Verbo procedenti convenit generari, et nasci, videtur etiam, quod amori procedenti convenit generari.

3. Præterea, non est in genere, quod non est in aliqua ejus specie. Si igitur in divinis sit quædam processio amoris, oportet, quod, præter hoc nomen commune, habeat aliquod nomen speciale. Sed non est aliud nomen dare, nisi generatio. Ergo videtur, quod processio amoris in divinis sit generatio.

Sed contra est. Quia secundum hoc sequeretur, quod Spiritus sanctus, qui procedit ut amor, procederet ut genitus. Quod est contra illud Athanasii * Spiritus sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. * In suo Symbolo Fidei.

Respondeo dicendum, quod processio amoris in divinis non debet dici generatio. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod hæc est differentia inter intellectum, et voluntatem : quod intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis. Et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, et moventis in aliquid. Et ideo, quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur : prout aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum.

Ad primum ergo dicendum, quod, quidquid est in divinis, est unum cum divina natura. Unde ex parte hujus unitatis non potest accipi propria ratio hujus processionis, vel illius secundum quam una distinguatur ab illa, sed oportet, quod propria ratio hujus vel illius processionis accipiatur secundum ordinem unius processionis ad aliam. Hujusmodi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis, et intellectus. Unde secundum horum propriam rationem sortitur in divinis nomen utraque processio, quod imponitur ad propriam rationem rei significandam : et inde est, quod procedens per modum amoris, et divinam naturam accipit, et tamen non dicitur natum.

Ad secundum dicendum, quod similitudo aliter pertinet ad verbum et aliter ad amorem. Nam ad verbum pertinet, in quantum ipsum est quædam similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis. Sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium amandi. Unde non sequitur quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

Ad tertium dicendum, quod Deum nominare non possumus

* Quæst. 13 art. 1. sumus, nisi ex creaturis, ut dictum est supra *. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est, nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium, vel speciale nomen, nisi generationis. Unde processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine, sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus.

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO III.

De Processione divini amoris, seu Spiritus sancti.

Postquam de prima processione in divinis reperta egimus, restat, ut ad secundam, nempe processionem per voluntatem, et amorem, seu ad processionem Spiritus sancti explicandam accedamus; ad quod melius præstandum hanc tertiam disputationem instituimus, in qua propter doctrinæ nexum, tam tertium, quam quartum articulum D. Thomæ explicabimus.

DUBIUM I.

Utrum in divinis sit alia processio per voluntatem?

Circa hujus dubii titulum recolenda sunt (proportione servata) ea, quæ circa titulum dubii primi disputationis etiam primæ hujus tractatus notavimus. Et ita sensus tituli est, an intra Deum sit actu, et formaliter aliqua alia processio per voluntatem?

§ I.

Veritas catholica.

1. Assertio est de fide. Dicendum est, dari in divinis, seu intra Deum aliam processionem præter processionem Verbi divini, nempe, processionem per voluntatem, per quam Spiritus sanctus procedit. Hæc est de fide, ut patet ex duobus illis testimoniis, quæ in argumento *sed contra* articuli tertii hujus quæstionis adducit D. Thomas, in unum tamen conjunctis. (D.Thom. Joan. 13 et 14.) Nam Joannis 13 dicitur : *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et Joannis 14 : *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Ubi, ut constat, Spiritus dicitur procedere a Patre, et esse alius a Filio : ac proinde procedere debet a Patre per aliam processionem distinctam a processione Verbi, nempe, per voluntatem : siquidem in natura pure intellectuali, qualis est divina, nequit dari alia processio præter processionem per intellectum, et voluntatem.

2. Nec obest, quod in his locis de Spiritu sancto, qui dicitur procedere, non asseratur procedere ad intra. Quia id satis constat ex aliis locis in quibus dicitur, ipsum esse verum Deum, ac proinde et manere in illo. Unde D. Thomas 4 contra Gent. c. 17 ad hoc intentum adducit illud 1 ad Corinthios 2 : (D.Thom. 1 ad Cor. 2.) *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Quæ verba sanctus Doctor sic loco citato expendit : *Comprehendere autem omnia profunda Dei, non est alicujus creaturæ : quod patet ex hoc quod Dominus dicit Matthæi 11 : Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius. Et Isaiæ 24 ex persona Dei dicitur : Secretum meum mihi. Ergo Spiritus sanctus non est creatura. Præterea, secundum prædictam Apostoli comparationem, Spiritus sanctus se habet ad Deum, sicut spiritus hominis ad hominem : Spiritus autem hominis intrinsecus est homini, et non est extraneæ naturæ ab ipso : sed est aliquid ejus. Igitur, et Spiritus sanctus non est naturæ extraneæ a Deo.* Et tandem hoc idem testimonium Pauli magis ibidem dilucidat ad præsens intentum his verbis : *Amplius. Si quis conferat verba Apostoli præmissa verbis Isaiæ Prophetæ, manifeste percipiet, Spiritum sanctum Deum esse. Dicitur enim Isaiæ 64 : Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Quæ quidem verba Apostolus cum introduxisset, subjungit verba præmissa, scilicet, quod Spiritus scrutatur profunda Dei. Unde manifestatum est, quod Spiritus sanctus illa profunda Dei* (intellige, absque speciali revelatione, aut gratuita voluntate Dei, sicut spiritus hominis scrutatur ea, quæ sunt hominis), *cognoscit, quæ præparavit expectantibus eum. Si ergo hæc nullus* (modo dicto) *vidit præter Deum, ut Isaias dicit : manifestum est, Spiritum sanctum Deum esse.*

Unde veritas hæc diffinita est in Symbolo Athanasii : (Symb. Ath.) *Spiritus sanctus a Patre, et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et ibidem dicitur : *Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas : æqualis gloria, coæterna majestas.* Et in Symbolo Missæ dicitur : (Symbol. Constant.) *Qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur.* Et tandem hoc ipsum omnia Concilia de re hac agentia, Patres et Theologi proclamant. Et propterea a singulis in particulari referendis abstinemus.

§ II.

§ II.

Eadem veritas catholica explicatur, et ratione ex testimoniis adductis desumpta fulcitur.

5. Elucidatur tertio probatur ratione præcedentis testimoniis sumpta. Cæterum quia in assertione diximus, dari in divinis aliam processionem, præter processionem Verbi, nempe, processionem per voluntatem, et hanc esse processionem illam, per quam Spiritus sanctus procedit, oportet prius explicare, cur processio Spiritus sancti sit hæc processio per voluntatem? et cur termino procedenti per illam nomen Spiritus sancti impositum sit? ut ita ea, quæ ex Scriptura circa hanc processionem adducta sunt, magis elucidata maneant.

D. Thom. Hoc autem optime explicat D. Thomas 4 contra Gent. c. 23 his verbis : *Considerandum est, quod nomen spiritus a respiratione animalium sumptum videtur, in qua aër cum quodam motu infertur, et emittitur. Unde nomen spiritus ad omnem impulsum, et motum, vel cujuscumque aërei corporis trahitur : et sic ventus dicitur spiritus, secundum illud Psalmi* 148 : *Ignis, grando, nix, glacies, et spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Sic etiam vapor tenuis diffusus per membra ad eorum motus, spiritus vocatur. Rursus, quia aër invisibilis est, translatum est ulterius spiritus nomen ad omnes virtutes, et substantias, et invisibiles, et motivas : et propter hoc anima sensibilis, et anima rationalis, et Angeli, et Deus, spiritus dicuntur : et proprie Deus per modum amoris procedens, quia amor virtutem quamdam motivam insinuat.*

Ubi, ut vides, nomine Spiritus sancti intelligitur Deus procedens per modum amoris, seu per modum impulsus : ex eo quod amor vim quamdam motivam, et impulsivam insinuat, et impulsum quemdam producit, ut ex statim dicendis patebit. Quia vero id, quod procedit per voluntatem, procedit per modum amoris, seu per modum impulsus : propterea in idem redit, dari in divinis aliam processionem per voluntatem distinctam a processione Verbi, ac dari processionem, per quam procedit Spiritus sanctus : quia ipse procedit per modum amoris, et impulsus divini.

7. S. Doct. Hoc etiam ulterius explicuerat idem S. Doctor in eodem 4 contra Gent. c. 19 his verbis : *Sed quia amatum in voluntate existit, ut inclinans, et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam : impulsus autem rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet : convenit Deo per modum amoris procedenti, ut spiritus dicatur, ejus spiratione quasi quadam aspiratione existente* (idest, ut explicat Ferrara ibidem, et colligitur ex verbis relatis ex cap. 23 : existente quasi quadam vitali motione, et impulsione sive quadam attractione, aut emissione aëris : quia nomen spiritus a respiratione animalium sumptum est, in qua aër cum quodam motu infertur, et emittitur) *hinc est, quod Apostolus spiritui, et amori impulsum quemdam attribuit. Dicitur enim Romanorum* 8 : *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Et* 2 *ad Corinthios* 5 : *Charitas Christi urget nos.* Ferrara.

Assertio ergo sic explicata potissime suadetur ratione desumpta ex testimoniis jam dictis, quamque in simili disp. 1 dub. 1 adduximus. Nam de divinis processionibus, quippe captum nostrum naturalem excedentibus, non aliter sentiendum est, quam juxta id, quod ex Scriptura, Conciliis et Patribus habemus : at ex his, juxta nuper dicta, habemus, dari in divinis præter processionem Verbi aliam processionem per voluntatem : ergo ita, et non aliter de hoc sentiendum est.

§ III.

Prædicta veritas quadam congruentia ex D. Thoma desumpta amplius elucidatur.

Deinde eadem veritas probari potest congruentia quadam satis idonea ad rem hanc supposita fide declarandam, et utcumque, supposita tamen eadem fide, suadendam, quam quidem adduxit D. Thomas a. 3 hujus quæstionis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam in natura intellectuali creata, præter processionem verbi, datur alia processio per voluntatem : ergo etiam in natura divina, quæ est pure intellectualis, præter processionem Verbi divini per intellectum, dabitur alia processio per voluntatem; nempe, processio Spiritus Sancti. Consequentia probatur : tum ex paritate rationis : tum etiam, quia ea, quæ sunt in divinis, debemus intelligere ad instar eorum, quæ reperiuntur in creaturis perfectioribus, quales sunt creaturæ intellectuales, ut ex D. Thom. art. 1 hujus quæstionis vidimus. Tum denique : quia hoc, quod est voluntatem creatam producere aliquem terminum per suum *velle*, dicit perfectionem denudabilem ab imperfectionibus. 6. Elucidatur amplius assertio quadam congruentia.

Sicut, quod intellectus creatus per intellectionem exprimat active verbum, dicit hujuscemodi perfectionem : ergo, sicut ob hanc rationem datur in divinis processio per intellectum; ita ob eamdem dabitur ibidem præter hanc processionem alia per voluntatem.

Antecedens autem probatur. Nam sicut objectum intellectum debet esse in intellectu, hoc ipso quod intelligatur : ita etiam objectum amatum debet esse in amante, hoc ipso quod ametur : ergo sicut per intellectionem creatam producitur verbum ad hoc, ut mediante illo objectum intellectum sit in intellectu intelligente ipsum : ita etiam per volitionem creatam producetur aliquis terminus, per quem objectum amatum sit in voluntate amante ipsum.

§ IV.

Objectiones contra præcedentem rationem.

7. Objectio prima Valentiæ contra præcedentem congruentiam. Cæterum hæc congruentia D. Thomæ pluribus Theologis, ex diversis tamen capitibus, displicet : et ideo plura contra illam objiciunt. Nam in primis Valentia putat, fundamentum prædictæ rationis, nempe, voluntatem creatam per suum *velle* producere aliquem terminum, sicut intellectus per suum *intelligere* illum producit, esse falsum. Potestque hoc probari primo ex eo, quod prædictum fundamentum videtur contradicere eidem D. Thomæ (D.Thom.) de Veritate quæst. 4 artic. 2 ad 7 ubi sic ait : *Hæc autem est differentia inter intellectum, et voluntatem, quod operatio voluntatis terminatur ad res, in quibus est bonum, et malum : sed operatio intellectus terminatur in mente, in qua est verum, et falsum, ut dicitur in 6 Metaphysicæ. Et ideo voluntas non habet aliquid progrediens a se ipsa, quod in ea sit, nisi per modum operationis; sed intellectus habet in se ipso aliquid progrediens ab eo non solum per modum operationis, sed etiam per modum rei operatæ. Et ideo verbum significatur, ut res procedens; sed amor, ut operatio procedens.*

8. Secunda objectio. Secundo probatur hoc ipsum ratione desumpta ex præcedenti testimonio. Quoniam voluntas fertur ad res, non prout sunt ad intra; sed prout sunt ad extra in se ipsis : ergo, cum ideo dicatur, per intellectionem produci aliquem terminum, quia intellectus intelligit trahendo res ad se (ut constat ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disputatione 2 dubio penultimo, et ultimo diximus) fiet inde, ut per actus voluntatis nullus terminus producatur.

Confirmatur primo. Quoniam juxta D. Thomam Quodlibeto 5 art. 9 ad 2 per actiones sensuum externorum, ut per visionem, non producitur aliquis terminus intrinsecus correspondens verbo intellectus : ex eo quod visus fertur ad res, prout sunt in se : ergo, cum proprium sit voluntatis ferri ad bonum, prout est in se, non erit, cur per illam producatur terminus intrinsecus correspondens verbo mentis, de quo ratio D. Thomæ intelligitur. Confirm. 1. D.Thom.

Confirmatur secundo. Quia, cum amatur aliquod objectum, quod est ad extra, v. g. divitiæ, tunc nihil aliud ad intra residens diligitur ut objectum : e contra vero, cum aliquid ad extra existens intelligitur, debet dari aliquod objectum interius, quod per modum objecti sit intellectum per illam intellectionem, nempe verbum mentis, ut N. Complutenses in lib. de Anima disput. 21 numero 42 docent, et nos disput. 1 hujus tractatus dubio 1 asseruimus : ergo, quamvis per intellectionem producatur verbum, non tamen per actus voluntatis producetur aliquis terminus, qui correspondeat verbo. Confirm. 2. N. Compl.

9. Objectio prima Aureoli et Durandi contra eamdem congruentiam. Deinde Aureolus in 1 distinct. 10 quæst. 1, et Durandus ibidem dist. 6 quæst. 2 (quibus hæc congruentia D. Thomæ displicet) objiciunt, falsam esse illam propositionem, nimirum, *amatum esse in amante*, ex qua Angelicus Doctor colligit per amorem produci aliquem terminum intrinsecum correspondentem termino intrinseco, nempe verbo, quod producitur per intellectionem. Hoc autem probant primo. Quia de ratione amoris actualis est esse motum quemdam in rem amatam : et propterea exit quodammodo amans extra se ipsum, et transformatur in rem amatam, ut patet ex illo Matthæi 6 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et ex Augustino tomo 1 lib. 13 Confessionum cap. 9, ubi inquit : *Amor meus pondus meum ; illo feror, quocumque feror* ; et tomo 5 lib. 11 de Civitate cap. 28 : *Ita corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur* : ergo potius amans est in amato, quam amatum in amante. Matth. August.

10. Secunda objectio eorumdem. Secundo. Quoniam amatum non est in amante secundum suam entitatem naturalem, ut ex se constat : neque secundum suam similitudinem, seu secundum suum *esse* repræsentativum : quia habere hoc modo

modo objectum intra se est proprium solius intellectus : ergo nullo modo amatum est in amante. Patet consequentia. Quoniam, sicut res amata tantum habet suam naturam sub hoc duplici modo essendi, scilicet, secundum suam entitatem naturalem, et secundum *esse* repræsentativum : ita duobus his modis tantummodo potest verificari, prædictum amatum esse in amante.

11. Tertia objectio. Tertio (alia tamen via) rationem D. Thomæ impugnant, nempe, quod adhuc dato, amatum esse in amante, non recte colligitur, debere per amorem produci aliquem terminum intrinsecum correspondentem termino intellectionis, nempe verbo. Tum, quia ad hoc ut amatum esset in amante, satis esset dari in voluntate actum amoris, per quem ametur. Tum etiam, quia adhuc in casu dato non idcirco produceretur aliquis terminus : siquidem hic, ut nuper dicebamus, nec esset necessarius per modum objecti prius amati, et in quo objectum ad extra existens amaretur; cum tamen terminus intrinsecus volitionis, et amoris deberet esse volitus, et amatus per prædictum amorem tanquam id, quod immediate amatur, et mediante quo objectum ad extra existens diligitur : neque etiam esset necessarius per modum principii amoris : alioqui non esset terminus illius, sed principium. Tum denique : quia, licet amatum esset in amante, non tamen propterea per amorem deberet produci aliquis terminus, qui corresponderet termino intrinseco producto per intellectionem, nempe verbo, de quo ratio D. Thomæ intelligitur, sed ad summum per quemlibet actum valde intensum produceretur aliquis habitus : hoc autem non est satis ad inferendum, dari in divinis processionem per voluntatem, per quam procedat Spiritus Sanctus. Quoniam habitus procedit per modum principii amoris, non tamen tanquam purus terminus amoris : ergo, cum Spiritus Sanctus non procedat per modum principii amoris, non poterit inde colligi processio ejusdem Spiritus Sancti.

Confirmatur. Quæ omnia confirmari possunt ex eo quod, adhuc concesso, amatum esse in amante, et ad hoc esse necessarium produci aliquem terminum intrinsecum correspondentem termino intrinseco intellectionis; nihilominus inde non colligitur processio Spiritus Sancti, quam D. Thomas in sua ratione colligere intendit : sed hoc præcise colligeretur, ex eo quod in voluntate creata daretur actus amoris. Et ita idem Angelicus Doctor 4 contra Gentes cap. 19 inquit, quod Spiritus Sanctus procedit per modum amoris. Et inde colligit, non procedere ut filium his verbis : *Deus igitur procedens per modum amoris non procedit ut genitus : neque igitur Filius dici potest.* Angel. Doctor.

§ V.

Animadversio duplex ad explicationem rationis D. Thomæ, et solutionem objectionum contra illam.

Objectiones iste facile solvuntur, si vis rationis D. Thomæ explicetur. Ut autem hoc melius capiatur, prænotandum est primo, quod, sicut actio formaliter transiens, et formaliter immanens ut tales ex æquo opponuntur, ita habent rationes formaliter diversas. Et ideo, quemadmodum actio formaliter transiens debet per se loquendo esse extra ipsum agens, et (quod magis ad rem facit) ejus objectum debet esse extra prædictum agens : sic actio formaliter immanens debet esse intra agens, et similiter objectum ejusdem actionis debet esse intra illud : ita tamen, ut in unoquoque genere actionum immanentium debeat objectum esse intra agens, juxta diversum modum et naturam talis agentis, et actionis. Nam, si illa actio sit infimi ordinis, quales sunt actiones vegetativæ, non erit semper necessarium, quod objectum sit intra principium proximum agendi; sed satis erit minor alia conjunctio, ut N. Complutenses in lib. de Anima disp. 8 a num. 8 usque ad 11 docent, et nos disput. 2 hujus tractatus dub. 1 assertione 2 tetigimus. Si vero actio immanens pertinuerit ad altiorem ordinem, nempe ad sensitivum; tunc, si fuerit omnium infima, qualis est actio sensuum externorum, oportebit, ut objectum partim sit intra, et partim extra principium proximum sentiendi. Et propterea sensus externi habent ad intra objectum sensibile unitum eis in ratione objecti motivi; non vero in ratione terminantis actu sensationem externam, ut constat ex illis, quæ nostri Complutenses in lib. de Anima disput. 21 num. 92 docent, et ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 17. diximus.

12. Animadversio prima pro solutione objectionum et explicatione rationis D.Thom.

N. Compl.

N. Compl.

13. Si autem actio immanens habuerit esse magis elevatum, tunc, si fuerit cognitio, et perceptio objecti, habebit objectum ad

intra, tam ut habet rationem objecti constituentis in actu primo potentiam proximam in ratione cognoscitivæ, quam ut habet rationem objecti actu terminantis cognitionem; et non utcumque, sed ita ut vel per se, vel per suam similitudinem sit ad intra, quia hoc natura talis actionis exigit. Si vero fuerit actio immanens partis affectivæ; tunc habebit objectum intra ipsum principium proximum appetendi, tanquam qui constituens illud in actu primo proprie, et in rigore tali, seu per modum virtutis activæ illius, necnon per modum objecti actu terminantis appetitionem ipsam : ita tamen, ut ex vi modi operandi appetitus non debeat esse objectum sic ad intra, vel per suam entitatem, ut habet suum modum essendi naturalem, et entitativum, et simul ut dicit rationem naturæ, vel per suam similitudinem : quia vis appetitiva non exigit illud sic ad intra; sed alio modo, nempe, per modum inclinationis, et propensionis : ex eo quod, ut in hoc dubio explicabimus, unumquodque dicitur esse in inclinatione, et propensione ad se ipsum, et hic modus residendi ad intra est accommodatus vi affectivæ, quæ est propensio quædam, et inclinatio in bonum appetitum.

Cæterum, licet objectum sit his duobus modis in vi appetitiva, v. g. in voluntate, mediante inclinatione et pondere ipsius; attamen, quia ipsa per se, et ratione sui est inclinatio per modum actus primi in suum objectum, ideo hæc inclinatio est ei satis ad hoc, ut objectum sit in illa per modum actus primi, tanquam in inclinatione, et propensione in actu primo ad ipsum. Quia vero voluntas non est inclinatio per modum termini et objecti, de cujus ratione sit terminare actu volitionem : propterea oportet addi aliquod pondus, et inclinationem in ipsa, de cujus ratione sit esse pondus actu terminans volitionem, et mediante quo objectum voluntatis sit ad intra in ratione objecti terminantis actu volitionem.

14. Animadversio secunda. Prænotandum est secundo, quod sicut intellectio v. g. quia debet habere duobus modis jam dictis objectum intra intellectum, ideo, si intellectus non habeat illud ad intra secundum suam entitatem, debet esse ei unitum secundum suam similitudinem : ita in volitione, quoties objectum non potest uniri cum voluntate per se ipsum, non quidem ut dicit rationem naturæ, sed ut habet rationem impulsus, et ponderis (quem modum unionis ipsa petit), tunc debet esse intra voluntatem secundum aliquod aliud pondus supplens defectum objecti.

Et quemadmodum in intellectione, quando objectum in ratione objecti motivi habet esse intra intellectum; non autem in ratione objecti actu terminantis intellectionem (ut contingit dum Angelus intelligit se ipsum, juxta illum satis probabilem dicendi modum quem tomo 1 tractatu 2 disputatione 2 adduximus) tunc prædictum objectum per aliquid superadditum trahi debet ad intellectum in ratione objecti actu terminantis intellectionem; non vero in ratione objecti motivi : ita in volitione, quia objectum illius semper est intra voluntatem in ratione objecti (ut sic dicamus) motivi (id est, illo speciali modo, quo est intra illam, constituens eam intrinsece in actu primo ad volendum, nempe, ratione inclinationis voluntatis in illud) propterea nec indiget se ipso, ut secundum suam entitatem est distinctum ab inclinatione voluntatis in ipsum, nec aliquo alio, ad hoc ut sit hoc modo intra voluntatem; sed sufficit prædicta inclinatio, et natura voluntatis, sive secundum nativa, ut cum vult objecta proportionata, sive secundum ea, quæ habet quatenus est elevata, ut cum vult supernaturalia ut talia : quia ex ipsa inclinatione nativa, et ex elevatione fit integra voluntas respectu prædictarum rerum supernaturalium.

Cæterum, quia objectum non semper est unitum voluntati in ratione objecti actu terminantis volitionem : idcirco tunc debet esse ad intra mediante aliquo termino denuo superaddito, qui sit ad instar objecti per se ipsum sic uniti cum voluntate, ac proinde qui habeat rationem ponderis, et impulsus : sicut objectum hoc modo est per se unitum voluntati, quando per se ipsum est ad intra in ratione objecti actu terminantis dilectionem ut in divinis cernitur.

Tandem, quemadmodum, cum intellectio est infinitæ perfectionis, tunc, etsi habeat ad intra objectum duobus modis jam dictis, est infinite fœcunda, et ratione hujus fœcunditatis, non vero ex indigentia producit terminum ad intra, per quem iterum objectum in ratione objecti actu terminantis sit intra intellectum, ut in divinis cernitur; ita in voluntate, quando volitio fuerit infinite perfecta, tunc etiam erit infinite fœcunda : et licet habeat ad intra 15.

tra objectum his duobus modis, nihilominus ratione fœcunditatis, non vero ex indigentia producet terminum ad intra, per quem objectum amatum iterum fit in ratione objecti terminantis volitionem in voluntate, quique habeat rationem impulsus, et inclinationis, ut ita sit idoneus ad hoc, ut prædictum objectum iterum sit intra voluntatem modo sibi debito, et eo proportionali modo, quo in verbo producto ex pura fœcunditate dicitur Deus esse intra suum intellectum.

§ VI.

Ratio D. Thomæ ex animadversionibus adductis elucidatur.

16. ...prædictis ...imadversionibus ...ucleatur ...Thom. His ergo suppositis, satis apparet vis congruentiæ adductæ a D. Thoma ad probandum, dari in divinis aliam processionem a processione Verbi, quæ, ut magis elucidata maneat, potest ex nuper dictis ad hanc formam reduci. Quoniam in actionibus immanentibus, et creatis, qualis est volitio, debet objectum esse intra principium proximum, v. g. in voluntate per modum objecti actu amati, seu actu terminantis amorem, ac proinde per modum impulsus, et ponderis : quia hoc exigit natura voluntatis, et modus, quo petit objectum terminans volitionem esse ad intra, ut ex primo notabili patet : ergo per volitionem creatam semper producetur hæc inclinatio, et pondus, per quod amatum sit in amante per modum objecti amati, seu actu terminantis amorem : ergo etiam per voluntatem divinam producetur sua inclinatio, et pondus, per quod Deus sit in se ipso tanquam amatum in amante, seu per modum objecti actu terminantis amorem, quod est dari in divinis aliam processionem amoris præter processionem Verbi.

Prima consequentia patet ex secundo notabili. Quoniam objectum dilectum per voluntatem creatam, si sit finitum, non habet sufficientem actualitatem ad hoc, ut uniatur per se in ratione objecti actu terminantis amorem, seu per modum termini, qui sit impulsus, et pondus in idem objectum, de cujus ratione sit actu terminare amorem : sicut objectum creatum, et intellectum non habet sufficientem actualitatem ad hoc, ut in ratione objecti intellecti uniatur per se ipsum cum intellectu ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 n. 248 latius diximus. Si vero sit infinitum, tunc satis probabile est, quod non ex defectu actualitatis, sed ex alio capite (quod in hoc eodem dubio adducemus) nequit prædictum objectum per se ipsum uniri cum voluntate creata per modum termini, et impulsus actu terminantis volitionem : et ideo oportet, ut superaddatur, et producatur terminus alius, qui sit pondus, et inclinatio in objectum amatum, et per quem objectum sit in amante per modum objecti actu terminantis amorem : quamvis etiam probabile sit, quod, cum objectum volitum est infinitum, et clare visum, quale est divina bonitas amata a beatis, tunc possit per se ipsum uniri cum voluntate in ratione objecti actu terminantis amorem : atque adeo non desideratur tunc aliud pondus, et inclinatio producta per volitionem.

Ex quo etiam, et ex dictis in notabili secundo probatio secundæ consequentiæ deducitur. Quoniam, licet volitio infinita non producat terminum ex indigentia, quia respectu illius amatum est per se ipsum in amante, adhuc in ratione objecti actu terminantis amorem ; attamen debet illum producere ex fœcunditate, et ut amatum sit quasi bis in amante per modum termini, et objecti actu terminantis amorem. Sicut, licet intellectio infinita, nempe Dei, non producat verbum ex indigentia, quia essentia divina est unita cum suo intellectu, tam in ratione objecti motivi, quam in ratione objecti actu terminantis intellectionem : nihilominus producit illud ex fœcunditate, et quia ratione hujus summæ fœcunditatis, et perfectionis debet essentia divina esse quasi bis in intellectu Dei per modum objecti actu intellecti, seu terminantis actu intellectionem divinam. Et hæc est vera explicatio rationis adductæ a D. Thoma D.Thom. art. 3 hujus quæstionis, quæ quidem sic intellecta habet (supposita tamen fide) esse satis congruam ad intentum S. Doctoris probabiliter suadendum.

Huc etiam tendit discrimen illud, quod 17. in schola D. Thomæ solet assignari inter actiones immanentes, et creatas, quales sunt actiones intellectus, et voluntatis; et inter actiones formaliter transeuntes : quod illæ non necessario producunt ad intra terminum distinctum, ut N. Complutenses in N. Compl. libris de Anima disputatione 21 num. 86 docent, et nos in 1 tomo tractatu 2 disputatione 2 num. 207 tetigimus. Nam consulto in hoc discrimine non dicitur, quod prædictæ actiones immanentes non debent habere terminum ad intra, sed quod non

debent producere illum : quia actiones istæ ad suam consummatam perfectionem, et ut in *esse* quieto versentur circa sua objecta, debent esse ad intra terminatæ, et completæ, vel per suum objectum terminans ad intra, vel, ob defectum hujus, per terminum aliquem supplentem hanc absentiam objecti : et ita solum producunt terminum, quando objectum non est ad intra unitum in ratione objecti actu terminantis : et tunc non producunt illum tanquam terminum, ad quem ipsæ ordinentur, quia non sunt proprie motus ad illum ; sed potius producunt eum propter se ipsas. Et ideo, ut docent nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 16 n. 13, non habent rationem motus proprie talis, qui est actus imperfecti, de quo in 3 Physicorum dicitur, quod *est actus entis in potentia, etc.* sicut illam habent actiones transeuntes, quæ ordinantur ad suos terminos, et sunt propter illos producendos. Unde in hoc excellentia prædictarum actionum immanentium supra transeuntes consistit, ob idque non sunt modi terminorum per illas productorum, sicut actiones transeuntes; sed sunt entitates veræ : licet, quia habent rationem operationis vitalis immanentis, et creatæ versantis circa sua objecta, debeant esse unita, et conjuncta cum illis (modo jam insinuato) ut cum objectis terminantibus eas, vel cum aliquo supplente eorum defectum, ut in *esse* quieto, et completo versentur circa ipsa.

N. Compl.

§ VII.

Solvitur prior objectio contra rationem D. Thomæ.

18. Ex dictis solvitur prima objectio Valentiæ. Cajetan. Bannez. Zumel. Nazar. Molina. Vasquez. Arrubal. Granado. Capreol. Ferrara.

Ex his ergo ad rationes factas contra rationem D. Thomæ non erit difficile occurrere. Unde ad primam pro sententia Valentiæ dicendum est cum Cajetano, Bannez, Zumel, Nazario, Molina, Vasquez, Arrubal, Granado, et aliis in præsenti; necnon cum Capreolo in 1 distinct. 10 et dist. 27 quæst. 2 ad 3 secundo loco contra primam conclusionem, et Ferrara 4 contra Gentes cap. 19, optimum esse fundamentum Angelici Doctoris, nempe, quod sicut per intellectionem creatam producitur aliquis terminus intrinsecus, scilicet verbum : ita etiam per *velle* creatum efficiatur aliquis terminus intrinsecus correspondens verbo mentis, per quem voluntas inclinetur actualiter in objectum amatum. Et propterea D. Augustinus lib. 14 de Trinitate cap. 8 et D. Thomas infra quæst. 93 artic. 7 docent, hominem habere imaginem Trinitatis in mente, quia assimilatur illi in productione verbi, et termini amoris : alioqui, si solum esset ei similis in cognitione, et amore, non assimilaretur ipsi secundum rationem Trinitatis; sed secundum essentialia. Neque contra hoc aliquid convincit testimonium illud D. Thomæ, quod pro se adducit Valentia. Quoniam, ut optime notavit Cajetanus in præsenti, hæc est differentia inter intellectum, et voluntatem : quod res, quæ in intellectu est terminus, habet modum, et nomen termini; res vero terminans in voluntate, licet re ipsa, seu de facto sit terminus, nec modum, nec nomen habet termini : quoniam et est, et significatur ut in aliud tendens. Constat autem, quod in aliud tendere conditio est, non termini, sed viæ, et actionis. Et propterea D. Thomas in illo testimonio ex quæst. de Veritate inquit, quod per voluntatem non producitur aliquid, nisi per modum operationis.

D. Aug. D.Thom. Cajetan. D.Thom.

19. Respondetur aliter ad eamdem objectionem. Capreol. Scot. Bergom. Ferrara.

Secundo respondetur cum Capreolo in 1 distinct. 10 q. 1 ad 1, Scot. Bergomensi dub. 120, Ferrara 4 contra Gentes cap. 19 § *Ad hoc respondetur*, divum Thomam solum velle, quod per volitionem non producitur aliquis terminus, qui sit imago, et similitudo rei volitæ; sicut per intellectionem fit aliquis terminus, nempe verbum, quod habet rationem imaginis, et similitudinis respectu rei intellectæ. Quæ explicatio desumitur ex D. Thoma de Potentia quæst. 10 art. 2 ad 11 et quæst. 10 de Veritate art. 9 ad 7 his verbis : *Dicendum, quod motus, vel operatio cognitivæ partis perficitur in ipsa mente. Et ideo oportet ad hoc, quod aliquid cognoscatur esse similitudinem aliquam in mente, maxime si per essentiam suam non conjungatur menti ut cognitionis objectum. Sed motus, vel operatio affectivæ partis incipit ab anima, et terminatur ad res : et ideo non requiritur in actu similitudo rei, quæ informetur, sicut in intellectu.* Ubi, ut vides, non negat D. Thomas, produci aliquem terminum intrinsecum per volitionem; sed quod talis terminus non habet rationem similitudinis respectu rei volitæ.

D.Thom.

20. Replica.

Nec refert, si urgeas, quod juxta explicationes datas male colligeret Angelicus Doctor id, quod in fine illius solutionis ad 7 concludit, nempe, quod amor non dicatur personaliter in divinis, ex eo quod non se

se habet per modum termini producti. Nam, si re vera habet rationem talis, tunc, quamvis nec sit similis rei amatæ, neque habeat modum termini, dicetur personaliter : siquidem, quod est terminus processionis in divinis, dicitur personaliter, sive hoc, sive illo modo procedat.

[…]lutio. […]jetan. Respondetur enim, quod (ut optime notavit Cajetanus in hoc articulo) ea, quæ pertinent ad voluntatem, non sunt ita nota, sicut quæ spectant ad intellectum : et propterea nec sunt imposita tot nomina ad significanda illa, quot ad denotanda ea, quæ spectant ad intellectum; sed eodem nomine, nempe, nomine amoris, solent significari, tam ipse actus amandi, quam terminus intrinsecus ejusdem actus; quamvis prædictum nomen amoris per se primo impositum sit ad significandum actum amandi, et postea extensum fuerit ad denotandum terminum intrinsecum ipsius. Sicut etiam propter eamdem penuriam nominum processio per voluntatem explicatur nomine communi processionis : et idcirco Spiritus Sanctus, qui est terminus illius, nuncupatur nomine communi procedentis, juxta illud Symboli Athanasii : *Spiritus Sanctus non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quare, cum D. Thomas in fine illius solutionis sic concludit : *Unde amor non ita se habet ad hoc, ut dicatur personaliter, sicut verbum,* solum voluit, quod, quia amor per se primo significat actum amoris, et verbum per se primo denotat terminum dictionis, ideo amor secundum id, quod primario denotat, non dicitur personaliter; licet sic dicatur, si sumatur pro termino amoris, ut expresse docet idem S. Doctor infra quæst. 37 artic. 1.

([…]ymb. […]than. — […]Thom. — […]dem.)

§ VIII.

Solutio secundæ objectionis contra eamdem rationem D. Thomæ.

21. […]nodatur secunda objectio […]alentia. Ad secundum respondetur cum nostris Complutensibus in lib. de Anima disput. 21 n. 90 concedendo, proprium esse intellectus trahere res ad se, et proprium esse voluntatis trahi ad res ipsas. Cæterum inde non sequitur, non produci aliquem terminum intrinsecum per amorem. Quoniam intellectus non ideo dicitur trahere res ad se, quia producit utcumque terminum intrinsecum; sed quia talis terminus est similitudo actualissima objecti intellecti, ac proinde est prædictum objectum in *esse* cognoscibili. Unde nihil prohibet, quod per amorem producatur aliquis terminus, qui non sit similitudo objecti; sed solum inclinatio actualis per modum termini in rem amatam, ratione cujus amatum sit in ipso amante modo proprio petito a voluntate.

Et ratio est. Quoniam amatum non est in amante ratione prædicti termini, nisi quatenus talis terminus est quædam inclinatio, et impulsus per modum termini in illud, et unaquæque res dicitur esse quodammodo in inclinatione, et impulsu, quo aliud fertur in ipsam, ratione proportionis et convenientiæ, quæ est inter utrumque. Constat autem, quod hoc modo esse aliquid in appetitu non tollit, quominus proprium sit ejusdem appetitus ferri in res, prout sunt in se ipsis. Quia, ut optime notavit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 19, hoc ipso quod amatum sit modo isto in amantis appetitu, sive voluntate, est in illa ut inclinans, et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam. Et propterea Cajetanus, et Nazarius artic. 3 hujus quæstionis inquiunt, quod fieri, ut amatum sit in voluntate, non est fieri, quod sit in illa ut tractum; sed ut trahens ipsam voluntatem : eo quod amari non est trahi; sed trahere amantem. D.Thom. Cajetan. Nazar.

Explicatur hoc magis assignando differentiam, quæ inter intellectum et voluntatem, quoad hoc intercedit. Etenim, licet intellectus mediante verbo transeat ad intelligendum objectum secundum esse naturale et entitativum, quod in se habet; et similiter voluntas mediante termino, quem producit, transeat ad amandas res, prout sunt in se ipsis : aliter tamen, et aliter. Nam verbum ita mediat, ut sit ratio formalissima, sub qua objectum ad extra terminat intellectionem : quia proprium est intellectus terminari ad res prout sunt ad intra : ac proinde, licet objectum ad extra, saltem multoties, habeat ex propriis meritis, quidquid requiritur ex parte rationis formalis *quæ* ad terminandam intellectionem; non tamen quidquid ex parte rationis formalis *sub qua* ex parte objecti intrinsece se tenentis desideratur. Quoniam ratio hæc non est veritas, aut entitas objecti ad extra existentis ut talis, seu ut habet *esse* naturale et entitativum; sed veritas, aut entitas verbi formaliter sumpti, seu ejusdem objecti, ut habet *esse* in verbo. 22. Amplius explicatur solutio.

Cæterum impulsus ille, qui per modum termini producitur per voluntatem ad hoc, ut objectum amatum sit etiam per modum

termini in amante, præcise se habet per modum objecti intermedii respectu objecti amati, et solum assumitur ut medium ad perveniendum ad objectum amatum; non vero se habet per modum formalissimæ rationis ex parte objecti se tenentis, ratione cujus objectum amatum habet formaliter terminare, et specificare volitionem. Quoniam ipsa bonitas objecti est id, quod ex parte ejus desideratur ad hoc, ut ex parte sua habeat rationem objecti formalis specificantis volitionem, et amorem : ut ita, per hoc quod detur in voluntate prædictus terminus productus, per volitionem, et manens ad intra verificetur id, quod ex D. Thoma, et fere omnibus Theologis dicitur, nempe, amatum debere esse in amante : et insuper, propter discrimen nuper assignatum inter terminum intellectionis, et volitionis, salvetur maxima illa communi calculo recepta, scilicet, quod intellectus fertur in res, prout sunt ad intra; voluntas vero ad easdem prout sunt ad extra, et in se ipsis, ex eo quod bonum non est conveniens, nisi ut in se habitum; est autem intelligibile, prout non in re sed in apprehensione est consequibile : et ideo, semel sic habito, intellectus non curat de assecutione ejus prout est ad extra.

§ IX.

Diluitur utraque confirmatio secundæ objectionis contra rationem D. Thomæ.

23. Respondetur ad primam confirmationem ejusdem secundæ objectionis. Ex quo ad primam confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis desumitur ex dictis. Quoniam sensus externi tenent infimum locum in ratione virtutis cognoscitivæ, et ob hanc imperfectionem tantum habent ad intra objectum per modum objecti motivi; non vero per modum objecti ad intra actu terminantis, et propterea non producunt verbum, vel aliquid, quod sit ad instar verbi : ac proinde hoc, quod est videri, seu actu terminare visionem, neque in objecto viso, neque in aliquo alio objecto ad intra est quid intrinsecum, sed solum denominatio extrinseca proveniens a visione. Cæterum aliæ virtutes cognoscitivæ, quales sunt imaginativa, et intellectus, et virtutes affectivæ eis correspondentes sunt elevatiores, et ideo, ut dicebamus, debent habere objectum sibi unitum ad intra in ratione objecti dilecti, seu terminantis actu dilectionem : et per consequens debent producere terminum ad intra, quoties objectum per se ipsum non unitur ad intra cum illo in ratione objecti actu terminantis ejus operationes.

Ad secundam confirmationem. Ferrara. Ad secundam confirmationem negatur antecedens cum Ferrara 4 contra Gentes cap. 19 § *Respondetur quod Spiritus Sanctus*, ubi inquit, quod sicut *esse* verbi est *intelligi*, seu esse objectum actu, et ex propriis meritis terminans intellectionem : ita *esse* termini producti per voluntatem est *amari*, et esse aliquid, de cujus ratione sit actu terminare utcumque volitionem. Tum, quia, cum prædictus terminus pertineat ad voluntatem, et non ut actualis amor, aut principium ejus, oportet, ut pertineat ad illam tanquam objectum (modo jam insinuato) amatum. Tum etiam, quia, ut docet D. Thomas 1 parte quæst. 16 artic. 4 D.Thom. necnon et Capreolus in 2 distinct. 24 Capreol. quæst. 1 artic. 1 ad 1 contra primam conclusionem, actus voluntatis est volitus ut objectum, quatenus est proprium illius reflecti supra se ipsum. Et propterea idem S. Doctor 2, 2, quæst. 25 artic. 2 ait, quod Idem S. Doctor. ex hoc ipso, quod aliquis amat aliquid, consequenter amat se amare, et hoc esse de ratione amoris : ac proinde etiam terminus ejusdem actus erit etiam volitus ut objectum : siquidem, quoties prædictus terminus fit, debet voluntarie, et spontanee produci, sicut ipse actus voluntatis : et ita debet ob hanc rationem eodem proportionali modo esse etiam volitus per modum objecti habentis se ad instar medii, ad hoc ut voluntas transeat ad objectum, quod est ad extra.

24. Replica. Nec refert, si urgeas, quod hinc fiet, non posse non terminum productum per voluntatem esse rationem formalissimam terminandi respectu objecti amati, et ad extra existentis, si semel talis terminus consistit essentialiter in *amari*, seu in hoc, quod est esse actu terminantem actum voluntatis : cujus tamen oppositum nuper dicebamus : ergo, etc. Sequela probatur. Quia terminus productus per intellectionem, scilicet verbum, ob hanc solam rationem habet esse formalissimam rationem terminandi intellectionem respectu objecti intellecti, et ad extra existentis, ex eo scilicet, quod quidquid essentialiter est tale, habet ratione sui esse tale, et cætera alia ratione illius, et non aliter debent esse talia.

Responsio. Respondetur distinguendo sequelam : *Si consistit* (ut re vera consistit) *essentialiter in amari*, per modum objecti præcise intermedii,

intermedii, et assumpti tantummodo ut medius ad pertingendum ad objectum ad extra existens, neganda est : *Si consistit essentialiter amari*, ut in objecto, non præcise intermedio, sed ut in objecto formalissimo, concedenda est sequela. Cæterum esse hoc ultimo modo objectum voluntatis non convenit prædicto termino; sed potius, licet a se habeat esse objectum intermedium, nihilominus formalissimam rationem, sub qua cadit sub voluntate, habet a bonitate objecti ad extra existentis. Quia, sicut voluntas fertur ad res, prout sunt ad extra; ita fertur ad ea, quæ sunt ad intra, nempe ad hunc impulsum, et terminum ratione bonitatis, quæ est ad extra, tanquam ratione formalissima, *et sub qua* : et ideo est mutua causalitas inter hunc terminum, et bonum ad extra : quatenus terminus iste deservit prædicto objecto per modum objecti intermedii, et modo explicato; cum tamen bonitas objecti ad extra sit ratio formalissima sub qua amatur.

25. Et ad probationem sequelæ negandum est antecedens. Quia verbum non habet esse formalissimam rationem *sub qua* terminandi respectu objecti ad extra, quia est utcumque essentialiter intellectum; sed quia est essentialiter intellectum per modum objecti formalissimi : et hoc non aliunde deducitur, quam ex peculiari modo tendendi intellectus consistentis in hoc, quod tendat ad res, prout sunt ad intra.

Explicatur maxima a replica adducta.

Ad maximam autem ibidem adductam, scilicet, quod quidquid essentialiter est tale, habet ratione sui esse tale, et cætera alia ratione illius, et non aliter sunt talia, dicendum est, debere explicari cum debita proportione in objectis pure intermediis, et in objectis formalissimis : ita quidem, ut illud, quod essentialiter habuerit esse objectum pure intermedium, se ipso habeat esse tale, et non possit perveniri ad objectum ultimum, et specificans, nisi prædictum objectum mediet, quando objectum est talis conditionis, ut se ipso nequeat uniri cum potentia in ratione objecti terminantis ejus operationem. Et similiter illud, quod habuerit essentialiter rationem objecti formalissimi, habeat ex se ipso formalissime terminare, et quod nihil formalissime terminet, nisi sub ratione illius. Unde, quia terminus intrinsecus, et actualis productus per volitionem consistit essentialiter in *amari* illo priori modo : propterea terminus, et objectum ad intra per voluntatem productum non est formalissima ratio, sub qua objectum ad extra amatur. Quia vero terminus intellectionis situs est in *intelligi*, seu in hoc, quod est esse objectum intellectionis hoc posteriori modo : propterea, dum objectum nequit per se uniri in ratione objecti intellecti, tunc nihil terminat intellectionem, nisi verbum ipsum, vel ratione illius tanquam formalissimæ rationis terminandi ex parte rei intellectæ se tenentis : non secus, proportione servata, ac contingit in specie intelligibili impressa, quæ quidem essentialiter habet esse objectum motivum intellectus, *ut quo* : et propterea nihil movet illum, nisi ipsa, vel ratione illius : et inde est, ut ipsa objectum reddat intelligibile.

§ X.

Enodatio reliquarum objectionum contra rationem D. Thomæ.

26. Et similiter argumenta Aureoli, et Durandi non urgent. Nam ad primum dicendum est, quod, licet per amorem amans sit in amato, nihilominus per eumdem amorem, et terminum intrinsecum productum per illum etiam amatum est in amante. Quoniam, ut statim dicemus, ibi est aliquo modo res, ubi est inclinatio, et pondus in illam. Et propterea, licet in locis relatis in hoc argumento significetur, amantem esse in amato, in aliis tamen denotatur, debere amatum esse in amante, ut Canticorum 8 : *Pone me ut signaculum super cor tuum*. Et ad Philippenses 1 : *Eo quod habeam vos in corde*. Et utrumque significatur in illo 1 Joannis 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Quod etiam explicat D. Thomas 1, 2, quæst. 28 artic. 2.

Occurritur primæ objectioni Aureoli et Durandi.

Cantic 8.

Ad Philip. 1.

1 Joan. 4.

D. Thom.

27. Ad secundum pro eadem sententia Aureoli respondetur, quod etiamsi non sit necessarium, amatum esse in amante secundum suam entitatem, nec etiam secundum suam similitudinem, ita ut secundum hanc sit in voluntate amantis; nihilominus adhuc verificatur, amatum esse in amante : quia superest tertius alius modus, quo aliquid est in alio, nempe, ex eo quod detur in eo pondus, et inclinatio ad illud. Sicut centrum dicitur esse quodammodo in gravi, et locus sursum in levi : quia in ipso est inclinatio, et pondus ad prædictum centrum, ut notavit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 19 his verbis : *Sic igitur, quod amatur, non solum est in intellectu aman-*

Solvitur secunda objectio ejusdem Aureoli.

D. Thom.

tis, sed etiam in voluntate ipsius : aliter tamen, et aliter. In intellectu enim est secundum similitudinem suæ speciei : in voluntate autem amantis est sicut terminus motus in principio motivo proportionato per convenientiam, et proportionem, quam habet ad ipsum. Sicut in igne quodammodo est locus sursum ratione levitatis, secundum quam habet convenientiam, et proportionem ad talem locum : ignis vero generatus est in igne generante per similitudinem suæ formæ.

28. Idem. Ratio autem, propter quam aliquid dicitur esse in alio mediante prædicta inclinatione, tacta est a D. Thoma loco nuper citato, quæ potest confirmari et elucidari. Tum ex eo, quod hæc inclinatio causatur ab amato, saltem in genere causæ finalis, ac proinde est virtus proportionata ipsius impressa amanti ad hoc, ut tendat in ipsum amatum : unumquodque autem dicitur esse in virtute sibi proportionata, et a se alteri impressa. Tum etiam ex eo quod, sicut objectum est in intellectu mediante verbo, et specie intelligibili receptis in ipso intellectu, quia per hæc habet objectum rationem objecti intelligibilis, et intellecti, unumquodque ibi dicitur esse, ubi est forma constituens illud in aliquo esse : ita objectum amatum erit in voluntate mediante hac inclinatione, et termino intrinseco recepto in voluntate : quia prædictus terminus quodammodo habet tribuere rei amatæ, quod sit amata, quatenus est veluti medium requisitum ad hoc, ut voluntas amando transeat in rem amatam : et unumquodque dicitur quodammodo esse in eo, quod habet rationem medii, aut quasi medii per se ordinati ad illud, et habentis proportionem, et commensurationem cum ipso. Unde, sicut objectum intellectus, non utcumque, sed in ratione objecti intelligibilis, et intellecti debet esse in intellectu : ita amatum, non utcumque, sed in ratione objecti amabilis, et amati debet esse in voluntate : quia in ea est inclinatio per modum potentiæ, sive in actu primo in objectum amatum, necnon et inclinatio per modum actus secundi, et termini actualissimi tendentis in ipsum.

Ex quo etiam magis intelligitur, quomodo per amorem, et terminum istum intrinsecum amans sit in amato ; et rursus amatum sit in amante. Nam, quatenus amans tendit per amorem, et terminum istum intrinsecum in amatum, dicitur, amantem esse in eodem amato. Cæterum, quatenus hic amor, et terminus intrinsecus illius sunt virtutes impressæ amanti ab amato, et ratione illarum habet (modo dicto) res amata, quod sit objectum amatum, dicitur res amata esse mediante eodem amore, et ejus termino in amante.

Ad tertium negandum est antecedens. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo non sit satis actus amoris absque termino intrinseco producto per illum ad hoc, ut amatum debitis sibi modis sit in amante. 29. Respondetur ad tertiam objectionem.

Ad secundam vero probationem patet etiam ex dictis. Ad ultimam neganda est major. Quoniam habitus, ut in eadem probatione dicitur, non est per se primo institutus ad terminandum amorem, et ad hoc ut sit objectum ad intra; cum tamen prædictus terminus debeat hoc habere.

Ad confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, falsum esse, quod Spiritus Sanctus procedat ut actus amoris ; non vero ut terminus illius. Tum, quia in divinis admittenda est potentia spirativa, quæ sit principium Spiritus Sancti, ut ostenditur infra cum D. Thoma quæst. 41 articulo 3. Constat autem ex his, quæ docet idem Angelicus Doctor supra quæst. 25 articulo 1 ad 3 in divinis non dari potentiam respectu actionis divinæ secundum se, sed ratione sui termini. Tum etiam, quia juxta eumdem sanctum Doctorem de Veritate quæst. 4 artic. 2 ad 7 in Deo non est distinctio realis operationis ab operante, sed producti a suo principio producente : ex eo quod principium operandi, et operatio ipsa comparantur per modum (ut sic dicamus) perfectibilis, et perfectionis illius : quæ autem sic in divinis conferuntur, solum distinguuntur ratione. Quare, cum Spiritus Sanctus procedat, ut realiter distinctus a suo producente, oportet, ut non procedat per modum actus amoris; sed per modum termini illius. Tum denique, quia, sicut persona procedens per intellectum in divinis non est intellectio ipsa essentialis, aut notionalis; ita etiam persona procedens per voluntatem non erit actus amoris essentialis, aut notionalis. Ad confirmationem. Angel. Doctor.

Nec obest testimonium D. Thomæ ibidem adductum. Nam S. Doctor (sicut et alii Patres) utitur nomine amoris ad significandum terminum ipsius amoris : ex eo quod non habemus sufficientia nomina ad denotanda omnia, quæ reperiuntur in voluntate, ut notavit idem D. Thomas infra quæst. 37 art. 1 his verbis : *Ex parte autem* 30. Non favet Aureolo testim. D.Thom. D.Thom.

tem voluntatis, præter diligere et amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc, quod amat, ad suum principium, aut converso. Et ideo propter vocabulorum inopiam hujusmodi habitudines significamus vocabulis amoris, et dilectionis : sicut si Verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. Sic igitur, in quantum in amore, vel dilectione non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam, amor, et diligere essentialiter dicuntur ; sicut intelligentia, et intelligere. In quantum vero his vocabulis utimur ad exprimendam habitudinem ejus rei, quæ procedit per modum amoris, ad suum principium, et e converso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, et per diligere intelligatur spirare amorem procedentem, sic amor est nomen personæ, et diligere, vel amare est verbum notionale, sicut dicere, vel generare.

§ XI.

Opposita sententia, et primum ejus fundamentum, necnon ejus enodatio.

31. Hæreticorum sententia et primum fundamentum. Oppositum tamen nostræ assertioni innuunt aliqui Hæretici, potestque probari primo. Quoniam processio Verbi est infinita in ratione processionis, sicut misericordia divina est infinita in ratione misericordiæ : ergo nequit in divinis dari alia processio præter processionem Verbi. Patet consequentia. Nam propterea in Deo tantum potest dari unica misericordia, quia hæc in illo est infinita in ratione misericordiæ.

Confirm. 1. Confirmatur primo. Quoniam per processionem Verbi communicatur illi omnis perfectio excogitabilis : ergo talis processio est infinita, dicens omnem excogitabilem perfectionem in ratione processionis : siquidem eo crescit processio in perfectione, quo crescit in ea terminus per processionem productus : ac proinde prædicta processio exhauriet totam vim, quæ est in Deo ad hoc, ut ab illo aliquid ultra procedat ad intra.

32. Confirm. 2. Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam, hoc ipso quod per processionem per intellectum communicetur Verbo omnis perfectio excogitabilis, communicetur ei natura divina, quantum communicabilis est ad intra : ergo non poterit dari in divinis communicatio alia per voluntatem. Antecedens probatur. Quia alioqui illa communicatio esset imperfecta : siquidem per eam non communicaretur natura divina, quantum communicabilis est. Consequentia vero probatur. Quia, semel communicata natura divina quantum communicabilis est, non restat alia communicatio, per quam possit ultra communicari : alias per priorem communicationem non esset communicata, quantum communicabilis est : ergo non erit dabilis alia processio ad intra per voluntatem. Nam, hac data, necesse est, ut per illam re ipsa natura divina communicetur, ut ex se, et ex dicendis in hac disputatione constabit.

Confirmatur tandem. Quoniam uni naturæ tantum correspondet unicus modus communicationis, per quam ab habente illam communicetur ; siquidem actiones communicantes naturam non sunt multiplicabiles, non multiplicatis terminis formalibus, nempe, ipsis naturis : ergo, si semel per intellectum communicatur natura divina, non erit dabilis alia species actionis, quæ sit communicativa ejusdem naturæ. Confirm. 3.

Respondetur negando antecedens, si intelligatur de processione Verbi divini secundum ea, quæ præcise intra propriam lineam exprimit. Nam secundum hanc rationem tantum est infinita in ratione generationis non vero in ratione processionis. Neque est simile id, quod ibidem de misericordia divina adducitur. Quoniam linea misericordiæ est linea quædam (ut sic dicamus) atòma : at linea processionis divinæ est (ut sic loquamur) subalterna ; sicut ratio attributi divini dicit etiam lineam subalternam. Unde, sicut misericordia Dei est infinita in ratione misericordiæ, non vero in ratione attributi divini, id est, ita ut ex vi suæ lineæ formalissime consideratæ dicat omnem perfectionem, et rationem spectantem ad quodlibet attributum : et propterea, ultra attributum misericordiæ, possunt in Deo dari alia attributa : sic processio Verbi dicens lineam quamdam atomam, nempe *intelligere* Dei connotando Paternitatem, si sumatur cum præcisione eorum, quæ formalissime intra propriam lineam dicit, erit infinita in ratione generationis ; non vero in ratione processionis : ita ut ex vi suæ lineæ præcise dicat omnem perfectionem, et rationem, quæ invenitur in linea subalterna processionis divinæ, et cujusvis processionis sub illa contentæ. 33. Corruit fundamentum hæreticorum.

Diximus, negandum est antecedens, *si*

intelligatur de processione Verbi divini, secundum ea, quæ præcise intra propriam lineam exprimit. Non quidem quia prædicta processio adhuc identice dicat, quidquid importat linea processionis divinæ subalterna; sed quia saltem identice importat omnem perfectionem in prædicta linea subalterna repertam : ex eo quod prædicta perfectio provenit a rationibus absolutis, non vero a relativis : et rationes absolutæ identificantur cum quavis ex divinis processionibus, et in eis per modum transcendentis imbibuntur; cum tamen processiones ipsæ realiter inter se ratione relationum, quæ saltem per modum connotatorum ab eis importantur, debeant distingui.

34. Solutio ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem concedendum est antecedens intellectum de Verbo divino, ut est terminus adæquatus suæ processionis, id est, ut concipitur quoad omnia, quæ per prædictam processionem consideratam præcise intra suam lineam ei communicantur. Et deinde neganda est consequentia. Quia ad communicandam Verbo Dei sic sumpto omnem excogitabilem perfectionem, id est, tam essentiam Dei, quam attributa, satis est, quantum est ex parte processionis, per quam procedit, quod talis processio sit infinita in ratione processionis Verbi, seu in ratione generationis; quamvis non sit infinita in ratione processionis, id est, quamvis ex vi suæ lineæ formalissime sumptæ non dicat formalissime loquendo omnem rationem, et perfectionem, quæ in linea subalterna processionis divinæ ut sic clauditur; licet eam identice, et per modum transcendentis afferat, ex eo quod, quidquid est in Deo, eo ipso habet identificari cum aliis perfectionibus divinis ut talibus, et includere per modum transcendentis omnem excogitabilem perfectionem in Deo repertam.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod, etsi eo crescat processio in perfectione, quo crescit in ea terminus modo dicto adæquatus per illam productus, ad hunc sensum, quod debet servari proportio inter perfectionem processionis, et termini per illam producti; non tamen ita, ut quidquid perfectionis formaliter, et expresse reperitur in termino isto, reperiatur etiam eodem modo in processione, ut constat in processionibus creatis; sed satis erit, quod, si terminus habeat per modum filii omnem excogitabilem perfectionem, tunc processio illius sit in ratione generationis infinite perfecta : quia in hac est debita proportio ad communicandam suo termino, nempe filio, omnem excogitabilem perfectionem.

35. Additamentum. Adde, quod, etsi Verbo communicetur ex vi suæ processionis omnis excogitabilis perfectio in esse entis; non tamen, quod habeat illam omni excogitabili, quo in ratione termini potest prædicta perfectio communicari : nam talis perfectio potest in ratione termini alio modo communicari, ita ut, quod terminat processionem formaliter, et per se primo, non sit ipsa natura divina; sed ipse amor divinus : et secundum hunc modum non communicatur Verbo omnis perfectio divina : et propterea restat, ultra processionem Verbi, alius modus communicandi divinam perfectionem, nempe per voluntatem, communicando per se primo amorem divinum, et deinde consequenter, ac identice naturam Dei, et alias ejus perfectiones.

36. Ad secundam confirmationem. Ex quo ad secundam confirmationem dicendum est, per processionem Verbi communicari naturam divinam, et totam perfectionem Dei, quantum communicabilis est ex parte rei communicatæ, scilicet naturæ, et perfectionis Dei; non tamen ex parte modi, quo communicatur : quia per processionem Verbi tantum communicatur per intellectum; non tamen per voluntatem : ac proinde per prædictam processionem Verbi tantum communicatur illo speciali modo jam insinuato, nempe, per modum generationis, et naturæ, seu ita ut terminus formalis sit ipsa natura. Et propterea restat alius modus processionis per voluntatem, per quam perfectio Dei aliter communicetur, nempe, ita ut terminus formalis illius sit amor divinus, et reliqua alia ad divinam perfectionem spectantia communicentur secundario et identice.

37. Ad ultimum occurrit D. Thomas. Ad ultimam confirmationem respondet D. Thomas artic. 3 hujus quæst. et 4 contra Gentes cap. 23 his verbis : *Quod autem in sola natura divina pluribus modis natura communicetur, rationabile est. Quia in solo Deo ejus operatio est suum esse. Unde cum in eo, sicut et in qualibet intellectuali natura, sit intelligere et velle : id, quod procedit in eo per modum intellectus, ut verbum; aut amoris, et voluntatis, ut amor, oportet, quod habeat esse divinum, et sit Deus : et sic tam Filius, quam Spiritus Sanctus est verus Deus.*

Explicatur hoc ex dictis. Etenim, licet in creaturis una natura unico tantum modo possit communicari a supposito, et indivi-

duo

duo illius naturæ : attamen in divinis pluribus modis potest eadem natura communicari, propter rationem a D. Thoma nuper adductam. (Thom.) Non quidem ita, ut terminus formalis harum communicationum sit ipsa natura divina ; sed ita, ut terminus formalis unius sit natura, et alterius sit divinus amor; quamvis secundario, et identice (ex eo quod *velle* Dei, et omnia reperta in eo sunt *esse* Dei) communicetur etiam per secundam processionem tota natura, et perfectio divina.

§ XII.

Proponuntur, et solvuntur alia argumenta pro eadem sententia.

38. Secundum argumentum ejusdem sententiæ. Secundo. Quia alias posset Deus uniri cum voluntate creata in ratione termini inclinantis illam in aliquod objectum, nempe in se ipsum : hoc autem videtur inconveniens : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam, ex eo quod datur in divinis personalitas habens rationem termini naturæ, propterea Deus potest uniri in ratione prædicti termini cum natura creata. Et similiter, quia Verbum habet rationum termini intellectionis, idcirco Deus est unibilis in ratione Verbi respectu visionis beatificæ : ergo, si in divinis datur terminus productus per voluntatem, qui proinde est inclinatio in aliquod objectum, nempe in bonum divinum, non erit, cur Deus in ratione prædicti termini inclinantis in tale objectum non possit cum voluntate creata uniri.

39. Occurritur primo. Respondetur primo, quod, si semel servanda est paritas, quæ videtur postulari inter objectum intellectus, et voluntatis, tunc probabile est, quod, sicut divina essentia potest uniri cum intellectu beato in ratione verbi, seu, ut suppleat defectum verbi, ita Dei bonitas poterit etiam uniri cum voluntate beatorum in ratione termini dilecti, seu, ut suppleat defectum talis termini. Nam, sicut divina essentia est actus purus, et est essentialiter intellecta ; sic etiam divina bonitas habet esse essentialiter dilectam, et actum purum in sua linea : et ideo, quemadmodum ob illam rationem potest Deus uniri in ratione objecti intellecti; ita ob istam erit unibilis in ratione objecti dilecti.

Secundo. Secundo respondetur negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quia de ratione verbi, vel personalitatis non est, quod sint voluntaria intrinsece : et per consequens non est de ratione illorum, quod sint a principio intrinseco, illo nimirum, cum quo uniuntur : cum tamen de ratione termini voluntatis, quia est inclinatio voluntaria ipsius voluntatis, debeat esse, ut sit a principio intrinseco, nempe, ab illa voluntate, quæ per eam inclinatur in bonum dilectum. Et ideo probabile est, non posse causari a solo Deo extrinsece : alias inclinatio formaliter, et essentialiter voluntatis non esset a principio intrinseco. Quare, cum nihil Dei possit procedere a voluntate creata, probabile erit, quod Deus nequeat in ratione hujus termini amoris uniri.

Tertio. Nam, si daretur ad intra aliqua processio in divinis per voluntatem, tunc id, quod per illam procederet, nihil aliud esset, quam Spiritus Sanctus, ut ex dicendis patebit, et ex dictis etiam constat : at Spiritus Sanctus est creatura : et per consequens aliquid procedens extra Deum, ergo, etc. Major est certa. Minor autem probatur aliquibus testimoniis Scripturæ. — 40. Tertium argumentum.

Tum quidem ex illo 1 Genesis, ubi dicitur : *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* (Genes. 1.) Et Joelis 2 : *Effundam de spiritu meo.* (Joelis 2.) Moveri autem, et effundi solum potest esse proprium creaturæ. Tum etiam ex illo ad Ephesios 4 : *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* (Ad Eph. 4.) Et Isaiæ 63 : *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sanctum ejus.* (Isaiæ 63.) At in Deo tristitia, et afflictio cadere nequeunt; bene tamen in creatura. Tum deinde ex 8 ad Romanos : *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (Ad Roman. 8.) Deo autem non competit orare; sed magis orari, bene tamen creaturæ. Tum prætereа ex Lucæ 11 : *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* (Lucæ 11.) Et Actorum 5 ubi Petrus dicit : *Deus Spiritum Sanctum dedit obedientibus sibi.* (Actor. 5.) Constat autem, non donari ab aliquo, nisi id, quod est creatum. Nam hoc solum modo potest sub dominio cadere. Ac tandem : quia Scriptura divina Filium Patri associans in iis, quæ divinitatis esse videntur, de Spiritu Sancto non meminit, ut patet Matthæi 11 cum Dominus dicit : *Nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius,* (Matt. 11.) de Spiritu Sancto nulla facta mentione. Et Joannis 17 dicitur : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joan 17.) Ubi etiam de Spiritu Sancto mentio non fit. Et ad Romanos 1 : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* (Ad Roman. 1.) Et 1 ad

1 ad Corinth. 8. Corinthios 8 : *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* In quibus etiam nihil de Spiritu Sancto dicitur. Si autem esset verus Deus, fieret de eo in his locis mentio : sicuti propter hanc rationem de Filio, et Patre in eisdem mentio fit.

41. Dissolvitur. Respondetur concedendo majorem, et negando minorem. Et ad primam probationem ex duobus illis testimoniis, nempe, Genesis 1 et Joelis 2 desumptam respondet D.Thom. D. Thomas 4 contra Gent. cap. 23 his verbis : *Non potest ostendi Spiritus Sanctus esse creatura per hoc, quod de ipso in Scriptura sacra aliqua ad motum pertinentia dicta inveniantur. Sunt enim accipienda metaphorice. Sic enim et Deo aliquando Scriptura sacra motum attribuit, ut est illud Genesis* 3 : *Cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso. Quod ergo dicitur, spiritus Domini ferebatur super aquas, intelligendum est eo modo, quo dictum est. Sicut dicitur quod voluntas fertur in volitum, et amor in amatum* (quia, sicut qui fertur super aquas, eo fertur, et ibi est, ubi sunt aquæ : ita, quia amat, eo fertur, et ibi est secundum affectum, quo fertur, et ubi est amatum) : *Quamvis et hoc quidam non de Spiritu Sancto, sed de aëre intelligere velint, qui habet naturalem locum super aquam. Unde ad ejus multimodas transmutationes significandas dictum est, quod ferebatur super aquas. Quod etiam dicitur : Effundam de spiritu meo super omnem carnem, ea ratione dictum esse oportet intelligi, qua Spiritus Sanctus dicitur mitti hominibus a Patre, vel Filio, ut dictum est. Verbo autem effusionis abundantia effectus Spiritus Sancti intelligitur, et quod non stabit in uno; sed ad plures deveniet, a quibus etiam quodammodo in alios derivetur. Sicut patet in iis, quæ corporaliter effunduntur.*

42. Ad secundam probationem ex epistola ad Ephesios cap. 4 et Isaiæ 63 respondetur, quod, ut patet etiam ex consuetudine sacræ Scripturæ, per quamdam similitudinem humani animi passiones trans-
Psal. 10. feruntur in Deum. Sicut dicitur in Psalmo : *Iratus est furore Dominus in populum suum.* Dicitur enim Dominus iratus per similitudinem effectus. Punit enim, quod et irati faciunt. Unde ibidem subditur : *Et tradidit eos in manus gentium.* Sic et Spiritus Sanctus contristari dicitur per similitudinem effectus : deserit enim peccatores, sicut contristati deserunt contristantes.

Ad tertiam vero probationem ex 8 ad Romanos, et Lucæ 11 respondetur quoad primum ex his testimoniis, quod etiam est consuetus modus loquendi in sacra Scriptura, ut illud Deo attribuatur, quod in homine facit, secundum illud Genesis 22 : Genes. 22. *Nunc cognovi, quod times Deum,* id est, nunc cognoscere feci. Et hoc modo dicitur, quod Spiritus Sanctus postulat : quia postulare facit : facit enim amorem Dei in cordibus nostris, ex quo desideramus ipso frui, et desiderantes postulamus.

Quoad secundum vero testimonium in prædicta probatione contentum occurrit D. D.Thom. Thomas loco nuper citato ex 4 contra Gentes in solutione ad 9 his verbis : *Cum autem Spiritus Sanctus procedat per modum amoris quo se ipsum Deus amat : eodem autem amore Deus se, et alia propter suam bonitatem amat : manifestum est, quod ad Spiritum Sanctum pertinet amor, quo Deus nos amat. Similiter etiam amor, quo nos Deum amamus, cum nos Dei faciat amatores, ut ex dictis patet. Et quantum ad utrumque Spiritui sancto competit donari, ratione quidem amoris, quo Deus nos amat, eo modo loquendi quo unusquisque dicitur dare amorem suum alicui, cum eum amare incipit; quamvis Deus neminem ex tempore amare incipiat, si respiciatur ad voluntatem divinam, qua nos amat : effectus tamen sui amoris ex tempore causatur in aliquo, cum eum ad se trahit. Ratione autem amoris, quo nos Deum amamus : quia hunc amorem Spiritus Sanctus facit in nobis. Unde secundum hunc amorem in nobis habitat, ut ex dictis patet : et sic eum habemus, ut cujus ope fruimur. Et quia hoc est Spiritui Sancto a Patre, et Filio, quod per amorem, quem in nobis causat, in nobis sit, et habeatur a nobis : convenienter dicitur a Patre, et Filio nobis donari.*

Ad ultimam probationem respondet idem 43. S. Doctor. S. Doctor loco citato in solutione ad 4 his verbis : *Nec Spiritum Sanctum a divinitate excludit, quod Pater et Filius interdum connumerantur, non facta mentione de Spiritu Sancto : sicut nec Filium a divinitate excludit, quod interdum fiat mentio de Patre, non facta mentione de Filio. Per hoc enim tacite Scriptura insinuat, quod, quidquid ad divinitatem pertinens de uno trium dicitur, de omnibus est intelligendum : eo quod sunt unus Deus. Neque etiam potest Deus Pater sine Verbo, et amore intelligi : neque e converso : et propter hoc in uno trium omnes tres intelliguntur. Unde et interdum fit mentio*

tio de solo Filio in eo, quod est commune tribus : sicut est illud Matthæi 11 *: Neque Patrem quis novit, nisi Filius : cum tamen et Pater, et Spiritus Sanctus Patrem cognoscant. Similiter etiam de Spiritu Sancto dicitur* 1 *Corinthiorum* 2 *: Quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei : cum tamen certum sit, quod ab hac cognitione divinorum, neque Pater, neque Filius excludantur.*

DUBIUM II.

Utrum processio Spiritûs Sancti sit generatio?

44. Decisio hujus dubii efficaciter deducitur ex præcedenti, et ex iis, quæ disputatione 2 circa processionem Verbi diximus. Nam hoc ipso, quod in divinis detur alia processio a processione Verbi, ut dubio præcedenti diximus, et processio Verbi habeat veram rationem generationis, ut disputatione 2 probavimus, non poterit processio Spiritus Sancti rationem generationis sortiri : siquidem, sicut in divinis nequeunt dari plures Filii propter infinitatem filiationis Verbi : ita nec poterunt dari plures generationes : ac proinde hoc ipso, quod processio Spiritus Sancti sit alia a processione Verbi, nequibit rationem generationis habere. Cæterum, quia satis difficile est explicare, quomodo Spiritus Sanctus sit verus Deus ; et nihilominus non communicetur ei natura divina per veram generationem, sicut Filio communicatur : propterea, ut hoc ipsum, quod ex præcedentibus efficaciter deducitur, explicemus, et simul pluribus objectionibus solutione dignis occurramus, non potuit non dubium hoc sigillatim excitari.

§ I.

Vera et catholica sententia.

45. Conclusio de fide. Symb. Athan. Symb. Nicænum. Dicendum ergo est, processionem Spiritus Sancti non esse generationem. Assertio hæc est de fide, et definita in Symbolo Athanasii : *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in Symbolo Nicæno, ubi de Christo dicitur : *Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum*, et de Spiritu Sancto additur : *Qui ex Patre Filioque procedit.* Idem etiam habetur in Concilio Toletano I approbato a Leone Primo, in assertione fidei, ubi ita dicitur (Concil. Tolet. I.) de Spiritu Sancto : *Qui nec Pater sit ipse, nec Filius; sed a Patre Filioque procedens.* Et postea : *Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclitus* Et in Concilio Toletano XI sic dicitur in confessione fidei : *Hic etiam Spiritus Sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur, ne si aut ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios prædicare monstremur.* Concil. Tolet. XI.

Et tandem vocatur Christus unigenitus Filius Dei, ut Joannis 1 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, et paulo post : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Et cap. 3 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Si autem Spiritus Sanctus esset Filius Dei, ac proinde ejus processio esset generatio, tunc Christus non esset unigenitus Filius Dei ; sed plures Filii in divinis darentur. Joan 1 et 3.

Nec refert, si dicas, quod etiam Salomon Proverbiorum 4 vocatur unigenitus coram matre sua Bersabee : et tamen ex eadem matre habuit David alios filios, ut patet ex 2 Regum 5 et 1 Paralipomenon cap. 3 : ergo Christum vocari unigenitum Dei non infert, Spiritum Sanctum non esse Filium. 46. Objectio prima contra prædicta testimonia. 2 Reg. 5. 1 Paral. 3.

Non itaque hoc refert. Nam, ut optime notavit Liranus super utrumque locum, et Abulensis 1 Paralipomenon cap. 3 quæst. 4, Salomon ideo appellatur unigenitus coram matre sua, quia ex Davide non fuit Bersabee alius filius, qui posset in populo Dei connumerari. Nam etsi habuerit ex illa alterum filium, cujus fit mentio 2 Regum 12, attamen iste mortuus est ante octavum diem, et circumcisus non est, et propterea non computatur in populo Dei, juxta illud Genesis 17 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Maxime, cum mos sit Scripturæ, hujusmodi homines gratia sanctificante carentes pro nihilo reputare, juxta illud Pauli : *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Unde alii filii præter istum, quos, dicitur, Davidem habuisse ex Bersabee, non fuerunt naturales ejus filii, sed Uriæ, et adoptati a Davide. Quare, cum hæc ratio non procedat in productione Verbi divini, ut ex se constat, inde est, ut prædictum Verbum ita sit Filius unigenitus, quod nulla ratione detur alius filius in divinis, ut ex definitionibus Ecclesiæ constat. Enodatur. Liranus. Abulens. 2 Reg. 12. Genes. 17. 1 Cor. 13.

Accedit, posse etiam dici, quod, ut bene notarunt Vatablus, Abulensis, Caje- 47.

Additamentum. Vatablus. Abulens Cajetan. Jansen. Galatin. tanus, Jansenius, et Galatinus, nomen unigeniti in illo loco Proverbiorum non sumitur proprie, sed metaphorice pro filio, qui majori, ac proinde singulari amore diligitur. Cui interpretationi favent Septuaginta, apud quos habetur : *Et dilectus in facie matris*. Et Hebraicus contextus, qui Latine sonat : *Et unicus ad faciem matris meæ:* aut juxta aliam lectionem, quæ habetur in margine : *Et unicus inter filios matris meæ*. Nam his lectionibus satis denotatur, Salomonem placuisse valde, et unice matri suæ; quamvis hoc per posteriorem magis significetur : ex eo quod is ea fit comparatio Salomonis ad alios filios : et ideo Salomon potuit vocari *unigenitus* : quia ejus mater adeo vehementer eum dilexit, ut solet unigenitus esse dilectus.

Congruitque hæc expositio cum ipso contextu, et Salomonis intentione. Nam hæc erat, exemplo suo alios adhortari ad studium sapientiæ a prima ætate, sicut ipse hoc præstitit, cum adhuc esset tenellus, hoc est, in tenellis annis constitutus, et unigenitus coram matre sua, id est, ita ab ea dilectus, ac si esset unicus ejus filius : et nihilominus obtemperavit monitis patris sui, qui eum ad sapientiam, et observantiam mandatorum Dei hortabatur. Hinc tamen non sequitur, nomen *unigeniti*, in divinis, et in testimoniis adductis, in quibus Christus dicitur unigenitus Dei, sumendum esse metaphorice. Tum, quia Concilia, et Patres intelligunt illa omnino proprie. Tum etiam, quia Verbum in divinis non est magis dilectum, quam Spiritus Sanctus.

48. Objectio secunda. Ad Hebræos 1. Nec etiam obest, si secundo objicias, Christus ad Hebræos 1 vocatur primogenitus filius Dei : ac proinde dabitur alius Dei filius secundo genitus : siquidem primogenitus dicit ordinem ad secundo genitum : ac per consequens etiam Spiritus Sanctus erit genitus, et filius.

Evanescit. Non itaque hoc refert. Tum, quia hoc testimonium Pauli intelligitur de Christo in collatione ad creaturas, sive ad filios N. Cyril. adoptivos, ut explicat noster Cyrillus lib. 10 Thesauri cap. 4. Nam filii adoptivi propter ipsum sunt adoptati : sicut et omnes creaturæ propter ejus gloriam factæ sunt. Tum etiam, quia, ut notavit idemmet Cyrillus, filius vocatur primogenitus, non quia alii sint post ipsum naturaliter geniti; sed quia nullus fuit genitus a Deo ante eum. Sicut propter hanc rationem vocatur primogenitus Virginis.

Congruitque hic modus loquendi cum aliis Scripturæ locutionibus. Nam Exodi 13 circa quædam oblatio in templo exhibenda præcipiebatur pro quolibet primogenito aperiente vulvam, ut constat ex illis verbis : *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel* : ad hanc autem oblationem non erat expectandus secundus, vel tertius partus, ut ita per comparationem ad illum esset, et diceretur primogenitus ille, qui primo vulvam matris aperuit; sed eo ipso, quod ante illum non fuisset alius natus, nomen, et rationem primogeniti obtinebat. Et ita oblatio illa præcipiebatur fieri quadraginta diebus post partum, in quibus diebus de futura confraternitate constare non poterat. Exodi 13.

§ II.

Eadem catholica veritas ratione suadetur.

Probatur deinde prædicta veritas ratione, et congruentia probabili (supposita tamen fide), quæ ex D. Thoma quæst. 10 de Potentia artic. 2 ad 4 et 7, Cyrillo libro 1 Thesauri cap. 9, August. 15 de Trinitate cap. 14 et 17, et Bonaventura in 1 distinct. 6 desumitur, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam Verbum procedit per modum naturæ; processio vero Spiritus Sancti est per modum voluntatis : ergo illa erit generatio, non vero ista. Antecedens quoad primam partem probatur, et explicatur. Nam, sicut natura alicujus rei est primum, quod invenitur in ipsa; ita illud dicitur procedere per modum naturæ, quod est primum, quod procedit ab illa ut a principio *quo*. Cumque Verbum divinum sit primum quod procedit in divinis, oportet, ut procedat per modum naturæ. 49. Ratio D. Thom. pro assertione. D. Thom. Cyrillus. August. Bonav.

Quoad secundum vero partem idem antecedens satis constat. Tum, quia, cum in divinis non sint, nisi tantum duæ processiones, nempe, per intellectum, et voluntatem, et quæ est per intellectum sit prima, et per modum naturæ, oportet, quod secunda sit per modum voluntatis. Tum etiam, quia, cum Spiritus Sanctus sit secunda persona ex procedentibus, et ejus processio supponat aliam, nempe, processionem per intellectum, idcirco ex hoc etiam capite dicitur ejus processio esse per modum voluntatis : ex

ex eo quod hujus processionis proprium est supponere aliam processionem priorem per intellectum.

50. Consequentia vero ejusdem primi enthymematis quoad primam partem probatur. Quoniam, sicut proprium est naturæ alicujus rei, esse primum, quod in re invenitur : ita prima processio, quæ oritur a tali natura tanquam a principio *quo*, erit, per quam natura prædicta communicatur ut terminus formalis illius communicationis : ac proinde prima communicatio illius, seu communicatio ejusdem per modum naturæ erit vera generatio, cujus proprium est communicare naturam generantis, tanquam terminum formalem illius communicationis, ut in hac disput. magis explicabimus. Et ita, hoc ipso quod processio Verbi sit prima seu per modum naturæ, oportebit, ut talis processio sit generatio.

51. Quoad secundam vero partem eadem consequentia probatur. Tum, quia hoc ipso quod processio Spiritus Sancti sit per voluntatem, et processio secunda supponat primam processionem, atque adeo processionem, quæ sit generatio, nequibit ipsa rationem generationis sortiri. Tum etiam, quia hoc ipso quod processio Spiritus Sancti sit processio secunda, non communicabit tanquam terminum formalem, et per se primum suæ communicationis id, quod est primum in Deo, nempe naturam divinam : et sic non erit vera generatio. Tum denique, quia ex hoc, quod processio Spiritus Sancti sit processio secunda, et per modum voluntatis, optime sequitur, eam esse aliam a processione Verbi ; non quidem alietate solum numerica, siquidem alietas hæc solum provenit a materia, quæ in divinis reperiri nequit : sed alietate quasi specifica, et per consequens denotante, talem processionem non esse veram generationem, et communicationem per se primo naturæ divinæ : alioqui nulla esset alietas quasi specifica inter prædictas processiones, imo nec numerica : siquidem utraque communicaret eamdem numero naturam.

Maxime, quia, sicut in divinis tantum datur unica v. g. misericordia, et unicus dumtaxat intellectus, ex eo quod ista sunt infinita intra suam lineam : et ideo unica misericordia ambit totam perfectionem hujus lineæ : ita tantum dabitur unica potentia generativa, et unica generatio Verbi, quæ totam vim generandi ad intra quasi exhauriat. Et propterea Athanasius in longiori epistola ad Serapionem episcopum, *contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum creaturam esse*, quæ habetur tomo 3, ex eo colligit, Filium in divinis non posse generare ac proinde Spiritum Sanctum ab eo procedentem non posse esse genitum, et Filium, et ejus processionem non esse generationem : quia Pater habet integre naturam, et Filius non accipit naturam materialiter, sive numerice distinctam sicut nos ; sed integram, prout integritas opponitur divisioni illius in plures portiones naturæ existentes in diversis individuis, ut in nobis contingit : et sic ejus processio non distinguitur a processione Spiritus Sancti sicut generatio, et generatio ; sed sicut generatio, et alia processio, quæ non sit generatio : et ita ait : *Non enim ut homo Deus, nec divisam habet naturam, ideoque ipse divisus non gignit Filium, ut ille vicissim efficiatur pater alterius. Quoniam autem ipse Pater ex Patre non est, nec Filius pars est Patris ; ideo neque ipse gignit, ut genitus est, sed integer est integri splendor, et imago.* Athan.

Confirmatur, et explicatur primo. Quoniam, ex eo quod natura intellectualis est radicaliter intellectiva, et volitiva, ita ut habeat quodammodo per prius esse radicem intelligendi, quam volendi (modo tamen in 1 tomo tractatu 3 disp. 4 explicato), idcirco in prima potentia, aut quasi potentia, seu facultate, quæ ab illa, modo ibidem insinuato oritur, aut quasi oritur, explicatur radix illa intelligendi, primaque ejus operatio formaliter sumpta est *intelligere* : et deinde subsequitur voluntas, et volitio : ergo eadem ratione, quia prædicta natura divina ut fæcunda habet per se primo esse communicativam sui ad intra, et deinde esse communicativam sui amoris essentialis per voluntatem : propterea prima ejus communicatio erit communicatio ejusdem naturæ : ac proinde vera generatio. Et deinde secunda communicatio erit formaliter loquendo communicatio prædicti amoris ; non vero generatio habens pro termino formali naturam divinam communicatam : alioqui talis processio non esset processio secunda præsupponens primam, et distinctam ab illa. 52. Confirmatur et explicatur primo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam propterea in vivente creato prima processio, sive productio, quæ ordine executionis in eo invenitur, non est generatio, quia ab initio suæ produc- 53. Confirm. 2.

tionis non habet omnem perfectionem requisitam ad hoc ut generet; sed eget nutritione, augmentatione, etc. Et similiter, postquam pervenit ad debitam augmentationem; tunc ideo prius alterat materiam, quam generet, id est, quam communicet suam naturam substantialem alteri individuo, quia operatur dependenter a materia, et dispositionibus ejus, et substantia illius non est immediate operativa, sed mediis accidentibus. Et ita si vivens a principio suæ productionis esset perfectum, et complete fœcundum nec egeret materia disposita, et prius alterata, tunc prima ejus communicatio, esset communicatio naturæ : ex eo quod habere vim ad hoc, esse, prima fœcunditas, primaque vis communicativa quæ in eadem natura reperitur : ac proinde talis communicatio esset vera generatio. Et deinde secunda processio, quæ in illo viventi reperiretur, quæque esset distincta in specie a prima communicatione, nequiret rationem generationis, et communicationis prædictæ naturæ sortiri, ut ex se constat. Quare, cum Deus sit in se semper perfectissimus, nec egeat dispositione alterante aliquam materiam, ad hoc ut suam naturam ad intra communicet, oportebit, ut prima processio, quæ intra eum reperitur, sit generatio; non vero secunda : quippe quæ, hoc ipso quod sit secunda, sive per voluntatem, habet principium distinctum : et per consequens est specie distincta a priori illa processione, quæ est generatio.

54. D.Thom. Quæ omnia satis acute explicuit D. Thomas in 1 distinct. 13 quæst. 1 art. 2 his verbis : *Dico igitur secundum hoc, quod est in divinis aliqua processio, secundum quam una persona procedit ab una : et hæc est processio generationis, secundum quam Filius est a Patre. Et ideo per modum dicitur esse a Patre. Et ideo per modum dicitur esse naturæ, vel intellectus : procedit enim ut filius et ut verbum : quia in utroque modo istarum processionum, scilicet naturæ, et intellectus est unius ab uno processio. Item, est aliqua processio in divinis, quæ est simul a duobus scilicet, ab eo, qui procedit, et ab eo, a quo procedit : et hæc distinguitur a prima secundum originem : quia ista secunda processio est a præcedente secundum processionem prædictam, quæ est per modum naturæ, et inde est, quod ista processio dicitur per modum voluntatis esse.*

Ubi D. Thomas ideo asserit, processionem Verbi esse generationem, et per modum naturæ, quia est *unius ab uno,* ut denotaret, talem processionem esse primam ex his, quæ in divinis reperiuntur : quia hoc ipso esset a duobus non esset prima : ex eo quod, ut disp. 1 dub. 1 diximus, non possunt dari in divinis duo innascibiles : sed hoc ipso, quod detur secunda persona, debet dari inter illas ordo originis unius ex illis ab alia. Et similiter propterea asseruit idem sanctus Doctor, processionem Spiritus Sancti non esse processionem per modum voluntatis, quia est *a duobus*, ut denotaret, esse secundam processionem præsupponentem aliam priorem, quæ sit per modum naturæ, per quam una ex illis duabus personis prioribus procedit ab alia. Unde, ut animadvertit idem S. Doctor quæst. 10 de Potentia art. 2 ad 7, adhuc creata generatio viventium per se, id est, ex vi propriæ lineæ, non supponit priorem aliam productionem ejusdem generis, et speciei, ac ab eodem proximo principio profectam, sed omnis Pater est primum principium in ratione generantis, seu in ratione particularis causæ principalis, quatenus, licet per accidens, et ex vi aliarum linearum, sive capitum Pater supponat sui productionem, quia non habet *esse* a se, sed ab alio, et ideo nequit generare, quin producatur; imo quin naturaliter loquendo a parente, quem habuit, generetur : hoc tamen, ut jam innuimus, aliunde, non per se, et ex vi propriæ lineæ, provenit. Diximus, *imo quin connaturaliter loquendo a parente, quem habuit, generetur,* ut hæc cohærerent cum illis, quæ N. Complutenses in lib. Physicorum disputatione 15 num. 60 docent. Idem. N. Compl.

55. D. Martialis. Et hoc ipsum docuit D. Martialis epist. 1 ad Burdigalenses cap. 10 his verbis : *Verbum, in quod credidistis, Filius est Unigenitus ante omnem substantiam, etc. Spiritus vero Dei non est genitus, sicut Verbum : quia et ipse Spiritus in divina æqualitate gloriosus processit ineffabiliter ab eo qui genuit, et ab eo quoque qui genitus est.* Putamus autem, hanc eamdem rationem, et explicationem ejus, quam D. Thomas adhibuit, allatam esse a Nysseno lib. ad Ablabium : *Quod non sint tres Dii* prope finem, ubi distinguens duplex suppositum divinum procedens a Patre, inquit : *Aliud quidem continenter, et sine medio ex primo est, aliud vero per id, quod immediate, et ex continenti est, ut et unigeniti proprietas absque ambiguitate in Filio maneat, et ex Patre Spiritum esse non dubitetur,* D.Thom. Nyssenus.

bitetur, Filio, qui medius intercedit, et sibi unigeniti proprietatem servante. In quibus verbis idcirco docet, filium sive Verbum esse unigenitum : quia ejus processio est ex continenti, id est prima; secus vero processio Spiritus Sancti; sed hanc esse mediante processione Verbi eo modo, quo infra latius dicetur.

56. Illucidantur amplius omnia supradicta ex Thom. Possuntque hæc omnia explicari ratione, quam insinuat D. Thomas in hac 1 parte quæst. 14 quæst. 87 art. 1 ad 2, quamque nos supra tetigimus. Nam hoc ipso, quod processio per voluntatem sit processio secunda orta ex appetitivo, oportet, ut communicet per modum actus purissimi ipsam rationem appetitivi per modum etiam actus purissimi sumptam : ergo oportet, quod non communicet per se primo naturam divinam : et per consequens, quod talis processio non sit generatio. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Prior vero ex antecedenti. Quoniam, ut latius in 2 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 4 disputatione 2 dubio ultimo diximus, appetitivum per modum actus purissimi non pertinet ad conceptum divinæ essentiæ, ut distinctæ ab attributis : qua, ut locis citatis docuit D. Thomas, appetitivum non potest esse prima ratio alicujus entis; sed semper supponit aliam, ad quam subsequatur : sicut omnis inclinatio supponit essentiam, ad quam consequitur : cum tamen essentia, et id, quod constituit illam, debeat esse primum in tali re.

Antecedens vero ejusdem primi enthymematis ex sæpe dictis constat, et ex dicendis in hoc dubio in solutione ad 4 amplius patebit. Quia in divinis communicari debet per se primo principium proximum *quo* processionis. Et propterea natura divina, seu *intelligere* communicatur Verbo ex vi processionis; quia est principium *quo* proximum per modum actus purissimi ejusdem processionis, seu est in recto ipsamet processio activa Verbi. Unde optime dicitur a Thomistis, quod, sicut in his processionibus, quia sunt per modum actus purissimi, non distinguitur virtualiter principium proximum *quo* processionis ab ipsa processione activa, sed solum ex parte nostri modi concipiendi : ita in eis communicatur per se primo, tam principium proximum *quo* illius, quam ipsa processio activa quoad id, quod utrumque in recto importat : quia communicatur per se primo ipsa, v. g. intellectio, ut est formaliter eminenter intellectio, et vis ad intelligendum absque distinctione virtuali, et ut absque eadem distinctione dicit cætera alia, quæ supra diximus pertinere ad suam lineam, eoque modo, quem ibidem tetigimus.

Nec refert, si objicias, quod in ente increato, et infinito, qualis est Deus, potius videbatur dicendum, quod omnis ejus communicatio ad intra debet esse generatio habens pro termino formali communicationem divinæ naturæ : siquidem natura illius est talis conditionis, ut petat esse in pluribus suppositis quasi ordine quodam : ita ut primo sit in Patre, et deinde communicetur Filio, et postmodum Spiritui sancto : ac proinde utraque ex his processionibus in divinis reperta habebit rationem generationis; quamvis habeant inter se prædictum ordinem. 57. Objectio.

Respondetur enim, quod infinitas divinæ naturæ, ratione cujus potest esse in pluribus suppositis, tantum exigit, quod reipsa communicetur Filio, et Spiritui sancto natura divina; non tamen quod sit terminus formalis utriusque processionis : siquidem hæc eadem infinitas petit, ut una ex his processionibus sit per intellectum, et alia per voluntatem : ex eo quod natura pure intellectualis, et perfectissima, qualis est divina, non habet alias vires, sive potentias, præter intellectum, et voluntatem, quibus operetur, ut ex dictis disput. 1 dub. 3 constat. Quare, cum processiones istæ sint univocæ, ut supra asseruimus, et processiones univocæ habentes distincta principia habeant etiam distinctos terminos formales, inde est, ut hoc ipso, quod processio prima in divinis, quæ est per intellectum, habeat pro termino formali naturam divinam, nequeat processio Spiritus sancti, quæ est per voluntatem, habere eumdem terminum formalem. Et ita, licet per illam (modo statim dicendo) communicetur natura divina, nihilominus non est generatio : quia ad id desiderabatur, ut terminus ejus formalis esset natura divina, ut ex definitione generationis viventium constat. Responsio.

Nec necesse erit assertionem nostram ratione alia in hoc dubio fulcire. Quoniam in sequenti dubio rationem, quam D. Thomas in hoc art. adducit, ex professo examinabimus : et ea semel examinata, et plene intellecta, nihil aliud ad probationem prædictæ assertionis desiderabitur : quia talis ratio est omnium optima, et D. Thom.

rem hanc, quantum materia, de qua est sermo, patitur, explicat, et probat.

§ III.

Argumentum primum contra veritatem catholicam in assertione contentam, et solutio illius.

58. Primum argumentum contra assertionem catholicam. Sed licet veritas in nostra assertione tradita sit adeo certa : nihilominus non desunt pura, et difficilia argumenta contra eam militantia. Primum est. Quod processioni Spiritus sancti convenit definitio generationis, nempe, *quod sit origo viventis a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ :* ergo erit vera generatio. Consequentia est perspicua. Antecedens etiam videtur constare : siquidem Spiritus sanctus vere habet eamdem numero naturam vivam, et divinam cum Patre, et Filio : ac proinde processio, per quam illam accipit, erit *origo viventis*, nempe Spiritus sancti, *a principio vivente conjuncto*, scilicet a Patre, et Filio, *in similitudinem naturæ.*

Nec refert, si dicas, quod etsi Spiritus sanctus vere habeat naturam vivam, et divinam; non tamen habet illam formaliter ex vi suæ processionis quod tamen ad rationem generationis desideratur, quod que in definitione illius nuper adducta includitur, ut in hoc eodem dubio dicemus.

Nam contra hoc est, quod, quidquid habet Spiritus sanctus, habet ab alio, juxta Joan. 16. illud Joannis 16 ubi Christus loquens de Spiritu sancto inquit : *De meo accipiet :* at id, quod, quidquid habet, debet habere ab alio, non habet illud, nisi per processionem, qua ab illo procedit : ac proinde ex vi ejusdem processionis : ergo, etc.

59. Enodatur admittendo solutionem inter arguendum traditam. Respondetur, legitimam esse solutionem nuper traditam. Unde processio Spiritus sancti ex vi sua, et præcise intra propriam lineam non habet communicare illi naturam divinam; sed solum amorem, et impulsum divinum, tanquam terminum formalem prædictæ communicationis. Et ad probationem in contrarium concedenda est major, et distinguenda minor. *Nisi per processionem, qua ab illo procedit,* consideratam præcise secundum id, quod habet ex vi suæ lineæ, neganda est : consideratam secundum hanc rationem, et simul secundum id, quod habet intra alias lineas, et ratione identificationis cum ipsis, concedenda est. Et deinde neganda est consequentia. Quæ solutio amplius patebit ex his, quæ in solutione ad sequens argumentum dicemus.

§ IV.

Argumentum secundum contra eamdem veritatem, et ejus enodatio.

60. Secundum argumentum. Secundum argumentum contra eamdem veritatem, per quod præcedens confirmari potest, sic se habet. Nam, vel Spiritus sanctus habet naturam divinam a se, et ex vi sua eo modo, quo illam Pater habet; vel ab alio, seu communicatam per aliquam processionem? Non primum : alioqui essent in divinis duo innascibiles : ergo secundum : ac proinde Spiritus sanctus ex vi suæ processionis habet naturam divinam : siquidem id, quod habet res per suam processionem, communicatur ei ex vi ejusdem processionis.

Confirmatio. Confirmatur. Nam Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut Deus spiratus : ergo procedit ut Deus : quia procedere ut Deum spiratum, non est conditio diminuens, et tollens ab eo rationem Deitatis, seu quod procedat ut Deus : et consequenter ex vi ejusdem processionis communicabitur illi, quidquid habet.

61. Responsio ad argumentum. Respondetur eligendo secundam partem illius dilemmatis in argumento contenti : ita tamen, ut, dum dicitur, Spiritum sanctum habere naturam divinam per suam processionem non intelligatur habere eam per talem processionem secundum id, quod præcise dicit intra propriam lineam, sed secundum quod identificatur cum divina natura, ex eo quod, quidquid est in Deo, est Deus.

Ad confirmationem. Ad confirmationem transeat antecedens, et negetur consequentia. Quoniam variatur appellatio. Nam in antecedenti illa particula *ut* reduplicat rationem spirati tanquam formalem, ita ut sit sensus, quod ratio spirati, seu ratio impulsus, et amoris divini sit formalis terminus processionis Spiritus sancti : in consequenti vero reduplicat rationem Deitatis tanquam terminum formalem prædictæ processionis. Unde : etsi Spiritum sanctum procedere ut Deum spiratum, non sit conditio diminuens, quæ tollat Spiritui sancto, quod vere sit Deus, et quod per ejus processionem identice sumptam communicetur ei naturam divinam : ac proinde tollit, quod terminus ejus formalis sit prædicta natura : et ita etiam aufert, quod talis processio sit generatio. Quia,

Quia, ut sæpe diximus, et statim amplius explicabimus, ad hoc ut processio illa esset generatio, requirebatur, ut intra propriam lineam esset communicativa naturæ divinæ, et ejus terminus formalis esset eadem natura.

62. ...uci- ...tur ...otio. Explicantur omnia hæc. Etenim processio Spiritus sancti potest dupliciter considerari. Primo quidem secundum id præcise, quod habet intra propriam lineam, et ex vi illius, seu præcise ut est processio per voluntatem, ac proinde processio secunda in divinis reperta, non considerando id, quod habet intra alias lineas divinas ratione identificationis cum illis. Secundo vero potest sumi non solum secundum ea, quæ dicit intra propriam lineam, sed etiam secundum quod, propter rationem nuper dictam, identificatur cum natura divina et omnibus aliis rationibus absolutis. Si priori modo sumatur, tunc non habet communicare naturam divinam : alioqui, ut asserebamus, esset processio prima, non vero secunda ex iis, quæ in Deo reperiuntur. Secus vero, si posteriori modo accipiatur. Nam, cum volitio, per quam Spiritus sanctus procedit, sit identice tota natura, et perfectio divina, oportet, ut sicut, quia intra suam lineam cum præcisione sumptam dicit totam perfectionem lineæ voluntatis, propterea intra eam, et ex vi sua communicat hanc perfectionem, et terminus formalis illius est amor, et impulsus divinus infinite perfectus intra lineam voluntatis : ita, quia eadem volitio est etiam infinita intra omnes alias lineas, non quidem quia hoc ei formalissime competat, sed quia formaliter identice est tota perfectio Dei : idcirco ratione hujus identificationis habet etiam communicare Spiritui sancto naturam divinam, et cunctam perfectionem Dei.

63. ...erius ...lica- ...ır. Potestque hoc amplius ex dictis explicari. Tum, quia idem numero principium *quo* harum communicationum inventum in principio *quod* communicatur, et (ut sic dicamus) quasi transfunditur in id, quod ab eo procedit : ex eo quod, cum hæc communicatio sit univoca, debent terminus, et principium formale *quo* saltem proximum esse ejusdem rationis, et ejusdem quasi speciei : ac proinde in præsenti debent esse idem secundum numerum : quia multiplicatio præcise secundum numerum non habet locum in rebus expertibus materiæ, ut tomo 1 tractatu 1 disp. 1 dub. 1 et sequentibus late diximus. Et ita, sicut prædictum principium communicat, et ponit se ipsum in termino per ipsum producto secundum ea, quæ formalissime tale principium intra suam lineam habet : ita etiam secundum ea, quæ formaliter identice ei competunt. Tum etiam : quia, cum terminus hujus processionis, nempe amor, et impulsus divinus, maneat in Deo, oportet, ut sit formaliter identice Deus : siquidem quidquid est in Deo, debet ratione summæ simplicitatis divinæ esse Deus : ac proinde etiam oportebit, ut sicut id, quod ei competit formalissime, nempe, esse amorem divinum, habet a sua processione secundum formalissima illius considerata : ita etiam id, quod habet formaliter identice, habeat ab eadem processione secundum ea, quæ formaliter identice, quia est in Deo, dicit : ut ita servetur debita proportio inter processionem, et id quod per eam procedit : alioqui enim, vel S. Spiritus non haberet naturam divinam communicatam a Patre, et Filio, quod est contra fidem, vel, si eam haberet, et non per processionem suam quoad ea, quæ formalissime importat, tunc talis processio non esset processio secunda, et per voluntatem, sed processio prima, et per intellectum.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma, tum in articulo 4 hujus quæstionis. Tum etiam in 1 dist. 13 quæst. 1 art. 3 ad 3 his verbis : *Dicendum, quod processio amoris in quantum hujusmodi habet, quod per ipsam natura aliqua communicetur; sed hoc habet, in quantum est in divinis, ubi non potest esse aliquid imperfectum. Et ideo Spiritus sanctus secundum rationem processionis communiter loquendo non habet, quod communicetur sibi natura. Et ideo talis processio non potest dici generatio secundum suam propriam rationem. Ex ipsa enim ratione generationis est, quod natura genito communicetur.* 64. D.Thom.

§ V.

Objectio triplex notanda contra solutionem præcedentis argumenti, et responsio ad illam.

Nec refert, si contra solutionem hanc tria objicias. Primum est, hinc fieri, quod Spiritus sanctus non sit formalissime loquendo Deus, sed tantum identice : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam solum communicatur ei identice divina natura, solumque identice ejus processio quasi continet eamdem 65. Replica prima contra prædictam solutionem.

naturam : ac proinde solum identice erit Deus. Minor autem etiam constat. Quoniam alioqui non esset ita perfecte Deus, sicut reliquæ personæ : siquidem perfectiori modo est Deus, quod formalissime habet rationem Dei, quam id, quod solum identice est Deus.

Confirmatio. Confirmatur. Nam etsi intellectus beatus unitus cum divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, sit identice, in esse tamen intelligibili, Deus, ut in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 diximus : nihilominus, quia hic modus essendi Deum tantum est esse Deum identice, propterea adhuc in esse intelligibili non habetur perfecte divina essentia ab eodem beato : ergo similiter, licet Spiritus sanctus in *esse* naturali, et intelligibili sit identice Deus, si tamen formalissime non sit Deus, non erit perfectissimo modo Deus, sicut reliquæ personæ divinæ.

66. Replica secunda. Secundum est. Quod si processio Spiritus sancti, secundum quod est in Deo, et per consequens prout identificatur cum divina natura, communicat eam, fiet inde, ut prædicta processio saltem identice sit generatio : atque adeo et Spiritus sanctus saltem identice sit Filius : hoc autem est contra fidem, ut constat : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam, si prædicta processio formalissime haberet communicare divinam naturam, esset formalissime generatio : ergo, si saltem identice, et secundum ea, quæ identice affert, communicat illam, habebit saltem identice rationem generationis.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam, vel per hoc, quod secundum ea, quæ identice talis processio affert sit communicativa divinæ naturæ, tollitur, quod Spiritus sanctus per eam procedens habeat naturam Dei ita perfecte ac relique personæ, eique ita perfecte communicetur, vel non? Non quidem primum, propter ea, quæ in prima ex his impugnationibus dicebamus : ergo secundum : ergo talis communicatio saltem identice erit generatio : siquidem saltem identice præstat, et continet id, quod præstat, et continet generatio, nempe, communicationem perfectam naturæ divinæ, seu quod Spiritus sanctus habeat perfecte esse Deum.

67. Replica tertia. Tertium est. Quod ad rationem generationis tantum desideratur, quod communicetur natura generantis; non vero quod hoc sit ex vi processionis. Et ideo generatio viventium solum definitur per hoc, quod *sit origo viventis a vivente in similitudinem naturæ*, non vero additur, quod hoc sit ex vi processionis : ergo, cum Spiritui sancto communicetur per suam processionem, licet non ex vi processionis natura divina, non erit cur ejus processio non sit generatio.

Occurritur primæ replicæ. Respondetur enim ad primam ex his objectionibus, quod, licet ex identificatione quæ est inter Spiritum sanctum, ut est terminus suæ processionis cum divina natura, et inter eadem processionem cum prædicta natura, oriatur, quod Spiritus sanctus sit Deus; ejusque processio quatenus sic identificata contineat eamdem naturam divinam : attamen per hoc non tollitur quoad præsens, quod Spiritus santus formalissime sit Deus. Sicut, licet ex identificatione, quæ est inter potentiam obedientialem naturæ humanæ ad unionem hypostaticam, ac proinde ad subsistentiam, et existentiam Verbi, et inter potentiam, sive capacitatem naturalem in ordine ad propriam subsistentiam, et existentiam, oriatur, quod in Christo Domino potentia hæc naturalis subsistat, et existat per subsistentiam, et existentiam Verbi, et in nobis potentia obedientialis jam dicta habeat subsistere, et existere per nostram subsistentiam, et existentiam naturalem : attamen semel supposita hac identificatione, tunc non solum identice, sed etiam formalissime sunt prædictæ potentiæ existentes, et subsistentes per existentias, et subsistentias jam explicatas, idest, recipiunt in se effectus, aut quasi effectus formalissimos earum.

68. Aliter occurritur eidem replicæ. Accedit, quod aliud est, an Spiritus sanctus, ut terminus formalis suæ processionis, sit tantum identice Deus: aliud vero, an ipse Spiritus sanctus absolute et simpliciter loquendo, sive in *esse* entis habeat hoc modo tantum esse Deum. Licet ergo Spiritus sanctus secundum priorem considerationem tantum identice sit Deus, quia non terminat formaliter per divinam naturam, quæ et simpliciter et absolute communicatur; sed tantum rationis amoris, et impulsus divini per se primo illi communicati, et ita secundum hanc considerationem solummodo dicit prædictum amorem : attamen Spiritus sanctus secundum posteriorem considerationem habet formalissime esse Deum : quia sic sumptus non nominat solum terminum formalem suæ processionis, sed etiam divinam naturam : et ideo affert illud quasi conjunctum,

conjunctum, quod quasi coalescit ex termino formali suæ processionis, et ex natura divina, ac reliquis aliis attributis, necnon ex propria personalitate : taliter, quod licet in *esse* termini formalis dicat de principali solum amorem ; attamen in *esse* entis, et absolute ac simpliciter loquendo dicat principalius naturam divinam, et propriam personalitatem, quam attributum amoris, quod in *esse* termini formalis prædictæ processionis est quid formalissimum in eodem Spiritu sancto.

Unde : sicut licet actio v. g. cum præcisione sumpta tantum identice sit passio, et passio similiter eodem modo accepta solumodo identice sit actio : nihilominus conjunctum illud, quod ex passione, et actione coalescit, est formalissime actio, et passio : ita licet Spiritus sanctus præcise in *esse* termini formalissimi suæ processionis tantum dicat rationem amoris, et impulsus divini : attamen ipse Spiritus sanctus in *esse* entis, sive absolute et simpliciter consideratus (secundum quam rationem dicit prædictum conjunctum, et in eodem conjuncto principalius affert suam personalitatem, et naturam divinam) non solum identice, sed formalissime erit Deus, habebitque omnem perfectionem, et rationem absolutam, quæ in quavis ex divinis personis reperitur.

69. Ad [illegible] objectio in forma. Quare ad formam hujus objectionis neganda est sequela. Et ad probationem distinguenda est prior pars antecedentis : *solum identice communicatur ei natura divina*, si Spiritus sanctus consideretur præcise quoad rationem formalem terminandi suam processionem, concedenda est. Cæterum, neganda est, si idem divinus Spiritus consideretur in *esse* entis, sive absolute et simpliciter loquendo, et non ut est sub hoc, vel illo conceptu, et ut peculiari aliquo nomine significatur. Quia secundum hanc considerationem, idest, in ratione entis sumptus non consistit in ratione illa formali terminandi ; sed constituitur in sua quidditate et essentia per naturam divinam : ex eo quod in *esse* entis, et modo dicto hæc est prior ratio illi, at cæteræ aliæ consequuntur ad istam. Et eodem proportionali tamen modo, debet distingui idem antecedens quoad secundam ejus partem, nempe, *quod solum identice ejus processio quasi continet divinam naturam*, et concedi de eadem processione cum præcisione sumpta : siquidem secundum istam considerationem non habet ex vi sua, sed solum identice quasi continere divinam naturam, ut habet rationem naturæ ! Cæterum negandum est idem antecedens, si intelligatur de prædicta processione, ut quasi coalescit ex volitione divina, et natura Dei ratione identificationis, quam cum ipsa talis volitio habet, necnon ex proprio connotato ejus. Nam, licet ex identificatione oriatur illud conjunctum, attamen conjunctum ipsum inde coalescens formalissime habet naturam divinam.

Diximus, negandam esse priorem partem antecedentis, *si idem divinus Spiritus consideretur in esse entis, sive absolute, et simpliciter loquendo, non vero, ut peculiari aliquo nomine significatur : et quod priori illo modo sumpti potissima ratio est natura divina*. Ut abstineremus ab illa quæstione, an nimirum, prout significatur nomine Spiritus sancti, dicat de principali relationem, aut rationem impulsus divini, vel divinam naturam. Sicut, licet Verbum divinum in *esse* entis, et secundum se, ac absolute, et simpliciter sumptum afferat, ex parte rei conceptæ naturam divinam : attamen, ut significatur sub conceptu, et nomine verbi, tunc primum, et potissimum, quod per hunc conceptum exprimitur, est relatio ejusdem ad dicentem. Et similiter, licet primum, et potissimum, quod est in Petro v. g. in *esse* entis, sive absolute et simpliciter sumpto, sit sua essentia : attamen, ut concipitur, et significatur sub conceptu, et nomine *Petri*, aut *Personæ*, tunc individuatio, et personalitas ipsius est primum, et potissimum, quod per illud nomen significatur, et ibidem concipitur.

Ad confirmationem concesso antecedenti, negetur consequentia. Tum, quia modus identificationis, quo intellectus beatorum identificatur cum essentia divina, est modus imperfectus, et admittens distinctionem realem potentialem, ut in 1 tomo tractatu 3 disp. 2 latius diximus, et identificatio illa tantum per participationem est identificatio cum divina essentia ; secus vero in præsenti contingit : et ideo non est utrobique par ratio. Tum etiam : quia intellectui beato non unitur (adhuc semel supposita identificatione ipsius cum essentia divina in ratione speciei intelligibilis) ipsamet essentia, ut formalissime habet rationem intellectionis, sed est ibidem secundum hanc considerationem pure identice, et (ut sic dicamus) pure materialiter (quia nimirum eadem simplicissima forma 70. Ad confirmationem.

est in Deo species intelligibilis, et intellectio) : et ideo non sequitur, quod semel data prædicta identificatione, tunc essentia, ut formalissime habet rationem intellectionis, uniatur cum intellectu beato : ex eo quod prædictus intellectus est incapax talis unionis ratione suæ limitationis, et divina essentia ratione suæ infinitatis nequit secundum hanc considerationem illi uniri : siquidem hoc ipso, quod illi sic uniretur per modum intellectionis, ac proinde per modum operationis vitalis, deberet procedere ab eodem intellectu beato, sicut et omnes aliæ intellectiones, et operationes vitales procedunt ab intellectu, et principio vitali, cui uniuntur in ratione intellectionis, aut operationis vitalis : constat autem, quod essentiam divinam, ut habet rationem intellectionis, sic procedere ab intellectu beato, est supra finitatem, et limitationem ipsius intellectus : ac tandem hoc ipsum arguere (si dabile esset) in essentia divina, esse quid finitum et limitatum, et per consequens id cum ejus infinitate pugnare.

71. Solvitur secunda replica. Ad secundam objectionem neganda est sequela. Et ad probationem concedendum est antecedens, sed neganda consequentia. Quoniam, ad hoc ut processio Spiritus sancti esset identice generatio illius, oportebat, quod identificaretur cum aliqua generatione ejusdem Spiritus sancti formalissime tali, quod tamen implicat : ex eo quod Spiritus sanctus nequit esse genitus. Sicut ad hoc, quod idem Spiritus in ratione termini formalis suæ processionis formaliter sumptæ sit identice Deus, oportet, quod identificetur cum natura divina, a qua aliquid habet formaliter esse Deum.

Aperitur defectus objectionis. Unde probatio hæc peccat in reddendo non causam pro causa. Quoniam causa, seu ratio, propter quam aliquid est identice generatio, non est, quia communicet identice naturam (ex hoc enim solum habetur, quod sit identice Deus), sed quia communicat illam ratione identificationis quam habet cum aliqua processione, quæ formalissime sit generatio. Quia per hoc, quod aliquid sit identice tale, solum significatur, quod habeat esse tale ratione alicujus, quod sit formaliter tale.

72. Et ad confirmationem ejusdem respondetur. Ad confirmationem eligenda est posterior pars illius dilemmatis, quatenus per illam significatur, quod absolute et simpliciter loquendo non tollitur ab Spiritu sancto ex eo quod ejus processio solum identice communicet naturam divinam, quod ipse, et illa communicatio sint ita perfecta, sicut aliæ personæ, et communicatio, per quam Verbo communicatur natura divina. Nam, licet processio per voluntatem ex vi suæ lineæ non exprimat tantam perfectionem, quantam processio Verbi : re tamen ipsa includit totam perfectionem, quam prædicta processio, sicut et quodlibet attributum Dei includit totam perfectionem re ipsa, quam reliqua attributa, et natura dicunt, propter intimam inclusionem omnium in quolibet, ut in 2 tomo tractatu 4 disput. 7 num. 72 et deinceps diximus. Cæterum neganda est consequentia. Et ad probationem patet, ex dictis distinguendum esse, et si sensus sit, quod saltem identice per identificationem cum generatione formaliter tali præstat id, quod generatio, nempe, communicationem naturæ Dei, neganda est : secus vero, si sensus illius sit, quod per identificationem ad naturam divinam sub conceptu naturæ præstet identice id, quod generatio quoad hoc, quod est communicare identice prædictam naturam. Hinc tamen non fit, talem communicationem esse identice generationem, sed esse identice naturam divinam, ex eo quod, quidquid est in Deo, est Deus.

Advertendum tamen, quod cum negamus, processionem Spiritus sancti esse identice generationem, tantum volumus, quod non sit identice generatio formaliter talis, non tamen negamus, esse identice generationem virtualiter, aut quasi virtualiter talem : quia licet non identificetur cum generatione Verbi quæ sola est generatio formaliter talis, identificatur tamen cum divina natura, in qua virtualiter, aut quasi virtualiter continentur, ut in prima, et fontali linea omnia, quæ sunt in Deo. Nota

Ad tertiam objectionem respondetur negando antecedens. Nam hoc ipso, quod generatio viventium definiatur per hoc, *quod sit origo viventis a vivente in similitudinem naturæ*, denotatur, quod terminus formalis illius est natura, quæ sit saltem eadem secundum speciem in generante, et genito : ex eo quod actiones definitæ per suos terminos definiuntur per eos, tanquam per terminos formales : cumque idem sit, aliquam actionem, sive mutationem habere aliquid pro termino formali, ac ex vi sua tendere ad communicandum prædictum terminum, ex eo quod ratio ejus formalis sita est in hoc : propterea hoc ipso, quod generatio definiatur per hoc, quod sit *origo viventis* communicativa naturæ, ibidem dicitur, 73. Enodatur tertia replica.

tur, quod habeat naturam pro termino formali, et quod ex vi sua, seu ex vi suæ processionis communicet prædictam naturam. Et ita videmus, quod in rebus creatis non datur aliqua productio, quæ sit *origo viventis a principio vivente conjuncto*, et habeat pro termino formali naturam eamdem, quæ est in generante, et nihilominus non habeat ex vi processionis communicare prædictam naturam.

Ulterius elucidatur. Unde per hanc particulam, *ex vi processionis*, non importatur aliquid distinctum a reliquis particulis definitionis generationis viventium. Idque potest magis explicari : ex eo quod hæc particula tantum potest denotare, vel quod generationi conveniat producere simile secundum propriam rationem formalem, aut secundum propriam virtutem, sive efficaciam, aut in ordine ad suum terminum formalem. Ex quibus primum, certum est, non importare aliquid præter id, quod in aliis particulis definitionis continetur : quia omnis definitio convenit definito secundum eam rationem formalem, quæ in ipsa explicatur. Et idem est dicendum de secundo : quia cuilibet productioni, sive sit generatio, sive alia actio, debet convenire secundum propriam virtutem, et efficaciam producere suum proprium terminum. Et tandem idem est certum de tertio : quia sicut essentia actionis consistit in ordine ad suum terminum formalem, ita etiam debet definiri in ordine ad eum, et non est necesse explicare, quod id, quod ponitur pro termino, sit terminus formalis illius.

§ VI.

Argumentum tertium contra prædictam veritatem, et occursus ad illud.

74 [illegible] Tertium et principale argumentum, contra eamdem veritatem in assertione nostra stabilitam est hujusmodi. Nam Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut persona divina : ergo procedit ut Deus, et ut est idem in natura cum suo principio : ergo ejus processio erit generatio. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam processioni Spiritus sancti conveniunt priores particulæ contentæ in definitione generationis viventium, nempe, *quod sit origo viventis a principio vivente conjuncto* : siquidem Spiritus sanctus est terminus vitalis voluntatis divinæ, et in ea manens : ergo, si simul procedit ut Deus, et in eadem natura divina cum suo principio, non poterunt non omnes particulæ definitionis generationis viventium convenire prædictæ processioni : ac proinde talis processio erit vera generatio. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quoniam persona divina non potest non dicere naturam divinam : et ita, quod procedit ex vi suæ processionis ut persona divina procedet utique ex vi illius ut Deus.

Antecedens autem probatur. Tum : quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut subsistens in aliqua natura, cum in se sit subsistens, et non possit habere subsistentiam aliunde, nisi ex vi suæ processionis, ex eo quod prædicta subsistentia debet esse quid productum : ergo, cum ex vi suæ processionis non procedat ut subsistens in aliqua natura creata, procedet ex vi illius ut subsistens in natura Dei : et per consequens ut persona divina. Suadetur primo antecedens.

Tum etiam : quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut distinctus realiter a Patre et Filio, ut ex se constat : at non potest realiter distingui ab illis, nisi ut est una ex personis divinis : ergo ex vi suæ processionis procedit ut persona divina. Tum deinde : quia, si ex vi suæ processionis non procederet ut persona divina, haberet hoc aliunde, et per accidens : siquidem id, quod convenit alicui, et non ex vi suæ processionis, advenit ei aliunde, et per accidens, ut in creaturis cernitur : ergo, cum nihil per accidens possit Deo convenire, oportebit, ut ratio personæ divinæ conveniat S. Spiritui ex vi suæ processionis. Secunda probatio.

Tum denique (per quod explicatur probatio procedens) : nam de facto per processionem, qua Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio, communicatur ei, quod sit persona divina, ut communiter docent Theologi : ergo, cum processio ista non habeat communicare hoc per accidens, ne etiam per accidens habeat Spiritus sanctus esse Deum, habebit hoc ex vi alicujus rationis eidem intrinsecæ, et essentialis : et per consequens ex vi sua : et ita S. Spiritus ex vi sua procedet ut persona divina. Ultima probatio.

Confirmatur. Tum, quia ex vi processionis Spiritus sancti debet ei aliquid divinum communicari : alioqui ejus processio non esset divina : ergo ex vi ejusdem processionis debet ipsi communicari, quod sit persona divina. Probatur consequentia. Quoniam illud divinum, quod ei communicatur ex vi suæ processionis non potest 75. Confirmatur.

communicari tanquam quid inhærens : siquidem hoc repugnat Deo : ergo tanquam quid per se subsistens in natura divina : et per consequens Spiritus sanctus procedet ut persona divina. Tum etiam : quia ex vi processionis communicatur eidem Spiritui sancto amor substantialis : ergo subsistens : ergo persona divina.

76. Diluitur argumentum cum priori probatione antecedentis. Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem negandum est, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis, seu secundum id, quod ejus processio intra propriam lineam affert, accipere, quod sit subsistens in aliqua natura, sive creata, sive increata : quamvis per suam processionem secundum id, quod identice affert, accipiat, quod sit subsistens in natura divina.

Ad secundam probationem. Ad secundam probationem concedenda est major, et neganda minor. Quia ad hoc, ut Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedat ut distinctus a suo principio, satis est, ut ex vi illius communicetur ipsi amor subsistens subsistentia relativa, vel quod communicetur prædictus amor modificatus, aut quasi modificatus per relationem procedentis ad suum producens, seu spirati ad suum spiratorem. Cæterum, sive processio Spiritus sancti habeat ex vi sua communicare amorem subsistentem ut talem, sive præcise ut distinctum, idest, oppositum relative cum suo principio; non tamen propterea Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedet ut persona divina : quia ad hoc desiderabatur, quod procederet per modum subsistentis ex vi processionis; non quidem in solo amore divino, sed etiam in natura divina : et per consequens, quod ex vi ejusdem processionis communicaretur prædicta natura. Cum autem dicimus, Spiritum sanctum ex vi processionis habere esse amorem per se subsistentem subsistentia relativa, nolumus, quod prædicta subsistentia sit terminus formalis *quo* talis processionis sed solum conjunctum illud, quod ex utroque coalescit, nempe, ex subsistentia relativa, et amore divino, esse terminum formalem *qui* prædictæ processionis, ad quem ex vi suæ lineæ terminatur.

77. Ad tertiam. Ad tertiam probationem dicendum est, quod, etsi processio Spiritus sancti habeat aliunde communicare naturam divinam eidem Spiritui sancto, non tamen absolute loquendo hoc convenit ei per accidens, sed per se : quatenus per hoc denotatur, quod per se formaliter identice id habet.

Ad ultimam. Ad ultimam vero probationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia, si sensus illius sit, quod processio Spiritus sancti ex vi alicujus rationis formalis propriæ lineæ distinctæ ab aliis sit communicatio naturæ divinæ : secus tamen, si sensus illius fuerit, quod ex vi alicujus rationis formalis per se identice ei convenientis hoc habeat. Nam (ut dictum est) processio illa, ut identificata cum divina natura, communicat eam S. Spiritui.

Ad confirmationem quoad primam ejus probationem concedendum est antecedens, si ly *divinum* sumatur, non præcise pro natura divina sub conceptu naturæ, et essentiæ Dei; sed pro quavis formalitate divina, sive sit formalitas naturæ, sive alterius attributi. Sed neganda est consequentia propter jam dicta. Et ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia : quia hinc ad summum sequitur, communicari ex vi processionis amorem divinum, ut subsistentem, et modo explicato, non vero rationem personæ quæ necessario dicit subsistens, non qualitercumque, sed in natura divina. 78. Solutio confirm.

Per quod etiam patet ad aliam probationem ejusdem confirmationis. Nam etiam ratio substantialis in divinis potest sumi, prout dicit substantiam Dei, quæ sit natura divina ; vel prout dicit rationem substantiæ, prout distinguitur ab accidenti, et est quid commune omnibus attributis divinis. Unde ex his duabus rationibus ad summum posterior ista ex vi processionis, et modo jam insinuato, et statim magis dicendo communicatur Spiritui sancto.

Adde, probabile esse, processionem Spiritus sancti ex vi sua tantum terminari formaliter ad amorem divinum ut talem, non vero ut substantialem, sed ab hoc præscindere. Quia sicut ratio speciei intelligibilis non contrahitur per se formaliter per rationem substantiæ, vel accidentis in *esse* entitativo : ita nec ratio amoris, sed penes diversas rationes amoris, et impulsus. Et ideo, si per impossibile darentur duo amores, quorum unus esset substantialis, et alter accidentalis, si tamen convenirent in omnibus aliis ad amorem requisitis, tunc essent ejusdem speciei : sicut species intelligibilis Angeli Gabrielis, quæ est accidens, et essentia ejusdem Gabrielis, quæ est species intelligibilis respectu sui, et est substantia, habent in ratione speciei intelligibilis esse ejusdem rationis atomæ : quia conveniunt in cæteris requisitis ad speciem intelligibilem, scilicet, in immaterialitate, 79. Alia via satis fit confirmationi.

immaterialitate, et objecto : et ratio substantiæ, vel accidentis in esse entitativo de materiali se habet ad illam, ac proinde in recta linea contractionis formalis speciei intelligibilis non debet poni : sicut nec in recta linea contractionis amoris, et impulsus ponenda est.

80. Comprobatur testimonio. Thom.

Quæ solutio videtur satis probabiliter desumi ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 13 quæst. 1 art. 3 ad 1 ubi sic inquit : *Dicendum, quod processio Spiritus sancti non habet, quod sit ad substantiam, in quantum est processio amoris : sed solum in quantum est processio amoris divini* : idest, in quantum est amoris existentis in Deo, in quo, propter identificationem omnium, quæ sunt in illo cum natura ipsius Dei, debent esse ejusdem naturæ cum ipso Deo. Diximus autem, solutionem prædictam satis probabiliter desumi ex D. Thoma. Quia verba ex eo relata possunt etiam non parum probabiliter exponi de substantia, non qualitercumque, sed prout est idem quod substantia, et natura Dei ; non vero prout est ratio quædam transcendens transcendentia, et communitate rationis ad omnes formalitates divinas. Congruitque hæc expositio cum argumento, quod D. Thomas adduxerat ad probandum, processionem amoris esse generationem amoris in divinis : ex eo quod est processio ad substantiam, et generatio est etiam motus ad substantiam. Ad quod respondet, generationem non esse motum ad quamcumque substantiam, sed ad illam, quæ est ipsa natura : et quod processio amoris non sic est ad substantiam nisi prout est amoris divini, id est, amoris existentis in Deo, ubi omnia existentia in illo sunt ratione identificationis cum eo ipsa essentia, et natura divina.

81. Explicantur supradicta duobus exemplis.

Explicantur hæc omnia duplici exemplo Primum est productionis v. g. Petri, quæ licet adæquate sumpta attingat, quidquid ex quocumque capite est in illo, attamen, si sumatur cum præcisione, et inadæquate, tunc non est necesse, ut ad omnia, quæ in Petro reperiuntur, terminetur, sed illa productio Petri a Paulo, v. g. ut est ab illo, secundum quod est animal, non attingit Petrum, ut est rationalis : ac proinde tam ipsa, ut est sub hac præcisione, quam terminus per eam sic sumptam productus præscindunt a rationabilitate.

Secundum exemplum est actionis consecrativæ, quæ licet adæquate sumpta, tam secundum ea, quæ dicit ex vi verborum, quam secundum ea, quæ per concomitantiam affert, terminetur ad corpus Christi quoad omnia substantialia, quæ dicit : attamen, si consideretur illa actio inadæquate secundum id, quod habet ex vi verborum, tantum terminatur ad corpus Christi, quatenus corpus est, non vero ut vivum, neque ut vivum vita rationali : quia omnia hæc per concomitantiam ibidem reperiuntur. Et ideo consecratio inadæquate, et cum præcisione formalissime considerata præscindit a conversione panis in corpus Christi prout vivum, aut non vivum : quamvis considerata quoad id, quod concomitanter affert, terminetur ad idem corpus ut vivum vita rationali. Pariter ergo processio Spiritus sancti adæquate sumpta, tam secundum ea, quæ dicit intra propriam lineam, quam secundum illa, quæ affert intra alias lineas ratione identificationis cum ipsis, communicat Spiritui sancto totam perfectionem Dei : attamen, ut præcise quasi oritur a voluntate divina intra propriam lineam cum præcisione sumpta, tantum communicat impulsum, et amorem divinum, et præscindit ab hoc, quod amor, et impulsus iste sit Deus, vel non habeat naturam divinam per modum naturæ.

Spiritus sanctus in esse termini est identice Deus.

Ex quo etiam deducitur major explicatio eorum, quæ num. 68 dicebamus, scilicet, quomodo Spiritus sanctus in *esse* termini suæ processionis solum identice sit Deus, cum tamen in *esse* entis, et absolute, ac simpliciter loquendo dicat principalius, et ut rationem formalissimam sui, quod sit Deus. Nam sicut Christus, ut est terminus formalis actionis consecrativæ, tantum est identice, et per concomitantiam quid vivum, et ita constituitur in *esse* termini per rationem corporis, ut præscindit a vivo, et mortuo, cum tamen in *esse* entis absolute et simpliciter loquendo constituatur per esse vivum vita animali, et rationali, et hoc per se primo importet : ita idem quoad præsens (proportione servata) dicendum est.

§ VII.

Argumentum quartum contra veritatem catholicam, una cum responsione ad illud.

82. Quartum argumentum.

Quartum argumentum contra veritatem jam dictam sic se habet. Nam Spiritui sancto ex vi suæ processionis communicatur ratio entis divini : ergo ex vi ejusdem communicabitur illi ratio naturæ divinæ : ergo ejus processio erit vera generatio.

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prima vero ex antecedenti videtur deduci. Nam actio infinite perfecta attingens ex vi sua rationem aliquam communem, et transcendentem repertam in re producta attingit etiam omnes rationes sub illa contentas, quæ eidem rei productæ conveniunt, ut patet in creatione, quæ hoc ipso, quod attingat rationem entis repertam, v. g. in homine, attingit etiam ex vi sua omnes differentias, et modos contentos sub ente, et in eodem homine inventos : ergo, si processio infinite perfecta Spiritus sancti attingit ex vi sua rationem entis divini in eo inventam, habebit ex vi sua attingere naturam divinam, quæ est in eodem Spiritu sancto, quæque quasi continetur sub ente divino.

Antecedens autem probatur. Tum : quia cuilibet rei procedenti communicatur ex vi suæ processionis entitas in eadem re inventa : ergo, cum in Spiritu sancto reperiatur entitas divina, communicabitur ei ex vi suæ processionis prædicta entitas, seu ratio entis divini. Tum etiam : quia Spiritui sancto ex vi suæ processionis communicatur ratio impulsus, et amoris divini, ut communiter docent Theologi : ergo ex vi ejusdem debet communicari ratio entis divini : nam hæc intime transcenditur in amore divino, et prædicata transcendentia communicantur ex vi ejusdem processionis, per quam communicatur id, in quo transcenduntur. Maxime : quia prædicata transcendentia solum ex parte modi concipiendi distinguuntur a re, quam transcendunt : id autem, quod convenit alicui rei, et solum ex parte modi concipiendi ab illa distinguitur, communicatur ei per eam processionem, per quam procedit, et ex vi illius, ut inductive constat.

83. Confirmatio. Confirmatur. Quia non solum ens divinum, ut est ratio quædam communis communitate rationis, tam essentiæ divinæ, quam reliquis formalitatibus divinis, sed etiam essentia divina, ut habet rationem transcendentis, imbibitur intime tanquam prædicatum transcendens, et commune communitate rei in amore essentiali, qui Spiritui Sancto ex vi suæ processionis communicatur : ergo ex vi ejusdem processionis communicabitur illi divina natura : et per consequens ejus processio erit vera generatio. Antecedens patebit ex iis, quæ sequenti quæstione dicemus, dum explicuerimus quomodo essentia divina habeat rationem transcendentis respectu relationum, ita ut non solum identificetur cum eis secundum hanc rationem sumpta; sed etiam intime in eis imbibatur per modum prædicati transcendentis, et communis, non qualitercumque, sed communitate rei.

Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quoniam prædicatum commune, et transcendens transcendentia, et communitate rei, id est, per modum prædicati singularissimi, et immultiplicabilis in iis, in quibus transcenditur, est transcendens potiori, et nobiliori modo, ac proinde intimiori, quam prædicatum, quod est transcendens, et commune communitate rationis, sive per intellectum : ergo, si hoc attingitur, et communicatur ex vi illius processionis, per quam attingitur, et communicatur res illa, in quam transcenditur : consequens erit, ut potiori ratione communicetur ex vi processionis Spiritui Sancto essentia divina, ut habet rationem transcendentis, et communis communitate rei respectu amoris essentialis, qui eidem Spiritui Sancto ex vi processionis communicatur. Secunda vero consequentia ex hac priori, et ex antecedenti videtur aperte sequi.

Nec refert, si occurras, amorem essentialem, qui Spiritui Sancto ex vi processionis communicatur, non includere ex vi suæ lineæ essentiam divinam per modum transcendentis; sed solum eam includere quia prædictus amor est in Deo, et quidquid est in illo includit essentiam Dei, ut habet rationem transcendentis. 84. Solutio.

Nam contra hoc est, quod talis amor ex vi suæ lineæ petit esse in Deo : ergo si ex eo, quod sit in Deo, habet imbibere naturam divinam, ut est transcendens, etiam habebit hoc ex vi suæ lineæ : siquidem id, unde hoc ei provenit, est petitum ex vi prædictæ lineæ. Impugnatur.

Confirmatur. Quoniam, quod talis amor divinus, et ejus processio sint in Deo, convenit illis ex eo, quod prædicta processio est actio, sive operatio immanens, et amor divinus est terminus immanens prædictæ processionis : hæc autem conveniunt utrisque ex vi suæ lineæ, ut constat : ergo, etc. Confirmatur.

Respondetur ad argumentum concedendo antecedens, sumpta ratione entis divini, prout non dicit naturam divinam, sed rationem entis ut inclusam in ratione amoris, et impulsus divini. Nam licet processio Spiritus sancti non attingat rationem 85. Respondetur ad argumentum.

nem hanc ut terminum formalem, sicut nec rationem illam substantiæ nuper dictam, et transcendentem omnia divina : attingit tamen rationes has quodammodo ex vi processionis, quatenus per se, et intra propriam lineam habet attingere illam (ut sic dicamus) portionem v. g. entis divini, quæ specialiter includitur, et transcenditur in amore divino, hoc ipso quod ex vi sua attingat eumdem amorem ut terminum formalem : quia prædicta quasi portio pertinet absolute, et simpliciter ad lineam amoris.

86. Cæterum neganda est utraque consequentia. Et ad probationem prioris, in qua innititur posterior, dicendum est, quod etsi actio infinite perfecta, et adæquate secundum omnia, quæ affert, sive formalissime sive identice, considerata, ac attingens ex vi sua rationem aliquam communem, et transcendentem attingat etiam omnes rationes in re illa repertas : non tamen est necesse ut considerata inadæquate, seu præcise secundum id, quod ex vi suæ lineæ affert, tunc attingat omnes illas, quando terminus formalis, et per se primus illius non est illa ratio communis, et transcendens sed ratio alia, in qua hæc imbibitur, ita ut ratio illa communis, et superior solum per se secundo, sive ratione alterius prius attactæ habeat ex vi illius processionis attingi, ut in præsenti contingit : ubi terminus formalis per se primus non est ratio entis divini, sed ratio amoris, et impulsus divini, seu (quod in idem quoad præsens redit) ratio amoris, et impulsus perfectissimi intra suam lineam, quique potest explicari per hoc quod si amor procedens a Deo, et tendens in Deum, non determinando, aut exprimendo, quod habeat formaliter naturam divinam : et ratione hujus amoris attingitur per se secundo ratio entis divini, seu illa quasi portio entis divini, ut peculiariter imbibitur in prædicto amore divino, quæque propterea dicitur, et est divina. Unde exemplum illud de actione creativa, quæ ex vi suæ lineæ extenditur, saltem per se secundo, ad productionem creaturæ quoad omnes rationes in ea inventas, nihil contra hoc convincit. Quia terminus quasi per se primus, et virtualiter specificativus illius, est ratio communis entis in quantum est ens. Et propterea non mirum, quod ex vi suæ lineæ terminetur etiam secundario ad omnes rationes entis ibidem inventas : quippe quæ participant rationem formalem prædicti termini.

Diximus, *quod terminus quasi per se primus, et virtualiter quasi specificativus illius actionis est prædicta ratio communis entis in quantum est ens*, ut hæc cohærerent cum illis, quæ in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disp. 6 num. 22 et tract. 3 disp. 5 num. 48 diximus, ubi explicuimus, qua ratione ens creabile ut sic, sit terminus quasi per se primus, et virtualiter specificativus divinæ omnipotentiæ, ac proinde creationis, quæ habet eumdem terminum, ac potentia Dei.

Ad confirmationem concedatur antecedens, et negetur utraque consequentia. 87. Fit obviam confirmationi. Quia etsi in amore essentiali imbibatur divina natura, non quidem sub conceptu naturæ, sed sub conceptu transcendentis : attamen prædictus amor non petit imbibere sic divinam naturam tanquam aliquid, quod pertineat ad suam lineam, sed tanquam aliquid alterius lineæ. Sicut, licet divina natura per se petat terminari suis personalitatibus, et identificari cum illis, non tamen tanquam aliquid suæ lineæ. Et similiter, licet relationes imbibant naturam divinam per modum transcendentis, imbibunt tamen illam, non ut est lineæ relativæ, sed tanquam aliquid absolutum et ad aliquam ex lineis absolutis spectans. Et ita, si processio, qua communicatur Spiritui Sancto prædictus amor, consideretur secundum ea præcise, quæ sunt suæ lineæ, non competet ei, quod sit communicatio naturæ divinæ, adhuc sub conceptu transcendentis consideratæ sed ad summum id ei conveniet, quatenus etiam ipsa processio, ex eo quod est in Deo, imbibit per modum transcendentis lineam alienam, nempe lineam naturæ, non quidem sub conceptu naturæ, sed sub conceptu transcendentis consideratam. Hinc tamen non fit quod eadem processio adhuc ut imbibit divinam naturam sic conceptam, communicet Spiritui Sancto naturam divinam sub conceptu naturæ, sed solum sub conceptu transcendentis. Et ita Spiritus Sanctus, ut præcise procedit per suam processionem sic imbibentem naturam divinam, non procedit ut persona : quia ad rationem personæ desideratur communicatio naturæ sub conceptu naturæ.

Et ad probationem primæ consequentiæ, in qua innititur posterior, dicendum est quod, etsi prædicatum transcendens, et commune communitate rei, sit potissimum transcendens, id est, dicat nobiliorem rationem inter prædicata transcendentia, non tamen est potissimum id ratione intimitatis cum

re, in qua transcenditur : quia transcendens commune communitate rationis potest pertinere ad lineam illius, in quo transcenditur; si consideretur secundum illam quasi portionem, v. g. entis, secundum quam transcendit : et ita potest non distingui virtualiter secundum hanc portionem a re, quam transcendit, et non constituere peculiarem aliquam lineam, sed pertinere præcise ad lineam ejus in quo transcenditur : at transcendens commune communitate rei constituit suam peculiarem lineam, ut in essentia divina per modum transcendentis considerata constat, et distinguitur virtualiter a re, quam transcendit, et ideo non est ita intimum, sicut transcendens commune communitate rationis : ac proinde non mirum, quod transcendens commune communitate rei non communicetur ex vi processionis rei, in qua transcenditur, si ejus processio secundum præcisa suæ lineæ consideretur ; secus vero transcendens per transcendentiam rationis.

Unde in amore divino procedente per voluntatem Dei, et datur per modum transcendentis ratio entis abstrahentis ab omnibus formalitatibus divinis, et hæc est communis communitate rationis; et ratio naturæ divinæ per modum transcendentis communis communitate rei, nec non et omnia attributa eodem modo considerata : et illa prior ratio transcendens, et communis communitate rationis attingitur ex vi lineæ processionis per voluntatem cum præcisione consideratæ, secus vero alia posteriora transcendentia, quæ sunt transcendentia per communitatem rei. Cæterum in quo distinguantur natura divina, ut natura, et ut transcendens, et attributa Dei sub proprio conceptu cujuslibet, et sub conceptu transcendentium modo dicto, et ratione omnia hæc debeant includi in singulis formalitatibus divinis, constat ex illis, quæ in 2 tom. tract. 4 disp. 7 num. 72 diximus, et ex illis, quæ infra q. sequenti art. 2 asseremus.

88. *Admissa solutione prædictæ confirmationis occurritur ejus impugnationi. Diluitur confirmatio impugnationis.*

Quare solutio inter arguendum tradita, juxta modo dicta, et statim dicenda intellecta admitti potest. Et ad impugnationem contra eam constat ex dictis.

Ad confirmationem vero respondetur, quod etsi processio per voluntatem, et ejus terminus ex vi suæ lineæ habeant hoc, quod est esse in Deo, quatenus per hoc denotatur quod utrumque communicet illi suum quasi effectum formalem, ac proinde solum in hoc significantur ea, quæ proveniunt Deo ex prædicta processione, et amore secundum ea, quæ intra suam lineam præcise consideratam dicunt : non tamen, quatenus per hoc denotantur ea, quæ ex identificatione utriusque cum divina essentia proveniunt illis ex eadem essentia, cum qua identificantur. Et ita licet tribuant id, quod est suæ lineæ : attamen ab eadem essentia quasi a subjecto illas identificante accipiunt identice, quæ sunt propria lineæ ejusdem essentiæ, ut habet rationem essentiæ : sicut etiam ab eadem essentia, ut habet rationem transcendentis, nec non et ab attributis eodem modo consideratis accipiunt ea, quæ sunt propria illorum sic sumptorum ; et non qualitercumque, sed accipiunt hæc tanquam aliquid alienæ lineæ.

§ VIII.

Proponitur, et diluitur quintum argumentum contra eamdem catholicam veritatem.

Quintum argumentum procedens contra veritatem stabilitam in assertione est. Quoniam principium *quo* processionis Spiritus Sancti est voluntas divina, nec non ipsa Dei natura, ut est radix illius ut communiter docent Theologi : ergo Spiritui Sancto ex vi suæ processionis communicabitur tam ipsa voluntas, quam natura Dei. Consequentia videtur legitima. Tum quia, ex quo capite processio Spiritus Sancti est univoca debet illi communicari idipsum secundum speciem, quod est principium *quo* suæ productionis : at, ex quo capite ea, quæ sunt in divinis, non possunt esse idem secundum speciem, et multiplicari secundum numerum, oportet, ut idemmet principium *quo* secundum numerum repertum in Patre, et Filio, a quibus procedit, communicetur illi ex vi suæ processionis : ac proinde communicetur eidem tam voluntas, quam natura Dei, quæ sunt principium *quo* respectu illius. Tum etiam : quia propterea Verbo divino communicatur intellectio, intellectus, et vis radicalis ad intelligendum, quæ sunt in Deo : quia omnia hæc sunt principium, *quo* respectu processionis univocæ illius : et cum ista nequeant multiplicari secundum numerum, debuerunt eademmet numero eidem ex vi processionis communicari. 89. *Quintum argumentum.*

Ad hoc argumentum concesso antecedenti negetur consequentia. Et ad primam probationem dicendum est, processionem univocam 90. *Enodatio quinti argumenti quoad priorem probationem.*

univocam tantum petere similitudinem formalem in forma, quæ est principium proximum, aut quasi proximum illius processionis, ut supra dicebamus. Et ita processio univoca divina tantum exiget, quod idemmet numero principium proximum, quo influit, communicetur quoad id, quod in recto affert, rei, quæ procedit. Quare, cum principium *quo* proximum processionis per voluntatem tantum sit voluntas divina per modum actus purissimi, satis erit, quod hæc secundum id, quod in recto affert, communicetur Spiritui Sancto ex vi suæ processionis, ita ut eadem numero voluntas, et amor, qui est in Patre, communicetur Spiritui Sancto, et hic amor una cum spiratione passiva, sive relatione spirati, sit (modo supra insinuato) terminus formalis *qui* talis processionis, et ipse amor, sive impulsus divinus habeat rationem termini formalis *quo* ejusdem processionis.

Diluitur secunda probatio. Ad secundam probationem dicendum est Verbo divino communicari ex vi processionis naturam divinam : tum, quia principium proximum *quo* illius processionis est ipsum *intelligere* Dei quod non est extra lineam divinæ naturæ, sed illa formalissime constituit : tum etiam (id, quod ex præcedenti sequitur), quia processio Verbi est prima processio inter divinas : ac proinde est processio per modum naturæ.

91. Roboratur solutio hac ratione. Et ratio hujus solutionis est. Quod natura fœcunda in ordine ad sui communicationem, et ut agit per suam primam potentiam (quæ vel sit omnibus modis prima in ratione potentiæ communicativæ, ut in Deo, vel saltem sit ordine intentionis prior, ut in creaturis contingit) habet communicare se ipsam ex vi illius processionis, per quam influit una cum prædicta prima potentia proxima operandi, secus vero, ut influit per alias potentias. Et ita natura Dei, ut influit per suam primam vim proximam influendi scilicet per suum *intelligere*, quod simul est vis radicalis, et proxima influendi respectu primæ processionis, habet (modo sibi proprio, nempe, per modum principii *quo)* communicare ex vi processionis suam naturam ; secus vero, ut influit per voluntatem, quæ est secunda vis influendi. Et ideo, licet utrobique ad solam rationem processionis univocæ ut sic, solum desideretur assimilatio inter principium proximum, et terminum : attamen in priori processione, propter specialem ejus rationem jam dictam, requiritur, ut hæc univocatio sit tanta, et ita (ut sic dicamus) extensa, ut principium *quo* radicale, et proximum ex una parte, et terminus formalis *quo* ex alia, sint ejusdem prorsus rationis : ac proinde *intelligere* divinum, prout per modum actus purissimi et absque distinctione virtuali dicit vim primam ad intelligendum, nec non et vim proximam, ipsumque *intelligere,* seu, ut æquivalet nostræ naturæ radicaliter intellectivæ, nec non intellectui, et intellectioni nostræ ad eamdem lineam spectantibus, et ipsa essentia, et natura Verbi, per quam est terminus formalis *quo* generationis, debent esse omnino idem.

Quam solutionem videtur innuisse D. Thomas in 1 dist. 13. quæst. 1 art. 3 ad 1, his verbis : *Dicendum, quod natura non est principium processionis Spiritus Sancti sub ratione naturæ, sed sub ratione voluntatis, a qua procedit amor. Et ideo sua processio non dicitur nativitas, cum nativitas a natura dicatur.* Ubi, ut ex se constat, non negat S. Doctor, quod principium radicale *quo* processionis Spiritus Sancti sit natura, sed ideo negat, quod illa processio est a natura per modum naturæ, quia non est ab illa, nisi ut modificata per principium proximum ab ea virtualiter distinctum, nempe per voluntatem : et ideo per se primo solum communicat prædictam voluntatem. Unde : quia nativitas in divinis dicitur a natura Dei, idest, ortum habet a natura Dei, ut influit non modificata per principium proximum ab illa virtualiter distinctum, ac proinde ut se ipsam per se primo communicat : idcirco prædicta processio non est nativitas, sive generatio. D.Thom.

Nec refert, si urgeas, quod in processione per intellectum non est natura divina sub conceptu formalissimo naturæ principium illius proximum, sed sub conceptu speciei intelligibilis : et tamen communicatur per talem processionem prædicta natura sub conceptu naturæ : ergo idem quoad præsens de processione per voluntatem dicendum est. 92. Replica.

Non igitur hoc refert. Nam ad hoc satis constat ex illis, quæ disput. præcedenti n. 67 diximus, ubi explicuimus, tum, quomodo etsi species intelligibilis dicat naturam objecti, sub quodam tamen modo ex parte illius se tenente, ut gerit rationem speciei : nihilominus species de principali dicit naturam, et ex vi ejusdem speciei intelligibilis exprimitur in verbo ipsa natura objecti, et in ea habet assimilare illud, tam Occurritur.

sibi, quam eidem objecto intellecto. Tum etiam : quomodo ratio speciei intelligibilis ut talis pertineat ad conceptum divinæ naturæ, ad lineamque ejus, ut 1 tom. tract. 3 disp. 3 n. 18 et deinceps diximus. Et propterea Verbo divino communicatur divina natura, tam ut est *intelligere*, quam ut exercet munus speciei intelligibilis.

§ IX.

Argumentum ultimum contra eamdem veritatem una cum responsione ad illud.

93. Ultimum argumentum contra catholicam veritatem. Ultimum argumentum contra veritatem catholicam jam dictam sic se habet. Quia Spiritui Sancto communicatur re ipsa per suam processionem tam divina natura, quam attributum amoris, ut ex dicendis constabit : ergo, sicut communicatur ei ex vi suæ processionis attributum amoris, ita etiam natura divina, et per consequens ejus processio erit generatio. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quoniam, quoties communicatur per aliquam processionem natura, et ejus proprietas, tunc per prius, et tanquam terminus formalis communicatur natura, et deinde proprietas, ut inductive constat; ac proinde talis natura debet ex vi processionis communicari : siquidem id, quod per prius, et per modum termini formalis communicatur, debet ex vi processionis communicari : ergo, etc.

94. Diluitur. Respondetur concedendo antecedens, et negando primam consequentiam quoad secundam partem : ac proinde etiam secundam consequentiam. Et ad probationem primæ consequentiæ quoad prædictam partem dicendum est eam ad summum esse veram, quando natura, quæ communicatur secundum suum *esse* formale, tantum habet unicum communicationis modum, secus vero quando habet duplicem, et per distinctum principium proximum talis communicationis, ita ut per priorem natura communicetur sub statu perfecto : tunc enim per priorem communicatur natura ex vi processionis, non vero per posteriorem, nisi ad summum identice, quando terminus formalis per se primo intentus fuerit talis naturæ, quod debeat identificari cum natura per priorem aliam processionem communicata, ut in præsenti contingit. Quamvis cum hoc stet, ut ordine executionis quodammodo prius communicetur id quod identice communicatur, nempe natura divina, quam terminus formalis illius processionis, nimirum amor, et impulsus divinus; ac proinde in genere (ut sic dicamus) veluti causæ materialis, et ordine executionis prius communicatur Deitas, quam prædictus impulsus, propter nexum, et (ut sic dicamus) ordinem, quem in esse entis hæc duo habent : tamen si in genere (ut sic loquamur) quasi causæ formalis, et rationis finalis prius debeat communicari idem amor.

Possuntque hæc explicari exemplo generationis, et aggenerationis plantæ. Nam per generationem per prius communicatur natura plantæ sub conceptu naturæ : per aggenerationem vero non communicatur talis natura sub conceptu naturæ, ita ut hæc sit terminus formalis illius, sed tantum communicatur natura plantæ, ut subest distinctæ parti quantitatis : licet identice communicetur eademmet natura quoad essentialia illius, ex eo quod forma plantæ tribuit *esse* vegetativum radicale cuivis materiæ, quam informat. Sicut etiam forma sensitiva tribuit *esse* sensitivum radicale cuicumque materiæ, quam informat, licet non *esse* sensitivum proximum, ut constat ex iis quæ N. Complutenses in lib. de Anima disput. 6 num. 45 docent. Et ita, facta collatione inter has duas rationes repertas in termino aggenerationis, sive nutritionis, tunc per prius in genere causæ materialis, et ordine executionis producitur substantia denuo adveniens quoad id, secundum quod est ejusdem naturæ cum substantia præexistente : attamen in genere causæ formalis, et finalis prius est eadem substantia, ut subest distinctæ parti quantitatis : quia planta se nutriens jam habebat sua essentialia, et tantum deerat illi aliquid substantiæ habens eamdem naturam cum illa quoad essentialia, ratione cujus posset subesse novæ parti quantitatis, per quam augeretur, quamque ad suum complementum expetebat. Quomodo autem, et cur substantia præexistens, etsi sit ejusdem naturæ cum illo substantiæ, quod denuo per nutritionem acquiritur, non poterat subesse novæ parti quantitatis, per quam augeatur, nisi novum aliquid substantiæ acquireret : qua ratione hoc substantiale, quod acquiritur, distinguatur a substantia præexistente : et alia ad hoc conducentia explicantur bene a nostris Complutensibus in lib. de Generatione disp. 5 a num. 85 usque ad 95. 95. Elucidatur solutio exemplo.

Advertendum

96. nimadversio pro majori luce prædictæ solutionis.

Advertendum tamen, quod inter exemplum propositum, et rem, de qua agimus, est magna quædam disparitas. Quoniam per aggenerationem, seu nutritionem communicatur ex vi processionis; licet non per se primo, natura v. g. plantæ quoad essentialia : attamen in processione Spiritus Sancti non communicatur ei natura divina ex vi processionis adhuc per se secundo, si ly *per se secundo* cadat supra processionem quoad propria suæ lineæ præcise consideratam. Et ratio hujus discriminis est. Quod per generationem plantæ non est producta natura sub statu perfecto pertinente ad lineam naturæ, sive cum omni illo substantiali, quod intra suam lineam requiritur ad suum complementum, quodque formaliter constituitur per eamdem naturam, eamdemque formam quoad essentialia cum planta; et ideo oportet, ut detur alia processio, quæ iterum communicet hanc naturam, idest, producat illud substantiale, quod deest plantæ, quodque debet habere eamdem naturam, eamdemque formam constitutivam, ac planta : licet, quia hoc substantiale habens talem naturam potissime desideratur, ut planta possit subesse novæ parti quantitatis, per quam augeatur, propterea illa communicatio per prius prioritate jam dicta nempe in genere causæ, et termini formalis, terminetur ab illud substantiale, ut subest prædictæ parti quantitatis.

97. Cæterum : quia in divinis communicatur per primam processionem natura divina sub statu perfecto pertinente ad lineam naturæ, et amor, qui communicatur per secundam processionem, non dicit intra suam lineam consideratus, naturam divinam sub conceptu naturæ : propterea ex vi secundæ processionis, non communicatur eadem natura ex vi processionis, seu præcise ex vi eorum quæ processio ex sua linea affert; sed ratione illorum, quæ identice importat, solumque producitur aliquid ad aliam lineam pertinens, scilicet personalitas Spiritus Sancti : ac tandem solum communicatur aliquid, quod per se primo non erat communicatum per processionem priorem, et erat capax hujus communicationis, nempe amor, et impulsas divinus, qui solus inter attributa Dei potest se primo communicari, ex eo quod ultra processionem per intellectum, per quam communicatur per se primo natura, non est in Deo, aut in creatura pure intellectuali alia processio præter processionem per voluntatem, et huic correspondet amor, sive impulsus tanquam terminus formalis per se primus illius. Sed circa ea, quæ in hoc dubio dicta sunt, videantur illa, quæ in sequenti dubio dicentur : ex quibus tam ratio assertionis, quam ea, quæ pro solutione argumentorum diximus, amplius elucidabuntur.

DUBIUM III.

Utrum ratio a D. Thoma in hoc art. 4 adducta ad probandum, processionem Spiritus Sancti non esse generationem, sit sufficiens?

98. Postquam absolute explicuimus, quomodo processio Spiritus Sancti non sit generatio, restat, ut exponamus, an id sufficienter (supposita tamen fide de divinis processionibus) probetur ex discrimine, quod D. Thomas constituit art. 4 hujus quæstionis inter processionem Verbi, et Spiritus sancti, petitum ex diverso modo, quo petit oriri id, quod procedit per voluntatem, et id, quod procedit per intellectum. Excitamus autem hoc dubium immediate post præcedens : quia ea, quæ in illo dicta sunt, non parum ex dicendis in eo elucidabuntur. Ratio vero, propter quam examen hoc rationis D. Thomæ in præcedenti dubio non fecimus, est, ne nimis prolixe in eo procederemus, et quia clarius, ac dilucidius, ac tandem exactius res hæc in suo peculiari dubio discutietur. D.Thom.

§ I.

Decisio dubii.

99. Conclusio. Dicendum igitur est, ratione D. Thomæ sufficienter (supposita tamen fide de processionibus divinis) probari, processionem Spiritus Sancti non esse generationem. Assertionem hanc tuentur Cajetanus art. 4 contra Gentes c. 11 et 19, Capreolus in 1 dist. 9 q. unica art. 1 in solutione ad 2, Aureol. contra 1 conclusionem, Bannez, Nazarius, Ripa, Zumel in præsenti, Valentia puncto 4 ad 4, Rada controv. 14 art. 1, Suarez lib. 11 de Trinit. cap. 5, N. Cornejo in 1 part. tract. 3 disp. 3 dub. 3, Ruiz in præsenti disp. 8 sect. 3, Arrubal disp. 98 cap. 4, ubi alios refert : quamvis aliqui ex his auctoribus aliqua immisceant doctrinæ D. Thomæ non ita consona. Et tandem hoc tuentur omnes discipuli S. Doctoris.

Cajetan. Ferrara. Capreol. Bannez. Nazar. Ripa. Zumel. Valentia. Rada. Suarez. N.Corn. Ruiz. Arrubal.

100. Enucleatur ratio D. Thomæ et probatur assertio. Assertio hæc non aliter melius suadebitur, quam adducendo rationem D. Thomæ desumptam ex discrimine, quod est inter processionem per intellectum, et voluntatem, quæque sub hac forma proponi potest. Nam processio Verbi divini ex sua propria ratione formali, seu quatenus est processio per intellectum, producit terminum similem objecto intellecto, quod est principium intellectionis, et termini ipsius : at processio Spiritus Sancti ex sua propria ratione formali, seu quatenus est processio per voluntatem, non producit terminum similem objecto volito, quod etiam quodammodo est principium volitionis, et illius termini, sed tantum inclinationem et impulsum in illud : ergo processio Verbi, quæ est per intellectum, erit vera generatio; secus vero processio Spiritus Sancti.

Antecedens probatur, tum ex diverso modo, quo intellectus, et voluntas terminantur ad sua objecta. Nam intellectus terminatur ad illud trahendo ad se idem objectum : ac proinde producendo in se similitudinem quamdam ejus, per quam illud trahat ad intra : voluntas vero terminatur ad suum objectum, non quidem trahendo illud ad se; sed potius movendo, et inclinando se ad illud : ex eo quod fertur ad res, prout sunt in se : et ita processio per voluntatem producit terminum, qui sit impulsus, et inclinatio quædam voluntatis in objectum volitum. Tum etiam, quia intellectus constituitur in actu primo tanquam per propriam formam per similitudinem objecti, et ita terminus ejus procedit similis objecto ex vi suæ processionis : at voluntas non constituitur in actu primo per similitudinem objecti tanquam per propriam formam, sed per inclinationem in actu primo in idem objectum, et ideo terminus ejus ex vi suæ processionis non procedit similis objecto volito, sed tantum procedit, ut impulsus et inclinatio in idem objectum.

Consequentia vero quoad primam partem probatur. Quia, cum termino producto per intellectum, nempe Verbo divino, conveniant aliæ particulæ definitionis generationis viventium, scilicet, quod oriatur per modum *viventis a principio vivente conjuncto*, ut ex dictis disput. præcedenti constat : fit inde, ut si ex vi suæ processionis procedit etiam in similitudinem naturæ, quod conveniat eidem processioni esse generationem. Quoad secundam vero partem eadem consequentia ex antecedenti constat. Nam cum id, quod procedit per generationem, debeat procedere in similitudinem naturæ, consequens est, ut si Spiritus Sanctus, quippe terminus productus per voluntatem, non procedit ex vi suæ processionis ut similis in natura objecto dilecto, nempe Deo, nequeat ejus processio esse generatio.

Quam rationem adduxit etiam D. Thomas 4 contra Gentes c. 19 his verbis : *Amatum in amante non est secundum similitudinem speciei sicut intellectum in intelligente. Omne autem, quod procedit ab altero per modum geniti procedit secundum similitudinem speciei a generante. Relinquitur ergo, quod processus rei ad hoc, quod sit in voluntate sicut amatum in amante, non sit per modum generationis : sicut processus rei ad hoc quod sit in intellectu, habet rationem generationis. Deus igitur procedens per modum amoris non procedit ut genitus : neque igitur Filius dici potest.* Circa quam rationem videnda sunt ea, quæ in hac disputatione dubio 1 diximus circa illam propositionem, nempe, quod amatum debet esse in amante mediante impulsu, et inclinatione, quæ per amorem producitur, et quomodo, quod amatum sit in amante hoc modo, non tollit, quin potius ponit, quod amans versetur circa amatum inclinando, ac movendo se ad ipsum, prout est in se : ex eo quod hæc inclinatio est pondus productum, medio quo amatum habet, quod sit in amante, ut inclinans, et impellens illud in rem amatam. Et ita in idem redit, quod processus rei, ad hoc ut sit in voluntate sicut amatum in amante, non sit per modum similitudinis, aut generationis, et quod impulsus, et inclinatio, media qua amans impellitur in amatum, quæ est terminus processionis per voluntatem, non procedat per modum similis, seu per generationem, ut res genita. 101. D. Thom.

Huc etiam tendit ratio quam idem S. Doctor in 1 dist. 13 quæst. 1 art. 3 ad Annibaldum his verbis adducit : *Dicendum quod Spiritus Sanctus procedit ut amor. Processio autem amoris, in quantum hujusmodi, non est in conformitate naturæ : sic enim ubicumque esset amoris processio, inveniretur naturæ conformitas, quod patet in nobis esse falsum. Quod autem Spiritus Sancti processio sit in conformitate naturæ, hoc est in quantum procedit ut amor divinus : quia in Deo non potest esse aliquid diversum a sua natura. Sic ergo processio Spiritus Sancti ex ratione modi procedendi non dicit conformitatem* 102. S. Doct.

mitatem naturæ, quam importat generatio Filii ex ratione generationis. Et ideo Spiritus Sancti processio dici non debet generatio, sicut nec Spiritus Sanctus debet dici Filius, quamvis sit ab alio. Circa quam rationem, et ejus majorem explicationem videnda sunt ea, quæ disput. præcedenti circa processionem Verbi adduximus, ubi ex eo, quod in nobis verbi productio est aliqualis generatio, verbumque productum procedit quodammodo in similitudinem naturæ, scilicet, sub *esse* repræsentativo, intulimus, processionem intellectus esse per modum generationis : ita ut processio imperfectionibus involuta, qualis est processio verbi creati, sit generatio secundum quid, et imperfecta, et processio per intellectum liberum ab imperfectionibus, qualis est divinus, sit generatio perfectissima. Pari ergo ratione, ex eo quod in nobis processio per modum amoris non petat naturæ conformitatem, seu non sit processio per modum similitudinis in natura, adhuc sub *esse* diminuto, et intelligibili, cum objecto amato, colligemus, processionem per voluntatem perfectissimam, nempe Dei, non esse secundum rationem similitudinis, nec veram rationem generationis habere.

D.Thom. Anselm. August. Desumpsitque D. Thomas hanc suam rationem ex Anselmo in Monologio cap. 53, et ex Augustino lib. 15 de Trinitate cap. 2 longe post medium in hæc verba : *Ipsa ostendit tibi verbum verum esse in te quando de scientia tua gignitur, etc. Filque in acie cogitantis imago simillima cogitationis ejus, quam memoriam continebat, ista duo velut parentem, et prolem tertia voluntate, sive dilectione jungente : quam quidem voluntatem de cognitione procedere, non tamen esse cogitationis imaginem : et ideo quamdam in hac re intelligibili nativitatis, et processionis insinuari distantiam. Quoniam non hoc est cogitatione conspicere quod appetere, vel etiam perfrui voluntate.* Ubi, ut vides, inde infert Augustinus, verbum esse prolem, et genitum, non vero voluntatem, seu (quod in idem quoad præsens redit terminum illius quoniam non est idem cogitatione conspicere, ac appetere : ac proinde rationem hujus discriminis reduxit ad diversum modum procedendi per cogitationem, et per appetitum.

§ II.

Solutio prior Torrensis et Vazquesii.

103. Prior solutio ad rationem D. Thomæ. Torres. Vasquez. Occurrunt Torres art. 2 hujus quæstionis in 4 parte commentarii, et Vasquez in præsenti disp. 113 cap. 6 et 7 (quibus hæc ratio D. Thomæ displicet) quod etsi ex vi illius sequatur, quod Spiritui Sancto non communicetur natura divina ex vi processionis per voluntatem ea præcisa ratione, qua est processio per voluntatem : non tamen, quod ea ratione, qua est per voluntatem divinam, non communicetur ei prædicta natura ex vi suæ processionis. Sicut etiam Verbo in divinis non communicatur natura divina ex vi processionis ea ratione, qua talis processio est per intellectum præcise; sed quatenus est per intellectum divinum. Et ideo quoad hoc par est ratio in utraque processione per intellectum, et voluntatem. Et quemadmodum ex vi processionis communicatur Verbo natura Dei : sic et Spiritui Sancto ex vi suæ processionis prædicta natura communicatur. Sed solum est discrimen inter illas, quia Verbo communicatur ratio imaginis non vero Spiritui Sancto, ut infra quæst. 35 dici solet : ex eo quod Verbum procedit ad repræsentandum Patrem; secus vero Spiritus Sanctus. Et idcirco Verbum procedit ut Filius, secus vero Spiritus Sanctus : et illius processio est generatio, secus vero istius processio.

104. Anselm. Unde Anselmus in Monologio c. 53 proponens hanc difficultatem sequentibus verbis : *Quid ergo? cum hic amor pariter habeat esse a Patre, et Filio, et sic similis sit ambobus, ut nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit quod illi, numquid Filius eorum, aut proles æstimandus est?* sic respondet : *Sed sicut Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse ejus, a quo procedit, evidentissime probat promptam præferendo parentis imaginem : sic amor aperte se prolem negat. Quia, dum a Patre, et Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem, quamvis ipsum, considerata ratio doceat, omnino id ipsum esse, quod et Pater, et Filius.* Et similiter D. Thomas 4 contra Gentes cap. 11 probat, primo, Filium Dei esse imaginem producentis : deinde, esse in eadem natura, et hinc colligit esse Filium his verbis : *Non enim sic esse imaginem alicujus, ut ejusdem naturæ cum illo sit, in ali-* D.Thom.

quo invenitur, quod filius dici non possit.

105. Roboratur solutio ratione. Ratio autem, propter quam ad rationem generationis non solum exposcitur, quod terminus illius habeat ex vi processionis procedere secundum identitatem naturæ; sed etiam, quod procedat per modum imaginis, deducitur ex generationibus viventium creatorum, in quibus ad rationem filii, et generationis, ultra rationem identitatis in natura desideratur ratio imaginis. Et ideo adhuc in generationibus æquivocis, qualis est generatio muli, reperitur, quod filius præ se ferat aliquam imaginem patris, ita ut ex eo bene cognito pater cognoscatur. Et similiter in generationibus univocis, quo filius, ultra identitatem in natura, habuerit esse magis, aut minus perfecte *esse* repræsentativum sui patris : eo magis, aut minus dicitur perfecte ejus filius. Propter quod, cum parum repræsentat suum parentem, solemus asserere, eum non esse filium sui patris ; et cum magis matrem, quam patrem repræsentat, dicimus, eum magis esse filium matris, quam patris. Quorum nequit alia ratio assignari, nisi quia de ratione filii est ordinari ad repræsentandum suum genitorem.

Unde nomen *filius* non significat substantiam, sed relationem ad patrem, et non aliam quam eam, quæ fundatur in similitudine producta ad repræsentandum : et ideo non crescente perfectione substantiæ, aut fundamento, quod est, aut unitas in natura specifica, aut productio, crescit perfectio filiationis propter majorem, vel minorem repræsentationem. Nec putandum est (addunt authores hi), hoc non contineri in definitione generationis viventium. Nam illa particula *in similitudinem naturæ* debet intelligi de similitudine, quæ est imago, sive quæ ordinatur ad repræsentandum.

§ III.

Impugnatur primo præcedens solutio.

106. Enervatur prædicta solutio primo. Cæterum hæc solutio in multis deficit. Primo quidem in hoc, quod Spiritui Sancto ex vi suæ processionis, asserit, communicari naturam divinam. Nam oppositum hujus satis constat. Tum ex testimoniis D. Thomæ, et aliorum Patrum, quæ dubio præcedenti, et in isto adduximus. Tum etiam ex ratione, quam ex eodem Angelico Doctore et aliis Patribus in favorem nostræ assertionis num. 50 et deinceps attulimus. Nam, ut ibidem expendimus, contra rationem processionis tam in intentione, quam in executione secundæ, qualis est processio per voluntatem, est, quod ex vi sua, seu præcise ratione suæ lineæ habeat communicare naturam, quæ est in producente : sed hæc communicatio correspondet processioni per se primæ tam in intentione, quam in executione tali, si illa processio fuerit processio divina, seu omnium perfectissima, ut dubio præcedenti, num. 98 diximus : vel processioni per se primæ tantum in intentione ut in rebus creatis propter earum imperfectionem cernitur.

Deinde hic idem defectus potest ostendi primo. Nam, cum dicitur, Spiritui Sancto communicari naturam divinam, prout hæc processio procedit per voluntatem divinam, vel intelligitur de voluntate divina, prout ly *divina* significat quidquid est in Deo, ac habet esse identice Deum : vel prout tantum denotat processionem per voluntatem perfectissimam secundum ea præcise, quæ intra propriam lineam, et ex vi ejusdem lineæ dicit, ac proinde, processionem ortam, aut quasi ortam a voluntate cum hac præcisione sumpta, et a natura divina, non quidem ut identificante sibi prædictam voluntatem, sed est radix illius, et processionis ab ea proxime fluentis? Si primum dicatur, tunc planum est, quod Spiritui Sancto non communicabitur natura divina ex vi processionis, seu (quod in idem redit) ex vi eorum, quæ talis processio intra propriam lineam affert : siquidem tunc processio ista tantum communicabit naturam divinam, secundum quod prædicta processio identice est Deus. 107. Confirmatur.

Secundum autem dici nequit. Nam ex eo, quod processio aliqua oriatur a voluntate perfectissima secundum ea præcise, quæ dicit intra suam lineam, et a natura perfectissima, prout tantummodo habet esse radix illius, nequit colligi, nisi quod communicet per modum actus purissimi intra lineam tantummodo voluntatis illud ipsum, quod communicatur per processionem voluntatis creatæ intra propriam lineam sui termini, sicut ex eo quod actus alicujus virtutis intellectualis existentis in Deo, ut actus v. g. intelligentiæ, sit summe perfectus intra suam lineam, et oriatur a natura divina ut a prima radice, tantum sequitur, habere per modum actus purissimi, et seclusis imperfectionibus illud ipsum, quod intelligentia habet in creaturis, non tamen quod formalissime, et

et cum præcisione eorum, quæ intra propriam lineam dicit, sit Deus : ergo, cum processio per voluntatem creatam tantum habeat ex vi suæ lineæ, et sui termini producere terminum, qui intra suam lineam tantum sit impulsus, et inclinatio quædam, fiet inde, ut processio per voluntatem divinam, prout solummodo dicit voluntatem perfectissimam intra suam lineam, et ortam a natura Dei, ut est præcise radix illius, tantum communicet impulsum perfectissimum, et per modum actus purissimi liberum ab omnibus imperfectionibus.

Confirmatur, et explicatur amplius. Confirmatur, et explicatur. Nam voluntas divina prout modo dicto præcise affert voluntatem secundum ea, quæ sunt suæ lineæ, tantum dicit illud ipsum, quod eadem voluntas diceret, si per impossibile intelligeretur separata a natura divina : sed voluntas perfectissima sic separata tantum haberet producere impulsum, et inclinationem perfectissimam intra suam lineam : ergo hoc ipsum, et non amplius habebit modo, si sumatur secundum ea præcise, quæ intra propriam lineam, seu ex vi suæ lineæ affert. Consequentia non indiget probatione. Minor vero propositio ex majori constat. Quoniam sicut, si separaremus virtutem intelligentiæ vel sapientiæ a Deo, tunc actus talium virtutum præcise essent actus intelligentiæ infiniti, et summe perfecti intra lineam harum virtutum tantummodo, quia perfectiones, quæ in creaturis correspondent his virtutibus separatis etiam saltem per impossibile a suis subjectis, solum dicerent hoc ipsum involutum cum imperfectionibus ita separata per impossibile volantate intra suam lineam præcise perfectissima, tunc tantum producet terminum, et impulsum intra lineam impulsus perfectissimum. Major autem etiam constat. Quoniam voluntas divina sic separata tantum diceret ea, quæ sunt suæ lineæ : quemadmodum virtutes intelligentiæ, aut sapientiæ hoc tantummodo dicerent : ergo voluntas divina secundum ea, quæ sunt suæ lineæ præcise ; tantum dicet illud ipsum, quod eademmet separata a natura divina diceret.

108. Aperitur vis hujus confirmationis. Quæ confirmatio habet eadem vim, etiamsi voluntas divina separaretur per impossibile a natura divina, præcise ut habet rationem naturæ, licet adhuc tunc maneret in ea natura divina, non quidem sub conceptu naturæ, sed sub conceptu transcendentis considerata. Hoc autem sic explicatur. Nam licet eo eventu produceret impulsum perfectissimum, qui etiam per modum transcendentis includeret naturam divinam sub conceptu transcendentis sumptam : non tamen impulsum, qui imbiberet eamdem naturam sub conceptu naturæ : ex eo quod sicut tunc voluntas tantum includeret naturam Dei sub conceptu transcendentis, sic tantummodo produceret impulsum hoc modo includentem naturam divinam : siquidem, ut sæpe diximus, illud ipsum in divinis processionibus communicatur ex vi processionis, sive per se primo, sive per se secundo, quo est in principio proximo illius communicationis, et eo modo, non quidem relativo, sed absoluto, quo est in illo. Unde, quemadmodum voluntas divina in eo eventu non esset Deus formalissime loquendo : quoniam hoc provenit a natura divina sub conceptu naturæ, licet includeret, ut modo innuebamus, per modum transcendentis totam perfectionem, quæ alias est in divina natura sub conceptu naturæ considerata : ita hoc ipsum cum proportione in termino per illam ex vi processionis producto reperiretur. Sicut etiam : quia voluntas perfectissima in illo statu separationis a natura divina, per impossibile dato, peteret uniri cum eadem natura, eique identificari, ac proinde solum identice et ex vi alicujus lineæ esse Deum : ideo terminus per illam tunc productus peteret identificari cum eadem natura Dei, et quod ratione hujus identificationis, non vero ex vi processionis, et ratione suæ lineæ, esset Deus.

Quorum omnium ratio est. Quod transcendentia sub conceptu transcendentium habent veluti formalizari per modos, aut differentias, sive quasi differentias atomas, in quibus intime imbibuntur, et quasi trahi ad lineam earum : quatenus per hoc dumtaxat significatur, quod, si fuerint transcendentia per transcendentiam, et communitatem rationis, et imbibita v. g. in voluntate, ibi tantum sunt voluntas, nec habent secundum alteram considerationem constituere aliam lineam. Sicut ens in substantia inclusum, est substantia, et non accidens : et in accidenti est accidens et non substantia : ex se tamen non constituit propriam lineam. Si vero fuerint transcendentia per transcendentiam, et communitatem rei, ut in divina essentia, et attributis per modum transcendentium sumptis contingit, tunc, ut sunt ibidem, non tribuunt illum quasi effectum formalem, quem tribuunt sub alio conceptu, nempe, sub 109. Roboratur amplius eadem confirmatio ratione.

conceptu naturæ, vel attributorum, sed inclusa, v. g. in voluntate perfectissima, tunc illud quasi conjunctum, quod coalesceret ex voluntate secundum propria suæ lineæ et ex essentia, aut attributis per modum transcendentium consideratis, tantum esset voluntas perfectissima intra suam lineam, et talis conditionis, ut, licet ratione aliarum linearum sub conceptu transcendentium sumptarum includeret totam perfectionem, quæ alias est in illis, non tamen, adhuc ut prædicta includit, esset formalissime loquendo Deus sub conceptu Dei, vel alia attributa sub conceptu proprio illorum : ex eo quod esse sic Deus, aut alia attributa dicit naturam divinam sub conceptu naturæ, et alia attributa sub proprio eorum conceptu. Sed hæc amplius constabunt ex iis, quæ num. 72 et 73 disput. 5 dicentur, ubi ex iis, quæ in 2 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 4 disp. 4 a num. 18 nec non et disput. 7 num. 73 diximus, et eis suppositis tangemus, quid dicant divina essentia, aut attributa sub conceptu transcendentium, quid vero natura sub conceptu naturæ, et attributa sub proprio conceptu cujuslibet, et quomodo hinc oriatur id, quo modo circa voluntatem perfectissimum dicebamus.

Confirmatur ulterius et magis elucidatur præcedens confirmatio.

Confirmatur, et explicatur amplius. Nam, sicut processio passiva Spiritus Sancti, et ipse Spiritus Sanctus realiter procedunt a natura divina, et voluntate Dei ut a principio *quo* radicali, et proximo : ita voluntas Dei, quæ est principium proximum hujus processionis habet secundum ea, quæ dicit intra propriam lineam dimanare secundum rationem nostram a divina natura : at ex eo, quod voluntas Dei sic dimanet ab ejus natura, non intelligitur habere ex vi hujus dimanationis, et ex vi propriæ lineæ divinam naturam, ac proinde nec ex vi hujus dimanationis dimanare per modum Dei, sed hoc tantum convenit illi identice : alioqui ex vi talis dimanationis non dimanaret ut attributum : ergo nec etiam Spiritus Sanctus, et ejus processio passiva, ut modo unicuique ex illis debito procedunt radicaliter a natura divina, et proxime a voluntate Dei, erunt ex vi processionis Deus.

110. Patet consequentia. Quoniam si voluntas Dei non habet esse formaliter Deum ex vi suæ virtualis dimanationis, quamvis dimanet immediatius a natura divina, ut a principio *quo* : non est cur processio Spiritus Sancti, et ipse Spiritus Sanctus, ut præcise procedunt a natura divina tanquam a principio *quo* radicaliter, et mediate, nempe mediante voluntate Dei secundum ea, quæ sunt suæ lineæ, habeant ex vi suæ processionis esse formaliter Deum.

Urgetur amplius.

Tum etiam : quia voluntas divina non intelligitur attingere productionem Spiritus Sancti, et ipsum Spiritum Sanctum, ut est terminus per se primus illius, modo imperfecto, nempe, per modum instrumenti, sive per modum virtutis instrumentalis indigentis elevatione, ut ex se constat, sed per modum virtutis principalis proximæ : et ita nihil perfectionis potest a natura divina per modum radicis derivari in processionem Spiritus Sancti, et in ejus formalem, et per se primum terminum mediante voluntate, quin prius communicetur voluntati ab eadem divina natura virtualiter dimananti. Sicut, quia lux existens in sole est causa principalis proxima lucis productæ in aëre ab eodem sole, ut a causa principali, et radicali, idcirco, quidquid lucis productæ in aëre communicatur a sole, debet prius esse in luce residente in sole, et eidem per naturalem dimanationem communicari. Maxime : quia (ut disp. præcedenti num. 99 latius dicebamus) principium proximum *quo* processionis univocæ, et terminus per se primus illius, debent esse ejusdem rationis : et ita non stat, voluntatem Dei, ut intra suam lineam est principium proximum hujus processionis, non esse formalissime loquendo Deum : et quod terminus ejus per se primus hoc habeat ex vi processionis.

Præterea. Nam principium proximum pertinens ad ordinem intellectualem non potest tribuere termino formali *quo* per se primo aliquem immaterialitatis gradum, nisi prædictum principium proximum secundum se, et formaliter sumptum habeat gradum; et ideo (ut in 1 tomo alias citato tractatu 2 disp. 2 num. 154 et num. 247 latius diximus) non solum natura radicaliter intellectiva, verum etiam ipse intellectus ; imo et species intelligibilis, quia influit proxime in intellectionem, et productionem verbi, debet habere eumdem immaterialitatis gradum cum verbo, ad hoc ut saltem connaturaliter tribuant illi immaterialitatis gradum eidem verbo convenientem : sed voluntas divina, quæ est principium *quo* proximum respectu impulsus per illam producti, nempe, Spiritus Sancti, et pertinet ad ordinem intellectualem tanquam appetitus proprius hujus ordinis, non convenit in gradu immaterialitatis ex vi sua, et cum præcisione suæ lineæ sumpta cum divina essentia,

111. Ultimo roboratur.

essentia, quæ re ipsa, et de facto communicatur Spiritui Sancto; licet identice habeat prædictam convenientiam : ergo ex vi sua, et præcise secundum ea, quæ sunt suæ lineæ non poterit communicare illi essentiam divinam, nec ejus processio ex vi sua, et suæ lineæ hoc habebit; sed tantum ex iis, quæ affert identice. Consequentia cum majori satis videntur constare Minor autem etiam liquet ex illis, quæ in 1 tomo nuper citato tractatu 2 disp. 3 num. 6 diximus, nempe, proprium gradum immaterialitatis essentiæ divinæ consistere in hoc, quod sit ita actualis, ut sit ipsum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali; cum tamen attributa ex vi suarum linearum tantum identice sint suum *esse* existentiæ, quippe quæ solum existunt per unicam et eamdem existentiam divinæ essentiæ, quæ sicut et ipsa essentia divina, virtualiter ab eis distinguitur. De quo etiam infra in hoc eodem tractatu sermo redibit, dum ostenderimus, divinas relationes non existere per existentias relativas proprias illarum, sed per unam et eamdem indivisibilem existentiam divinæ essentiæ ab eis virtualiter distinctam, et cum eadem essentia omnino identificatam.

§ IV.

Alia eversio solutionis Torrensis et Vazquesii.

112. Deficit secundo hæc solutio Torrensis, et Vazquesii in hoc, quod non legitimo sensu testimonia Patrum pro se adducit. Nam etsi Patres dicant Filium esse similem Patri, et illius imaginem ex vi suæ processionis; non tamen denegant rationem imaginis alicui ex viventibus, cui conveniat quod ex vi suæ processionis habeat, identitatem in natura cum suo producente : ac proinde hoc ipso, quod ex vi processionis communicetur ei eadem natura, debet esse Filius. Et ita, si Spiritui Sancto communicatur (ut Vasquez et Torres volunt ex vi processionis natura divina, non poterit non esse Filius et imago. Propter quod D. Augustinus lib. quæstionum in Deuteronomium quæst. 4 sub initio sic inquit : *Omnis imago etiam similitudo est : non omnis similitudo etiam imago est. Unde, si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cujuslibet in altero, non imago. Si autem patri filius similis sit, etiam imago recte dicitur, ut sit pater prototypus, unde illa imago expressa videatur.* Ubi, ut vides, ad rationem imaginis licet non sufficiat, juxta Augustinum, similitudo, seu identitas in natura, attamen identitas hæc una cum expressione a generante, seu (quod in idem redit) quod hæc similitudo habeatur ex vi processionis a producente, est satis ad hoc, ut id, quod procedit habeat rationem imaginis respectu ejus, a quo procedit. August.

Et similiter Anselmus adductus pro hac solutione ideo negat Spiritui Sancto rationem Filii, quia dum a Patre, et Filio procedere intelligitur, *non statim* (ut ipse loquitur) *tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem*, seu (quod in idem redit) quia ex vi eorum, quæ per se primo habet, ut est terminus suæ processionis, non procedit in similitudinem naturæ cum suo principio : quandoquidem ea sola Spiritus Sanctus statim perspicua exhibet, quæ per se primo, et ex vi processionis ei conveniunt. Et ita in his verbis denotavit, tum quod ex vi processionis non habet Spiritus Sanctus procedere ut similis in natura divina. Tum etiam; quod ratio, propter quam non est Filius, nulla est alia, nisi qua ex vi processionis non habet hanc similitudinem, sive identitatem in natura Dei et quod, si prædictam similitudinem ex vi processionis haberet, tunc etiam ex vi ejusdem processionis esset imago Patris, et Filii : quippe cum in eo eventu statim perspicuam exhiberet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem, quod quidem est proprium munus imaginis : et propter ejus defectum, nempe ex eo quod non statim tam perspicuam exhibeat se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem, denegat Spiritui Sancto rationem Filii, et imaginis. 113. Anselm.

Et deinde ideo D. Thomas loco in hac eadem solutione relato colligit ex eo, quod aliquid sit imago alicujus ut ejusdem naturæ cum illo, debere esse filium; quia idem est esse imaginem producentis, et ex vi processionis habere eamdem naturam cum ipso. Et propterea in eodem loco, nempe 4 contra Gentes cap. 2, tantum petit hoc ad rationem generationis, et Filii, et ita inquit : *Hæc est autem veræ generationis ratio in rebus viventibus, quod id, quod generatur, a generante procedat ut similitudo ipsius, et ejusdem naturæ cum ipso : est ergo Verbum Dei genitum.* Et in art. 4 hujus quæstionis probat, processionem Verbi divini esse generationem, et ipsum Verbum esse Filium, quia ejus processio est secundum rationem similitudinis : et prop- D.Thom.

ter defectum hujus conditionis, ait processionem Spiritus Sancti non esse generationem, nec ipsum esse Filium : et ut excluderet interpretationem, quam huic, et aliis testimoniis, Vasquez tradit dicens sanctum Doctorem non loqui de similitudine præcise secundum *esse;* sed etiam secundum repræsentationem, quæ debet superaddi ad rationem imaginis : non probat, processionem Spiritus Sancti non esse secundum rationem similitudinis, quia Spiritus Sanctus non procedit ut repræsentatio sui principii; sed quia procedit ut quædam vitalis motio et impulsio : et per consequens ex vi suæ processionis non procedit, ut similis in natura divina. Nam juxta Angelicum Doctorem idem prorsus est, vivens procedere ut simile in natura ex vi processionis, et procedere ut imaginem, ut constat ex his, quæ infra quæst. 35 art. 1 et 2 docet.

Vasquez. — Angel. Doct.

§ V.

Posterior impugnatio ejusdem solutionis.

114. Tertio evertitur eadem solutio. Ex quibus fit deficere tertio prædictam solutionem in iis, quæ in unum conjungit, nimirum, ex una parte Spiritui Sancto communicari ex vi processionis naturam divinam; et ex alia, non esse imaginem Patris, et Filii. Nam hæc non possunt inter se cohærere, ut ex Augustino, et D. Thoma dicebamus. Siquidem hoc ipso, quod Spiritui Sancto ex vi processionis communicetur eadem natura, quæ est in suo principio, habet ex vi ejusdem processionis produci ad imitationem ejusdem principii tanquam prototypi Spiritus Sancti : ergo eo ipso Spiritus Sanctus procedet per modum imaginis respectu illius.

115. Effugium. Nec obest id quod respondet Vasquez, scilicet, ad rationem imaginis non esse satis, quod ex vi processionis producatur similis in natura; sed in super desiderari, quod producatur sic similis ad repræsentandum.

Præcluditur. Non itaque hoc obest. Quoniam hoc quod est produci aliquid simile in natura ad repræsentandum, tantummodo potest addere supra produci ut simile in natura ex vi processionis, quod hæc similitudo, ratione cujus repræsentaturum est suum prototypum, per se primo intendatur ex parte operantis in illa communicatione, et productione : at totum hoc reperiretur in processione Spiritus Sancti, si ex vi processionis natura divina ei communicaretur : ergo etc. Major videtur perspicua. Minor vero sequenti discursu probatur. Nam id ipsum, quod ex vi processionis, et per se primo communicatur Spiritui Sancto intenditur a Deo per se primo, expresse et formaliter ei communicari : ergo si ex vi processionis et per se primo procedit ad imitationem Dei, et si milis in natura suo principio : consequens erit, ut hoc ipsum intendatur perse primo, formaliter, et expresse a Deo, seu a Patre, et Filio illum producentibus : ergo, licet daremus requiri ad imaginem, quod ex intentione operantis et non solum operis, procedat similis suo prototypo; nihilominus adhuc tunc Spiritus Sanctus ex omni capite erit imago eorum : siquidem tam ex vi processionis, seu ex parte operis, et intentionis ejusdem operantis producitur ad imitationem Dei, et suæ naturæ tanquam prototypi.

116. Additamentum. Adde primo, quod res dicitur procedere ad repræsentandum ; vel ex intentione expressa artificis; vel ex intentione operis et naturæ, quatenus procedit talis ex vi processionis, ut eo ipso repræsentet id a quo procedit : sed hoc convenit Spiritui Sancto eo ipso, quod ex vi suæ processionis procedat similis in natura : ergo ex vi ejusdem processionis procedet ad repræsentandum : et per consequens eo ipso habebit rationem imaginis. Utraque consequentia videtur perspicua. Minor vero etiam constat. Quoniam, quod ex vi suæ processionis est simile suo principio, habet ex vi ejusdem processionis, quod procedat tale, ut eo ipso repræsentet prædictum principium : quia omne perfecte simile suo principio est talis conditionis, ut eo ipso repræsentet principium, a quo procedit. Major autem quoad primam partem satis patet imaginibus artificialibus, quæ ex intentione, et impositione hominum aliquid repræsentant. Quoad secundam vero etiam constat exemplo filii in humanis, qui eo ipso, quod ex vi suæ processionis procedat talis, ut repræsentet parentem, dicitur procedere ad repræsentandum illum : nec non verbi creati, quod hoc ipso, quod ex vi processionis repræsentet intentionaliter suum principium, dicitur procedere ad illud repræsentandum.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam ad rationem imaginis non requiritur, ut repræsentet, aut procedat ad repræsentandum suum principium eo solo modo quo verbum illud repræsentat : atqui filius in creatis, qui intentionali modo non repræsentat parentem,

tem, non esset imago illius : ergo ad rationem imaginis solum desiderabitur, quod procedat ad repræsentandum objective, id est, ut id quod dicitur imago, procedat ita simile, ut eo cognito tanquam objecto, eo ipso deveniatur in cognitionem sui principii, ex eo quod ratione omnimodæ similitudinis, seu identitatis in eadem natura specifica ex vi processionis ei communicata exprimit ad vivum suum principium, ducitque in cognitionem illius : at hoc ipso, quod ex vi processionis communicetur Spiritui Sancto eadem natura sui principii, habebit ex vi ejusdem processionis, ut procedat ad sic objective repræsentandum, sicut filius in humanis hoc habet eo ipso, quod ex vi suæ processionis communicetur ei natura patris : ergo, etc.

ud :iem ue- i. Ex quo etiam fit, nihil referre aliam evasionem, quam adducit Vasquez, nimirum, quod etsi ad hoc, ut filius in humanis procedat ad repræsentandum, satis sit, quod ex vi processionis procedat similis in natura : non tamen in divinis, sed insuper requiritur, quod procedat cum proprietate personali, quæ est propria Verbi divini. Cumque Spiritus Sanctus non procedat cum proprietate ista, inde erit, ut non procedat ad repræsentandum.

7. u- ur. Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Quoniam, si Spiritui Sancto communicatur natura divina ex vi suæ processionis, procedet infinite similior suo principio in ejus natura, quam filius in creatis procedit similis in natura suo parenti : ergo si iste ratione similitudinis, quam ex vi processionis habet, procedit ad repræsentandum, non est cur in eo eventu Spiritus Sanctus non procedat etiam ad repræsentandum. Unde in hac solutione quædam involvitur implicatio, nempe, quod si Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit similis, seu idem in natura divina, tunc deberet, et non deberet ei communicari proprietas personalis Verbi. Deberet quidem : siquidem id, quod ex vi processionis procedit simile omnino in natura cum suo principio, et ut repræsentativum illius, debet habere proprietatem personalem ad hoc requisitam. Non deberet autem prædicta ei communicari : quia, ut supponitur ex fide Spiritus Sanctus non procedit ut filius, sed ut impulsus, et amor divinus. Sicut, si in humanis communicaretur Petro v. g. ex vi suæ processionis natura humana a Paulo, et non communicaretur ei proprietas individualis, quæ requiritur ad hoc, ut esset imago Pauli, et procederet ad repræsentandum illum, tunc ibidem involveretur similis implicatio. Nam, ut supponitur, non communicaretur ei prædicta proprietas : et simul esset ei communicanda, ex eo quod procedit ut similis Paulo, et ut repræsentativus illius ratione naturæ, quam ex vi processionis habet. Quæ probatio habet adhuc majorem vim in divinis. Siquidem tota ratio, propter quam Verbo divino communicatur sua propria, et peculiaris proprietas personalis, est, quia vi processionis communicatur ei tota intellectio essentialis ratione cujus repræsentat naturam Patris : et hæc etiam Spiritui Sancto ex vi suæ processionis juxta hunc dicendi modum communicatur : et ita ex hoc capite communicaretur ei proprietas Verbi : et ex alio, nempe, quia procedit ut amor, et impulsus divinus, nequiret ei prædicta proprietas communicari.

Nec necesse erit duas alias evasiones Vasquez impugnare. Prima quidem, quod ad rationem imaginis desideratur, ut alicui repræsentet : cum tamen hoc non conveniat Spiritui Sancto : siquidem nec repræsentat Patri, et Filio, quippe qui non cognoscunt se Spiritu Sancto : nec sibi ipsi, qui nec Spiritus Sanctus cognoscit eos in ipso. Secunda est, non omne, quod procedit simile alteri ex vi processionis, repræsentare suum principium. Nam unus ignis procedit similis alteri : et tamen non repræsentat illum, nec est ejus imago : quia non est similior illi, quam aliis. Et ita, quia Spiritus Sanctus non est similior Patri, quam Filio, propterea non repræsentat Patrem, aut Filium. 118. Aliæ duæ evasiones ejusdem Vasq.

Non itaque necesse erit has duas evasiones impugnare. Quoniam ex dictis facile corruunt. Prima quidem : Nam licet Pater, et Filius non se cognoscant Spiritu Sancto, sicut nec Pater Filio, attamen uterque cognoscit se in eodem Spiritu Sancto tanquam in correlativo habente eamdem naturam cum ipsis. Et ita, si ex vi processionis Spiritus Sanctus procedit similis, habebit ex vi ejusdem processionis, unde repræsentet naturam eorum atque adeo unde ex vi processionis habeat rationem repræsentativi et per consequens rationem imaginis. Corruunt ex dictis.

Secunda vero etiam ex dictis evanescit. Tum, quia non est de ratione imaginis, ut quoad ea, quæ alias accipit a suo principio, sit similior illi, quam aliis. Nam unus homo potest esse æque similis, vel similior

fratri suo, quam Patri; et tamen non est imago illius, sed hujus : sed ad hanc peculiarem repræsentationem satis est, quod id, per quod est similis, acceperit a suo principio ex vi suæ processionis. Nam per hoc determinatur ad hoc, ut sit peculiariter imago illius. Tum etiam : quia hanc evasionem optime impugnat D. Thomas in hac 1 part. quæst. 35 art. 2 ubi sic ait : *Alii dicunt, quod Spiritus Sanctus neque etiam est imago Patris, et Filii, quia sic esset una imago duorum, quod videtur impossibile. Sed hoc nihil est. Quia Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Unde nihil prohibet sic Patris, et Filii (in quantum sunt unum) esse unam imaginem : cum etiam homo totius Trinitatis sit una imago.* Et ideo S. Doctor statim denegat Spiritui Sancto rationem imaginis propter aliam rationem sæpe a nobis dictam, scilicet, ex eo quod ex vi suæ processionis non procedit similis, seu idem in natura cum suo principio.

D.Thom.

119. Ultimo prædicta principalis evasio exploditur. Suarez.

Quibus omnibus addi etiam potest, hanc Torrensis, et Vazquesii sententiam habere contra se plura alia, quæ congerit Suarez lib. 11 de Trinitate cap. 4 num. 7. Primo enim hæc ratio, quare Spiritus Sanctus non sit filius, nempe quia licet ex vi processionis procedat similis in eadem natura; non tamen procedit ut imago, sumitur ex re minus certa. Certius enim est, Spiritum Sanctum non esse Filium, quam non esse imaginem : nam primum habetur expresse de fide, secus vero secundum, sed solum habetur ex auctoritate negativa Scripturæ. Et propterea D. Thomas quæst. 35 art. nuper citato, ut probaret, Spiritum Sanctum non esse imaginem, sic ait : *Dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt, Spiritum Sanctum esse imaginem Patris, et Filii. Sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in Canonica scriptura, nisi de Filio : dicitur enim Coloss. 1 : Qui est imago Dei invisibilis primogenitus creaturæ. Et ad Hebræos 1 : Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Constat autem, rem certissimam debere, quantum fieri possit, explicari saltem per id, quod magis ad ejus certitudinem accedit, qualiter in præsenti accedit ratio D. Thomæ, nempe, quod Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, et per modum amoris, quod quidem expressius habetur ex sacra pagina, et decisum est in pluribus Conciliis.

Præterea, sumpta imagine, ut actu repræsentat, ut ab his auctoribus sumi in præsenti innuitur (licet etiam oppositum innuant nempe, non sumi nisi pro aptitudinali repræsentatione) tunc non ideo Filius est Filius, quia est imago, sed potius, quia Filius, ideo imago. Tandem juxta hunc dicendi modum Filius reipsa aliquid repræsentat quod non repræsentat Spiritus Sanctus, licet ex vi processionis sit Deus : et similitudo imaginis increatæ non consistit in unitate naturali : quod quidem satis difficile est.

120. Non favent adducta pro prædicta evasione.

Nec tandem necesse erit ad ea, quæ pro se aducit Vasquez, quæque num. 104 et deinceps retulimus, responsum præbere. Nam quoad testimonia Patrum constat ex dictis num. 113. et quoad alia patet etiam ex his, quæ diximus. Nam etsi filius dicat rationem similitudinis in natura, et rationem imaginis, sive hæc duo distinguantur ex parte solius nostri modi concipiendi, sive virtualiter (de quo nihil modo) : attamen hoc ipso, quod ei communicetur ex vi processionis eadem natura, quæ est in suo principio, procedit similis et ut imago. Et similiter, licet aliquando ob defectum efficaciæ, et virtutis seminalis non evadat similis in accidentibus individualibus, quæ sunt in patre, sed in natura : et aliquando ob perfectionem, et efficaciam prædictæ virtutis similis in prædictis accidentibus : semper tamen eo ipso, quod habeat hanc similitudinem, habet etiam quoad hoc esse imaginem patris. Unde falsum est id, quod ultimo loco ibidem adducitur, scilicet, non crescente ratione substantiæ, aut fundamento, sive ratione fundandi, crescere perfectionem filiationis. Nam eo ipso, quod hæc accidentaliter cresceret (si verum est, eam formaliter sumptam sic crescere, de quo nostri Complut. cap. de relatione videndi sunt) oritur ex majori perfectione, tam actionis generativæ, quam similitudinis fundamentalis in proprietatibus individualibus ex vi processionis communicatæ.

N. Complut.

§ VI.

Alia, et alia solutio ad eamdem rationem D. Thomæ refertur, et refellitur.

121. Secunda solutio aliorum ad rationem D. Thomæ conclusionis additam

Secundo respondent alii ex recentioribus ad rationem Angelici Doctoris, falsum esse illud principium, in quo innititur, scilicet, quod per processionem per voluntatem divinam intra propriam lineam sumptam non communicetur Spiritui Sancto ex vi processionis

cessionis divina essentia. Et ita ratione ista in eo sensu, in quo a S. Doctore traditur, non suadetur intentum; sed hoc aliunde est deducendum, nempe ex eo quod, licet Spiritui Sancto communicetur ex vi processionis essentia Dei; non tamen natura divina : cum tamen ad generationem requiratur, terminum illius procedere in similitudinem naturæ, ut ex definitione generationis constat. Sicut e contra processio Verbi est generatio, quia ei ex vi processionis communicatur divina natura. Quæ solutio videtur desumi ex Majori in 1 dist. 13 q. 1, et Richardo 6 de Trinitate, capit. 11.

Major. Richardus.

Roboratur solutio ratione.

Ratio autem, propter quam inquiunt, non communicari Spiritui Sancto divinam naturam, secus autem Verbo, est quia conceptus naturæ est conceptus essentiæ rei ut fœcundæ, ex eo quod natura est principium motus : at Spiritui Sancto non communicatur essentia Dei ut fœcunda : siquidem ab eo nulla persona divina procedit : et ita nec communicatur eidem essentia Dei sub conceptu naturæ : e contra vero contingit in Verbo, cui communicatur, quod sit principium Spiritus Sancti. Quæ solutio videtur habere fundamentum in D. Basilio lib. 5 contra Eunomium, ubi videtur asserere, quod si Spiritus Sanctus a Patre, et Filio non procederet, Verbum non esset genitum : ac proinde juxta mentem Basili requiritur ad generationem, quod communicetur rei genitæ fœcunditas, et per consequens essentia sub conceptu naturæ, quæ per hanc fœcunditatem in *esse* naturæ constituitur. Unde juxta hunc dicendi modum non solum non communicatur ex vi processionis Spiritui Sancto natura Dei sub conceptu naturæ : verum neque sub hoc conceptu ei absolute communicatur : siquidem juxta illum non communicatur ei fœcunditas.

D. Basil.

122. Ex dictis confutatur hæc solutio.

Cæterum hæc solutio satis impugnata manet ex dictis tam in hoc, quam in præcedenti dubio. Et deinde addi potest, quod in primis falsum est id, quod in hac solutione dicitur, scilicet absolute loquendo non communicari Spiritui Sancto naturam divinam. Nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III cap. 1 dicitur : *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus tres quidem personæ, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino* : et ibid. cap. 2 : *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet essentia, substantia, seu natura divina.* Et inferius dicitur, quod tres personæ sunt unum in essentia et natura. Et ratio hujus videtur aperta. Quoniam quidquid est absolutum in Deo, debet communicari reipsa, et simpliciter loquendo tam Filio, quam Spiritui Sancto : at conceptus naturæ est conceptus formalitatis absolutæ, non vero relativæ; ergo etc. Major cum consequentia satis liquet. Minor vero probatur. Nam conceptus naturæ præcedit in Deo ad attributa : cum tamen conceptus relativi aut connotantes relationes non præsupponantur ad illa, sed potius ad ipsa subsequantur. Et propterea prius intelligimus Deum, ut est hic, et singularis et ut habet attributa; quam concipiamus potentiam proximam ad generandum, aut Patrem : ex eo quod ista dicunt relationem de formali, aut eam juxta nostram sententiam connotant.

Conc. Lat.

Deinde eadem solutio impugnari potest, supponendo tamen prius, quod juxta hunc dicendi modum non ideo desinit communicari Spiritui Sancto natura divina, quia non communicetur ei adhuc ex vi processionis divinum *intelligere* essentiale; sed quia non communicatur ei, ut productivum alterius personæ. Quo supposito, potest non parum efficaciter prædicta solutio impugnari. Quoniam ad rationem naturæ non requiritur principium motus in alio, sed principium motus ejus in quo est, ut ex definitione naturæ constat : at, si Spiritui Sancto ex vi processionis communicatur essentia Dei, quæ est ipsum *intelligere*, erit utique seclusis imperfectionibus principium motus ejus, in quo est, idest suæ divinæ intellectionis : ergo eo ipso communicabitur etiam ei ex vi suæ processionis natura divina. 123.

123. Impugnatur secundo eadem solutio.

Tandem. Nam hoc, quod est posse per modum radicis generare aut generari, vel posse spirare, aut spirari, non variant divinum *posse*, nec divinam naturam in ratione naturæ, aut divini *posse* ad ea, quæ sunt ad intra, sed hoc ipso, quod Spiritui Sancto ex vi processionis communicetur essentia Dei, communicatur ei ex vi processionis, quod possit etiam radicaliter spirari, licet non communicetur, quod possit spirare, aut generare : ergo communicabitur ei ex vi processionis natura divina. Minor, cum consequentia non videntur indigere probatione, Major autem probatur, et explicatur : Nam, sicut practicum et speculativum non variant rationem intellectus : ex eo quod sunt differentiæ materiales, et inadæquatæ, ac desumptæ ex objecto materiali : et ita idem intellec-

Ultimo evertitur.

Suadetur major syllogismi exemplo.

tus connotando praxim, seu objecta practicabilia, est practicus, et connotando objecta speculabilia est speculativus, et utraque respicit sub eadem formali ratione abstrahente ab his duabus differentiis materialibus. Ita posse radicaliter generare, aut generari, spirare, aut spirari, non variant divinam naturam, sive divinum *posse*, quia hoc est quid absolutum, sed dicunt divinam essentiam, seu naturam, et idem *posse* cum diversis connotatis materialibus, et inadæquatis, scilicet, diversis relationibus, quæ non sunt capaces variandi in divinis id, quod est absolutum. Et ita eadem prorsus Deitas connotando in Patre Paternitatem, ut connotatum materiale, et inadæquatum, dicit *posse* radicale ad generandum, et connotando eodem modo Filiationem, *posse* radicale *ad generari*, et connotando similiter tam Paternitatem, quam Filiationem, explicat vim per modum radicis *ad spirare*, ac tandem connotando per modum connotati materialis, et inadequati relationem spirationis passivæ, exprimit vim radicalem *ad spirari*. Cum tamen actus correspondentes his potentiis materialiter solum distinctis sub eadem natura divina inspiciantur, aut quasi inspiciantur.

Discrimen inter exemplum, et rem, de qua agitur. Quamvis inter exemplum propositum de intellectu practico et speculativo, et rem, de qua agimus, sit sua disparitas. Quoniam intellectus, ubicumque est, non solum habet esse intellectum, sed esse simul practicum, et speculativum, quia hæc duo, adhuc sub his conceptibus, non habent oppositionem : attamen natura, et *posse* divinum licet, ubicumque est, habeat eamdem rationem naturæ, et idem *posse* : non tamen habet posse generare, et generari, aut spirare, et spirari sub his conceptibus sumpta : quoniam *posse* divinum sub his conceptibus involvit relationes oppositas : hoc autem non oritur ex imperfectione, sed ex summa perfectione et infinitate divinæ naturæ, quæ, hoc ipso quod infinita, potest eademmet esse in personis diversis, et inter se oppositis, et ut est sub illis, habet has diversas denominationes.

124. Desumitur hæc impugnatio ex D. Thoma. Quæ ratio desumitur ex D. Thoma, quæst. 9 de Potentia art 9 ad 3. Nam cum S. Doctor sibi sic opposuisset : *Si Filius non potest generare, potest autem generari : habet ergo potentiam ut generetur, non potentiam ut generet : aliud autem est generare, et aliud generari. Cum ergo potentiæ distinguantur penes objecta, non erit eadem potentia Patri et Filii, quod est hæreticum.* Cum igitur S. Doctor hoc sibi objecisset, respondet : *Dicendum, quod licet Pater possit generare : non autem Filius : non tamen sequitur, quod potentiam aliquam habeat Pater, quam non habet filius. Eadem enim potentia est Patris, et Filii, per quam, et Pater generat, et Filius generatur. Nam potentia absolutum quoddam est : et ideo non distinguitur in divinis, sicut nec bonitas, nec aliquid sic dictum. Generare vero, et generari in divinis non significant aliquid absolutum : sed solum relationem in divinis. Relationes autem oppositæ in uno et eodem absoluto communicant in divinis, et ipsum non dividunt. Sicut patet quod in Patre, et Filio est una essentia. Unde nec potentia distinguitur in divinis per hoc, quod est ad generare, et generari. Non enim etiam in creaturis oportet, quod per quamcumque objectorum distinctionem potentia distinguatur, sed per differentiam formalem objectorum, et quæ in eodem genere accipiatur. Sicut potentia visiva non distinguitur per hoc, quod est videre hominem, et videre asinum : quia ista differentia non est sensibilis. Et similiter in divinis absolutum per relationem non distinguitur.*

Unde (ut id obiter dicamus, et ex eo ratio D. Thomæ in testimonio isto inclusa magis elucidata maneat) divinum *posse* radicale, et posse radicaliter generare comparantur in divinis, ut Deus, et Deus Pater. Et ideo : sicut Deus dicit aliquid absolutum, et Deus Pater aliquid absolutum una cum relativo : ita divinum *posse* radicale exprimit aliquid absolutum; et posse radicaliter generare dicit hoc ipsum absolutum una cum relatione Paternitatis. Sicut Filio non deest, quod sit Deus, licet desit illi, quod sit Deus Pater : quia esse Deum patrem involvit Paternitatis relationem : ita propter similem rationem eidem Filio non deest divinum *posse* radicale; licet desit posse radicaliter generare, prout conceptus radicis generandi adæquate sumitur. Et sicut hoc, quod est esse Deum, non distinguitur, aut multiplicatur per hoc, quod esse Deum Patrem, aut Deum Filium : quia absoluta non distinguuntur per relativa : ita propter eamdem rationem prædictum *posse* divinum non distinguitur, aut multiplicatur per *posse* ad generandum sive active, sive passive. Quomodo autem (ut id etiam obiter dicatur, et tacita quædam objectio solvatur) et in quo sensu intelligatur id, quod D. Thomas in hac solutione 125. Elucidatur ratio præcedens D. Thomæ.

solutione docet, nempe, quod *generare, et generari* non significant aliquid absolutum, sed solam relationem, constat ex iis, quæ disput. 1 hujus tractatus num. 67 diximus, et ex illis, quæ quæst. 41 dicemus.

126. Interpretatur testimonium Basilii pro eadem solutione adductum.

Ad illud autem, quod ex Basilio pro hac solutione adducitur, dicendum est conditionem illam Basilii (si forte sit Basilii nec enim loco citato eam expresse potuimus invenire) nempe, *si Spiritus Sanctus a Patre et Filio non procederet, tunc Verbum non fore Filium,* tantum esse a posteriori. Quia, cum Verbum debeat influere in amorem, optime sequitur, Filium in divinis non fore verbum (saltem ut modo est), ac proinde non procedere per intellectum, si ab eo non procedit amor, seu Spiritus Sanctus. Cæterum id non requiritur ut petitum ex linea termini formalis generationis Verbi, quia terminus iste de formali tantum est identitas in natura divina, sed ex alio capite nuper insinuato, quod formalissime sumptum non dicit id, quod exprimit Verbum, quatenus importat terminum formalem suæ generationis : siquidem verbum secundum hanc considerationem tantum dicit divinam naturam, ut natura est, quamvis connotet Filiationem, ut est ad Patrem, non vero ut est radicaliter ad Spiritum Sanctum : cum tamen verbum adæquate sumptum importet tam naturam quam Filiationem, ut est ad Patrem, et quatenus radicaliter est ad Spiritum Sanctum : ita ut, si aliquid horum illi deesset, non haberet rationem Verbi, quam modo habet, quamvis esset eodem modo terminus formalis generationis.

Quidam in prædicta evasione magis displiceat.

Adde, quod id, quod peculiariter in hac solutione, quam impugnamus, displicet, non tam est, ad rationem geniti in divinis desiderari, quod producatur cum fœcunditate, quam ea, quæ in prædicta solutione una cum hoc conjunguntur, nimirum, Spiritui Sancto communicari ex vi processionis essentiam Dei : non tamen naturam divinam, et non utcumque, sed ita ut neque formaliter ex vi processionis, nec identice prædicta natura ei communicetur : ex eo quod natura divina sub hoc conceptu dicit principium communicandi se alteri personæ. Unde, si prædicta solutione solum intenderetur colligi a posteriori, non communicari Verbo ex vi processionis naturam Dei, nisi communicetur ei fœcunditas respectu alterius personæ, ac proinde hæc fœcunditas solum adduceretur ut signum ad verificandum, an alicui communicetur ex vi processionis divina essentia, sive natura, tunc ratio ista posset utcumque reduci ad eam, quam ex D. Thoma attulimus. Nam idem est fœcunditatem istam respectu alterius personæ, nempe Spiritus Sancti, esse signum communicationis naturæ in Verbo, ac esse signum processionis ejus per modum Verbi, seu per intellectum, ut ex dictis constat et per consequens esse signum communicationis naturæ ex vi processionis. Et similiter idem est colligere, ex defectu hujus fœcunditatis, Spiritum Sanctum non habere ex vi processionis naturam, aut essentiam Dei, ac colligere, ejus processionem esse per voluntatem, quæ ex genere suo est postrema ex divinis processionibus, et per consequens non habere, quod communicet ex vi processionis divinam naturam. Ad rationem autem, quæ in favorem hujus solutionis in ea adducebatur, satis constat ex dictis.

Ex quibus omnibus manet etiam impugnata solutio alia huic ex parte affinis nempe, falsum esse illud principium, in quo innititur ratio D. Thomæ, scilicet, non communicari essentiam et naturam Dei Spiritui Sancto ex vi processionis per voluntatem divinam intra suam lineam sumptam. Et ideo rationem istam hinc non esse firmam; sed aliunde desumendum esse cur Spiritus Sanctus non procedat ut imago, ac proinde ut filius, nempe, quia non communicatur illi, quod conveniat cum Patre, et Filio in aliqua ratione principii, idest in hoc, quod producat aliam personam divinam. 127. Alia evasio præcedenti affinis.

Ex dictis igitur hæc solutio satis manet impugnata, et eam insuper impugnat D. Thomas infra quæst. 35 art. 2 ubi, ut redderet rationem, propter quam Spiritus Sanctus non est imago Patris, et Filii, ac proinde nec Filius, cum tamen Verbum procedat per modum imaginis, et filii, præmittit prius rationem ab aliquibus ad hoc adductam, et cum hac solutione, quam impugnamus, coïncidentem, eamque impugnat his verbis : *Hujus autem rationem assignant quidam ex hoc, quod Filius convenit cum Patre, non solum in natura, sed etiam in notione principii : Spiritus autem Sanctus non convenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere. Quia sicut secundum relationes non attenditur in divinis, neque æqualitas, neque inæqualitas (ut Augustinus dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis.* Corruit ex dictis D. Thom.

§ VII.

Posterior responsio ad rationem D. Thomæ, et primus ejusdem responsionis defectus.

128. Tertia solutio ex Granado ad rationem D. Thomæ.

Tertio responderi potest ex Granado in præsenti tract. 2 disp. 4 n. 3 et disp. 5 sect. 5 n. 21 quod etsi ratio D. Thomæ aliter explicata suadeat sufficienter intentum, non tamen ut a nobis exposita et formata est. Nam ex eo, quod terminus procedens per intellectum procedat per modum similis, non sequitur (ut nos intulimus) quod ex vi processionis, sive immediate ac per se primo communicetur illi natura divina, sed tantum similitudo in ea. Et ita Verbo ex vi processionis, et per se primo solum communicatur divina sapientia, quæ non exprimit formalissime divinam naturam, licet eam repræsentet, sitque ei similis. Et similiter ex hoc, quod processio Spiritus sancti sit per voluntatem, non sequitur (ut nos intulimus) non communicari illi eodem modo ac Verbo naturam divinam. Quia utrique æque immediate communicatur, nimirum, ut per modum transcendentis inclusa in termino per se primo, et immediato suæ processionis : Verbo quidem, ut inclusa in sapientia genita, Spiritui sancto vero, ut inclusa in amore. Et ita processio Verbi est generatio : ex eo quod ex vi processionis, et per se primo communicatur similitudo in natura, non vero natura ipsa, licet ad eamdem generationem requiratur, quod prædicta natura communicetur mediate, et per modum transcendentis inclusa : processio vero Spiritus sancti non est generatio : quia etsi eodem modo communicetur ei per modum transcendentis divina natura, attamen id quod per se primo, et immediate terminat, tantum est amor secundum explicitam rationem amoris, et secundum hanc non exprimit similitudinem cum divina natura.

Et videtur hæc solutio habere aliquod specimen veritatis, si attendatur ad id, quod in definitione generationis viventium dicitur. Nam in ea consulto videtur dictum, quod debet esse *in similitudinem*, non vero in identitatem naturæ : ut denotaretur, terminum formalem immediatum, et per se primum illius tantum esse similitudinem, seu repræsentationem, non vero identitatem naturæ.

129. Cæterum solutio ista in multis deficit. Nam in primis falsum est potissimum ejus fundamentum, nimirum, terminum formalem immediatum, et per se primum generationis, seu id, quod Verbum divinum habet ex vi suæ processionis per se primo, tantum esse similitudinem, seu repræsentationem principii, a quo procedit, non vero identitatem in natura, seu naturam ipsam acceptam, et communicatam per talem generationem. Id autem duobus mediis ostendi potest, quorum primum est. Nam hoc aperte pugnat cum D. Thoma, tum art. 2 hujus quæst. ubi ideo probat, processionem Verbi in divinis esse generationem, quia *intelligere Dei est esse Dei*, seu ipsissima essentia, et existentia illius absque distinctione virtuali, et prædictum *intelligere* communicatur Verbo ex vi processionis ut disp. præced. a num. 76 expendimus. Et ita S. Doctor loquens de iis, quæ Verbum habet ex vi suæ processionis, sic inquit in solutione ad 2 : *Sed intelligere divinum est ipsa substantia intelligentis ut supra ostensum est. Unde verbum procedens procedit ut ejusdem naturæ subsistens. Et propter hoc proprie dicitur genitum, et Filius. Unde et his, qua pertinent ad generationem viventium, utitur Scriptura ad significandam processionem divinæ sapientiæ, scilicet conceptione, et partu. Dicitur enim ex persona divinæ sapientiæ, Proverbiorum* 8 : « *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram, ante colles ego parturiebar,* » *sed in intellectu nostro utimur nomine conceptionis secundum quod in verbo nostri intellectus invenitur similitudo rei intellectæ; licet non inveniatur naturæ identitas*, id est, sub esse naturali et entitativo.

Falsitas hujus solutionis multis mediis ostenditur.

Impugnatur ex primo medio. D.Thom.

Tum etiam in solutione ad 3 ubi sermonem faciens de iis, quæ competunt Verbo ex vi processionis, ita concludit : *Sic igitur id, quod est genitum in divinis, accipit esse a generante non tanquam illud esse sit receptum in aliqua materia, vel subjecto, quod repugnat subsistentiæ divini esse : sed secundum hoc dicitur esse acceptum in quantum procedens ab alio habet esse divinum, non quasi aliud ab esse divino existens.* In quibus verbis satis denotat, processionem Verbi esse generationem : quia per eam accipit divinum Verbum ipsum *esse* Dei, non vero solam similitudinem, et repræsentationem illius tanquam terminum formalem, et immediatum ejusdem generationis. Tum denique 4 contra Gentes c. 11 cujus verba n. 114 retulimus.

Secundum vero medium est. Quod in creatis 130.

Secundum medium, ex quo ostenditur falsitas solutionis.

creatis filius accipit ex vi processionis, et tanquam terminum formalem illius ipsam naturam patris, et non solum similitudinem aliquam, et repræsentationem illius : ergo etiam in divinis Verbum accipiet ex vi suæ processionis, et tanquam terminum formalem ejus naturam Patris, et non solum repræsentationem, aut similitudinem Patris.

Antecedens communiter recipitur a Theologis, et etiam ab ipso Granado. Consequentia autem ex antecedenti sequitur. Tum : quoniam de divinis debemus philosophari ad instar creatorum, seclusis tamen imperfectionibus. Tum etiam : quoniam ratio generationis Verbi cognoscitur a nobis ex his, quæ in generatione viventium creatorum reperiuntur : et ideo definitionem istam accommodamus generationi increatæ, removendo tamen imperfectiones. Sicut, quia proprium objectum formale intellectus creati est ratio entis, aut ratio intelligibilis sub tanta, vel tanta actualitate, et immaterialitate, idcirco hoc ipsum removendo omnem potentialitatem, et sub summa immaterialitate, atque adeo ut pertingens ad hoc, ut sit ipsum *esse* divinum, constituimus pro objecto formali intellectus Dei.

131. Primum effugium P. Granado ex prima disparitate inter generationem creatam et divinam.

Nec obest prima disparitas, quam adducit Granado, inter generationem creatam, et generationem Verbi divini, quod per illam nequit communicari similitudo, quin communicetur natura, secus vero per istam, per quam communicatur sapientia Dei, quæ est similitudo, et repræsentatio naturæ divinæ. Et ita hæc habet omnia requisita ad terminum immediatum, et formalem generationis, nempe, ad similitudinem in natura, licet non communicetur Verbo ex vi processionis ipsa natura Dei, secus vero illa.

Corruit prima disparitas.

Non itaque obest hæc prima disparitas. Quoniam terminus formalis generationis naturalis viventium creatorum, prout distinctæ a generatione intentionali verbi creati, non est similitudo, aut repræsentatio naturæ generantis, prout excludit unitatem, et identitatem naturalem in eadem natura tanquam rationem formalem et per se primam terminantem : nec est similitudo, ut abstrahit a similitudine secundum repræsentationem puram, et a similitudine quæ est idem ac identitas, et unitas naturalis in eadem natura, saltem secundum speciem : ergo erit identitas in eadem natura, ita ut non de materiali, et per accidens, aut quasi per accidens communicetur eadem natura, ex eo quod ibidem non potest aliter dari pura similitudo, et repræsentatio per modum termini formalis; sed ita ut ex vi processionis, et per modum termini formalis communicetur prædicta natura : ergo etiam terminus formalis ex vi processionis communicatus Verbo, erit non sola similitudo, et repræsentatio generantis, sed ipsamet natura illius, et unitas naturalis in ea.

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam cum quavis disparitate assignabili inter generationem Verbi divini, et generationem naturalem in humanis debet cohærere quod ista habeat eumdem terminum formalem ex vi processionis, qui formaliter (analogice tamen) conveniat cum termino formali generationis Verbi divini. Sicut cum quavis disparitate debet stare, quod detur una ratio formalis communis analogice utrique generationi : ex eo quod ratio generationis viventium non solum virtualiter, sed formaliter talis debet convenire illis : non secus ac, quia esse formaliter sapientiam secundum unitatem analogam sapientiæ creatæ, et increatæ, propterea debet una ratio formaliter talis, communis communitate analoga reperiri sapientia creata, et increata, necnon et in objectis formalibus utriusque : ergo, si terminus formalis generationis naturalis viventium creatorum est determinate unitas, et identitas naturalis in natura generantis, debet etiam in generatione increata esse terminus ejus formalis eadem unitas, et identitas in natura generantis, nempe, in natura divina.

Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam terminus formalis prædictæ generationis tantum potest esse similitudo uno ex illis tribus modis in antecedenti, et in consequenti ejusdem primæ consequentiæ recensitis : ergo hoc ipso, quod non sit aliqua ex similitudinibus relatis in antecedenti, erit similitudo adducta in prædicto consequenti, quæ est unitas naturalis, seu identitas in eadem natura.

Antecedens autem probatur. Tum, quia 132
ratio generationis naturalis viventium creatorum ut distinctæ ab intentionali debet desumi ex suo termino formali : quandoquidem generatio ut naturalis dicit rationem differentialem intraneam, et propriam lineæ generationis, et hæc differentia debet desumi (modo alibi insinuato) ex suo termino formali : at, si terminus formalis

esset aliqua ex similitudinibus in antecedenti recensitis, nullo modo desumeretur ratio generationis naturalis ex suo termino formali : siquidem nec similitudo excludens unitatem naturalem in natura a ratione formali terminandi, nec similitudo, prout abstrahit a similitudine secundum puram repræsentationem, et a similitudine, quæ est idem ac unitas realis in natura, potest refundere per modum termini formalis in generationem naturalem, quod sit generatio naturalis, ut constat in generatione verbi creati, quæ secundum diversam sui considerationem habet terminari formaliter ad similitudinem secundum *esse* pure repræsentativum, vel ad similitudinem, prout abstrahit a similitudine secundum prædictum *esse* et secundum unitatem naturalem in eadem natura : et propterea talis generatio non potest esse naturalis, sed intentionalis, ut terminatur ad similitudinem secundum *esse* repræsentativum, vel abstrahens a generatione naturali, et intentionali, prout secundum rationem generalem generationis consideratur in illa abstractione, qua terminatur ad similitudinem modo dicto abstrahentem. Tum etiam : quia id, quod generans generatione naturali, ut distincta ab intentionali, per se primo intendit, est, quod ponatur in rerum natura alter ipse in *esse* entitativo et naturali : ergo quod per se primo, et formaliter communicat ut terminum suæ generationis, tantum est identitas, seu unitas naturalis in eadem natura, per quam solam ponitur in rerum natura alter ipse in *esse* entitativo et naturali.

133. Confirmatur primo. Confirmatur. Quoniam filio naturali in humanis non communicatur unitas naturalis, seu identitas in eadem natura ad supplendam unitatem secundum puram similitudinem, et repræsentationem, ita ut prædicta unitas naturalis de materiali tantummodo, aut secundario intendatur : ergo talis unitas naturalis intenditur per se primo per generationem, estque terminus formalis illius. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Quoniam unitas naturalis in *esse* naturali et entitativo non intenditur ad hoc, ut suppleat defectum unitatis secundum puram repræsentationem, et similitudinem, sed potius e contra unitas, ac identitas secundum repræsentationem intenditur, ut suppleat defectum unitatis naturalis : sicut ipsum *esse* naturale ac entitativum non intenditur, ut suppleat defectum ipsius *esse* repræsentativi : sed potius e converso. Et propterea quoties datur *esse* naturale et entitativum idoneum ad aliquem effectum, qui alias possit suppleri per *esse* repræsentativum, non curatur de *esse* repræsentativo, sed tunc solum, quando *esse* entitativum et naturale non est idoneum ad illud causandum. Et ita, quia Angelus potest se ipsum per suam substantiam tanquam per speciem intelligibilem cognoscere, non habet speciem intentionalem per se primo suam substantiam repræsentantem, quæ solum in *esse* repræsentativo sit ipsa substantia Angeli, in quo est.

Confirmatur secundo. Quoniam hoc, quod est communicari per se primo ex vi generationis naturam divinam, pertinet ad perfectionem divini *esse* : et alias hæc communicatio est valde proportionata modo processionis per intellectum : ergo ex vi ejusdem processionis communicabitur Verbo natura divina. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem quoad primam partem probatur. Quoniam, sicut communicatio aliarum formalitatum ex vi processionis spectat ad perfectionem, et quo formalitas aliqua divina est perfectior, eo spectat ad majorem perfectionem divinam communicare illam ad intra : ita communicare ex vi processionis primam et perfectissimam formalitatem Dei, nimirum suam naturam, pertinebit ad majorem ipsius perfectionem. Quoad secundam vero partem suadetur idem antecedens ex jam dictis. Quoniam, sicut processio verbi creati ex vi sua communicat naturam objecti intellecti, sub modo tamen essendi intentionali et repræsentativo : ita intellectio perfectissima, qualis est divina, communicabit Verbo eamdem naturam objecti intellecti, nimirum Dei, sub modo essendi perfectissimo, scilicet, secundum unitatem, et identitatem naturalem. Confirmatur secundo.

Nec etiam obest secunda disparitas, quam affert Granado inter generationem naturalem viventium creatorum, et generationem naturalem Verbi divini, nimirum, quod in generatione creata non communicantur eædem numero proprietates, quæ sunt in generante, sed aliæ : et ita habet ex vi processionis communicari alia numero natura, ut ex illa prædictæ proprietates resultent : at in generatione Verbi divini communicatur ei eadem numero proprietas, seu attributum sapientiæ ex vi processionis, quod est in Patre. Cumque 134. Secundum effugium ex secunda disparitate.

Cumque hoc in Patre jam dimanaverit a sua essentia, non est necesse, ut ex vi processionis communicetur illi essentia divina ad hoc, ut ab ea dimanet.

Evanescit secunda disparitas.

Non itaque hæc secunda disparitas obest. Quia, quod ex vi generationis hominis communicentur illi eædem numero proprietates, quæ sunt in anima rationali, nempe intellectus, et voluntas, quæ prius natura ab eadem anima dimanaverant, non tollit, quod ex vi ejusdem generationis communicetur illi eadem anima tanquam radix illarum proprietatum : ergo, quod ex vi processionis communicetur Verbo sapientia Patris, quæ prius nostro modo intelligendi ab illius essentia dimanaverat, non auferet, quod communicetur etiam natura divina. Et ratio est eadem utrobique. Quoniam, sicut natura producibilis petit, ut sit aliqua actio, vel mutatio, per quam per se primo attingatur, et in rerum natura ponatur : ita natura ex se communicabilis exigit, ut sit aliqua processio, per quam per se primo communicetur. Et propterea, quia natura partialis, nempe anima rationalis, est communicabilis corpori posterius natura, quam creetur, inde est, ut detur generatio, quæ per se primo tendat ad communicandam talem naturam.

135. Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam, etsi in processione per voluntatem possit habere locum hæc solutio ; non tamen in processione per intellectum divinum, per quam repugnat, communicari per se primo aliquod attributum, et non communicari naturam divinam. Et ratio hujus desumitur ex dictis. Quoniam id debet ex vi processionis, et per se primo communicari per intellectum Dei Verbo divino, quod per se primo unitur cum eo in ratione speciei intelligibilis : sed sola essentia divina potest per se primo uniri cum illo in ratione prædictæ speciei : cætera vero non uniuntur cum eo, nisi ratione essentiæ : ergo sola illa potest ex vi processionis per se primo communicari Verbo. Consequentia videtur perspicua. Minor autem constat, tum ex illis, quæ in 1 tomo hujus nostri Cursus tractatu 2 disput. 29 n. 152 et sequentibus, et tractatu 3 disput. 3 n. 17 et deinceps et peculiariter n. 31 diximus, nempe, solam essentiam Dei convenire in gradu immaterialitatis cum divino intellectu : quia iste est ita immaterialis, ut sit suum *esse* absque distinctione virtuali : ex eo quod est omnino idem cum *intelligere* Dei, in quo consistit divina essentia, quodque est suum *esse* absque distinctione virtualiter ab *esse* existentiæ ejusdem essentiæ divinæ, per quod solummodo existunt, ut quæst. sequenti amplius dicemus, et tractatu 3 nuper citato disput. 3 n. 36 asseruimus. Constat autem quod, quoties objectum alicujus intellectus unitur connaturalissime cum illo, ut in divinis contingit, tunc illud solum per se primo, et ratione sui unitur in ratione speciei, quod convenit in gradu immaterialitatis cum intellectu. Tum etiam : quia, ut in tractat. 3 citat. num. 17 diximus, sola essentia divina est objectum per se primum formale, et adæquatum divini intellectus : et ita sola ipsa potest per se primo uniri cum illo.

Major autem etiam patet. Quoniam, quoties verbum est adæquatum speciei intelligibili, toties id per se primo repræsentatur in verbo, eique per se primo communicatur, quod per se primo unitur in ratione speciei cum intellectu producente illud, ut inductive constat.

136. Tertia disparitas P. Granado.

Ex quo etiam fit, nihil obesse tertiam disparitatem adductam a Granado inter generationem naturalem viventium creatorum, et generationem Verbi, quod ista est actus immanens intellectus, et emanatio intelligibilis, de cujus ratione est, ut communicetur illi per se primo actus intelligendi : cumque hic non spectet ad naturam Dei, sed supponat illam, inde est, ut ex vi processionis per intellectum non debeat natura divina communicari : at generatio naturalis viventium creatorum non est emanatio intelligibilis : et propterea in ea non procedit ratio nuper facta : sed debet communicari eadem natura ex vi processionis, quæ est in generante.

Non est alicujus roboris hæc disparitas.

Ex dictis igitur constat, quomodo hæc disparitas non sit alicujus roboris : quin potius inde colligatur, debere communicari ex vi generationis, et per se primo naturam divinam Verbo, hoc ipso quod procedat per intellectum. Maxime : quia cum Verbum procedat per *intelligere* Dei primum, et essentiale, connotando tamen Paternitatem, ut ex dictis disput. 1 dub. 3 constat : et hoc sit constitutivum divinæ naturæ, ut ex iis, quæ in 1 tomo hujus nostri Cursus tract. 3 disp. 4 num 4 et deinceps asseruimus, patet : inde est, ut hoc ipso, quod ex vi processionis, et per se primo actus intelligendi, per quem producitur Verbum, communicetur illi secundum id, quod prædictus actus affert in recto, debeat etiam eidem ex vi pro-

cessionis, et per se primo communicari natura divina. Et hæc de primo defectu, quem in solutione principali adducta a Granado invenimus.

§ VIII.

Aperiuntur varii defectus ejusdem solutionis principalis.

137. Impugnatur secundo eadem tertia solutio P. Granado. Deinde deficit prædicta solutio in hoc, quod (ut ex iis, quæ modo ex eodem auctore num. 129 dicebamus, et ex contextu sui modi dicendi constat) putat, actum intelligendi repræsentare suum objectum, et esse illi formaliter similem : cum tamen oppositum hujus ex dictis in 1 tomo hujus nostri Cursus Theologici tractatu 2 disput. a num. 208 usque ad numerum 218 satis constet. Nam hoc, quod est repræsentare suum objectum, et esse formaliter simile illi, est proprium speciei intelligibilis, et verbi, non vero intellectionis. Et propterea visio beatorum per quam non producitur verbum (ut loco nuper citato a num. 106 usque ad numerum 251 ostendimus) non repræsentat formaliter, nec est formaliter similis Deo clare viso : alioqui, sicut implicat, dari in beatis verbum repræsentans Deum clare visum, quia hæc repræsentatio, et similitudo pugnat cum limitatione creaturæ, ut ibidem ostendimus : ita etiam implicabit, dari visionem beatam, et creatam. Unde actus intellectus vel solum potest esse similis alteri actui intellectus, et ejusdem speciei cum illo, quando talis actus est numero multiplicabilis, vel, quando prædictus actus est numero immultiplicabilis, et ratione suæ infinitatis potest esse in pluribus suppositis, ut in divinis cernitur, tunc poterit esse similis sibi ipsi perfectissima similitudine, idest, pertingente ad omnimodam identitatem secundum sua essentialia, et numerica. Qua ratione Verbum divinum ratione intellectionis essentialis constitutivæ Dei, et illi communicatæ dicitur esse simile Patri in natura.

138. Confutatur tertio. Deficit tertio. Quoniam semel dato, actum intelligendi, ac proinde actum sapientiæ, esse formaliter similem suo objecto, oportet, ut habeat ratione illius convenientiam in natura cum eodem objecto. Quoniam similitudo in natura objecti fundatur in unitate naturæ. Unde, propterea aliquid est ex natura rei simile alteri in natura, quia est in eo illa natura, quæ est in altero. Sicut ideo imago Petri est ex natura rei similis illi in accidentibus externis, quia eadem secundum speciem accidentia externa sunt in illa imagine, et in Petro. Ergo, si actus intelligendi, seu sapientiæ est formaliter similis in natura objecto intellecto, nempe Deo, oportet, ut habeat convenientiam in natura cum illo : ac proinde, quod communicato actu intelligendi ex vi processionis, ratione cujus (juxta hunc modum dicendi) Verbum habet simalitudinem in natura cum Patre, debeat communicari ex vi ejusdem divina natura, si semel talis actus est formaliter similis Deo in sua natura. Hæc ultima consequentia patet ex priori, prior vero ex antecedenti, ut intuenti patebit. Sed de his videantur illa, quæ nostri Complutenses in lib. de Anima disput. 18 n. 26 docent, N. Compl.
necnon et ea, quæ nos in tomo citato tractatu, et disput. 2 num. 152 et deinceps, et tract. 3 disp. 2 num 18 diximus, ubi late ostendimus, quomodo quod per se, et ratione sui est simile alteri, debeat per se, et ratione sui habere eamdem naturam cum illo.

Potestque hoc confirmari, ex eo quod, si semel actus intelligendi, aut sapientiæ est ex se formaliter similis naturæ divinæ, non solum oportebit, ut secundum id similitudinis, quod exprimit, sit ejusdem rationis cum illa sub *esse* intelligibili præcise, sed *esse* entitativo et naturali. Nam, cum in divinis non distinguantur virtualiter esse entitativum et naturale ex una parte, et intelligibile ex alia, sed sint una eadem simplicissima formalitas, ut tomo 1 tract. 2 disp. 2 num. 70 et tract. 3 disp. 3 a n. 18 usque ad 26 diximus, oportet, ut si sapientia, aut intellectio in divinis sit formaliter similis naturæ Dei, eadem absque distinctione virtuali sit formalissima ratio intellectionis, et sapientiæ divinæ, ac naturæ ipsius Dei. Sicut propter hanc rationem in divinis formalissima ratio speciei intelligibilis, et *esse* repræsentativum formale Verbi divini est absque distinctione virtuali ipsissima ratio naturæ Dei.

Deficit quarto eadem solutio in hoc, 139. Quarto.
quod ex una parte inquit, æque immediate communicari Verbo, et amori naturam divinam, ex eo quod utrique tantum communicatur ut inclusa per modum transcendentis in termino formalissimo ex vi processionis communicato : et ex alia, processionem Verbi esse generationem, non vero processionem Spiritus sancti. Nam

Nam, cum ratio generationis naturalis attendatur penes naturam generantis communicatam secundum *esse* naturale et entitativum, ut ex dictis constat, fit inde, ut, si in utraque processione communicatur æque immediate natura divina secundum suum *esse* naturale et entitativum, et in nulla ex illis requiritur, quod communicetur talis natura per se primo, et ex vi processionis, tunc vel utraque, vel nulla sit generatio.

140. Ultimo. Deficit tandem. Quoniam natura, ut per modum transcendentis inclusa in termino per se primo, v. g. in sapientia divina, non dicit conceptum naturæ sub conceptu naturæ, sed naturam sub alio conceptu, et aliquo modo distinctam a se ipsa sub conceptu naturæ, ut constat ex illis, quæ in tomo 2 tractatu 5 disput. 4 num. 17 et disputat. 7 num. 72 diximus, et supra etiam tetigimus : ergo per hoc, quod Verbo communicetur natura Dei per modum transcendentis, non habebitur, ejus processionem esse generationem : quia (ut ex dictis constat), ad hoc requiritur, ut communicetur natura sub conceptu naturæ : vel, si hoc non requiritur ad rationem generationis, tunc eadem ratione processio amoris erit generatio, sicut processio per intellectum. Patet hæc ultima consequentia. Quoniam in eo eventu tunc solum communicabitur Verbo natura Dei sub conceptu naturæ ratione identitatis, quæ est inter eam sub conceptu naturæ, et sub conceptu transcendentis : ergo, cum hoc eodem modo communicaretur Spiritui sancto, tunc, vel nulla ex iis processionibus, vel utraque esset generatio.

Neque id, quod in favorem solutionis a Granado traditæ adduximus, aliquid convincit. Quoniam per nomen *similitudinis in natura* in definitione adductum intelligitur identitas in natura, sive specifica, solummodo, ut in creaturis, sive etiam numerica. Nam hæc fundat relationem realem similitudinis in creatis, et in divinis relationem similitudinis, quæ sit relatio rationis.

DUBIUM IV.

Quæ specialiter obstent contra ea, quæ in explicatione rationis D. Thomæ dubio præcedenti adduximus? et quomodo solvenda?

141. Quia auctores, quos præcedenti dubio impugnavimus, non solum conati sunt rationem divi Thomæ ibidem explicatam solvere, sed contra eam plura adducunt, et præter ea, quæ ab ipsis objiciuntur, possunt plura alia objici adversus ea, quæ in explicatione ejusdem rationis S. Doctoris adduximus : propterea, ut ratio D. Thomæ ex omni parte maneat elucidata, placuit illa in hoc dubio afferre, eisque responsum præbere. Et licet tam illa, quæ in dubio præcedenti adduximus, quam ea, quæ in hoc adducemus, possent in uno et eodem dubio congeri : nihilominus majoris perspicuitatis gratia dubium hoc sigillatim excitamus, ut objectiones adversariorum in eo adducantur, et enodentur.

§ I.

Objectiones adversus dicta dubio præcedenti.

Prima objectio eo tendit, ut probet, 142. Prima objectio contra dicta dubio præcedenti.
quod, si processio per intellectum est secundum rationem similitudinis, quia intellectus constituitur in actu per similitudinem objecti, ut in explicatione rationis D. Thomæ numero 101 dicebamus, tunc etiam processio per voluntatem erit secundum rationem similitudinis. Hoc autem sic ostenditur. Quoniam etiam voluntas constituitur in actu per similitudinem objecti tanquam per formam ultimo illam constituentem in actu primo in ordine ad suam operationem : ergo eodem modo processio per voluntatem erit secundum rationem similitudinis. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur, et explicatur. Quoniam voluntas ratione suæ inclinationis in bonum cum præcisione sumptæ non est ultimate potens ad producendum suum terminum, et prosequendum suum objectum sicut neque intellectus ratione suæ virtutis intellectivæ est ultimate potens ad productionem sui termini, et perceptionem sui objecti ; sed quemadmodum intellectus est indifferens ad hæc, et determinatur per similitudinem objecti, sic voluntas est indifferens ad illa, et determinatur ab objecto existente in intellectu per similitudinem sui : ergo, sicut intellectus propter hanc determinationem constituitur ultimate potens ad productionem sui termini per similitudinem objecti, tanquam per formam, ita etiam voluntas.

Confirmatur. Quoniam id habet ratio- Confirmatio.
nem formæ respectu alicujus agentis, a quo sumitur specificatio actionis, et ter-

mini per illam producti : at specificatio actionis voluntatis, et termini per illam producti sumitur ab objecto, et similitudine ejus : ergo etc. Major et consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Quoniam ideo actus voluntatis, et terminus illius, est hujus speciei, et non illius : quia hoc objectum mediante sui similitudine potius, quam illud, determinat eam ad hoc, ut eliciat hunc actum potius, quam illum. Et ideo voluntas determinata per distincta objecta sibi repræsentata elicit distinctos actus juxta naturam eorumdem objectorum.

143. Secunda objectio. Secunda objectio est contra id, quod in explicatione rationis S. Doctoris dicebamus, scilicet, rationem discriminis inter processionem Verbi, et Spiritus sancti propter quam illud est genitum, secus vero iste, desumendam esse ex eo, quod illa est per intellectum, de cujus ratione est producere simile; ista vero per voluntatem, de cujus ratione non est, quod producat simile.

Nam contra hoc est, quod producere simile in eadem natura substantiali, qualiter requiritur ad generationem naturalem, de qua in præsenti fit sermo, non convenit intellectui, nec ejus processioni ob rationem generalem intellectus, et processionis per illum, bene tamen ob specialem rationem, nimirum, quia est intellectus divinus, et ejus processio est divina : sed etiam voluntas licet secundum rationem generalem voluntatis non producat terminum similem in eadem natura, attamen voluntas in divina, et ejus processio ut divina producunt terminum similem in eadem omnino natura substantiali : ergo, ex eo quod processio Spiritus sancti fit per voluntatem, et processio Verbi per intellectum, non potest desumi ratio, propter quam hæc sit per modum similitudinis in eadem natura substantiali, ac proinde sit generatio, secus vero illa : siquidem neutra secundum rationem generalem intellectus, aut voluntatis producit simile in eadem natura substantiali : et utraque illud producit, quatenus sunt intellectus, et voluntas divina. Consequentiæ videntur perspicuæ. Minor vero etiam constat. Quoniam voluntas, et ejus processio, hoc ipso quod sunt divinæ, habent esse quid increatum, et ens a se : ergo producent aliquid increatum, et ens a se : ac proinde terminum, qui sit Deus, habeatque naturam divinam, de cujus sola ratione est esse ens a se, et quid increatum, sicut e contra de ratione creaturæ est, esse ens ab alio, et quid creatum.

Major vero etiam patet. Quia, si intellectus, et ejus processio ob generalem rationem intellectus, et processionis per illum producerent simile in eadem natura substantiali, tunc hoc ipsum conveniret intellectui creato, cujus oppositum aperte cernitur.

Confirmatur. Quoniam processio creata, hoc ipso quod talis, producet terminum, qui sit creatura : ergo processio divina, hoc ipso quod talis, producet terminum, qui sit Deus. Confirmatur.

Nec refert, si occurras cum Cajetano, esse discrimen inter has processiones in Deo : quia licet utraque sit divina, attamen processio per intellectum ex differentia, aut quasi differentia intranea sui generis habet producere terminum similem in eadem natura : at vero processio per voluntatem solum id habet ex differentia extranea, seu accidentali, scilicet, quia est divina : et ita illam esse generationem, secus vero istam. 144. Responsio. Cajetani.

Nam contra hoc est. Tum, quod vel esse divinam est differentia intranea, et per se respectu processionis Verbi, vel extranea, et per accidens? Si primum : ergo etiam erit intranea respectu processionis per voluntatem : siquidem processio per intellectum non habet, unde sit magis intrinsece, et per se divina, quam processio per voluntatem. Si autem secundum dicatur, tunc nequibit processio per intellectum habere rationem generationis : siquidem implicat producere terminum similem in natura divina, nisi ut est processio divina, seu per intellectum divinum : sicut implicat producere terminum, qui sit creatura, nisi per processionem, quæ sit creata. Tum etiam : quia, sicut processionem esse per voluntatem creatam est differentia intranea respectu processionis repertæ in creaturis : ita processio per voluntatem divinam erit differentia intranea processionis prædictæ, et ita processio per voluntatem divinam magis differt a processione per voluntatem creatam, quam duæ processiones specie essentiali diversæ, quarum quælibet sit creata : quod quidem satis indicat, esse differentiam intraneam respectu processionis per voluntatem, quod sit divina. Contra eam insurgitur.

145. Tertia objectio. Tertia objectio (per quam præcedens confirmatur) est contra hoc ipsum. Quoniam omne productivum intendit producere sibi simile, non solum in principio proximo agendi,

agendi, sed etiam potissime in principio primo, et radicali : ergo etiam Deus, ut producit per suam naturam, et voluntatem divinam Spiritum sanctum, intendet producere illum sibi similem, non tantum in principio proximo producendi, sed etiam, et potissime in principio primordiali, nempe, in natura divina : sicut ipsemet, ut producens per intellectum, et naturam divinam Verbum, intendit producere illud sibi simile, tam in intellectu, quam in eadem natura Dei, et præcipue in ista : ac proinde, ex eo quod processio Verbi sit per intellectum divinum, processio vero Spiritus sancti sit per voluntatem divinam, non recte colligitur, processionem illam esse secundum rationem similitudinis, et generationem, secus vero istam. Antecedens videtur certum. Et ita videmus, quod agentia æquivoca intendunt producere sibi simile in natura secundum convenientiam, et similitudinem aliqualem, quia modus agendi horum agentium non est compossibilis cum majori convenientia, sive similitudine : agentia vero univoca intendunt producere sibi simile in eadem natura secundum perfectam similitudinem in illa. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Tum, quia Deus, ut operatur per suam naturam, et voluntatem divinam, est productivus : ergo debent illi convenire ea, quæ sunt propria cujusvis productivi. Tum etiam : nam producere sibi simile in principio primo, et radicali spectat ad perfectionem productivi : ergo si alia agentia id habent, potiori ratione hoc conveniet Deo.

Nec refert, si dicas, non esse de ratione productivi, ut producat perfecte simile in principio primo, et radicali, etiamsi tale productivum sit univocum, sed satis erit similitudo in principio proximo : ac proinde quoad præsens satis erit, communicari Spiritui sancto ex vi processionis ipsammet voluntatem Dei, licet non cômmunicetur illi natura divina.

Non itaque hoc refert. Quoniam facta collatione inter principium primum, ac primordiale, et principium proximum, tunc illud potissime influit : alioqui non esset principium primum, et primordiale : ergo potissime assimilabit sibi terminum productum : siquidem ideo producens assimilat sibi productum, quia influit ad ejus productionem : ac proinde quod potissime influxerit, potissime assimilabit sibi terminum productum.

146. Quarta objectio. Quarta objectio (per quam duæ præcedentes amplius confirmantur) est. Quoniam proprium est voluntatis amantis producere terminum, qui sit unio amantis cum re amata : ergo hoc ipso, quod aliqua voluntas sit voluntas divina, producet terminum, qui sit summa unio Dei amantis cum se ipso ut amato : ac proinde talis terminus, hoc ipso quod procedat per voluntatem divinam, procedet ut idem in natura divina, propriumque erit voluntatis divinæ, non minus quam intellectus Dei, quod ejus processio sit secundum rationem similitudinis. Hæc ultima consequentia quoad posteriorem partem patet ex priori parte ejusdem consequentiæ. Quoad priorem vero constat ex prima consequentia. Quoniam : sicut species intelligibilis divina, hoc ipso quod sit summa unio Dei in ratione intellectivi cum se ipso ut intelligibili, debet ex vi sua dicere ipsam naturam divinam : et similiter Verbum divinum, hoc ipso quod sit summa unio Dei in ratione intelligentis cum ipsomet in ratione objecti intellecti non potest non ex vi sua, et ut procedit per intellectum, afferre ipsammet naturam Dei. Ita, hoc ipso quod terminus productus per voluntatem divinam sit summa unio Dei amantis cum eodem Deo in ratione objecti amati, debet, ut procedit per voluntatem divinam, dicere ipsammet naturam Dei. Quoniam unio summa cum Deo est habere summam identitatem cum natura divina : et aliquid habere hanc identitatem summam, quatenus procedit per voluntatem divinam, est habere naturam Dei, ut procedit per prædictam voluntatem. Prima vero consequentia ex antecedenti aperte sequitur. Nam hoc ipso, quod voluntas sit divina, debet habere in summo id, quod est proprium voluntatis amantis. Et ita, si est proprium hujus producere terminum, qui sit unio amantis cum re amata, tunc proprium erit voluntatis divinæ habere in summo hoc ipsum, seu producere terminum qui sit summa unio amantis cum amato. Antecedens vero etiam liquet. Quoniam per amorem, et ejus terminum tendit voluntas in rem amatam, et unitur illi : et propterea per utrumque habet amatum esse in amante, et rursus amans in amato.

Ex quo fit, nihil referre, si cum schola Thomistarum dicas, hine solum sequi, quod sicut est proprium voluntatis, et ejus termini, uniri per affectum tantummodo 147.

cum re amata : ita erit proprium voluntatis divinæ, et termini per eam producti, quod sit summa unio intra lineam præcise unionis secundum affectum ; non vero unionis naturalis, quæ dicat, habere formalissime eamdem naturam cum Deo, si lineæ voluntatis, et ejus termini cum præcisione sumantur.

Ex dictis igitur fit, hoc nihil referre. Quoniam id, quod procedit per intellectum, tantum habet ex generali ratione processionis per intellectum, quod sit idem cum objecto, et unitum illi in *esse* intelligibili, et repræsentativo : et tamen hoc ipso, quod procedat per intellectum divinum, ita crescit, et elevatur hæc unio, et identitas, ut pertingat ad hoc, ut sit idem per summam identitatem in natura, scilicet, per identitatem naturalem : ergo, licet terminus productus per voluntatem amantem tantum sit unio *in facto esse* amantis cum re amata, seu tantum sit idem secundum affectum cum objecto amato : nihilominus hoc ipso, quod talis terminus procedat per voluntatem divinam, ita crescet hæc unio, et identitas, ut pertingat ad hoc, ut sit unio, et identitas summa, et per identitatem omnimodam in eadem natura divina, quæ ex vi processionis prædicto termino communicetur.

148. Confirm. 1. Confirmatur adhuc. Nam intra lineam unionis, et identitatis in natura continentur diversi gradus unionis, et identitatis pertinentes ad eamdem lineam : ergo, sicut unio in *esse* intelligibili, et repræsentativo, et unio in *esse* naturali et entitativo spectant ad eamdem lineam, si talis linea sit summe perfecta : ita unio, et identitas secundum affectum, et unio, ac identitas in *esse* naturali spectabunt ad eamdem lineam perfectissimam unionis : ergo, sicut ob illam rationem communicatur Verbo ex vi processionis per intellectum divinum, quod sit idem in natura cum Deo : quia identitas in *esse* repræsentativo, et in *esse* naturali spectat ad eamdem lineam : ita termino procedenti per voluntatem divinam communicabitur ex vi processionis, quod sit idem in natura divina secundum *esse* naturale ipsius : quia non est cur hæc identitas secundum affectum, et secundum *esse* naturale non contineatur etiam intra eamdem lineam.

Confirm. D. Thom. Confirmatur, et explicatur discursu, quo utitur D. Thomas in hac quæst. art. 1 ad 3. Nam ex eo S. Doctor probat, processionem Verbi esse generationem : quia, quanto aliquid perfectius intelligitur, tanto verbum productum est intimius intelligenti : ac proinde per intellectionem divinam, per quam perfectissime intelligitur Deus, producetur ex vi processionis verbum, quod sit perfectissime idem in natura cum ipso Deo : ergo eodem discursu poterit probari, processionem per voluntatem esse talis conditionis, ut hoc ipso, quod sit per voluntatem divinam, producatur terminus, qui ex vi processionis sit perfectissime idem in natura cum Deo. Patet consequentia. Quia etiam, quanto perfectior est actus amandi, tanto amatum est intimius in amante, et magis unum cum eo : ergo per actum amandi summe, et infinite perfectum, qualis est actus amoris voluntatis divinæ : producetur ex vi processionis terminus, qui sit summe idem in natura

Ex quo etiam sequitur ultima objectio contra rationem D. Thomæ. Nam fundamentum potissimum illius (ut in ea expendimus) est diversus ille modus, quo intellectus, et voluntas versantur circa sua objecta : ille quidem trahendo ea ad se, media saltem similitudine eorum ; ista vero tendendo, et movendo se in suum objectum : at ex hoc fundamento, et discrimine non colligitur intentum rationis D. Thomæ, scilicet, processionem per voluntatem divinam non esse secundum rationem similitudinis ; secus vero processionem per intellectum divinum : ergo etc. Minor probatur. Quoniam motus, et inclinatio voluntatis tendentis, et amantis objectum est motus in illud ut in id, cui unitur; non vero ut in id, a quo recedit : ergo, si ille motus, et tendentia fuerit infinite perfecta, habebit ex vi processionis pro termino summam, et perfectissimam unionem cum objecto amato : et per consequens summam identitatem cum illo in natura. Patet hæc ultima consequentia. Quoniam summa unio nihil est aliud, quam hæc summa identitas in natura : ex eo quod quævis alia unio non pertingit ad rationem summæ unionis, sed potest excogitari alia major, nempe ea, quæ dicit esse omnino ejusdem naturæ cum illo. 149. Ultima objectio.

Confirmatur, et explicatur. Nam amor ex propria ratione est motus per quem amans transformatur in amatum : ergo amor imperfectus erit veluti quidam motus, per quem amans transformatur imperfecte : ex eo quod producit terminum, per quem tantum imperfecte, et in affectu habeatur natura amati : et amor summe perfectus Confirmatio.

fectus transformabit perfectissime producendo terminum, qui sit ejusdem omnino naturæ cum amato, per quemque amans transeat in ipsam naturam amati : ac proinde, licet processio per voluntatem ex generali ratione processionis per illam non habeat producere simile omnino; sicut nec processio per intellectum eodem proportionali modo sumpta hoc habet : nihilominus processio per divinam voluntatem id habebit : et ita nulla erit discriminis ratio assignata in ratione D. Thomæ, et petita ex modo procedendi per intellectum, et voluntatem.

§ II.

Enodatio primæ objectionis.

152. Solvitur prima objectio et ejus confirmatio.

Ad primam ex his objectionibus respondetur distinguendo antecedens : *Voluntas constituitur in actu per similitudinem objecti, tanquam per formam ultimo illam constituentem in actu primo in ordine ad suam processionem* : ita ut constituatur per prædictam similitudinem tanquam per formam in *esse* rei, negetur antecedens : ita ut constituatur per illam tanquam per formam in *esse* cognito, concedatur : et negetur consequentia. Nec aliquid aliud convincit probatio ejusdem antecedentis.

Dilucidatur solutio et explicatur, quomodo species determinet intellectum et voluntatem.

Explicatur hoc. Etenim similitudo objecti aliter, et aliter constituit, sive determinat intellectum, et voluntatem in ordine ad suas processiones, et hoc quidem petitum ex natura ipsius intellectus, et voluntatis. Nam intellectus determinatur per similitudinem objecti, sive per speciem intelligibilem, tanquam per formam in *esse* rei (non quidem, prout forma in *esse* rei dicit eamdem speciem intelligibilem præcise quoad *esse* naturale et entitativum, et non quoad *esse* intelligibile, sive intentionale : quin potius hoc *esse* est, quod ab ea per se primo, et formalissime, ac omnino indispensabiliter importatur; sed prout forma in *esse* rei distinguitur a forma in *esse* cognito in actu). Et propterea prædicta similitudo secundum *esse* reale, saltem intelligibile inhæret, sive unitur eidem intellectui. Cæterum similitudo objecti determinat voluntatem, non quidem per modum formæ in *esse* rei ; sed per modum formæ in *esse* cognito : quia non nisi ut cognita habet illam determinare. Et ideo similitudo, quæ exercet hoc munus respectu voluntatis, est verbum mentis, de cujus ratione est actu cognitum, seu esse ex propriis meritis actu terminans cognitionem. Unde similitudo hæc non debet esse in voluntate ; sed in intellectu, qui intra se habet tam intellectionem, quam objectum internum, nempe verbum.

153. Primum discrimen inter hos duos determinandi modos.

Inter hos autem modos determinandi est duplex discrimen. Primum quidem : quod forma determinans per modum formæ in *esse* rei, in sensu jam explicato, vere et stricte habet rationem formæ, et ita intrinsece unitur rei, respectu cujus est forma : at id, quod determinat per modum formæ in *esse* cognito, non habet stricte rationem formæ; sed solum rationem cujusdam determinationis : et propterea non est necesse, ut inhæreat, aut intrinsece uniatur cum suo determinabili ; sed satis est, ut sit in alio subjecto.

Secundum discrimen.

Secundum discrimen est : quod, sicut forma prioris rationis est stricte forma, et secundum suum *esse* reale inhæret, sive unitur cum eo, cujus est forma, et ratio agendi : ita tribuit illi, quod producat effectum talem, qualis est ipsa forma, quoties talis forma est ratio agendi per modum agentis univoci : quia hoc est proprium formæ habentis prædictas conditiones, ut inductive patet. Et ideo similitudo objecti, sive species intelligibilis unita secundum suum *esse* reale intellectui, et constituens illum in ratione agentis univoci respectu verbi adæquantis ipsam, tribuit eidem intellectui, quod producat verbum simile ipsimet speciei intelligibili ex parte formæ, et naturæ repræsentatæ.

154. Cæterum, quemadmodum forma posterioris rationis collata cum voluntate tantum concurrit in *esse* cognito, ac proinde ut existens in intellectu, et ostendendo bonitatem objecti, ad hoc ut moveat voluntatem ad sui amorem : sic solum concurrit alliciendo, et attrahendo ipsam, ad hoc ut inclinetur, et propendat in bonum ostensum, et cognitum : et ideo terminus productus per voluntatem mediante hac determinatione facta per formam in *esse* cognito tantum est inclinatio, et impulsus quidam actualis in prædictum bonum; non vero similitudo ipsius. Sicut etiam, quia prædicta forma non est stricte ratio agendi per modum formæ, sed solum determinatio rationis agendi : propterea effectus non evadit similis ipsi : sed formæ, quæ per modum formæ stricte sumptæ habet esse rationem agendi, nempe, ipsi voluntati, quæ sicut est inclinatio in bonum, ita pro-

ducit, vel effectum quodammodum similem sibi, scilicet terminum, qui sit inclinatio actualis in bonum, ut in creatis contingit, vel terminum omnino similem eidem voluntati, ut in divinis propter perfectionem voluntatis divinæ cernitur, ubi ipsamet voluntas, quæ est ratio proxima producendi Spiritum Sanctum, communicatur illi ex vi processionis.

Et per hæc patet ad confirmationem ibi positam.

§ III.

Animadversio duplex ad diluendam secundam objectionem.

155. Prima animadversio pro solutione secundæ objectionis. Ad secundam objectionem ut respondeamus, prænotandum est primo, quod quadrupliciter potest intelligi, voluntatem Dei esse divinam. Primo quidem, prout *esse divinam* denotat esse identificatam cum natura divina sub conceptu naturæ : ac proinde esse tantum formaliter identice Deum. Secundo, prout significat idem, ac includere naturam divinam per modum transcendentis juxta ea, quæ supra dubio præcedenti num. 110 diximus. Tertio, prout dicit ens divinum, quod est commune rationis ad omnes lineas, quæ sunt in Deo, prout unaque est infinita, et summe perfecta intra propriam lineam, et ex vi ejusdem lineæ : quod quidem ens divinum sic sumptum distinguitur (ut supra dicebamus) a natura divina sub conceptu transcendentis : quia hæc est communis communitate et transcendentia rei; illud vero per solam communitatem rationis : et propterea pertinet ad lineam ejus, in quo transcenditur, nec distinguitur virtualiter ab illo, ut in creatis videre licet : et ob hanc rationem multiplicatur virtualiter in omnibus formalitatibus divinis, et illa (ut sic dicamus) portio, quæ imbibitur, v. g. in voluntate Dei, non est illamet distinctione virtuali, quæ includitur in intellectu : et ita prædicta ratio entis abstrahit ab absoluto, et relativo : et secundum diversas quasi portiones sui spectat ad lineam relativam, dum imbibitur in absolutis. Unde ejus ratio potest explicari per hoc, quod dicat rationem entis abstrahentem ab absoluto, et relativo, quæ sit talis conditionis, ut possit imbibi, et multiplicari in omnibus lineis, prout unaquæque ex illis est infinita intra propriam lineam, et in eisdem trahi ad propriam rationem cujuscumque lineæ.

Quarto tandem potest intelligi, voluntatem esse divinam, prout dicit *esse* divinum conveniens voluntati ex vi suæ propriæ, et atomæ lineæ secundum suam formalissimam rationem consideratæ, seu prout dicit *esse* divinum elicitive, et objective, id est, quod dimanet a Deo per modum cujusdam ponderis, ac proinde tendat in Deum ut in proprium objectum volitum. Et similiter processio per voluntatem divinam potest hoc quadruplici modo dici divina.

Inter hos autem quatuor modos, quibus voluntas Dei, vel processio per illam possunt dici divinæ, est magnum discrimen. Nam prior modus habendi *esse* divinum non est ita intimus voluntati, sicut secundus, aut tertius : ex eo quod ille tantum dicit in voluntate, quod sit divina formaliter identice; iste vero, quod sit divina per quid divinum per modum transcendentis in illa inclusum. Sicut etiam tertius modus essendi quid divinum est intimior secundo : quia fit per quoddam transcendens intimius, et minus distinctum a voluntate Dei, quod non constituit specialem lineam; sed inclusum in voluntate est ejusdem lineæ, ac ipsa voluntas. At ultimus modus habendi *esse* divinum est adhuc intimior tribus præcedentibus : quia convenit illi intra propriam lineam cum præcisione sumptam, et ex vi ejusdem lineæ secundum id, quod habet secundum suam rationem atomam : siquidem, quod voluntas dimanet, non utcumque, sed per modum ponderis a divina natura, et sit pondus et inclinatio quædam perfectissima in bonum Dei, convenit illi intra propriam lineam cum præcisione consideratam, et vi ejusdem lineæ secundum rationem atomam. Quod idem cum proportione de processione per voluntatem divina dicimus. 156. Quid intersit inter 4 modos, quibus voluntas Dei dicitur divina.

Diximus, ***voluntatem Dei, non vero intellectum ipsius, esse hoc quadruplici modo divinam.*** Quia, licet juxta aliorum sententiam distinguentem virtualiter intellectum, et intellectionem primordialem divinam a natura Dei, debeant intellectus, et intellectio ista Dei his quatuor modis (proportione tamen servata) esse divina : attamen juxta nostram, et D. Thomæ sententiam constituentem naturam divinam in ipso *intelligere* primordiali, ac proinde non distinguentem illud adhuc virtualiter ab intellectu, tunc intellectus, et prædictum *intelligere* nequeunt esse divina priori modo, id est, esse Deum tantum formaliter identice; sed sunt ipse Deus, et natura divina formalissime,

malissime, et excludendo omnem virtualem distinctionem. Et similiter non possunt esse divina secundo modo, et secundum eam rationem, secundum quam voluntas dicitur divina juxta hunc secundum modum habendi *esse* divinum. Quoniam essentia divina immediate includitur in voluntate Dei, ut habet rationem transcendentis respectui ipsius : at in se ipsa sub conceptu naturæ non includitur immediate, quatenus consideratur sub conceptu transcendentis, sed solum mediate, quatenus omnia attributa, non quidem sub conceptu attributorum, sed sub conceptu transcendentium considerata includuntur in natura divina sub conceptu naturæ, et in his adhuc sic consideratis includitur divina natura per modum transcendentis sumpta : et ideo ipsa per modum transcendentis sumpta mediate includitur in semetipsa per modum naturæ considerata.

Et tandem idem intellectus, et intellectio divina non sunt, juxta sententiam Angelici Doctoris, divina elicitive, et objective eo modo, quo voluntas Dei. Quia cum non distinguantur (ut modo dicebamus) adhuc virtualiter a natura divina sub conceptu naturæ considerata, sed solum ex parte nostri modi concipiendi : inde est, ut nec intellectus virtualiter oriatur ab aliqua alia ratione priori, neque intellectio prædicta habeat per virtualem dimanationem fluere ab intellectu divino, nec respiciant divinam essentiam, ut objectum virtualiter ab eis distinctum; sed intellectus solum ex parte nostri modi concipiendi intelligitur fluere a vi radicali intelligendi, quæ est in Deo : et intellectio primordialis ex parte etiam ejusdem modi concipiendi fluit a divino intellectu : et tam intellectio prædicta, quam intellectus respiciunt divinam essentiam ut objectum ex parte solius nostri modi concipiendi distinctum : quia omnia ista sunt una et eadem ipsissima formalitas divinæ naturæ absque aliqua distinctione virtuali. Et ita intellectus, et intellectio primordialis sunt peculiariter quid divinum elicitive, et objective hoc peculiari modo : ac proinde sunt quid divinum ex vi propriæ et atomæ lineæ formalissime consideratæ tanquam id, in quo formalissime consistit ipsa essentia et natura Dei.

157. Animadversio secunda.

Secundo notandum est, quod, sicut voluntatem v. g. esse divinam potest multipliciter sumi : ita etiam eam esse ens a se, aut esse quid increatum. Nam voluntatem esse ens a se potest denotare, vel quod non sit ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori ; vel quod non sit ab alio tanquam a causa tantummodo, quamvis habeat rationem a priori sui : quod idem de prædicta voluntate, prout habet esse increatam, dicimus : nam hæc duo inter se coïncidunt. Si ergo esse ens a se priori modo sumatur, tunc idem est, ac esse ens a se per modum naturæ divinæ sub conceptu naturæ : ex eo quod sola ipsa habet esse primam, et fontalem lineam omnium, quæ sunt in Deo : et ita sola ipsa habet non esse ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori. Si vero posteriori modo accipiatur, tunc dicit rationem quamdam communem tam voluntati, quam quibusvis aliis formalitatibus infinitis intra quamcumque lineam. Nam infinitas in quavis linea excludit hoc, quod est ab alio tanquam a causa : siquidem causa limitat, et finit suum effectum : et quod est capax habendi *esse* proprie causatum, est capax compositionis ex genere et differentia ; et per consequens limitationis et finitatis.

ter voluntas Dei est ens a se.

§ IV.

Respondetur ad secundam objectionem.

158. Ex dictis animadversionibus enodatur secunda objectio.

Hinc ergo ad hanc secundam objectionem respondetur, quod licet voluntas, et intellectus conveniant in hoc, quod ex generali ratione intellectus, et voluntatis non producunt simile, seu idem in eadem natura substantiali secundum modum essendi naturalem et entitativum : et similiter ut habent *esse* divinum, prout dicit naturam divinam per modum transcendentis per transcendentiam et communitatem rei in eis inclusam, vel ut præcise exprimit ens divinum per communitatem et transcendentiam rationis in eis imbibitam, non communicent naturam divinam sub conceptu naturæ ; sed tantum communicent eamdem naturam, vel illam quasi portionem entis divini, quæ per transcendentiam et communitatem rationis in eis includitur, quatenus hæc duo habent rationem transcendentium in illis : attamen voluntas tantum habet communicare Spiritui Sancto naturam divinam sub conceptu naturæ, prout ipsa voluntas priori modo ex illis quatuor ; præcedenti numero 155 assignatis est divina, id est, ut formaliter identice tantummodo est Deus ratione

identificationis cum divina natura sub conceptu naturæ. Et ita non communicat suo termino naturam divinam, prout ipsa voluntas, et ejus processio sunt divinæ quarto modo, hoc est, prout sunt divinæ elicitive, et objective, seu intra propriam lineam cum præcisione consideratam, et ex vi ejusdem lineæ atomæ ut talis : ac proinde nec communicat naturam divinam ex vi processionis, ut ex dictis patet.

159. Cæterum intellectus, et *intelligere* divinum communicant Verbo naturam divinam sub conceptu naturæ, secundum quod (modo explicato) sunt quid divinum elicitive, et objective, seu secundum id, quod dicunt intra propriam lineam, et ex vi ejusdem lineæ : quod nihil aliud est, quam esse quid divinum tanquam id, in quo consistit formalissime ipsa natura Dei, cujus ratio satis constat ex dictis. Tum, quia ut disputatione præcedenti num. 99 dicebamus, id ipsum, quod habet rationem principii proximi per modum actus purissimi, ac proinde actualis productionis activæ quoad id, quod utrumque in recto importat, debet in his processionibus ex vi propriæ lineæ earum, seu ex vi processionis communicari. Et ita hoc ipso, quod principium proximum processionis passivæ per intellectum, et productio activa sit ipse intellectus per modum actus purissimi, et in his consistat natura Dei absque distinctione virtuali, oportet, ut intellectus, et intellectio Dei ex vi propriæ lineæ, et ex vi processionis communicent naturam Dei. Cumque in *intelligere*, et intellectu divino sit prorsus idem esse divinum, prout dicit esse formalissime ipsam naturam divinam sub conceptu naturæ, ac esse divinum elicitive, et objective modo explicato, ut ex dictis in 1 tomo tractatu 3 disputatione 4 numero 7 constat, oportet, ut prædictum *intelligere*, ut est divinum elicitive, et objective, communicet divinam naturam.

Tum etiam, quia cum *intelligere* divinum, prout dicit esse divinum elicitive, et objective, sit perfectissimum *intelligere* perfectione suæ lineæ, oportet, ut sicut *intelligere* creatum, et imperfectum eamdem prorsus naturam, quæ est in specie intelligibili, communicat sub modo essendi imperfecto, scilicet sub modo essendi repræsentativo tantummodo, verbo creato adæquanti ipsam : ita *intelligere* perfectissimum, secundum quod est divinum elicitive, et objective, seu secundum id, quod habet intra propriam lineam cum præcisione consideratam, et ex vi ejusdem lineæ, habeat communicare eamdem naturam sub modo essendi perfectissimo, scilicet, sub modo, qui simul sit intelligibilis, et naturalis : quia, ut in solutione ad quartam objectionem explicabimus, uterque modus pertinet ad eamdem lineam. Et ita *intelligere* divinum habet ex vi processionis communicare Verbo divinam naturam sub conceptu naturæ : siquidem (ut ex dictis constat) idem est, quod processio aliqua communicet naturam divinam sub conceptu naturæ : et quod communicet illam secundum id, quod habet ex vi suæ rationis formalis, sive intra propriam lineam, et ex vi ejusdem lineæ.

Ex quo etiam fit, quod *intelligere* divinum, ut est quid increatum, et ens a se priori modo, id est, ut non est ab alio tanquam a causa, neque tanquam a ratione a priori, quod est proprium divinæ naturæ sub conceptu naturæ, communicet eodem modo esse ens a se, et esse ens increatum Verbo divino : et per consequens naturam divinam. Et similiter voluntas, prout est increata, et ens a se eodem primo modo, communicet Spiritui Sancto esse ens a se, et esse quid increatum eodem modo : ac proinde esse Deum. Cæterum illud prius non extrahit *intelligere* a propria linea : siquidem constituit lineam naturæ, et essendi illo modo quid increatum : cum tamen hoc ipsum extrahat lineam voluntatis a linea sua, et solum conveniat ei identice. Et ita non communicat Spiritui Sancto ex vi processionis divinam naturam, sed solum quia ipsa est identice Deus. 160.

Respondetur ad eamdem objectionem in forma. Unde ad formam hujus secundæ objectionis distinguenda est major : *Bene tamen ob specialem rationem, nimirum, quia est intellectus divinus, et ejus processio est divina.* Si *esse divinum* sumatur ultimo modo ex illis quatuor num. 155 recensitis, prout dicit, quod *intelligere* divinum sit divinum elicitive, et objective, seu intra propriam lineam, et ex vi illius, concedenda est. Si *esse divinum* sumatur alio modo ex illis, neganda est. Et deinde distinguenda est minor : *Voluntas ut divina, et ejus processio ut divina, producunt terminum similem in eadem omnino natura.* Si ly *ut divina* sumatur pro hoc, quod est esse divinam primo modo ex quatuor recensitis, id est, pro hoc, quod est esse tantum identice Deum ratione identificationis cum divina natura sub conceptu naturæ, concedatur. Si ly *divina* accipiatur pro hoc, quod est esse

esse divinam alio ex modis recensitis, et peculiariter pro hoc, quod est esse divinam elicitive, et objective, seu intra propriam lineam, et ex vi illius ut talis, negetur. Et similiter neganda est consequentia propter jam dicta.

161. Ad probationem autem minoris, ex qua pendet vis consequentiæ, respondetur concedendo antecedens, servata proportione : ita ut hoc ipso, quod processio sit divina identice, habeat tantummodo per identitatem cum divina natura ut tali esse quid increatum, et ens a se priori modo, id est, ut ens a se dicit non esse ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori : et hoc ipso, quod sit divina aliis modis, sit ens a se, et quid increatum posteriori modo, nempe, prout dicit non habere suum *esse* ab alio ut a causa, licet habeat illud ab alio ut a ratione a priori. Et deinde concedenda est utraque consequentia cum eadem proportione, nimirum, ita ut voluntas, ut est divina identice tantummodo ratione identificationis cum divina natura sub conceptu naturæ, producat terminum omnino eumdem in natura, de cujus ratione est esse ens a se, prout dicit non esse ab alio, adhuc tanquam a ratione a priori : et, ut est divina aliis modis, tantum communicet *esse* divinum, et esse ens a se, prout tantumdicit non esse ab alio tanquam a causa, vel impulsum divinum elicitive et objective, qui secundum istum conceptum non habeat formalissime esse Deum.

Nec instantia de creaturis aliquid probat. Quia de conceptu cujusvis creaturæ est, quod sit ab alio tanquam a causa, et tanquam a ratione a priori. Nam licet essentiæ creatæ sub conceptu constituentium proprias naturas non habeant aliam rationem a priori in illamet creatura : attamen habent rationem a priori in Deo. Et propterea divina omnipotentia est ratio a priori possibilitatis omnium creaturarum, et essentiarum creatarum, ut in 1 tomo tract. 3 disput. 1 dub. 3 num. 49 et disput. 7 dub. 3 num. 39 diximus : cum tamen ens increatum possit dici increatum, vel quia non est ab alio tanquam a causa, aut tanquam a ratione a priori ; vel quia non est ab alio præcise tanquam a causa, ut explicatum est. Per quod etiam patet ad confirmationem.

162. Admissa solutione inter arguendum tradita occurritur primæ impugnationi.

Quare solutio inter arguendum assignata huic objectioni, et modo dicto explicata debet admitti : siquidem intellectio divina intra propriam lineam, seu prout est divina divinitate naturæ, secundum quam rationem dicit propriam lineam, communicat Verbo naturam divinam : at voluntas non communicat eam, nisi ut est contracta per differentiam extraneam, et veluti per accidens, id est, divina divinitate naturæ divinæ, quæ divinitas convenit ei extra propriam lineam, et ratione solius identificationis cum eadem divina natura, et tantum est differentia materialis : sicut æstimativam esse humanam tantum competit ei per modum differentiæ extraneæ.

163. Diluitur secunda impugnatio.

Et ad primam probationem in contrarium patet ex dictis, quomodo esse quid divinum divinitate naturæ, et similiter esse ens a se eo modo, quo natura divina est ens a se, sit differentia intranea respectu intellectus, et intellectionis Dei primordialis : cum tamen esse hoc modo divinam non conveniat sic voluntati, sicuti neque ejus processioni : ex eo quod natura Dei sub conceptu naturæ non consistit in ipso *velle ;* bene tamen in *intelligere.*

Ad secundam vero probationem constat ex iis, quæ diximus, quomodo respectu processionis pér voluntatem, creatam sit differentia intranea esse creatam, prout differentia intranea ambit ea, quæ conveniunt per modum transcendentis per transcendentiam, et communitatem rationis, et spectant ad lineam ejus, in quo transcenduntur. Et similiter constat etiam ex iis, quæ asseruimus, quomodo esse quid increatum posteriori modo ex illis, quos in secundo notabili recensuimus, id est, prout dicit non esse ab alio tanquam a causa, et esse quid divinum tertio modo ex iis, quos in primo notabili adduximus, sit in eodem sensu differentia intranea respectu processionis per voluntatem divinam, prout dicit *esse* divinum elicitive et objective : quatenus illa peculiaris quasi portio entis increati, quæ quasi contrahitur per differentiam propriam voluntatis, ut est infinite perfecta intra suam lineam, nequit ad aliam lineam secundum prædictum conceptum spectare : cum tamen procedere per voluntatem divinam divinitate naturæ divinæ non sit differentia intranea respectu processionis pér voluntatem secundum ea, quæ intra propriam lineam dicit. Ac tandem, quomodo hinc non habeatur, quod ex vi processionis communicetur Spiritui Sancto natura divina. Quoniam ex illis, quæ sunt in producente tantum communicatur ex vi processionis juxta nostram sen-

tentiam illud ipsum, quod habet rationem principii proximi talis processionis, sive illud ipsum, quod affert processio activa secundum id, quod in recto, et intra suam lineam dicit : et ideo processio Spiritus Sancti ex vi processionis tantum communicat id, quod est lineæ voluntatis, seu ipsum *velle*, et impulsum Dei in se ipsum, ut in objectum amatum.

164. Ad illud autem, quod in fine hujus probationis dicitur, scilicet, processionem per voluntatem divinam (id est voluntatem, quæ sit ipse Deus) per hoc quod sit per prædictam voluntatem sic sumptam, magis differre a quavis processione creata, quam duæ processiones per voluntatem creatam specie diversæ inter se differant, dicendum est, id esse verum, si ly *magis* dicat differentiam absolute et simpliciter majorem, prout esse majorem explicat majorem distantiam unius ab alio; non vero prout dicit hoc, quod est differre per differentiam, aut quasi differentiam magis intraneam, aut per differentiam intra propriam lineam, et ex vi ejusdem lineæ : quia sic magis differunt duæ processiones per voluntatem creatam diversæ speciei, quam processio per voluntatem divinam, ut dicit esse divinum divinitate naturæ, differat a processionibus per voluntatem creatam ut sic, quatenus esse creatum non dicit differentiam materialem sumptam ex parte naturæ, sed ut dicit illud entitatis creatæ, quod per modum transcendentis intime transcenditur in volitione creata.

Et ratio horum ex dictis facile desumitur. Quoniam esse divinum divinitate naturæ est differentia extranea, seu extra propriam lineam voluntatis : at differentiæ contrahentes duas volitiones creatas specie formali diversas, sunt differentiæ intra lineam voluntatis. Et ideo magis intranee differunt istæ inter se, id est, per differentiam magis intraneam, quam differat processio per voluntatem divinam modo dicto sumptam ab aliqua processione per voluntatem creatam modo etiam explicato acceptam.

165. Addiramentum dilucidans totam solutionem. Adde tamen pro majori solutione hujus secundæ objectionis, quod, etsi divina natura consistat in ipso *intelligere* essentiali, et primordiali, quod est in Deo : nihilominus, si daremus (ut multi volunt), divinam naturam non consistere in illo; sed solum in hoc, quod sit v. g. radicaliter intellectiva, ita ut linea naturæ non pertingeret usque ad prædictam intellectionem, adhuc tunc ratio D. Thomæ intentum suaderet, et hæc objectio nullius esset roboris. Quoniam intellectio divina ex duplici capite tunc communicaret naturam divinam. Primo quidem ex vi processionis, et propter rationem n. 159 in solutione hujus objectionis, et disputatione præcedenti num. 104 adductam. Secundo vero, ratione identificationis cum divina natura : cum tamen processio per voluntatem non illo, sed hoc posteriori modo communicaret naturam divinam. Et licet de facto, et in eo eventu (ut ita alia objectio ab adversariis adducta maneat soluta) processio per intellectum non communicaret naturam divinam, nisi esset in Deo, ac proinde nisi esset identificata cum natura divina sub conceptu naturæ; non tamen id haberet præcise ex vi identificationis; sed ex vi eorum, quæ conveniunt ei intra propriam lineam, posset communicare naturam divinam, et hoc, quod est esse in natura divina, requiretur per modum conditionis, sive prærequisiti ad habendum illa, quæ sunt suæ lineæ.

Ratio autem, ob quam hoc ultimum desideretur, esset, tum ex eo quod potentia vitalis, qualis est potentia generativa, nequit manere in ratione vitalis, nisi sit radicata in primo, et radicali principio vitæ, et ei unita, ut N. Complutenses in lib. Physicorum disputatione 10 numero 66 docent. Unde sicut visus habet ex vi suæ lineæ propriam vitalitatem, et ita videt per propria suæ lineæ; licet non haberet hoc, nisi per modum conditionis, sive requisiti daretur ibidem, quod esset inhæsive in suo primo principio vitæ : ita prædictum *intelligere* divinum in eo eventu haberet ex vi suæ lineæ propriam vitalitatem, et produceret verbum ejusdem naturæ omnino cum Deo; quamvis non haberet talem vitalitatem, nec operaretur vitaliter, nisi esset quasi inhæsive in natura divina; ac proinde nisi esset identificatum cum illa.

166. Firmatur ratione. N. Compl.

Tum etiam ex eo, quod potentia generativa, et generatio Verbi divini non possunt habere id, quod convenit eis ex vi suæ lineæ, id est, ut sunt intellectus, et intellectio omnium perfectissimæ, et fœcundissimæ intra propriam lineam, nisi pertingant ad hoc, ut simul sint in natura divina, et cum ea identificentur. Si tamen per impossibile conciperemus intellectum, et *intelligere* omnium perfectissimum intra suam lineam esse separatum a natura divina, et habere speciem intelligibilem illius,

lius, manereque cum omni sua perfectione intranea, et propria suæ lineæ, non posset non producere verbum, quod esset ejusdem prorsus naturæ in esse naturali, et intelligibili cum Deo, propter rationem n. 159 adductam, quamque adducit D. Thomas in hac quæst. art. 1 ad 2.

§ V.

Diluuntur cæteræ objectiones.

167. Responsio ad tertiam objectionem.

Ad tertiam objectionem negandum est antecedens universaliter intellectum. Quia adhuc in productivis univocis non est verum, quod producant sibi simile in natura, nisi quando influunt per virtutem proximam per se destinatam ad communicandam naturam. Unde, licet homo, dum agit per suam potentiam generativam, quæ per se est destinata ad communicandum naturam humanam, producat sibi simile in principio primordiali, et radicali; non tamen, quando agit per alias potentias proximas, ut dum movetur localiter, dum augetur, dum videt, etc. Quare, cum potentia per se destinata ex vi propriæ lineæ ad communicandum naturam divinam non sit voluntas, ut ex dictis in hoc, et præcedenti dubio patet; bene tamen intellectus, et *intelligere* perfectissimum ex vi suæ lineæ considerata : propterea, dum natura divina per modum principii radicalis *quo* vult, ac proinde operatur per voluntatem, non communicat ex vi processionis se ipsam, ut habet rationem naturæ; sed tantum principium proximum *quo*, et ipsum *velle*.

Admittitur solutio inter arguendum tradita, et vane est impugnatio ejus.

Unde solutio inter arguendum huic objectioni tradita debet admitti. Et ad impugnationem concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod hoc, quod est terminum esse similem suo principio proximo, et univoce operanti; non vero principio radicali, non provenit ex eo, quod principalius influat; sed ex eo quod sit principium, et facultas proxima per se destinata ad hoc, ut assimilet sibi terminum; non vero ad hoc, ut simul assimilet illum suo principio radicali : ex eo quod principium radicale propter sui eminentiam petit quasi uti diversis principiis proximis, quorum aliqua habeant distinctum terminum ab aliis, et mediis quibus distincta operetur. Videantur ea, quæ dubio 2 num. 91 et 92 diximus.

168. Potestque hoc explicari ex ratione propter quam anima nostra in diversis organis diversa operatur, et mediis diversis potentiis diversos effectus producit; licet ipsa sit secundum suam substantiam, et per modum radicis eademmet, et eodem modo habeat esse secundum suum *esse* radicale in diversis partibus corporis. Nam (ut bene notarunt nostri Complutenses in lib. de Anima disputatione 6 num. 57) ideo anima, etiamsi sit una et eadem secundum suum *esse* radicale, præstat mediis diversis potentiis hæc diversa munera, estque radix prædictarum potentiarum : quia est forma eminens, et organica, de cujus ratione est, ut mediis diversis principiis, seu potentiis proximis diversimode operetur. Et ita mediante visu videt, et non audit; et mediante auditu audit, et non videt; et per potentiam generativam generat, et non est principium augmentationis; e contra vero per potentiam augmentativam habet augeri, et non generare, et ipsam et anima habet per unam et eamdem radicem, quod sit radix tot et adeo diversarum potentiarum. Ita ergo, quia divina natura, licet sub conceptu naturæ sit una et eadem simplicissima formalitas absque distinctione virtuali eorum, quæ pertinent ad suam lineam; attamen cum hac simplicitate habet, quod sit natura quædam eminentissima, et (si sic licet loqui) quasi organica : ideo eademmet est radix plurium et diversorum attributorum, et virtutum agendi. Unde eademmet absque distinctione virtuali in esse radicis influens habet mediante misericordia misereri, et non punire et mediante justitia punire, et non misereri; et per voluntatem velle, ac spirare amorem; non autem generare ad intra : ac tandem per intellectum tanquam per aliquid suæ lineæ generare, et communicare naturam divinam; non vero spirare : hocque ita petitur ab ea, ut, si non haberet hos diversos modos operandi, non esset forma, sive natura perfectissima, et summe eminens.

Elucidatur eleganti instantia.

N. Compl.

169. Occurritur quartæ objectioni.

Ad quartam objectionem bene respondetur ibidem. Et ad probationem in contrarium concessa majori, et minori, negetur consequentia. Et ratio disparitatis est. Quoniam unio, et unitas, seu identitas secundum affectum pertinet ad aliam lineam, ac unio, et identitas in natura : et ita non oportet, ut crescente amore, et unione secundum affectum, necnon termino per amorem producto usque ad summum suæ lineæ, tunc ex vi processionis pertingat ad

unionem, et identitatem in *esse* naturali et entitativo; sed satis est, ut pertingat ad hoc, ut sit unio infinita secundum affectum, quod nihil aliud est, quam esse amorem, et impulsum infinitum in rem amatam. Cæterum modus habendi eamdem naturam sub *esse* intelligibili, et sub *esse* naturali et entitativo, sunt duo modi pertingentes ad eamdem lineam naturæ. Et propterea, si per intellectionem creatam communicatur ex vi processionis natura rei intellectæ sub modo essendi diminuto, scilicet, sub modo essendi intelligibili tantummodo, oportet, quod per intellectionem perfectissimam, per quam Deus se ipsum intelligit, communicetur ex vi processionis natura divina sub modo essendi, tam intelligibili, quam naturali : siquidem crescente intellectione in perfectione, ita ut ambiat totum id, quod intra suam lineam potest habere, oportet, ut attingat in suo termino, quidquid intra lineam sui termini attingibile est, et ad eam pertinet : ac proinde, si intra lineam sui termini clauditur natura ut communicabilis sub utroque modo essendi jam dicto, consequens erit, ut eadem natura sub utroque essendi modo communicetur ex vi ejusdem intellectionis, seu processionis.

170. Ratio autem, propter quam unio secundum affectum est alterius lineæ ab unione, seu identitate in natura secundum *esse* reale, et naturale, constat ex dictis. Tum, quia idem est unio secundum affectum, ac ratio amoris, seu appetitus, et inclinationis amantis in rem amatam : at appetitivum, sive volitivum ex genere suo habet esse extra lineam naturæ. Quoniam appetitivum (ut docet D. Thomas 1 parte quæst. 78 art. 1) solum constituit rationem potentiæ, sive facultatis consecutæ ad intellectivum, sive ad naturam jam constitutam. Sicut omnis inclinatio, et appetitus supponit essentiam, ad quam consequitur. Unde voluntas, et amor juxta communem sententiam Theologorum virtualiter distinguitur in divinis a natura Dei : et per consequens constituit aliam lineam, ac prædicta natura.

D.Thom.

Explicatur ulterius ex supradictis. Potestque hoc explicari ex illis, quæ dubio 3 disputationis præcedentis numero 99 dicebamus, nempe, in his processionibus divinis idem prorsus esse id, quod per se primo communicatur ex vi processionis, et principium *quo* proximum illius secundum id, quod in recto affert : ac proinde eamdem esse lineam prædicti termini, et sui principii. Cum ergo principium proximum processionis, et unionis secundum affectum sit voluntas Dei per modum actus purissimi intra lineam voluntatis, et hæc linea sit extra lineam naturæ divinæ, virtualiterque distincta ab ea, ut ex dictis tomo 1 tractatu 3 disputat. 4 num. 46 et tractatu 4 disput. 2 n. 63 constat, oportet, ut idem sit terminus unionis, et identitatis secundum affectum, et quod extra lineam hujus unionis sit linea divinæ naturæ. Videantur ea, quæ dubio nuper citato fere per totum diximus.

171. Roboratur ratione. Ratio vero, ob quam modi habendi naturam sub *esse* intelligibili, vel naturali pertinent ad eamdem lineam, desumitur etiam ex iis, quæ alibi diximus. Quoniam *esse* intelligibile, et naturale, seu entitativum non constituunt ex genere suo diversas lineas; licet in creatis ratione imperfectionis lineæ, et truncationis ejus sit quid distinctum : et ita in Deo prædictum *esse* intelligibile, et naturale sunt una et eadem (ut sic dicamus) ipsissima formalitas, et ratio speciei intelligibilis, per quam concipitur natura Dei sub *esse* intelligibili, necnon et ratio objecti per se primo intellecti, ac tandem ratio naturæ divinæ, ut dicit *esse* naturale entitativum ipsius non distinguuntur virtualiter; sed idem *intelligere* divinum absque distinctione virtuali præstat omnia hæc munera, ut in 1 tomo hujus nostri Cursus tractatu 3 disput. 4 dubio 2 num. 54 diximus.

Potestque hoc elucidari ex eo, quod, ut tomo citato tractatu 3 disput. 3 diximus, natura summe perfecta, nempe divina, in *esse* naturali et entitativo sumpta est suum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali, et accepta, ut affert modum essendi intelligibilem sibi proprium, debet esse in supremo gradu immaterialitatis consistente in hoc, quod absque distinctione virtuali sit etiam suum *esse* existentiæ, ut docet D. Thomas quæst. 12, 1 part. artic. 4. D. Thom. Constat autem ex dictis in disputatione nuper citata, solam naturam divinam, et ea, quæ sunt suæ lineæ, habere ex vi sua hunc gradum immaterialitatis, et omnia alia divina existere per existentiam divinæ naturæ ab eis virtualiter distinctam : ergo, si natura divina sub modo essendi intelligibili est suum *esse*, et eademmet sub modo essendi naturali est etiam suum *esse* absque distinctione virtuali, tunc omnia hæc ad eamdem lineam spectabunt.

Ex quo ad primam confirmationem satis 172. patet,

Ad primam confirmationem. patet, negandum esse antecedens, nec amplius ad solutionem ipsius desiderari.

Ad secundam. Ad secundam vero confirmationem patet etiam ex dictis, discursum sancti Doctoris inniti in hoc, quod verbum consideratum, tam secundum suam naturam, seu ex parte formæ, quam secundum modum essendi ad líneam naturæ spectantem, pertinet ex genere suo ad eamdem lineam, ac objectum intellectum, et repræsentatum per illud. Et propterea hoc ipso, quod per intellectionem divinam Deus perfectissime intelligatur a se ipso, oportet, ut verbum, quod producitur ex vi illius intellectionis, sit perfectissime idem in natura, et in eis, quæ ad hanc lineam pertinent, cum ipso Deo. Hic autem discursus nequit applicari processioni per voluntatem : quia actus amandi, et terminus ejus tantum dicunt intimitatem, et unitatem cum amato secundum affectum, et ex parte rationis formalissimæ, in qua consistunt; imo secundum omnia, quæ formalissime dicunt, sunt extra lineam naturæ ut talis.

173. Diluitur ex dictis ultima objectio. Ex quibus etiam ad ultimam objectionem concessa majori neganda est minor. Et ad probationem constat etiam ex dictis, quomodo motus, et inclinatio voluntatis non sit motus, et tendentia in objectum ut in id, cui unitur ex vi hujus quasi motus secundum *esse* reale et naturale; sed solum in id, cui unitur secundum affectum : ac proinde motus, aut quasi motus perfectissimæ voluntatis, et perfectissime amantis tantum erit formalissime loquendo affectus, sive inclinatio perfectissima in rem amatam.

Solvitur etiam confirmatio. Ad confirmationem vero satis liquet ex iis, quæ jam diximus, nempe, hanc transformationem per amorem secundum omnia, quæ intra suam lineam dicit, tantum esse transformationem secundum affectum. Et ideo quantumcumque crescat intra suam lineam, non pertinget, nisi tantum ad summam, et perfectissimam transformationem affectivam, per quam secundum affectum amatum sit in amante, et affective tantummodo (perfectissime tamen) habeatur ex vi illius natura amati.

ARTICULUS V.

Utrum sint plures processiones in divinis, quam duæ?

Infra. q. 28 art. 4 corp. et q. 37 Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod sint plures processiones in divinis, quam duæ. Sicut enim scientia, et voluntas attribuitur Deo, ita et potentia. Si igitur secundum intellectum, et voluntatem accipiuntur in Deo duæ processiones, videtur, quod tertia sit accipienda secundum potentiam. art. I cor. et q.

2. Præterea, bonitas maxime videtur esse principium processionis, cum bonum dicatur diffusivum sui esse. Videtur igitur, quod secundum bonitatem aliqua processio in divinis accipi debeat. 41. art. 6 cor et pot q. 10 artic. 2 arg. ad. op.

3. Præterea, major est fœcunditatis virtus in Deo, quam in nobis : sed in nobis non est tantum una processio verbi, sed multæ : quia ex uno verbo in nobis procedit aliud verbum, et similiter ex uno amore alius amor : ergo in Deo sunt plures processiones, quam duæ.

Sed contra est, quod in Deo non sunt nisi duo procedentes, scilicet Filius, et Spiritus Sanctus : ergo sunt ibi tantum duæ processiones.

Respondeo dicendum, quod processiones in divinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali, et divina non sunt nisi duæ, scilicet, intelligere, et velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem : neque totaliter est remotum a genere actionum, quæ sunt ad extra. Nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum. Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi verbi, et amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia est principium agendi in aliud. Unde secundum potentiam accipitur actio ad extra. Et sic secundum attributum potentiæ non accipitur processio divinæ personæ; sed solum processio creaturarum.

Ad secundum dicendum, quod bonum (sicut dicit Boetius * in libro de Hebdomadibus) pertinet ad essentiam, et non ad operationem, nisi forte sicut objectum voluntatis. Unde, cum processiones divinas secundum aliquas actiones necesse sit accipere secundum bonitatem, et hujusmodi alia attributa, non accipiuntur aliæ processiones, nisi verbi, et amoris : secundum quod Deus suam essentiam, veritatem, et bonitatem intelligit, et amat. * In lib. *an omne, quod est, bonum sit?* circa illus finem.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra habitum est) Deus uno simplici actu omnia intelligit, et similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore; sed est in eo solum unum verbum perfectum, et unus amor perfectus. Et in hoc ejus perfecta fœcunditas manifestatur. Q. 14 art. 5 et 7, q. 19 art. 5.

Conclusio : Nulla alia processio potest esse in divinis, nisi verbi, et amoris.

Notatio circa hunc articulum.

Titulus articuli, et conclusio ejus in duplici sensu possunt intelligi, nempe, vel de pluralitate processionum numerice solummodo distinctarum, ita ut possint dari in divinis plures dictiones, seu generationes numerice solummodo distinctæ, pluresque Filii eodem modo diversi, et similiter plures Spiritus Sancti, et processiones per voluntatem; vel an possint dari in divinis plures aliæ processiones specifice, aut quasi specifice diversæ præter illas, de quibus hucusque. Cæterum in præsenti tam titulus, quam conclusio solum intelliguntur de pluralitate quasi specifica. Tum, quia id constat ex contextu S. Doctoris, ut intuenti patebit. Tum etiam, quia de pluralitate numerica divinarum processionum, an sit possibilis, necne, agit D. Thomas infra quæst. 41 art. 6. Nec necesse erit circa articulum hunc aliqua dubia excitare : quia ex iis, quæ in explicatione articulorum præcedentium diximus, satis constant ea, quæ S. Doctor in eo adducit, D.Thom.

QUÆSTIO XXVIII

De relationibus divinis.

Deinde considerandum est de relationibus divinis.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sint aliquæ relationes reales?

1 dist. 26 q. 2 art. 1 et d. 33 art. 1 in cor. et 4 cont. c. 14 et pot. q. 2 art. 6 cor. et q. 8 artic. 1 et op. 3 c. 53.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sint aliquæ relationes reales. Dicit enim Boetius in lib. de Trinitate *, quod, cum quis prædicamenta in divinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam, quæ prædicari possunt; ad aliquid vero omnino non potest prædicari. Sed quidquid est realiter in Deo, de ipso prædicari potest. Ergo relatio non est realiter in Deo.

* In medio lib. de Trinit.

2. Præterea, dicit Boetius * in eodem lib. quod similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum Sanctum, ut ejus, quod est idem, ad id, quod est idem. Sed hujusmodi relatio est rationis tantum : quia omnis relatio realis exigit duo extrema realiter. Ergo relationes, quæ ponuntur in divinis, non sunt reales relationes, sed rationis tantum.

* Circa fin. lib. de Trinit.

3. Præterea, relatio paternitatis est relatio principii. Sed cum dicitur, Deus est principium creaturarum, non importatur aliqua relatio realis, sed rationis tantum : ergo nec Paternitas in divinis est relatio realis. Et eadem ratione nec aliæ relationes, quæ ponuntur ibi.

4. Præterea, generatio in divinis est secundum intelligibilis verbi processionem : sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis : ergo Paternitas, et Filiatio, quæ dicuntur in divinis secundum generationem, sunt relationes rationis tantum.

Sed contra est, quod pater non dicitur, nisi a paternitate, et filius a filiatione : si igitur paternitas et filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter, pater aut filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum : quod est hæresis Sabelliana.

Respondeo dicendum, quod relationes quædam sunt in divinis realiter. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem. Quod non est in aliis generibus : quia alia genera (ut quantitas, et qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens. Ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliquæ res secundum suam naturam ad invicem ordinatæ sunt, et invicem inclinationem habent. Et hujusmodi relationes oportet esse reales. Sicut in corpore gravi est inclinatio, et ordo ad locum medium. Unde respectus quidam est in ipso gravi respectu loci medii : et similiter de aliis hujusmodi. Aliquando vero respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri : et tunc est relatio rationis tantum. Sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus. Cum autem aliquid procedit a principio ejusdem naturæ, necesse est, quod ambo, scilicet procedens, et id, a quo procedit, in eodem ordine conveniant : et sic oportet, quod habeant reales respectus ad invicem. Cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturæ (ut ostensum est *) : necesse est quod relationes, quæ secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales.

* Q. p. c. art. 2 et 4.

Ad primum ergo dicendum, quod ad aliquid dicitur omnino non prædicari in Deo secundum propriam rationem ejus, quod dicitur ad aliquid, in quantum scilicet propria ratio ejus, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparationem ad illud, cui inest relatio, sed per respectum ad alterum : non autem per hoc excludere voluit, quod relatio non esset in Deo; sed quod non prædicatur per modum inhærentis secundum propriam relationis rationem, sed magis per modum ad aliud se habentis.

Ad secundum dicendum, quod relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis tantum; si accipiatur simpliciter idem : quia hujusmodi relatio non potest consistere, nisi in quodam ordine, quem ratio adinvenit, alicujus ad se ipsum secundum aliquas ejus duas considerationes. Secus autem est, cum dicuntur aliqua eadem esse non in numero; sed in natura generis, sive speciei. Boetius igitur relationes, quæ sunt in divinis, assimilat relationi identitatis : non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc solum, quod per hujusmodi relationes non diversificatur substantia, sicut nec per relationem identitatis.

Ad tertium dicendum, quod, cum creatura procedat a Deo in diversitate naturæ, Deus est extra ordinem totius creaturæ, nec ex ejus natura est ejus habitudo ad creaturas. Non enim producit creaturas ex necessitate suæ naturæ, sed per intellectum et per voluntatem, ut supra dictum est *. Et ideo in Deo non est realis relatio ad creaturas; sed in creaturis est realis relatio ad Deum : quia creaturæ continentur sub ordine divino, et in earum natura est, quod dependeant a Deo. Sed processiones divinæ sunt in eadem natura. Unde non est similis ratio.

* Q. 19 art. 3 et 4 et q. 14 art. 8.

Ad quartum dicendum est, quod relationes, quæ consequuntur solam operationem intellectus, in ipsis rebus intellectis sunt relationes rationis tantum : quia scilicet eas ratio adinvenit inter duas res intellectas. Sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, quæ sunt inter verbum intellectualiter procedens, et illud, a quo procedit, non sunt relationes rationis tantum, sed rei : quia et ipse intellectus, et ratio est quædam res : et comparatur realiter ad id, quod procedit intelligibiliter, sicut res corporalis ad id, quod procedit corporaliter. Et sic paternitas, et filiatio sunt relationes reales in divinis.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO IV.

De relationibus divinis quoad an est *earum.*

Quia quæstio *an est* præsupponitur ad alias, idcirco acturi de divinis relationibus, primo loco *an est* earum sciscitamur.

DUBIUM I.

An in Deo dentur relationes reales?

Pro tituli intelligentia breviter notandum est, non inquiri in eo de relationibus realibus

realibus Dei ad creaturas : quia de his constat ex alibi dictis, non dari in Deo propter summam eminentiam divini *esse*, quod sicut est eminentissimi ordinis, ita non est ordinabile ad aliquid infra se. Quare titulus solum intelligitur de relationibus realibus, quæ sint in Deo, et terminentur ad aliquid intra Deum : ac proinde idem quoad præsens est inquirere, an dentur in Deo relationes reales, ac quærere, an tales relationes dentur inter divinas personas.

§ I.

Sententia catholica, et prima ratio pro ea.

2. Assertio de fide. D.Thom. Dicendum ergo est, dari in divinis relationes reales. Assertio hæc est de fide, ut docet D. Thomas de Potentia q. 8 art. 1 his verbis : *Respondeo dicendum, quod sententiam fidei catholicæ sequentes, oportet dicere, in divinis relationes reales esse.* Quod etiam docuit in 1 ad Annibaldum distinct. 26 q. 2 art. 1 ubi sic inquit : *Respondeo dicendum, quod secundum omnes Catholicos necesse est in divinis relationes ponere; aliter necesse est incidere in hæresim Arii, vel Sabellii.* Ubi sanctus Doctor loquitur de relationibus realibus, quas isti negabant; non vero de relationibus rationis, quas uterque admittebat.

Probatur ex Conciliis. Concil. Tol. XI. Unde Scriptura personas divinas nominibus relativis, nempe Patris, et Filii explicat. Et in Concilio Toletano XI in confessione fidei habetur : *In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur, quæ cum relative tres personæ dicantur, una tamen natura, vel substantia creditur.* Et paulo inferius : *In relatione enim personarum numerus cernitur.* Et in Concil. Florent. Concilio Florentino sessione 18 post medium sic habetur : *Sola namque relatio, quam principalem habitudinem superius nominavimus, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores divina processione personas multiplicat.* Et post pauca : *Relationes hujusmodi personas multiplicant, ita ut non ulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac una persona alia differant.*

Et ex SS. Patribus. Nazianz. Athan. Et ideo assertionem hanc tuentur Patres, ut Nazianzenus oratione 1 procul ante medium. Athanasius lib. 3 et 4 contra Arianos, et Dialogo 2 de Sancta Trinitate contra Anomæum, Cyrillus. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 Thesauri c. 6, Hilarius. Hilarius lib. 7 de Trinitate, Boetius. Boetius lib. de prædicatione personarum et lib. de Trinitate, Anselm. Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 3, Bernard. Bernardus epist. 190 ad Innocentium, ubi loquens de divinis personis sic ait : *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sane designatio est;* et post pauca : *Non quod ad se, sed quod ad Filium est, Patris nomine designatur;* Basil. Basilius lib. 2 contra Eunomium; August. Augustinus lib. 5 de Trinitate c. 5 : *Quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur, nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur : quia non quisque eorum ad se ipsum; sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Quod etiam docet in eodem lib. c. 6, 8, 11 et 12 et lib. 15 c. 3 et sermone 38 de tempore, quos sequuntur universi Theologi.

3. Ratio prior et fundamentalis. Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma in præsenti in argumento *sed contra*, potestque ad hanc formam reduci. Nam in divinis Pater est Pater a Paternitate, et similiter Filius est Filius a Filiatione : ergo Paternitas, et Filiatio sunt relationes reales in illis. Antecedens satis constat : et consequentia etiam liquet. Quia alias Pater non esset realiter Pater, nec Filius haberet realiter rationem Filii.

Objectio contra illam. Nec obest, si contra rationem hanc objicias, Deum esse realiter Dominum : et tamen relatio dominii Dei est relatio rationis, ut ostenditur supra quæst. 13 art. 7; ergo ex eo, quod in divinis Pater sit realiter Pater, et Filius sit realiter Filius, male infertur, Paternitatem, et Filiationem esse relationes reales.

Solutio. Respondetur enim primo, Deum non dici realiter Dominum a relatione illa dominii, quæ est relatio rationis; sed vel a ratione fundandi talem relationem, sive a fundamento ipsius, nempe, a potestate coercendi subditos; vel a relatione reali servitutis existente in creatura, ut bene explicant N. Complut. in Logica disput. N. Compl. 14 a num. 78 usque ad 81. At nequit dici realiter Pater, aut realiter Filius, nisi a relationibus Paternitatis, et Filiationis : ex eo quod pater realis, et filius similiter realis debent realiter distingui, et omnis distinctio in divinis debet oriri ex relationibus, et relativa earum oppositione, juxta illud commune proloquium : *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et ita, si Paternitas, et Filiatio

non essent relationes reales, non esset unde Pater in divinis esset realiter Pater; aut unde Filius esset realiter Filius.

4. Replica. Nec etiam obest, si urgeas, quod ex vi hujus rationis solum habetur, Paternitatem, aut Filiationem esse relationem realem; non vero utramque: siquidem ad hoc, ut Filius verbi gratia esset realiter Filius, sufficeret, Patrem esse realiter Patrem: sicut ad hoc, ut Christus sit realiter Filius Virginis, satis est, illam esse realiter ejus matrem, ut ostenditur 3 p. q. 35 artic. 5.

Responsio. Respondetur enim, esse disparem rationem. Quoniam Christus, et ejus mater sunt diversi ordinis: et ita persona ejusdem Christi propter summam eminentiam sui esse non est realiter ordinabilis ad aliquid infra se. Unde non mirum, quod non dicat relationem realem filiationis intrinsece in ipso existentem ad Virginem; sed sit realiter relative filius a relatione reali maternitatis, quæ est in eadem Virgine: quia hæc, quippe inferioris ordinis, potest optime realiter ordinari ad Christum, ut bene id explicant nostri Complutens. in sua Logica disputat. 14 num. 74. Cæterum personæ divinæ sunt ejusdem ordinis, et relatio realis originis, cujus sunt capaces, est per se loquendo relatio mutua: et ideo hoc ipso, quod una persona, v. g. Pater realiter per relationem intrinsece in ipso existentem referatur ad Filium, oportet, ut Filius per aliam relationem realem in ipso etiam intrinsece existentem referatur ad Patrem: quia hoc est proprium rerum ejusdem ordinis, et capacium relationis per se mutuæ.

N. Compl.

Elucidatur amplius. Maxime, quia in divinis debent convenire omnibus formalitatibus Dei cuncta, quæ per se loquendo ex genere suo petunt. Quoniam ibidem non potest dari aliquis defectus, aut aliquid per accidens, ratione cujus contingat oppositum ejus, quod aliqua ratio formalis ex genere suo per se petit, ut accidit in exemplo posito maternitatis Virginis, et filiationis Christi Domini, ubi per accidens contingit, quod maternitas non terminetur ad aliam relationem realem intrinsece existentem in Christo, per quam ipse intrinsece relative sit filius: ex eo quod natura humana illius terminata est non per propriam, sed per alienam, et divinam subsistentiam, quæ non est capax prædictæ relationis ad matrem: cum tamen per se loquendo, et attenta natura humana Christi, necnon et concursu naturali Virginis deberet ibidem dari relatio realis distincta a maternitate, ut in nobis contingit.

5. Aliter solvitur tam objectio quam replica. Secundo respondetur tam ad priorem, quam ad hanc posteriorem objectionem, esse disparem rationem. Nam relationes rationis, quibus Deus refertur per modum Domini ad creaturas, et Christus per modum filii ad Virginem, sunt talis conditionis, ut necessario habeant fundamentum reale, a quo Deus possit realiter denominari Dominus, et Christus habere realem denominationem Filii, antequam extrinsece dicantur denominari per relationes reales intrinsece existentes in suis correlativis: siquidem ad id satis est in Deo potestas coercendi subditos, et in Christo generatio passiva, qua secundum naturam humanam processit a Virgine. Cæterum relationes divinæ non omnes, et saltem non quoad omnia sua munera, præsupponunt fundamentum, sive rationem fundandi: quia, cum sint per se subsistentes, et constituant personas, potest aliqua ex illis, nempe Paternitas, quoad aliquod saltem sui munus præsupponi nostro modo intelligendi ad generationem; sicut persona generans in humanis præsupponitur in ratione personæ ad suum *generare*, quod solet in creatis præsupponi ad relationem paternitatis quoad omnia sua munera. Et ita, si paternitas non esset relatio realis, non haberet Pater, unde realiter, et intrinsece esset Pater; imo nec unde realiter haberet rationem Patris.

Illustratur hæc responsio. Et deinde: licet relationes Filiationis, et Spirationis passivæ Spiritus Sancti habeant nostro modo intelligendi subsequi ad generationem, et processionem activas, necnon ad easdem passive sumptas, dummodo prædictæ relationes sumantur secundum ultimum suum munus, nempe, secundum conceptum expressum *ad*: attamen eædem relationes secundum aliud munus inadæquatum ipsarum habent rationem generationis, et processionis passivæ: ac proinde sunt nostro modo intelligendi quasi fundamenta, sive rationes fundandi seipsas, ut exprimunt ultimum munus *ad*, seu munus referendi; et insuper indispensabiliter desiderantur (modo tamen alibi insinuato) ad generationem, et processionem activas. Sicut etiam Paternitas indispensabiliter requiritur ad generationem activam, et Filiatio ad processionem itidem activam per modum connotatorum prædictarum processionum, ut constat ex iis

jis, quæ disputatione 1 dubio 3 numero 67 diximus. Et ideo, nisi relationes Filiationis, et processionis passivæ essent reales, non haberent Filius, et Spiritus Sanctus, adhuc fundamentaliter, aliquid reale, unde illæ realiter denominaretur intrinsece Filius, aut genitus, et hic Spiritus Sanctus, aut spiratus : neque etiam Pater posset realiter denominari generans, aut uterque spirans : siquidem ad omnia, ex quibus tanquam ex fundamento poterant prædictæ denominationes reales provenire, debent istæ relationes reales quoad munera jam recensita ibidem reperiri : et hoc ipso, quod tales relationes secundum prædicta munera non essent reales, ac proinde si ipsæ non essent reales, non posset dari aliquid, ex quo tanquam ex fundamento prædictæ denominationes desumerentur : imo nec possent denominationes Patris, aut spirationis inveniri. Quia ad hoc, ut istæ dentur, debent necessario illæ duæ priores jam recensitæ dari : ex eo quod illæ priores connotant istas, et e converso.

§ II

Ratio posterior pro eadem catholica veritate.

7. Secunda et fundamentalis ratio. D. Thom.

Secunda, et fundamentalis ratio pro veritate catholica tacta est supra disputatione 1 dubio 1 numero 6 et desumitur ex D. Thoma quæstione 8 de Potentia artic. 2 his verbis : ***Respondeo dicendum, quod sententiam fidei catholicæ sequentes oportet dicere, in divinis relationes reales esse. Ponit enim fides catholica tres personas in Deo unius essentiæ. Numerus autem omnis aliquam distinctionem consequitur. Unde oportet, quod in Deo sit aliqua distinctio : non solum respectu creaturarum, quæ a Deo per essentiam differunt; sed etiam respectu alicujus in divina essentia subsistentis. Hæc autem distinctio non potest esse secundum aliquid absolutum : quia, quidquid absolute in divinis prædicatur, Dei essentiam significat. Unde sequeretur, quod personæ divinæ per essentiam distinguerentur, quod est hæresis Arii. Relinquitur ergo, quod per sola relativa distinctio in divinis personis attenditur. Hæc autem distinctio non potest esse rationis tantum : quia ea, quæ sunt sola ratione distincta, nihil prohibet de se invicem prædicari : sicut dicimus, principium esse finem, quia punctum unum secundum rem est principium, et finis, licet ratione differat. Et ita sequetur, quod Pater est Filius, et Filius Pater. Quia, cum nomina imponantur ad significandum rationes nominum, sequeretur, quod personæ in divinis non distinguerentur, nisi secundum nomina, quod est hæresis Sabelliana. Relinquitur ergo, quod oportet dicere relationes in Deo quasdam res esse : qualiter sit sequendo Sanctorum dicta investigari oportet : licet ad plenum ad hoc ratio pervenire non possit.***

Quam rationem eleganter elucidavit, et explicuit idem Angelicus Doctor in 1 ad Annibaldum distinct. 26 quæst. 2 art. 1, ubi sic inquit : ***Secundum omnes Catholicos necesse est in divinis relationes ponere; aliter necesse est incidere in hæresim Arii, vel Sabellii. Nam cum tres personas confiteamur in Deo, si eas secundum aliquid absolutum distinguamus, et ibi omnino relationes non recipiamus, in hæresim Arii labimur, qui essentiam dividebat. Si vero relationes ibi nihil secundum rem ponere accipiamus, sequitur hæresis Sabellii, qui personas non realiter; sed solum nominaliter distinguebat. Necesse est ergo relationes realiter ponere in divinis.*** 8. Idem. Angel. Doctor.

Desumpsit autem S. Doctor, tam hanc rationem adductam, quam elucidationem ejus ex Augustino, et Boetio. Et propterea ipse quæst. citata de Potentia hoc ipsum, explicando magis ea, quæ locis citatis continentur, fatetur his verbis : *Sed contra Boetius dicit in lib. de Trinitate, quod sola relatio multiplicat Trinitatem. Hæc autem multiplicatio non est secundum rationem tantum : sed secundum rem, ut patet per Augustinum, qui dicit, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt tres res : ergo oportet, quod relatio sit in divinis, non solum rationis; sed etiam rei.* Circa hæc tamen plura dicemus infra quæst. 40 art. 2. Idem.

§ III.

Opposita sententia, tria priora argumenta pro ea, illorum enodationes.

Pro opposita sententia, nempe, non dari in divinis relationes reales, referuntur Arius et Sabellius. Ille quidem, quia sentiebat Filium, et Spiritum Sanctum esse creaturas, et solum Patrem esse Deum : Dei autem ad creaturas non est relatio realis, ut ostenditur supra quæst. 13 art. 7. Iste vero, quia negabat distinctionem realem inter divinas personas : et per consequens relationes reales inter eas : siquidem 9. Hæreticorum placitum contra assertionem catholicam.

ad istas requiritur realis extremorum distinctio.

Primum fundamentum. Probatur primo. Nam ea, quæ dicunt imperfectionem, non attribuuntur Deo, sicut privatio, materia, et motus : sed relatio est hujusmodi : ergo, etc. Minor probatur. Nam inter omnia entia habet debilius esse : et ideo præter subjectum, cui inhæret, indiget fundamento, et termino, estque expers totius activitatis, et ad illam non est per se motus.

Enodatur. Respondetur, quod licet relatio creata, quæ realiter distinguitur a suo fundamento dicat imperfectionem, et satis debilem entitatem : attamen relatio increata, et per se subsistens, ac identificata cum divina essentia non dicit imperfectionem, nec debilem realitatem : et propterea est (ut modo dicebamus) per se subsistens, potestque per modum termini *qui* terminare per se primo realem productionem sui. Unde, licet ad illam requiratur aliud correlativum, hoc tamen non est propter indigentiam, aut dependentiam, vel debilem ejus entitatem ; sed propter nexum extremorum correlativorum, liberum tamen ab imperfectionibus dependentiæ, et indigentiæ, ut statim dicemus. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma q. 8 de Potentia art. 1 ad 4 his verbis : *Dicendum, quod relatio habet esse debilissimum, quod est ejus tantum : sic autem non est in Deo. Non enim habet aliud esse, quam esse substantiæ*, nempe divinæ : quia de hoc *esse* naturæ divinæ loquitur in his verbis D. Thomas : et propterea S. Doctor statim refert se ad ea, quæ sequenti articulo docet, ubi adstruit, relationem divinam, et naturam Dei esse idem absque distinctione aliqua actuali. Unde juxta sanctum Doctorem illæ solæ relationes habent *esse*, et entitatem debilem, quæ habent *esse* distinctum a natura ejus, in quo tales relationes reperiuntur.

D.Thom.

10. Secundum fundamentum. Secundo probatur eadem opposita sententia. Nam perfectum est, cui nihil deest, ut dicitur 3 Physicorum : sed substantia divina una cum suis attributis est perfectissima : ergo nihil, quod ad perfectionem pertinet, ei ut habenti suum *esse* absolutum deest : ergo non erit cur superaddantur ei relationes reales. Patet hæc consequentia. Quia, si hæ relationes essent superaddendæ, maxime, quia essent necessariæ ad divinam perfectionem complendam.

Evertitur. Respondetur, quod etsi illud sit perfectum, cui realiter actualiter nihil deest eorum, quæ ipsi debentur : ac proinde illud sit summe, et omnibus modis perfectissimum, cui realiter, et actualiter nulla perfectio deest ; sed omnes illas, et quidquid ad eas requiritur sibi identificat : attamen non est contra rationem entis summe perfecti, quod, ut concipitur conceptu aliquo inadæquato, non dicat omnem excogitabilem perfectionem, aut omne id, quod ad eam desideratur ; sed necesse sit aliquid aliud ulterius concipere, quod sit virtualiter superadditum, ad hoc ut res summe perfecta dicat omnem excogitabilem perfectionem.

Quare ex hoc, quod essentia divina cum suis attributis sit perfectissima, solum sequitur, quod realiter actualiter nihil ei desit, quod ad perfectionem pertineat, vel ad illam requiratur, quod non habeat sibi identificatum : ac proinde quod etiam habeat sibi identificatas relationes, quæ, licet ex se secundum suam ultimam rationem non dicant perfectionem, requiruntur tamen ad summam Dei perfectionem, ut infra dicemus : non tamen sequitur, quod, si prædicta essentia, et attributa sumantur cum præcisione eorum, quæ intra lineas formalitatum absolutarum dicunt, non debeant ulterius superaddi virtualiter relationes, et concipi ut quid virtualiter superadditum, ad hoc ut integre concipiatur Deus. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma quæst. et art. citatis de Potentia ad 8 his verbis : *Dicendum, quod substantia Dei esset imperfecta, si aliquid ei inesset, quod non esset ipsa. Relatio autem in Deo est substantia ejus.* D.Thom.

11. Tertium fundamentum. Tertio. Nam, cum Deus sit summum rerum principium, et ultimus finis, non possunt in illo esse ea, quæ ad alia priora reducuntur ; sed solum illa, ad quæ alia reducenda sunt. Et propterea, quia esse mobile reducitur ad immobile, et esse per accidens ad per se, non debent hæc poni in Deo : ergo neque etiam debent poni in illo relationes reales. Patet consequentia. Quia omne, quod dicitur ad aliud, reducitur ad absolutum.

Solutio Angelic. Doct. Ad hoc argumentum optime respondet Angelicus Doctor in eadem quæst. et artic. nuper citatis de Potentia in solutione ad 9, ubi sic ait : *Dicendum, quod mobile, et accidens reducuntur ad aliquid prius, sicut imperfectum ad perfectum. Nam accidens imperfectum est : et similiter motus est imperfecti actus. Sed hoc, quod dicitur ad*

ad aliud, quandoque sequitur perfectionem rei, sicut patet in intellectu : nam consequitur ejus operationem quæ est ejus perfectio. Et ideo perfectio divina non prohibet relationem in Deo ponere, sicut prohibet ibi ponere motum, et accidens.

§ IV.

Duo posteriora argumenta, et solutio ad illa.

12. (…artum …nda- …ntum.) Quarto probatur eadem sententia. Nam relativum pendet ab alio, ex eo quod sine illo nec esse, nec intelligi potest : at intra Deum nequit esse dependentia, quippe quæ dicit imperfectionem, et indigentiam : ergo neque intra illum poterunt esse relationes reales.

(…nfir- …atio.) Confirmatur. Quoniam, si in divinis darentur prædictæ relationes reales, tunc Pater diceret realem relationem ad Filium : ergo Deitas esset, et non esset in Patre ut in primo fonte. Probatur consequentia. Nam, ex quo capite est prima persona Trinitatis, esset in illo Deitas ut in primo fonte, siquidem non habet illam ab alio : et ex quo capite esset relativus ad Filium, haberet esse ab eodem Filio : cum totum *esse* relativi sit ad aliud se habere, ab eoque suam sumat essentiam.

13. (…spon- …ad …gu- …tum. …hom.) Ad hoc argumentum occurrit idem Angelicus Doctor 4 contra Gentes cap. 14 in solutione ad nonam rationem, ubi optime explicat discrimen, quod intercedit inter relationes creatas, et relationes divinas quoad hoc, quod illæ sint satis imperfectæ, ac debiles, et includant dependentiam, secus vero istæ. Verba autem S. Doctoris sunt hæc : *Quamvis autem in Deo ponatur esse relatio; non tamen sequitur, quod in Deo sit aliquid habens esse dependens. In nobis enim relationes habent esse dependens : quia earum esse est aliud ab esse substantiæ. Unde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem : sicut et in aliis accidentibus contingit. Quia enim omnia accidentia sunt formæ quædam substantiæ superadditæ, et a principiis substantiæ causatæ, oportet, quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiæ, et ab ipso dependens. Et tanto uniuscujusque eorum esse est prius, vel posterius, quanto forma accidentalis secundum propriam rationem fuerit propinquior substantiæ, vel magis perfecta. Propter quod et relatio realiter substantiæ adveniens et postremum, et imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio : sicut unum in quantitate causat æqualitatem, et unum in qualitate similitudinem. Imperfectissimum autem, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod est ad alterum : unde esse ejus proprium quod substantiæ superaddit, non solum dependet ab esse substantiæ; sed etiam ab esse alicujus exterioris. Hoc autem in divinis locum non habet : quia non est in Deo aliquod aliud esse, quam substantiæ. Quidquid enim in Deo est, substantia est. Sicut igitur esse sapientiæ in Deo non est esse dependens a substantia : quia esse sapientiæ est esse substantiæ : ita nec esse relationis est esse dependens, neque a substantia, neque ab aliquo exteriori : quia etiam esse relationis est esse substantiæ. Non igitur per hoc, quod relatio in Deo ponitur, sequitur quod sit in eo aliquod esse dependens, sed solum, quod in Deo sit respectus aliquis, in quo ratio relationis consistit : sicut ex hoc, quod sapientia in Deo ponitur non sequitur quod sit in eo aliquid accidentale; sed solum perfectio quædam, in qua ratio sapientiæ consistit.*

Ad confirmationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem concedenda est prior pars antecedentis, sed negari debet secunda. Nam ex hoc, quod Pater æternus habeat esse ad Filium, sicut nec sequitur, quod dependeat ab illo : ita neque quod habeat esse ab eo; sed solum quod sit ad illum : quia quod indispensabiliter requiritur ad omne relativum est, quod sit ad suum correlativum; non vero quod sit ab illo. (Ad confirmationem.)

14. (Ultimum fundamentum.) Ultimo probatur contraria sententia. Quia, quæ relative dicuntur, habent oppositionem relativam, ut ex se constat : in Deo autem non potest esse hæc relativa oppositio : ergo, etc. Minor probatur. Tum primo : quia, quæ relative opponuntur, sunt simul natura, et intellectu : at personæ divinæ hoc non habent : quippe quæ inter se ita comparantur, ut prima persona sit principium secundæ, et utraque sit etiam principium tertiæ : quod tamen non potest stare cum hoc, quod est esse simul natura, et intellectu, ut in creatis cernitur : ergo, etc. Tum secundo. Nam in Deo non reperiuntur aliæ species oppositionis, ut oppositio contraria, aut privativa : ergo neque relativa.

Ad ultimum concedenda est major, et neganda minor. Et ad primam probationem in ea inclusam respondetur, quod etsi (Diluitur.)

id, quod est principium alterius habentis essentiam saltem numerice distinctam, non sit simul natura, et intellectu cum illo, sed prius ipso, quia ibi involvitur ratio causæ, quæ est prior suo effectu; secus tamen id, quod est principium alterius tribuendo illi eamdem numero essentiam, quam id, quod est principium, habet, si utrumque adæquate sumatur. Nam, sicut in his non includitur ratio causæ, ita nec prioritas naturæ, ac proinde nec per intellectum, sed solus ordo relativus originis. Et ita ex parte naturæ non est prioritas, quia eadem est natura utriusque : neque ex parte ordinis originis : siquidem iste est ordo relativus, et relativa sunt simul natura. Cæterum de hoc iterum sermo redibit quæst. 40 art. 2 ubi explicabimus, an prima persona sub aliquo sui munere inadæquato possit prius intelligi, quam Filius.

Ad secundam probationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Nam in omnibus aliis oppositionibus semper unum ex oppositis collatum cum altero dicit imperfectionem. Nam in oppositione contradictoria, aut privativa, unum extremum dicit negationem, aut privationem; in oppositione vero contraria unum ex oppositis habet se ut imperfectum respectu alterius, ut patet in calore, et frigore, ex quibus frigus est imperfectius calore. In sola vero oppositione relativa non requiritur ex aliquo capite imperfectio : nam utrumque extremum est aliquid positivum, et nullum ex illis comparatum ad aliud habet rationem imperfecti. Unde optime dixit Cajetanus in hac 1 part. quæst. 40 art. 2 circa solutionem ad 3 quod oppositio relativa est talis conditionis, ut nihil imperfectionis ponat : et ideo inter omnes oppositiones quoad hoc primatum habere. (Cajetan.)

15. Objectio contra solutionem præcedentem. Nec refert, si objicias, quod in oppositione relativa includitur oppositio contradictoria : ergo, si hæc non potest in Deo admitti, neque illa admittenda erit. Antecedens probatur. Quia unum ex oppositis relativis claudit, quod non sit aliud relativum : et ita Pater intrinsece claudit, quod non sit Filius, et Filius, quod non sit Pater.

Enodatur. Respondetur, quod etsi admitteretur, oppositionem relativam, non quidem esse oppositionem contradictoriam, sed connotare illam respectu relativi cooppositi, inde non sequeretur, claudere imperfectionem. Quia relativa secundum propriam rationem, et ex vi suæ lineæ nullam perfectionem dicunt : et ita ex eo, quod unum connotet, quod non sit aliud, non sequitur carere aliqua perfectione ; licet, si non darentur in Deo, sequeretur a posteriori, dari in ipso imperfectionem, ut infra in hac quæst. explicabimus : ex eo quod nequiret divina perfectio esse talis, ut se ad intra diffunderet per veram processionem.

DUBIUM II.

Utrum relationes divinæ præcise secundum esse ad *sint reales?*

Postquam explicuimus, relationes divinas absolute et simpliciter loquendo esse relationes reales, restat, ut exponamus, an hoc habeant præcise secundum esse *ad?* Ut autem hoc melius intelligatur, notandum est, quod sicut in relatione creata duo ad minus consideratione nostra distinguuntur. Primum est, esse *ad*, per quod explicatur ordo ipsius ad terminum : secundum vero est esse *in*, per quod denotatur ordo ipsius ad subjectum quatenus tale, seu quod inhæreat in eo, quodque convenit illi ex generali ratione accidentis, quatenus ejus *esse* est *inesse* : ita in divinis hæc duo in relationibus possunt per intellectum nostrum distingui ; cum hoc tamen discrimine, quod etsi muneri importato per *ad* relationis creatæ correspondeat in relationibus divinis suum munus *ad* : attamen muneri *in* non correspondeat aliud *in* formaliter tale ; sed esse substantiale per se, et absolutum divinæ essentiæ : ex eo quod relationes repertæ in Deo non possunt inhærere ; sed debent esse quid substantiale, et includere divinam essentiam per modum transcendentis consideratam, et identificari cum ea, adhuc quatenus habet rationem naturæ. (16. Animadversio pro explicatione tituli.)

Quare sensus tituli est, an relationes divinæ non solum sint reales absolute et simpliciter, ex eo quod absolute et simpliciter includunt *esse* substantiale divinæ essentiæ, et cum ea identificantur : sed etiam, quatenus afferunt esse *ad*, sint reales realitate relativa sibi propria, ita ut, si per impossibile conciperentur, ut non includentes divinam essentiam per modum transcendentis consideratam, aut non identificatæ cum ea : nihilominus adhuc conciperentur cum vera realitate relativa importata ab esse *ad* earumdem.

Diximus,

Diximus, in relatione creata duo illa, nempe, esse *ad*, et esse *in* ibidem explicatum *ad minus consideratione nostra esse distinguenda* ; propter illa, quæ in hoc eodem dubio n. 48 dicemus. Et licet dubium hoc ex iis, quæ præcedenti adduximus, fere maneat decisum : nihilominus, ut aliquibus difficultatibus occurratur, et res hæc melius explicetur, placuit illud sigillatim excitare.

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubii nodus dissolvitur.

17. Conclusio. Dicendum ergo est, relationes divinas, non solum secundum quod includunt essentiam divinam, ut habet rationem transcendentis, aut identificantur cum ea, ut induit rationem naturæ, sed etiam secundum esse *ad* proprium ipsarum dicere aliquid reale. D. Thom. Ita D. Thomas in hoc art. in argumento *sed contra*, ut constat ex his, quæ dubio præcedenti latius diximus : necnon in corpore articuli, ut ex ibidem dictis, et ex statim dicendis magis patebit. Idem etiam docuit in 1 dist. 25 art. 4 ad 3. Nam cum loquens de divinis personis sibi sic opposuisset, quod *Pater et Filius non distinguuntur, nisi relationibus : sed relatio quantum ad respectum, quo distinguit, non habet, quod ponat aliquid : ergo videtur, quod ex hoc, quod relationibus distinguuntur, non possint dici tres entes, vel tres res* Cum igitur S. Doctor hoc argumentum sibi opposuisset, respondet : *Ad tertium dicendum, quod relatio quamvis non ponat ex illo respectu aliquid absolutum ; tamen ponit relationis rationem realiter in Deo existentem : et ideo ex hoc potest dici res, et ex pluribus relationibus oppositis plures res.* Si autem relatio secundum rationem relationis, sive respectus *ad*, non poneret realitatem, cum secundum suum *esse*, ratione cujus ponit quid inhærens, non cadat in genere relationis, ut ratio formalissima illius, tunc relatio non esset secundum formalissimam sui rationem aliquod genus entis realis : ac proinde relatio non esset secundum hanc rationem res quædam, nec ex multiplicatione relationum multiplicaretur res in divinis, nec darentur ibidem tres res : cujus oppositum hic D. Thomas fatetur.

Idem etiam docuit idem S. Doctor de Potentia quæst. 9 art. 5 ad 14 ubi sic inquit : *Nam relatio etsi per comparationem ad relationem oppositam, distinctionem realem faciat in divinis : tamen ab essentia divina non differt, nisi ratione.* In quibus verbis relationi divinæ per comparationem ad aliam relationem sibi oppositam, ac proinde ut dicenti *ad*, tribuit, quod sit ratio distinctionis realis repertæ intra Deum. Constat autem quod id, quod secundum aliquod munus non est reale, nequit secundum illud esse ratio distinctionis realis. Et lectione 4 post medium super caput 16 Joannis ita inquit : *Paternitas potest considerari per comparationem ad oppositam relationem, puta Filiationem, et sic Paternitas est relatio realis : quia secundum hoc importat ordinem naturæ, quam Pater dat Filio per æternam generationem, qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem.*

Et tandem hoc ipsum tuetur idem Angelicus Doctor locis dubio præcedenti relatis, necnon et omnes Patres, quos ibidem pro assertione adduximus, estque assertio ista adeo certa ut Suarez lib. 5 de Trinitate, Suarez. cap. 1, et Valentia lib. 2 de Trinit. c. 12 Valent. dicant, eam esse de fide, et Granado tomo Granad. 3 in 1 part. tractatu 3. disp. 1 n. 11 asserat, contrarium esse erroneum. Unde eam tuentur omnes Scholastici, ita ut nullus sit, qui eam expresse neget. Nam etsi pro opposita sententia referantur Torres, Cajetanus, Capreolus, et Paludanus : attamen Torres. Cajetan. Capreol. nullus eorum expresse eam docuit. Quo- Paludan. niam Torres art. sequenti disp. 3 in prima ejus parte dicit, prædictam sententiam esse longe a veritate alienam, et postea addit, esse rejiciendam, quia non potest defendi, quin concedantur plures propositiones pias aures offendentes. Capreolus vero, et Cajetanus ac Paludanus, quatenus videntur oppositum asserere, possunt, et debent juxta ea, quæ in hoc dubio num. 31 dicemus, intelligi. Unde non erit necessarium quempiam ex Scholasticis in particulari referre.

Assertio hæc satis constat ex illis, quæ 19. dubio præcedenti a num. 3 usque ad num. 7 adduximus : ea enim vel nihil probant, vel suadent, quod relatio divina secundum esse *ad* sit realis : siquidem effectus, aut quasi effectus, ibidem recensiti vel non proveniunt a relatione, vel proveniunt ab illa secundum esse *ad* : nam esse *in* absolutum, seu ut melius loquamur *esse*, quod correspondet in divinis relationi creatæ quoad esse *in*, nequit præstare distinctionem realem inter personas : quippe quod

est commune illis, neque etiam prædicta ratio absoluta potest constituere Patrem v. g. in esse Patris : quippe cum hæc denominatio sit formaliter relativa, sicut et denominatio Filii hoc ipsum habet.

20. Ratio fundamentalis ex D. Thoma. Deinde eadem assertio probari potest ratione S. Doctoris in hoc art quam ipse de Potentia q. 8 art. 1 latius explicuit. Nam loquens de Deo, et generatione, qua producit Verbum, sic inquit : *Oportet ergo, quod ejus Verbum non sit extra essentiam ejus, sed ei coessentiale. Sic ergo in Deo potest inveniri origo alicujus ex aliquo, scilicet verbi, et proferentis verbum, unitate essentiæ servata. Ubicumque enim est origo alicujus ab aliquo, ibi oportet ponere realem relationem* (seu *ad*, quod in quantum *ad* sit reale) *vel tantum ex parte ejus, quod oritur, quando non accipit eamdem naturam, quam habet suum principium, sicut patet in exortu creaturæ a Deo : vel ex parte utriusque, quando scilicet oriens attingit ad naturam sui principii sicut patet in hominum generatione, ubi relatio realis est, et in patre, et in filio. Verbum autem in divinis est coessentiale suo principio, ut ostensum est. Relinquitur ergo, quod in divinis sit realis relatio* (seu *ad*, quod in quantum *ad* sit reale) *et ex parte Verbi, et ex parte proferentis Verbum.*

21. Confirmat. et explicatur primo. Confirmatur, et explicatur primo. Nam, ideo in creaturis datur relatio realis secundum esse *ad* ex parte earum ad Deum, quia per veram processionem accipiunt suam naturam ab illo : quamvis, quia natura accepta est longe inferioris ordinis a natura divina, idcirco non datur relatio realis ex parte Dei ad creaturas : e contra vero non alia ratione in humanis dantur ex parte utriusque extremi, nempe genitoris, et geniti, relationes reales secundum esse *ad*, scilicet, relationes paternitatis, et filiationis, nisi quia vere, et realiter filius accipit naturam a patre, et natura accepta est ejusdem ordinis, ejusdemque atomæ rationis in utroque : ergo, cum in divinis Filius accipiat a Patre naturam ejusdem ordinis et atomæ rationis, et insuper eamdem numero naturam, non poterunt non ibidem assignari ex parte utriusque extremi, nempe genitoris, et geniti, veræ relationes Paternitatis, et Filiationis, quæ sint reales secundum esse *ad*.

Elucidatur secundo. Confirmatur, et explicatur secundo elucidando rationem, quam D. Thomas in hoc art. proposuit. Nam quoties aliquid, quod absolute et simpliciter est intrinsecum alicui, procedit, aut quasi procedit ex ipsis naturis rerum absque beneficio intellectus aliquid confingentis, toties illud secundum eam rationem, secundum quam originatur, aut quasi originatur ab eisdem naturis rerum, est quid reale : sed relatio Filiationis reperta intrinsece absolute et simpliciter in Deo, habet ibidem secundum suum esse *ad* considerata procedere, aut quasi procedere ex ipsis naturis rerum absque beneficio intellectus aliquid confingentis : ergo adhuc secundum suum esse *ad* considerata erit realis. Major cum consequentia satis videntur constare. Minor vero etiam patet. Quoniam non ob aliud datur prædicta relatio intrinsece in Deo secundum esse *ad*, nisi quia Verbum divinum vere et realiter procedit a Patre.

§ II.

Evasio duplex, et præclusio utriusque.

Nec refert, si dicas primo, quod licet, quoties unum procedit ab alio in eadem natura secundum speciem, et diversa secundum numerum, toties detur ibidem relatio, tam ex parte procedentis, quam ex parte ejus, a quo procedit, quæ sit realis secundum esse *ad;* non vero, quando communicatur eadem numero natura. Et ratio disparitatis est. Nam in priori eventu datur id, quod ad esse *ad* reale desideratur, nempe, quod sit ad aliud ; secus vero in posteriori : siquidem ideo in divinis negatur, Patrem esse aliud a Filio, non tamen esse alium ab illo, quia habent eamdem numero naturam. Sicut etiam ideo in divinis negatur, quod Pater sit causa Filii, quia causa est id, ad quod aliud sequitur. Et ly *aliud* dicit distinctionem saltem numericam in essentia, ut nostri Complut. in lib. Physicorum disp. 8 n. 7 et 8 bene expendunt. Quod tamen in Deo non reperitur. 22. Prima evasio a ratione D. Thomæ. N. Com

Non itaque hoc refert. Quoniam, quod unum procedat ab alio in eadem numero natura, non tollit veram et realem processionem, sed solum ponit, quod talis processio sit libera ab imperfectionibus : ergo nec tollet, quod relatio inde originata, aut quasi originata absque beneficio aliquo intellectus confingentis sit realis secundum esse *ad*, sed solum, quod realitas illius secundum prædictum *esse* sit quid liberum ab imperfectionibus. Antecedens satis constat. Consequentia vero etiam liquet. Nam Præcluditur.

Nam relationem aliquam, filiationis v. g. esse realem secundum esse *ad* sumitur ex eo, quod ratio, aut quasi ratio fundandi sit vera et realis processio. Et ita, quod non tollit ab aliqua processione rationem veræ et realis processionis, sed imperfectiones illius, nec auferet a relatione inde quasi originata, ut sit realis secundum esse *ad*, sed quod secundum prædictum *esse* non sit

D.Thom. admixta imperfectionibus. Unde D. Thomas de Potentia quæst. 8 art. 1 in tertio argumento ex iis, quæ secundo loco proponit, sic arguit : ***Perfectior est generatio in divinis, quam in creaturis : sed ad generationem in creaturis sequitur relatio realis, scilicet patris, et filii*** (idest, quæ habeat realitatem secundum suum esse *ad*) ***: ergo multo fortius in divinis sunt relationes reales.***

23. Nec ratio disparitatis in hac solutione adducta obest. Quoniam licet in divinis non dentur aliud, et aliud quoad naturam divinam, nec quoad aliquid aliud absolutum, datur tamen aliud, et aliud quoad formalitates relativas, nempe, inter Paternitatem, et Filiationem : siquidem istæ distinguuntur realiter quasi specifice. Quare, cum terminus formalis relationis Paternitatis secundum suum esse *ad* non sit divina natura, aut aliqua alia formalitas absoluta, sed sit suum correlativum, nempe, relatio Filiationis : consequens est, ut ibidem inveniatur id, quod requiritur ad salvandum, quod relatio Paternitatis secundum suum esse *ad* est ad aliud : ac proinde ad salvandum, quod prædicta relatio secundum *ad* est realis : siquidem *ad* ex se reale nihil aliud ex parte sui termini formalis exiget quamvis ex parte rationis, aut quasi rationis fundandi Filiationem, quæ sit realis secundum suum esse *ad*, requirat veram et realem processionem.

24. Secunda evasio. Nec etiam refert, si secundo occurras, quod ex ratione D. Thomæ ad summum sequitur, dari in divinis relationes, quæ absolute et simpliciter sint reales ratione essentiæ divinæ, quam per modum transcendentis includunt, non tamen, quod tales relationes a suo esse *ad* habeant realitatem. Sicut etiam in creatis relatio prædicamentalis est realis absolute et simpliciter, quamvis sit realis præcise ratione esse *in* inclusi per modum transcendentis in esse *ad*.

Impugnatur ex dictis primo. Non igitur hoc refert. Quoniam evasio hæc satis manet impugnata ex dictis. Primo quidem ex testimonio, quod n. 8 ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum adduximus, necnon ex ratione in eo inclusa. Quoniam cum esse *in* inclusum per modum transcendentis in esse *ad* relationis creatæ sit quid absolutum (de hoc enim *in* evasio hæc, quam impugnamus, et controversia hujus dubii procedit) : nequit tribuere prædictæ relationi aliquod *esse* reale relativum : et consequenter relatio creata non constitueret aliquod genus entis realis distinctum ab aliis generibus absolutis : et similiter nec in divinis daretur linea realis relativa, nec linea hæc realiter multiplicaretur : siquidem *esse* absolutum divinæ essentiæ sistit intra lineam *esse* absoluti, et nequit realiter multiplicari.

Confirmatur. Quoniam esse *ad* relationis sive creatæ, sive increatæ consideratum secundum ea, quæ habet ex vi suæ lineæ relativæ, ut distinctæ ab *esse in* absoluto, non est secundum ultimam sui rationem aliquid abstrahens ab *esse* reali, et rationis : alioqui non haberet actualitatem cum sufficienti determinatione ad contrahendum, et determinandum rationem accidentis, aut realitatis : nec etiam prædictum esse *ad* est determinate aliquid rationis ; alias multo minus posset contrahere, seu determinare prædictum esse *in*, aut realitatem ut sic, ut ex se constat : ergo tale *ad* secundum se sumptum erit determinate aliquid reale, et non solum ratione *in* absoluti, quod imbibit. Confirmatur.

Deinde hæc eadem evasio deficit ex dictis, ex eo quod esse *ad* relationis divinæ debet secundum se sumptum distingui a relatione rationis, necnon ab essentia divina adhuc ut inclusa in illa, tanquam ab aliquo virtualiter diverso, ac tandem a relatione creata involuta imperfectionibus. Et ideo prædictum *ad* debet ex vi suæ lineæ dicere realitatem, per quam distinguatur a relatione rationis, et hæc realitas debet esse relativa, ut per eam differat a realitate essentiæ divinæ, cujus realitas est realitas absoluta : ac tandem prædictum esse *ad* secundum hanc realitatem relativam debet esse impermixtum imperfectionibus, ut per hoc diversificetur intra propriam lineam ab esse *ad* relationis creatæ. 25. Secundo etiam ex dictis confutatur.

Confirmatur. Quoniam relatio divina secundum suum esse *ad* distinguitur virtualiter ab essentia divina, tam ut habet rationem transcendentis, quam ut habet rationem naturæ ; siquidem secundum utramque rationem est quid absolutum, et Confirmatur.

absoluta in divinis distinguuntur virtualiter a relativis : ergo prædicta relatio secundum suum esse *ad*, non potest suam realitatem habere præcise ab essentia divina, sed ex se. Patet consequentia. Tum : quia nihil habet realitatem præcise ab eo, quod distinguitur virtualiter ab ipso : quippe cum realitas, per quam aliquid habet esse reale, debeat habere majorem identitatem cum eo, quam sit identitas cum distinctione virtuali. Tum etiam : quia unumquodque, quod est reale, debet habere realitatem ex vi suæ lineæ : ac proinde relatio divina non habebit præcise realitatem ab essentia Dei, quæ ad aliam lineam spectat.

Tandem impugnatur. Tandem ex dictis manet impugnata prædicta evasio. Quoniam (ut nuper dicebamus) relatio secundum esse *ad* causatur, aut quasi causatur ex fundamento, sive ratione fundandi : ergo sicut esse *ad*, quod non oritur ex ipsis naturis rerum præcise, sed etiam ex beneficio intellectus confingentis, non est ex se reale : ita esse *ad*, quod oritur ex naturis rerum præcise, non potest non quatenus tale esse quid reale : siquidem id præcise, quod ex naturis rerum originem trahit, non potest non secundum ea, quæ sunt suæ lineæ, esse aliquid reale.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam, ut sæpius diximus, relationes tam creatæ, quam increatæ secundum esse *ad* dicunt realem oppositionem relativam cum suis correlativis : hæc autem oppositio non esset realis, si ipsum *ad* secundum se, et non solum ratione *in* absoluti, non haberet realitatem.

§ III.

Opposita sententia, primum ejus fundamentum, et responsio ad illud.

26. Opposita sententia Ruiz. Pro opposita tamen sententia asserente, relationes divinas præcise secundum esse *ad* non esse reales, refert Ruiz disp. 9 sectione 1, plures Doctores, ut Paludanum in 3 dist. 1 quæst. 2 art. 3 ad finem et art. 4, Capreolum in 1 dist. 17 quæst. 1 art. 2 ad 3 contra primam conclusionem, et dist. 33 art. 3 ad argumenta Aureoli, præsertim ad 1 et 3 ac 8, Cajetanum in hoc art. § *Ad has dubitationes*, Canariensem in eodem art. ad 4 argumentum : quibus duobus ultimis Doctoribus tribuit hanc sententiam Vazquez disp. 114 cap. 1 in fine, quatenus dicit, eam inferri ex iis, quæ uterque docet. Sicut etiam Suarez lib. 5 de Trinitate cap. 1 num. 5 absolute adscribit hunc dicendi modum Cajetano. Cæterum, ut n. 18 dicebamus, omnes isti auctores possunt juxta ea, quæ statim num. 27 et 31 dicemus, intelligi. Sed cujuscumque sit hæc sententia, probatur.

(Marginalia: Paludan. Capreol. Cajetan. Canarien. Suarez. Vasquez.)

Primum fundamentum. Primo ex D. Thoma. Tum de Potentia, quæst. 2 art. 5 ubi sic inquit : *Relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet, quod sit aliquid sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, quæ inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis.* Tum etiam in 1 dist. 26 quæst. 2 art. 2 ad 3 his verbis : *Quamvis relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod sit res quædam : est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur : et ex hoc ulterius habet, in quantum est divina, quod sit hypostasis.* Si autem relatio secundum esse *ad* esset quid reale, tunc ex eo, quod ad alterum dicitur, deberetur ei, quod sit res quædam : quod tamen D. Thomas negat.

Evertitur primo. Respondetur, testimonium D. Thomæ primo loco adductum intelligi juxta aliud testimonium, quod ex 1 sententiarum ad Annibaldum n. 8 adduximus, nempe, quod relatio secundum propriam rationem sui generis non ponit aliquid, idest, aliquid absolutum ; sed ad aliquid, idest aliquid reale relativum, quamvis cum hoc stet, quod relatio ratione esse *in* absoluti, quod per modum transcendentis includit, sit aliquid absolutum secundum rem, et quod hoc proveniat ex eo, quod identificetur cum aliquo absoluto, vel ex eo, quod habeat causam secundum rem in subjecto. Et propterea D. Thomas addidit : *quod sit vero aliquid* (idest quod sit absolutum) *secundum rem, habet ex illa parte, quæ inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis.* (D. Thom.)

27. Animadversio prima pro secunda solutione. Secundo respondetur prænotando duo. Primum est, quod in genere relationis, seu in linea illius debet distingui consideratione nostra duplex ratio *ad :* alia, quæ sit *ad* illimitate sumptum, idest, secundum omnem rationem suæ analogiæ, prout abstractione analoga abstrahit ab esse *ad* reali, et rationis, alia vero, quæ sit *ad* determinate sumptum, idest, quatenus constituit prædicamentum relationis secundum suam ultimam rationem consideratum. Inter quas

quas duas considerationes hoc est discrimen, quod prima non includit necessario, et determinate, quod prædictum *ad* habeat in eo, in quo est, causam realem, sive rationem fundandi secundum rem respectu sui : ac proinde nec dicit, quod sit aliquid secundum rem, sed ab hoc abstrahit ; cum tamen *ad* secundum posteriorem considerationem includat, quod habeat causam, sive rationem secundum rem in eo, in quo est, sive talis ratio distinguatur realiter ab ipso esse *ad*, ut in creatis, sive sit idem secundum rem cum illo, ut in divinis, ubi radix relationis, vel ratio fundandi non distinguuntur secundum rem.

Et ratio hujus discriminis quoad posteriorem ejus partem est. Nam cum prædictum esse *ad* debeat ex vi suæ lineæ esse reale, debet etiam ex vi ejusdem esse realiter relative in subjecto, aut quasi subjecto, vel per inhærentiam relativam, vel per identificationem cum ipso, ac proinde trahendo prædictum subjectum, aut quasi subjectum ad suum terminum : quia hoc petit inhærentia, aut quasi inhærentia relativa. Quare : cum ad hoc desideretur, quod includat causam, sive rationem secundum rem sui esse *ad*, a qua radicaliter habeat, quod sit quid reale, et realiter respiciat terminum, oportet, ut prædictum esse *ad* includat, quod habeat causam, sive rationem secundum rem respectu sui esse *ad*. Sicut ad hoc, ut esse *in* absolutum includatur secundum rem, et per modum transcendentis in esse *ad* relativo, requiritur etiam, ut prædictum *ad* habeat causam, sive rationem secundum rem respectu sui esse *ad*.

28. Secunda animadversio. Secundum, quod prænotari debet, est, quod etsi hoc, quod est esse *aliquid* proprie sumptum, ut ly *aliquid* est una ex quinque affectionibus entis, dicat quid absolutum, ut disp. 10 dub. 1 num. 17 dicemus : attamen large, et improprie acceptum, et ut non est una ex quinque affectionibus entis a cæteris aliis distincta, sed est idem ac realitas, seu quod in idem quoad præsens redit, ut est idem ac formalitas realis, et quæ sit talis secluso intellectu, non dicit determinate aliquid absolutum, sed abstrahens ab absoluto, et relativo.

Ex his animadversionibus solvitur secundo argumentum. Hinc ergo ad argumentum secundo respondetur, quod, cum D. Thomas in primo testimonio hujus argumenti inquit, relationem secundum rationem suam propriam non habere, quod sit aliquid, idest, quod sit aliquid secundum rem, sed solum, quod sit aliquid, sumit ly *aliquid* proprie, ut est una ex affectionibus entis ; non improprie, ut est idem ac realitas, seu formalitas realis, et loquitur de relatione secundum priorem considerationem ; non vero de eadem secundum posteriorem. Cum autem addidit : *Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, quæ inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis,* loquitur de hoc, quod est esse aliquid eodem modo acceptum, et de inhærentia, aut quasi inhærentia, relativa : ac proinde de relativa realitate, secundum quam relatio secundum rem communicatur ei, in quo est, trahendo illud ad suum correlativum : sive hæc communicatio sit adeo intima, ut petat identificari secundum rem cum eo, cui communicatur, et solum virtualiter ab eo differat, et ex hac identificatione oriatur ut a radice realitas relativa propria ipsius ut in divinis cernitur ; sive talis communicatio sit per veram inhærentiam relativam ortam tanquam ex radice suæ realitatis ex hoc, quod habeat secundum rem causam sui, sive rationem fundandi realiter distinctam in subjecto. Sed hæc amplius in solutione ad secundum argumentum explicabuntur.

Per quod etiam ad secundum testimonium satis constat. Nam juxta priorem solutionem, quam primo testimonio adhibuimus solum vult S. Doctor, quod relationi, ex hoc quod ad alterum dicitur, non debetur, quod sit res quædam, idest, res absoluta, seu quod includat aliquid absolutum, ita ut prima radix hujus inclusionis, sive identificationis sit conceptus expressus essendi ad alterum, quamvis aliunde tanquam ex prima radice habeat esse rem aliquam, idest, rem absolutam, seu includere aliquid absolutum, nempe, ex eo quod habet fundamentum in eo, quod refertur. Nam propterea *ad* relativum in creatis est quid reale relativum, et includit esse *in* absolutum, et in divinis est etiam reale realitate relativa, et includit realitatem absolutam divinæ essentiæ, ac tandem dicit *ad*, quod non utcumque, sed (modo infra dicendo) constituat hypostasim : quia tam *ad* creatum, quam increatum habet causam, aut rationem fundandi secundum rem proportionatam in ordine ad hos effectus. 29. Ex eadem duplici solutione interpretatur testimonium D. Thomæ in argumento adductum.

Et deinde secundum posteriorem solutionem dicendum est, D. Thomam solum loqui de relatione non limitate sumpta, sed secundum priorem illam consideratio-

nem in secunda solutione prioris testimonii recensitam, secundum quam accipitur illimitate, et dicit esse *ad* secundum communissimam rationem suæ analogiæ abstrahens ab esse *ad* reali, et rationis. Nam de hoc esse *ad* verum est, quod ex hoc, quod sit ad alterum, non debetur ei, quod sit res quædam, prout esse rem quamdam dicit realitatem ut sic, et distinguitur contra nihil. Et similiter verum est, quod prædictum esse *ad* non sit res aliqua, nisi sumatur magis determinate, prout est talis conditionis, quod habeat fundamentum in eo, quod refertur.

§ IV.

Fundamentum secundum ejusdem oppositæ sententiæ, et enodatio ejus.

30. Secundum fundamentum. Secundo probatur prædicta sententia. Nam relationes creatæ secundum esse *ad* non dicunt realitatem : ergo nec divinæ. Consequentia videtur legitima ex paritate rationis. Antecedens autem probatur ex D. Thoma, tum in hoc art. ubi sic inquit : *Considerandum est, quod solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem. Quod non est in aliis generibus : quia alia genera (ut quantitas, et qualitas), secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens. Ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud.* Si autem genus, seu prædicamentum relationis, ac proinde relatio creata secundum esse *ad* esset quid reale, non esset cur magis in hoc genere invenirentur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem, quam in aliis generibus : siquidem relatio, tam secundum communia, quam secundum propria, nempe secundum esse *ad*, esset quid reale, sicut alia genera secundum utramque rationem sunt realia : nec D. Thomas probasset, quod in hoc genere inveniuntur aliqua tantum secundum rationem, ex eo quod ea, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud, nisi esse *ad*, seu respectus ad aliud secundum hoc præcisum munus esset talis conditionis, ut non diceret aliquid reale. Maxime : quia idem S. Doctor statim addidit, quod hic respectus, quem dixerat esse proprium generis relationis, aliquando est realis, aliquando vero est rationis : in quibus verbis satis denotat prædictum respectum, seu *ad* proprium generis relationis abstrahere a reali, et rationis : ac proinde secundum se non esse qui reale, sed ad summum rationc *in*, quod includit.

Ad hoc argumentum patet etiam ex dictis. Unde optime Ferrara 4 contra Gent. cap. 14 § *Ad primi dubii evidentiam*. Nazarius in præsenti articulo controversia unica, et Araujo 5 Metaphysicæ quæst. 5 art. 2 num. 11 dicunt, quod ex illis duabus rationibus, quæ inveniuntur in esse *ad* prædicamentali, utraque habet esse rationem propriam relationis prædicamentalis, quamvis aliter, et aliter. Nam esse *ad* limitate sumptum, prout includit realitatem relativam, dicit rationem propriam, et adæquate convertibilem cum *ad* prædicamentali, ut constituit prædicamentum relationis per quam nedum ab aliis prædicamentis ; sed etiam a relationibus rationis distinguitur, et eas a prædicamento excludit : et hæc ratio est proprium *ad* reale. Cæterum altera ratio *ad* superior ad hanc, per quam a reliquis prædicamentis, et naturis absolutis distinguitur, sed cum relationibus rationis communicat, quia dicit *ad*, prout abstrahit abstractione analoga ab esse *ad* reali, et rationis, etiam est propria ratio hujus prædicamenti : non quidem quia in solo prædicamento relationis, ut distinguitur ab aliis prædicamentis absolutis, invenitur ratio aliqua analogice communis, quæ abstractione analoga abstrahat a reali, et rationis, nempe, ratio *ad* illimitate, et communissime sumpta. Et ita verum est id, quod dicit D. Thomas, quod *solum in his, quæ dicuntur ad aliquid* (ut *ad aliquid* sumitur in hac abstractione) *inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem*, ut patet in relationibus rationis contrahentibus rationem hanc communissimam. Et similiter est verum, quod etiam in eodem articulo addit, nempe, quod *solum in his, quæ dicuntur ad aliquid* sic sumptum, inveniuntur etiam aliqua secundum rem, ut patet in relationibus prædicamentalibus contrahentibus etiam hanc rationem communissimam : cum tamen in aliis prædicamentis ut in quantitate et qualitate non detur quantitas, aut qualitas secundum rationem : ac proinde nec ratio quantitatis communissima, et abstrahens a reali, et rationis. 31. Diluitur. Ferrara. Nazarius. Araujo.

Sed objicies, non apparere peculiarem aliquam rationem, propter quam sit propriam prædicamenti *ad aliquid*, ut distinguitur 32. Objectio.

guitur a cæteris prædicamentis, quod in eo possit distingui hæc duplex ratio *ad*, alia quidem convertibilis cum ipso, nempe, ratio *ad* includens realitatem, et insuper ratio *ad* abstrahens a reali, et rationis, quæ non sit convertibilis cum relatione prædicamentali. Nam si semel *ad* prædicamentale quatenus tale habet ex vi suæ lineæ esse quid reale, sicut quantitas, et qualitas et alia prædicamenta : non est cur in prædicamento relationis detur aliqua ratio *ad* inconvertibilis tamen cum ipso, quæ abstrahat ab *ad* reale, et rationis ; et non detur etiam in prædicamento v. g. quantitatis alia duplex ratio, nempe, ratio extensionis aut habendi partes realiter, et insuper alia ratio superior, et inconvertibilis cum quantitate prædicamentali, quæ abstrahat abstractione analoga a quantitate reali, et rationis : ac proinde non erit cur, sicut sub ratione illa analoga inveniuntur aliqua secundum rem, et aliqua secundum rationem, ita etiam sub ratione analoga quantitatis non inveniantur aliqua secundum rationem, et aliqua secundum rem.

33. Solutio. Respondetur, esse disparem rationem. Nam etsi *ad*, ut constituit prædicamentum relationis secundum suam ultimam rationem consideratum, dicat *ad* ex se reale realitate relativa : attamen aliunde sumitur specificatio prædicti *ad*, et realitas ejus. Nam realitas sumitur ex fundamento, sive ex ratione fundandi tanquam ex causa aliquo modo effectiva illius : et ideo illud erit *ad* reale prædicamentale, quod habuerit fundamentum, sive rationem fundandi secundum rem, quæque sit causa secundum rem ipsius relationis : ac proinde ratio formalis ipsius *ad*, ut dicit realitatem, sita erit in habitudine ad suum fundamentum, seu rationem fundandi ut ad causam realem ejusdem *ad*, ex qua modo dicto dimanat : at specificatio ejusdem *ad*, quod est reale, non sumitur formaliter a prædicto fundamento, nam hoc tantum initiative specificat, sed sumitur per ordinem ad correlativum : et propterea definitur relatio per hoc, quod sit ad suum correlativum : ac proinde, prout præcise et expresse concipitur sub hoc munere respiciendi terminum, seu correlativum non concipiendo munus respiciendi fundamentum, non concipitur expresse sub conceptu *ad* realis, licet implicite ibidem includatur, quod sit reale, ex eo quod unum ex his muneribus relationis prædicamentalis nequit præscindi ab alio.

Unde : quia intellectus potest attendere ad id, unde sumitur specificatio relationis prædicamentalis, non vero ad id, unde sumitur ejus realitas : ac proinde potest concipere illam, quatenus ex vi muneris respiciendi correlativum non exprimit suam realitatem : propterea attendendo ad illud prius, non attendendo ad hoc posterius, habet sufficiens fundamentum ex parte relationum prædicamentalium ad hoc, ut ad instar earum possit formare relationes rationis : et ita cum fundamento in re poterit a relatione rationis, et a relatione prædicamentali abstrahi ratio quædam *ad*, quæ expresse tantum exprimat ordinem ad correlativum, sitque communis communitate analoga, tam relationi prædicamentali, quam relationi rationis.

34. Cæterum specificatio, v. g quantitatis prædicamentalis, et ejus realitas sumitur ex eodem capite, nimirum, ex habitudine ad subjectum. Et ita quantitas, ut exprimit *in*, per quod respicit subjectum, exprimit peculiarem speciem, et realitatem suam : et propterea non præbet sufficiens fundamentum ad hoc, ut inde abstrahatur ratio quantitatis, quæ non exprimat realitatem, quæque abstrahat abstractione analoga a quantitate reali, et rationis. Et ita in prædicamento quantitatis non inveniuntur aliqua secundum rem, et aliqua secundum rationem tantum, sed proprium est solius prædicamenti relationis, ut distinguitur ab aliis prædicamentis, ut inveniantur in eo aliqua secundum rem, et aliqua secundum rationem tantum.

D.Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 26 quæst. 2 art. 1 his verbis : *Sciendum tamen, quod relatio dupliciter potest considerari. Uno modo, quantum id, ad quod dicitur, ex quo rationem relationis habet, et quantum ad hoc, non habet, quod ponat aliquid : quamvis etiam ex hoc non habeat, quod nihil sit. Sunt enim quidam respectus, qui sunt aliquid secundum rem, quidam vero, qui nihil, quod in aliis generibus non invenitur. Alio modo quantum ad id, in quo est : et sic quando habet causam in subjecto, realiter inest, et ipse respectus est realis. Quando vero non habet causam in subjecto, sed in re alia, vel in sola relatione, tunc non est respectus est realis, sed rationis tantum. Sic ergo relationes in Deo respectus reales sunt : quia respiciunt ipsam essentiam communicatam.* Quod etiam docuit idem S. Doctor Idem S. Doctor.

Quodlibeto 9 quæst. 2 art. 4. Videantur N. Compl. nostri Complutenses in Logica disput. 14 quæst. 1.

35. Replica. Nec refert, si urgeas, quod specificatio relationis est realis, et quod hæc specificatio realis sumitur a termino formali : siquidem terminus tribuit illi veram, et realem specificationem. Et similiter realitas ejus debet esse relativa, et eo ipso in ordine ad terminum : et per consequens ex eo desumpta : ergo falsum erit, quod in relatione prædicamentali aliunde sumitur realitas, et aliunde specificatio illius.

Confirmatio. Confirmabis. Quoniam realitas non desumpta ex termino, sed ex aliquo absoluto eo ipso est realitas absoluta : ergo non potest cohærere cum relatione, quod ejus realitas desumatur ex fundamento, sed necessario debet ex termino accipi.

Enodatur replica. Respondetur enim, quod cum dicitur, relationem aliunde, nempe a fundamento, sumere suam realitatem ; aliunde vero, scilicet a termino, accipere suam speciem, non est sensus, quod ita ad dandam realitatem influat fundamentum, quod non concurrat etiam ad illam in suo genere terminus : aut quod ita penes istum sumatur specificatio relationis, quod non influat, modo dicto, ad illam fundamentum : siquidem realitas relationis est etiam ad terminum, et specificatio illius causatur etiam a fundamento : sed sensus est, quod licet utrumque in suo ordine, et modo unicuique proportionato concurrat, tam ad realitatem, quam ad speciem : attamen fundamento attribuitur realitas, et termino specificatio. Quia realitas non desumitur penes ordinem ad terminum, nisi ut subest fundamento, sive rationi fundandi, quæque sit revera causa illius, unde ipsa dimanet. Et similiter specificatio non accipitur ex fundamento, nisi ut subest termino, idest, nisi in ordine ad terminum. Et ita licet utrumque influat ad id, quod est alterius, influit tamen ratione illius, seu ut illi subest, et non aliter. Et ideo, nisi relatio expresse concipiatur in ordine ad terminum, quatenus talis terminus subest rationi fundandi reali, et realiter causanti illam, non concipitur expresse ut realis. Sicut etiam illa eadem realitas nisi concipiatur expresse ut ad terminum, non concipitur expresse ut ratio referendi. Unde, quia intellectus potest attendere ad id, quod habet terminus (ut sic dicamus) de suo, non attendendo ad id, quod habet, ut subest rationi fundandi, quantumvis utrumque inseparabiliter influat : idcirco potest cum fundamento in re concipere rationem relationis ut analogice abstrahentem a reali, et rationis : quia, ut tendit ad terminum quantumvis realem, non exprimit esse realem : nisi talis terminus concipiatur, ut subest rationi fundandi reali.

Sicut, licet habitus charitatis, et voluntas inseparabiliter concurrant ad specificandum actum charitatis, illa quidem per modum principii quasi radicalis, hæc vero per modum principii proximi, et voluntas non concurrat, nisi ut subest charitati : nihilominus, quia voluntas de suo non tribuit supernaturalitatem, propterea licet actus charitatis, ut est ab illa, non sit naturalis, quia influit ut subest habitui supernaturali, attamen actus ille, ut intelligitur esse ab illa ut a principio radicali, non concipiendo expresse, quod sit ab eadem ut elevata per habitum, non concipitur expresse ut supernaturalis : et ita, ut intelligitur esse sic a voluntate, tantum habet rationem volitionis, et fundat rationem communem actibus supernaturalibus, et naturalibus. Ita ergo in præsenti cum proportione philosophandum est : quamvis inter exemplum propositum, et rem, de qua agimus, sit aliqua diversitas, ut intuenti patebit.

Ex quo ad confirmationem satis patet. 36. Ad confirmationem. Nam etsi realitas, quæ ita sumitur ex absoluto ut a causa, unde dimanat, quod non sumatur etiam ex termino, ac proinde non admittat consortium termini influentis per modum termini, sit absoluta : at realitas, quæ ita causatur a fundamento absoluto, ut admittat consortium termini, cui specifice illius realitas tribuatur, cuique fundamentum quoad prædictam specificationem subordinetur, non est absoluta, sed quatenus sic a fundamento oritur, est initiative saltem relativa, et considerata, ut præscindit expresse a consortio termini, præscindit etiam quoad expressionem ab *esse* absoluto, et relativo. Quæ omnia sunt satis consona illis, quæ nostri Complutenses in N. Compl. sua Logica disp. 14 quæst. 7 docent

§ V.

Corollaria notatu digna ex præcedenti solutione deducta.

37. Primum consectarium contra Suarez. Ex quibus omnibus fit primo, non bene Franciscum Suarez in sua Metaphysica disput.

disput. 47 sect. 3 num. 11 explicuisse hoc testimonium D. Thomæ ex quæst. ista 28 art. 1, quod in hac confirmatione primi argumenti partis oppositæ adduximus. Nam prædictus auctor inquit, sanctum Doctorem intelligendum esse de relatione, sive prædicamentali, sive transcendentali : ita ut tam in prædicamento quantitatis, et aliis prædicamentis absolutis, quam in prædicamento relationis detur sufficiens fundamentum ad abstrahendum abstractione analoga rationem, v. g. quantitatis, quæ sit communis analogice ad quantitatem realem, et rationis, et rationem reddit ex eo, quod S. Doctor dum dixit, quod in genere relationis inveniuntur aliqua secundum rationem, et aliqua secundum rem, explicuit hæc posteriora verba exemplo inclinationis gravis ad centrum, quæ est habitudo transcendentalis.

Ex dictis igitur fit, hanc non esse ita legitimam explicationem mentis D. Thomæ. S. Doctor. Tum, quia S. Doctor loquitur de iis quæ dicuntur *ad aliquid*, et distinguuntur a quantitate, et qualitate, et cæteris prædicamentis. Et ita postquam dixit, quod *solum in his quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem*, statim addidit : *Quod non est in aliis generibus : quia alia genera (ut quantitas, et qualitas) secundum propriam rationem* (idest secundum propriam speciem), *significant aliquid alicui inhærens* (et per consequens quid reale). *Ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud*. Tum etiam, quia, ut constat ex nuper dictis, quantitas v. g. juxta mentem D. Thomæ non præstat sufficiens fundamentum ad hoc, ut ex ea abstrahatur abstractione adhuc analoga aliqua ratio quantitatis, quæ sit communis quantitati reali, et rationis, sed solum ex parte nostri modi concipiendi, et absque prædicto fundamento poterit confingi quantitas rationis. Idem S. Doctor. Tum denique : quia S. Doctor Quodlibeto nuper citato sic inquit : *In hoc differt ad aliquid ab aliis generibus, quod alia genera ex propria sui ratione habent quod aliquid sint, sicut quantitas ex hoc ipso, quod est quantitas, aliquid ponit. Et similiter est de aliis. Sed ad aliquid ex propria sui generis ratione non habet, quod ponat aliquid, sed ad aliquid. Unde inveniuntur quædam ad aliquid, quæ nihil sunt in rerum natura, sed in ratione tantum, quod in aliis generibus non contingit.*

38\. Nec id, quod pro se Suarez adducit, ei prodest. Nam D. Thomas potissime loquitur de relatione prædicamentali gravi ad centrum, quamvis meminerit inclinationis, seu relationis transcendentalis, quæ est in gravi ad illud, ut innueret, relationem, quæ in ea fundatur, esse realem. Nam juxta ejus mentem realitas relationum desumitur ex eo, quod habeant fundamentum reale, quod fundamentaliter ordinetur, et inclinetur ad terminum. Unde postquam S. Doctor dixit, quod *respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliquæ res secundum suam naturam ad invicem ordinatæ sunt, et invicem inclinationem habent* (idest, inclinationem fundamentalem) statim addidit : *Et hujus modi relationes oportet esse reales. Sicut in corpore gravi est inclinatio, et ordo ad locum medium. Unde respectus quidam est in ipso gravi respectu loci medii : et similiter est de aliis hujusmodi.* S. Doctor. Ubi data opera dixit S. Doctor, quod in re gravi est inclinatio, et ordo ad locum medium, ut per ly *inclinatio* explicaret fundamentum reale, quod, claritatis gratia, potest dici fundamentalis relatio, et per ly *ordo* innueret id quod formaliter habet rationem relationis prædicamentalis, quæque habet esse reale modo jam explicato ratione sui fundamenti.

39\. Secundum consectarium contra Vasquez. Fit secundo, non etiam esse ita legitimam expositionem verborum D. Thomæ, quam adhibet Vasquez in præsenti disput. 114 cap. 3. Inquit enim, quod cum S. Doctor dixit, in hoc differre genus relationis ab aliis generibus, quod in illo inveniuntur aliqua secundum rationem et aliqua secundum rem, non vero in istis, non vult, dari aliquam rationem *ad* adhuc analogam respectu *ad* realis, et rationis, sed solum, quod habeat nomen commune : quia tam modus peculiaris prædicamenti relationis, quam modus specialis relationum rationis appellatur *ad* : cum tamen in aliis prædicamentis, ut v. g. in quantitate, nomen quantitatis non sit commune quantitati reali, et spatio imaginario ad instar illius conficto.

Ex dictis igitur constat, expositionem hanc non esse ita legitimam. Nam, ut jam explicuimus, juxta mentem S. Doctoris datur fundamentum in re ad hoc, ut a relatione prædicamentali, et relationibus rationis abstrahatur abstractione analoga ratio quædam communis utrique. Unde D. Thomas in hoc articulo aperte loquitur D.Thom. de convenientia, non solum in nomine,

sed etiam in ratione aliqua significata per nomen, quia dicit, per modum *ad* importari respectum ad terminum, et hunc respectum quandoque esse in rerum natura, et quandoque solum in apprehensione intellectus, quod ut constat, non potest intelligi de convenientia in solo nomine, quo significatur respectus, sed etiam de aliqua convenientia in ipso respectu.

40. Objectio prima P. Vasquez contra solutionem arg. Fit tertio, non multum urgere duo illa, quæ adducit Vasquez cap. 2 contra ea, quæ in solutione hujus argumenti diximus. Objicit enim primo quod *ad* prædicamentale ita est modus intrinsecus prædicamenti relationis, ut a ratione illa *in*, quæ est in omnibus prædicamentis, etiam cogitatione nostra abstrahi, aut separari non possit : ergo ea ratione est quid reale, et inhærens, non minus quam cætera prædicamenta : ac proinde prædicamentum relationis non præstat majus fundamentum, ad hoc ut ab eo, et relationibus rationis abstrahatur aliqua ratio *ad* analogice communis, quam præstent alia prædicamenta, ad hoc ut ab eis, et ab entibus rationis se ad instar eorum habentibus abstrahatur etiam alia ratio analogice communis.

Secunda objectio. Objicit secundo. Quod, audita voce *ad*, non potest intellectus non concipere ordinem unius ad aliud : jam ergo apprehenditur ordo, ut est alicujus, habet rationem *in* : ergo nullo modo sine ratione *in* ratio *ad* potest cogitari.

41. Ex dictis evanescit prima objectio. Ex iis itaque, quæ diximus, constat, hæc duo non urgere. Non quidem primum. Quia nos non negamus, quod in esse *ad* prædicamentali intime includatur ratio accidentis, et deinde asserimus, prædictum *ad* ex sua formali ratione importare formaliter aliquam realitatem. Cæterum, quia ratio illa *in* implicite affertur a relatione, et non tanquam propria, et atoma ratio ejus, et deinde realitas relativa, quæ est propria ipsius esse *ad* prædicamentalis, sumitur (modo explicato) in ordine ad fundamentum, et specificatio ejusdem a termino : propterea, ut jam explicuimus, datur sufficiens fundamentum, ad hoc ut intellectus abstrahat rationem *ad* analogice communem tam relationibus realibus, quam rationis : quia in illo respectu ad terminum relationis prædicamentalis cum præcisione considerato solum implicite, licet impræscindibiliter, importatur realitas, non tamen explicite : quæ tamen, ut jam diximus, in aliis prædicamentis non inveniuntur.

Unde nec etiam secunda objectio urget. Et etiam secunda. Nam, etsi relatio sit habitudo unius extremi ad aliud, non tamen est necesse, ut sub quovis conceptu relationis concipiatur expresse, illam esse in uno extremo, et tendere ad aliud. Et propterea relatio definitur per hoc, quod totum suum *esse* sit esse ad aliud : et ita ibi, ut constat, tantum exprimitur ordo ad terminum. Et ratio hujus tacta jam est. Nam conceptus relationis, ut dicit *in*, est conceptus ipsius, ut respicit subjectum mediante fundamento, et ratione illius : constat autem ex dictis, conceptum expressum, et inadæquatum ejusdem relationis, ut respicit fundamentum, non esse conceptum expressum ejusdem, ut respicit terminum.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma de Potentia quæst. 8 art. 2 his verbis : *Inter novem genera, quæ continentur sub accidente, quædam significantur secundum rationem accidentis. Ratio enim accidentis est inesse : Et ideo illa dico significari per modum accidentis, quæ significantur ut inhærentia alteri sicut quantitas, et qualitas : quantitas enim significatur ut alicujus, in quo est : et similiter qualitas. Ad aliquid vero non significatur secundum rationem accidentis : non enim significatur ut aliquid ejus, in quo est, sed ut ad id, quod extra est. Et propter hoc etiam dicit Philosophus* 5 *Metaphysicæ, quod scientia, in quantum est relatio, non est scientis, sed scibilis.* 42. D.Thom.

Adde, quod, ut ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dicebamus, relatio, quando consideratur quantum ad *in*, non dicit *esse* reale, nisi habeat realem causam, sive rationem fundandi secundum rem vere influentem in ipsam. Quia vero præcise per hoc, quod concipiatur ordo unius ad aliud, non concipitur expresse, an habeat prædictam rationem fundandi, sive causam realem, ut in relationibus rationis constat, in quibus nec implicite hoc concipitur : idcirco ex vi hujus conceptus non concipitur expresse ut quid reale. Additamentum.

Nec obest, si urgeas, quod actio prædicamentalis secundum suum conceptum expressum non dicit *in*, sicut nec relatio secundum conceptum jam explicatum illud dicit : ergo non erit, cur etiam in prædicamento actionis non dentur eo proportionali modo, quo in prædicamento relationis, aliqua secundum rem, et aliqua secundum rationem tantum. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur ex D. Thoma de Potentia quæst. 8 art. 2 ubi inquit, 43. Replica. D.Thom.

inquit, quod actio secundum propriam rationem non significat aliquid alicui inhærens.

Responsio Nazarius.

Respondetur enim cum Nazario in præsenti, quod, etsi actio ex parte modi significandi non significetur ut inhærens, attamen adhuc tunc significatur ex parte rei significatæ ut aliquid reale, ponensque aliquid, saltem aptitudinaliter, in subjecto. Nam sicut *ad* relationis prædicamentalis significatur ex parte rei significatæ ut quid reale, quando significatur ut habens causam secundum rem sui *esse* : ita, quia actio, ut actio significatur tanquam aliquid progrediens ab agente, tanquam a causa secundum rem sui esse, propterea significatur ut quid reale. Et sicut relatio, ut significatur tanquam *ad* reale, habet significari ex parte rei significatæ, ut ponens, saltem aptitudinaliter, aliquid in subjecto : ita etiam actio. Et ideo actio solum ex parte modi significandi habet significari non ut inhærens, non tamen ex parte rei significatæ : cum tamen relatio prædicamentalis ex parte utriusque possit significari, et exprimi inadæquate absque eo, quod exprimatur ejus realitas : quia potest significari, ut præcise exprimit ordinem ad terminum pure sub ratione termini secundum id, quod terminus a se ipso habet : et terminus sic sumptus, etiamsi sit realis, non dat speciem realem, ut patet in relatione rationis dominii repertæ in Deo, et terminatæ ad relationem realem servitutis, quæ est in creaturis : licet prædicta relatio prædicamentalis non possit non implicite afferre realitatem, quatenus respicit fundamentum ut realem causam sui *esse*. Unde juxta hæc debet intelligi id, quod de actione in testimonio nuper citato divus Thomas docuit. (D. Thom.)

44. Objectio alia cujusdam junioris.

Fit quarto, neque etiam urgere illud, quod junior quidam objicit, nempe, quod si in relatione prædicamentali reperitur aliqua ratio analogice communis relationi reali, et rationis, ac proinde abstrahens ab utraque, etiam in divinis relationibus hoc ipsum reperietur : et per consequens erit in Deo aliqua ratio, quæ ex se non sit realis, nec realitatem exprimat : quod quidem videtur inconveniens.

Enodatur.

Respondetur enim, quod etsi inconveniens, rationem aliquam prout repertam in relatione creata, aut divina non esse realem, non tamen inconvenit, quod detur in illis aliqua ratio, quæ secundum se non exprimat esse realem secundum aliquod sui munus inadæquatum, quæque possit fundare convenientiam analogam cum entibus rationis, ut patet in ratione entis reperta in Deo, et creaturis, quæ quidem potest fundare convenientiam analogam cum ente rationis. Et ita in Deo invenitur ratio entis, et ratio entis realis, et prior illa ratio non exprimit realitatem, quamvis implicite illam in Deo dicat.

§ VI.

Cætera fundamenta oppositæ sententiæ proponuntur, et diluuntur.

45. Tertium fundamentum. D. Thom.

Tertio eadem sententia probatur ex eodem S. Doctore, tum quæst. 8 de Potentia art. 2. Tum in hoc art. in solutione ad 1 ubi respondens ad testimonium Boëtii lib. de Trinitate negantis, prædicari de Deo prædicamentum *ad aliquid*, inquit, sensum ejus esse, non prædicari secundum propriam rationem formalem relationis tanquam formam inhærentem, aut convenientem alicui subjecto : quia ratio, quæ est esse *ad*, non accipitur secundum comparationem ad illud, cui inest relatio. In quo videtur significare, quod esse *ad*, ut est ratio propria prædicamenti ad aliquid, non est aliquid reale; quia hoc necessario diceret ordinem ad subjectum.

Confirmatio. D. Thom.

Confirmatur ex iis, quæ docet D. Thomas art. 2 hujus quæstionis, ubi sic ait : *Si igitur consideremus (etiam in rebus creatis) relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ.* Si autem relationes creatæ secundum quod relationes sunt, seu secundum quod important *ad*, essent aliquid reale; tunc reale hoc non esset præcise assistens; sed intrinsecus affixum : siquidem deberet esse intrinsece in subjecto, non minus, quam aliæ rationes propriæ aliorum novem generum accidentium.

Diluitur fundamentum.

Respondetur, S. Doctorem in priori testimonio solum velle, quod relatio secundum propriam rationem formalem, secundum quam præcise respicit terminum, ac proinde secundum communissimam rationem relationis non habet prædicari tanquam forma inhærens; sed magis per modum ad aliud se habentis. Congruitque hoc dictum D. Thomæ cum dicto Boetii, quem ibi exponere intendebat. Unde idem Boetius in libello, cui titulus est : *Quomodo Trinitas est unus Deus, et non tres Dii*, ad Symmacum (ubi continentur verba, quæ D. (Boetius. D. Thom.)

Thomas refert, et explicat) in fine ejusdem libelli, quasi reddens rationem præcedentium sic inquit : *Relatio non prædicatur ad id, de quo prædicatur, quasi ipsa sit, et secundum rem, de qua dicitur, non faciet alteritatem rei, de qua dicitur.* Quia sensus horum verborum est, relationem non ita prædicari, ut faciat, subjectum, de quo prædicatur, esse ipsam, idest, habere ab ipsa aliquod esse : et ex consequenti nec ita, ut faciat in eo aliquam diversitatem secundum tale esse : sicut justitia ita prædicatur de homine, ut ab ea homo aliquod habeat *esse*, et aliquam diversitatem secundum idem *esse* : ac proinde Boëtius aperte loquitur de relatione illimitate, et communissime sumpta, et ut abstrahit a reali, et rationis.

46. Vasquez. Suarez. Nec obsunt tria illa, quæ objiciunt Vasquez in præsenti, et Suarez lib. 5 de Trinitate cap. 1 contra explicationem, quam D. Thomas tradidit Boëtio, in sensu a nobis dicto intellectam. Primum est, quod Boëtius loquitur ibi de relationibus ad extra, quas negat prædicari de Deo, quia realiter non sunt in illo. Secundum : quia hoc modo negari posset relatio realis in creatura : quia secundum propriam rationem non significatur ut existens in ea; sed ut ad aliud se habens. Tertium : quia videtur, quod D. Thomas supponat, relationes divinas esse assistentes : quod tamen non est verum.

Non itaque hæc obsunt; sed ex dictis satis ad illa patet. Nam ad primum jam diximus, Boëtium loqui de relationibus secundum eam puram et expressam rationem, qua respiciunt terminum. Et quoniam relatio secundum istam rationem communis est relationibus ad extra, propterea S. Doctor ad eas etiam Boëtii dictum extendit. Ad secundum respondetur, verum esse id, quod in eo continetur, si relationes creatæ, et prædicamentales considerentur quoad id expressum, secundum quod analogice conveniunt cum relationibus rationis. Ad tertium patet ex modo dictis. Nam relatio ratione *ad* in quantum *ad*, prout est commune relationibus realibus, et rationis, non habet esse inexistens, sed tantum exprimit esse assistens : quamvis, ut est modus proprius prædicamenti relationis, aut relationum divinarum, ut condistinguuntur a relationibus rationis, debeat esse aliquid reale, et exprimere *esse* inexistens, aut quasi inexistens. S. Doctor. Unde idem S. Doctor in eodem art. 2 hujus quæstionis sic inquit : *Si igitur consideremus (etiam in rebus creatis) relationes secundum id, quod relationes sunt* (idest, secundum communem, et analogam rationem relationis) *sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum.* Ubi, ut constat, relationibus sic sumptis tantum tribuit, quod significent, seu exprimant *esse* assistens; licet ibidem implicite involvatur, quod relationes rationis ita sint assistentes, ut non dicant esse *in* verum, quod significatur per *esse* inexistens; relationes vero prædicamentales ut tales exprimant verum *in*, seu *esse* inexistens.

Ad confirmationem patet ex dictis in solutione ad præcedens argumentum. Occurritur confirmationi.

47. Quartum fundamentum. Quarto probatur prædicta sententia. Quoniam relationi creatæ, et prædicamentali non debetur modus essendi per se, nec modus essendi *in* : ergo præscindit ab hoc, quod sit realis secundum esse *ad* : ergo etiam relationes divinæ secundum suum esse *ad* non dicunt aliquid reale. Antecedens quoad primam partem est satis perspicuum : siquidem prædictæ relationes non sunt substantiales. Quoad secundam vero probatur, et explicatur. Quoniam etsi prædictis relationibus, secundum quod sunt accidentia, debeatur modus essendi *in*; non tamen iste debetur illis secundum esse *ad* : quia secundum istam rationem non sunt in ordine ad subjectum, sed ad terminum : cum tamen ratio *in* non conveniat ipsis nisi in ordine ad subjectum. Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Quoniam, si relatio creata secundum esse *ad* esset aliquid reale, tunc secundum prædictum esse *ad* quod est propria ratio ipsius, ut distinguitur ab aliis accidentibus, deberetur ei aliquis modus essendi realis, nempe, vel esse *in*, vel esse per se. Ex quo etiam secunda consequentia ex paritate rationis videtur constare.

Enodatur. Respondetur, quod etsi relationi prædicamentali, et creatæ secundum communissimam rationem relationis non debeatur *in* reale; secus tamen ut dicit *ad* constitutivum prædicamenti relationis. Nam secundum istam rationem debetur ei, quod implicite dicat realem, et communem rationem accidentis, ut abstrahentem (modo alibi tacto) ab *in* absoluto, et relativo, idest, ab *in*, quod sistat in subjecto, et ab *in* non sistente in subjecto, sed trahente illud ad

ad terminum, respicienteque illud, ut est ad eumdem terminum trahibile. Et deinde debetur ipsi modus, seu quasi modus essendi *in* absolutus, per quem respiciat subjectum quatenus tale ut ex jam dictis constat, et ex iis, quæ disp. sequenti, dubio 2 dicemus, amplius patebit. Ac tandem prædictæ relationi est debitus proprius modus essendi *in* relationis realis, qui est modus essendi *in* relative, idest, afficiendo subjectum, et trahendo illud ad terminum.

18. Itaque in hoc distinguitur prædicamentum relationis a prædicamento, v. g. quantitatis, quod licet utrumque contrahat rationem accidentis, ut analogice abstrahit ab accidenti reali absoluto, et relativo : attamen quantitas contrahit rationem hanc per *in* absolutum, in quo convenit, v. g. cum qualitate, et per aliud *in* etiam absolutum, per quod peculiari modo respicit substantiam, et distinguitur ab eadem qualitate, etc. Cæterum relatio prædicamentalis ut sic contrahit prædictam rationem accidentis realis generalissimam per duplex etiam *in*, quorum primum est *in* absolutum consistens in hoc, quod dicat rationem accidentis, prout accidentis *esse* est inesse, subjecto ut tali : secundum vero est *in* relativum, per quod respicit subjectum ut medium, per quod tendit ad terminum, afficitque illud trahendo ipsum ad prædictum terminum ; non vero sistendo in eodem subjecto. Nam, cum relatio distinguatur ab aliis prædicamentis in hoc, quod est ad terminum ut talem, et conveniat cum illis in hoc, quod respiciat subjectum ut causam materialem sui, oportet, ut dicat utrumque *in*, et quod eorum quodlibet sigillatim sumptum contrahat inadæquate rationem illam communissimam accidentis realis abstrahentem analogice ab accidenti reali absoluto, et relativo.

Unde : sicut qualitatis prædicamentum secundum *in* absolutum, quod dicit, tum, ut est accidens reale absolutum ut sic, tum, ut constituit prædicamentum qualitatis, solum respicit subjectum ut tale, vel generaliter, vel peculiari illo modo proprio solius prædicamenti qualitatis, taliter ut ex vi harum rationum formalissime sumptarum non dicat hoc, quod est terminari ulterius ad aliquod aliud extrinsecum, quod se habeat per modum objecti, aut aliquo alio modo sufficienti ad specificandam rationem aliquam absolutam ; sed solum dicit capacitatem ad hoc, ut per adjunctam aliquam differentiam, et ex meritis illius trahatur ad respiciendum aliquod extrinsecum per modum objecti : et ideo qualitas determinata per differentiam propriam potentiæ visivæ v. g. non habet sistere præcise in subjecto, sed trahi ad objectum : ita relatio, ut dicit *in* abstrahens ab absoluto, et relativo, et ut dicit *in* absolutum, per quod respicit subjectum sistendo, quantum est ex meritis hujus *in*, in ipso, trahitur per esse *ad*, in quo per modum transcendentis includitur, ad hoc ut ex meritis ejusdem *ad*, et ratione illius præcise tendat ad terminum pure sub ratione termini, et respiciat aliter subjectum, nempe, ut trahibile ad terminum. (Utrum autem prædictum *in* absolutum, quod immediate quasi contrahitur per esse *ad*, quodque semper est connexum cum eodem esse *ad*, sit aliquod esse *in*, specie, aut quasi specie distinctum ab esse *in* absoluto, quod includitur in prædicamento, v. g. qualitatis, ita ut conveniat cum illo in hoc, quod sit ad subjectum ut tale, et distinguatur ab eo specie, aut quasi specie, ex eo quod petit esse semper, et indispensabiliter connexum cum esse *ad* : ac proinde prædictum esse *in*, ut hoc speciali modo determinatum, imbibatur in *esse ad* ; an vero sit talis conditionis, ut non distinguatur specie, aut quasi specie ab *in* incluso per modum transcendentis in prædicamento qualitatis, aut in aliis prædicamentis absolutis? Alia quæstio est, de quo infra disp. 5 dub. 3 n. 82 sermo redibit.) Unde ex his omnibus satis habetur, quomodo etiam relationibus divinis ut talibus debeatur, quod includant essentiam Dei per modum transcendentis, quæ est quid absolutum, et quod insuper afferant proprium esse per se, seu subsistere relativum.

Ultimo probatur eadem sententia. Nam esse ad aliud convenit simpliciter, et absolute, tam relationi reali, quam relationi rationis : ergo prædictum esse *ad* ex vi sua non est aliquid reale, nisi ad summum ratione esse *in* : quod tamen non includitur in relationibus rationis. Consequentia videtur legitima. Nam rationes ex se reales non conveniunt absolute et simpliciter tam entibus realibus, quam rationis. Antecedens autem probatur. Nam, sicut absolute et simpliciter concedimus, totum *esse* patris esse ad filium : ita, totum *esse* generis esse ad speciem. 19. Ultimum fundamentum.

Respondetur, quod licet esse *ad aliud* illimitate sumptum, et prout dicit rationem *ad* non convertibilem cum prædicamento Dissolvitur.

relationis, conveniat absolute et simpliciter relationibus rationis, ut bene docent nostri Complutenses in sua Logica disp. 14 num. 12, non tamen esse *ad aliud* determinate acceptum, et ut est differentia propria prædicamenti relationis, sive ut dicit *ad* causatum ex naturis rerum. Cæterum illud prius *ad* non habet ex se esse reale, sed abstrahit tam ab *ad* reali, quam rationis : et ideo non mirum, quod absolute et simpliciter possit dici tam de relationibus realibus, quam de relationibus rationis : cum tamen posterius *ad*, quod necessario est reale, solum competat relationibus realibus.

ARTICULUS II.

Utrum relatio in Deo sit idem, quod sua essentia?

1 dist. 33 a t. 1 et 4 con. c. 14 et pot. q 8 art. 2 et quol. 6 art 1, et opusc. 3 cap. 54, 55 et 57, et opusc. 9 q. 6 et 10, 16 fin.

* Lib. 5 de Trin. c. 5 in princip. tom. 3.

* Lib. 7 de Trinit. c. 1 a med. tom. 3.

* In cap. ad aliquid tom. 1.

* Q. 3 art. 1 et q. 4 art. 2 simil.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod relatio in Deo non sit idem, quod sua essentia. Dicit enim Augustinus in 5 de Trinitate *, quod non omne, quod dicitur in Deo, dicitur secundum substantiam. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium. Sed hæc non secundum substantiam dicuntur. Ergo relatio non est divina essentia.

2. Præterea, Augustinus dicit 7 de Trinitate * : Omnis res quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo : sicut homo dominus, et homo servus. Si igitur relationes aliquæ sunt in Deo, oportet, esse in Deo aliquid aliud præter relationes. Sed hoc aliud non potest esse nisi essentia. Ergo essentia est aliud a relationibus.

3. Præterea, esse relativi est ad aliud se habere, ut dicitur in prædicamentis *. Si igitur relatio sit ipsa divina essentia, sequitur, quod esse divinæ essentiæ sit ad aliud se habere : quod repugnat perfectioni divini esse, quod est maxime absolutum, et per se subsistens, ut supra ostensum est *. Non igitur relatio est ipsa essentia divina.

Sed contra. Omnis res, quæ non est divina essentia, est creatura. Sed relatio realiter competit Deo. Si ergo non est divina essentia, erit creatura. Et ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda : contra quod in præfatione cantatur : Ut in personis proprietas, et in majestate adoretur æqualitas.

Respondeo dicendum, quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmodum in Rhemensi Concilio revocasse. Dixit enim, quod relationes in divinis sunt assistentes, sive extrinsecus affixæ

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod in quolibet novem generum accidentis est duo considerare. Quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum, secundum quod est accidens : et hoc communiter in omnibus est inesse subjecto : accidentis enim esse est inesse. Aliud, quod potest considerari in unoquoque, est propria ratio uniuscujusque illorum generum. Et in aliis quidem generibus a relatione, utpote quantitate, et qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subjectum. Nam quantitas dicitur mensura substantiæ : qualitas vero dispositio substantiæ. Sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. Si igitur consideremus (etiam in rebus creatis) relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretur relatio, secundum quod est accidens, sic est inhærens subjecto, et habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus consideravit, relationem primo modo tantum. Quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale : nihil enim est in Deo, ut accidens in subjecto, sed quidquid est in Deo, est ejus essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ. Patet ergo, quod in Deo non est aliud esse relationis, et esse essentiæ, sed unum et idem.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa Augustini non pertinent ad hoc, quod Paternitas, vel alia relatio, quæ est in Deo, secundum esse suum non sit idem quod divina essentia, sed quod non prædicatur secundum modum substantiæ, ut existens in eo, de quo dicitur, sed ut ad alterum se habens. Et propter hoc dicuntur duo tantum esse prædicamenta in divinis : quia alia prædicamenta important habitudinem ad id, de quo dicuntur, tam secundum suum esse, quam secundum proprii generis rationem. Nihil autem, quod est in Deo, potest habere habitudinem ad id, in quo est, vel de quo dicitur, nisi habitudinem identitatis, propter summam Dei simplicitatem.

Ad secundum dicendum, quod sicut in rebus creatis, in illo, quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum : ita et in Deo. Sed tamen aliter, et aliter. Nam id, quod invenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res. In Deo autem non est alia res, sed una et eadem, quæ non perfecte exprimitur relationis nomine, quasi sub significatione talis nominis comprehensa. Dictum est enim supra *, cum de divinis nominibus agebatur, quod plus continetur in perfectione divinæ essentiæ, quam aliquo nomine significari possit. Unde non sequitur, quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione.

* Q. 13 per totam et art. 2 præcipue.

Ad tertium dicendum, quod si in perfectione divina nihil plus contineretur, quam quod significat nomen relativum, sequeretur, quod esse ejus esset imperfectum, utpote ad aliquid aliud se habens : sicut si non contineretur ibi plus, quam quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens. Sed quia divinæ essentiæ perfectio est major, quam quod significatione alicujus nominis comprehendi possit, non sequitur, si nomen relativum, vel quodcumque aliud nomen dictum de Deo non significat aliquid perfectum, quod divina essentia habeat esse imperfectum : quia divina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem, ut supra dictum est *.

* Q. 4 art. 2.

Prima conclusio : Relatio existens in Deo secundum rem est idem essentiæ, et non differt ab ea, nisi secundum rationem.

Secunda conclusio : *Esse* relationis, et *esse* essentiæ in Deo est omnino unum et idem.

Tertia conclusio, quæ habetur in solutione ad tertium : Si in divina perfectione nihil amplius contineretur, quam quod significat nomen relativum, *esse* ejus esset imperfectum.

DISPUTATIO V.

De relationibus divinis quoad identitatem earum cum essentia Dei.

Quia disputatione præcedenti explicuimus *an est* divinarum relationum, et explicatio earum quoad *quid est* non parum pendet ex identitate, vel diversitate ipsarum ab essentia divina : propterea accedentes ad exponendum *quodquid est* earum, merito disputationem istam ad hoc ex professo discutiendum excitamus.

DUBIUM I.

DUBIUM I.

Utrum relationes divinæ distinguantur realiter ab essentia Dei, sicut res a re?

1. Distinctio realis solet dividi in eam, quæ est inter rem, et rem, seu inter entitatem, et entitatem, prout entitas distinguitur a modis vel formalitatibus; et in eam, quæ versatur inter modum, et rem, vel inter formalitatem, et formalitatem talis conditionis ut secluso intellectu distinguantur. Inter has autem distinctiones hoc est discrimen, quod illa prior est major, hæc vero posterior est minor. Et ita illa prior nullam admittit identitatem realem, secus vero hæc posterior : quippe quæ admittit identitatem realem, prout opponitur distinctioni reali rei a re, sive hæc identitas sit positiva, ut multi dicunt, sive negativa, idest, non distinctio rei a re, ut alii volunt. Unde primo loco inquirimus, an illa prior distinctio inter divinas relationes, et essentiam Dei reperiatur? inquisituri postmodum, an habeant inter se posteriorem distinctionem realem? ut ita paulatim a majori ad minorem distinctionem realem deveniendo, et utramque suo ordine quoad præsens excludendo, appareat maxima, et perfectissima identitas, quæ inter essentiam divinam, et relationes est.

§ I.

Catholica sententia testimoniis stabilitur.

2. [Conclusio.] Dicendum ergo est, divinas relationes non distingui realiter ab essentia Dei tanquam res a re. Ita D. Thomas in hoc art. et quæst. 8 de Potentia, art. 2 ac in 1 dist. 33 art. 1 et 4 contra Gent. cap. 14 Quodlibeto 6 articul. 1 et alibi sæpe : necnon omnes Theologi Scholastici contra [D. Thom.] Gilbertum, qui etiam, ut ex divo Thoma dicebamus, errorem suum in Concilio Rhemensi retractavit.

[Probatur ex scriptura.] Probatur primo ex illo Joannis 10 : *Ego et Pater unum sumus* : et 1 Joannis 5 : *Hi* [Joann. 10.] *tres unum sunt*, idest, una et eadem essen- [1. Joann. 5.] tia. Unde Nazianzenus oratione 39 : *In* [Nazian.] *sancta lumina* in medio, de Deo, et de tribus personis ita loquitur : *Unum enim in tribus divinitas est, et tria unum, ea inquam, in quibus divinitas est, vel ut magis proprie* [Damasc.] *dicam, quæ divinitas est*. Et Damascenus lib. 1 de fide, cap. 11 : *Secundum omnia unum sunt Pater, Filius, et Spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, et gignentiam, et processionem ; ratione autem, et intelligentia hoc distinctum*. Et Bernardus [Bernard.] lib. 5 de Consideratione ad Eugenium cap. 8, ubi sic habet : *Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam, et summam majestatem fides catholica confitetur*.

Quare propter hanc eamdem identificationem, qua relationes, sive personæ divinæ sunt unum in Deitate, concedunt Patres prædicationes, in quibus abstracta essentialia prædicantur de eisdem personis : quæ tamen non essent concedendæ, si prædicta identificatio deesset. Et ita Jacobus [Jacob. Ap.] Apostolus (ut testatur Clemens lib. 8 [Clemen. P.] Apostolicarum constitutionum cap. 12 prope initium) sic cum Deo Patre alloquitur : *Tu es cognitio sine principio, aspectus æternus, auditus non generatus, sapientia non tradita a Doctore, primus natura, et lex, eo ipso quod es*. Et deinde Verbum divinum appellat sapientiam. Cyrillus, et [Cyrillus.] Synodus Alexandriæ in epistola ad Nesto- [Synod. Alexand.] rium, quæ habetur tomo 1 actorum Concilii Ephesini cap. 14 ait : *Verum quia potentiæ, et sapientiæ Patris hoc est Filii, Spiritus est, hinc et ipse quoque reipsa potentia, et sapientia est*. Et Nazianzenus oratione 13 [Nazar.] quæ est 2 de Pace, Trinitatem, inquit, esse : *Vitas et vitam, lumina et lumen, bona et bonum, glorias et gloriam, veram et veritatem : ac spiritum veritatis, sancta, et sanctitatem ipsam*. Fulgentius relatus a [Fulgent.] Bernardo sermone 80 in Cantica inquiens, Deum, et tres personas esse unam veritatem, non solum quia illam habent, sed quia illa ipsa sunt, et a sua veritate non distinguuntur : quod etiam docent allii Patres.

Secundo probatur, et simul confirmatur 3. [Probatio secunda ex Concilio Rhemensi.]
præcedens probatio testimonio Concilii Rhemensis celebrato sub Eugenio III. et ipso præsente, ubi damnatus est error Gilberti, ut referunt Bernardus loco citato, [Bernard.] Paulus Æmilius lib. 5 de rebus gestis [Paul Æmilius.] Francorum in vita Ludovici Junioris, Genebrardus lib. 4 Chronographiæ circa an- [Genebr.] num Christi 1148, Alensis, et Richardus [Alensis.] loco in hoc eodem dubio infra num. 11. re- [Richard.] ferendo. Supplementum ad Chronicum Sigiberti anno Domini 1148 et Godefredus [Godofr.] lib. 3 de vita S Bernardi. Cumque error Gilberti fuerit, ponere distinctionem rei a re inter divinam essentiam, et relationes ;

consequens est, ut oppositum hujus fuerit in hoc Concilio diffinitum : ac proinde divinas relationes non distingui distinctione rei a re ab essentia.

4. Nec obest, acta hujus Concilii non circumferri tomis Conciliorum. Nam, licet in eis inveniatur Concilium ejusdem nominis, ut constat in tom. 3 in editione Surii, re tamen vera est distinctum ab isto, ut constat ex diversis temporibus, quibus celebrata sunt. Quia illud, ut ibidem dicitur, fuit celebratum sub Carolo Magno Imperatore anno Domini 813, hoc vero tempore Eugenii III pontificis, et Conradi III imperatoris circa annum Domini 1148, ut docent auctores relati.

Non itaque hoc obest. Nam satis est ad hoc consensus, et auctoritas tot, tamque gravium virorum, ad hoc ut tanta certitudine teneatur, fuisse prædictum Concilium celebratum, et ibidem damnatum prædictum errorem, ac si in tomis Conciliorum

D. Bern. contineretur. Maxime, cum D. Bernardus hoc ipsum testetur dicens, Eugenium III adfuisse illi Concilio, et approbasse damnationem sententiæ Gilberti, ut constat ex iis, quæ sermone 80 in Cantica sic docet : *Unde non immerito in Concilio, quod nuper Eugenius Rhemis celebravit, tam ipsi, quam cæteris episcopis perversa visa est, et omnino suspecta expositio illa in lib. Gilberti episcopi Pictaviensis.*

5. Vasquez. Adde, acta hujus Concilii haberi apud Vasquez in præsenti dis. 120 c. 2 ubi inquit, se illa decerpsisse ex codice quodam manuscripto misso ex Gallia ad Gregorium XIII a Jacobo Amioto episcopo Antisiodorensi, et eidem Vasquez tradito a Domino Antonio Aquinate viro, non solum illustri, sed etiam omnium virtutum, et litterarum genere ornatissimo. Verba autem prædicti Concilii sic se habent : *Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio, et Spiritu sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur. Et e converso, cum de uno, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse, tres personas confitemur.* Et in sequenti canone : *Credimus, et confitemur, solum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, et non sint Deus.*

6. Confirmatur. Conc. Later. Confirmatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III cap. 2 et refertur cap. *Damnamus, De summa Trinitate*, ubi damnatur sententia abbatis Joachim, asserentis, nullam rem, neque essentiam, neque substantiam, neque naturam dari, quæ sit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; sed tres personas esse unam essentiam, substantiam, vel naturam non unitate vera et propria, sed quasi collectiva, et similitudinaria, sicut dicuntur multi homines unus populus, vel una Ecclesia. Et contra eum sic in prædicto Concilio dicitur : *Nos autem, sacro Concilio approbante, credimus, et confitemur cum Petro, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem, et ideo in Deo Trinitas est solummodo; non quaternitas : quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina.*

Ubi duo expendenda sunt. Primum est, Concilium asserere, dari in divinis summam quamdam rem, et illam esse simul tres personas divinas, et sigillatim quamlibet earum, et e converso : quod quidem nequit verificari, nisi relationes, et essentia divina identificentur. Secundum est, quod statim definitur, non inferri ex eo, quod confiteamur summam illam rem, quæ est essentia divina, admittendam esse ibidem quaternitatem, scilicet, tres personas, et illam summam rem, et redditur pro ratione hujus identificatio illius summæ rei cum singulis personis : et ita ratione hujus identificationis non habet augeri numerus una cum personis. Constat autem, huic diffinitioni manifeste adversari distinctionem rei a re inter divinam essentiam, et personas. Tum, quia eo ipso admittitur quaternitas damnata expresse a Concilio, et consurgens ex personis, et essentia. Tum etiam, quia destruitur ratio tradita a Concilio in quaque adæquate innititur ad exponendum, cur non detur hæc quaternitas.

Nec obest evasio Durandi in 1 dist. 13 quæst. 2 num. 29 et dist. 33 quæst. 1 num. 36 nempe, definitionem Concilii solum esse intelligendam de quaternitate personarum ; non vero de quaternitate coalescente ex tribus personis præcise, et ex essentia. 7. Effugium Durandi.

Non igitur hoc obest. Tum, quia Concilium in prioribus verbis definit, dari in divinis summam quamdam rem, scilicet essentiam Dei, quæ simul est Pater, et Præcl[uditur]

Filius

Filius, et Spiritus Sanctus, et singulatim quælibet ex his personis; et e converso quælibet persona est illa quædam summa res : ergo negat quaternitatem ex essentia, et relationibus personalibus coalescentem. Tum etiam, quia ex eo, quod summa illa res sit omnes, et singulæ personæ, colligit, non dari in divinis quaternitatem, sed trinitatem : ex eo quod hæc summa res, quia est idem quod tres personæ, non auget earum numerum : ergo mens Concilii est negare quaternitatem ex prædicta essentia, et personis. Tum denique, quia Concilium intendebat damnare errorem abbatis Joachim : hic autem non introducebat quaternitatem ex personis quatuor consurgentem; sed quaternitatem ex essentia, et tribus personis.

§ II.

Ratio D. Thomæ pro sententia catholica.

8. Ratio D. Thomæ pro assertione.

Tandem hæc eadem veritas probatur ratione desumpta ex D. Thoma in hoc articulo in argumento *sed contra*, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam, si relationes divinæ sunt realiter distinctæ sicut res a re ab essentia Dei, non erunt realiter ipsa essentia divina, sed erunt creaturæ : ergo non sunt adorandæ adoratione latriæ : contra id, quod in præfatione Missæ Trinitatis canitur, scilicet, ut *In personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas*. Consequentia est perspicua : quia, ut communiter tradunt Theologi, creatura ut talis non est adoranda adoratione latriæ. Antecedens autem probatur. Nam id, quod distinguitur realiter sicut res a re ab aliquo, non potest esse idem realiter cum illo : alioqui simul esset identificatum, et distinctum ab eo sicut res a re, quod implicat : ergo, si relationes divinæ sic distinguuntur ab essentia, non erunt realiter ipsa essentia, sed creaturæ : quippe cum ens reale adæquate dividatur in creatum, et in increatum : et ita, quod non fuerit increatum, et essentia divina, erit creatura.

Confirmatur.

Confirmatur. Nam vel prædictæ relationes distinctæ realiter sicut res a re ab essentia divina sunt ens a se, id est, non ab alio tanquam a causa; vel non? Si primum : ergo quatenus sic distinctæ tam ab essentia, quam inter se, erunt Deus : et per consequens dabuntur tres Dii. Si secundum : ergo erunt creaturæ : siquidem, quod non est ens a se, sed ab alio ut a causa efficiente, est quid creatum : et per consequens, ut optime inferebat D. Thomas, non erunt adorandæ adoratione latriæ. Imo hinc plura alia sequerentur inconvenientia, nimirum, personas divinas constitui per aliquid creatum, et creaturas aliquas esse ab æterno.

Nec refert, si occurras, non sequi ex hoc, quod relationes divinæ non sint realiter ipsa essentia Dei, debere esse creaturas : quia datur medium inter hæc duo, nempe, esse personalitates Dei. Sicut etiam non bene infertur ex eo, quod sint ens a se, id est, non ab alio tanquam a causa, et simul distinguantur realiter ab essentia divina, dandos esse tres Deos : quia etiam personalitates divinæ, adhuc distinctæ realiter ab ipsa essentia, debent non esse ab alio tanquam a causa, ex eo quod sunt proprietates essentiæ, quæ non est ab alio : sicut proprietates personales in creaturis, adhuc distinctæ realiter ab earum essentiis procedentibus ab alio tanquam a causa, debent etiam habere veram causam sui. 9. Evasio.

Non itaque hoc refert. Quoniam hoc ipso, quod relationes personales distinguantur realiter ab essentia Dei, non possunt esse ens a se, id est, non ab alio tanquam a causa : ergo eo ipso erunt quid creatum. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Quia hoc ipso, quod Paternitas, v. g. distinguatur realiter ab essentia divina, non potest non realiter procedere ab illa : alioqui esset ita æque primo ens a se, sicut divina essentia, quæ nulla ratione fluit ab alio : quod tamen est contra rationem personalitatis realiter distinctæ ab essentia, cujus est personalitas : ergo prædicta Paternitas producetur a divina essentia ex nihilo : ac proinde per veram causalitatem. Patet hæc consequentia. Quoniam non posset produci ex aliquo creato, ut constat : neque ex ipsa divina essentia, quia tunc prædicta essentia haberet se per modum materiæ respectu illius : siquidem, quod fit ex aliquo tanquam ex realiter distincto, et non destructo per illam productionem, fit ex illo tanquam ex materia. Impugnatur.

Confirmatur. Nam prædictæ relationes, ut distinctæ realiter ab essentia, non possunt esse accidentia, ut constat, neque substantiæ realiter completæ : alioqui ultra hoc, quod essent personalitates Dei, haberent propriam naturam et essentiam : 10. Confirmatur.

cumque hæc non posset esse creata, esset utique essentia et natura divina : et per consequens darentur tres Dii. Unde solum restat, quod sint substantiæ incompletæ, ac proinde imperfectionibus involutæ, et creaturæ. Ex quo etiam rursus sequeretur, divinam essentiam esse, et non esse increatam. Esse quidem, ut supponitur : non esse autem, quia essentia, quæ terminatur personalitatibus realiter incompletis, et involutis cum imperfectionibus, non est essentia divina, sed creata.

§ III.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et solutionibus ad illa.

11. Opposita sententia. Gilbertus Porretanus. Oppositam tamen sententiam, nempe, relationes divinas distingui sicut res a re ab essentia Dei, tenuit Gilbertus Porretanus episcopus Pictaviensis, cui tribuitur libellus *Sex principiorum,* qui circumfertur in Logica Aristotelis : quamvis Vasquez (Vasquez.) in præsenti disputat. 120 cap. 1 numer. 6 dicat, Gilbertum solum asseruisse, essentiam, et relationes divinas distingui secluso intellectu; minori tamen distinctione, qaam sit illa, quæ est inter rem, et rem, quæque simul admittit identitatem realem duarum formalitatum in una et eadem entitate. Cæterum melius Suarez (Suarez.) lib. 4 de Trinit. cap. 2, Granado (Granado.) tomo 3 in 1 part. tractatu 3 disput. 3 sect. 1 inquiunt, Gilbertum constituisse inter essentiam divinam, et relationes distinctionem realem rei a re, idque probant ex confessione, seu verbis Gilberti, quæ Vazquez refert cap. 2 ex actis Concilii Rhemensis : *Tres personæ* (inquit) *sunt tres res æternæ, et adinvicem a divina substantia numero differentes.* Quæ locutio realem distinctionem rei a re satis innuit. Idque adhuc magis colligitur ex D. Thoma (D Thom.) in hoc art ubi referens sententiam Gilberti inquit : *Dicendum, quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmodum in Rhemensi Concilio revocasse. Dixit enim, quod relationes in divinis sunt assistentes, sive extrinsecus affixæ.* Quo etiam modo Gilberti sententiam referunt Alensis (Alensis.) 1 part. quæst. 68 membro 5 art. 6 § *Sexto quæritur*, Henricus (Henricus.) Quodlibeto 5 quæst. 7, Bonaventura (Bonav.) in 1 distinct. 33 quæst. 1, Richardus (Richard.) artic. 1 quæst. 2, et alii Scholastici. Si autem Gilbertus sentiret, relationes identificari aliquo genere identificationis realis cum essentia, non posset asserere, illas esse tantum assistentes, et extrinsecus affixas; sed esse Deo intrinsecas : siquidem id, quod identificatur cum aliquo, est magis intrinsecum illi, quam si eidem intrinsece inhæreret absque tali identificatione.

Unde Bernardus sermone 80 in Cantica loquens de errore Gilberti inquit, eum asseruisse, propositiones, in quibus formæ in abstracto prædicantur de Deo, non esse concedendas, si tales formæ ponantur in nominandi casu; sed solum, si in auferendi casu positæ fuerint, aut si, cum ponuntur in casu nominandi, ponantur simul per sua concreta : ita ut concederet has propositiones, *Deus Deitate est Deus,* aut *bonitate bonus*; et negaret has, *Deus est Deitas,* vel *Deus est bonitas,* nisi in iis abstracta statim explicentur per sua concreta hoc modo, *Deus est Deitas,* hoc est, *Deus*, vel *bonitas,* hoc est, *bonus.* Et eadem ratione concedebat, aut negabat similes propositiones, in quibus relationes personales in abstracto prædicantur de Deo. Si autem assereret, relationes distingui solum ab essentia per distinctionem secluso intellectu, quæ sit minor distinctione rei a re, et admitteret aliquam identitatem realem cum eadem essentia, non negaret absolute has propositiones, in quibus abstracta prædicantur de concretis, siquidem in sensu identico essent veræ. Et hanc esse mentem Gilberti, significavit clarius idem Bernardus in eodem sermone. Nam, postquam retulit Gilberti errorem, ita inquit : *Absit, ut assentiatur catholica Ecclesia, esse scilicet substantiam, vel aliquam omnino rem, qua Deus sit, et quæ non sit Deus* : quod tamen non asseruisset Bernardus impugnando errorem Gilberti, si Gilbertus dixisset, relationes solum distingui ab essentia minori distincione, quam sit distinctio realis. 12. Bernard. Idem Bernard

Potestque hoc ipsum magis constare ex testimonio Othonis lib. de gestis Frederici cap. 55 et 56 ubi dicit, Gilbertum asseruisse, inter essentiam, et personam, seu relationem divinam non solum consideratione mathematica, sed consideratione etiam theologica rationem nostram constituere discrimen. Nam, etsi Vasquez utatur hoc testimonio ab probandum, Gilbertum non posuisse distinctionem realem rei a re in divinis : ex eo quod duplex iste modus distinctionis non potest commode explicari, nisi per priorem distinctionem denotetur distinctio secundum nostram considerationem, et per posteriorem distinctio 13. Othon.

tinctio ex natura rei, quæ non sit inter rem, et rem : cæterum melius testimonium hoc explicabitur, si dicatur, quod, cum consideratio mathematica, sit qua consideratur quantitas sine substantia Physica, in qua est, ideo per distinctionem secundum considerationem mathematicam optime poterit intelligi ea, quæ non est actu a parte rei : et per distinctionem secundum considerationem theologicam ea, ad quam ponendam firma ratio theologica convincit. At Gilbertus putabat (quamvis falso), rationem, quam ipse pro se adducebat, quamque statim tangemus, nempe, ne ea, quæ conceduntur de personis, debeant concedi de essentia, probare realem distinctionem rei a re inter essentiam, et easdem personas, seu relationes : sicut Scotus (ut infra dicemus) putavit, convincere distinctionem ex natura rei inter illa. Et propterea idem Gilbertus, ut magis hoc exprimeret, asserebat, relationes non esse intrinsecas Deo; sed assistentes, et extrinsece affixas.

Explicuimus autem ultra morem, et latius confirmavimus, quæ sit sententia Gilberti quoad hoc. Tum, quia ex hoc pendet id, quod in hoc eodem dubio num. 3 tetigimus, nempe, an tenendum sit tanquam de fide, relationes divinas non distingui ullo genere distinctionis realis ab essentia? an vero solum sit de fide, eas non distingui per modum rei a re ab illa, ex eo quod sententia Gilberti damnata est ut contraria fidei in Conciliis jam citatis? Tum etiam, quia ex ea etiam pendet, an D. Thomas recte sententiam Gilberti retulerit? quod tamen Vasquez negat.

14. Fundamentum triplex. Fundamentum Gilberti potest esse triplex. Primum. Quod de essentia divina realiter dicuntur aliqua, quæ nequeunt dici de relationibus; et e converso : ergo essentia, et relationes distinguuntur realiter : ergo sicut res a re. Antecedens probatur. Nam de essentia nequit dici, quod realiter generet, aut generetur; quod tamen concedi debet de personis, ac proinde de relationibus, quæ sunt ipsæ personæ. Prima vero consequentia videtur ex antecedenti recte inferri. Quoniam, si non distinguerentur realiter, sed essent realiter idem, quod realiter diceretur de relationibus, diceretur etiam de essentia; et e converso. Secunda vero consequentia ex priori videtur sequi. Nam relatio ratione suæ perfectionis est res in divinis, et similiter etiam ipsa essentia : ergo, si distinguuntur realiter, distinguentur sicut res a re.

Secundum. Secundum. Quoniam relationes secundum quod tales non habent esse *in*; sed esse *ad* : et propterea diffiniuntur per hoc, quod *totum suum esse est ad aliud* : ergo non sunt intrinsece affixa; sed extrinsece assistentes : et per consequens, hoc ipso quod sint res quædam, quales sunt divinæ relationes, debent distingui realiter ab eo, cui extrinsece affixæ sunt, nempe ab essentia divina.

Tertium. Tertium. Quoniam (ut constat ex principio illo, in quo omnis ars syllogistica nititur) *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* : ergo, si divinæ relationes sunt idem aliquo identitatis realis genere cum essentia Dei, eodem modo erunt idem realiter inter se : ergo, cum hoc ultimum dici nequeat; siquidem relationes prædictæ sunt distinctæ inter se sicut res a re absque aliquo identificationis genere, erunt etiam eodem modo realiter distinctæ ab essentia.

Solvuntur omnia fundamenta. Ad primum pro hac sententia Gilberti patebit dubio sequenti. Ad secundum constat ex dictis dubio præcedenti. Ad ultimum constabit ex iis, quæ articulo sequenti fusius cum D. Thoma dicemus explicantes axioma illud : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

DUBIUM II.

Utrum relationes divinæ distinguantur ab essentia Dei ex natura rei, seu actu, et secluso intellectu, minori tamen distinctione, quam sit illa, quæ est inter rem, et rem?

Alii aliis verbis dubium hoc excitant, nimirum, an inter essentiam, et relationes divinas sit aliqua actualis distinctio, quæ sit major distinctione rationis, seu per intellectum? Sed uterque inquirendi modus in idem coïncidit, ut intuenti constabit : nec necesse erit duplicem illum modum distinctionis actualis, et secluso intellectu, quem in titulo innuimus, explicare : quoniam id sufficienter constat ex iis, quæ præcedenti dubio num. 1 adduximus. Solum autem advertimus, hanc distinctionem secluso intellectu, quæ sit minor distinctione rei a re, appellari ab aliquibus distinctionem ex natura rei : quia, cum omnis distinctio actualis, quæ secluso intellectu datur, sit distinctio ex natura rei, id est, ex natura eorum, inter quæ reperitur, orta, et hæc distinctio minor distinctione rei a

re non sit ita perfecta sicut distinctio rei a re, ideo nomen distinctionis actualis secluso intellectu in sua generalitate sumptæ applicatum fuit huic distinctioni minori, et non ita perfectæ : ut in simili solet in aliis contingere, in quibus nomen generis attribuitur speciei imperfectiori, ut patet in anima vegetativa, ut est communis ad animam tantummodo vegetativam, et ad sensitivam, ac intellectivam. Nam duabus istis non applicatur nomen generis ad eas peculiariter denotandas, sed suis specialibus nominibus insigniuntur : at vero illa prior, quæ est imperfectior, nomine animæ vegetativæ absolute sumptæ solet nuncupari.

§ I.

Juxta mentem Angelici Doctoris, et aliorum Patrum dubii nodus dissolvitur.

15. Conclusio et primum fundamentum ex Concilio Florentino. Dicendum ergo est, essentiam divinam, et relationes non distingui actu, et secluso intellectu, etiam si talis distinctio sit minor distinctione rei a re; sed solum differre secundum rationem, sive distinctione virtuali. Ita Patres Concilii Florentini sessione 18 parum post medium in disputatione inter Joannem et Marcum, ubi Joannes ex Ecclesia Latina sic ait : *Divina substantia et persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Et Marcus in Ecclesia Græca dicit, Græcos in hoc ab eo non dissentire. Et sessione 19 prope medium Andreas nitens in concordiam reducere ea, quæ prædicti Joannes et Marcus disputantes aiebant, sic loquitur : *In communi, tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum Theologia multum differt, simpliciter proferre divinam substantiam; vel Patris, Filiique substantiam : haud quaquam tamen eo putare debetis, ut re differant : quandoquidem sola ratione, ac intelligentia differre creduntur.* Et tandem sessione ultima, § *Quoniam Latini,* sic dicitur : *Porro autem, ne identitatem, conjunctionemque divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eamdem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, et personis differre credere videamur, etc.*

16. Effugium Scotistarum impugnatur. Nec obest id, quod aliqui ex recentioribus Scotistis aiunt, nempe, illam particulam *sola ratione*, accipi pro ratione formali; non vero pro mentis consideratione. Non igitur hoc obest, tum, quia in omnibus præcedentibus verbis apponitur expresse aliquid, quo denotetur actus intellectus. Tum etiam, quia licet in Latina translatione sit illud complexum solummodo, nempe *sola ratione*, nihilominus in Græco post prædictum complexum additur aliud verbum denotans considerationem mentis.

17. Bernard. Anselm. Dionys. Damasc. D.Thom. Idem etiam docuerunt Bernardus sermone 80 in Cantica, et lib. 5 de Consideratione cap. 7, Anselmus lib. de Incarnatione c. 1 et 3, Dionysius de Divinis nominibus cap. 2, Damascenus lib. 1 de fide cap. 11, D. Thomas in hoc art. et de Potentia quæst. 8 artic. 2 et Quodlibeto 6 art. 1 his verbis : *Proprietas personalis non distinguitur realiter ab essentia ; differt tamen secundum modum intelligendi, et significandi. Nam essentia dicitur absolute; proprietas vero personalis importat relationem. Unde patet, quod unitas personæ non ponit in numerum cum unitate essentiæ, quasi realiter ab ea differens, sed solum secundum modum intelligendi.* Et in 1 dist. 2 quæst. 1 art. 5 ubi sic loquitur : *Proprietas personalis, scilicet relatio distinguens, est idem re, quod divina essentia, differens ratione.* Et dist. 33 quæst. 1 art. 1 ac tandem in hoc art. his verbis : *Relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur nomine essentiæ.* Et alibi sæpe.

Capreol. Ferrar. Cajetan. Bannez. Zumel. Ripa. Nazar. Vasquez. Molin. Arrubal. Suarez. Valent. Granado. Carthus. Henricus. Alexan. Bonav. Ruiz. Unde hanc sententiam tuentur Capreolus in 1 dist. 33 quæst. 1 art. 1, Ferrara 4 contra Gent. c. 14, Cajetanus, Bannez, Zumel, Ripa, Nazarius, Vasquez, Molina, Arrubal in præsenti, Suarez lib. 4 de Trinitate c. 4, Valentia ad hunc art. q. 2 puncto 3, Granado tomo 3 in 1 part. tractatu 3 disp. 3 sect. 2 referens Carthusianum, Henricum, Alexandrum, et Bonaventuram. Idem etiam tenent Ruiz in præsenti disp. 11 per varias sectiones referens Magistrum, Albertum, Ægidium, Argentinam, Richardum, Gregorium, Aureolum, Majorem, Almaynum, Adamum, et Marsilium.

§ II.

Sententia Angelici Doctoris, et aliorum Patrum ratione fundamentali fulcitur.

18. Probatur assertio quoad secundam partem. Assertio hæc quoad secundam partem, nempe, relationes, et essentiam divinam distingui inter se ratione, non solum ratiocinante,

nante, sed etiam ratiocinata, fere non indiget probatione : eam autem probat D. Thomas in præsenti ex eo, quod relatio importat respectum ad suum oppositum; qui tamen non importatur in nomine essentiæ.

D.Thom.

Confirmatur.

Confirmatur. Nam ea distinguuntur in Deo cum fundamento in re, sive virtualiter, et ratione ratiocinata, quæ æquivalent in nobis pluribus rebus realiter distinctis, et ad diversas lineas spectantibus : sed essentia divina, et relatio æquivalent essentiæ, et relationi creatæ pertinentibus ad distinctas lineas, diversaque realiter genera : ergo distinguentur in Deo cum fundamento in re, sive virtualiter.

19. Ratio fundamentalis pro prima parte assertionis. D.Thom.

Prima vero assertionis pars, scilicet essentiam divinam, et relationes non distingui actu, et formaliter secluso intellectu, sed solum fundamentaliter, sive virtualiter, probatur primo ratione D. Thomæ in hoc art. et q. 8 de Potentia art. 2 quæ potest sub hac forma proponi. Nam relatio in nobis est accidens inhærens subjecto : ergo translata ad Deum erit substantia divina : ergo non distinguetur actu, et secluso intellectu a divina essentia. Antecedens non indiget probatione. Prima vero consequentia etiam constat. Quoniam, quidquid in creaturis est accidens, si transferatur ad Deum, debet esse substantia divina, eo quod accidens nequit esse in Deo. Secunda vero consequentia ex hac priori patet. Quoniam, quidquid est substantia divina, debet esse absque distinctione actuali ipsamet essentia Dei.

20. Evasio.

Neque obest id. quod ex doctrina Scoti, et Durandi poterat responderi, nimirum, non omne, quod est substantia divina, esse ipsam essentiam Dei absque aliqua distinctione actuali, et secluso intellectu, quæ sit minor distinctione rei a re. Quia in Deo reperiuntur plures rationes substantiales ex natura rei diversæ : et ita Paternitas potest esse relatio substantialis, et personalitas Patris : licet ex natura rei sit distincta ab essentia.

Præcluditur primo.

Nam contra hanc solutionem obstat primo, quod in creaturis relatio, secundum quod est accidens, seu secundum quod habet præcise inesse subjecto ut tali, dicit *in* absolutum; quamvis secundum quod est relatio, seu secundum ultimam, et expressam ejus rationem, per quam constituit prædicamentum reale relationis, dicat *ad* reale, seu *in* respectivum realiter ad suum terminum : ita tamen, ut hæ duæ rationes sola consideratione nostra actualiter distinguantur : ergo relatio divina, ut correspondet relationi creatæ secundum priorem rationem, dicet esse per se absolutum sola ratione distinctum ab ipsa, et secundum quod correspondet relationi creatæ secundum posteriorem considerationem, dicet *ad*, seu esse per se relativum constitutivum ipsius secundum propriam, et ultimam ejus rationem : ergo non distinguetur secluso intellectu ab essentia : siquidem hæc est idem omnino absque aliqua distinctione actuali ex natura rei, ac esse per se absolutum, quod relatio dicit, quatenus correspondet relationi creatæ, secundum quod dicit prædictum *in* absolutum. Utraque consequentia ex antecedenti aperte videtur sequi.

Antecedens vero probatur. Nam relatio creata habet hæc duo. Primum est, respicere subjectum ut trahibile ad terminum, et secundum hanc rationem dicit *in* relativum. Secundum vero est, pendere a subjecto tanquam a sustentante, non minus quam reliqua accidentia, seu respicere subjectum formaliter, ut subjectum cui inest. et secundum istam rationem dicit *in* absolutum. Nam sicut subjectum eodem modo, quantum est ex parte sui, sustentat eam, et cætera accidentia : ita ipsa, quatenus est accidens respiciens subjectum ut tale, habet eodem modo inhærere subjecto, ac reliqua accidentia, ac proinde dicere *in* absolutum, sicut illa. Ac tandem hæ duæ rationes nequeunt actu distingui secluso intellectu; sed solum consideratione nostra : ex eo quod *in* relativum debet includere, rationem prædictam accidentis non minus quam *in* proprium prædicamenti quantitatis : et ita debet se ipso absque distinctione actuali secluso intellectu pendere a subjecto ut tali non minus, quam quantitas; ut est accidens, ab eo pendet.

Potestque hæc probatio, atque adeo hoc duplex *in* repertum in relatione creata duplici via explicari. Prima est. Nam subjectum relationis creatæ potest considerari dupliciter : primo quidem, ut est subjectum, et causa materialis respectu illius : secundo vero ut habet rationem medii, aut quasi medii, per quod relatio tendit ad terminum : quia relatio est ordo unius ad alterum, et ita respicit unum, nempe subjectum, ut medium, aut quasi medium ordinabile ad alterum, nimirum ad terminum, seu respicit subjectum non sistendo ibi, sed trahendo illud ad terminum. Quare, 21. Explicatur amplius prædicta impugnatio.

etsi relatio, ut respicit subjectum, et inest ei tanquam medio, dicat *in* relativum, quia hoc *in* convenit ei per ordinem ad terminum : attamen, ut respicit subjectum, quatenus causam materialem sui, et sic ei inest, dicit *in* absolutum : quia habitudo effectus materialis ut talis ad causam materialem, quatenus talem sistit in ipsa causa : alioqui secundum hanc inadæquatam rationem non respiceret illud formalissime ut causam materialem ; sed ut medium ordinabile ad terminum. Constat autem, respectum, et *in* sistens in subjecto secundum aliquam sui rationem, et secundum illam sub aliqua præcisione consideratam non transeuntem ad terminum esse respectum, et *in* absolutum.

22. Secunda via, per quam prædicta probatio, et duplex istud *in* repertum in relatione creata potest explicari, petitur ex discrimine, quod intercedit inter fundamentum, seu rationem fundandi relationem creatam, et inter subjectum ipsius ut talia. Nam fundamentum initiative, et radicaliter specificat relationem realem una cum termino formaliter ad id concurrente. Et ita non concurrit ad illam, nisi per ordinem (ut sic dicamus) initiativum ad eumdem terminum, et modo dubio 2 disput. præcedentis n. 35 explicato : ac proinde relatio, ut respiciens fundamentum ut tale, non sistit in illo; sed transit ad terminum, ideoque secundum hanc considerationem dicit *in* relativum. Cæterum subjectum quatenus tale non concurrit ad specificationem relationis secundum esse *ad* illius : et sic ejus influxus non est per ordinem ad terminum. Quia sicut terminus solum influit, aut quasi influit secundum id, quod habet de suo, ad specificationem relationis : ita ea solum, quæ influunt una cum ipso in ordine ad eamdem specificationem, habent influere per ordinem ad eum em terminum, in ordine ad quem talis specificatio formaliter sumitur. Unde, sicut subjectum, ut habet rationem causæ materialis sustentantis relationem, concurrit, quantum est ex parte sui, per se, et ratione suæ entitatis; non vero ex eo quod dicat ordinem ad terminum, siquidem hic influxus causæ materialis sustentantis convenit illi ex eo, quod est in se, et per se subsistens : ita habitudo illa, qua relatio respicit subjectum ut causam materialem, si formalissime consideretur, non transit ex propriis meritis ad terminum; sed sistit in eodem subjecto : et per consequens relatio secundum hoc munus inadæquatum, secundum quod respicit subjectum ut id, cui inest tanquam subjecto, dicet *in* absolutum aliquomodo distinctum ab illo priori *in* relativo.

Quare, propter hanc rationem D. Thomas in hoc art. loquendo de relationibus creatis asseruit, quod ipsis, ut dicunt *ad* reale, atque adeo *in* relativum, correspondet in divinis ipsum *ad* divinarum relationum : ac proinde esse per se relativum earumdem : at vero eisdem, prout sunt accidentia dicentia esse in subjecto ut tali, correspondet in divinis relationibus ratio substantiæ et essentiæ divinæ, quæ est quid absolutum : et inde colligit, eas esse ipsam essentiam divinam. Si autem hoc *in* relationum creaturarum non esset quid absolutum, non corresponderet ei in divinis ratio absoluta, sed ratio relativa, ut ex se constare videtur. Unde in hoc consistit vis rationis D. Thomæ in hoc art. adductæ ad probandam identitatem relationis, et essentiæ divinæ excludentem omnem distinctionem actualem ex natura rei. D. Thom.

23. Impugnatur secundo. Deinde contra eamdem solutionem obstat. Nam, sicut rationes repertæ in creaturis, quæ in ipsis sunt accidentia, habent translatæ ad Deum esse quid substantiale : ita etiam debent eo ipso habere, quod sint idem cum essentia divina absque distinctione actuali secluso intellectu. Et ratio est aperta. Quia, sicut rationes istæ translatæ ad Deum debent ob eminentiam, secundum quam ibi sunt, excludere imperfectionem accidentium : ita, tam ipsæ, quam divina essentia debent etiam excludere compositionem ex genere, et differentia, per quam determinentur, et limitentur ad hoc, ut se ipsis formaliter absque additione reali actuali nequeant habere omnem excogitabilem infinitatem in genere entis : siquidem hæc compositio ex genere, et differentia intrinsece involvit imperfectionem, ut nostri Complut. in lib. Physic. disp. 18 n. 17 et sequentibus optime expendunt : ergo debent ita esse substantia, ut sint ipsa substantia et essentia divina absque distinctione, et additione aliqua actuali, et secluso intellectu : ergo ex eo, quod relationes translatæ ad Deum sunt substantia, optime intulit D. Thomas esse ipsam substantiam, et essentiam divinam, ita ut sola ratione ab ea distinguantur. N. Compl.

Hæc secunda consequentia ex priori aperte constat, prior vero ex antecedenti. Quoniam, quod aliquid sit se ipso formaliter determinatum ad hoc, ut sine additione aliqua

aliqua reali actuali non possit habere perfectiones, sive rationes aliorum generum, provenit ex eo, quod se ipso formaliter sit determinatum ad speciale genus, aut rationem entis, et hæc determinatio provenit ex compositione ex genere, et differentia. Et propterea substantia creata nequit se ipsa formaliter absque additione actuali ex natura rei esse ipsa ubicatio, per quam est in loco, neque ipse situs, per quem situatur : sed ista debent ab ea ex natura rei distingui : ex eo quod tam ipsa substantia, quam modi isti constant ex genere, et differentia, per quæ limitantur, et coarctantur ad speciales rationes suas, ut optime probant N. Complut. in sua Logica, disp. 14 n. 48 et sequentibus. Ergo, cum relatio divina, necnon et ipsa essentia Dei sint talis conditionis, ut hoc ipso, quod propter sui summam eminentiam depurentur a ratione accidentium, debeant etiam depurari a ratione compositionis ex genere, et differentia, oportebit, ut ita sint substantia, quod absque aliqua distinctione, aut additione actuali ex natura rei una sit alia, dicatque omnem rationem alterius : alioqui essentia illa clauderetur terminis propriis essentiæ, scilicet, genere, et differentia.

N. Compl.

21. D. Thom. Quam probationem eleganter adduxit D. Thomas q. 8 de Potentia art. 2 ad 1 · ubi cum sibi sic objecisset : *Nulla substantia est relatio : hæc est quædam propositio immediata : sicut et hæc, nulla substantia est quantitas. Ergo nec divina substantia est relatio.* Respondet : *Dicendum, quod nulla substantia, quæ est in genere, potest esse relatio : quia est definita ad unum genus : et per consequens excluditur ab alio genere. Sed essentia divina non est in genere substantiæ, sed est supra omne genus, comprehendens in se omnium generum perfectiones. Unde nihil prohibet, id quod est relationis, in ea inveniri.* Ubi, ut vides, ex eo secundum sanctum Doctorem essentia divina potest esse ipsa relatio absque distinctione actuali secluso intellectu ; quia non est in genere, seu in prædicamento substantiæ : ac proinde non constat ex genere, et differentia, per quæ res substantiales habent in prædicamento prædicto collocari.

22. [illegible] Tandem contra prædictam solutionem obstat, quod hoc ipso, quod relatio, v. g. Paternitatis, translata ad Deum sit substantia, habet esse per se subsistens, et esse ipsam personalitatem Patris, ut quæst. 40 dicetur, et communiter concedant Theologi : ergo eo ipso ita erit substantia et essentia Dei, ut non distinguantur actu ab illa. Patet consequentia. Quia in divinis id, quod est, et id, quo aliquid est, non possunt secluso intellectu distingui : sicut habens, et id, quod habetur, nequeunt secluso intellectu esse distincta.

Confirmatur primo. Quoniam, sicut essentia divina et infinita in ratione entitatis, ita etiam in ratione realitatis, seu formalitatis : ergo sicut, quia est infinita in ratione entitatis, identificat sibi omnia divina, et non est ibidem multiplex entitas distincta actu, et secluso intellectu ab illa : sic quia est infinita in ratione realitatis, sive formalitatis, identificabit sibi formaliter omnia per identificationem adeo perfectam, ut non sit ibi aliqua formalitas actu, et secluso intellectu ab essentia divina distincta. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam, sicut relatio ob eminentiam, secundum quam debet reperiri in Deo, petit denudari a ratione accidentis : ita, quod denudetur a finitate et limitatione : nam ex eo quod petit infinitatem intra propriam lineam, petit etiam, quod denudetur a ratione accidentis exigentis finitatem et limitationem : ergo, si semel translata ad Deum debet esse substantia, et personalitas Dei, oportet, ut sit ipsa substantia et natura divina absque distinctione aliqua actuali, et secluso intellectu. Patet consequentia. Quia alioqui limitaret naturam divinam, et limitaretur ab ea. Nam id, quo aliquid est, et id, quod est; seu id, quod habet aliquam naturam per modum suppositi, et natura ipsa habita, et secluso intellectu distincta, habent se ad invicem limitare : ex eo quod eo modo, quo secluso intellectu distinguuntur, habent comparari per modum recipientis, ac recepti secluso intellectu : et recipiens distinctum actu, et ex natura rei a recepto limitat et coarctat illud ; et e converso. Et propterea materia limitat formam, et forma materiam : necnon subsistentia creata, quæ, juxta valde probabilem opinionem, tantum est modus quidam ex natura rei distinctus ab essentia, limitat eam, vicissimque ab essentia limitatur : ex eo quod unum quodque limitatur a suo opposito : et recipiens, ac receptum secluso intellectu distincta comparantur inter se per modum actus, et potentiæ : quæ quidem in suis rationibus formalibus opponuntur. Quæ probatio desumitur ex D. Confirmatur secundo.

D Thom. Thoma in 1 dist. 33 q. 1 art. 1 et infra q. 40 art. 1.

§ III.

Eadem sententia D. Thomæ alia ratione stabilitur.

26. Alia fundamentalis ratio pro assertione. Deinde eadem assertio alia ratione quoad eamdem primam ejus partem, nempe, quoad identitatem realem inter essentiam, et relationes absque distinctione aliqua actuali, et secluso intellectu, sic suadetur. Quoniam persona divina constans ex relatione, et essentia Dei est simplicissima : ergo essentia, et relatio non distinguuntur actu, et secluso intellectu. Antecedens est certum, ut ostenditur supra q. 3 et communiter recipitur a Theologis. Consequentia vero probatur. Quoniam, si constaret ex essentia, et relationibus tanquam ex aliquibus secluso intellectu actu distinctis, non esset simplicissima (nam, quod est simplicissimum, non constat ex pluribus actu, et secluso intellectu distinctis) ; sed esset quid compositum : quandoquidem, quod ex prædictis sic distinctis coalescit, debet esse necessario quid compositum ex illis : ex eo quod compositio nihil est aliud, quam distinctorum unio.

27. Conc. Lat. Quam rationem tetigit Concilium Lateranense sub Innocentio III cap. 2, ubi ita dicitur : *Cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino, etc.* Per substantiam autem Patris non intelligit Concilium solam substantiam, seu essentiam divinam, sed essentiam cum relatione, ut mente ex omnium Doctorum Græcorum et Latinorum in Concilio Florentino admissum est. Eamdem etiam rationem D.Thom. adduxit, et illustravit D. Thomas loco nuper citato ex 1 Sententiarum, et Quodlibeto 6 art. 1 his verbis : *Proprietas personalis non distinguitur realiter ab essentia : alioqui sequeretur, quod in Deo esset compositio, et quod aliquid adveniret ei per modum accidentis.* Et q. 8 de Potentia artic. 2 in hæc verba : *Dicendum, quod supposito, quod relationes in divinis sint, de necessitate oportet dicere, quod sint essentia divina : alias oporteret ponere compositionem in Deo, et quod relationes in divinis essent accidentia : quia, omnis res inhærens alicui præter suam substantiam est accidens.*

Athanas. Eadem similiter ratione usus est Athanasius in epistola pro Synodo Nicæna, cui titulus est : *Quod Nicæna Synodus animadversa, etc.*, ubi sic ait : *Si ergo simplex est Deus, ut revera est, certum est, quam dicimus Deum, et nominamus Patrem, nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsius substantiam significare.* Cyrillus Alexandrinus lib. 3 Thesauri c. 4 et lib. 6 c. 3 prope finem, Justinus quæst. 144 ad Orthodoxos, Anselmus lib. 3 de Incarn. c. 3 circa finem, Damascenus lib. 1 fidei c. 12 in principio : *Deus simplex est, atque ab omni compositione alienus.* Quod autem ex multis, et differentibus coalescit, compositum est. Bernardus sermone 80 in Cantica, ut statim dicemus, Hilarius lib. 8 de Trinitate paulo post medium, ubi inquit : *Non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit, quod habetur ab eo, et aliud sit ipse, qui habeat : sed totum, quod est, vita est.* Et alii plures ex Patribus. Cyrillus Alexand. Justinus. Anselm. Damasc. Bernard. Hilarius.

Occurrit primo Durandus, distinctionem ex natura rei inter essentiam divinam, et relationes non tollere ejus summam simplicitatem, neque inferre compositionem : ex eo quod modus non facit compositionem cum essentia, et relatio est modus essentiæ. Et propterea, licet in divinis dentur plures relationes realiter distinctæ ; non tamen idcirco tollitur simplicitas Dei, neque ob id datur in Deo aliqua compositio. 28. Occurrit Durandus.

Cæterum contra solutionem hanc obstat primo, quod licet modus non faciat compositionem cum re, cujus est modus, ita ut hæc compositio sit omnium major, qualis est compositio ex duabus rebus, et entitatibus, ac proinde non tollat omnimode simplicitatem : nihilominus non potest non facere aliquam compositionem cum re, quam modificat, et tollere aliquo modo simplicitatem, ita ut id, quod coalescit ex utroque, non sit summe simplex. Et ratio est aperta. Quoniam compositio nihil aliud est, quam distinctorum unio ad constituendum aliquod tertium ab uno quoque ex constituentibus secluso intellectu distinctum : at, si essentia, et relatio distinguuntur secluso intellectu, unientur tanquam plura actu, et secluso intellectu distincta ad constituendum unum tertium, nempe personam divinam distinctam actu, et ex natura rei ab eadem essentia, aut relatione sigillatim sumptis : ergo est ibi aliqua compositio actualis, et secluso intellectu : et per consequens non erit ibidem omnimoda, et summa simplicitas. Impugnatur primo.

Et sane ex terminis ipsis constare videtur, 29.

tur, quod hoc ipso, quod aliquid constet ex pluribus actu; et secluso intellectu distinctis, non sit summe simplex : siquidem esset longe simplicius, si non constaret ex prædictis, sed omnia sibi absque distinctione aliqua actuali secluso intellectu identificaret. Unde optime dixit Bernardus lib. 5 de Consideratione cap. 7 : *Nisi omnia unum in Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum : mihi vero non deest quid cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quæ res quid? Mera simplicitas.* Et ad hoc explicandum tribuit Deo superlativum hoc, nempe, *unissimus*.

Bernard.

Prima confirmatio. Confirmatur. Nam propterea deest compositio in Deo coalescens ex rebus, et entitatibus, quia nihil in eo admittitur, quod sit distinctum per modum rei, et rei : ergo, si non secluditur omnino distinctio actualis, et secluso intellectu, non secludetur prorsus compositio ab illo; sed ad summum compositio omnium major, quæ consurgit ex pluribus entitatibus; et rebus.

Idem Bernard. Unde idem Bernardus sermone 80 in Cantica in solam identitatem, qua omnia divina identificantur cum divina essentia, reducit, quod in Deo nulla sit compositio, his verbis : *Quod habet, est, et quod est, semper et uno modo est in ea, et multa in unum, et diversa in idem rediguntur.*

Secunda confirmatio. Confirmatur secundo. Quoniam juxta satis probabilem plurium Thomistarum sententiam personalitas creata solum est modus quidam naturæ : et nihilominus facit cum ea compositionem. Et propterea persona creata non est omnino simplex : ex eo quod constat ex modo, et re, cujus est modus, secluso intellectu distinctis.

30. Nec id, quod pro se adducit Durandus, illi favet. Nam si relationes personales inter se comparentur, tunc important oppositionem relativam : et ita secundum hanc rationem non uniuntur ad componendum aliquod tertium : et ex consequenti non faciunt compositionem. Si autem comparentur cum essentia, tunc omnes illæ identificantur cum ea absque distinctione aliqua actuali, et secluso intellectu : et ideo nullam cum ipsa compositionem actualem facere possunt.

D. Thom. Et propterea D. Thomas infra quæst. 30 art. 1 ad 3 ut explicaret, cur pluritas divinarum personarum non repugnet Dei simplicitati, ita inquit : *Relationes prædicantur de aliquo ut ad alterum. Et sic compositionem in ipso, de quo dicuntur, non important.* Ac si diceret, relationes prædicari de Deo, ut ad alterum, id est, ut oppositas suis correlativis : ac proinde ut tantum distinctas ab illis; non vero ab essentia : ideoque non facere compositionem, nec cum correlativis (quippe cum opponantur illis, et cum eis ad constituendum unum tertium non habeant secundum hanc rationem uniri) : nec cum essentia, a qua non distinguuntur actu, et secluso intellectu.

Secundo occurrit Scotus eidem rationi, quod etsi relatio distinguatur ex natura rei ab essentia divina, non tamen ob id dabitur in Deo compositio, aut tolletur summa simplicitas : quia relatio, et essentia non comparantur per modum actus, et potentiæ. Nam licet distinguantur ex natura rei, et per modum formalitatis, et formalitatis actu, et secluso intellectu distinctarum : attamen identificantur positive in una, et eadem entitate per identificationem excludentem distinctionem per modum rei, et rei. 31. Occurrit secundo Scotus.

Cæterum contra hanc solutionem etiam obstant ea, quæ contra sententiam Durandi adduximus, ut intuenti patebit. Et deinde contra illam obest, tum, quod si semel realitas essentiæ est distincta ex natura rei a realitate, sive formalitate reali relationis divinæ, non poterunt non ut sic distinctæ comparari per modum actus, et potentiæ, quæ licet non sint res, et res, seu entitas, et entitas : sint tamen actu, et secluso intellectu formalitas, et formalitas per modum actus, et potentiæ inter se comparatæ. Et ratio videtur aperta. Quoniam formalitas illa divinæ essentiæ, et relationis, non obstante identificatione in una, et eadem entitate, adhuc manent actu, et secluso intellectu ex natura rei distinctæ : et una, nempe essentia, quatenus sic distinguitur, est terminabilis per relationem, potestque per illam actuari : et relatio, quatenus eodem modo differt ab essentia, est terminus, et actus respectu essentiæ : ergo ex natura rei comparabuntur per modum actus, et potentiæ, quæ non sint res, et res, seu entitas, et entitas, sed quæ sint reales formalitates ex natura rei diversæ. Et propterea in creatis unio personalitatis, et essentiæ est per modum actus, et potentiæ : quia personalitas est terminus essentiæ, et essentia ipsa potest terminari per eamdem personalitatem : ergo nihil oberit, quominus detur ibi vera compositio; licet non sit compositio omnium maxima.

Rejicitur hæc etiam evasio primo.

32. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam nomine actus, et potentiæ non intelligimus in præsenti materiam, et formam proprie et in rigore talem ; sed quævis duo actu, et secluso intellectu distincta, quæ ita se habent, ut unum vel informet, vel actuet, vel perficiat, aut terminet aliud : quia ad veram compositionem satis est, quod duo actu, et secluso intellectu distincta comparentur per modum termini, et rei terminabilis, aut aliquo ex modis recensitis. Et propterea, licet personalitas Verbi et humanitas tantum comparentur per modum termini, et terminabilis, nihilominus persona Christi Domini est actu composita, ut ostenditur 3 part. quæst. 2 art. 4. Ergo cum relatio personalis Dei, et essentia divina comparentur per modum termini, et terminabilis, consequens est, ut si semel sunt actu, et ex natura rei diversæ, tunc faciant compositionem, licet non ita magnam, sicut compositio ex eadem relatione personali Verbi et humanitate : quia ibi est major distinctio inter prædictam relationem, et humanitatem.

33. Refutatur secundo. Præterea contra eamdem solutionem obstat quod licet ad compositionem unius per se ex pluribus actu distinctis requireretur unio per modum actus, et potentiæ, attamen ad compositionem unius per accidens, et per aggregationem talis non desideratur, quod illa plura comparentur per modum actus, et potentiæ, sed sufficit multitudo constans ex pluribus non per se ordinatis : ergo si essentia divina, et relatio sunt actu, et secluso intellectu plures formalitates, seu realitates, et non habentes se per modum actus, et potentiæ, coalescet ex eis unum per accidens, et per aggregationem tale : ac proinde tantum aberit, quod ob hoc relegetur a Deo imperfectio compositionis, quod potius admittetur compositio, non qualiscumque, sed omnium fere compositionum imperfectior.

34. Prima confirmatio. Confirmatur et explicatur. Nam cum essentia, et relatio, adhuc dum sunt unum identice in una et eadem entitate, maneant actu, et secluso intellectu distinctæ formaliter, seu per modum formalitatum realium : inquiremus, num tantum identice sint unum per se, non vero formaliter ac proinde formaliter consideratæ, et ut si distinctæ manent, non constituant unum per se, an vero adhuc formaliter, aut ut sic diversæ habeant unum per se constituere? Si primum : ergo formaliter sumptæ, et quatenus sunt plura formaliter, constituent unum per accidens : et per consequens Deus non erit summe unus, summe simplex. Si secundum : ergo debent quatenus sic diversæ uniri aliquo alio modo unionis per se ad hoc, ut formaliter sumptæ constituant aliquid per se, et formaliter unum, prout hoc unum per se distinguitur ab uno per se, quod tantum identice est tale. Quia sicut unio per identitatem una et eadem entitate tantum tribuit eis, quod sint unum et idem identice, prout unitas, et identitas hæc excludit multiplicitatem per modum duarum entitatum : ita solum tollit ab eis, quod proportionali modo non sint unum per accidens, id est, per modum duorum non identificatorum in una, et eadem entitate : ergo, cum prædictæ formalitates non possint uniri aliqua unione per se, per quam constituant unum per se solum identice, sed formaliter, nisi comparentur per modum actus, et potentiæ, seu termini, et terminabilis actu, et formaliter secluso intellectu distinctorum (siquidem non possunt juxta oppositam sententiam uniri per aliam unionem quæ supererat, nempe per identitatem, et simplicitatem formalem excludentem omnem distinctionem ex natura rei) consequens est ut debeant necessario comparari per modum actus, et potentiæ : ac proinde debeat ibi dari compositio non entitatum, sed formalis, seu plurium formalitatum.

Confirmatur tandem ratione D. Thom. 1 contra Gent. c. 18. Nam sumptis essentia, et relationibus ut ex natura rei, sive formaliter diversis, tunc essentia vere, et secluso intellectu præbet se ipsam relationibus : et e converso relationes communicant se formaliter essentiæ divinæ. Vel ergo essentia, et relationes sic sumptæ ita inter se comparantur ut omnia hæc habeant se per modum actus, et termini, et nullo modo per modum rei actuabilis, et terminabilis? vel essentia, aut relationes se habent per modum terminabilis et actuabilis? Si primum : ergo formaliter loquendo constituent unum per accidens : quia ex pluribus actibus quatenus talibus, et non comparatis inter se per modum actus, et rei actuabilis, aut termini, et terminabilis consurgit unum per accidens. Si secundum : ergo dabitur ibidem vera compositio (ut sic dicamus) formalis, seu plurium, et diversarum actu formalitatum : siquidem ex pluribus collatis inter se per modum actus, et rei actuabilis, sive termini. 35. Secunda confirmatio. D. Thom.

termini, et terminabilis debet coalescere aliquid per compositionem proportionatam.

36. Objectio. Nec refert, si objicias, non cohærere hæc cum illis, quæ n. 26 dicebamus. Quoniam juxta ea, quæ in hac ratione asserimus, debet dari in Deo non qualiscumque simplicitas, sed summa omnium excogitabilium : hæc autem non solum opponitur pluralitati actuali, sed etiam virtuali : siquidem, ubi est aliqua pluralitas, ibi non est tanta simplicitas, quanta esset, si nulla ibidem, sive actualis, sive virtualis pluralitas daretur : ergo non potest cum hac summa simplicitate cohærere, quod relatio, et essentia divina distinguantur virtualiter, ut numero citato asseruimus. Unde

Anselm. Anselmus in Monologio cap. 16 attendens ad hanc Dei simplicitatem sic inquit : *Quemadmodum itaque unum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa uno modo, una consideratione est, quidquid est essentialiter.* Et postquam dixit, hominem alia ratione esse animal, alia esse corpus, subdit : *Illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid, ut illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit.* In quibus verbis satis constat, tantam esse in Deo simplicitatem, ut non possimus de eo formare aliam, et aliam considerationem saltem cum fundamento in re, seu (quod in idem redit) ut non possit in eo dari pluralitas, et distinctio virtualis.

Enodatur. Non itaque hoc refert. Quoniam concessa majori neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, summam simplicitatem omnium excogitabilium, quæ in Deo debet poni, esse simplicitatem summam, et eminentissimam, quæ ita sit simplicitas, ut simul sit simplicitas eminens : hæc autem petit, ut id, quod sic est simplex, contineat rationes omnium linearum, ac proinde æquivaleat pluribus pertinentibus ad distinctas lineas, non minus, ac si actu, et formaliter esset plura : in quo pluralitas et distinctio virtualis consistit. Unde, si hæc pluralitas tolleretur, non remaneret summa simplicitas cum eminentia, sed simplicitas involuta cum imperfectionibus limitationis. Ad illud autem, quod ex Anselmo adducitur, respondetur, sanctum Doctorem solum velle excludere distinctionem ex natura rei, sive diversarum considerationum, quæ talis conditionis sit, ut possit fundare compositionem metaphysicam, qualiter in homine ratio animalis, corporis, etc. distinguuntur

§ IV.

Ultima ratio pro Angelici Doctoris, et aliorum Patrum sententia.

Tertia pro assertione desumitur ex D. Thoma in argumento *sed contra* hujus articuli, et eam latius dubio præcedenti ad probandam identificationem relationum, et essentiæ, prout identificatio opponitur distinctioni entitativæ, et rei a re, prosecuti sumus. Nam, si relatio distinguitur ex natura rei ab essentia, consequens erit, ut formaliter sumpta non sit Deus : ergo erit formaliter aliquid creatum : et per consequens non erit adoranda adoratione latriæ. Prima consequentia videtur ex antecedenti sequi. Quoniam, cum realitas adæquate dividatur in realitatem sive realem formalitatem quæ formaliter sit talis, vel per essentiam, vel per participationem, oportet, ut formalitas realis, quæ formaliter non sit Deus, et ens per essentiam, debeat formaliter esse ens per participationem, et aliquid creatum. 37. Tertia ratio pro assertione.

Confirmatur. Quia hic etiam urget id, quod dubio præcedenti ad destruendam distinctionem rei a re inter essentiam, et relationes adducebamus, ad hunc tamen modum ad præsens applicatum. Quia illa formalitas relationis, ut distincta formaliter, et ex natura rei ab essentia, non posset non dimanare ab essentia per modum creaturæ : quia ex quo capite esset secluso intellectu distincta ab essentia, dimanaret secluso intellectu ab ea, et ex quo capite quatenus sic distincta non posset fieri ex aliquo creato, ut ex se constat, neque ex ipsa essentia divina ut ex subjecto, et materia, cum hoc divinæ essentiæ repugnet, debebat fieri ex nihilo : et per consequens dimanabit per modum creaturæ. Unde illa formalitas esset, et non esset formalitas creata : esset quidem propter rationem nuper factam : non esset vero, quia existeret in Deo. Et ita esset, et non esset identificanda cum Deo, ut ex dictis patet. Confirmatur

§ V.

Opposita sententia, et primum ejus fundamentum.

Oppositam tamen sententiam, nempe, 38.

Opposita sententia. relationes divinas distingui ab essentia ex natura rei, seu actu, et secluso intellectu per distinctionem formaliter talem; tuetur Scotus in 1 dist. 2 quæst. 7 § *Sed hic restat* et § *Breviter igitur dico*, ubi supponens se loqui sine assertione, et sine præjudicio melioris sententiæ, statim inquit, relationem personalem distingui ab essentia distinctione aliqua præcedenti omnem actum intellectus creati, et increati. Et licet ibidem aliqua misceat, quibus videtur significare, distinctionem istam non esse realem, et secluso intellectu, sed rationis, et virtualem : nihilominus ipse simul se explicat dicens, eam non esse realem actualem, prout distinctio hæc dicit distinctionem inter res, et res; sed esse distinctionem rationis, quatenus per hoc denotatur distinctio inter rationes formales, sive realitates; non vero distinctio, quæ sit per rationem, seu intellectum : ac tandem esse distinctionem virtualem respectu rerum, et non respectu formalitatum, aut realitatum : quia illa una res, cui conveniunt duæ formalitates actu distinctæ, ita se habet quoad ea, quæ ex distinctione proveniunt, ac si essent duæ res realiter distinctæ. Et propterea paulo infra sic concludit : *Breviter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione rationis, et de distinctione virtuali, non quia sint male dicta, sed quia non oportet eis uti. Dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A. et entitas B. et hæc non est formaliter illa.* Idem etiam tuentur O'Kam in 1 dist. 2 quæst. 1 et quæst. 11 littera F. et Gabriel quæst. 1 art. 1 notab. 4 et quæst. 11 art. 2 in 2 conclusione, et Marsilius in 1 quæst. 6 art. 2 conclusione 4, Durandus in 1 dist. 33 quæst. 1 num. 23.

Scotus. Okam. Gabriel. Marsilius. Durand.

39. Primum et principale fundamentum. Primum, et potissimum hujus sententiæ fundamentum est illud, quod primo loco pro sententia Gilberti adduximus, quod quidem potest sic confirmari, et explicari. Nam duo involventia prædicata contradictoria, et secluso intellectu possunt verificari de uno et eodem absque distinctione aliqua actuali, et secluso intellectu ; sed de essentia divina, et relationibus prædicantur aliqua involventia prædicata contradictoria actu et secluso intellectu : ergo prædicta essentia, et relatio debent distingui aliqua distinctione actuali, et secluso intellectu. Consequentia est perspicua. Minor vero etiam constat. Siquidem de essentia divina verificatur, quod est communicabilis : de relatione vero, quod est incommunicabilis : de illa, quod est quid absolutum, de hac vero quod est quid relativum. Constat autem, hæc duo involvere actu, et secluso intellectu prædicata inter se contradictoria : siquidem, quod est incommunicabile, non est communicabile, et ita est prædicatum contradictorie oppositum communicabili, et quod est relativum, non est ad se, sed ad aliud, et sic est prædicatum contradictorium absoluto, quod est ad se, non ad aliud. Major autem probatur. Nam si duo involventia prædicata, quæ sint contradictoria actu, et secluso intellectu, prædicantur de aliquo absque distinctione aliqua actuali, et secluso intellectu, jam duo contradictoria verificabuntur de uno et eodem actu, et secluso intellectu, quod tamen implicat. Et ita ea implicare dicimus, in quibus involvuntur duæ contradictoriæ de uno et eodem.

40. Solutio. Nec refert, si dicas, quod, ut de aliquo prædicentur prædicata, quæ sint contradictoria actu, et secluso intellectu, non est necessaria distinctio actualis, et secluso intellectu; sed satis est distinctio virtualis quæ est distinctio fundamentalis secundum rationem, seu fundamentum ad distinctionem rationis, et per intellectum.

41. Contra insurgunt adversarii primo. Nam contra est. Tum, quod ad verificandum prædicata contradictoria utcumque requiritur aliqua distinctio in eo, de quo verificantur : ergo, sicut ad verificanda prædicata contradictoria, quæ sint talia secundum rationem, seu per intellectum, requiritur distinctio actualis per intellectum, ita ad verificanda prædicata, quæ sint contradictoria actu, et secluso intellectu.

Secundo. Tum etiam quia ad verificanda prædicata contradictoria ibi debet poni distinctio ubi exercenda est contradictio : alioqui verificarentur de uno et eodem prorsus, et non magis deserviret positio illius distinctionis ad salvandum, prædicata contradictoria non dici de uno et eodem, ac si non poneretur : sed contradictio prædicatorum contradictoriorum a parte rei, et secluso intellectu talium exercetur actu; ergo ibidem, nempe a parte rei, et secluso intellectu debet poni distinctio in eo, de quo verificantur.

Tertio. Tum denique : quia si actu, et ante omnem operationem intellectus non est ibi duplex formalitas : sed tantum unica actu : ergo non est ibi actu aliud, et aliud : ergo neque

neque poterit de illa formalitate prædicari aliud, et aliud : quod tamen involvitur in prædicatis contradictoriis actu, et secluso intellectu. Patet hæc consequentia. Quia id tantum potest de illa formalitate prædicari, quod actu in ea invenitur.

42. Confirmatur. Confirmatur. Quia aliqua distingui actu, et secluso intellectu nihil aliud importat quam quod aliquid actu, et secluso intellectu conveniat alicui ex illis, quod tamen actu, et secluso intellectu alteri non conveniat : sed essentiæ divinæ actu, et secluso intellectu non convenit, quod se ipsa opponatur cum Filiatione, cum tamen Paternitati conveniat : ergo essentia, et Paternitas secluso intellectu, et actu distinguentur. Minor cum consequentia satis videntur constare. Major vero etiam liquet. Nam hoc ipso, quod aliquid actu, et secluso intellectu conveniat uni, et non alteri, habet unum actu aliquid reale quod non habet alterum : alioqui non posset aliquid actu, et secluso intellectu convenire alteri : at hoc ipso, quod unum habeat actu aliquid reale, quod non habeat alterum, distinguuntur actu, et secluso intellectu ratione illius, quod est in uno, et non in altero : ergo, etc.

§ VI.

Solutio præcedentis fundamenti.

43. Solutio Vasquez. Ad hoc argumentum respondet Vasquez disput. 120 cap. 6 quod, cum prædicatio sit opus nostri intellectus, fit inde, ut repugnet dari aliqua prædicata contradictoria ante opus intellectus : et ita ex eo, quod essentiæ divinæ, et relationi conveniant prædicata contradictoria, non probari, distingui secluso intellectu.

Cæterum hæc solutio, nisi aliquid amplius addatur, non satisfacit. Quia vis argumenti non tam consistit in prædicatione formali quam in prædicatione fundamentali : ac proinde procedit de prædicatis fundamentaliter sumptis, et secundum id reale, quod afferunt. Nam essentia divina a parte rei est communicabilis, et non opposita Filio ; Paternitas vero a parte rei est incommunicabilis et opposita Filio.

44. Unde ad argumentum respondetur admittendo solutionem ibidem assignatam, nempe, sufficere distinctionem virtualem, sive distinctionem rationis fundamentalem ad hoc, ut de aliquo verificentur prædicata contradictoria : quia eo ipso talia prædicata non prædicantur formalissime de uno et eodem, ut est unum et idem. Quare, cum relatio et essentia divina distinguantur virtualiter sive cum fundamento in re, poterunt de illis prædicata contradictoria verificari. Quæ solutio desumitur ex divo Thoma tum de Potent. quæst. 7 articulo D.Thom.
1 ad 5 ubi cum hoc idem argumentum sibi objecisset, respondet in hæc verba : *Dicendum quod de eo quod est idem re, et differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, ut docet Philosophus 3 Physicorum : sicut patet, quod idem punctum re, differens ratione, est principium et finis, et secundum quod est principium, non est finis, et e contrario. Unde, cum essentiæ et proprietas sint idem re, et differant ratione, nihil prohibet, quin unum sit communicabile, et aliud incommunicabile.*

Tum etiam in 1 dist. 5 quæst. 1 art. 1 45.
ad 1 ubi cum sibi sic opposuisset : *Major enim est oppositio affirmationis, et negationis quam relationis : sed oppositio relationis facit in divinis, ut una persona non sit alia, ergo fortius faciet hoc contradictio : sed persona Patris est generans : si igitur essentia non generet, Pater non erit essentia : quod est impossibile.* Cum igitur S. Doctor sic sibi opposuisset, respondet in hæc verba, quibus rem hanc satis illustravit : *Dicendum, quod affirmatio, et negatio dicuntur maxime opponi, quia in eis non importatur aliqua convenientia : in privative enim oppositis importatur convenientia quantum ad subjectum : quia nata sunt fieri circa idem : in contrariis autem etiam quantum ad genus, quia scilicet sunt in eodem genere. Unde in utraque oppositione utrumque extremorum significatur per modum entis, et naturæ cujusdam. Illud autem, in quo invenitur aliquid non permixtum contrario, est maximum, et primum in genere illo, et causa omnium aliorum. Et ideo oppositio affirmationis, et negationis, cui non admiscetur aliqua convenientia, est prima, et maxima oppositio, et causa omnis oppositionis, et distinctionis. Et ideo oportet, quod in qualibet alia oppositione includatur affirmatio et negatio, sicut primum in posteriori. Unde plura requiruntur ad alias oppositiones quam ad oppositionem contradictionis : quia se habent ex additione ad ipsam. Unde non oportet quod si contrarietas non inveniatur nisi in diversis realiter, quod affirmatio, et negatio inveniatur in diversis realiter. Imo sufficit etiam distinctio rationis ad affirmationem, et negationem : cum quæ-*

libet distinctio, ut dictum est, includat affirmationem, et negationem, et talis distinctio, scilicet rationis, est inter essentiam, et personam : sed opposita relative aliquando requirunt diversitatem, vel distinctionem realem et talia sunt quæ divinas personas distinguunt.

46. Tum denique in 4 contra Gentes cap. 14 in fine his verbis : *Ubicumque enim est aliqua distinctio, oportet invenire negationis, et affirmationis oppositionem. Quæ enim secundum nullam affirmationem, et negationem differunt, penitus indistincta sunt, oportet enim, quod quantum ad omnia unum esset, quod est alterum : et sic essent penitus idem, et nullo modo distincta.* Quare, cum relatio et essentia sint virtualier distincta, necesse est invenire oppositionem affirmationis, et negationis inter utrumque : ac proinde quod possit affirmari, v. g. de essentia, quod sit communicabilis, et hoc de relatione ut virtualiter distincta ab essentia negari.

47. Enodatur prima impugnatio contra illam solutionem facta. Et ad primam impugnationem in contrarium concesso antecedenti neganda est consequentia. Nam cum distinctio virtualis in Deo reperta dicatur talis, quia ob sui eminentiam æquivalet pluralitati, et distinctioni reali actuali formaliter tali : inde est : ut satis sit ad hoc, ut de Deo verificentur prædicata secluso intellectu contradictoria : sicut in aliis solet ad hoc ipsum sufficere distinctio, et pluralitas realis actualis, quæ sit formaliter talis.

Ad secundam impugnationem. Ad secundam impugnationem distinguatur consequens, et concedatur consequentia, si intelligatur de sola distinctione virtuali. Nam hæc vere est actu a parte rei in Deo : siquidem actu datur in eo virtus, et eminentia illa, qua æquivalet pluribus pertinentibus ad distinctas lineas. Cæterum negari debet eadem consequentia, si intelligatur de distinctione a parte rei, quæ sit actu, et formaliter talis.

48. Ad tertiam. Ad tertiam autem impugnationem respondetur, quod sicut actu, et ante operationem intellectus non est ibi duplex formalitas, quæ sit formaliter duplex ; bene tamen virtualiter : ita non est ibidem aliud, et aliud actu, et formaliter ; bene tamen aliud, et aliud actu virtualiter. Et ideo, licet de illa formalitate nequeat prædicari aliud, et aliud actu, et formaliter tale ; secus tamen aliud, et aliud actu, et virtualiter. Cæterum, quando prædicantur de illa formalitate virtualiter multiplici prædicata contradictoria, non prædicantur aliqua quæ sint aliud, et aliud actu formaliter : sed satis est, quod prædicata illa contradictoria distinguantur virtualiter, ut ex D. Thoma dicebamus.

49. Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur distinguendo majorem : *Quod tamen actu, et secluso intellectu alteri non conveniat*, ut distincto virtualiter ab illo, neganda est : ut sunt identice unum et idem, concedi poterit. Et deinde distinguatur etiam minor : et si sensus illius sit, ut esse videtur, quod essentia formalissime, ac proinde ut virtualiter distincta a relatione Paternitatis, non opponatur cum Filiatione, concedenda est. Si vero sit sensus quod se ipsa identice sumpta, seu secundum quod identificatur cum Paternitate, non opponatur cum Filiatione, negari debet. Et tandem neganda est consequentia : quia, ut esset legitima, oportebat, quod essentia divina adhuc identice non opponeretur cum Filiatione : cum tamen sic sumpta illi opponatur. Sicut e contra ea, quæ sunt propria essentiæ, v. g. communicabilitas illius, conveniunt identice relationi, v. g. Paternitatis, non quidem ad hunc sensum, quod, quia essentia est communicabilis, ideo etiam Paternitas communicabilis sit identice, ita ut Filio, verbi causa, communicetur identice, quod sit Pater, sed solum ad hunc sensum, nempe, quod Paternitas identice sit communicabilis, idest, ita ut non quoad Paternitatis relationem, sed quoad essentiam, cum qua identificatur, sit communicabilis : et propterea dicatur ipsa identice communicari, quia quoad aliquid, quod est identice sui, quodque est identice ipsamet relatio, communicatur. Et ratio est. Nam ea quæ conveniunt identice, sic conveniunt in sensu identico eis, cum quibus identificantur, sicut in sensu formali eis, quibus formaliter, et ratione sui competunt : communicabilitas autem convenit in sensu formali essentiæ quoad prædicata essentialia : et ideo communicabilitas ratione essentiæ competens relationi in sensu identico non est quoad *esse* relationis, v. g. Paternitatis, ita ut Filio, aut Spiritui Sancto communicetur, quod identice sint Pater; sed quoad *esse* essentiale divinæ essentiæ, qua communicata dicitur Paternitas communicari quoad ipsammet essentiam, quæ est aliquid sui, cum quaque identificatur. Sicut e contra, cum dicitur, essentiam identice opponi cum relatione, v. g. Filiationis, non est sensus, quod opponatur quoad essentialia ejusdem

ejusdem essentiæ : sic enim oppositio non conveniret ei in sensu identico, sed in sensu formali : et ita sensus illius erit, quod opponitur quoad Paternitatem, quæ identice est aliquid sui, quæque identice est ipsa essentia formaliter ex natura rei.

50. ...nodatur ...cundo prædictum fundamentum et ...ucidatur prima ...lutio. ...Thom. Secundo respondetur, sive magis explicatur præcedens solutio ex D. Thoma de Potentia quæst. 8 art. 2 ad 10 ubi cum sibi sic objecisset : *Eorum, quæ sunt idem, in quocumque est unum, et aliud. Si ergo essentia divina, et Paternitas est idem, in quocumque est essentia divina, erit et Paternitas : sed essentia divina est in Filio : ergo et Paternitas :* et per consequens sicut essentia divina identificabitur. Cum igitur S. Doctor sic sibi objecisset, respondet in hæc verba : *Dicendum, quod quæcumque sunt eadem re, et ratione, oportet, quod in quocumque est unum, sit aliud : non autem hoc oportet de his, quæ sunt eadem re, sed non ratione. Sicut instans est idem quod est principium futuri, et finis præteriti : non tamen principium futuri dicitur esse in præterito, sed id, quod est futuri principium ; et similiter non dicitur, quod Paternitas est in Filio* (ac proinde, quod est identificata cum illo) *sed id, quod est, scilicet essentia.* Ubi, ut vides, sola distinctio virtualis, sive rationis cum fundamento in re inter aliqua sufficit, ut, cum significantur, quatenus sic sunt distincta, aliquid conveniat uni, nempe, esse in alio, et identificari illi quod non alteri, ut distinguitur virtualiter ab illo priori. Et similiter satis est, quod una cum hac virtuali distinctione identificentur aliqua, ad hoc ut id, quod uni extremo ut virtualiter distincto non convenit, conveniat et identice, id est (quoad præsens attinet), non quoad suam rationem formalissimam, sed quoad aliud extremum, cum quo identificatur, quodque identice est ipsummet : et ita sufficit ad hoc, ut relatio v. g. Paternitatis sit idem, ac essentia, quod licet ipsa Paternitas non sit in Filio ut idem cum illo, ac proinde non communicetur illi ; nihilominus essentia, quæ est identice ipsa Paternitas, et e converso, sit in Filio ut idem cum ipso, eique communicetur.

51. Explicatur ... Explicantur hæc omnia. Etenim in creaturis natura substantialis, et relatio sunt realiter distincta ratione limitationis creaturarum. Cæterum quia, quæ in inferioribus sunt dispersa, et ratione limitationis distincta, debent in superioribus esse unita, et identificata, et maxime in Deo ratione suæ infinitatis, et perfectionis : idcirco ipsa natura ejus substantialis, et absoluta, et relationes divinæ non distinguuntur realiter, sive formaliter ex natura rei ; sed una et eadem simplicissima formalitas est simul absoluta, et relativa, et præstat propria munia utriusque, non minus, ac si ibidem esset realis multiplicitas.

Unde, sicut de relatione et de natura substantiali creatis possunt enuntiari prædicata contradictoria, ut quod relatio sit ad aliud, non ad se, et quod natura substantialis sit ad se, et non ad aliud : ita etiam de relatione, et natura divina possunt prædicari prædicata contradictoria, nempe, quod natura divina sit communicabilis : non vero incommunicabilis, et quod est ad se, et non ad aliud : et similiter de relatione v. g. Paternitatis, quod sit incommunicabilis ; non vero communicabilis, quod est ad aliud secundum esse *ad*, non vero ad se. Et quemadmodum ad hoc, ut hæc prædicata contradictorie opposita conveniant actu, et secluso intellectu relationi, et naturæ substantiali creatis, oportet, quod actu, et secluso intellectu exerceatur realis distinctio inter ipsas, ex eo quod limitatio utriusque hoc petit : sic ad hoc, ut prædicata illa contradictoria actu, et secluso intellectu conveniant altiori modo, nempe formaliter eminenter, essentiæ, et relationibus divinis, satis est ratione infinitatis, et eminentiæ earum quod exerceatur inter illas virtualis, et eminentialis distinctio. Et sicut, hoc ipso, quod relatio, et natura substantialis creatæ distinguantur realiter, convenit aliquid reale naturæ, quod non conveniat relationi ; et e contra : ita, quia illa simplicissima formalitas, in qua identificantur essentia, et relatio divina, habet formaliter eminenter propria utriusque, et cum distinctione virtuali, propterea potest aliquid reale convenire uni ut virtualiter distincto, quod non conveniat alteri ut eodem modo distincto : ex eo quod propria ratio earum hoc ipsum petit, et identificatio non tollit propria utriusque, sed solum, quod limitato et finito modo ea habeant.

Et ratio horum omnium est. Quia licet formalitas infinita, et cum distinctione virtuali identificans sibi alia, exigat ratione suæ eminentiæ, quod ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, suntque prædicata contradictoria, et incompossibilia, habeant in illa esse unita et elevata ad *esse* eminentius, ac proinde eidem formalitati adæquate 52. Ratione roboratur.

acceptæ conveniant : attamen infinitas prædictæ formalitatis divinæ nulla ratione petit, ut sumpta inadæquate, et prout dicit unum tantum extremum illius virtualis distinctionis, seu prout est quoad unum tantum extremum conceptibilis, tunc secundum hanc rationem verificentur de illa ea, quæ sunt propria ipsius adæquate acceptæ, aut alterius extremi virtualiter distincti, seu quæ sunt propria illius, ut præcise conceptibilis quoad alterum solummodo extremum : Quare, cum formalitas illa divina sub nomine, et conceptu essentiæ Dei sumatur tantummodo inadæquate pro uno extremo virtualis distinctionis, qua distinguitur a relatione, et similiter, cum explicatur sub nomine, et conceptu relationis, accipiatur etiam inadæquate pro altero extremo ejusdem virtualis distinctionis, inde est, ut ea, quæ sunt propria unius extremi, nempe relationis, per quæ distinguitur ab altero extremo, scilicet essentia, non possint de illa, et modo dicto sumpta verificari, neque e converso ea, quæ sunt propria relationis ut distinctæ virtualiter ab essentia, poterunt de essentia enuntiari. Et ideo negandum est, quod essentia divina secundum se, et sub conceptu essentiæ, aut quod illa formalitas divina, prout tantum dicit essentiam, seu prout præcise est conceptibilis sub conceptu essentiæ, sit incommunicabilis , aut relativa , vel quod relatio secundum se, et sub conceptu relationis sit absoluta, vel communicabilis. Ideoque de illis possunt prædicata (modo statim explicando) contradictoria verificari : ut de relatione, quod sit incommunicabilis, sive non communicabilis, de essentia vero, quod sit communicabilis. Et propterea D.
D.Thom. Thom. quæst. 8 de Potent. art. 2 ad 7 ex hoc, quod essentia Dei, et relatio virtualiter distinguuntur, infert, quod ea, quæ sunt propria unius ex illis, non prædicantur de alio, ut virtualiter distinguuntur : *Essentia autem divina et Paternitas, etsi sint idem re, non sunt idem ratione. Et ideo non oportet, quod quidquid prædicatur de aliquo uno, prædicetur de alio. Sciendum tamen, quod quædam sunt, quæ consequuntur proprias rationes essentiæ, et relationis sicut dicimus, quod esse commune sequitur ad essentiam, distinguere sequitur ad relationem. Unde unum horum ab alio removetur. Neque enim essentia distinguit, neque relatio est communis.*

53. Possuntque hæc amplius elucidari exemplo naturæ substantialis, et speciei intelligibilis per quam talis natura unitur cum intellectu. Nam natura prædicta, et ejus species intelligibilis, ut dicunt rationes has, secundum quod inveniuntur in rebus, et naturis inferioribus, et materialibus, dicunt eas limitate, et ideo distinguuntur, et opponuntur prout oppositio dicit, quod una excludat aliam ab hoc, quod est adunari, et uniri cum ea una et eadem realiter entitate, aut formalitate absque distinctione aliqua actuali, et formaliter tali, sive ex natura rei inter illas. Et similiter licet prædictæ rationes naturæ, etspeciei intelligibilis, adhuc ut elevatæ ad naturam creatam superiorem, qualis est Angelica, dicant rationes oppositas, ad hunc sensum, quod ratio naturæ sub conceptu naturæ ut distinctæ virtualiter a se ipsa, ut habet rationem speciei intelligibilis, non est ratio speciei intelligibilis ; sed sub hoc conceptu excludit eam a sua ratione, et conceptu formalissimo : et propterea ipsa, ut præcise dicit rationem naturæ, non potest gerere vicem speciei intelligibilis, et ut gerit vicem speciei intelligibilis, non habet rationem naturæ ut talis : attamen prædictæ duæ rationes ut elevatæ ad naturam superiorem, v. g. Angelicam, sunt unitæ in aliqua una ratione superiori, et ibidem non distinguuntur ex natura rei, sed eademmet entitas, sive formalitas absque distinctione aliqua actuali ex natura rei claudit utramque rationem naturæ Angelicæ, et speciei intelligibilis respectu sui : et non est formaliter tantummodo natura Angelica, v. g. Gabrielis, aut formaliter tantummodo species intelligibilis ejusdem Gabrielis, in quo limitatio illa sita erat, sed formaliter eminenter est utraque ratio, et una ex his rationibus non solum non opponitur in sensu dicto, alteri, seu non excludit aliam ab eadem realiter formalitate, verum etiam eam ibidem infert.

Ita ergo, licet *esse* absolutum, et *esse* relativum, *esse* communicabile, et *esse* incommunicabile provenientia ex prædicto *esse* absoluto, et relativo, dicant, ut inveniuntur in creaturis, rationes limitatas, et una distinguatur distinctione reali actuali, et formaliter tali ab altera, et eidem opponatur, quatenus oppositio dicit, quod una ex his rationibus excludit alteram ab hoc, quod est adunari et uniri in una et eadem entitate, et formalitate : et similiter prædictæ rationes, adhuc ut elevatæ ad rationem superiorem, nempe ad Deum, distinguantur

54. Ulteri[us] elucid[a]tur.

guantur virtualiter, et ut sic quodammodo opponantur, quatenus oppositio dicit, quod *esse* relativum ut virtualiter distinctum ab *esse* absoluto est talis conditionis, quod ei non conveniant prædicata propria ipsius *esse* absoluti, prout virtualiter distincti ab *esse* relativo, sed potius ut est sub hoc conceptu, et præcisione, eam a se excludat, ut ex D. Thoma 4 contra Gentes cap. 14 dicebamus : attamen, si rationes istæ sumantur ut elevatæ ad rationem prædictam superiorem, nempe divinam, tunc non distinguuntur formaliter ex natura rei, neque opponuntur, prout oppositio dicit, quod una ex his rationibus excludat aliam ab hoc, quod est adunari, et uniri in una et eadem realiter formalitate ; sed potius una infert aliam : quia ratio illa superior non est formaliter tantummodo, seu pure absoluta, aut formaliter tantummodo, seu pure respectiva ; sed ratione suæ eminentiæ est formaliter eminenter absoluta, et respectiva, et eodem modo est communicabilis, et incommunicabilis. Et ideo non mirum, quod hæ rationes in una et eadem simplicissima formalitate Dei uniantur, et in sensu nuper dicto non opponantur, cum talis formalitas, prout in se est (secundum quam rationem de ea loquimur) sit forma superior, et eminentissima, et ab omne esse absolutum, et respectivum, et omne esse communicabile, et incommunicabile (modo alibi tacto) in creaturis dimanet.

Quare : licet id, quod est formaliter tantummodo absolutum, ita sit ad se, ut non sit ad aliud : sicuti id, quod est formaliter tantummodo incommunicabile ; attamen id, quod illimitato modo, ac proinde formaliter eminenter, est absolutum, et relativum, communicabile, et incommunicabile, ita est absolutum, ut sit ad aliud, et ita est incommunicabile, ut sit communicabile : et ideo de illa simplicissima formalitate nequit verificari, quod non sit ad aliud, aut quod non sit communicabilis : nec communicabile, et incommunicabile, aut absolutum, et respectivum erunt in sensu explicato prædicata contradictoria, aut opposita respectu illius.

§ VII.

Objectio notanda contra ea, quæ in solutione primi fundamenti Scoti diximus, et responsio ad illam.

55. Objectio notanda contra prædictam solutionem.

Nec refert, si urgeas, quod si semel dicitur, illam supereminentem formalitatem essentiæ divinæ, et relationis esse simul incommunicabilem, et communicabilem, relativam, et absolutam, necesse est, ut de ea verificetur esse communicabilem : hoc autem admitti nequit : ergo neque illud prius. Major patet. Quoniam si illa formalitas essentiæ divinæ habet esse communicabilem, et simul esse incommunicabilem, habebit utique esse non communicabilem : ergo etiam verificabitur de ea, quod non sit communicabilis : quia juxta regulam Dialecticorum ab affirmativa de prædicato infinito ad negativam bona est consequentia : sicut bene valet : *Justus est non peccator : ergo non est peccator. Angelus est non albus : ergo non est albus.* Minor vero etiam videtur constare. Quia esse communicabile, et non esse communicabile sunt prædicata contradictoria, adhuc respectu illius formalitatis absolute, et adæquate sumptæ : ex eo quod negatio est malignantis naturæ, et negat quidquid post se invenit : et ita propositio negativa facit hunc sensum, nempe, quod illa formalitas neque ratione essentiæ, neque ratione relationis est communicabilis : quod tamen est falsum, et opponitur illi priori propositioni affirmativæ, nempe, quod prædicta formalitas est communicabilis.

Confirmatur.

Confirmatur. Nam hoc ipso, quod relatio ut distincta ab essentia sit incommunicabilis, et essentia ut distincta a relatione sit communicabilis, affirmatur de relatione, quod est non communicabilis, et simul negatur, eam esse communicabilem : ergo hoc ipso, quod illa formalitas esset formaliter eminenter ipsa essentia, et relatio, verificabitur de illa ex uno capite, quod sit communicabilis ; et ex alio, quod est non communicabilis ; et per consequens quod non est communicabilis.

56. Diluitur objectio.

Respondetur negando majorem. Et ad probationem concedatur antecedens, et negetur consequentia. Neque probatio ibidem adducta obest. Quia regula illa Dialecticorum intelligitur, quando non committitur aliquis defectus in modo arguendi, qualis esset, si servata illa regula arguatur a non distributo ad distributum, ut si di-

catur : *In Sequana sunt non pisces : ergo in Sequana non sunt pisces* : quia in antecedenti illa negatio infinitanter sumpta non distribuit, sed tantum reddit hunc sensum, quod in Sequana sunt aliqua, quæ non sunt pisces : cum tamen in consequenti fiat distributio, ex eo quod negatio illa neganter sumpta distribuit et ita propositio negativa facit hunc sensum, nempe, non esse aliqua in Sequana, quæ sint pisces. Constat autem hunc defectum etiam in præsenti committi. Nam cum dicitur, quod *illa formalitas essentiæ divinæ, et relationis est non communicabilis*, tunc illa negatio infinitanter sumpta non distribuit essentiam quoad omnia quæ affert : ita ut sit sensus, quod secundum omnia, quæ dicit habeat esse non communicabilem, sic enim esset aperte falsa : in consequenti vero cum inde infertur : *ergo prædicta formalitas non est communicabilis*, tunc negatio habet vim distribuendi, et ita propositio negativa reddit hunc sensum, nempe, quod secundum nullam sui rationem est communicabilis : quod tamen est falsum, et ex antecedenti illo jam dicto propter defectum istum, qui ibidem committitur, non infertur.

Additamentum. Adde, prædictam regulam Dialecticorum non intelligi, quando subjectum propositionis affirmativæ de prædicato infinito est talis conditionis, ut ratione suæ eminentiæ includat ea, quæ in inferioribus ratione suæ limitationis habent oppositionem, et in illo ratione prædictæ eminentiæ non habent talem oppositionem, sed in eadem formalitate reali possunt uniri. Et ita sicut non valet in visione beatifica, quæ formaliter eminenter est practica, et speculativa, quod non est practica, ex eo quod est non practica : ita neque in Deo valebit de illa formalitate essentiæ, et relationis verificari, quod non est communicabilis, ex eo quod sit non communicabilis.

57. Occurritur confirmationi. Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Nam, cum essentiam, et relationem his nominibus significamus, tunc denotamus eas expresse ut virtualiter distinctas : quia significamus eas secundum propria cujuslibet. Unde, licet de essentia affirmetur, esse communicabilem, et de relatione negetur, esse communicabilem, non ideo prædictæ propositiones sunt contradictoriæ : quia non sunt ejusdem de eodem. Et propterea de unaquaque earum solum verificatur unum extremum, nempe, communicabilitas de essentia et de relatione, quod non est communicabilis : siquidem de essentia ita dicitur esse communicabilem, ut de ea non dicatur, non esse communicabilem : et de relatione ita enuntiatur, non esse communicabilem, ut non enuntietur, esse communicabilem : at vero si ex parte subjecti ponatur formalitas illa, quæ comprehendit utramque rationem, tum quamvis prædicta formalitas comprehendat rationes virtualiter distinctas : tamen, ut nomine et conceptu isto exprimitur, non significatur ut virtualiter distincta; sed ut est una et eadem formalitas ambiens cum identitate reali utramque rationem : et ideo de eadem formalitate, ut formaliter secluso intellectu est eadem, prædicatur utrumque extremum contradictionis : et ita nequit de ea verificari propositio negativa, quia reddit hunc sensum, quod, adhuc ut est idem quod essentia, nequit communicari; sicut affirmativa facit hunc sensum, quod, ut est idem quod essentia, est communicabilis.

§ VIII.

Fundamentum secundum oppositæ sententiæ, et ejus solutio.

Secundo et principaliter probatur eadem sententia, et simul præcedens argumentum confirmatur. Quoniam actu et secluso intellectu communicatur Filio essentia divina : cum tamen ei non communicetur Paternitas : ergo signum est, Paternitatem, et essentiam divinam distingui actu, et secluso intellectu. Antecedens est de fide. Consequentia vero probatur. Tum, quia si essentia, et Paternitas essent actu idem, non posset unum actu communicari non communicato alio : sicut ideo essentia divina non potest communicari non communicata ratione entis per essentiam, quia hæc est actu idem quod ipsa. Tum etiam, quia actio communicativa essentiæ divinæ, prout est in se, debet illam communicare, prout est in se : ergo si ipsa actu, et secluso intellectu est divina Paternitas, tunc Pater communicabit illam Filio, ut est actu Paternitas : ac proinde communicabit ei Paternitatem. 58. Secundum fundamentum oppositæ sententiæ.

Confirmatur. Quoniam essentia divina, et relationes habent distinctas diffinitiones, aut quasi diffinitiones : ergo distinguentur ex natura rei : ac proinde actu, et secluso intellectu. Confirmatur primo.

intellectu. Hæc secunda consequentia pater ex priori. Quia distinctio ex natura rei est distinctio actu, et non beneficio intellectus : et per consequens est distinctio actu, et secluso intellectu. Prior vero consequentia videtur perspicua. Quia, cum diffinitiones explicent naturas rerum, oportet, ut quæ differunt diffinitionibus, differant etiam ex natura rei. Antecedens autem est certum. Quoniam relationes diffiniuntur in ordine ad terminum : quia totum suum esse est ad aliud : at hæc diffinitio nequit convenire divinæ essentiæ, quippe quæ est aliquid absolutum : ergo etc.

onfir- matur cundo. Confirmatur secundo. Nam quando diffinitiones dantur per aliquid pertinens ad rationem, et habens *esse* beneficio intellectus, tunc quæ differunt diffinitione, differunt etiam per intellectum, et non amplius : ergo, quando dantur per aliquid reale, et conveniens diffinitis ex natura rei, ut in præsenti contingit, consequens erit, ut quæ differunt diffinitionibus, differant etiam ex natura rei.

59. ioda- tur ada- ntum. Ad hoc argumentum constat ex dictis, satis esse distinctionem virtualem quoad præsens inter essentiam Dei, et relationem, v. g. Paternitatis, ad hoc ut essentia Dei communicetur Filio, non vero Paternitas : quia satis est prædicta distinctio, ad hoc ut formalitas illa divina identificans sibi tam essentiam, quam Paternitatem, ut inter se virtualiter distinctas opponatur Filiationi ratione Paternitatis ; non vero ratione essentiæ : nam eo ipso communicat Filio essentiam, quæ ei non opponitur, secus vero Paternitatem, cum qua Filiatio habet oppositionem. Unde ad argumentum concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ad primam probationem constat ex dictis, negandum esse antecedens. Nec instantia illa de ratione entis per essentiam, quæ nequit non communicari Filio communicata essentia, quia est idem cum essentia, aliquid convincit. Tum, quia ratio hæc entis per essentiam non habet oppositionem cum Filio. Tum etiam, quia si ratio entis per essentiam sumatur, ut est idem ac ratio entis, quod non sit ab alio precise tanquam a causa, secundum quam rationem est communis communitate rationis respectu omnium formalitatum divinarum, et in unaquaque ex illis per modum transcendentis inclusa pertinet ad lineam cujuslibet, ut disput. 4 num. 135 diximus, tunc non mirum, quod communicata essentia Filio non possit non ratio hæc communicari : siquidem non distinguitur virtualiter ab illa, communicatio illa essentiæ petit, ut sit secundum omnia, quæ ad lineam essentiæ pertinent. Si vero ratio entis per essentiam accipiatur, prout est idem ac ratio entis, quod non sit ab alio neque tanquam a causa, neque tanquam a ratione a priori, tunc potiori ratione mirandum non est, quod nequeat essentia divina communicari Filio secundum rationem essentiæ non communicata ratione hac entis per essentiam : siquidem hoc etiam pertinet ad rationem, et lineam divinæ essentiæ, et non qualitercumque, nempe per modum transcendentis, sed tanquam una ex potissimis, et peculiaribus rationibus essentiæ divinæ ut talis : et ideo nequit ab eadem virtualiter distingui.

Ad secundam vero probationem ejusdem antecedentis distinguendum est antecedens, *Debet illam communicare, prout est in se,* quoad ea, quæ pertinent ad ejus lineam, aut non habent oppositionem cum termino producto, concedatur. Quoad ea quæ sunt alterius lineæ, habentque oppositionem cum tali termino, negetur. Quia communicatio rei prout est in se debet esse communicatio sui prout est in se, non utcumque, sed prout est communicabilis : non est autem in se communicabilis quoad ea, quæ in ipsa sunt talis conditionis, ut opponantur cum termino producto.

Nec obest, si urgeas, quod hoc ipso, 60. Replica
quod essentia divina videatur prout est in se, et personalitates non distinguantur ab illa, debet videri quoad essentiam, et omnes personalitates? ergo etiam eo ipso, quod prædicta essentia communicetur prout est in se, debet communicari quoad omnia ista, si semel omnia illa non distinguantur actu, et secluso intellectu ab illa, sed sunt una et eadem formalitas. Antecedens constat ex illis, quæ in 1 tomo, tractatu 2, disputat. 7, numero 11 et sequentibus diximus. Consequentia vero ex paritate rationis videtur constare.

Respondetur enim ex dictis loco nuper Solvitur.
citato num. 25 concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia relationes non sunt oppositæ in ratione simul in se visibilium una cum essentia, sed potius id exposcunt, ut ibidem diximus : et ideo, ex eo quod videatur essentia, prout est in se, debent videri simul relationes. Cæterum prædictæ relationes sunt oppositæ in ratione simul communicabilium uni et ei-

dem personæ : et propterea, ex eo quod essentia sit communicabilis prout est in se, id est, quoad ea, quæ non opponuntur, sive non repugnant termino producto, non sequitur, quod debeat communicari Filio quoad relationem Paternitatis, secundum quam ei opponitur.

61. Dilucidatur hæc solutio. Possuntque hæc, et illa, quæ loco citato diximus, magis elucidari ex discrimine, quod intercedit inter terminum formalissimum, et rationem *sub qua* ex parte objecti se tenentem respectu visionis beatæ, et generationis Verbi divini. Nam terminus formalissimus, et ratio *sub qua* visionis beatæ est una et eadem formalissime absque distinctione virtuali, nempe, ipsissima ratio essentiæ divinæ, prout tam in se, quam in relationibus, et ut est ratio videndi eas, est una et eadem omnino sine virtuali distinctione sui . et ideo debet terminare visionem, ut est in omnibus personis divinis : ac proinde implicat, videri essentiam, prout est in se sub prædicta ratione, et non videri quoad omnes personalitates. Sicut, quia ratio operandi ad extra est una et eadem in omnibus divinis personis absque prædicta distinctione, propterea hoc ipso, quod una operetur ad extra, debet et alia operari, ita ut oppositum implicet : et ita, si una operante alia non operaretur, colligeretur, non esse in eis unam et eamdem omnino rationem operandi. Et similiter, si visa essentia ut est in se, non viderentur personæ, fieret etiam inde, non esse in eis eamdem prorsus rationem formalissimam visibilitatis.

Cæterum essentia divina, ut est terminus formalissimus generationis Verbi, non est ipsa essentia utcumque, sed ut peculiariter connotat relationem Filiationis. Sicut etiam principium formale *quo*, et activum ejusdem generationis non est utcumque ipsa essentia; sed ut connotat per modum connotati extrinseci Paternitatem : ex eo quod terminus formalis prædictæ generationis, et principium *quo* illius debent saltem pro connotato afferre aliquid, ratione cujus distinguantur, et opponantur. Et ita terminus formalissimus generationis non est ipsa essentia divina, ut tam in se, quam in Filio, et aliis personis est una, et eadem absque distinctione virtuali ; sed ut ratione connotati distinguitur virtualiter a Patre, eique opponitur ratione Filiationis. Ideoque, ex eo quod communicetur Filio essentia prout est in se, nequit colligi, communicandam esse Paternitatem, quæ cum ipsa identificatur, quæque cum Filio oppositionem habet; sed potius inde oppositum colligitur. Videantur tamen ea, quæ loco citato a num. 25 usque ad 28 diximus.

Ad primam confirmationem distinguatur antecedens : *Essentia divina, et relationes habent distinctas quasi diffinitiones,* quarum quælibet non adæquet illam formalitatem divinam quoad omnia, quæ affert, ut est una et eadem absque distinctione reali actuali, et formaliter tali, concedendum est : quarum quælibet eam modo dicto sumptam adæquet, negandum est : sic enim si esset illa divina formalitas quasi diffinienda, deberet quasi diffiniri, non per distinctas quasi diffinitiones, sed per hoc, quod formaliter eminenter est simul absoluta, et relativa, ac proinde affert ea, quæ sunt propria divinæ essentiæ, et relationum. Et deinde neganda est consequentia. Et ad probationem patet ex dictis. Nam distinctio ex natura rei inter aliqua non colligitur nisi ex diffinitionibus diversis, quarum quælibet adæquet quodvis ex illis quoad ea, quæ dicit ut est unum et idem realiter, non vero ex diffinitionibus inadæquatis, et solum explicantibus rem quoad unum extremum, ut ab ea virtualiter distinctum, et cum ipsa realiter identificatum, seu non distinctum ex natura rei : qualis est illa quasi diffinitio, qua explicatur ratio essentiæ divinæ ut distinctæ virtualiter a relatione et altera quasi diffinitio, qua declaratur ratio relationis ut virtualiter diversæ ab essentia. 62. Responsio ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmationem concedatur antecedens, et negetur consequentia. Et ratio disparitatis desumitur ex ipsa natura eorum, quæ conveniunt præcise per intellectum, et illorum, quæ competunt alicui ex natura rei. Nam ea, quæ conveniunt præcise per intellectum, sicut non habent esse nisi per illum, ita nec distingui : at ea, quæ conveniunt ex natura rei sicut habent esse secluso intellectu, ita juxta naturam et conditionem cujuslibet sunt apta ad hoc, ut distinguantur ab aliis aliquo ex generibus distinctionis, quæ possunt secluso intellectu competere. Cumque una ex his sit distinctio virtualis et hæc propter rationes factas sit juxta naturam et conditionem essentiæ divinæ, et relationis : inde est, ut ex eo quod essentia, et relatio distinguantur per aliquid eis conveniens ex natura rei, non colligatur, distinguendas esse distinctione ex natura rei : prout nomen distinctionis ex natura rei communi consensu 63. Ad secundam confirmationem.

consensu Theologorum accipitur, et denotat distinctionem formaliter talem, quæ sit minor distinctione rei a re, et secluso intellectu competat, quamvis extenso vocabulo distinctionis ex natura rei, prout denotaret distinctionem sive formalem, sive virtualem tantummodo provenientem ex propriis essentiæ ut sub conceptu essentiæ conceptibilis, et ex propriis relationum ut sub conceptu relationum conceptibilium, tunc posset concedi, distingui ex natura rei. Cæterum hic modus loquendi, et accipiendi distinctionem ex natura rei non est in usu apud Theologos ; et propterea absolute negandum est, essentiam divinam, et relationes ex natura rei distingui ; et solum concedendum est, illas virtualiter, sive distinctione fundamentali, aut distinctione rationis cum fundamento in re distingui.

§ IX.

Duo alia fundamenta pro adversariorum sententia proponuntur, et diluantur.

64. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem adversariorum sententia. Nam Filiatio, v. g. non identificatur actu, et secluso intellectu adæquate cum divina essentia : ergo aliquo modo differunt actu, et secluso intellectu. Antecedens est perspicuum. Nam ad adæquatam identificationem requiritur, ut unum sit actu omne aliud per identificationem, quod est illud, cum quo identificatur. Constat autem, Filiationem non esse identice omne illud, quod est essentia divina : siquidem essentia est etiam Paternitas per identitatem excludentem distinctionem rei a re : cum tamen Filiatio non sit hoc modo Paternitas, sed ab ea sicut res a re distinguatur. Consequentia vero probatur. Quia, cum identitas opponatur distinctioni, oportet, ut ea, quæ actu, et secluso intellectu non identificantur adæquate, debeant actu, et secluso intellectu aliquo modo distingui.

65. Respondetur. Respondetur concedendo, essentiam divinam, et Filiationem non identificari adæquate : quatenus per hoc tantum significatur, Filiationem non ita identificari cum essentia, ut simul identificetur cum omnibus, cum quibus divina essentia identificatur : sicut e converso essentia dicitur identificari adæquate cum Filiatione, quia identificatur cum omnibus illis, cum quibus prædicta Filiatio identificatur. Cæterum nihil est in essentia sub conceptu essentiæ pertinens ad ejus quidditatem, cum quo Filiatio non identificetur : et ita in hoc sensu potest dici, Filiationem identificari cum essentia adæquate. Hinc autem non sequitur, Filiationem distinguendam esse actu et formaliter, ac secluso intellectu ab essentia sub conceptu essentiæ ; sed tantum ab eo, cum quo identificatur essentia, et in quo Filiatio eam non adæquat, nec cum ipsa identificatur, scilicet a Paternitate.

Unde ad formam argumenti concedatur antecedens in priori sensu identificationis adæquatæ nuper dicto, et negetur in posteriori. Deinde debet negari consequentia : ad cujus probationem patet ex dictis, solum inde concludi distinctionem inter essentiam, et Filiationem quoad id, in quo non identificantur adæquate, seu quoad id, in quo Filiatio non adæquat essentiam quoad identificationem cum ipsa, scilicet quoad Paternitatem v. g. non vero quoad ea, secundum quæ habet quoad identificationem cum ipsa illam adæquare. Cumque Filiatio adæquet essentiam secundum omnia absoluta quoad hoc, quod est identificari cum illa : inde est, ut solum a Paternitate, v. g. debeat actu, et distinctione formaliter tali, ac secluso intellectu, distingui : sicut, quia identificatur eidem essentiæ, ut essentia est idem cum spiratione activa, propterea prædicta Filiatio nequit ab spiratione activa distinctione formaliter tali et secluso intellectu, distingui.

Hic modus adæquatæ identificationis essentiæ divinæ cum Filiatione, et Paternitate, nec non identificationis inadæquatæ cujuslibet ex illis cum essentia, ac proinde et distinctionis earum inter se congruit optime cum ratione illius formalitatis divinæ, quæ simul est formaliter eminenter ipsa essentia, et relationes inter se oppositæ. Nam etsi rationes istæ, dum inveniuntur limitato modo, ita se habeant, ut si aliquid identificetur adæquate Filiationi, v. g. distinguatur realiter ab omni eo, a quo ipsa Filiatio distinguitur : et similiter Filiatio nequeat identificari cum aliquo, quin identificetur cum omni eo, quod in illo est, quia id, cum quo ipsa limitato modo identificatur, est ita coarctatum, ut nequeat ad alia extendi, ad quæ ipsa relatio, ut est limitata, non valeat extendi : attamen quando rationes istæ non conveniunt limitate, ac proinde non petunt realiter distingui ab essentia 66. Illustratur enodatio.

absoluta, in qua sunt; sed eademmet formalitas habet eminenti modo esse simul absolutam, et relativam, et absque aliqua distinctione ex natura rei simul identificare omnes lineas relativas, tunc quod adæquate identificatur Filiationi, nempe divina essentia, non est necesse, ut distinguatur realiter ab eo, a quo Filiatio distinguitur : quia divina essentia ratione suæ eminentiæ petit identificare sibi, quidquid non habet cum ea oppositionem, nempe, omnes alias relationes divinas. Et similiter, per hoc quod Filiatio identificetur cum essentia non sequitur, identificandam esse cum omni eo, cum quo essentia identificatur : quia illa ratione suæ eminentiæ petit, quod realiter loquendo habeat aliquid per quod sit essentia, et per quod sit singulæ relationes : quod tamen non habet Filiatio.

67. Quartum fundamentum. Quarto probatur eadem contraria sententia. Nam Pater differt realiter a Filio : sed non differt realitate essentiæ : ergo alia realitate, nempe realitate Filiationis : ergo paædicta realitas est actu, et secluso intellectu, distincta a realitate essentiæ. Major est certa secundum fidem. Minor vero etiam constat : quia alias essent plures Dii. Utraque vero consequentia etiam videtur certa : quia, nisi illa realitas esset saltem ex natura rei distincta a realitate essentiæ, non posset tribuere Patri, quod distingueretur realiter a Filio per illam, si semel realitas essentiæ id non potest tribuere.

68. Diluitur. Respondetur concedendo majorem, et distinguendo minorem. *Non differt realitate essentia*, ut essentia distinguitur virtualiter a Paternitate, et dicit essentiam sub conceptu essentiæ, sive quoad prædicata absoluta, quæ secum affert, concedi debet : ut realitas essentiæ dicit alterum extremum identificatum cum ipsa, et virtualiter ab illa distinctum, scilicet relationem realem Paternitatis, neganda est. Et deinde negari debet consequentia. Quia ad hoc, ut Pater differat realiter a Filio per Paternitatem, et non per essentiam, ut est conceptibilis sub conceptu essentiæ, satis est, quod rationes essentiæ, et relationis Paternitatis contineantur formaliter eminenter in una et eadem simplicissima formalitate cum distinctione virtuali inter utrumque : nam eo ipso habent virtutem ad præstandum propria plurium, non minus ac si essent plures. Et ita, sicut paternitas, dum invenitur limitato modo in creaturis, distinguitur ratione limitationis realiter a Petro v. g. in quo est, et ab ejus essentia; et ratione sui, et quatenus paternitas realis est, opponitur filiationi, et realiter ab ea distinguitur : ita in divinis, quia desunt limitationes paternitatis, idcirco deest distinctio realis formaliter talis inter essentiam Patris, et ejus Paternitatem, et utraque constituit unam et eandem simplicissimam, ac eminentem formalitatem solummodo virtualiter multiplicem. Quia vero ea, quæ sunt propria paternitatis realis ut talis, nempe, referri *ut quo* realiter ad filium, et ei opponi, ab eoque realiter actualiter distingui, debent in relatione Paternitatis divinæ reperiri : ideo una cum distinctione virtuali, sive fundamentali ejus ab essentia debet in ea reperiri, quod sit ratio distinguendi realiter Patrem a Filio.

§ X.

Fundamentum ultimum oppositæ sententia, et occursus ad illud.

Ultimo probatur adversariorum sententia. Quia sancti Patres indicant, essentiam, et relationes distingui secluso intellectu. Nam Damascenus lib. 1 de fide cap. 9, 11 et 13 constituit inter essentiam divinam, et relationes illud distinctionis genus, quod reperitur inter rem, et ejus modum. Constat autem, rem, et modum ejus distingui secluso intellectu. Et Anselmus lib. de Incarnatione cap. 3 inquit, aliud esse Patrem, et aliud esse Deum : si autem Paternitas, et Deitas non distinguerentur secluso intellectu, non esset ibi aliud. Et deinde Augustinus lib. 7 de Trinitate cap. 2 inquit, Verbum divinum magis differre a Dei sapientia, quam sapientia differat ab essentia : ac proinde sentit, Verbum, et sapientiam divinam differre ex natura rei, et secluso intellectu; siquidem essentia, et sapientia Dei distinguuntur ratione, et virtualiter : et sola distinctio actualis, ac secluso intellectu, potest esse major, quam distinctio rationis, et virtualis. Tandem idem Augustinus ibidem cap. 4 docet, Patrem divinum non esse Patrem ea ratione, qua Deus est : ergo sentit, non esse eamdem rationem Patris, et Dei, sed distingui ex natura rei : alioqui Pater ea ratione esset Pater, qua Deus. 69. Ultimum fundamentum Damasc. Anselm. August. Idem.

Respondetur, Patres solum denotare, esse inter essentiam, et relationes distinctionem virtualem, sive fundamentalem, aut rationis 70. Enodatur funda-

mentum et aperitur mens SS. Patrum. Ad Damascenum.

rationis cum fundamento in re. Hoc autem magis innotescet, si testimoniis eorundem Patrem in hoc argumento adductis sigillatim satisfaciamus. Unde ad Damascenum dicimus, satis esse hanc distinctionem ad hoc, ut relatio comparetur ad instar modi respectu divinæ essentiæ : id autem, quod se habet ad instar modi respectu alterius debet distinctione ex natura rei distingui ab illo, quoties limitato modo in illo invenitur; secus vero, si illimitato, seu eminenti modo ibidem fuerit, ut in præsenti contingit : et propterea satis est, ibidem virtualem distinctionem reperiri.

Ad Anselmum.

Et similiter Anselmus solum voluit esse aliud, et aliud virtualiter in divinis, hoc ipso quod ibi sint essentia, et relationes. Quia unaquæque ex illis affert suam rationem formalem virtualiter diversam a ratione formali alterius.

Ad testimonium Augustini.

Augustinus autem solum intendit, quod intra genus distinctionis virtualis magis differt essentia, vel sapientia Dei a relationibus, quam sapientia differat ab essentia. Nam sicut intra genus distinctionis realis actualis, et formaliter talis una distinctio realis est major altera : ita intra genus distinctionis virtualis, ut in præsenti cernitur : quoniam essentia, et sapientia, differunt virtualiter per modum formalitatum virtualiter diversarum, convenientium tamen in hoc, quod utraque est absoluta, nec non in hoc quod quævis ex illis identificatur alteri omnino adæquate; secus vero Filiatio, et essentia divina. Et tandem Augustinus, dum inquit Patrem, non esse Patrem ea ratione, qua est Deus, non loquitur in sensu identico de ea ratione, qua est Deus; sed de ea ratione, qua est Deus, ut virtualiter distinguitur a relatione Paternitatis; nam hoc ipso quod in una et eadem realiter simplicissima formalitate sint plures rationes virtualiter distinctæ, tunc, si reduplicetur supra illas, ut virtualiter distinctæ sunt nequit verificari de una, quod verificatur de altera; sed tunc quodammodo ita se habent, ut præcise sunt sub illa reduplicatione, ac si alias non identificarentur realiter. Et propterea de puncto lineæ verificatur, quod, ut est finis unius partis, non est principium alterius, et quod non ea ratione est principium, qua est finis, ut latius in hoc eodem dubio a n. 44 usque ad n. 54 explicuimus.

DUBIUM III.

Utrum tanta sit identitas inter essentiam Dei, et relationes divinas, ut istæ, quatenus virtualiter distinctæ ab essentia, intrinsece includant illam?

Ut decisio hujus dubii, et quid in eo inquiratur, clarius pateat, placuit primo loco, breviter tamen, titulum explicare.

§ I.

Explicatio tituli.

Postquam explicuimus, relationes divinas, et essentiam Dei non distingui actu 71.
ex natura rei; sed solum virtualiter, restat, ut explicemus, quomodo quatenus sic distinctæ comparentur, qualisque sit hæc distinctio virtualis ex parte relationis collatæ cam divina essentia, an nimirum distinguantur virtualiter ab eadem essentia, ut includens eam, et aliquid addens super ipsam; an vero, ut quid omnino excludens illam a sua ratione formalissima?

Explicatio tituli.

Consulto autem in titulo inquirimus de relationibus divinis, ut virtualiter distinctis ab essentia : quia de eisdem, ut sunt idem actu realiter formaliter cum divina essentia, et per consequens de illa formalitate eminente identificante sibi tam *esse* relativum, quam *esse* absolutum, dubitari nequit, quin intrinsece includat essentiam : alioqui non esset formalitas eminentissima formaliter eminenter claudens *esse* absolutum, et relativum. Et propterea optime dixit Cajetanus infra quæst. 39 art. 1 § *Ad evidentiam*, et quæst. præcedenti art. 2 circa solut. ad 3 quod *ipsa perfectio divini esse si secundum se (ut sic liceat loqui) diffiniretur, hæc omnia* (scilicet essentiam divinam, et proprietates personales, et omnia, quæ sunt in Deo formaliter) *in se concluderet*. Et ita solum restat difficultas de prædictis relationibus, ut virtualiter, sive (quod in idem quoad præsens redit) ut ratione ratiocinata ab essentia distinguuntur. Unde dubium hoc non procedit in sententia Scoti, et aliorum qui essentiam divinam a relationibus ex natura rei distinguunt. Nam supposita hac distinctione, et sententia, planum est, relationes ut sic distinctas non includere essentiam, sed præcise importare *esse* relativum.

Cajetan.

Et similiter consulto in eodem titulo inquisivimus de relationibus divinis in

abstracto, non vero de eisdem in concreto, seu de relativis divinis. Quia relationes prædictæ in concreto, ut Pater, si considerentur quoad omnia, que in concreto dicunt, tunc, adhuc ut distinctæ virtualiter ab essentia, includunt illam : siquidem ipsa essentia in concreto prædicatur formaliter de Patre : atque adeo distinctio hæc virtualis tantum erit distinctio includentis, et inclusi : cum tamen non sit ita certum, prædictam essentiam in abstracto includi in relatione in abstracto etiam significata : et propterea ad id explicandum, dubium hoc peculiariter de relationibus divinis excitamus.

§ II.

Aliqua ad dubii decisionem prælibantur.

72. Prima animadversio pro resolutione dubii. Pro hujus dubii decisione recolendum est primo in memoriam id, quod in 2 tomo tractatu 4 disputatione 4 a numero 17 usque ad 21 tetigimus, et disputatione 7 a numero 72 usque ad 78 nec non 85 et 86 paulo latius diximus, nempe, essentiam, sive naturam divinam, nec non et attributa posse distingui in duos conceptus, nempe, in se ipsa, ut habent rationem transcendentium, et in se ipsa, ut sortiuntur rationem essentiæ, sive naturæ divinæ, et artributorum, exercentque formalissime, et expresse hæc munera.

Animadversio secunda. Secundo recolendum est, essentiam, sive naturam, et attributa divina sumpta secundum rationem transcendentium, et ut sortiuntur rationem essentiæ, sive naturæ Dei, et attributorum, non ita distingui, adhuc secundum nostros conceptus, ut natura, v. g. secundum quod concipitur sub conceptu naturæ, importet aliquid positivum, quod non importet sub conceptu transcendentis, aut e converso, Quia eadem ipsissima formalitas quoad positium, quod affert, exercet utrumque munus, et habet rationem essentiæ, seu naturæ ut naturæ, et similiter rationem transcendentis; sed distingui penes diversas carentias, quas connotant.

Animadversio tertia. Tertio recolendum est carentias, quas diximus importari ab essentia divina, et attributis secundum prædictas considerationes acceptis, differre in hoc, quod carentia, quam affert natura divina, v. g. sub conceptu transcendentis, dicit carentiam ultimitatis, et terminationis in quavis serie, et linea divina : quatenus per hoc significatur, quod secundum hanc rationem habet imbibi in omnibus aliis lineis divinis, et in eis contrahi per modos seu rationes quasi differentiales proprias illarum linearum, ut in linea justitiæ per modum proprium justitiæ, et in linea intellectus per modum proprium ejusdem intellectus : et ideo affert, quod ipsa divina natura sic sumpta non sit ultima ratio alicujus ex prædictis lineis, nec consideretur formalissime, ut dicit suam rationem ultimam in linea naturæ sub conceptu naturæ, sed dicat hanc eandem rationem naturæ quoad positivum, quod affert, quatenus totum hoc est ulterius contrahibile, et determinabile per modos proprios aliarum linearum : ac proinde non consideratur, ut habet rationem ultimæ, sive in sua linea, sive in quavis alia linea divina.

Cæterum carentia, quam affert eadem natura divina, non sub conceptu transcendentis, sed sub conceptu naturæ divinæ ut talis, dicit carentiam ulterioris contractionis per aliquid positivum pertinens ad lineam naturæ, aut quamvis aliam lineam, quod se habeat ad instar rationis quasi differentialis respectu illius : quia natura divina sub conceptu naturæ dicit divinum *intelligere* primordiale, quatenus ita constituit unicam lineam, sive seriem, aut latitudinem divinam, ut, licet prædicta linea includat omnia divina per modum transcendentium sumpta ; attamen illa linea naturæ non contrahatur, ut est sub conceptu naturæ per aliquid positivum spectans ad aliquam lineam divinam, quod se habeat ad instar rationis quasi differentialis, sed illa series, et combinatio divinarum formalitatum, quas includit, præcise sistat in *intelligere* primordiali tanquam in ratione quasi differentiali illius : quod idem cum proportione, de divinis attributis, ut habent rationem tum transcendentium, tum attributorum, dicimus. 73.

Unde, ut loco citato asserebamus, linea voluntatis v. g. ut habet rationem attributi voluntatis, nihil aliud erit, quam modus ille, seu ratio quasi differentialis propria voluntatis, ut imbibit per modum transcendentis omnes rationes formales, saltem absolutas, et divinas secundum omnes rationes etiam differentiales, positivas tamen, quas afferunt : ita ut modus ille, seu ratio quasi differentialis propria voluntatis sit omnino ultima in hac latitudine, seu linea, et post ipsam nulla alia sequatur in illa latitudine : et ita sit omnino tam positive,

tive, quam negative ultima : ac proinde afferat carentiam jam dictam. E contra vero eadem divina voluntas, non quidem sub conceptu attributi, sed sub conceptu transcendentis considerata, dicit se ipsam quoad omne positivum, quod affert, quatenus imbibitur in omnibus aliis lineis, et in omnibus illis contrahitur per modos proprios earum : et per consequens affert carentiam ultimitatis jam explicatam.

§ III.

Assertio prior ex mente D. Thomæ.

74. Prima assertio. Dicendum ergo est primo, quod, si essentia, sine natura divina sumatur sub conceptu essentiæ, aut naturæ, et ut munus hoc exercet, tunc non includitur intrinsece, et essentialiter in conceptu relationum ut virtualiter distinctarum ab eadem essentia, et natura sic accepta. Assertionem hanc tuentur communiter Theologi cum Angelico Doctore, et satis clare deducitur ex iis quæ ex eodem S. Doctore locis citatis latius diximus quæque modo tangebamus. (Probatur ex dictis.) Quia divina natura sub conceptu naturæ dicit, non utcumque totum id positivum, quod ad lineam naturæ Dei, nempe, ad ipsum *intelligere* primordiale pertinet, sed hoc ipsum, quatenus dicit carentiam ulterioris contractionis in quavis linea, aut serie divina : ergo repugnat, quod sub conceptu naturæ includatur in divinis relationibus. Patet consequentia. Quia hoc ipso, quod in illis includatur, concipitur, quatenus sic est in eis inclusa, tanquam aliquid ulterius contrahibile, et determinabile per modos proprios, et rationes quasi differentiales relationum v. g. Paternitatis : ita ut in illa serie, sive linea divinæ Paternitatis habeat Paternitas esse ratio ultima contrahens prædicata quoquo modo ad illam essentialiter spectantia, et habent se veluti per modum rationis quasi differentialis, et omnino ultimæ intra prædictam lineam : ergo, ut ibidem includitur, non dicit rationem naturæ sub conceptu naturæ, ex defectu prædictæ carentiæ, et ultimitatis.

75. Confirmatur. Confirmatur, et explicatur. Quoniam natura divina sub conceptu naturæ dicit divinum *intelligere* primordiale, ut est radix relationum, et omnium aliorum attributorum tanquam proprietatum ipsius : ac proinde quatenus est talis conditionis, ut licet possit determinari per omnia ista eo modo quo essentia determinatur per suas proprietates : non tamen eo modo, quo ratio communis, sive communitate rei, sive communitate rationis determinatur, et ulterius contrahitur per aliqua tanquam per rationes quasi differentiales, et essentiales, seu eo modo, quo prædicata transcendentia per modos sibi correspondentes contrahuntur : ergo repugnat, quod natura divina sub conceptu naturæ includatur in prædictis proprietatibus tanquam quid essentiale ipsis. Patet consequentia. Quoniam, si secundum istam rationem in illis sic includeretur, tunc non contraheretur per prædictâs proprietates eo modo, quo essentia contrahitur, seu determinatur per proprietates ut tales; sed eo modo, quo prædicata communia, et essentialia determinantur per rationes inferiores essentiales, et differentiales, quod quidem pugnat cum conceptu naturæ divinæ, quatenus est sub conceptu naturæ, ut ex dictis constat.

§ IV.

Assertio posterior ex Doctore Angelico desumpta, et primum ejus fundamentum.

Dicendum est secundo, quod, si divina essentia, sive natura accipiatur, ut habet rationem transcendentis, tunc intrinsece, et essentialiter clauditur in conceptu relationum quoad omne positivum, quod prædicta essentia, sive natura affert. Assertio hæc desumitur ex D. Th. infra q. 33 art. 3 ad 1 ubi sic habet : *Communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria : quia includuntur in intellectu propriorum.* Cumque non includantur sub conceptu naturæ aut attributorum, ut dictum est, oportet, quod includantur, quatenus concipiuntur per modum transcendentis. 76. Assertio secunda et primum argumentum ex D.Thom.

Nec obest solutio Ægidii loco in hoc eodem dubio infra referendo, nempe, Sanctum Doctorem loqui de propriis, et communibus in concreto; non vero in abstracto. Constat autem, Patrem æternum includere divinam essentiam : siquidem est vere Deus, cum tamen Paternitas eam non includat. Sicut certum est, suppositum humanum in concreto sumptum includere humanitatem; cum tamen personalitas hominis in abstracto considerata eam non includat. 77. Effugium. Ægidius.

Non igitur hoc obest. Quoniam D. Th. absolute loquitur de communibus, et propriis, quæ sunt in divinis, sentiens, omnia (Evanescit.)

communia includi in quibusvis propriis Dei, licet hanc doctrinam generalem ibidem applicuerit ad communia, et propria in concreto accepta, et exemplificaverit in propriis in concreto etiam sumptis.

Unde in hoc art. ubi loquebatur de communibus, et propriis in abstracto acceptis, hanc eamdem doctrinam de inclusione communium in propriis applicuit ad propria in abstracto etiam accepta his verbis : *Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens. In hoc vero, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam : sed magis ad suum oppositum.* Ubi in hoc comparat S. Doctor relationem creatam in abstracto cum divina in abstracto etiam sumpta, quod, sicut creata habet *esse* accidentale in subjecto, ita divina, ut correspondet creatæ, habet *esse* essentiæ divinæ. Cumque relatio creata, ut habet *esse* accidentale in suo subjecto, includat in suo conceptu rationem communem accidentis : consequens est, ut etiam relatio divina includat in suo conceptu id, quod correspondet in ea relationi creatæ, ut est in suo subjecto : ac proinde claudat in suo conceptu rationem essentiæ : secundum quam juxta mentem D. Th. correspondet relationi createm secundum prædictam rationem consideratæ.

Et hoc ipsum docuit de Potentia q. 8 art. 2 his verbis : *Et sicut relatio in rebus creatis oportet quod sit accidens : ita oportet, quod sit in Deo substantia : quia quidquid est in Deo, est ejus substantia. Oportet ergo relationes secundum rem esse divinam substantiam.* Ubi ex eo, quod relatio in rebus creatis est accidens, colligit, relationem divinam esse ipsam substantiam Dei : ac proinde essentialiter includere substantiam Dei, sicut relatio creata rationem accidentis : et ex hoc colligit, relationem esse secundum rem divinam substantiam : quia id, quod includit aliud per modum transcendentis quoad omne positivum ab eo allatum, non potest ab eo realiter actualiter quoad prædictum positivum distingui, sive ratio illa transcendens sumatur, ut est transcendens, sive ut habet rationem, v. g. essentiæ, et naturæ : quia positivum utriusque rationis est omnino unum et idem.

Zumel. Bannez. Unde hanc eamdem sententiam tuentur Zumel in præsenti quæst. 2 et 3 Bannez ad hunc eumdem articulum dub. 3 ad 6 ubi pro ea refert Cajetanum, Nazarius controversia 1 conclus. 7, Torres disput. 3, Suarez lib. 4 de Trinit. c. 7, Valentia lib. 1 de Trinit. cap. 29 colum. 3, Arrubal disp. 101 c. 4 n. 26, Granado tract. 3 de Trinitate disp. 4 sect. 2, et alii. Cajetan. Nazar. Torres. Suarez. Valentia. Arrubal. Granado.

Ratio prior, et fundamentalis pro hac assertione desumitur ex D. Thoma in verbis relatis ex hoc art. et quæst. citata de Potentia, quam supra dubio 2 hujus disputationis numero 24 adduximus ad probandam identitatem formalem inter essentiam divinam, et relationes, quæque potest (quoad præsens attinet) sub hac forma proponi, et urgeri. Nam de relationibus divinis philosophari debemus ad instar relationum creatarum, semotis tamen imperfectionibus, et tribuendo illis absolute et simpliciter sumptis omnem excogitabilem perfectionem, quæ cum earum rationibus formalibus non pugnaverit : sed relationes creatæ præter esse *ad* relativum, quod ex suis peculiaribus rationibus formalibus dicunt, includunt intime, et essentialiter esse *in* absolutum : ergo etiam relationes divinæ ultra proprium esse *ad* relativum includent essentialiter aliquod (ut sic dicamus) esse *in* absolutum semotis imperfectionibus, seu aliquid absolutum, et perfectissimum correspondens prædicto esse *in* absoluto relationum creatarum, nempe *esse* absolutum, et perfectissimum divinæ essentiæ. 78. Ratio prima fundamentalis.

Major constat inductive in aliis rationibus formalibus divinis, ut in liberalitate, misericordia, et justitia, de quibus philosophamur ad instar illorum, quæ reperiuntur in his virtutibus in creaturis, removendo tamen imperfectiones inhærentiæ et alias similes; et tribuendo eis *esse* substantiale perfectissimum, et infinitum, et quidquid cum earum formalibus rationibus non pugnat.

Minor autem constat ex iis, quæ in hac disputatione num. 21, diximus, nempe, relationem creatam respicere subjectum, tum ut trahat illud ad terminum, secundum quam rationem dicit *in* relativum, tum etiam ut sustentetur ab eo tanquam a vero subjecto, et causa materiali sui *esse*, et secundum hanc rationem dicit *in* absolutum : quia sicut subjectum præcise ratione sui, rationeque propriæ consistentiæ actualis et perfectionis habet sustentare relationem : ita ipsa relatio, quatenus respicit subjectum ut sustentativum, et causam materialem sui *esse* sistit secundum hunc conceptum, 79.

conceptum, et habitudinem inadæquatam in subjecto : ac proinde prædicta habitudo, seu prædictum *in* est absolutum, non vero formaliter relativum de prædicamento relationis : quippe quod non sumitur ex correlativo, sed ex subjecto.

Consequentia autem ejusdem primi, et principalis syllogismi hujus rationis ex utraque præmissa nuper probata satis videtur constare. Unde videmus, quod sapientiæ creatæ, quæ habet duas rationes, nempe, quod sit inhærens, et quod sit cognitio rei per altissimas causas, finita tamen et limitata, correspondet in divina sapientia duplex alia ratio; ita ut primæ rationi inhærentiæ correspondeat *esse* substantiale, et independens ab alio ut a subjecto, includensque omnem perfectionem, quæ cum ejus natura non pugnat, et secundæ rationi debeat correspondere esse perfectissimam, et infinitam cognitionem rei per altissimas causas.

§ V.

Adversariorum prima responsio ad præcedentem rationem D. Thomæ, et ejus impugnatio.

Ex quibus omnibus fit primo, nihil obesse, si huic rationi occurras ex Vasquez disp. citata cap. 3, unamquamque relationem sive creatam, sive increatam, et divinam afferre *in*, et *ad*, aliter tamen, et aliter. Nam relatio creata importat *in* secundum rem, seu *in* reale; relatio vero increata *in* secundum rationem, quatenus concipitur a nobis quasi inesse in essentia divina. Et ita non sequitur, quod includat essentialiter in suo conceptu aliquod *in* absolutum, et reale, sive ipsum *esse* absolutum, et per se subsistens divinæ essentiæ.

Ex dictis igitur fit primo, nihil obesse hanc solutionem. Quoniam sicut relationi creatæ, quatenus dicit *esse ad* relativum, correspondet in divina relatione aliquid reale : ita esse *in* absoluto ejusdem relationis creatæ debet correspondere in relationibus divinis aliquid absolutum secundum rem semotis imperfectionibus, atque adeo *esse* absolutum, et per se subsistens divinæ essentiæ ibidem essentialiter inclusum : sicut in relatione creata invenitur essentialiter inclusa ratio aliqua absoluta, nempe, *esse in* jam explicatum.

Confirmatur. Nam, etsi relatio divina, v. g. Filiatio, non inhæreat per modum veri, et realis accidentis in Filio, aut essentia divina; attamen præbet fundamentum intellectui nostro ad hoc, ut concipiamus illam, ut quasi inhærentem, semotis tamen imperfectionibus, seu afficientem (modo alibi tangendo) Filium, et ipsam divinam essentiam, ut habet rationem essentiæ, sive naturæ : ergo, sicut relatio creata dicit essentialiter duplex *in* reale; aliud relativum, quo vere et realiter inest subjecto trahendo illud ad terminum; aliud vero absolutum, quo respicit subjectum sistendo in illo propter rationem jam dictam : ita relatio divina præbet fundamentum intellectui nostro ad hoc, ut concipiamus in illa duplex *in* secundum rationem, semotis tamen imperfectionibus; aliud, quo intelligatur afficere personam v. g. Filii, trahendo illam ad Patrem; aliud vero, quo afficiat divinam essentiam sub conceptu essentiæ, sive naturæ, et respiciendo illam eo modo, quo proprietas respicit essentiam, et naturam ut talem, a qua dimanat, quamque afficit, aut quasi afficit : ergo hoc *in* secundum rationem fundamentaliter sumptum erit aliquid absolutum : siquidem, sicut essentia, ut habet rationem essentiæ, non est talis per ordinem ad Filium, ita respectus proprietatis ad essentiam sub conceptu essentiæ sistit in ipsa essentia : et per consequens essentialiter includet aliquod *esse* absolutum, ratione cujus fundet prædictum *in* secundum rationem, quod quidem non sit *esse* aliud præter *esse* absolutum divinæ essentiæ, ut ex dictis, et ex statim dicendis magis constabit.

§ VI.

Solutio alia ejusdem rationis Angelici Doctoris, et illius eversio.

Fit secundo, nihil etiam referre, si aliter cum Juniore quodam occurras, quod ex hac ratione ad summum sequitur, relationem divinam debere includere aliquod *esse* absolutum per se subsistens; non tamen *esse* absolutum divinæ essentiæ. Sicut licet sapientia creata dicat *in* absolutum, et accidentale; non tamen inde fit, quod id, quod correspondet huic rationi in sapientia increata, sit *esse* absolutum divinæ essentiæ; sed ratio substantiæ divinæ independens ab alio ut a subjecto, quæ sit communis communitate rationis respectu omnium formalitatum divinarum, quæque adhuc secundum rationem substantiæ divinæ dis- 82. Secunda evasio Junioris.

tinguatur virtualiter ab illa (ut sic dicamus) portione divinæ substantiæ, quæ convenit divinæ essentiæ, et attributis.

Animadversio pro validiori prædictæ evasionis impugnatione. Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Quoniam id, quod invenitur in relatione creata satis ostendit, relationem divinam debere essentialiter includere *esse* absolutum divinæ essentiæ. Hoc autem sic explicatur, animadvertendo prius, quod illud *in* absolutum repertum in relatione creata, non est *in* absolutum ut sic, ita ut immediate, aut directe contrahatur per *in*, seu per *ad* relativum. Quia, sicut esse *ad* relativum in communi acceptum debet contrahi per particulares modos, sive rationes differentiales relativas : ita esse *in* absolutum repertum in relatione creata debet contrahi per speciale, et atomum esse *in* absolutum ibidem inventum.

83. Ratio animadversionis. Et ratio videtur aperta utrobique ex alibi dictis, et communiter receptis, nempe, quod id, quod est commune, et transcendens communitate rationis, habet duo. Tum, quod non distinguitur virtualiter ab eo, in quo transcenditur : et ideo ens inclusum in rationalitate non distinguitur virtualiter ab illa. Tum etiam, quod non constituit peculiarem lineam, sed est lineæ illius rationis formalis atomæ, in qua transcenditur. Et propterea ens sic imbibitum in relatione creata non constituit peculiarem lineam distinctam ab eadem relatione; sed inclusum ibidem est formaliter relativum : sicuti etiam inclusum in re absoluta, est formaliter absolutum : ergo, cum *in* absolutum inclusum in relatione creata per modum transcendentis sit commune communitate rationis respectu illius, et aliorum prædicamentorum, et semper conservet, quod sit *in* absolutum, oportet, ut imbibatur per modum transcendentis, non quidem in ipso *in* relativo, seu in ipso *ad* respiciente subjectum ut trahibile ad terminum; sed in speciali aliquo *in* absoluto, ut ita prædicta ratio accidentis absoluti generalissime sumpta, seu prædictum *in* absolutum possit ibidem conservare rationem suam absolutam, et indistinctionem virtualem ab eo, in quo transcenditur; quam tamen rationem absolutam una cum prædicta indistinctione virtuali non posset conservare, si id, in quo transcenditur, esset ipsum *ad*, seu *in* relativum : siquidem, ut dicebamus, id, quod est commune per modum transcendentis communitate rationis, debet esse relativum, vel transcenditur in ratione relativa, et non absolutum; et id, quod est absolutum, et rationem absoluti conservat, non potest non virtualiter distingui ab *esse* relativo. Unde rationem, ut sic dicamus, quasi differentialem, et absolutam repertam in relatione, in qua transcenditur *in* absolutum ut sic, possumus non incongrue circumloqui per hoc, quod sit *in* absolutum, seu peculiaris ratio determinans *in* absolutum, quæ sit talis conditionis, ut trahat secum indispensabiliter esse *ad* relativum, ipsumque proxime initiet.

Hinc ergo ad intentum suadendum sequens deducitur impugnatio. Quoniam illud *in* absolutum repertum in relatione creata non est *in* absolutum ut sic, ita ut immediate, aut directe contrahatur per *in*, seu per *ad* relativum; sed per speciale *in* absolutum jam explicatum, ut num. præcedenti ostendimus : ergo etiam illud *esse* absolutum, quod in divina relatione correspondet huic *in* absoluto, non erit præcise *esse* absolutum divinum ut sic, quod est commune communitate rationis respectu omnium rationum absolutarum, quæ in Deo reperiuntur; sed erit *esse* absolutum includens hanc rationem, et contrahens, aut quasi contrahens illam per specialem modum, aut quasi rationem differentialem absolutam, ut ita detur debita proportio inter contrahibile, quod est commune communitate rationis, et inter contrahens : et per consequens illud *esse* absolutum erit *esse* absolutum divinæ essentiæ; imo et divinorum attributorum. 84. Hinc confutatur Junioris evasio.

Patet hæc ultima consequentia. Tum, quia in divinis non datur *esse* absolutum peculiare quasi atome contractum, nisi *esse* absolutum divinæ essentiæ, et attributorum, ut communiter docent omnes Theologi : et nequit (ut ex statim dicendis amplius patebit) includi in relationibus *esse* absolutum divinæ essentiæ, quin includatur ibidem *esse* absolutum divinorum attributorum; et e converso.

Tum etiam, quia illud *esse* absolutum quasi atome contractum intra lineam absoluti, si distingueretur ab *esse* absoluto divinæ essentiæ, et attributorum, non posset esse nisi in eo, in quo *esse* absolutum proprium relationis creatæ distinguitur ab *esse* absoluto aliorum accidentium, nempe in hoc, quod intime, et indispensabiliter afferret secum *esse* relativum, ita ut cui conveniat illud peculiare *esse* absolutum, conveniat etiam *esse* relativum, et non sufficiat, quod alias identificet sibi prædictum *esse* relativum :

relativum : quia hoc etiam reperitur in *esse* absoluto proprio divinæ essentiæ, et attributorum : ergo eo ipso tale *esse* absolutum distinctum ab *esse* absoluto, v. g. divinæ essentiæ, nequibit in Deo reperiri, in quo, quidquid est absolutum, est commune omnibus personis, et relationibus, absque eo quod *esse* relativum proprium unius personæ conveniat, aut possit convenire alteri.

85. Rejicitur id quod adducitur pro evasione firmanda.

Neque id, quod de *esse* absoluto sapientiæ increatæ correspondente rationi accidentis repertæ in sapientia creata objicitur, est alicujus roboris. Nam, ut ex iis, quæ in sequenti ratione dicemus, satis patebit, sapientia increata, ultra illud *esse* absolutum in hac responsione assignatum, debet etiam includere *esse* absolutum divinæ essentiæ per modum transcendentis in ea inclusum. Quia non solum debet ei correspondere aliqua ratio libera ab imperfectionibus, sed talis conditionis, ut habeat omnem excogitabilem perfectionem , quæ cum natura ejus non pugnaverit : non pugnat autem cum sapientia increata, et infinite perfecta, ut includat in sua ratione infinitatem in genere entis, ex eo quod in ea ipsa divina essentia, et attributa per modum transcendentis includantur : sicut, id non repugnare in divinis relationibus, satis ex ratione facta constat.

§ VII.

Objectio notanda contra eamdem priorem rationem secundæ assertionis, et enodatio ejus.

86. Objectio prima contra secundam [illegible]

Neque obest, si ultra evasiones datas ad enervandam hanc rationem D. Thomæ objicias primo, non posse cohærere cum natura relationis creatæ prædicamentalis , quod dicat hoc duplex *in* : ergo ratio Angelici Præceptoris hoc supponens ruit. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Tum, quia relatio creata diffinitur per hoc, quod totum suum *esse* sit ad aliud : ergo non includit essentialiter *in* absolutum, et multo minus *in* speciale absolutum ; sed solum *in* relativum, seu ipsum *ad*, quod ita sit ad terminum, ut faciat, quod etiam subjectum, cui inest, trahatur ratione illius ad eumdem terminum. Patet consequentia : quia alioqui non posset salvari, quod totum *esse* ejus, sed solum aliquid ejus esset ad terminum. Tum etiam, quia alias prædicamentum relationis non esset simplicissimum; sed compositum ex duplici isto *in*, alio quidem absoluto, alio vero relativo virtualiter inter se distinctis : quod quidem pugnat cum generalissimo relationis, sicut et cum aliis generalissimis : et propterea quantitas, v. g. ut constituit generalissimum, non constat ex multiplici ratione virtualiter distincta ; sed dicit quid simplicissimum, et quidquid in eo includitur, scilicet ratio entis, et accidentis ut sic, non distinguitur virtualiter ab eo, neque cum illo compositionem facit, ut nostri Complutenses in sua Logica disput. 11 num. 52 docent. Tum denique, quia cum natura differentiarum pugnat, quod coalescant ex duplici ratione virtualiter distincta , ut prædicti Complut. disput. 7 suæ Logicæ N. Compl.
num. 41 docent : ergo etiam cum ratione (ut sic dicamus) ultima constitutiva generalissimi prædicamenti relationis :: ac proinde cum ipsa natura prædicamenti relationis creatæ pugnabit, quod in ea sit duplex ratio *in* virtualiter distincta, per quam in sua peculiari ratione generalissimi constituatur, et ab omnibus aliis distinguatur. Occurritur.

Respondetur enim negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod etsi relatio prædicamentalis adæquate sumpta importet utrumque *in* jam explicatum : nihilominus aliter importat *in* absolutum, et aliter relativum. Quoniam illud prius *in* affertur ab ea, tanquam quid initiative, proxime tamen, et intrinsece pertinens ad ipsam, et hoc modo illam constituens; attamen posterius *in* spectat ad eam per modum constitutivi formalis, et ultimati, ita ut tota et adæquata ratio relationis ex hoc *in* absoluto, ut ex initiativo suæ essentiæ, et ex *in* relativo, seu esse *ad*, ut ex formalissimo, et ultimo constitutivo coalescat. Unde non mirum, quod relatio diffiniatur per hoc, quod totum suum *esse* est ad aliud : quia diffinitur quoad id, quod est in ea formalissimum, et ultimate constitutivum, et quoad hoc verissimum est, totum suum esse consistere in hoc, quod sit ad aliud.

87. Aliter fit satis objectioni.

Adde, quod explicato hoc ultimo constitutivo, et relatione ipsa, ut ex eo constitutur, manet ibidem virtualiter explicatum aliud *in* absolutum consistens in hoc, quod sit talis conditionis, ut habeat indispensabilem nexum cum ipso esse *ad*. Quia cum prædictum esse *ad*, ut respiciens subjectum trahendo illud ad terminum, seu (quod in idem redit) ipsum *in* relativum sit id, quod est formalissimum relationis, oportet, ut

explicato hoc, explicetur implicite quoad cuncta, quæ in ea inveniuntur : nam *in* absolutum debet esse talis conditionis, ut subsit prædicto esse *ad* ut rationi formaliori, et ut habeat nexum indispensabilem cum illo. Et ita ob hanc rationem diffinitur relatio per *ad* potius, quam per aliquid aliud.

Ex quo ad secundam probationem dicendum est, prædicamentum relationis esse simplicissimum absque omni compositione quoad id, quod est formalissimum in illo, nempe, quoad esse *ad* præcise; non vero quoad ejus adæquatam rationem, id est, ut coalescit ex hoc, et ex eo, quod per modum initiativi dicit. Nec obest, quod generalissimum prædicamenti quantitatis, et alia generalissima non sint composita ex duplici ratione virtualiter distincta. Quoniam hoc est proprium prædicamenti relationis, ut respiciat subjectum ut tale una cum aliis accidentibus, ac proinde habeat *in* absolutum : et insuper respiciat terminum per modum puri termini, et ideo sit ibidem *in* relativum, ut num. 79 dicebamus.

88. Conciliatur doctrina N. Complutens. cum præcedenti. Nec oppositum hujus intendunt nostri Complutenses loco citato; sed solum, quod non sit in generalissimo relationis compositio aliqua ex duplici ratione, alia superiori, et univoca; alia vero inferiori : et per consequens, quod non sit ibidem compositio ex genere, et differentia : alioqui tale generalissimum rationem generalissimi amitteret. Nos autem hanc compositionem in generalissimo relationis non admittimus : imo nec ullam compositionem superioris essentialis et rationis similiter essentialis contrahentis rationem illam priorem. Quoniam *in* absolutum non se habet per modum rationis essentialiter superioris respectu *in* relativi, aut e converso; sed *in* absolutum ut sic solum comparatur per modum rationis essentialiter superioris cum peculiari illo *in* absoluto, seu peculiari ratione absoluta propria relationis, quam jam explicuimus, a quaque virtualiter non distinguitur : et *in* relativum solum includit per modum superioris essentialis *in*, prout abstrahit ab *in* absoluto, et relativo, et rationem ipsam entis, a quibus non est virtualiter distinctum. Et ita peculiare *in* absolutum relationis creatæ, et *in* relativum ejusdem solum comparantur per modum duplicis rationis, quarum quælibet est inadæquata relationi, et propria ipsius ut distinctæ ab aliis prædicamentis; licet una earum, nempe *in* peculiare absolutum, sit ratio prior, et initiativa; cum tamen alia, nempe *ad*, seu *in* relativum, sit ratio formalissima respectu illius prioris : ac proinde quodammodo formalizans eam.

Nec mirum videri debet, quod aliquod prædicamentum ob peculiarem rationem suam exigat, quod coalescat ex duplici ratione inadæquata virtualiter distincta, quarum quælibet sit propria illius, et una quodammodo formalizet aliam; sicut non est mirum, quod in aliis rebus dentur etiam plures rationes inadæquatæ, et atomæ virtualiter distinctæ, ut patet in opinione probabili eorum, qui distinguunt virtualiter in Deo *esse* radicale intellectivum ab intellectu, et intellectione : et tamen asserunt, naturam divinam consistere adæquate in omnibus illis : ita ut in ipso *esse* radicaliter intellectivo petente intellectum, et intellectionem perfectissimam consistat initiative, et inadæquate, et in intellectu hinc dimanante, et prædictam intellectionem exposcente habeat etiam inadæquate, licet non ultimate, consistere : ac tandem intellectio sit alia ratio inadæquata, et formalissima, quodammodo formalizans duas alias, quæ se habent, non per modum rationum communium; sed per modum rationum propriarum, et peculiarium Dei. Quam opinionem tuetur noster Cornejo 1 p. tract. 1 disput. 1 dub. 4. N. Cornejo.

89. Et ratio quoad hoc est eadem utrobique. Quia nimirum nec generalissimo repugnat constitutio ex pluribus virtualiter distinctis, dummodo ibi non includatur compositio ex genere, et differentia. Et similiter cum divina natura non pugnat prædicta constitutio non involvens compositionem hanc Metaphysicam, aut alia, quæ sit tanta, quanta compositio Metaphysica, ut in hoc dubio id explicabimus.

Ex quo ad tertiam probationem respondetur, quod sicut pugnat cum differentiis, quod includant alias differentias virtualiter distinctas per modum differentiarum essentialiter superiorum; non tamen, quod duæ differentiæ non sic se habentes sint inadæquatæ respectu constitutionis alicujus rei : ita pugnat cum generalissimo relationis, quod includat duas rationes virtualiter distinctas, et sic ordinatas; non tamen, quod includat prædictas rationes, dummodo una non includatur essentialiter in altera.

Nec refert, si urgeas, quod si semel in relatione creata hæc duo *in* non ita conferuntur 90. Replica.

riuntur inter se, ut *in* absolutum essentialiter includatur in altero *in* relativo : sed solum habent inter se identificari : ruit etiam ex hoc capite ratio adducta ex Angelico Doctore ad probandum, essentiam divinam, seu id, quod correspondet in divinis ipsi *in* absoluto relationis, imbibi in ipso esse *ad* relationis divinæ per modum prædicati essentialis, et transcendentis : licet prædicta ratio maneat in suo robore ad suadendam identitatem inter relationem divinam, et essentiam : ergo, etc. Antecedens probatur. Quia, ex eo, quod reperitur in relatione creata, arguit Angelicus Præceptor ad divina : ergo, si in illa *in* absolutum, et relativum solum identificantur, et unum non includitur per modum transcendentis in alio, oportebit, ut hinc solum possit colligi identitas inter divinam essentiam, et relationes : non vero quod essentia correspondens *in* absoluto relationum creatarum includatur in ipso *ad*, seu in ipso esse *in* relativo relationum divinarum.

:on- m. 1. Confirmabis. Quia non videtur esse quid intimius in divinis relationibus essentia Dei inclusa in illis, quam in quovis accidente ordo ad subjectum ut tale, ac proinde *in* absolutum. Si ergo in conceptu *ad* relationis creatæ non transcenditur *in* absolutum, non est cur *in* absolutum divinarum relationum, scilicet essentia, imbibatur per modum transcendentis in ipso *ad* earumdem relationum.

on- a. 2. Confirmabis adhuc. Quia si semel *in* absolutum in relatione creata debet contrahi per specialem modum absolutum, quia prædictum *in* est essentialiter superius ad illam, ut peculiari modo in est subjecto quatenus tali, nequibit essentia divina intime per modum transcendentis includi in divinis relationibus, secundum quod dicunt suum esse *ad*. Quia id, quod se habet per modum transcendentis respectu relationis, ut dicit *ad*, contrahitur eo modo, quo ratio superior essentialiter habet contrahi per rationes essentialiter inferiores : constat autem, quod id, quod est formalissime relativum, nequit esse essentialiter inferius respectu rationis absolutæ.

ol. vitur lica. Respondetur enim, satis esse, quod in ipsa relatione creata adæquate concepta secundum id, quod intrinsece, et essentialiter dicit, includatur *in* absolutum, ad hoc ut inde cum D. Thoma colligamus, quod in relatione divina secundum suum esse *ad* considerata debet essentia Dei, ut habet rationem transcendentis, intime, et essentialiter imbibi : quamvis in ipso esse *ad* relationis creatæ, ut distincto virtualiter ab esse *in* absoluto, non habeat sic imbibi prædictum *in* absolutum.

Hoc autem sequenti ratione potest sic ostendi. Nam in relatione creata ideo *in* absolutum ut sic includitur in peculiari illa ratione absoluta reperta in eadem relatione, et prædictum *in* sic contractum non includitur iterum transcendentaliter in esse *ad* ejusdem relationis, quia illud *in* est finitum et limitatum : ergo illud absolutum, et contractum, quod reperitur in relatione divina, nempe, ratio entis divini, et absoluti contracti ad hoc, ut sit ipsa essentia Dei, et in ea transcendentaliter imbibiti, quæque correspondet *in* absoluto, et contracto relationis creatæ, debet etiam imbibi transcendentaliter in ipso *ad* ejusdem relationis divinæ. Roboratur ratione.

Consequentia videtur perspicua. Quia ea, quæ danda esse in divinis colligimus ex iis, quæ reperiuntur in creaturis, debent inferri esse ibidem semotis imperfectionibus, et addendo omnem excogitabilem perfectionem, quæ cum illorum natura non pugnaverit : ergo, si in relatione creata provenit ex limitatione, quod *in* absolutum ut sic ibidem repertum solum includatur per modum transcendentis in speciali illo *in* absoluto, seu in peculiari illa ratione absoluta inventa in eadem relatione creata, non vero prædictum *in* absolutum sic contractum iterum transcendatur in esse *ad*, oportebit hoc semovere in relatione divina, et addere perfectionem oppositam : ac proinde necesse erit, quod illud absolutum, et contractum, quod in ea reperitur, nempe, ratio entis divini, et absoluti contracti ad hoc, ut sit ipsa essentia Dei, et in ea imbibiti, quæque correspondet *in* absoluto, et contracto relationis creatæ, habeat imbibi in ipso esse *ad* ejusdem relationis.

Antecedens autem etiam constat. Tum, 92.
quia ratio aliqua facta hæc tam in specie atoma, quam in individuo, non potest esse transcendens, maxime in alia ratione virtualiter distincta, nisi sit infinita : quoniam rationis finitæ amplitudo tollitur per hoc, quod fiat hæc in specie atoma, et in individuo : et ita hoc ipso, quod habeat suam talitatem atomam, et individualem, determinat alia, quæ in ipsa essentialiter reperiuntur ; non tamen est determinabilis per aliquid aliud virtualiter distinctum, in quo essentialiter includatur : ergo hoc.

quod est, *in* illud absolutum, et contractum relationis creatæ non includi per modum transcendentis in ipso esse *ad* virtualiter distincto, provenit ex finitate et limitatione.

Tum etiam, quia nihil finitum ut tale potest esse commune communitate rei respectu plurium rationum virtualiter distinctarum; sed hoc proprium est rei infinitæ : et propterea sola natura divina est per modum naturæ communis communitate rei pluribus personis divinis : ergo *in* absolutum, et contractum ad *esse* hujus nequit, hoc ipso quod sit finitum, includi per modum transcendentis in esse *ad*, v. g. paternitatis creatæ. Patet consequentia. Quoniam hoc ipso, quod includeretur per modum transcendentis in esse *ad* paternitatis, deberet etiam sic imbibi in alia ratione virtualiter distincta, nempe in prædicto esse *ad*, ut est hoc in individuo, ut in aliis transcendentibus cernitur : et ita prædictum *in* contractum esset commune communitate rei respectu plurium rationum virtualiter distinctarum.

93. Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens. Quoniam etsi quodvis accidens adæquate sumptum debeat dicere *in* absolutum, illudque intrinsece, et essentialiter includere : et insuper licet quævis ratio inadæquata alicujus ex prædicamentis accidentium imbibat *in*, prout abstrahit ab absoluto, et relativo, ac tandem realiter identificetur cum prædicto *in* absoluto; non tamen est necesse, ut secundum quamvis rationem inadæquatam cum præcisione sumptam includat per modum transcendentis *in* absolutum, ut explicatum est.

Fit obviam secundæ. Et quoad secundam confirmationem respondetur, quod id, quod est commune communitate rationis, quale est verum et reale esse *in* absolutum, et in communi sumptum, non contrahitur nisi per modos absolutos, propter ejus limitationem; id autem, quod est commune communitate rei, id est, quod etsi sit singularissimum, potest tamen esse commune pluribus, capax est propter suam infinitatem, et illimitationem, ut contrahatur sive per modos, aut rationes absolutas, aut per modos, aut rationes relativas : quia, ut ex sequenti ratione constabit, ejus infinitas, et modus universalitatis hoc ipsum exposcit.

§ VIII.

Fundamentum secundum ejusdem secundæ assertionis.

94. Secunda, et fundamentalis ratio assertionis, per quam ratio præcedens non parum illustrabitur, quæque etiam probat, divinam essentiam debere per modum transcendentis includi in omnibus attributis, desumpta est ex D. Thoma supra q. 7 art. 1 et alibi sæpe, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam divina essentia non solum debet esse infinita; sed etiam debet habere eminentiorem, et universaliorem infinitatis modum, qui excogitari possit; sed, si non includatur per modum transcendentis in divinis relationibus, non haberet eminentiorem, et universaliorem infinitatis modum, qui excogitari posset : ergo debet necessario in divinis relationibus intime per modum transcendentis includi. Major est perspicua. Tum, quia alias non esset essentia propria Dei. Nam sicut Deus est ens ita perfectum, et infinitum, ut nihil eo melius excogitari possit : ita ejus essentia debet esse infinita, et habere eminentiorem, et universaliorem infinitatis modum, qui excogitari possit. Tum etiam, quia cum limitatio, aut defectus universalitatis, sive amplitudinis, aut eminentissimæ infinitatis alicujus formæ, sive actus, oriatur ex eo, quod recipiatur in aliquo subjecto, aut potentia, aut in aliquo habente vestigium potentialitatis, fit inde, ut essentia divina, de cujus ratione est, ut sit omnino irrecepta, et quod sit ipsum *esse* omnino per se subsistens absque aliquo vestigio receptionis, non solum debeat esse infinita, sed habere infinitatem absque vestigio limitationis, aut minoris alicujus amplitudinis, et infinitatis.

Minor vero etiam constat. Quoniam si essentia divina tantum haberet identificari cum divinis relationibus; non vero intime eas pervaderet, intimeque, et essentialiter in eis, ut distinctis virtualiter ab eadem essentia, non includeretur, tunc ejus infinitas, et modus illius non esset eminentissimus, universalissimus, et amplissimus : siquidem tantum extenderetur ad hoc, ut quasi adhæreret per identificationem cum relatione; non vero ad hoc, ut intime, et essentialiter illam pervaderet : et licet identice extenderetur ad hoc, ut esset ipsa relatio; non tamen ad hoc, ut ei suam infinitatem in genere entis formaliter tribueret. Consequentia

Consequentia vero ex utraque præmissa satis constat : siquidem divinæ essentiæ debemus tribuere, tum infinitatem, tum etiam eminentiorem, et ampliorem infinitatis modum, qui excogitari possit : ac proinde omne id, quod ad hanc amplitudinem desideratur, quale est, quod includatur in divinis relationibus, ut virtualiter distinctis ab eadem essentia.

96. ...asio. Nec obest, si occurras, divinæ essentiæ, ut virtualiter distinctæ a relationibus (secundum quam rationem de illa in præsenti loquimur) debere tribui infinitatem, et eminentiorem infinitatis modum, qui intra lineam essentiæ excogitari possit; non vero infinitatem, aut infinitatis modum, qui non sit proprius essentiæ intra lineam essentiæ præcise consideratæ quoad id positivum, quod importat : infinitas autem, et eminentior infinitatis modus intra lineam essentiæ modo dicto sumptam petit, quod sit identice idum cum relationibus, et formalitatibus divinis; non vero, quod, ut virtualiter distincta ab illis, includatur intime, et essentialiter in eisdem. Unde propter hanc rationem, licet linea essentiæ divinæ haberet majorem infinitatem, amplioremque, et universaliorem essendi modum, si ita esset relatio, aut alia attributa, quod non distingueretur virtualiter ab illis; nihilominus hoc ei non concedimus : quia tantum petitur, quod intra lineam essentiæ sit infinita; non vero intra alias lineas, et ideo debet virtualiter distingui ab illis : ita etiam in præsenti non debet tribui illa infinitas, et amplitudo intenta in hac ratione : quia talis infinitas, et infinitatis modus est extra lineam essentiæ divinæ adhuc quoad positivum, quod affert.

97. ...cluar. Non itaque hoc obest, nec evasio hæc aliquo alio indiget, præterquam aliquali expensione rationis D. Thomæ. Nam repugnat, formam, aut actum aliquem esse omnibus modis finitum, et excludentem infinitatem etiam secundum quid, nisi sit receptum in vera et propria materia Physica, ut in formis materialibus contingit. Et similiter repugnantiam involvit, aliquam formam, aut actum esse irreceptum in aliquo ut in subjecto, habentem tamen veram potentialitatem respectu sui *esse*, et existentiæ, et non esse simpliciter finitum, et secundum quid infinitum, quatenus caret ...ion. materia, et receptivo : ideoque D. Thomas infra quæst. 50 artic. 2 ad 4 inquit, naturam Angelicam Gabrielis esse simpliciter finitam quia dicit potentialitatem ad *esse*, et secundum quid infinitam, quatenus caret materia, et receptivo, per quod forma, et actus, qualis est essentia Angelica, finitur et limitatur, ut ibidem tangemus : ergo etiam repugnabit, actum aliquem esse purissimum, ita ut careat omni receptivo omnique potentialitate, aut potentialitatis vestigio, et non habere infinitatem, et eminentiorem infinitatis modum, qui excogitari possit : ergo etiam repugnantiam involvet, quod, licet divina essentia non petat ex vi suæ lineæ, quod sit aliæ formalitates divinæ absque distinctione virtuali, nihilominus non habeat ex vi propriæ lineæ quoad positivum, quod affert, quod includatur in relationibus, aut formalitatibus divinis. Nam hæc minor amplitudo intra suam lineam non aliunde posset provenire, quam ex eo quod haberet aliquod receptivum, aut potentialitatem ad *esse*, aut aliquod potentialitatis vestigium : quia hæc sola possunt vel omnino, vel simpliciter finire et limitare, vel tandem contrahere, sive (ut sic dicamus) minuere amplitudinem et universalitatem infinitatis repertæ in divina essentia.

Nec id, quod pro se affert prædicta evasio, est alicujus momenti. Quoniam distinctio virtualis spectat ad divinam perfectionem : quia ad eam pertinet, ut in ipsa non sit confusio linearum, et quod, licet sit forma simplicissima, sit tamen eminentissima æquivalens pluribus, ut pluribus, in quo distinctio virtualis consistit : ac proinde, si hæc deeset in divinis, adesset ibidem aliquid imperfectionis, nempe, defectus prædictæ eminentiæ. At ex hoc, quod divina essentia includatur per modum transcendentis in divinis relationibus, non sequitur hæc confusio linearum, quia includitur in eis per modum communis communicate rei, ac proinde per modum formalitatis virtualiter ab eis distinctæ, ut ex dictis disput. 3 dub. 3 num. 110 constat.

Nec etiam refert, si huic impugnationi occurras, quod licet ad tollendam infinitatem simpliciter alicui formæ, aut actui satis sit, quod recipiatur in aliquo subjecto, aut habeat veram potentialitatem ad *esse* : nihilominus ad contrahendam (ut sic dicamus) et minorandam illius infinitatem, et amplitudinem sufficit distinctio virtualis, et quod habeat recipere, aut actuare aliquid a se virtualiter distinctum, ut in præsenti contingit : quia eo ipso ejus amplitudo, licet sit infinita, non est tanta, ut extendatur ad hoc, ut includatur in altero extremo, 98. Effugium ad hanc impugnationem.

a quo virtualiter distinguitur; sed solum re ipsa cum illo identificetur.

Evertitur. Non itaque hoc refert. Quoniam etsi hæc distinctio virtualis sufficiat ad hoc, ut non reperiatur in divinis confusio linearum, ac proinde satis sit ad hoc, ut dentur plures lineæ virtualiter distinctæ, nihilominus non sufficit ad hoc, ut linea divinæ essentiæ, et cæteræ aliæ lineæ absolutæ non includantur intrinsece, et essentialiter, ac per modum transcendentis in divinis relationibus. Quoniam, quod natura divina distinguatur virtualiter a relatione Paternitatis, et una cum illa constituat personam Patris, non tollit, quominus natura divina non solum sit infinita; sed habeat tantam amplitudinem et universalitatem, ut per modum naturæ sit communis communitate rei aliis personis divinis : ergo prædicta distinctio, et constitutio non tollet ab eadem natura divina, quod sit communis communitate rei per modum transcendentis eisdem relationibus divinis, in illisque intime, et essentialiter includatur.

Patet consequentia. Quoniam hæc amplitudo, et universalitas per modum transcendentis communitate rei non dicit majorem perfectionem, quam communitas communitate rei, qua natura divina per modum naturæ est communis tribus personis; quin potius hæc posterior communitas est radix illius prioris : et propterea inter omnes naturas sola natura divina potest esse transcendens per transcendentiam communitatis rei, quia sola ipsa est communis communitate rei, et per modum naturæ pluribus personis : ergo si virtualis distinctio inter essentiam, et relationes divinas et illa quasi compositio, vel (ut melius dicamus) constitutio personæ ibidem intercedens non est satis ad contrahendam (ut sic dicamus) et minorandam ejus amplitudinem et universalitatem, seu ad tollendum ab ea, quod sit communis communitate rei, et per modum naturæ pluribus personis : neque etiam sufficiet ad auferendum ab ipsa priorem illam amplitudinem, qua sit communis communitate rei, et per modum transcendentis respectu earumdem relationum.

99. Aliter infringitur hæc solutio. Adde primo distinctionem virtualem duorum non inferre exclusionem omnimodam unius a conceptu alterius. Nam sicut distinctio realis actualis, sive ex natura rei potest esse duplex ; vel per modum excludentis, et exclusi, quo pacto corpus, v. g. et albedo distinguuntur, vel per modum includentis, et inclusi, qua ratione album distinguitur a corpore, et homo ab anima : ita distinctio virtualis duorum potest esse utroque modo : et propterea animalitas, et rationalitas cum præcisione sumptæ distinguuntur in homine distinctione virtuali excludentis, et exclusi; et homo distinguitur virtualiter a rationalitate per distinctionem includentis, et inclusi : similiterque Pater in divinis differt hoc modo a Deitate, quam in obliquo includit.

Adde secundo, quod, ut in sequenti ratione magis expendemus, essentia divina, et relatio, licet distinguantur virtualiter, non comparantur per modum actus, et potentiæ cum fundamento in re : et ita non intercedit ibidem, vel potentialitas, vel potentialitatis vestigium : ac proinde non est cur sit ibidem vel limitatio, vel limitationis vestigium : ergo non erit cur quasi contrahatur, et minoretur infinitas, amplitudo, et universalitas divinæ essentiæ, ratione cujus contractionis, et minorationis extendi nequeat ad hoc, ut per modum transcendentis in divinis relationibus includatur. Enervatur ampli[...]

§ IX.

Objectio notatu digna contra secundam rationem D. Thomæ, et solutio illius.

100. Objectio contra secundam rationem. Nec obstat, si contra hanc secundam D. Thomæ rationem objicias, quod si prædicta ratio, et ea, quæ ad illius elucidationem adduximus, aliquid probarent, convincerent utique, relationes divinas includi essentialiter, et per modum transcendentis in divina essentia : hoc autem admitti nequit, ut ex dicendis dubio sequenti constabit : ergo, etc. Major probatur. Quoniam etiam relationes divinæ sunt puræ formæ, et actus puri intra suam lineam, et non habent recipi in aliqua potentia, sive secundum rem, sive secundum rationem, cum fundamento tamen in re : et per consequens ibi non intercedit aliqua potentialitas, aut potentialitatis vestigium : ergo non est unde limitentur, aut earum infinita amplitudo quasi minoretur, ita ut non possint in essentia, aut in aliis formalitatibus divinis per modum transcendentis includi.

Enervatur. Respondetur enim negando majorem. Et ad probationem dicendum est, ex duplici capite posse provenire, quod aliqua forma, aut actus vel simpliciter limitetur, vel ejus infinita amplitudo quasi contrahatur, et minoretur. Primo quidem ex eo, quod recipiatur

cipiatur in aliqua potentia, quæ sit talis secundum rem, aut secundum rationem, cum fundamento tamen in re. Secundo vero, quia talis forma, aut actus opponitur cum altero, vel saltem cum his, in quibus illud alterum per modum transcendentis essentialiter includitur. Etsi ergo relatio divina non desinat habere illam amplitudinem, et modum infinitatis, quo includatur per modum transcendentis in essentia, aut in aliis formalitatibus divinis, ex eo quod recipiatur in aliquo habente veram potentialitatem, aut potentialitatis vestigium : siquidem tam ipsa, quam essentia divina, quam modificat, sunt actus quidam purissimi : nihilominus tollitur ab eadem relatione modus ille infinitatis, quem habet divina essentia, ac proinde quod non possit imbibi per modum transcendentis in ipsa : ex eo quod licet non habeat oppositionem cum divina essentia; opponitur tamen cum suo correlativo, in quo divina essentia debet per modum transcendentis includi. Et ideo, sicut ratione hujus oppositionis nequit intime transcendi in suo correlativo, ita neque in essentia, de cujus ratione est, ut secundum omnia, quæ intime, et essentialiter continet, includatur in omnibus rationibus et formalitatibus divinis.

1. lica. Ex quo etiam fit, nihil obesse, si urgeas, saltem hinc sequi, quod Paternitas, v. g. aut Filiatio includatur in spiratione activa per modum transcendentis ; et e converso : quando quidem non habent inter se oppositionem.

tio. Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Et ideo neganda est sequela quoad primam partem, et concedenda, quoad secundam. Ratio autem negandi eam quoad primam partem est, quod spiratio activa debet, ut statim dicemus, includi per modum transcendentis in Filiatione. Et ita, si Paternitas includeretur hoc modo in spiratione activa, deberet etiam per modum transcendentis includi in ipsa Filiatione : quod tamen, ut dubio sequenti dicemus, implicat. Unde propter hanc rationem Paternitas nequit per modum prædicati quidditativi, ac proinde vel per modum rationis quasi differentialis, aut per modum prædicati transcendentis includi in divina essentia : quia inde fieret, ut eodem modo includeretur in Filiatione, ut ibidem latius prosequemur.

. Ratio vero concedendi eamdem consequentiam quoad secundam partem, videlicet quoad inclusionem intimam, et per modum trancendentis spirationis activæ in Paternitate, et Filiatione, est. Tum, quod sicut prædicta spiratio activa ratione suæ infinitatis, et quia non opponitur cum Paternitate, et Filiatione, potest esse communis communitate rei respectu Patris, et Filii : ita etiam ob eamdem rationem poterit esse communis communitate rei per modum prædicati transcendentis intime inclusi in eisdem : non secus (proportione servata) ac propter infinitatem convenientem divinæ essentiæ, est communis communitate rei per modum naturæ, necnon per modum prædicati transcendentis respectu personarum divinarum.

Tum etiam, quia prædicta spiratio activa nec opponitur cum Paternitate, v. g. nec cum aliquo alio, in quo ipsa Paternitas debeat transcendentaliter includi : siquidem nec Paternitas includitur sic in aliqua relatione, nec, si includeretur hoc modo, tunc spiratio activa haberet oppositionem cum ea relatione, in qua Paternitas per modum transcendentis imbiberetur. Constat autem, quod si propter aliquam rationem spiratio activa non erat imbibenda in Paternitate v. g. tunc solum poterat esse hujus ratio, vel quod spiratio activa opponeretur cum Paternitate, vel cum aliquo alio, in quo prædicta Paternitas deberet per modum transcendentis includi : sicuti quod eadem Paternitas, ut nuper tangebamus, nec includatur in Filiatione, nec in essentia divina per modum transcendentis, oritur ex eo, quod opponitur cum Filiatione, et ideo nequit in illa sic imbibi : et licet non opponatur cum essentia, attamen prædicta essentia imbibitur in Filiatione ei opposita : et ideo nequit in prædicta essentia transcendaliter includi, ne ibi inclusa iterum in Filiatione imbibatur, ut dubio sequenti dicemus.

§ X.

Ultimum fundamentum pro eadem secunda assertione.

Ultimo probatur eadem assertio ratione, quam insinuat D. Thomas supra q. 3 art. 5. Nam repugnat summae simplicitati, et actualitati Dei, quod sit in eo compositio ex genere et differentia, vel aliqua alia compositio Metaphysica, quæ sit tanta, quanta compositio ex genere, et differentia : ergo etiam repugnabit, quod relationes divinæ non includant divinam essentiam, et divina 103. Ultima ratio assertionis.

essentia non includat relationes, saltem quoad totam earum perfectionem : ex eo quod tota earum perfectio provenit illis a divina essentia, quam includunt. Antecedens videtur certum. Quoniam compositio Metaphysica ex genere, et differentia dicit imperfectionem oppositam summæ simplicitati, et actualitati divinæ, et propterea relegatur a Deo : et per consequens quævis alia compositio, quæ sit tanta sicut ista, debet propter eamdem rationem non admitti in divinis. Consequentia vero probatur. Quoniam compositio extremorum virtualiter distinctorum, quorum unum non includit in suo conceptu aliud, est compositio tanta, quanta compositio ex genere, et differentia : quia hæc tantum dicit duo extrema virtualiter distincta, quorum unum cum præcisione sumptum excludit aliud a suo conceptu.

Occurritur Vasquez. Nec obest solutio Vasquez, nempe, quod cum hæc compositio tantum sit compositio secundum rationem, non obest divinæ simplicitati. Et propterea Deus caret compositione ex genere et differentia, non quia compositio ista suæ simplicitati deroget, sed quia non convenit univoce cum creaturis, a quibus essentialiter distinguitur.

101. Impugnatur. Non itaque hoc obest. Quoniam etsi demus, compositionem hanc esse solum secundum rationem ; nihilominus debet esse secundum rationem cum fundamento in re : compositio autem secundum rationem cum fundamento in re, quæ sit tanta, quanta compositio Metaphysica ex genere, et differentia, quæque constet ex extremis se invicem a suo conceptu excludentibus, derogat summæ simplicitati, et actualitati Dei : quia est compositio ex actu, et potentia cum fundamento in re, et ita res illa non erit actus omnino simplicissimus ex parte rei conceptæ, nec omnino purissimus : siquidem præbet fundamentum ad hoc, ut resolvamus illum in actum, N. Compl. et potentialitatem. Videantur nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 8 num. 20 ubi quoad hoc optime solutionem istam Vasquezii impugnant.

Confirmatur et explicatur. Confirmatur, et explicatur ratione deducta ex eodem Doctore. Nam etsi non repugnet summæ unitati, et simplicitati Dei, dari in eo distinctionem rationis cum fundamento in re ortam ex summa eminentia, et actualitate divina, ratione cujus, licet sit una, et simplicissima, æquivalet pluribus aliis rebus spectantibus ad diversas lineas : attamen pugnat cum prædicta unitate, et simplicitate, quod detur distinctio secundum rationem orta ex aliqua potentialitate, aut potentialitatis vestigio : ergo eadem ratione licet demus, quod non pugnet cum divina simplicitate, et actualitate compositio secundum rationem orta ex summa actualitate, et puritate Dei ; obstabit tamen compositio, quæ duxerit ortum ex aliqua potentialitate, aut potentialitatis vestigio : ergo etiam repugnabit compositio in divinis, cujus extrema sint talis conditionis, ut neutrum includat formaliter aliud, neque ejus perfectionem. Patet consequentia. Quia eo ipso saltem unum illis extreextremis habebit rationem potentiæ fundamento in re respectu alterius, quod se habet per modum actus respectu illius.

§ XI.

Sententia opposita, et primum ejus fundamentum cum sua solutione.

Partem negantem tuentur Molina in explicatione hujus art. disput. 6, Vasquez disp. 121 c. 2, Ægidius a Præsentatione tom. 1 de Beatitudine lib. 5 q. 13 art. 2 num. 15 et deinceps, necnon et alii. 10[?] Placi[tum] adve[rsa]riorum Mol[ina] Vasq[uez] Ægi[dius]

Probatur primo. Quoniam relatio divina, v.g. Paternitatis, ut distincta virtualiter ab essentia, comparatur ad illam, ut quid incommunicabile, et proprium Patris, ad aliquid communicabile, et commune, non quidem communitate rationis, sed communitate rei : ex eo quod eadem singularissima essentia est simul in tribus personis divinis : ergo relatio, ut virtualiter distincta ab eadem essentia, non includit intrinsece illam. Antecedens satis constat. Consequentia vero probatur. Quoniam commune, et proprium, communicabile, et incommunicabile, ut virtualiter distinguuntur, opponuntur in suis rationibus formalissimis : ergo commune, et communicabile nequibit includi intrinsece in incommunicabili, et proprio, nempe in Paternitate. Prim[um] fun[da]ment[um]

Confirmatur. Quoniam si relatio Paternitatis, ut distincta virtualiter ab essentia, includeret illam, esset etiam communicabilis Filio, sicut ipsa essentia est illi communicabilis : hoc autem dici nequit : ergo etc. Sequela probatur. Quoniam in eo eventu essentia, de qua dicitur esse communicabilem, prædicaretur in sensu formali de relatione : at quidquid in sensu formali prædicatur de prædicato prædicatur etiam eodem Co[nfir]m.

eodem modo de subjecto illo, de quo tale prædicatum prædicatur : ergo etiam de relatione, ut distincta virtualiter ab essentia, prædicaretur, esse communicabilem.

106. Vertitur fundamentum. Respondetur concedendo antecedens intellectum de Paternitate secundum *esse* relativum, quod a sua ratione quasi differentiali dicit, et neganda est consequentia : ad cujus probationem dicendum est, non esse inconveniens, quod prædicata illa saltem in re superiori, et eminenti, qualis est relatio divina, adunentur, ita ut utrumque sit de ejus conceptu, adhuc ut virtualiter distinctæ ab essentia : ita quidem, quod sit incommunicabilis quoad id, quod dicit ex proprio conceptu, et pertinet ad propriam lineam: et similiter sit communicabilis quoad id, quod includit ratione essentiæ in ea per modum transcendentis imbibitæ, ac proinde quoad id, quod per se, et directe spectat ad lineam ejusdem essentiæ sic inclusæ : quia, ut supra disp. 3 num. 110 dicebamus, essentia divina, adhuc ut habet rationem transcendentis, non spectat per se, et directe ad lineam ejus, in quo transcenditur, ex eo quod est transcendens et communis per transcendentiam et communitatem rei : et conceptus, sive res eo modo transcendens pertinet ad distinctam lineam, ac ea, in qua transcenditur.

Dissolvitur confirmatio primo. Ad confirmationem neganda est sequela : et ad probationem concedenda est major intellecta de essentia divina, non quidem ut habet rationem essentiæ, sive naturæ : sed ut habet rationem transcendentis. Et deinde distinguenda est minor : et si sensus illius sit, quod id, quod prædicatur de aliquo prædicato secundum se sumpto, et non prout habet aliquem quasi statum sibi peculiarem, potest etiam prædicari de subjecto, de quo tale prædicatum dicitur, concedi debet : si vero sensus illius sit, quod id, quod prædicatur de aliquo prædicato non secundum se sumpto ; sed ut habet aliquem statum, potest prædicari de subjecto, de quo prædictum prædicatum dicitur, neganda est. Et similiter negari debet consequentia. Nam de essentia divina, quæ per modum transcendentis includitur et prædicatur de relatione, non prædicatur, esse communicabilem, nisi prout habet statum transcendentis, sive statum naturæ per modum naturæ : et ita hoc ipsum non debet de relatione, ut relatio est, prædicari, sed id, quod competit prædictæ essentiæ divinæ secundum se, et ut præscindit ab omni statu, et iis, quæ ratione peculiarium statuum eidem competunt.

Potestque hoc explicari exemplo naturæ humanæ, de qua dicitur, esse communem, et communicabilem pluribus : et nihilominus, licet ipsa in concreto dicatur de Petro v. g. non tamen idcirco Petrus dicitur communis, seu communicabilis pluribus. Quia hæc communitas, et communicabilitas non convenit naturæ humanæ secundum se, et in omni statu, aut secundum quod præscindit ab omnibus statibus, sed ut dicit peculiarem statum abstractionis, et comparationis ad sua inferiora. Sicut etiam eadem natura humana, quæ est contracta in Petro, fundat hanc communitatem : et nihilominus Petrus ut Petrus, de quo dicitur natura humana in concreto, nequit eam fundare : quia natura humana, quæ est in Petro, non fundat illam, nisi ut est in quodam quasi statu sibi peculiari, nempe ut præscindit saltem fundamentaliter a Petreitate, a qua tamen Petrus ut Petrus non præscindit. 107. Explicatur exemplo.

Secundo respondetur, et quidem facilius, quod regula illa : *Quidquid prædicatur in sensu formali de prædicato, prædicatur etiam eodem modo de subjecto illius prædicati*, intelligitur quoad id, quod tale subjectum participat de illo prædicato. Et ita, ex eo quod essentia divina per modum transcendentis prædicetur de relatione in sensu formali, et essentia sic inclusa sit communicabilis, solum sequitur, relationem quoad id, quod participat de essentia, seu quoad prædicata, quæ conveniunt illi ratione essentiæ, esse communicabilem : quod quidem verissimum est, et cum hoc stat, ut relatio quoad propria sui, seu quoad ea, quæ præcise sunt suæ lineæ, sit incommunicabilis. Quemadmodum cum hoc, quod Petrus quoad id, quod participat de natura humana fundet communitatem secundum rationem, cohæret, quod quoad ea, quæ sunt propria Petri, ut distincti a natura humana, nequeat fundare hanc communitatem, aut communicabilitatem ; sed sit incommunicabilis per incommunicabilitatem oppositam prædictæ communicabilitati. Posterior solutio confirm.

§ XII.

Fundamentum secundum oppositæ sententiæ, et ejus enodatio.

Secundo probatur eadem sententia. Quo- 108.

Secundum argumentum. niam relatio, ut distincta virtualiter ab essentia, intelligitur advenire illi, eamque determinare, modificare, et contrahere ad *esse* Patris : ergo ut sic distincta non includet intrinsece eamdem essentiam. Antecedens videtur perspicuum. Quia prius intelligitur hic Deus, ut est concretum præcise correspondens Deitati, quam Paternitas : ex eo quod essentialia, juxta communem sententiam Theologorum, sunt priora notionalibus. Et deinde intelligitur ad concretum hoc subsequi Paternitas, per quam hic Deus, ut est concretum Deitatis, et ut est quasi indifferens, ad hoc ut sit Pater, vel Filius, aut Spiritus sanctus, trahitur, et determinatur ad *esse* Patris potius, quam ad *esse* Filii. Consequentia vero probatur. Quia sicut id, quod intelligitur advenire alicui, non intelligitur includi intrinsece in illo : ita id, quod habet contrahere, et determinare aliquid commune, ac communicabile pluribus, non includit intrinsece illud commune, quatenus ab eo virtualiter distinguitur. Propter quod differentiæ contrahentes genus non habent, quatenus ab eo sunt virtualiter distinctæ, includere prædictum genus.

109. Solutio. Nec refert, si occurras, quod modi particulares entis determinant ens quod est commune omnibus entibus, trahuntque illud ad *esse* hujus particularis entis, intelliguntur que illi advenire : et tamen non propterea tollitur ab ente, quod intrinsece, et essentialiter includatur in suis modis : ergo, etc.

Impugnat eam Vasquez primo. Non igitur hoc refert. Nam in primis contra hoc objicit Vasquez, ens non esse vere commune respectu omnium entium : ex eo quod tantummodo nomen entis est illis commune, non vero aliqua alia ratio per illud nomen significata ; sed significatum ejus tantum sunt omnia entia particularia : hoc autem non contingit in essentia divina respectu relationum : siquidem divina essentia vere est communis, et non utcumque ; sed communitate rei respectu earum, dicitque unicam rationem, quæ vere communicatur, sive identificatur cum singulis relationibus, et relationes vere dicunt aliquid proprium, et incommunicabile.

110. Secundo. Deinde. Nam ens non distinguitur ex parte rei conceptæ a suis inferioribus : sed solum ex parte nostri modi concipiendi. Et ita ex parte rei conceptæ nec modi prædicti adveniunt enti, nec illud determinant, sed tantum ex parte nostri modi concipiendi : et ideo non mirum, quod ens sit ipsa sua inferiora et illa includat, similiterque inferiora sint ipsum ens absque aliqua distinctione ex parte rei conceptæ, illudque intra se concludant. Cæterum essentia divina, et relatio distinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ, ibique est ex parte rei conceptæ quædam ratio determinabilis, et communis, et alia virtualiter diversa, quæ habet rationem determinantis. Et ideo non mirum, quod ratio determinabilis, quippe habens oppositionem ex parte rei conceptæ cum ratione determinante, nequeat intrinsece, et essentialiter claudi in ipsa.

Confirmatur. Confirmatur Nam, ex eo quod ens, et modi illius ex parte solius modi concipiendi, non vero ex parte rei conceptæ distinguuntur, et comparantur per modum determinabilis, et determinantis, propterea ex parte prædicti modi concipiendi ens non includitur in prædictis modis, ut ex parte ejusdem modi concipiendi distinguuntur ab ente; licet ex parte rei conceptæ illud includant : ergo hoc ipso, quod essentia divina, et relationes comparentur ex parte rei conceptæ per modum determinabilis, et determinantis, nequibit relatio, ut virtualiter distincta ab essentia, includere essentialiter ex parte rei conceptæ eamdem essentiam. Consequentia videtur legitima ex paritate rationis. Antecedens autem probatur. Nam, ut ex parte modi concipiendi comparantur prædicti modi entis cum illo, ut determinans cum determinabili, distinguunturque ab ipso, præcise considerantur quoad id, quod exprimunt. Constat autem, quod, sicut modi entis, ut v. g. esse per se, non exprimunt ens : ita ut distinguuntur ex parte modi concipiendi ab eo, et comparantur ut determinationes ejus, non includunt ex parte nostri modi concipiendi ipsum ens.

Respondetur, quod concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ad probationem negari debet antecedens. Nec instantia de differentiis contrahentibus genus obest. Quoniam hæ contrahunt rationem finitam, et habentem conditionem propria potentiæ in genere Metaphysico : et propterea prædictum genus debet esse extra rationem differentiarum, et e contra : ne differentiæ desinant esse conceptus simplices, idest, incompositæ ex genere, et differentia : et genus desinat etiam habere rationem potentiæ metaphysicæ. Cæterum contractio, aut quasi contractio, quæ reperitur in divinis, 111 Enodatur secundum fundamentum.

vinis, est altior, et ibidem non datur ratio potentiæ metaphysicæ, sed summa, et infinita actualitas : ideoque ratio divinæ essentiæ potest esse intime inclusa in aliis formalitatibus, et ut sic dicamus, rationibus quasi differentialibus earum, non obstante, quod prædictæ rationes quasi differentiales et propriæ prædictarum formalitatum sint quasi contractiones divinæ essentiæ, ut habet rationem transcendentis. Quia earum actualitati, et simplicitati eminentissimæ non repugnat, quod includant actualitatem divinæ essentiæ ut habentis rationem prædicati transcendentis : alioqui, secundum quod sunt rationes quasi differentiales, non includerent omnem excogitabilem perfectionem, quæ cum eis non est incompossibilis.

Legitima est solutio inter arguendum tradita. Unde solutio huic secundo argumento inter arguendum tradita est legitima, licet contractio secundum rationem, qua contrahitur ens ad *esse* substantiæ, et accidentis per modos essendi per se, et in alio, sit diversa ab ea, per quam contrahitur essentia divina, ut habet rationem transcendentis, ad esse v. g. Paternitatis per modum aut rationem quasi differentialem ipsius Paternitatis. Quoniam contractio entis per esse per se, et in alio tantum est contractio ex parte nostri modi concipiendi : contractio vero divinæ essentiæ, ut habet rationem transcendentis, est contractio ex parte rei conceptæ, licet utrobique ratio contrahibilis essentialiter includatur in contrahente.

Respondetur ad impugnationes contra illam. N. Compl. Et ad primam impugnationem contra hoc neganda est major : cujus oppositum optime ostendunt N. Complutenses in sua Logica disput. 11 q. 5.

Ad secundam vero impugnationem patet ex dictis in solutione ad primum, quomodo, etsi divina essentia habeat quodammodo rationem determinabilis per proprias rationes relationum, nihilominus relatio divina possit illam per modum transcendentis consideratam in suo conceptu includere.

112. Ad confirmationem. Ad confirmationem vero contra eamdem solutionem transeat antecedens, et negetur consequentia. Et ratio disparitatis est. Quoniam contractio entis ut sic per esse v. g. per se, et in alio necessario requirit aliquam distinctionem ex parte nostri modi concipiendi : sicut et ipsa contractio tantum est ex parte solius modi concipiendi : hæc autem distinctio nequit dari, nisi quatenus modi contrahentes prædictum ens, v. g. esse per se, ut concipitur expresse sub proprio conceptu perseitatis, non dicit expressam rationem entis, licet eam implicite absque distinctione virtuali includat. Cæterum contractio essentiæ divinæ, ut habet rationem transcendentis, per rationem quasi differentialem v. g. misericordiæ, aut relationis divinæ, solum requirit distinctionem virtualem, quia est contractio ex parte rei conceptæ. Cumque distinctio virtualis possit esse in duplici differentia, nempe, vel includentis, et inclusi, vel excludentis, et exclusi : et illa prior sit magis accommodata ad contractionem rationis infinitæ et actualissimæ, ut ostensum est : fit inde, ut hæc contractio ex parte rei conceptæ petat, quod ex parte ejusdem rei conceptæ includatur ratio contrahibilis in ratione quasi differentiali contrahente : quamvis ens, quod contrahitur ex parte modi concipiendi, non exigat, quod ex parte ejusdem modi concipiendi includatur in suo contrahente, idest, quod licet ex parte rei conceptæ ens implicite includatur in modo perseitatis, attamen non exigatur, quod perseitas, v. g. ut concipitur sub conceptu expresso perseitatis, concipiatur expresse ut includens ens. Quia in hoc præcise hæc contractio ex parte solius modi concipiendi consistit.

§ XIII.

Fundamentum tertium oppositæ sententiæ, et responsio ad illud.

Tertio probatur eadem sententia. Nam Paternitas v. g. ut distincta virtualiter ab essentia est forma constitutiva personæ Patris, ut D. Thomas infra q. 42 art. 2 docet, et nos ibidem latius dicemus : ergo Paternitas ut virtualiter distincta ab eadem essentia nequit illam intrinsece et essentialiter includere. Patet consequentia. Quia persona Patris nihil aliud dicit præter essentiam, et Paternitatem : ergo, si Paternitas ut virtualiter distincta ab essentia includit eam essentialiter, ac proinde dicit totum, quod persona Patris, non erit forma constitutiva illius : quia forma constitutiva alicujus non dicit totum id, quod res constituta. Et propterea Pater nequit esse forma constitutiva personæ Patris : quia dicit totum id, quod prædicta persona. 113. Tertium argumentum. D.Thom.

Confirmatur primo. Quia alioqui committeretur in constitutione divinæ personæ Confirmatur primo.

aperta nugatio : hoc autem admitti nequit : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam persona bis includeret essentiam : semel quidem, dum concipitur constituta ex essentia, ut ex altero extremo condistincto a relatione, semel vero, ut intelligitur constitui ipsa relatione, quæ est aliud extremum. Unde, si definiretur, aut quasi definiretur persona Patris, committeretur etiam ibi nugatio : quia, ut docuit Aristoteles in Ethicis, loco alicujus partis in definitione contentæ licet ponere totam definitionem prædictæ partis. Et ita loco Paternitatis v. g. includentis essentiam, liceret rursus ponere definitionem, aut quasi definitionem ejusdem Paternitatis, et ibi ponere essentiam. Quo argumento probat Aristoteles, genus esse extra conceptum differentiæ : ne ibi committatur nugatio, et genus ipsum bis in specie claudatur.

Aristotel.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam hoc ipso quod Paternitas sit forma constitutiva Patris una cum essentia, oportet, ut constitutio hæc resolvatur in Paternitatem, et essentiam, ut in duo extrema virtualiter distincta, et quorum unum non includat in suo conceptu aliud : ergo eo ipso relatio Paternitatis, ut distincta ab essentia non includet essentialiter ipsam essentiam. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Quia alias, dum per nostros conceptus resolvitur constitutio illa divinæ personæ in extrema constituentia illam, tunc non esset ibi vera resolutio, adhuc secundum nostros conceptus : quia totum id, quod includebat persona, quæ resolvi dicitur, manet inclusum in ipsa relatione. Et propterea videmus, quod, quoties in aliis rebus datur ex parte rei conceptæ vera constitutio, toties, si secundum conceptus nostros rem illam constitutam in extrema, ex quibus constituitur, resolvamus, reperiuntur ibidem extrema, quorum unum, ut virtualiter saltem distinctum ab alio, non includat illud : ut cum resolvitur individuum in speciem, et rationem individualem, et species in genus, et differentiam specificam.

114. Vasquez.

Nec obest, si occurras (inquit Vasquez) satis esse diversitatem in modo significandi inter Paternitatem in abstracto, et eamdem in concreto, nempe Patrem, ad hoc ut ipsa in abstracto sit forma constitutiva sui in concreto ex parte solius modi significandi ab ea distincto, quamvis Paternitas includat totum id, quod Pater, ac proinde et essentiam divinam. Quoniam, licet Paternitas utroque modo significata includat essentiam, attamen in concreto habet ex parte modi significandi significare se ipsam, non utcumque, sed cum effectu formali faciendi subsistere incommunicabiliter, qui non significatur nomine *Paternitatis*, sed tantum denotatur ipsa, ut est id, quo prædictus effectus præstari debet : et ita nomine abstracto significata habet rationem formæ constitutivæ, et denotata nomine concreto sortitur rationem personæ constitutæ : et hoc satis est, ut sicut isto modo comparantur ad constitutionem, sic et ad resolutionem, per quam secundum nostros conceptus persona Patris resolvitur in ea, ex quibus constituitur : ac tandem hic diversus modus significandi sufficit ad hoc, ut ibi nugatio non committatur.

Non itaque hoc obest. Nam contra illud objicit idem Vasquez, quod, si semel Paternitas in sua ratione formalissima includit essentialiter essentiam, non poterit non, ut significatur nomine abstracto Paternitatis, dicere essentiam ut incommunicabiliter subsistentem : ergo ut personam : ac proinde non erit sub hoc conceptu forma constitutiva personæ, adhuc ex parte modi significandi, distincta ab ipso concreto constituto. Antecedens videtur perspicuum. Quia, si Paternitas, ut significatur in abstracto, includit essentiam, non potest non illam includere addito peculiari illo modo incommunicabiliter subsistendi. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quia persona, adhuc ex parte modi significandi, tantum dicit essentiam addito modo incommunicabiliter subsistendi.

Secunda vero consequentia ex hac priori satis patet Nam, ut Paternitas ex parte modi significandi esset forma constituens personam Patris, et ab ipso Patre in concreto sumpto distincta, saltem ex parte modi significandi, oportebat, ut in abstracto significata non denotaret ex parte modi significandi ipsam personam jam constitutam.

Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam, si consequens intelligatur de essentia divina, ut habet rationem transcendentis. Et ad probationem negandum est antecedens intellectum de essentia divina, ut habet præcise rationem transcendentis, et de significato, non solum primario et directo, sed etiam de significato in obliquo, intrinsece tamen, et per modum obliqui intrinseci importato. Nam loquendo 115.

Respondetur ad argumentum.

loquendo de hoc significato adæquato, tunc persona divina importat relationem, et ibidem inclusam essentiam divinam per modum transcendentis : et insuper affert in obliquo, et per modum obliqui intrinseci naturam divinam sub conceptu naturæ. Per quod ad cætera, quæ in eodem argumento adducuntur, satis constat.

Fit obviam primæ confirmat.

Ad primam confirmationem neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, personam divinam includere bis divinam essentiam; sed non secundum eamdem rationem sumptam : sed semel per modum transcendentis inclusam in relatione; semel vero per modum naturæ, et sub hoc conceptu : et ita ibidem nulla committitur nugatio. Nec regula Aristotelis ibi adducta oppositum probat : siquidem, etsi loco personalitatis divinæ poneretur essentia divina, ut habet rationem transcendentis, et *ad* proprium alicujus personalitatis Dei, et similiter poneretur iterum essentia divina, ut habet rationem essentiæ et naturæ, non ob id persona divina includeret bis essentiam Dei eodem modo sumptam, neque inde aliquod sequeretur inconveniens vitiosæ nugationis, sicut sequeretur, si includeretur genus in definitione differentiæ : quia tunc secundum eamdem rationem poneretur bis in definitione, si species definienda esset.

116. Ad secundam confirm. occurritur.

Ad secundam confirmationem respondetur, constitutionem divinæ personæ secundum omnia, quæ adæquate, sive in recto, sive in obliquo importat, resolvi in divinam essentiam per modum essentiæ et naturæ consideratam, et in divinam relationem includentem per modum transcendentis eamdem essentiam sub conceptu transcendentis sumptam. Unde extrema hujus constitutionis, et resolutionis, ut sunt sub his conceptibus, non se includunt : siquidem licet essentia includatur quoad positivum, quod affert, in relatione; non tamen includitur in ea, quatenus stat sub conceptu formalissima ratione naturæ, ut ex dictis constat. Et tandem, licet essentia divina, ut habet rationem transcendentis, includatur in relatione; nihilominus ibi potest dari secundum nostros conceptus resolutio, non quidem in duas rationes, quarum una non includat aliam, sed in duas rationes, quarum una claudat aliam per modum transcendentis; non tamen e contra : eo sane proportionali modo, quo substantia ex parte nostri modi concipiendi resolvitur in ens, et in perseitatem, per quam ex parte ejusdem modi concipiendi contrahitur, quæque ipsam rationem entis intime, et essentialiter includit.

Non omnino displicet solutio inter arguendum data.

Nec ob hæc rejicimus solutionem ibidem inter arguendum huic confirmationi traditam, si intelligatur de significato omnino primario, et directo hujus nominis *persona divina*, adæquate tamen sumpto, idest, quoad omnia, quæ in recto etiam per modum transcendentis includit. Et ad impugnationem ex Vasquez ibidem adductam respondetur, quod, licet Paternitas in abstracto sumpta includat divinam essentiam per modum transcendentis, et insuper addat modum incommunicabilitatis proprium Paternitatis, non tamen ob id significabit, adhuc ex parte nostri modi concipiendi, eamdem Paternitatem ut personam *ut quod;* sed ut personalitatem Patris et per modum personæ *ut quo :* qua ad hanc etiam requiritur modus ille incommunicabilitatis in abstracto etiam significatus. Et ita Paternitas, ob inclusionem divinæ essentiæ per modum transcendentis, non desinet concipi, adhuc ex parte nostri modi concipiendi, per modum formæ constitutivæ personæ Patris.

§ XIV.

Fundamentum quartum ejusdem oppositæ sententiæ proponitur, et solvitur.

117. Quartum fundamentum.

Quarto probatur eadem sententia. Nam ex opposito fieret, hanc propositionem esse in sensu formali, et non tantum identico veram, nempe *Patrem Paternitate intelligere, et Paternitate esse sapientiam :* hoc autem admitti nequit : ut communiter docent Theologi : ergo, etc. Sequela probatur. Tum quia essentia divina inclusa in Paternitate debet ei suum quasi effectum formalem tribuere, nempe, quod essentialiter sit ipsum *intelligere* primordiale, et essentiale, et eadem ratione sapientia, quæ una cum essentia ibidem includeretur, tribueret eidem Paternitati formaliter sumptæ, quod esset sapiens : et per consequens tunc Pater Paternitate intelligeret, et esset sapiens. Tum etiam : quia si Paternitas, ut distincta virtualiter ab essentia, habet intrinsece, et essentialiter illam, ac proinde et attributa in suo conceptu claudere, tunc sicut de homine in sensu formali dicitur quod rationalitate est ens : quia rationalitas constitutiva hominis in sua formalissima ratione claudit ens : ita de Patre di-

cetur, quod Paternitate intelligit, et est sapiens : quia Paternitas constitutiva Patris in sua formalissima ratione essentiam divinam, nempe ipsum intelligere Dei, et per consequens etiam ipsam sapientiam Dei includit.

Confirmatur. Confirmatur. Nam hic est optimus syllogismus, nempe, *Pater essentia divina intelligit, sed Paternitas est essentia divina : ergo Paternitate intelligit.* In quo sola minor propositio, quæ videbatur indigere probatione, non indiget illa, si semel Paternitas includit in suo conceptu essentiam divinam : sicut quia eadem Paternitas includit rationem entitatis, sive realitatis divinæ, hæc est vera, *Paternitas est entitas, sive realitas divina.*

118. Vasquez. Nec obstat (inquit Vasquez) si occurras, prædictum syllogismum esse expositorium, et committi in illo defectum, nempe, quod terminus, qui in eo ponitur ut medium, scilicet essentia divina, est terminus communis.

Idem Vasquez. Non igitur hoc obstat. Quoniam contra hoc objicit idem Vasquez, syllogismum prædictum non esse expositorium, sed esse in *Darii.* Quia terminus *essentia,* in majori non accipitur omnino singulariter, sed communiter, ac si distributus esset pro omni persona, ita ut reddat hunc sensum, nempe quod essentia in qualibet persona, et quolibet modo se habeat, intelligit : et in minori sumatur in particulari denotando essentiam, ut est in Paternitate.

119. Diluitur argumentum. Respondetur negando sequelam. Et ad primam probationem dicendum est, quod effectus, aut quasi effectus formalis essentiæ divinæ, ut habet rationem transcendentis, non est tribuere ei, in quo includitur, quod in sensu formali sit intelligens per intellectionem primordialem, et constitutivam divinæ naturæ. Quia hoc est proprium divinæ essentiæ, ut habet rationem essentiæ, sive naturæ. Et ideo, nisi sub hoc conceptu communicetur, nunquam tribuit, quod in sensu formali verificetur de illo, cui communicatur, quod intelligit per prædictam intellectionem, sed quod hoc habeat identice. Quare effectus, aut quasi effectus, qui communicatur relationibus divinis ex vi inclusionis essentiæ, et attributorum, ut habent rationem transcendentis, non est, quod relatio illa, quatenus præcise includit sic essentiam, sit in sensu formali intelligens, aut sapiens, etc Sed alius, qui potest explicari, vel per hoc, quod sit infinita in genere entis quoad omne positivum, quod ad hanc infinitatem desideratur, licet non sit infinita in linea naturæ, aut attributi, v. g. misericordiæ, sub conceptu naturæ, vel prædicti attributi : non quidem ex defectu positivi, quod lineæ istæ afferunt, dum sunt sub suis peculiaribus conceptibus, sed ex defectu carentiarum, quas num. 72 explicuimus, vel per hoc, quod relationes divinæ, quatenus sic includunt essentiam divinam et attributa, v.g. sapientiam, habeant, quantum est ex parte positivi divinæ essentiæ, aut sapientiæ, omne id, quod per modum positivi requiritur ad hoc, ut in sensu formalissimo sint intelligentes, aut sapientes, licet absolute, et simpliciter non conveniat eis, ut præcise includunt prædictam essentiam, aut sapientiam per modum transcendentis, quod sint intelligentes, aut sapientes : quia adhoc ut eis conveniant hi quasi effectus, oportebat, ut includerent in suo conceptu eamdem essentiam sub conceptu essentiæ, et naturæ, et divinam sapientiam, ut est sub conceptu attributi : ac proinde desiderabatur, ut ultra illud positivum, dicerent carentiam illam num. 73 explicatam. Vel tandem potest dici, quod sicut relationes includunt divinam essentiam per modum transcendentis consideratam : ita etiam tribuit illis aliquos quasi effectus, qui possunt oriri a re transcendenti, ut quod sint perfectæ perfectione omnimoda, quæ quidem ad lineam absolutorum spectat, quod habeant etiam unitatem absolutam, quod sint intelligibiles intelligibilitatem perfectissima, et actualissima, aut quod sint amabiles a divina voluntate.

Ad secundam vero probationem patet ex nuper dictis. Nec obest instantia illa de rationalitate includente in sua ratione formali ens, et ratione hujus habente, quod de ea in sensu formali prædicetur, quod sit ens. Nam ens sub conceptu entis includitur in rationalitate, et ita non mirum, quod sub hoc conceptu de ea prædicetur : at divinum intelligere sub conceptu naturæ, et ut exprimit intelligere, quatenus constitutivum naturæ sub conceptu naturæ, non includitur in relatione, ut distincta virtualiter ab essentia, quatenus habenti rationem naturæ, sed includit idem intelligere, secundum quod dicit positivum illud, quod alias est sub conceptu naturæ.

Ad confirmationem respondetur syllogismum illum, sive sit expositorius, sive non, laborare duplici defectu. Primus est, essentiam divinam, quæ est medium in illo, sumi 120. Occurritur confirmationi.

sumi in præmissis æquivoce, seu in diversa acceptione. Nam in majori accipitur pro essentia, ut habet rationem essentiæ, sive naturæ, et est hoc modo communis : in minori autem sumitur pro eadem essentia, ut habet rationem transcendentis. Et ideo consequentia illata non est legitima : siquidem quoties medium sumitur æquivoce, aut in diversa acceptione, non sequitur legitima consequentia. Secundus defectus est, medium illud, nempe divinam essentiam, non esse complete distributum in majori propositione, ita ut reddat verum sensum. Et ad probationem in contrarium ex Vasquez ibidem adductam respondetur, quod licet essentia divina in qualibet persona, et quomodolibet se habeat, intelligat, si essentia sumatur sub conceptu essentiæ, vel naturæ ; non tamen id est verum, si essentia ponatur in casu auferendi, ut in hac impugnatione debet poni, dicendo, quod Pater essentia, ut est in qualibet persona, intelligit : siquidem Pater nonintelligit essentia, ut est in Filio.

Quare probatio, quam assumit Vasquez ad suadendum, syllogismum hujus confirmationis esse *in Darii*, et majorem illius, nempe, *Pater essentia divina intelligit*, complete distribui, et sic distributam verum reddere sensum, peccat in hoc, quod ad hoc probandum assumpsit hanc propositionem : *Essentia divina, ut est in qualibet persona intelligit*. Cum tamen, ut intuenti constabit, debuisset assumere hanc : *Pater essentia divina, ut est in quacum persona intelligit*. Quod quidem, ut diximus, est falsum.

§ XV.

Fundamentum quintum, et sextum oppositæ sententiæ adducitur, et solvitur.

121. Quintum argumentum. Quinto principaliter probatur eadem sententia. Quoniam in singulis personis Trinitatis, debet admitti aliquid, nemper personalitates, seu relationes divinæ, quæ ita sint propriæ uniuscujusque personæ, ut nihil habeant cum aliis commune communitate rei : ergo non debent secundum suum formalissimum conceptum includere essentiam, quæ est communis communitate rei. Consequentia non videtur indigere probatione. Antecedens autem probatur, quia alioqui nulla in singulis personis daretur vera proprietas personalis. Quia nihil alicui potest vere esse, aut dici proprium, nisi illi soli conveniat.

Respondetur negando antecedens, si sensus illius sit, quod nihil habeat commune, sive illud sit proprium suæ lineæ sive alienæ : quia linea relationis, et quidquid est in Deo, debet esse talis conditionis, ut in his, quæ sunt suæ lineæ, includat quidquid positivum est pertinens ad alias lineas absolutas Dei : atque adeo includat omne hoc positivum in his, quæ sunt suæ lineæ, licet non tanquam proprium ejusdem lineæ, sed ut quid pertinens ad alias lineas : ita ut cæteræ aliæ lineæ conservantes hoc, quod est dicere positivum propriarum linearum, sint inclusæ per modum transcendentis in linea relationis, v. g. Paternitatis. Cæterum concedi debet idem antecedens, si sensus illius sit, quod nihil habeat commune communitate rei pertinens ad suam lineam, ut specie, aut quasi distinctam ab aliis, et secundum ea, quæ præcise ex vi suæ lineæ, et ad eamdem lineam præcise spectantia affert. Et deinde neganda est consequentia. Enodatur.

Et ad probationem neganda est consequentia. Quia, ut vere detur in Deo proprietas personalis, satis est, quod detur in eo Paternitas v. g. quæ secundum ea, quæ affert ex vi propriæ lineæ, secundum suam quasi speciem relativam considerata, et ad eamdem lineam præcise spectantia, nequeat alteri personæ convenire; quamvis, intra eamdem Paternitatem intime includatur aliquid commune aliis personis, et spectans ad alias lineas. Maxime : quia licet illud ipsum, quod includitur in Paternitate, includatur in aliis personis, sitque commune ipsis; non tamen, prout modificatur per Paternitatem : et ita totum illud conjunctum, ut sic modificatum, nequit alteri personæ convenire,

Sexto pro eadem opposita sententia arguitur. Quoniam videtur aperta contradictio, quod relationes distinguantur virtualiter ab essentia : et quod, quatenus sic distinctæ, illam essentialiter includant : ergo etc. Antecedens probatur. Nam in eo eventu essent, et non essent distinctæ virtualiter ab eadem essentia. Essent quidem, ut supponitur. Non essent autem sic distinctæ. Quoniam id, quod pertinet ad rationem formalissimam, et quidditativum conceptum alicujus, ut in eo essentialiter inclusum, pertinet ad ejus lineam : at quod ad alicujus lineam spectat, non distinguitur in divinis virtualiter ab eo. Et propterea ratio referendi, et incommunicabiliter subsistendi non distinguuntur virtualiter in 122. Sextum.

Paternitate : quia hæc munera spectant ad ejus lineam. Et similiter ob hanc rationem *intelligere* primordiale Dei, et ejus intellectum, ac vim radicalem ad intelligendum, diximus in 1 tomo tract. 3 disp. 4 n. 46 et tract. 4 disp. 2 num, 60 identificari absque distinctione virtuali : quia hæc omnia ad unam et eamdem lineam spectant.

Responsio. Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod id, quod includitur in aliquo per modum communis, tam ipsi, quam aliis communitate rationis, pertinet ad ejus lineam : quia distincta, ut sic dicamus, portio illius rationis communis includitur in eo, et in aliis : et una ex prædictis portionibus pertinet ad unam lineam, et alia ad aliam : attamen id, quod est commune communitate rei, seu per modum unius, et ejusdem rationis singularissimæ, non oportet, ut spectet ad lineam ejus, in quo imbibitur : quia est commune illi, et aliis, tanquam quid singularissimum : et ideo affert propriam lineam quoad positivum, quod indispensabiliter secum trahit; licet in iis, in quibus imbibitur, non exprimat propriam et peculiarissimam rationem suæ lineæ, ex defectu carentiæ cujusdam num. 73 explicatæ.

123. Quare, id tantum constituit unicam lineam in divinis absque distinctione et multiplicatione virtuali in ea, quod secundum suam substantiam est proprium illius lineæ quatenus talis, eique solummodo competit. Quare, in linea naturæ id tantum constituit ejus lineam, ut quid indistinctum virtualiter, quod est proprium naturæ divinæ ut talis, quale est, v. g. divinum intelligere primordiale, et ejus vis radicalis, et proxima. Et similiter in linea misericordiæ id tantum constituit hanc lineam absque eo, quod ibidem sit assignare distinctionem virtualem, quod est proprium misericordiæ ut talis, et ut distinctæ ab aliis lineis, nempe, vis ad miserendum, et ipse actus miserendi. Et tandem in Paternitate, v. g. id tantum debet esse indistinctum virtualiter, quod (ut sic dicamus) secundum suam substantiam est proprium Paternitatis ut talis, quodque ab ipsa tantummodo provenit. Et ideo in illa vis, v. g. ad constituendum personam Patris, et ad respiciendum Filium, et ipsa actualis constitutio personæ Paternæ, ut ex parte ejusdem Paternitatis se tenet, exercitiumque referendi, et alia hujus lineæ propria, et ad eam præcise spectantia debent esse indistincta virtualiter; non vero ea, quæ sunt communia communitate rei respectu ipsius Parternitatis, et aliarum rationum formalium divinarum. Quia hæc, utpote constituentia aliam lineam, non includuntur in Paternitate ut aliquid præcise proprium suæ lineæ; sed quia omnes lineæ divinæ, et absolutæ, aut omnia non habentia oppositionem (modo supra num. 94 et 100 explicato) debent in illa includi. Et ita ad illam lineam, in qua includuntur, ad summum spectabunt, quatenus modificatæ per rationem quasi differentialem talis lineæ, idest, quoad illud *esse*, quod ab illa habent, sive ratione illius prædicti *esse*, non autem secundum se, et (ut sic dicamus) quoad suam substantiam.

§ XVI.

Fundamentum postremum oppositæ sententiæ.

Ultimo probatur ex D. Augustino, et Angelico Doctore. Nam Augustinus lib. 5 de Trinitate cap. 3, 4 et 5 et lib. 7 cap. 4 et 5 cum sequentibus, et D. Thomas in hoc art. in solutione ad 1 ; et 1 Sententiarum dist. 8 quæst. 4 art. 3 et dist. 22 quæst. 1 art. 3 ad 2 et clarius dist. 33 quæst. 1 art. 1 ad 5 sentiunt, duo prædicamenta, nempe substantiam, et relationem, dari formaliter in divinis secundum suas generales rationes considerata : at prædicamenta, secundum communem Metaphysicorum sententiam, sunt ad invicem condistincta, ita ut unum in suo essentiali conceptu non includat aliud : ergo relatio divina nequaquam includet essentialiter in suo conceptu divinam substantiam, seu essentiam. 124. Ultimum August. D.Thom.

Nec refert, si occurras, quod etsi hæ rationes, dum sunt sub conceptu prædicamentorum, et limitato modo, sint talis conditionis, ut neutra includat aliam, bene tamen quando sunt elevatæ ad unam eminentissimam rationem, ut in divinis cernitur. 125. Solutio.

Nam contra hoc est, quod D. Thomas loco citato ex 1 Sententiarum, dist. 33 q. 1 art. 1 ad 5, non solum condistinguit substantiam, seu essentiam divinam a relatione, sed ita ut sint extrema ita virtualiter condistincta, ut unum non includat aliud. Et ideo condistinguit illam a divinis attributis, v. g. a scientia, quod scientia differt a substantia, seu essentia divina tanquam includens, et inclusum, et ad instar illius modi, quo species distinguitur a genere, secus Contra insurgitur. D.Thom.

secus vero relatio divina a substantia, sive essentia divina : quod quidem fuse ibidem explicat S. Doctor his verbis : *Id quod dicitur ad aliquid in divinis, habet aliam rationem a ratione substantiæ, et alium modum prædicandi condivisum contra substantiam, Sed scientia, et bonitas, et hujusmodi, quæ sunt in aliis generibus, et dicuntur de Deo, non habent rationem communis generis, per quam dividuntur contra substantiam : imo loco illius rationis communis qualitatis, vel quantitatis venit ibi ratio substantiæ. Unde dicitur alia ratio esse scientiæ, et alia substantiæ in divinis : non quia quasi sit condivisa contra rationem substantiæ : sed sicut ratio speciei est alia a ratione generis, in quantum addit rationem differentialem supra rationem generis. Unde ita in divinis est alia ratio scientiæ, et substantiæ, sicut in creaturis est alia ratio scientiæ, et qualitatis, quod non est simpliciter aliud. Et ideo sicut in creaturis dicitur quod eodem est qualis, et sciens : ta in divinis dicitur, quod eodem est substantia, et sciens; non tamen, quod eodem sit substantia, et Pater.*

In quibus verbis aperte negat S. Doctor relationi, et substantiæ, sive scientiæ divinæ illud genus distinctionis virtualis, nempe, distingui ad instar generis, et speciei : et perconsequens per modum includentis, et inclusi : quod essentiæ, et divinis attributis concedit

126. Confirmatur. Confirmatur ex eodem S. Doctore. Nam ipse negat, has esse prædicationes, per se, nempe : *Essentia est paternitas*; *aut, Paternitas est essentia.* Si autem sentiret, Paternitatem distingui ab essentia per modum includentis, et inclusi, ad eum modum, quo species distinguitur a genere, quod essentialiter includit, vel substantia ab ente, quod intrinsece intra se claudit, non diceret hanc propositionem : *Paternitas est essentia*, non esse per se : sicut id non potuit, ut nuper innuebamus, de his propositionibus, *Homo est animal*, vel, *substantia est ens*, dicere : quia inter prædicatum, et subjectum prædictarum propositionum tantum est distinctio includentis, et inclusi essentialiter; ergo S. Doctor sentit, essentiam, et Paternitatem non distingui utcumque; sed distinctione virtuali excludentis, et exclusi : ac proinde ejus mens est, quod prædicta prædicamenta reperta in Deo secundum rationes generales licet non distinguantur ex natura rei, sicut in creaturis, et dum sunt quasi contracta ad *esse* formale prædicamentorum; attamen, adhuc in divinis, sunt virtualiter distincta per modum excludentis, et exclusi, semper modum duorum omnino virtualiter condistinctorum. Minor et utraque consequentia videntur perspicuæ.

Majorem vero docuit D. Thomas q. 8 de Potentia art. 2 ad 6 his verbis : *Per se autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundum propriam rationem. Quod vero non secundum propriam rationem prædicatur sed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per se. Cum ergo dicitur, essentia divina est Paternitas, non prædicatur Paternitas de essentia divina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei : et similiter nec essentia de Paternitate, ut jam dictum est : quia alia est ratio essentiæ, et relationis. Et ideo in prædicto processu incidit fallacia accidentis. Licet enim in Deo nullum sit accidens, est tamen quædam similitudo accidentis : in quantum ea, quæ de se invicem prædicantur secundum accidens, et differunt ratione, sunt unum subjecto.* D.Thom.

§ XVII.

Occurritur ultimo argumento, et ejus confirmationi.

127. Dissolvitur argumentum. Ad hoc argumentum respondetur, admittendo solutionem modo traditam : et ita in eo sensu debent intelligi Patres, qui ibi referuntur. Et ad impugnationem in contrarium dicendum est, Angelicum Doctorem non distinguere attributa a relationibus divinis in hoc, quod attributa distinguantur ab essentia, ut habet rationem transcendentis, per modum includentis, et inclusi ; et relatio distinguatur ab eadem essentia sic sumpta per modum excludentis, et exclusi ; sed in hoc, quod licet utraque distinguantur ab essentia per modum includentis, et inclusi, sive ad instar quodammodo illius distinctionis, qua species distinguitur a genere, quatenus includit illud, et aliquid addit supra ipsum : attamen attributa distinguuntur ab essentia, non tanquam aliquid habens ibidem suum genus secundum communissimam rationem acceptum : siquidem suum genus (nempe ratio qualitatis formaliter talis) adhuc secundum communissimam rationem acceptum, non salvatur formaliter in divinis, sicut nec ratio accidentis, sed, ut optime loquitur D. Thomas ibidem, *Scientia, et bonitas, et hujusmodi, quæ sunt in* D.Thom.

aliis generibus, et dicuntur de Deo, non habent rationem communis generis, per quam dividuntur contra substantiam : uno loco illius rationis communis qualitatis, vel quantitatis. venit ibi ratio substantiæ.

Cæterum relatio distinguitur virtualiter, et per modum includentis, et inclusi ab essentia divina, ut habet rationem transcendentis, non ea ratione, qua prædicta attributa, sed afferendo rationem communissimam sui generis, nempe rationem relationis, et eam ibidem conservans. Et propterea S. Doctor, ut explicaret magis hoc discrimen attributorum, et relationum, sic conclusit : *Et ideo sicut in creaturis dicitur, quod eodem est qualis, et sciens : Ita in divinis dicitur, quod eodem est substantia, et sciens, non tamen quod eodem sit substantia, et Pater.* Et statim addidit hæc verba : *Cum relatio, quæ per se substantiæ condividitur secundum rationem generis, et modum significandi in divinis saluetur :* ut ita explicaret, in quo discrimen illud inter attributa, et relationes quoad modum includendi essentiam, et distinguendi se ab illa consisteret.

128. Elucidatur solutio. Potestque hæc eadem expositio magis elucidari ex eo, quod si S. Doctor intenderet, quod relationes distinguuntur ab attributis in hoc, quod excludunt illam a suo conceptu, non vero tantum voluisset, quod relationes includunt illam, non quidem amittendo communissimam rationem sui generis, sed eam conservando, tunc non conclusisset, quod *ita, in divinis dicitur, quod eodem est substantia, et sciens, non tamen quod eodem sit substantia, et Pater*, adducendo Paternitatem in concreto, et significando eam nomine Patris, sed adduxisset illam in abstracto : siquidem indubitatum est, Patrem in concreto includere aliquo modo divinam essentiam. Unde : ideo S. Doctor non curavit quoad hoc de explicatione Paternitatis in abstracto potius, quam in concreto, vel e contra : quia sive hoc, sive illo modo significetur, semper saluatur id, quod S. Doctor intendebat, scilicet, distingui per modum includentis, et inclusi, et tanquam aliquid conservans in divinis communissimam rationem sui generis, nempe relationis, sive abstractive, sive concretive significatæ.

129. Diluitur confirm. Ad confirmationem respondetur, S. Doctorem posse exponi de essentia, sive natura divina, ut habet rationem essentiæ, et naturæ ; non vero ut habet rationem transcendentis : tunc enim prædicatio hæc est per se eo modo, quo prædicatio transcendentis, et communis communitate rei petit esse per se.

Adde (et explicabitur magis hoc ipsum) quod D. Thomas tantum vult, illam propositionem, *Paternitas est essentia*, non esse per se, si faciat sensum illum formalissimum, quem in rigore facit abstractum particulare prædicatum de alio abstracto particulari, nempe, quod id, quo Pater est Pater, est id, quo essentia est essentia, aut quo Deus est Deus ; quod tamen est falsum : siquidem, licet essentia divina includatur in Paternitate, non tamen id, quo Pater est formalissime Pater, est id, quo essentia divina essentia, aut quo Deus est formalissime Deus. Nam est Pater formalissime a Paternitate, et Deus a Deitate, licet in Paternitate includatur Deitas, ut habet rationem transcendentis.

DUBIUM IV.

Utrum tanta sit identitas inter essentiam divinam, et relationes, ut istæ sint de intrinseca illius ratione ?

Titulus hujus dubii eodem proportionali modo est intelligendus, ac titulus præcedentis. Et ita sensus illius est, an de intrinseca ratione essentiæ divinæ, non quidem ut identificat sibi actu a parte rei relationes, sed ut ab eis distinguitur virtualiter, sint prædictæ relationes.

§ I.

Assertio prior.

Dicendum ergo est primo, relationes divinas non esse de intrinseco, et quidditativo conceptu divinæ essentiæ et naturæ, sive tanquam prædicatum transcendens, sive tanquam ejus intrinsecum constitutivum, et rationem quasi differentialem. Assertio hæc est D. Thomæ infra quæst. 33 art. 3 ad 1 ubi inquit, quod absoluta in divinis sunt de conceptu propriorum, non tamen e contra : eamque admittunt communiter Theologi. 130. Assertio prima. D.Thom.

Et ratio ejus fundamentalis desumpta ex D. Thoma potest ad hanc brevem formam reduci. Quoniam si aliquo ex modis prædictis relationes essent de intrinseca ratione divinæ essentiæ, tunc omnes, et singulæ relationes essent de intrinseca ratione cujusvis ex illis : et ita Filiatio esset de Ratio fundamentalis.

quidditativo

quidditativo conceptu Paternitatis : quod tamen videtur aperte implicare : siquidem unum oppositum nequit esse de quidditativo conceptu alterius in illoque essentialiter includi. Sequela videtur perspicua. Quoniam id, quod est de intrinseca, et essentiali ratione divinæ essentiæ, vel tanquam aliquid per modum transcendentis in ea inclusum, vel tanquam ratio ejus quasi differentialis, debet esse quoad id positivum, quod affert, de intrinseco, et quidditativo conceptu singularum relationum. Et propterea quia omnia attributa quoad omne positivum, et perfectionem, quam important, sunt de intrinseco conceptu divinæ essentiæ, quatenus per modum transcendentium in ea imbibuntur, idcirco debent etiam in singulis ex relationibus divinis imbibi. Ergo si relationes essent de intrinseco, et quidditativo conceptu divinæ essentiæ aliquo ex duobus modis in assertione ista recensitis, tunc omnes, et singulæ relationes ad in vicem (saltem per modum transcendentium) includerentur : et ita Filiatio v. g. esset de intrinseco, et quidditativo conceptu Paternitatis.

§ II.

Evasiones adhibitæ rationi D. Thomæ, et earum præclusio.

1. ima sio. Quæ ratio est adeo efficax, ut ex sola ejus expensione evasiones aliquæ, quæ ei adhiberi poterant, facile præcludantur. Nam in primis nihil obest, si occurras, quod ex hac ratione non sequitur, Filiationem v. g. esse de intrinseco conceptu Paternitatis, in eaque transcendendam, licet transcendatur in essentia divina, quæ in prædicta Paternitate transcenditur. Quoniam essentia divina non transcenditur in Paternitate, ut imbibit Filiationem, sed secundum alia, quæ prædicta essentia ex se dicit. Et ideo, licet ipsa essentia imbibat Filiationem per modum transcendentis, non sequitur eamdem Filiationem una cum essentia imbibita in Paternitate fore in Paternitate imbibendam. Quoniam ad hoc erat necessarium, ut essentia, quatenus imbibens Filiationem, imbiberetur in Paternitate.

iu- ir. Non igitur hæc evasio obest. Quoniam ex sola expensione, aut aliquali declaratione rationis factæ corruit. Nam vel hæc inclusio relationis Filiationis v. g. in essentia per se, et indispensabiliter requiritur ad formalissimam rationem ejus, seu illius positivi, quod ipsa indispensabiliter affert, ut quid ad ejus quidditativum conceptum spectans, vel non? Si hoc secundum dicatur : ergo prædicta Filiatio, non includitur per modum transcenden tiset quidditativi, (de quo loquimur) in essentia quoad prædictum positivum. Quoniam, quod sic transcenditur in aliquo, requiritur (modo dicto) ad formalissimam ejus rationem. Et propterea ratio entis habet sic transcendi in suis inferioribus, quia desideratur ad formalissimam eorum rationem ut prædicatum eorum quidditativum.

Si vero primum dicatur : ergo repugnat, essentiam divinam quoad prædictum positivum includi in Paternitate per modum transcendentis, nisi etiam imbibatur ibidem quoad Filiationem, quam transcendentaliter includit ut prædicatum quidditativum. Patet consequentia : tum, quia sublato prædicato quidditativo rei, tollitur ipsa res : et ita si non includitur essentia cum hoc prædicato quidditativo ejus quoad positivum, quod affert, nec includetur prædicta essentia quoad suum positivum. Tum etiam : quia propter hanc rationem non potest imbibi in quantitate ratio accidentis absoluti quoad positivum, quod affert, nisi etiam ibidem includatur ratio entis, quæ in eodem accidenti per modum transcendentis includitur.

Nec etiam refert, si secundo occurras, quod licet relatio, v. g. Filiationis, ut est sub conceptu Filiationis, et peculiaris ac atomæ rationis relationis divinæ ut talis, non possit imbibi in Paternitate, bene tamen, ut est sub conceptu transcendentis. Nam sic considerata non habet oppositionem cum Paternitate, licet opponatur ei, ut est sub proprio et peculiari conceptu Filiationis, et ut constituit peculiarem proprietatem personalem. 132. Secundum effugium.

Explicabisque hoc triplici exemplo. Primum est generalissimi relationis, aut relationis v. g. identitatis ut sic, si considerentur, ut sunt communia communitate rationis : sic enim non habent in actu exercito oppositionem cum aliquo : quia, ut sunt sub hoc conceptu, non respiciunt in actu exercito terminum. Et ita eadem ratione relatio Filiationis etiamsi esset communis respectu omnium divinorum, et in eis transcenderetur ; non tamen idcirco opponeretur in actu exercito cum aliqua ex formalitatibus divinis. Quia hæc oppositio in actu exercito non convenit ei, ut est Explicatur exemplis.

sub conceptu transcendentis, habetque esse communem, sed ut est sub proprio et peculiari conceptu relationis in actu exercito respicientis terminum.

Secundum est ejusdem relationis filiationis, ut est relativa in actu signato. Nam sic constituit personam Filii : et ut in actu exercito respicit Patrem, non constituit illam, sed potius supponit eam constitutam ; ac proinde, si eidem relationi possunt convenire secundum diversos conceptus hæc duo munera ita inter se distantia, qualia sunt, constituere, et non constituere personam : eadem ratione secundum hæc duo munera, nempe, secundum quod est transcendens, et secundum quod est sub conceptu proprio proprietatis personalis Patris, poterunt ei competere hæc duo prædicata inter se distantia, scilicet, opponi secundum posterius munus cum Paternitate, et non opponi illi secundum primum ex illis muneribus.

Tertium est attributi, v. g. voluntatis divinæ. Nam etsi huic attributo, ut est sub conceptu voluntatis, competat, quod in actu exercito sit volitio, et amor omnium divinorum ; non tamen ut est sub conceptu transcendentis in omnibus aliis formalitatibus divinis : et propterea voluntas intime inclusa per modum transcendentis in intellectu, aut Filiatione, non tribuit illis, quod in sensu formalissimo sint actualis amor omnium divinorum ; sed ad summum, quod in actu signato id habeant, sive quod includant illud positivum, quod alias, dum est sub conceptu attributi voluntatis, habet in actu exercito esse prædictum amorem : ergo eadem ratione, licet Filiatio, ut est sub conceptu proprietatis personalis Filii, affertque illam carentiam n. 72 insinuatam, sit in actu exercito opposita cum Paternitate ; non tamen ut est sub conceptu transcendentis.

133. Evanescit solutio. Non igitur hoc refert. Quoniam hoc ipso, quod relatio Filiationis includatur per modum transcendentis in Paternitate, oportet, ut ibidem imbibatur, ut est opposita ipsi, ibidemque conservet rationem oppositæ respectu ipsius. Et ratio videtur aperta. Quoniam hoc est proprium rationis habentis se per modum prædicati quidditativi transcendentis, quod si semel distinguitur virtualiter a re, quam transcendit, dum non est sub conceptu transcendentis, sed sub alio conceptu ; debet, dum secundum illud positivum est sub prædicto transcendentis conceptu, distingui etiam virtualiter ab eo, in quo transcenditur : ergo Filiatio divina, quæ, ut est sub conceptu Filiationis, distinguitur realiter a Paternitate, debebit adhuc, dum quoad omne suum positivum est sub conceptu transcendentis inclusa in illa, distingui realiter ab ea, esseque ibidem per modum alicujus realiter distincti ab ipsa : ergo prædicta Filiatio, adhuc quatenus opposita Paternitati, includeretur per modum transcendentis in illa.

Antecedens explicatur, et probatur. Tum ex eo, quod contingit in essentia divina, et attributis illius : quæ quia (ut num. 72 diximus) possunt considerari, vel ut sunt sub conceptu essentiæ et attributorum, vel ut sunt sub conceptu transcendentium : et secundum priorem considerationem distinguuntur virtualiter ab his, in quibus transcenduntur, quia sunt communia et transcendentia per communitatem et transcendentiam rei, idest, per modum rationum singularissimarum afferentium, et constituentium proprias lineas : idcirco, dum sunt sub conceptu transcendentium, habent etiam virtualiter distingui ab his, in quibus transcenduntur : propter quod essentia divina, adhuc ut transcenditur in relationibus, distinguitur virtualiter ab ipsis : quia distinguitur ab eis per modum rationis absolutæ, et relativæ : quæ distinctio non potest non esse virtualis, licet talis distinctio tunc sit ex parte relationis distinctio virtualis includentis, et inclusi.

Tum etiam perspicua ratione. Nam cum prædicta transcendentia habentia, tam quod sint sub conceptu transcendentium, quam sub alio conceptu, retineant, quod quoad omne positivum, quod afferunt, sint sub utroque conceptu, et solum distinguantur quoad carentias illas diversæ rationis, quas dubio præcedenti explicuimus : oportet, ut omnem illam distinctionem, vel identitatem, quam ratione positivi afferunt cum aliis, ut sunt sub uno conceptu, afferant, ut sunt sub alio, ibidemque illam conservent.

Prima vero consequentia ex antecedenti patere videtur. Tum, quia si hoc ipso quod aliqua formalitas sumpta secundum propriam et peculiarem suam rationem distinguatur virtualiter ab alia, in qua transcenditur, adhuc conservat illam distinctionem, etiamsi consideretur secundum illum conceptum transcendentis, et adhuc ut transcendens,

cendens, concipitur ut distincta virtualiter a re, in qua transcenditur : non est cur Filiatio, quæ, ut est sub conceptu Filiationis, et non sub conceptu transcendentis, distinguitur realiter a Paternitate, non habeat distingui etiam realiter ab illa, dum est sub conceptu transcendentis. Tum etiam, quia cum Filiatio sub utroque conceptu, nempe, sub conceptu Filiationis, et transcendentis dicat idem prorsus positivum, et ratione illius distinguatur realiter a Paternitate, dum est sub conceptu Filiationis, non potest non eodem modo distingui ab illa, ut est sub conceptu transcendentis. Maxime, quia omne positivum, quod semel realiter distinguitur ab alio, non potest, manente eodem sub utraque realitate, non distingui semper realiter ab illo, nunquamque valent per identitatem liberam ab imperfectionibus inter se identificari.

Secunda vero consequentia ex antecedenti, et ex hac priori videtur perspicua. Quoniam in divinis ea solummodo distinguuntur realiter, quæ sunt relative opposita : ergo si Filiatio, quatenus transcendens in Paternitate, distinguitur realiter ab illa, et secundum quod sic distincta transcenderetur in ea, non posset non transcendi in ipsa, quatenus esset ei realiter opposita.

135. Confirmatur. Quoniam alia prædicata ex genere suo transcendentia conveniunt transcendentibus divinis, quatenus sunt transcendentia : et ideo essentia divina, ut habet rationem transcendentis, conservat, ut est sub conceptu, quod sit ens divinum, quod sit bona, perfecta, et una unitate absoluta : ergo si Filiatio divina v. g. posset esse sub conceptu transcendentis in Paternitate, conservaret ibi, quod esset una unitate relativa : ergo quod esset distincta realiter a sua correlatione, eique realiter opposita. Patet consequentia. Quia unitas relativa, ut talis, non potest esse secundum id positivum, quod dicit, nisi in ordine ad suum correlativum : atque adeo, nisi una cum distinctione, et oppositione reali cum illo.

136. Nec exempla, quæ in favorem hujus solutionis adducta sunt, ei favent. Non quidem primum. Nam hoc potius contra eam militat : ex eo quod idcirco generalissimum relationis, et relatio identitatis ut sic non habent in actu exercito referri, quia non habent sub illa præcisione, et communitate correlativum, cui relative opponantur : siquidem nequit dari duplex generalissimum, nec duplex relatio identitatis ut sic. At tandem dato, quod haberent terminum, sunt relationes in communi ; non vero in singulari : et propterea nequeunt in actu exercito realiter referri ad suum correlativum, dato quod illud haberent. Cæterum Filiatio divina est relatio disquiparantiæ habens terminum sibi proprium, scilicet, suum correlativum, quod est Pater : et dato, quod esset transcendens, et communis respectu divinæ essentiæ, ac proinde respectu Paternitatis, in qua eadem essentia divina includitur, deberet esse transcendens, et communis communitate rei, sicut attributa, et prædicta essentia. Et ita non est, unde re ipsa non haberet referri in actu exercito ad suum correlativum, opponique ei realiter relative, ab eodem que realiter distingui : tum, quia id ex dictis patet : tum etiam, quia omnis relatio in singulari accepta debet reipsa hoc habere.

Et similiter secundum exemplum non favet eidem solutioni. Quoniam Filiatio v. g. adhuc ut dicit esse *ad* expresse, et in actu exercito, habet constituere personam Filii, ut quæst. 40 art. 2 dicemus. Cæterum adhuc dato, quod sic sumpta non constitueret personam, sed supponeret illam constitutam, ac proinde sufficeret oppositio relativa, esseque relativum in actu signato ad constitutionem divinæ personæ : nihilominus prædicta relatio secundum munus transcendentis sumpta deberet, propter rationem traditam, includi in essentia, et Paternitate, ut distincta virtualiter ab illa, et realiter ab ista.

Non favet secundum exemplum.

Ad tertium exemplum etiam constat ex dictis, esse disparem rationem. Nam quod voluntas divina v. g. sub conceptu attributi sit actualis amor omnium divinorum sub sua propria, et formali ratione objectiva, non vero sub conceptu transcendentis, non provenit ex defectu alicujus positivi, quod ei desit, ut est sub conceptu transcendentis; quod tamen afferat, ut est sub conceptu attributi, ut ex dictis num. 133 constat ; sed ex defectu carentiæ ibidem insinuatæ, quæque requiritur ad hoc, ut voluntas divina concipiatur sub conceptu amoris omnium divinorum, et ut terminata ad propriam rationem objectivam divinæ bonitatis.

Neque tertium.

Cæterum sicut, quod eadem voluntas distinguatur eodem modo ab aliis rationibus divinis, non ducit ortum ex dicta carentia, sed ex positiva formalitate, quam 137.

secum fert : ideoque eodem modo distinguitur ab illis, ut est sub conceptu transcendentis, et ut est sub conceptu attributi : ita distinctio, ac proinde oppositio in actu exercito, quæ est inter Paternitatem, et Filiationem, provenit ex earum positivis formalitatibus : et propterea ubicumque sint, et quocunque modo comparentur, debent reipsa conservare, ut ibidem sunt, hanc distinctionem, et oppositionem. Et ita, si Filiatio esset per modum transcendentis inclusa in Paternitate, ibidem, et ut ibidem esset, deberet ei opponi realiter ab illaque realiter distingui : quod tamen pugnat cum natura transcendentis, nec non et cum summa simplicitate Dei, ut ex se, et ex dictis constat.

§ III.

Objectio notanda, et ejus solutio.

138. Objectio notatu digna. Nec obest, si cum Juniori quodam objicias, essentiam divinam esse intra suam lineam ens per essentiam : ac proinde dicere ipsam rationem entis per essentiam, et omnino irreceptam : ergo intra suam lineam includet omnem excogitabilem formalitatem : ac proinde et omnes relationes : istæque non erunt oppositæ quoad inclusionem earum in prædicta essentia.

Exempla pro ea. Patet consequentia. Quia sicut albedo omnino irrecepta dicit totam speciem albedinis : et natura Angelica Gabrielis dicit totam speciem : ex eo quod Gabriel importat formam irreceptam. Et tandem, si daretur animalitas irrecepta, esset ibidem totum genus animalitatis, ita ut non esset unde species multiplicarentur. Ita ipsa entitas per essentiam, seu nulla ratione irrecepta, qualis est entitas divinæ essentiæ, ut essentia et natura divina est, dicet omnem rationem entitatis, seu omne (ut sic loquamur) genus entis : ac proinde dicet etiam ipsas relationes, quæ ad genus entis spectant.

139. Enodatio objectionis. Non itaque hoc obest. Nam si nomine entis per essentiam intelligatur ipsum *esse* per essentiam, prout est omnibus modis idem, ac ipsum *existere* per essentiam, secundum quam rationem constituit ipsam lineam naturæ, tanquam una ex rationibus ejus inadæquatis, et ex parte solius modi concipiendi distinguitur ab aliis, quæ præcise spectant ad lineam naturæ, ut tomo 1 tractatu 3 disput. 4 a num. 6 diximus : tunc verum est, includere intra propriam lineam omnem excogitabilem rationem entis, seu existentiæ, quæ est in divinis : siquidem sola essentia divina habet propriam existentiam ad suam lineam spectantem : et cætera alia existunt per existentiam ejusdem essentiæ. Sicut etiam, si nomine entis per essentiam intelligatur ens, quod non est ab alio, nec tanquam a causa, nec tanquam a ratione a priori, tunc etiam est verum, includere intra propriam lineam omnem excogitabilem rationem entis a se. Attamen ex eo, quod essentia divina his duobus modis sit ens a se, seu ipsum *esse* irreceptum, non sequitur, includere intra suam lineam relationes, quæ, nec intra propriam lineam, et ratione illius existunt, nec sunt entia a se, prout ens a se dicit ens talis conditionis, ut non sit ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori : siquidem relationes oriuntur, aut quasi oriuntur ab essentia divina tanquam a ratione a priori.

Si autem ens a se, sive entitas a se accipiatur pro eo, quod non est ab alio tanquam a causa, præscindendo tamen, an simul habeat non esse ab alio tanquam a ratione a priori, et ab hoc, quod est, non esse ab alio solum tanquam a causa : tunc falsum est, essentiam divinam intra propriam lineam, et ex vi illius includere omnem excogitabilem formalitatem, tanquam aliquid suæ lineæ. Quia ratio hæc entis a se non constituit lineam aliquam quasi atomam; sed lineam quandam quasi subalternam, quæ petit dividi per distinctas quasi rationes differentiales diversarum linearum : et divisa per unam quasi differentiam unius lineæ, spectat ad illam lineam; et non ad alteram : quia est ratio quædam communis præcise communitate rationis.

Nec obest id, quod in hac objectione dicitur, nempe, hanc rationem entis esse irreceptam in aliquo tanquam in subjecto. 140. Quia hæc multiplicitas non provenit ex limitatione, ac proinde ex eo, quod ratio illa entis sit modo dicto recepta; sed ortum ducit ex summa eminentia illius formalitatis, quæ identificat sibi omnia divina, quæque ratione suæ eminentiæ petit, ut æquivaleat pluribus ut pluribus, atque adeo pluribus spectantibus ad diversas lineas : et per consequens, quod actu sint in ea plures, et distinctæ lineæ quasi specificedi versæ.

Potestque hoc explicari exemplo naturæ pure intellectivæ repertæ in Angelis, quæ quidem multiplicatur secundum speciem per diversas rationes differentiales, non quidem

quidem materiales, sed formales. Et ideo, licet Angelica natura ut sic sit forma irrecepta in aliquo tanquam in subjecto, ac proinde nequeat numero multiplicari : nihilominus potest per differentias formales multiplicari et dividi. Ita ergo in præsenti, proportione servata, est dicendum. Et propterea in divinis nulla datur multiplicatio numerica; sed si quæ est virtualis distinctio, attenditur penes distinctas virtualiter specifice, aut quasi specifice rationes formales.

141. Non obstant exempla. Unde, exempla in hac objectione adducta nihil contra ea, quæ diximus, convincunt. Nam albedo, et natura Gabrielis sunt talis conditionis, ut quælibet ex illis dicat unicam lineam atomam : et ita hoc ipso, quod concedantur omnino irreceptæ, et per se ac ratione sui subsistentes, dicunt totam rationem speciei albedinis, et speciei naturæ Angelicæ. Et tandem animalitas licet daretur irrecepta in aliquo, quia tamen non per se, et ratione sui subsisteret, sed quatenus identificata cum aliqua ratione differentiali specie diversa ab aliis rationibus differentialibus ejusdem animalitatis, quia ex se non constituit lineam atomam : propterea sic contracta per unam rationem differentialem non diceret totam animalitatem. Sicut etiam ratio entis a se, tertio illo modo ex nuper dictis sumpta, quia constituit lineam subalternam, ac proinde non subsistentem per se, et ratione sui, sed ut identificata, et determinata per rationes quasi differentiales aliarum linearum : idcirco prout contracta, aut quasi contracta per rationem quasi differentialem divinæ essentiæ non dicet totam rationem entis, quæ est in Deo, tanquam aliquid suæ lineæ : licet, quia omnes lineæ divinæ, et absolutæ includuntur ad invicem in se ipsis : propterea etiam essentia divina includit per modum transcendentis omnes alias lineas ut ea, quæ ibidem conservant rationem positivam propriarum linearum.

§ IV.

Assertio posterior.

142. Assertio secunda. Dicendum est secundo, relationes divinas esse quodammodo de intrinseca ratione divinæ essentiæ, sive naturæ divinæ, idest, tanquam modos, aut quasi modos intrinsecos ejus, seu (quod in idem quoad præsens redit, quodque notandum peculiariter est) esse modos, aut quasi modos intrinsecos, et (ut sic dicamus) essentiales illius.

Assertio hæc, si attente consideretur, est germana conciliatio duarum sententiarum primo aspectu inter se quodammodo pugnantium, quas statim referemus, et ex dicendis in ea ad concordiam redigemus. Consulto autem in illa diximus, *relationes divinas esse quodammodo de intrinseca ratione essentiæ, sive naturæ Dei.* Quia esse de intrinseca illius ratione tanquam modos ejus, est conditio diminuens, et extrahit illas ab hoc, quod est, esse de intrinseca ejus ratione per modum prædicati quidditativi, ac proinde per modum prædicati transcendentis, aut rationis quasi differentialis : et per consequens ab hoc, quod est, esse simpliciter, et sine addito de intrinseca illius ratione : et tantum denotat, esse modos, aut quasi modos intrinsecos, et indispensabiles ejus, et tandem esse quasi modos, qui intra latitudinem modorum sunt (ut sic dicamus) essentiales, idest, talis conditionis, ut conveniant Deo ratione suæ essentiæ et naturæ : adeoque intime, ut ex negatione cujuslibet ex illis sequatur per bonam consequentiam, et a posteriori negatio, et destructio divinæ essentiæ : ex eo quod petit esse semper actu, et indispensabiliter sub illis, et de intrinseco ac quidditativo illius conceptu est, esse id, quod actu communicatur ad intra : ac proinde exigit habere actu, et indispensabiliter omnes modos, aut quasi modos, qui desiderantur ad hoc, ut prædicta essentia communicetur, conveniatque illi id, quod de illius conceptu est, nempe, esse id, quod idemmet numero existens pluribus communicatur.

Nec minus assertio ista, quam præcedens, est D. Thomæ loco relato num. 130. Nam propterea dixit, communia esse de conceptu propriorum, non tamen e contra : quia per hoc absolute significatur, propria non esse de quidditativo conceptu communium. Sicut, cum dicitur communia esse de conceptu propriorum, hoc denotatur. Non vero, ut excluderet propria a ratione modorum, aut quasi modorum intrinsecorum respectu divinæ essentiæ : quin potius S. Doctor sæpe affirmat, relationes esse modos, aut quasi modos intrinsecos divinæ essentiæ supponentes eam constitutam, ut ex supra dictis patet. Et ideo assertionem hanc sic intellectam, credimus, esse communem inter Theologos. Probatur testimonio D. Thomæ.

Ratio autem fundamentalis illius desumitur ex eodem S. Doctore. Quoniam re- 143.

Et ratione fundamentali. lationes divinæ terminant divinam essentiam jam constitutam, determinantque illam ad *esse* v. g. Patris : et ita intime ad eam requiruntur, ut nec esset fœcunda, nec haberet rationem naturæ infinite perfectæ, si eis careret : ergo sunt modi, aut quasi modi intrinseci illius, et (ut sic dicamus) essentiales. Patet consequentia. Quia hoc, et nihil amplius, intendimus per hoc, quod relationes sint modi, aut quasi modi intrinseci, et (ut sic dicamus) essentiales divinæ essentiæ. Sicut per hoc, quod dicatur, subsistentiam Petri esse modum intrinsecum, et connaturalem illius, nihil aliud intenditur, nisi quod terminat naturam illius, determinatque illam ad *esse* personale, et est talis conditionis, ut per ablationem ejus, saltem naturaliter, destrueretur Petrus : ergo, etc.

Objectio tacita præcluditur. Ex quo etiam optime intelligitur (ut per hoc tacita quædam objectio solvatur) quomodo licet relationes sint hoc modo de intrinseca ratione essentiæ, scilicet, ut modi intrinseci illius, non tamen cuicunque convenit divina essentia secundum se, debent omnes isti modi convenire : ac proinde Patri poterit convenire divina essentia secundum se sumpta, non tamen Filiatio.

144. Et ratio est. Quia cui convenit aliqua essentia secundum se considerata, non est necesse, ut conveniant eo ipso omnes ejus modi, sed tantum omnia prædicata quidditativa illius, ut patet in Petro, cui competit essentia hominis secundum se, et per consequens cuncta illius prædicata quidditativa, non tamen idcirco competunt ei omnes modi illius, quales sunt hæcceitas v. g. Pauli, aut ejus subsistentia : quamvis, ut multi dicunt, modi hi sint talis conditionis, ut si implicarent, non esset natura humana ejusdem rationis, ac nunc est : quippe quæ non esset modificabilis per tot modos, totque subsistentias, per quot nunc est modificabilis.

Elucidatur exemplo. Potestque hoc magis explicari exemplo entis, cujus ratio licet sit essentialiter superior respectu substantiæ, et accidentis, et *esse per se*, et *in alio* sint modi intrinseci illius : nihilominus, dum transcenditur in substantia, non ob id includitur in illa una cum prædictis modis : quia modi isti tantum sunt intrinseci illi, tanquam modi, non tamen tanquam prædicatum quidditativum illius. Et propterea, quia hoc quod est dicere realitatem, seu quid capax realis existentiæ, est prædicatum quidditativum entis, ac proinde est absolute et simpliciter de ejus conceptu, et essentia, non potest ens transcendi in suis inferioribus, quin una cum ratione ista, et prædicato quidditativo in eis imbibatur.

§ V.

Ex dictis duæ sententiæ primo aspectu oppositæ conciliantur.

Ex quibus omnibus facile deducitur conciliatio duarum sententiarum, quæ primo aspectu videbantur contrariæ. Prior est, relationes divinas non esse de essentia essentiæ, et naturæ Dei. Pro qua refertur Torres in hac q. art. 2, Zumel ibidem quæst. 3, Arrubal disput. 101 cap. 3, Suarez lib. 4 de Trinitate cap. 5, Granado tomo 3 in 1 partem tractatu 3 disput. 4 sect. 2. Posterior vero est, relationes divinas esse de essentia ipsius essentiæ, et naturæ Dei. Pro qua adducitur Valentia 1 de Trinitate cap. 29, Bannez in præsenti dubio 3 in solut. ad 6 ubi etiam refert Cajetanum supra quæst. 27 art. 2 ad 3. 145. Conciliantur duæ sententiæ prima facie diversæ. Torres. Zumel. Arrubal. Suarez. Granado. Valentia. Bannez. Cajetanus.

Ex dictis igitur hæ duæ sententiæ facile conciliantur. Quoniam auctores primæ sententiæ tantum volunt, relationes divinas non esse de essentia divinæ essentiæ absolute et simpliciter loquendo, idest, vel per modum prædicati essentialiter transcendentis, aut per modum rationis quasi differentialis; non tamen negant, nec negare possunt, esse modos, aut quasi modos intrinsecos, et indispensabiles ejus, ac proinde esse de essentia divinæ essentiæ, cum hoc addito diminuente, nempe, tanquam modos ita intrinsecos, et indispensabiles, ut ex negatione cujuslibet ex illis sequatur per bonam et legitimam consequentiam negatio, et destructio divinæ essentiæ. Quia, ut jam tetigimus, licet non sit de conceptu divinæ essentiæ esse communicatam actu tribus personis divinis, ita ut totum, quod in hoc includitur, sit prædicatum ejus quidditativum, ac proinde et ipsæ personæ sint de illius quidditativo conceptu : est tamen de ejus ratione et conceptu quidditativo esse id, quod idemmet numero existens communicatur in utraque processione, quodque est actu intribus personis : in una quidem, nempa in prima, a se, id est, non ab alio; in aliis vero, mediis processionibus. Constat autem, quod ad hoc, ut essentiæ divinæ conveniat hoc quidditativum prædicatum, nempe, esse id, quod est Quid velint auctores primæ sententiæ.

actu

actu in tribus personis, requiritur indispensabiliter positio trium relationum personalium, tanquam trium quasi modorum determinantium, et formaliter trahentium illam, ad hoc ut sit, v. g. in Patre, et ibi sit Pater, etc.

116. Quid auctores secundæ. Et similiter auctores secundæ sententiæ dum aiunt, relationes esse de essentia divinæ essentiæ, nolunt, esse de quidditativo ejus conceptu, ac proinde comparari cum ea, vel per modum prædicati transcendentis, aut essentialiter superioris, aut tandem per modum rationis quasi differentialis, et atomæ respectu divinæ essentiæ, ut intuenti illos constabit. Et propterea negant, quod, etsi relationes sint de essentia divinæ essentiæ, debeant singulæ in singulis una cum eadem essentia includi : rationemque hujus reddunt, ex eo quod non sunt de essentia divinæ essentiæ per modum prædicati quidditativi. Quare solum volunt, relationes esse modos intrinsecos, et (ut sic dicamus) quasi essentiales, in sensu explicato, divinæ essentiæ. Et ita expresse addunt, esse de essentia prædictæ essentiæ cum hoc addito, nempe, tanquam modos, idest, ea (ut sic dicamus) intrinsecitate, quæ modis intra latitudinem modorum convenire potest, nempe, quod sint adeo intimi, et intime petiti, ut ex negatione, et destructione illorum sequatur per bonam consequentiam, et a posteriori negatio, et destructio divinæ essentiæ.

117. Unde hunc modum intrinsecitatis explicant exemplo quodam probabili naturæ Angeli Gabrielis, respectu cujus, dicunt, esse intrinsecam suam hæcceitatem ; non quidem tanquam prædicatum quidditativum, cum hæcceitas, seu differentia individualis Gabrielis supponat naturam ejus in *esse* naturæ constitutam ; sed tanquam modum ejus intrinsecum, et (ut sic loquamur) essentialem, seu indispensabilem, qui est talis conditionis, ut proveniat ab eadem essentia, et adeo sit connexus cum illa, quod ex ablatione ejus sequatur a posteriori ablatio, et destructio prædictæ essentiæ.

Quare, necesse non erit aliqua argumenta a quavis ex his sententiis adducta in medium proferre. Quia argumenta primæ sententiæ probant nostram primam assertionem, et non obstant his, quæ in secunda assertione diximus. Sicut et argumenta postremæ sententiæ suadent secundam assertionem, et non pugnant cum priori, ut intuenti illa patebit.

DISPUTATIO VI.

De divinis relationibus quoad rationem, secundum quam dicunt, vel non dicunt perfectionem.

Semel explicata identitate relationum divinarum cum essentia Dei, et quomodo solum virtualiter ab illa distinguantur, statim pulsat animum inquirere, an relationes, quatenus distinctæ virtualiter ab essentia, dicant perfectionem secundum suam propriam rationem formalem, seu secundum suum esse *ad*. Et licet disputatio hæc posset etiam infra quæst. 42 art. 1 excitari : nam ibi D. Thomas de hoc agit, ut ex jam dicendis patebit : quia tamen expositores in hoc articulo, sumpta occasione ex his, quæ Angelicus Doctor in solutione ad 3 hujus articuli docet, de hoc tractant : propterea, nec non et ob illa, quæ modo dicebamus, disputationem hanc disputationi præcedenti annectimus. 1. D.Thom.

DUBIUM I.

Utrum relationes divinæ, ut distinctæ virtualiter ab essentia Dei, afferant perfectionem?

Consulto in titulo inquiritur de relationibus divinis, ut distinctis virtualiter ab essentia Dei : quia de eis, ut identificatis cum divina essentia, planum est, afferre totam perfectionem ejusdem essentiæ. Et licet tam in hujus, quam in sequentis dubii titulis tantum fiat expresse mentio de perfectione : tamen implicite etiam inquiritur utrobique de bonitate : an nimirum relationes divinæ importent bonitatem. 2. Explicatio tituli.

Bonitas autem et perfectio licet re ipsa unum et idem sint, et ita utraque importet fundamentum, et causam appetibilitatis : attamen, ut optime notavit Cajetanus supra quæst. 5 art. 1 bonitas affert fundamentum, proximum prædictæ appetibilitatis : quia sola bonitas significat rationem fundandi appetibilitatem, et eam proxime fundat et causat : ita ut, quo aliquid propius accedit ad bonitatis rationem, eo magis exprimit rationem fundantem appetibilitatem. Cajetan.

Cæterum perfectio non est ratio proxima fundandi appetibilitatem, sed veluti fundandi ipsam rationem bonitatis. Nam ex eo, quod aliquid sit perfectum in ordine ad se, oritur, ut sit perfectivum alterius, seu

conveniens alteri : et ex eo quod sit conveniens alteri, et perfectivum ejus ortum ducit, quod sit ab eo appetibile.

3. Idem. Quæ doctrina desumpta est a Cajetano ex D. Thoma supra in prooemio quæstionis 4 ubi ut redderet rationem, cur post quæstionem de perfectione statim instituebat quæstionem de bonitate, sic Angelicus Doctor inquit : *Post considerationem divinæ simplicitatis, de perfectione ipsius Dei dicendum est. Et quia unumquodque, secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum : primo agendum est de perfectione divina : secundo de ejus bonitate.* Sed de his fusio sermo in sequenti tomo tractatu 1 disput. 1 redibit, ubi hæc eadem magis explicabuntur.

Angel. Doctor.

Consulto autem in titulo non inquirimus an relationes divinæ, ut modo dicto distinctæ ab essentia, afferant perfectionem virtualiter distinctam a perfectione ejusdem essentiæ? quia hoc in sequenti dubio discutiendum est; sed an, ut virtualiter distinctæ ab essentia, afferant infinitam perfectionem? sive illa sit distincta ab infinita perfectione essentiæ divinæ; sive sit eademmet perfectio essentiæ illis communicata, ut dubio sequenti probabimus.

Et licet decisio hujus dubii satis constet ex his, quæ pro præcedenti diximus, ut in assertione nostra breviter notabimus : quia tamen Scotus affert quædam argumenta solutione digna, et eorum solutiones rem hanc aliquantulum illustrabunt : idcirco dubium hoc ad rem istam magis elucidandam breviter discutimus.

Scotus.

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubium breviter resolvitur.

4. Conclusio. Dicendum ergo est, relationes divinas, adhuc ut distinctas virtualiter ab essentia, afferre perfectionem infinitam. Assertio hæc sic intellecta, ut in explicatione tituli diximus, videtur esse diffinita in 6 Synodo generali actione 18 ubi dicitur : *Credimus unam substantiam in tribus subsistentiis : unitatem, propter naturalem unionem, ac dominationem; Trinitatem vero propter subsistentiarum perfectionem :* subsistentiæ autem Trinitatis in divinis dicunt relationes. Et deinde hoc ipsum videtur contineri in illo Prætationis Missæ Sanctissimæ Trinitatis adducto a D. Thoma in argumento *Sed contra* hujus articuli, ubi de relationibus, adhuc ut distinctis virtualiter ab essentia, significatur esse adorandas, et, ut docet D. Thomas, non debent adorari qualicumque adoratione, sed adoratione latriæ, ad quam requiritur, ut quod sic adoratur, afferat infinitam perfectionem. Et tandem eadem assertio aperte sequitur ex his, quæ ex D. Thoma, et ejus discipulis dubio præcedenti adduximus, eamque tenent omnes Theologi ibidem relati, et dubio sequenti referendi.

Conc. Gen. VI.

D.Thom.

Ratio autem prior, et fundamentalis illius ex Angelico Doctore locis ibidem citatis desumpta reduci potest ad hanc brevem formam. Quoniam relationes divinæ, adhuc ut virtualiter distinctæ ab essentia, includunt illam per modum transcendentis : quia distinctio earum ab essentia non est distinctio virtualis excludentis, et exclusi, sed includentis, et inclusi, ut loco citato latius diximus : ergo ut sic distinctæ afferunt infinitam perfectionem, seu saltem totam perfectionem essentiæ. Sicut quia homo, adhuc ut distinctus virtualiter a sua animalitate, distinguitur ab ilia per distinctionem virtualem includentis, et inclusi, idcirco ut sic distinctus affert saltem perfectionem ejusdem animalitatis. 5. Primum fundamentum.

Nec obest, si dicas, quod relationes divinæ licet includant divinam essentiam per modum transcendentis, et divina essentia consistat in ipso *intelligere :* non tamen idcirco communicat relationibus, ut in eis inclusa, quod intelligant : et ita hæc propositio, *Spiratio activa intelligit*, non est concedenda in sensu formali : ergo licet essentia divina sit infinita perfecta, et includatur per modum transcendentis in prædictis relationibus; non tamen idcirco communicabit eis suam infinitam perfectionem, ut ex paritate rationis constare videtur. 6. Objectio prima.

Respondetur enim negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod *intelligere*, et denominatio intelligentis convenit essentiæ divinæ, ut habet rationem essentiæ et naturæ; non vero ut habet rationem transcendentis. Et propterea sola essentia divina, et id, cui communicatur prædicta essentia sub conceptu essentiæ, sive naturæ divinæ intelligunt per prædictam intellectionem primordialem, in qua divina natura consistit. Cæterum ratio bonitatis et perfectionis est de prædicatis, quæ ex genere suo possunt, adhuc sub proprio conceptu perfectionis, convenire essentiæ divinæ, ut habet rationem transcendentis : et per consequens queunt etiam competere iis, in quibus essentia sic sumpta transcenditur : ex eo quod saltem ipsa sic inclusa Solvitur.

7. Objectio secunda. clusa communicet illis suam perfectionem.

Nec etiam obest, si secundo contra eamdem rationem objicias, quod etsi ex ea sequatur, relationes divinas, prout sunt in se, afferre perfectionem; non tamen eam importare, ut sunt præcisæ ab essentia : siquidem ratio importandi perfectionem est non esse præcisam ab essentia, sed illam includere : hoc autem videtur inconveniens : nam sicut, quidquid est in Deo sub quavis præcisione est aliquid Dei : ita debet dicere, aut includere infinitam perfectionem.

Diluitur. Respondetur enim negando assumptum. Quoniam, ut ex dictis patet, licet relationes divinæ possint concipi, non concepta expresse essentia divina : in illo tamen conceptu debet implicite includi prædicta essentia : et ita non minus sunt impræsscindibiles ab inclusione divinæ essentiæ, quam homo a sua animalitate.

8 Replica. Nec obstat, si urgeas, Paternitatem v. g. posse concipi, ut secundum se totam incommunicabilem : siquidem potest concipi, ut secundum se totam est constitutiva, et distinctiva personæ Patris : quod quidem non habet, nisi quatenus secundum se totam est incommunicabilis : ergo poterit concipi, ut omnino præcisa ab essentia. Patet consequentia. Quia si, quatenus sic concipitur clauderet essentiam, non conciperetur, ut secundum se totam incommunicabilis.

Enodatio. Respondetur enim, Paternitatem posse concipi, ut secundum se totam incommunicabilem, si illa particula, *secundum se totam*, sumatur cathegorematice, id est, denotet, quod secundum totum id, quod affert, simul sumptum nequit communicari : siquidem conjunctum illud, quod quasi resultat ex essentia divina per modum transcendentis, et ex *ad* Paternitatis secundum ea, quæ affert ex vi propriæ lineæ, nequit communicari Filio : alioqui ipsa Paternitas esset ei communicabilis. Cæterum non debet concedi, Paternitatem secundum se totam esse incommunicabilem, si illa particula, *secundum se totam*, accipiatur syncathegorematice, id est, denotet, quod secundum quamlibet (ut sic dicamus) partem sui est incommunicabilis : siquidem quoad essentiam ibi inclusam communicari potest; licet quantum ad ipsum *ad* nequeat communicari. Unde non sequitur, non includere essentiam : sed potius ex eo, quod secundum se totam cathegorematice sumptam sit incommunicabilis, secus vero secundum se totam syncathegorematice, sequitur, includere aliquid communicabile, nempe, divinam essentiam.

9. Secundum et principale fundamentum assertionis. Secunda, et principalis ratio assertionis desumitur ex variis locis D. Thomæ statim referendis. Nam relationes divinæ, adhuc ut distinctæ ab essentia, sunt objectum congruum divinæ dilectionis, et a Deo necessario amantur, ut constabit ex his, quæ infra quæst. 41 artic. 2 dicemus. Et deinde, quatenus sic distinctæ, possunt terminare naturam v. g. humanam, et quamlibet aliam naturam creatam, imo plures, et plures usque in infinitum naturas creatas, ut docet idem S. Doctor 3 p. q. art. 1. Et tandem, quatenus sic distinctæ ab essentia, sunt incomprehensibiles a creaturis, ut constat ex illis, quæ tradit D. Thomas supra q. 12 art. 8; ergo prædictæ relationes afferent infinitam perfectionem. D.Thom. Patet consequentia. Quoniam id, quod necessario amatur a Deo, debet afferre perfectionem, seu bonitatem; non qualemcumque, sed infinitam. Et similiter, quod potest terminare plures, et plures naturas usque in infinitum, oportet, ut afferat perfectionem infinitam. Quoniam ex perfectione quodammodo provenit, ut possit terminare alienam naturam : ac proinde ex infinita perfectione debet eodem proportionali modo provenire, quod queat terminare infinitas naturas. Et tandem, quod est incomprehensibile a creatura, oportet, ut sit infinitæ perfectionis. Antecedens autem præterquam quod est D. Thomæ, quoad omnes suas partes potest probari ex eo, quod personæ divinæ, quæ dicunt relationes, necessario amantur a Deo : et nisi possent terminare quamlibet naturam creatam, essentque incomprehensibiles a creaturis, essent finitæ in terminando, et in sua cognoscibilitate : quod repugnat personalitatibus divinis.

§ II.

Opposita sententia, duo priora illius fundamenta, cum responsionibus ad illa.

Pro contraria tamen sententia, nempe, relationes divinas, ut virtualiter distinctas a divina essentia, nullam afferre perfectionem; quamvis, secundum quod sic distinguuntur, non dicant imperfectionem, referuntur Scotus in 1 dist. 8 q. 4 in fine et in 3 dist. 1 q. 1 § *De secundo*, et q. 4 et Quodlibeto 5 art. 1 et 2 Durandus in 3 dist. 1 q 3 n. 13 et alii. 10. Opposita sententia. Scotus. Durand.

Primum fundamentum. Probatur primo. Nam Filiatio v. g. nec dicit perfectionem simpliciter simplicem, nec perfectionem secundum quid : ergo nullam. Antecedens quoad primam partem videtur perspicuum. Quoniam perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quolibet *est melior ipsa, quam non ipsa, et quælibet incompossibilis cum ipsa :* constat autem, quod Filiatio non est melior Paternitate incompossibili cum eadem Filiatione. Quoad secundam vero partem etiam constat. Quoniam perfectio secundum quid est perfectio diminuta, et limitata, quæ proinde nequit enti undequaque summe perfecto, quale est Deus, convenire.

Diluitur. Respondetur, Filiationem, adhuc ut virtualiter distinctam ab essentia divina, dicere seu importare perfectionem simpliciter simplicem : quia saltem affert totam perfectionem essentiæ in illa per modum transcendentis inclusam : perfectio autem essentiæ est perfectio simpliciter simplex. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod cum dicitur, perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quæ in quolibet *est melior ipsa, quam non ipsa, et quælibet incompossibilis cum ipsa,* non est sensus, quod in quolibet supposito illius naturæ sit melior ipsa, quam non ipsa; sed, quod in proprio individuo talis naturæ sit melior ipsa, quam non ipsa : hoc autem optime verificatur in Filiatione. Nam licet respectu suppositi Patris æterni non sit melior Filiatio, quam non Filiatio : attamen in individuo Deitatis, quod est commune tribus personis divinis, melior est Filiatio, quam carentia illius. Et similiter melior est illi Paternitas, nec non Spiratio activa, et passiva, quam carentia harum relationum. Et propterea individuum Deitatis est simul omnes istæ quatuor relationes.

11. Unde, cum in diffinitione perfectionis simpliciter simplicis additur, debere esse meliorem in quolibet, quam quævis alia incompossibilis cum ipsa, non intelligitur de formalitatibus, aut rationibus incompossibilibus in quolibet supposito illius naturæ ; sed de incompossibilibus in individuo proprio talis naturæ : ac proinde, quoad præsens attinet de formalitatibus incompossibilibus in uno et eodem individuo Deitatis. Et ita ad hoc ut Filiatio divina sit melior qualibet alia incompossibili cum ipsa, non est necesse, ut sit melior, quam Paternitas : quia licet utraque sit incompossibilis in una et eadem persona et supposito; sunt tamen ambæ compossibiles in uno et eodem individuo Deitatis : et per consequens satis est Filiationi, ad hoc ut sit perfectio simpliciter simplex, quod sit melior qualibet alia ratione incompossibili cum ipsa in unico et eodem individuo Deitatis.

Quomodo autem, et qua ratione dicatur, Filiationem esse meliorem individuo Deitatis, quam non Filiatio : an nimirum, quia in ipso ponat aliquam bonitatem, aut perfectionem relativam? an vero, quia nisi perfectio essentiæ ei communicaretur, tunc a posteriori sequeretur, prædictam essentiam non esse infinite perfectam : ex eo quod ejus perfectio est tanta, ut nequeat se intra se, (ut sic dicamus) continere ; sed debeat necessario communicari relationibus ? ac proinde, an prædicta Filiatio sit melior individuo Deitatis ratione perfectionis absolutæ, quæ ab essentia ei formaliter communicatur, quæque carentiæ Filiationis communicari nequit? constabit ex his, quæ dubio sequenti n. 62 et 64 dicemus.

Secundo probatur eadem opposita sententia. Quoniam alias essentia divina, ut præintellecta relationibus, non esset infinite perfecta in genere entis : hoc autem admitti nequit : siquidem, ut præintellecta relationibus, est summe perfecta, ac proinde infinita in genere entis : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam, ut præintellecta relationibus, non clauderet earum perfectionem. 12. Secundum argumentum.

Nec obest, quod radicaliter eas, et illarum perfectionem contineret. Nam contra hoc est, quod sicut perfectio relationum formaliter habita est perfectio : ita non habere perfectionem hanc formaliter, diceret defectum perfectionis in genere entis : ac proinde essentia divina non afferens formaliter, ut præintellecta relationibus, hanc perfectionem, non esset infinita in genere entis.

Respondetur ex dictis negando sequelam : ad cujus probationem dicendum est, quod, ut ex asserendis dubio sequenti magis constabit, relatio ex se, seu ex suo esse *ad* secundum id, quod exprimit relativum, non affert perfectionem ; sed solum ratione divinæ essentiæ, quam includit, cum quaque identificatur. Et ita, licet essentia divina sub conceptu essentiæ non includat per modum prædicati quidditativi relationes, erit infinite perfecta in genere entis : ex eo quod affert perfectionem suæ lineæ, et Enodatur.

et insuper includit per modum transcendentis perfectiones aliarum linearum absolutarum.

§ III.

Alia fundamenta oppositæ sententiæ proponuntur, et solvuntur.

13. Tertium. Tertio probatur eadem sententia. Quia alioqui in una persona non esset perfectio, quæ esset in alia : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam Filiatio non esset in Patre, et hæc diceret perfectionem : ac proinde perfectio prædictæ Filiationis, quæ est in Filio, non esset in Patre. Minor autem probatur ex dictis. Quia alias Pater non esset infinite perfectus in genere entis : siquidem deesset illi perfectio Filiationis.

Nec obest, si occurras, hinc solum sequi, Patrem fore imperfectum negative, id est, non habere perfectionem Filiationis; non tamen privative : illud autem non videtur inconveniens : siquidem sola imperfectio privativa dicit imperfectionem.

Nam contra hoc est. Quod si relatio Filiationis afferret perfectionem, tunc Pater, non solum negative, sed etiam privative esset imperfectus. Nam illa perfectio esset talis conditionis, ut sit apta esse in aliqua ex personis divinis, nempe in Filio : ergo hoc ipso, quod deesset Patri, esset imper-

D.Thom. fectus privative : sicut teste D. Thoma infra q. 33 art. 4 ad 2, Pater dicitur ingenitus privative : quia deest illi ratio geniti, quæ est apta esse in aliqua persona divina, scilicet in Filio.

Respondetur. Respondetur ex modo dictis negando sequelam : siquidem in divinis relatio ex suo esse *ad* non affert perfectionem : et omnia absoluta sunt in omnibus, et singulis personis. Et ad probationem dicendum est, Filiationem non esse in Patre quoad ipsum *ad*, seu quoad id relativum, quod affert; esse tamen in Patre quoad id, quod importat perfectionem scilicet, quoad essentiam. Et ita ex eo quod Filiatio desit Patri, et hæc dicat perfectionem, non sequitur deesse Patri perfectionem aliquam. Unde modus arguendi in hac probatione adductus pec-

D.Thom. cat, ut notavit D. Thomas, in hoc, quod mutatur *ad aliquid* in *quid*, seu in hoc, quod ex negatione relationis Filiationis in Patre infertur negatio absoluti : qui defectus reducitur ad variationem appellationis. Sicut non valet : *Filiatio deest Patri : et Filiatio est essentia divina : ergo deest Patri essentia divina* : quia in hoc modo arguendi committitur defectus jam dictus.

Quarto probatur contraria sententia. Quia ex opposito fieret, Patrem, et Filium esse perfectiores Spiritu Sancto : hoc autem dici non potest : ergo, etc. Sequela probatur. Nam Pater v. g. habet plures relationes, quam Spiritus Sanctus, nempe, Paternitatem, et Spirationem activam; cum tamen Spiritus Sanctus solam Spirationem passivam habeat : constat autem, quod id, quod affert plures relationes, quarumquælibet dicit perfectionem saltem æqualem unicæ relationi alterius, esse perfectiorem eo. Minor autem est Augustini 6 de Trinitate c. 8, et sermone 8 de tempore, et Anselmi in Monologio c. 50 et videtur suaderi aperta ratione. Quoniam si Pater esset perfectior Spiritu Sancto, tunc Spiritus Sanctus non esset Deus : siquidem Deus est ens ita perfectum, ut eo nihil melius possit excogitari. 14. Quartum. August. Anselm.

Confirmatur. Quoniam alias Pater v. g. esset perfectior Filio : siquidem Paternitas, et Filiatio distinguuntur quasi specie : et ita si afferrent perfectionem, essent inæquales in illa : cumque Pater sit principium Filii, et non e contra, consequens esset, ut si quæ ex iis relationibus deberet esse pefectior alia, tunc id Paternitati conveniret : et ita Pater esset perfectior Filio. Confirmatio.

Respondetur, satis constare ex dictis, negandam esse sequelam. Ad cujus probationem patet etiam ex his, quæ diximus, et ex dicendis amplius constabit, quomodo relationes ex se, seu ex suo esse *ad* non dicant perfectionem. Et ideo, ex eo quod in Patre sint plures relationes quam in Spiritu Sancto, non sequitur illum fore perfectiorem isto : quia in utroque est essentia divina, a qua relationes, adhuc ut distinctæ virtualiter ab essentia, afferunt perfectionem. Solutio ad quartum.

Per quod patet etiam ad confirmationem, quomodo etsi Paternitas, et Filiatio distinguantur quasi specie quoad esse *ad*, non tamen in ratione perfectionis; sed eademmet perfectio est in utraque, sicut in ambabus est eademmet essentia divina. Ad confirmationem.

Ultimo. Quia alioqui in divinis darentur tres bonitates, tres perfectiones, et tres magnitudines : hoc autem est contra Augustinum 6 de Trinitate, c. 2 3 et 5 et lib 7 c. 1. Sequela probatur. Quoniam hæc omnia sunt idem in Deo : et si relatio affert perfectionem, tunc si- 15. Ultimum. August.

cuti dantur in divinis tres relationes, ita dabuntur tres magnitudines, tres bonitates, et perfectiones : quemadmodum, quia relationes sunt res, idcirco, datis in divinis tribus relationibus, concedi debent tres res.

Occurritur. Respondetur, quod satis constat ex dictis, negandam esse sequelam. Quoniam committitur defectus jam dictus, nempe, quod mutatur *ad aliquid* in *quid*, sive in ratione absolutam. Nam ex multiplicationem relationum infertur multiplicatio bonitatum, seu perfectionum : et perfectio est quid absolutum, ut sequenti dubio latius dicemus. Sicuti etiam ibidem explicabimus, cur etsi in divinis dentur plures res, et ratio rei, aut entis abstrahat ab absoluto, et relativo : et propterea relatio ex se dicat esse rem, et esse ens, prout ens dicit idem ac realem rationem formalem : non tamen ratio boni, aut perfectionis ; sed hæc necessario debeat dicere quid absolutum.

DUBIUM II.

Utrum relationes divinæ, ut distinctæ virtualiter ab essentia, afferant proxime secundum suum esse ad, *seu secundum quod exprimunt esse* ad, *perfectionem distinctam virtualiter a perfectione essentiæ?*

16. Postquam explicuimus, relationes divinas afferre absolute et simpliciter loquendo infinitam perfectionem, ac proinde infinitam bonitatem, restat, ut exponamus, an ratione sui, id est, ratione sui esse *ad*, et non solum ratione essentiæ divinæ in eis inclusæ, illam proxime importent : atque adeo, an talis perfectio sit virtualiter distincta a perfectione essentiæ.

§ I.

Explicatio tituli.

17. Animadversio pro luce tituli. Ut autem titulus dubii, et per consequens cuncta, quæ in eo dicenda sunt, clariora maneant, debet ultra id, quod initio dubii præcedentis notavimus, animadverti, quod perfectio alicujus rei potest sumi dupliciter. Primo quidem pro omnimoda perfectione illius dimanante, aut quasi dimanante ex omnibus illis, quæ ei debentur. Secundo vero pro peculiari perfectione (licet non omnimoda) rei, quæque ex peculiari aliqua ratione ejus, quasi dimanet, et sit veluti partialis perfectio rei collata cum perfectione omnimoda et totali, aut quasi totali ipsius.

Utriusque autem acceptionis meminit D. Thomas supra q. 4 et 5 ; nam loquens de prima in art. 1 quæstionis 4 inquit : *Secundum hæc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu. Nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis.* Et similiter sermonem instituens de secunda in q. 5 art. 3 ait : *Omne enim ens, in quantum est ens, est in actu, et quodammodo perfectum : quia omnis actus perfectio quædam est.* Et infra q. 48 art. 3 inquit : *Manifestum est autem, quod forma, per quam aliquid est actu, perfectio quædam est, et bonum quoddam : et sic omne ens in actu bonum quoddam est.* Et tandem utriusque acceptionis perfectionis meminit idem S. Doctor q. 5 jam citata art. 1 ad 1 easque ; ibidem latius explicuit, et primæ acceptioni perfectionis tribuit nomen perfectionis simpliciter : secundæ vero nomen perfectionis secundum quid, seu (quod in idem quoad præsens, maxime vero in divinis, redit) perfectionis in peculiari aliqua linea et ratione formali. D.Thom. Idem.

18. Explicatur titulus. Titulus ergo hujus dubii non intelligitur de perfectione in prima acceptione : nam planum est, relationes divinas secundum suum esse *ad* non afferre omnimodam perfectionem, quæ eis quoquomodo debetur. Nam si per impossibile daretur illud esse *ad* secundum propria suæ lineæ, seu secundum quod præcise dicit esse relativum, tunc non haberet vel inclusam, vel identificatam sibi divinam essentiam : et per consequens nec omnem perfectionem, et perfectionis modum sibi debitum, ab eisque aliquo modo petitum : et ita in eo eventu ad summum haberent (si tamen illam haberent) perfectionem in aliquo genere ; non tamen in omni genere, sive in genere entis : quæ tamen perfectio in genere entis est eis proxime debita, tam ratione identificationis cum divina essentia, ut habet rationem essentiæ, quam ratione inclusionis, qua includunt eamdem essentiam per modum transcendentis considera-tam. Sicut etiam, sumpta perfectione in hac prima acceptione, non solum est certum, relationes secundum suum esse *ad* non afferre perfectionem, sed etiam id debet esse certum (modo tamen dubio præcedenti insinuato ; et dubio penultimo disputationis præcedentis magis explicato) de ipsa essentia, ut virtualiter distincta a suis attributis

attributis per modum attributorum consideratis : siquidem non habet omnimodam perfectionem sibi debitam, et sub omni modo sibi debito, nisi intelligatur cum omnibus suis attributis sub ratione attributorum; imo nisi habeat etiam divinas relationes cum suo proprio esse *ad*. Quia licet prædictum esse *ad*, ut statim explicabimus, non afferat ex se perfectionem distinctam a perfectione essentiæ; non tamen esset essentia perfecta, nisi haberet prædictum *ad*, cui se diffunderet, in quoque intime includeretur, et suam perfectionem ei ad intra communicaret.

Quare titulus hujus dubii solum intelligitur de perfectione in secunda acceptione, prout dicit veluti partialem quamdam perfectionem provenientem proxime ex *esse* relativo ejusdem relationis expresse sumpto : ac proinde, prout dicit perfectionem in aliqua una ratione, seu in aliqua una linea relativa, licet talis perfectio non sit omnimoda perfectio, quæ undequaque formaliter competit prædicto esse *ad*. Unde alii aliis verbis dubium hoc excitant, an nimirum relationes divinæ importent propriam perfectionem relativam. Cæterum uterque inquirendi modus in idem redit : siquidem bonitas et perfectio conveniens relationibus ex suo esse *ad* non potest non esse relativa : et si semel eis competit perfectio relativa, oportet, ut illis conveniat proxime ex suo esse *ad*.

Diximus, *proxime*. Quia perfectio, quæ quodammodo competit relationibus ex suo esse *ad* remote, id est, quatenus prædictum esse *ad* petit identificari cum essentia, et illam per modum transcendentis includere, tantum est perfectio divinæ essentiæ : et ita talis perfectio nequit esse relativa.

19. Ex quo etiam fit, quod cum inquirimus, an relationes divinæ secundum esse *ad* afferant proxime perfectionem virtualiter distinctam ab essentia, seu perfectionem relativam? non loquimur de ipso esse *ad* secundum omnia, quæ tam explicite, quam implicite dicit : siquidem non potest non dicere per modum transcendentis, et implicite divinam essentiam, et consequenter ejus perfectionem absolutam; sed loquimur de ipso esse *ad* reduplicative, et formalissime secundum id, quod exprimit in ratione relativi : an nimirum secundum hanc rationem exprimat aliquid, quod ex vi hujus conceptus expressi afferat propriam perfectionem distinctam virtualiter a perfectione essentiæ, seu propriam perfectionem relativam? Sicut ratio misericordiæ divinæ secundum suam ultimam, et expressam rationem, et non solum ratione illius, quod implicite, et per modum transcendentis dicit, habet exprimere aliquid, quod ex vi hujus conceptus expressi, affert proxime propriam et peculiarem perfectionem divinæ misericordiæ distinctam virtualiter ab aliis rationibus perfectionis, quæ sunt in Deo. Et ideo in titulo consulto inquisivimus : *an relationes divinæ afferant proxime secundum suum esse* ad, *seu secundum quod exprimunt esse* ad, *perfectionem? etc.* Ut innueremus, nos loqui de esse *ad* formalissime, et secundum id, quod exprimit, spectans præcise ad lineam relativam. Unde quoties in discursu hujus dubii mentionem fecerimus de relationibus secundum esse *ad* quoad denegandam eis perfectionem relativam, loquimur de eodem esse *ad* sic sumpto secundum prædictum conceptum expressum.

§ II.

Ex Augustini, et Angelici Doctoris mente dubium deciditur.

Dicendum ergo est, relationes divinas, ut distinctas virtualiter ab essentia, non afferre proxime secundum quod exprimunt esse *ad*, sive relativum, perfectionem aliquam virtualiter distinctam a perfectione essentiæ : seu, prædictas relationes secundum suum esse *ad*, et ratione ejus, quod exprimunt relativum, non importare propriam perfectionem relativam; sed omnem, et quamvis perfectionem divinis relationibus convenientem tantum esse ipsam perfectionem absolutam Dei. 20. Assertio.

Assertio hæc est Augustini 6 de Trinitate c. 2 ubi magnitudinem in Deo, inquit, esse ad se, et absolutam, non vero relativam : magnitudo autem Dei (teste D. Thoma infra quæst. 42 artic. 1 ad 1) significat ejus perfectionem. Verba autem Augustini, quibus rem hanc dilucide explicat, sunt hæc : *Filius vero sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem, non sic et in se ipso magnus, sed cum Patre, cujus ipse magnitudo est. Sic et sapiens cum Patre dicitur, cujus ipse sapientia est : sicut ille sapiens cum Filio : quia ea sapientia sapiens est, quam genuit. Quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est, quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul di-* Probatur ex Augustino. D.Thom.

cuntur. In quibus verbis in hoc distinguit rationem relativam Filii ab aliis rationibus absolutis in eo inventis, quod ratio Filii est ad Patrem, et non cum Patre; rationes vero absolutæ in eo repertæ non sunt ad Patrem, sed a se; licet habeat illas cum Patre, id est, communes sibi, et Patri: et inter has numerat magnitudinem, seu (quod in idem quoad præsens redit, ut explicat D. Thomas infra q 42 artic. 4 ad 2) perfectionem ejus: et ita inquit, Filium esse magnum cum Patre, seu utrumque esse magnum eadem magnitudine et perfectione.

21. Idem etiam docuit idem S. Doctor in quæstiunculis de Trinitate ex libris de Trinitate decerptis, ubi fere in principio sic interrogat: *Dum tres personas dicimus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, quare non tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas est?* Et respondet: *Quia Deus, et omnipotens, et magnus, et bonus, et æternus, substantialia nomina sunt, et ad se dicuntur: ideo non licet ea plurali numero dicere, sed singulari: et omne nomen, quod substantiam Dei, vel essentiam significat, semper singulari numero proferendum est. Pater autem, et Filius, et Spiritus Sanctus relativa sunt nomina, et ideo tres personæ recte dicuntur.* Ubi, ut constat, in hoc distinguit bonitatem et magnitudinem, seu perfectionem Dei a relationibus et personalitatibus divinis, quod bonitas et perfectio Dei est ad se; non vero relative dicitur; e contra vero personalitates divinæ: et ita illæ nequeunt pluraliter dici; secus autem istæ: et per consequens relationes secundum suum esse *ad*, seu secundum quod illud exprimunt, non afferent proxime propriam perfectionem relativam: siquidem si eam afferrent, deberet talis perfectio, quippe relativa, et habens oppositionem relativam cum suo correlativo, multiplicari: sicut et personalitates divinæ ob hanc rationem multiplicantur.

22. Angel. Doctor. Eamdem etiam sententiam tenuit Angelicus Doctor indivulsus Augustini discipulus. Nam infra quæst. 42 art. 4 inde colligit, Filium esse æqualem Patri in magnitudine, seu perfectione, quia habet perfectionem ejusdem naturæ divinæ. Si autem inveniretur in Filio alia perfectio relativa proveniens a Filiatione ut tali, tunc non recte colligeretur, Filium esse æqualem Patri in magnitudine et perfectione; sed restaret probandum, non excedi in perfectione relativa. Imo si semel Filius ratione Filiationis afferret perfectionem relativam, non posset non excedi a Patre in perfectione relativa, quæ eidem Patri conveniret ratione Paternitatis, ut num. 39 probabimus. Et ita Filius non esset æqualis Patri in magnitudine et perfectione.

Et similiter in solutione ad 2 ait idem S. Doctor, Patrem, et Filium habere æqualitatem in perfectione; licet sint in eis distinctæ relationes. Et rationem reddit: quia, nimirum, perfectio spectat ad essentiam: et ambo sunt ejusdem essentiæ. Constat autem, rationem hanc esse insufficientem, si ultra perfectionem essentiæ, seu absolutam, esset in unoquoque eorum alia perfectio relativa specie, aut quasi specie distincta, quæ proinde, ut loco citato ostendemus, deberent esse inæquales.

Nec refert evasio adversariorum, nempe, tam Augustinum, quam Angelicum Doctorem loqui in his testimoniis de perfectione absoluta; non vero de omni ea perfectione, quæ in divinis reperitur: ac proinde non de perfectione relativa. 23. Sinistra interpretatio prædictorum testimoniorum exploditur et simul aperitur mens August.

Non itaque hæc evasio refert. Nam in primis Augustinus in priori testimonio absolute et simpliciter loquitur de magnitudine et perfectione divina, et de ea sic loquendo inquit, non sic Filium esse magnum, sicut est Filius: quia est Filius ad Patrem: et est magnus non ad Patrem, sed cum Patre: quemadmodum est sapiens non ad Patrem, sed cum Patre. Unde, sicut absolute et simpliciter loquendo de sapientia, et dicendo, Filium non esse sapientem ad Patrem, sed cum Patre, innuitur, illum solum esse sapientem sapientia cum Patre: ita absolute et simpliciter proferendo de magnitudine Filii, quod ejus magnitudo, seu perfectio non est ad Patrem, sed cum Patre, insinuatur non habere aliam magnitudinem, seu perfectionem præter illam, quæ est ei communis cum Patre.

Et propterea Augustinus in 2 testimonio a nobis relato æquiparavit magnitudinem et perfectionem Dei æternitati, et omnipotentiæ, ac divinitati ipsius. Et ita quemadmodum hoc ipso, quod dixerit, tres personas divinas non esse dicendas tres Deos, aut tres omnipotentes, vel æternos, colligimus, quod, juxta mentem ipsius, omnipotentia, divinitas, et æternitas ita dicuntur ad se, ut non dicantur ad aliud: ac proinde, quod non dantur alia omnipotentia, divinitas, aut æternitas relativæ: sic ex eo quod eodem modo dixerit, easdem personas divinas Impugnatur amplius.

vinas non esse dicendas tres magnos, colligendum est, quod, juxta ejusdem S. Doctoris sententiam, magnitudo, seu perfectio earum taliter dicatur ad se, ut non dicatur ad aliud : et per consequens, quod in divinis datur tantummodo perfectio absoluta, non vero relativa : alioqui, sicut Augustinus statim post hæc fassus est, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse tres personas, quia persona in divinis relative dicitur : pari ratione dixisset, et explicuisset, quod essent tres magni et perfecti : ex eo quod etiam perfectio dicatur relative.

24. Confirmatur. Confirmatur. Nam vel Augustinus agnovit in Deo perfectionem aliquam relativam distinctam virtualiter a perfectione essentiæ, vel non? Si hoc secundum dicatur, habetur intentum : et ita verum erit, Augustinum denegasse relationibus omnem perfectionem relativam : ac proinde provenientem ex suo esse *ad*, solumque ibidem loqui de perfectione absoluta : quia hac negata, negatur eis quævis alia perfectio, quippe impossibilis. Si autem primum asseratur, inquirimus, quare de illa S. Doctor nullam mentionem fecerit : cum doctrina, quam æqualitate divinarum personarum tradebat, hoc necessario postularet? Siquidem, semel data perfectione relativa in quavis persona, nequit explicari earum æqualitas, nisi explicando, quomodo, etsi quævis persona afferat suam perfectionem relativam, et hanc quasi specie distinctam, nihilominus personæ ipsæ non ita se habent, ut una aliam excedat.

August. Accedit, quod Augustinus ita docet, perfectionem in divinis dici ad se, ut neget, Patrem esse quid majus Filio, aut utrumque simul esse quid majus Spiritu Sancto. Unde lib. 8 in proœmio inquit, tantam esse æqualitatem in Trinitate, ut non solum Pater non sit major, quam Filius, quod attinet ad divinitatem; sed nec Pater, nec Filius simul aliquid majus sint, quam Spiritus Sanctus, aut quælibet trium personarum minus aliquid sit, quam ipsa Trinitas, idque fuse cap. 1 probat : ac tandem lib. 15 de Trinitate cap. 3 sic ait : *Ratione reddita intelligentibus clarum est, in substantia veritatis non solum Patrem Filio non esse majorem : sed nec ambos simul aliquid majus esse, quam solum Spiritum Sanctum : aut quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid, quam unum : aut omnes simul tres majus aliquid esse, quam singulos.* Si autem (ut nuper dicebamus, et statim magis expendemus) ultra perfectionem ad se, seu absolutam admitteret Augustinus aliquam perfectionem relativam, tunc juxta eumdem Augustinum Pater majus esset Filio, et uterque majus esset Spiritu Sancto : siquidem afferrent plures relationes specie distinctas, quam solus Spiritus Sanctus : et ita esset unde cresceret in eis simul sumptis perfectio.

Accedit secundo, quod Augustinus non solum concedit, Filium esse tantum, quantum Patrem; et singulas personas, quantum omnes; sed ait, non esse unde desumatur hæc major perfectio omnium supra singulas. Et ita sermone 38 de tempore sic inquit : *Tantus solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Nullo modo triplex dicendus est Deus : quia non est, quo crescat illa perfectio summæ Trinitatis.* Si autem relationes ex suo esse *ad* afferrent relativam perfectionem, esset ex quo cresceret prædicta perfectio.

25. Ostenditur vera Divi Thomæ mens in prædictis testimoniis. Et similiter D. Thomas ita asserit, perfectionem in divinis dici ad se, ut nullo modo concedat aliam perfectionem præter eam, quæ est absoluta, et ad se. Unde in q. 42 citata art. 4 in solut. ad 2 sic ait : *Dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ (ut dictum est) et ad essentiam pertinet : et ideo æqualitas in divinis, et similitudo secundum essentialia attenditur, nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Unde Augustinus dicit contra Maximinum : Originis quæstio est, quid, de quo sit; æqualitatis autem qualis, aut quantus sit.*

Et hinc etiam statim colligit S. Doctor, quod quidquid dignitatis est in Patre, debet esse in Filio, quia dignitas est absoluta : et quod hinc non sequitur, quod sicut Pater habet Paternitatem, ita et Filius habens dignitatem Patris sit Pater. Et rationem reddit : quia mutatur *quid* in *ad aliquid*, id est, quia arguitur ab absoluto ad relativum. Si autem dignitas, seu perfectio (quæ in idem quoad præsens redit) essent quid relativum, tunc non quidquid dignitatis est in Patre, esset in Filio, nec in argumentatione facta mutaretur *quid* in *ad aliquid*, ut ex se utrumque constare videtur, et magis patebit ex verbis sequentibus D. Thomæ ibidem, in quibus, ex eo quod secundum distinctionem relationum nequit dari inæqualitas in divinis, sic concludit : *Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut et essentia*

Patris : nam dignitas est absoluta, et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio : ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius : nec sequitur, Paternitatem habet Pater : ergo Paternitatem habet Filius. Mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia, et dignitas Patris, et Filii. Sed in Patre est secundum relationem dantis; in Filio secundum relationem accipientis.

26. Elucidatur amplius. Potestque amplius declarari quomodo hæc sit mens Angelici Doctoris, si verba illius in eadem q. 42 art. 1 attendantur. Nam ibi sic inquit : *Dicendum, quod necesse est ponere æqualitatem in divinis personis. Quia secundum Philosophum 9. Metaph. Æquale dicitur quasi per negationem minoris, et majoris. Non autem possumus in divinis personis ponere aliquid majus, et minus. Quia, ut Boetius dicit in lib de Trinitate, eos differentia, scilicet Deitatis comitatur, qui vel augent, vel minuunt, ut Arriani qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt.* Et rationem reddit. *Quia inæqualium non potest esse una quantitas numero. Quantitas autem in divinis non est aliud, quam ejus essentia. Unde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in divinis personis, quod non esset in eis una essentia. Oportet igitur æqualitatem ponere in divinis.*

Ubi, ut constat, non agnoscit S. Doctor aliam quantitatem præter quantitatem divinæ essentiæ. Cumque in divinis non detur alia quantitas præter quantitatem virtutis et perfectionis, consequens est, ut juxta mentem Doctoris Angelici, non sit ibidem alia perfectio præter perfectionem essentiæ, in qua etiam, ut ex dictis dubio præcedenti constat, perfectio attributorum includitur : ac proinde ratio perfectionis in divinis erit, juxta ejus mentem, quid absolutum. Maxime, quia, ut jam diximus, et statim magis dicemus, non potest alia ratione æqualitas omnimoda inter divinas personas reperiri, nec vitari, quin ibidem sit majus, et minus : quod tamen vitandum esse, in verbis relatis D. Thomas tuetur.

27. Probatur assertio ex aliis Patribus. Falgent. Anselm. Bernard. Nec solummodo Augustinus, et Doctor Angelicus pro hæc assertione sunt; sed etiam plures alii ex Patribus, ut Fulgentius lib. 3 ad Monymum c. 7 prope finem, Anselmus in Prosologio c. 23 circa medium, Bernardus epistola 190 ad Innocentium, Joannes Pontifex I, epistola 2 ad Senatores, quæ solet appellari *liber de duabus naturis contra Eutychianos.* Et Concilium Toletanum VI. cap. 1 quatenus sic inquit : *In hac Trinitate tanta est unitas substantiæ, ut nec minor in singulis, quam in omnibus; nec major in omnibus, quam in singulis maneat personis.* Et Concilium Toletanum XI, in professione fidei circa medium, dum de hoc ipso loquens ait : *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum unaquæque persona Deus singulariter dicitur : nec amplius, cum totæ tres personæ unus Deus enuntiantur :* nam, ut jam tetigimus, hæc nequeunt verificari, nisi quia personæ divinæ ratione relationum non afferunt propriam perfectionem relativam. Joan. Pontif. I. Conc. Tolet. VI. Conc. Tolet. XI.

Unde sententiam hanc sequuntur Capreolus in 1 dist. 7 q. 1 in solut. ad 3, Aureoli contra 1 conclusionem, Ferrara 2 contra Gentes c. 9, Cajetanus in hoc art. in solut. ad 3 et q. sequenti art. 3 necnon de Ente, et essentia c. 2 commento 2, Bannez dub. 1, Nazarius controversia 2, Isabellus, et Ripa ad hunc articulum, Araujo 5, Metaphysicæ q. 5 art. 3, Torres disput. 3 part. 2, Becanus c. 2 q. 6, Molina infra q. 42 art. 6 disp. 2 et pro eadem referuntur a Nazario Richardus, Durandus, et Ariminensis, estque satis communis inter Thomistas. Capreol. Aureol. Ferrara. Cajetan. Bannez. Nazar. Jabelius. Ripa. Araujo. Torres. Becanus. Molina. Richard. Durand. Arimin.

§ III.

Ratio prior, et fundamentalis pro assertione.

Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Augustino, et Angelico Doctore, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam ratio perfecti, et perfectionis est ratio absoluta : ergo repugnat, quod relatio afferat perfectionem, ita ut talis perfectio sit relativa : ac proinde relatio divina secundum suum esse *ad*, et ratione illius *esse* relativi, quod exprimit, non affert proxime perfectionem; sed id habet proxime ratione essentiæ, quam per modum prædicati transcendentis includit, qum quaque identificatur. 28. Prior ratio assertionis.

Hæc secunda consequentia patet ex priori. Quoniam si relatio divina secundum suum esse *ad*, et ratione illius, quod exprimit, afferret proxime perfectionem, tunc talis perfectio esset perfectio relativa : siquidem ex *esse* relativo ut tali, et ratione ejus, quod exprimit, nequit proxime oriri

aliquid

aliquid absolutum : ergo si repugnat, relationem dicere perfectionem relativam, etiam repugnabit, eam afferri ab eadem relatione, secundum quod exprimit suum esse *ad*, et ratione illius ; sed eam importabit ratione esse *in*, seu ratione essentiæ in illa inclusæ, tanquam ex ratione proxima, ex qua proxime quasi dimanat. Prima vero consequentia ex antecedenti aperte constat.

29. Antecedens autem probatur. Quoniam ratio perfecti, et perfectionis solum potest inveniri, vel in natura substantiali ratione ejusdem naturæ, vel in proprietatibus, aut accidentibus, seu quasi accidentibus illius : constat autem, quod in omnibus his ratio perfecti, et perfectionis est absoluta. Nam, ut competit naturæ substantiali ratione ejusdem naturæ dicitur (ut sic loquamur) in ordine ad se : siquidem illa natura substantialis est per modum naturæ perfectæ, quæ habet sibi debitam rationem formalem, sibique debitum modum essendi : hæc autem ratio est (ut sic loquamur) in ordine ad eamdem naturam : ac proinde est ratio absoluta.

Et similiter ratio perfecti, et perfectionis, ut competit proprietatibus, sive accidentibus, aut quasi accidentibus alicujus naturæ substantialis, debet de illis, quatenus proprietates, aut affectiones sunt, dici per ordinem ad ipsam naturam substantialem, quam afficiunt : et per consequens per ordinem ad subjectum, aut quasi subjectum : quandoquidem ea proprietas naturæ est perfecta, quæ habet eam rationem formalem, eumque modum essendi, quem natura illa exigit : et ita prædictæ proprietates et accidentia, aut quasi accidentia in ratione perfectarum, et perfectionis erunt aliquid absolutum ; non vero aliquid relativum, cum hoc desumatur, non per ordinem ad subjectum, sed per ordinem ad terminum in ratione termini consideratum.

Et tandem prædictæ proprietates aut affectiones naturæ substantialis si considerentur, non quatenus proprietates sunt, sed secundum suas peculiares rationes, ut si intellectus v. g. sumatur, non quatenus est proprietas naturæ intellectualis ; sed quatenus tendit in suum objectum, tunc, ut est sub conceptu perfectionis, et rei perfectæ, eatenus dicet rationem perfecti, et perfectionis, quatenus habet suam rationem formalem, suumque modum essendi sibi debitum et consonum : quæ ratio (ut nuper dicebamus) est proxime et immediate in ordine ad se.

§ IV.

Evasio adversariorum, et prima ejus præclusio.

Occurrunt adversarii negando antecedens. Quia ratio perfecti, et perfectionis tantum attenditur penes hoc, quod ratio illa, quæ perfecta dicitur, habeat integritatem in sua ratione formali : et ita quævis ratio formalis, sive sit absoluta, sive relativa, si sit integra in propria ratione formali, erit eo ipso perfecta. Et ad probationem admittunt, rationem perfecti in naturis substantialibus esse quid absolutum, saltem prout absolutum distinguitur a relativo *secundum esse*. Cæterum quoad proprietates et accidentia, aut quasi accidentia naturæ substantialis non semper ratio perfecti, aut perfectionis est quid absolutum. Tum, quia etsi respiciat subjectum, aut quasi subjectum, ut in relationibus divinis, et creatis contingit : attamen totum hoc est, non sistendo ibi, sed respiciendo terminum : atque adeo talis ratio in prædictis relationibus non est absoluta, sed relativa, et per ordinem ad terminum. 30. Evasio adversariorum.

Tum etiam : quia cum ratio perfecti consistat (ut nuper dicebatur) in integritate, sive in hoc, quod habeat suam rationem formalem, et modum essendi sibi debitum, fit inde, quod sicut res absolutæ habent suum *esse*, et modum essendi per ordinem ad se, et propterea sunt perfectæ perfectione eis consona : ita res relativæ, habendo suum esse, et modum essendi per ordinem ad terminum, habebunt esse, et modum essendi sibi debitum : quia hoc petit earum natura : et ita gaudebunt eo ipso propria, et connaturali perfectione.

Cæterum hæc solutio in multis deficit. 31. Præcluditur primo. Nam in primis falsum est, id, quod primo loco in ea dicitur, scilicet, ad rationem perfecti, et perfectionis satis esse integritatem in sua ratione formali : hoc autem sic ostenditur ratione desumpta ex D. Thoma D.Thom. de Veritate quæst. 21 art. 2 ad 4. Quoniam ratio specifica, v. g. hominis, cum præcisione sumpta habet integritatem in sua ratione formali, ut ex se constat : et tamen, ut est sub hac præcisione, non est perfecta. Nam cum perfectum et bonum conveniat rebus, prout sunt existentes, consequens est, ut sicut ratio hominis quoad

suum *esse* specificum cum præcisione sumptum abstrahit ab existentia, sic et a perfectione. Et propterea D. Thomas loquens ibidem de Mathematicis sic inquit : *Dicendum quod ea, de quibus Mathematicus considerat secundum esse, quod habent in rebus, bona sunt. Ipsum enim esse lineæ, vel numeri bonum est : sed a Mathematico non considerantur secundum suum esse, sed solum secundum rationem speciei : considerat enim cum abstractione : non enim sunt abstracta secundum esse, sed solum secundum rationem. Dictum est autem supra, quod bonum non consequitur rationem speciei, nisi secundum esse, quod habet in re aliqua. Et ideo ratio boni non competit lineæ, vel numero secundum hoc, quod cadunt in consideratione Mathematica; quamvis lineæ, et numerus bona sint.*

§ V.

Alia eversio ejusdem evasionis.

32. Corruit secundo. Deficit secundo hæc solutio. Nam adhuc gratis permisso, non tamen admisso, quod integritas in sua ratione formali sit satis ad hoc, ut res dicatur perfecta secundum eam rationem formalem : hoc tantum debet intelligi de integritate in ratione absoluta; non vero de integritate in ratione formali pure relativa *secundum esse*, et considerata tantummodo secundum quod præcise exprimit hoc *esse* relativum ab eadem importatum. Et ratio est. Quoniam integritas in aliqua ratione formali inducens præcise ex vi sua perfectionem idem est, ac quod ratio illa formalis afferat ex vi sua propriam rationem formalem, modumque essendi talem, qualis sibi debetur, sibique consonus est : at esse aliquid tale, quale ipsi debetur, esseque ei consonum desumitur proxime et formaliter per ordinem, aut quasi ordinem ad id, cui debetur, cuique est consonum; non autem per ordinem ad terminum, ita ut proxima et formalis (ut sic dicamus) mensura hujus debiti, et congruitatis, aut consonantiæ non sit terminus, sed illa res, cui debetur cuique dicitur consona. Sicut esse aliquid positive dissonum alicui, esseque contrarium eis, quæ illi debentur, desumitur proxime et formaliter per ordinem ad id, cui dissonum est. Ergo prædicta integritas inducens talem perfectionem debet esse integritas in ratione aliqua absoluta : siquidem propria, proxima, et formalis ratio per se inspecta, ac mensura ejus est subjectum illud, quod per eam perfectum dicitur.

33. Explicatur magis. Potestque hoc explicari ex eo, quod licet non sit contra rationem relationis *secundum esse*, consideratæ quatenus exprimit esse relativum, quod respiciat aliquid aliud præter terminum : et ita potest respicere subjectum : attamen prædictum subjectum ut tale non potest a relatione sic sumpta respici ut quid proxime et formaliter, seu ratione sui, sed ad summum tanquam quid materialiter, seu ratione termini, et fundamenti præcise inspectum. Et ideo hoc ipso, quod aliquid inspiciatur ab aliqua ratione formali, non ratione termini, et fundamenti præcise, et eo modo, quem in hoc tract. disp. 4 dubio 2 n. 33 et 35 tetigimus, sed formaliter et proxime ratione sui, debet eo ipso illa ratio formalis, et integritas ejus esse absoluta, prout *esse* absolutum distinguitur a relativo *secundum esse*. Quare, cum integritas requisita ad rationem perfecti et perfectionis debeat esse integritas in ratione formali talis conditionis, ut hæc integritas desumatur formaliter et proxime ex habitudine, aut quasi habitudine ad subjectum, aut quasi subjectum : siquidem importat propriam rationem formalem, et modum essendi ei debitum, quatenus totum hoc est tale, quale ipsum petit, estque ei consonum : fit inde, ut integritas requisita ad perfectionem sit integritas in aliqua ratione formali absoluta, prout *esse* absolutum distinguitur a relatione *secundum esse* secundum id, quod talis relatio exprimit.

Unde ex eo, quod integritas ista dicat perfectionem, non sequitur, integritatem in ratione relativa, et quoad *esse* præcise relativum illam dicere; sed potius aperta involvitur implicatio in hoc, quod dicatur, aliquid afferre ex vi sua perfectionem, et talem perfectionem esse relativam *secundum esse*, aut quod talis perfectio ex prædicta relatione, secundum quod exprimit esse relativum, proxime quasi dimanet. Nam ex quo capite est relativa, debet proxime respicere terminum, seu esse ad terminum, ut aliquid formaliter inspectum : et ex quo capite est perfectio, debet ab illa subjectum, seu id, quod per illam perfectum proxime dicitur, respici tanquam quid proxime et formaliter ratione sui per se inspectum : quod tamen nequit cohærere cum relativo *secundum esse*, secundum quod *esse* relativum exprimit.

§ VI.

§ VI.

Altera impugnatio prædictæ eversionis.

34. Evertitur tertio. Ex quibus fit, deficere tertio hanc eamdem solutionem, quatenus insinuat, satis esse in relatione *secundum esse* ad rationem perfectionis, quod respiciat subjectum, seu id, cui immediate inest, aut quasi inest; non sistendo ibi, sed trahendo illud ad terminum, et eumdem terminum respiciendo. Nam etsi daremus, rationem perfectionis posse aliquando respicere subjectum, aut quasi subjectum, quod per illam dicitur perfectum : ita ut hic respectus ultimate transeat ad ulteriorem aliquem terminum, quoties res, quæ perfecta dicitur, est relativa transcendentaliter, aut *secundum dici* : attamen, ut ex dictis constat, ratio proxima formaliter terminativa est subjectum, seu id, quod ex vi illius perfectionis dicitur immediate perfectum : siquidem (ut dicebamus) eatenus aliquid habet perfectionem, quatenus habet suam rationem formalem, et modum essendi ei consonum, debitum, et proportionatum : ita ut proxima ac formalis mensura illius sit prædictum subjectum. Quare, cum relatio *secundum esse* respiciat subjectum non sistendo in eo, adhuc tanquam in re formaliter et proxime inspecta ; sed id, quod formaliter et proxime ab ea inspicitur, tantum sit terminus, ut eam specificat, sive fundamentum, et terminus modo alibi tacto : consequens est, ut ad rationem perfectionis non sit ei hoc satis : ac proinde, quod licet relatio *secundum dici*, quæ potest sistere, tanquam in re proxime et formaliter inspecta, in ipso subjecto, possit ex vi sua dicere perfectionem ; non tamen relatio *secundum esse*.

35. [illegible] Potestque hoc amplius elucidari ex eo, quod adhuc illa, quæ dicunt in *esse* entis habitudinem transcendentalem ad aliquid extrinsecum, ut quid proxime, et formaliter inspectum, si tamen considerentur sub conceptu perfectionis, et rei perfectæ, sunt proxime in ordine, aut quasi in ordine ad se : ita ut ipsamet sint quasi mensura sui in ratione perfectionis, ut patet in potentia visiva, quæ in *esse* entis, seu ut est tale ens, nempe, ut est sub conceptu potentiæ visivæ, habet suum *esse* per ordinem transcendentalem ad suos actus, tanquam ad quid formaliter, et proxime terminans prædictam habitudinem : attamen, ut est sub conceptu perfectionis, dicit totum hoc, et modum essendi ibidem involutum, ut habet esse consonum, et debitum eidem potentiæ visivæ : ita ut ipsa sit quasi mensura proxima, et formaliter per se inspecta, aut quasi inspecta formaliter a se ipsa, ut dicit perfectionem. Et ideo hoc satis indicat, modum respiciendi subjectum, aut quasi subjectum, quod immediate dicitur perfectum per perfectionem, debere esse talem, ut sistat, saltem tanquam in ratione proxima, et formali per se inspecta, in ipso subjecto : ac proinde sit modus oppositus illi, quo relatio *secundum esse* respicit, aut quasi respicit id, quod afficit, aut quasi afficit. Et propterea Augustinus, et Angelicus Doctor perpetui sunt in hoc, quod ratio perfecti, aut perfectionis dicitur in ordine ad se, ut ex dictis constat.

§ VII.

Posterior destructio ejusdem solutionis.

Unde etiam fit, falsum esse id, quod ultimo loco solutio ista, quam impugnamus 36. Impugnatur tandem prædicta evasio.
supponit, nimirum, relationes secundum suum *esse* relativum cum præcisione jam dicta sumptum habere suam rationem formalem sibi debitam, et modum essendi sibi debitum. Nam licet ratione ejus, quod implicite dicunt, scilicet, ratione essentiæ, ut per modum transcendentis in eis inclusæ, dicant suam rationem formalem, non utcumque, sed sub conceptu afferentis se ipsam, et modum essendi sibi debitum : non tamen hoc afferunt proxime ex vi ipsius esse *ad* secundum id, quod præcise exprimit. Quia iste conceptus expressus afferendi se ipsam, et modum essendi sibi debitum, quatenus omnia hæc sunt debita et consona eidem rei, est conceptus rei in ordine, aut quasi ordine ad se : et per consequens absolutus. Sed hæc amplius in hoc eodem dubio num. 88 elucidabuntur.

Adde (et explicatur magis hoc ipsum) Dilucidatur. quod, si proprie et in rigore loquamur, ratio relationis, et modus essendi illius, ut præcise dicunt expresse *esse* relativum, non tam dicitur esse debita et consona eidem relationi, quam termino. Nam esse debitum et consonum alteri, si cum præcisione, et formalissime sumatur, denotat, quod illud, cui debetur, cuique est consonum, sit proxima et formalis ratio, proximaque et formalis mensura per se inspecta, aut quasi inspecta ab eo, quod dicitur consonum et congruum, a quaque suam desumit speciem. Quare, cum respectu relationis, et

modi essendi illius ratio proxima et formalis per se inspecta, et mensura illius proxima et formalis sit ipse terminus, non vero propria ratio relativa, inde est, ut talis modus essendi, talisque ratio non dicatur esse ipsi debita et consona; sed consona et debita termino.

37. Nec hinc fit (ut ita objectio, quæ hic fieri poterat, maneat soluta) relationem secundum suum esse relativum cum præcisione sumptnm, seu secundum id, quod exprimit, consideratam esse perfectionem termini.

Præcluditur tacita objectio. Non itaque hoc ex dictis fit. Tum, quia relatio non afficit terminum, sed ei opponitur. Tum etiam, quia adhoc, quod aliquid sit perfectio alterius, a quo realiter distinguitur, qualiter relatio *secundum esse* a suo termino distinguitur, oportet, ut sit in se perfectio, et quod proxime perfectio illa sit perfecta : ita ut ipsa quodammodo sit perfectio, et perfecta : ex eo quod prædicata transcendentia, qualia sunt, perfectio, bonitas, et veritas, sunt talis conditionis, ut id ipsum, quod est abstractum, sit quodammodo concretum sui. Quare cum relatio *secundum esse* non habeat esse relative perfectam, et ratio relativa *secundum esse* pugnet cum ratione perfectionis, ut explicatum est, fit inde, ut relatio secundum *esse* relativum nequeat esse perfectio sui termini, quem respicit.

38. Objectio. Nec obest, si contra hujus rationis cardinem, in quo tota ipsa vertitur, cum aliquibus ex adversariis objicias, perfectionem non desumi per ordinem ad id, quod per illam perficitur : atque adeo, nec per ordinem ad id, cui consona est : ergo ratio prædicta, quæ in hoc innititur, evanescit. Antecedens probatur. Quoniam perfectio transcendentalis, de qua loquimur, est quid reale : si autem desumeretur per ordinem ad id, quod per illam perficitur, ac proinde per ordinem ad id, cui consona est, non esset quid reale : siquidem consisteret in habitudine quadam rationis : ex eo quod non distinguitur realiter ab eo, quod per illam redditur perfectum.

Solutio. Non itaque hoc obest. Nam ad minus ratio perfectionis consisteret in illo fundamento, quod præstat res perfecta intellectui ad hoc, ut per habitudinem rationis transcendentalem referat illam ad id, quod perficitur per ipsam, cognoscatque eam ut respicientem id, cui consona est, ut quid eidem consonum.

Adde, quod ut in 1 tomo tract. 3 disp. 3 n. 9 diximus, sicut ratio objecti intelligibilis, et intellectionis reperitur simul in divina essentia, seu natura : siquidem est formaliter eminenter intellectio sui, et ejus ratio desumitur ex se ipsa, ut est objectum intelligibile a se : et tamen ibi non est realis, imo nec virtualis distinctio inter objectum, et intellectionem, nec realis habitudo unius ad aliud, nec tandem ipsa consistit in habitudine rationis ad se ipsam, ut est objectum intelligibile, sed ad hoc satis est, quod absque reali habitudine habeat divina essentia esse formaliter eminenter intellectionem sui licet hoc ipsum per aliquam relationem transcendentalem explicemus : ac proinde ratio hæc sit absoluta. Ita in præsenti, proportione tamen servata, necnon attendendo ad distinctionem cum fundamento in re, quæ inter ens, et perfectum datur, philosophari potest.

§ VIII.

Posterior assertionis ratio.

Secunda, et non parum fundamentalis ratio nostræ assertionis depromitur ex eodem Angelico Doctore locis citatis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam divinæ personæ constitutæ per relationes sunt æqualis prorsus perfectionis : ergo nulla ex divinis relationibus affert relativam perfectionem. Antecedens videtur certum ex illo Symboli Athanasii : *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.* Quod etiam videtur diffinitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III cap. 1 et habetur cap. *Firmiter, De summa Trinitate* : et ratio desumpta ex Angelico Doctore infra q. 42 art. citato illud suadet. Quoniam divinæ personæ sunt ejusdem prorsus naturæ numericæ : ac proinde debent esse coæquales, seu ejusdem omnino perfectionis : siquidem, quæ habent eamdem omnino numero naturam, habent eamdem omnino, et coæqualem perfectionem : ex eo quod modus perfectionis debitæ, de qua in præsenti loquimur, est secundum modum naturæ. | 39. Posterior ratio fundamentalis pro assertione. | Symb. Athan. Conc. Later.

Consequentia vero probatur. Quoniam si relationes divinæ afferrent propriam perfectionem relativam, tunc una ex illis, atque adeo persona per illam constituta, deberet esse perfectior aliis perfectione relativa. Nam sicut in ratione relativa distinguuntur specie, aut quasi specie : ita debent taliter inter se comparari, ut una sit perfectior alia : | Consequentia

alia : ex eo quod species, teste Aristot. 8 Metaphysicæ, sunt sicut numeri, quorum quilibet exceditur ab alio specie distincto : ergo hoc ipso, quod divinæ personæ, aut relationes sint omnino inter se æquales, non debet aliqua ex relationibus divinis afferre propriam perfectionem relativam.

40. Confirmatur. Quoniam relationes personales Dei ita inter se comparantur, ut omnes tres personæ per illas constitutæ, et simul sumptæ, non habeant esse perfectiores, quam unica solummodo, ut ex Patribus num. 24 dicebamus : ergo nulla ex prædictis relationibus secundum id, quod exprimunt, ut explicite dicunt *esse* relativum, afferet proxime perfectionem, seu nulla ex illis afferet perfectionem relativam ; sed omnes dicent tantummodo unicam et eamdem perfectionem absolutam essentiæ. Patet consequentia. Quoniam si unaquæque afferret propriam perfectionem relativam, ac proinde distinctam virtualiter ab essentia, tunc dicerent tres perfectiones relativas, et omnes illæ simul sumptæ afferrent plus perfectionis, quam unica solummodo : si quidem omnes simul dicerent id perfectionis, quod una ex eis importaret, et superadderent perfectionem aliarum.

§ IX.

Adversariorum duplex solutio, et eversio ejus.

41. Occurrunt primo adversarii, quod ex hac ratione, et ejus confirmatione solum fieret, Patrem æternum esse perfectiorem, quam Filium, et omnes personas, quam unicam, per perfectionem relativam extensive, non vero intensive majorem : hoc autem non est inconveniens : sicut non inconvenit, omnia attributa divina esse extensive perfectiora, quam singula.

Sed contra. Quoniam ubi est distinctio specifica, aut quasi specifica inter aliqua in ratione perfectionis, ibi debet dari excessus in perfectione, non solum extensiva, sed etiam intensiva. Nam etsi ratio individualis forte (de quo alibi) non dicat perfectionem intensive majorem : tamen ratio specifica sicut addit novam actualitatem formalem, et a ratione formali provenientem : ita, si semel addit perfectionem, debet dicere perfectionem, non solum extensivam, sed etiam intensivam, quæ a nova actualitate, et ratione formali eam afferente provenit : ergo repugnat, relationes distingui quasi specie, et afferre propriam perfectionem relativam quasi specie diversam, et hanc non dicere novam perfectionem intensivam : et per consequens tunc repugnabit, omnes has relationes simul sumptas non esse intensive perfectiores, quam unicam ex illis.

Nec id, quod de attributis in hac solutione affertur, obest. Quoniam quodvis ex attributis includit totam perfectionem aliorum, ut ex dictis disputat. 5 num. 94 et in 2 tomo tractatu 4 disputat. 7 num. 72 constat. Et ita neutrum ex illis est extensive perfectius alio, aut omnia, quam unum ; sed solum unum ex illis præcise conceptum quoad id, quod præcise exprimit ex sua ratione differentiali expresse concepta, non exprimit perfectionem aliorum : quod tamen nullum est inconveniens. Unde, si attributa non se includerent, sicut Paternitas, et Filiatio se non includunt, tunc duo ex illis, v. g. intellectus, et voluntas, essent intensive nobilius quid, quam unum ex illis, v. g. quam sola voluntas. 42.

Occurrunt secundo adversarii cum Suarez libro 3 de Trinitate cap. 10 n. 7 concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia etsi relationes dicant perfectionem relativam, et ita cuivis ex personis divinis desint perfectiones relativæ propriæ aliarum personarum, ut formaliter habitæ ; non tamen ut eminenter in illa præhabitæ, ratione essentiæ divinæ, quæ ob suam eminentissimam perfectionem eminenter continet omnes, et singulas perfectiones relativas. Et ideo non sequitur, aliquam personam excedi ab altera in perfectione, ex eo quod desit illi relatio propria alterius personæ. Sicut non sequitur, Christum Dominum, ut est Deus, et homo, excedere se ipsum in perfectione, ut est præcise Deus ; licet, ut est Deus, et homo, dicat perfectionem humanitatis adjunctæ, ut formaliter habitam ; quam tamen sic sumptam non dicit, ut est præcise Deus. Quoniam tota illa perfectio humanitatis eminenter præhabetur in Verbo, ut est Deus : et ideo ipse, ut Deus, et homo non est perfectior se ipso, ut est præcise Deus. 43. Secunda evasio. Suarez. Firmatur exemplo.

Sed contra. Quoniam perfectius est habere, v. g. relationem Paternitatis tum eminenter, tum formaliter quam habere illam solum eminenter, si ipsa per se, et ratione sui affert propriam perfectionem relativam : ergo cum Filius non dicat Exploditur.

Paternitatem, ut formaliter habitam, sed ad summum, ut eminenter præhabitam ratione essentiæ, fiet inde, ut Pater, et Filius non sint æquales in perfectione : et multo magis, quod idem Filius non sit æqualis perfectionis cum omnibus personis Trinitatis. Patet consequentia quoad primam partem, nempe, quoad Filium collatum præcise cum Patre (quoad collationem enim ejusdem Filii cum omnibus personis simul sumptis non indiget probatione). Nam si semel relationes afferunt propriam perfectionem relativam, quarum una sit perfectior alia, ratione distinctionis quasi specificæ inter eas intercedentis, oportet, ut Paternitas, quæ est prima personalitas, quæque est fontalis (ut sic dicamus) personalitas Deitatis, a quaque cæteræ derivantur, sit perfectior omnibus aliis.

44 Antecedens autem probatur. Nam si relatio Paternitatis divinæ ex vi sua affert propriam perfectionem relativam, oportebit, perfectionem hanc, quippe repertam formaliter in divinis, esse denudatam ab omnibus imperfectionibus : ergo quando intelligitur advenire essentiæ illam eminenter præcontinenti, tunc præcise ratione illius ut formaliter habitæ accrescit essentiæ divinæ aliquid perfectionis liberum ab omni imperfectione : imo accrescet illi infinita perfectio : siquidem omnia divina debent esse infinita intra suam lineam, et rationem formalem : ac proinde melius, et perfectius erit divinæ essentiæ, seu individuo Trinitatis habere prædictam relationem Paternitatis, tum formaliter, tum eminenter, quam si solum eminenter illam præhabeat. Quia per hoc, quod non haberet illam secundum suum esse formale, et formaliter, deesset illi infinita perfectio.

Confirmatur et roboratur primo.

Confirmatur, et explicatur primo. Nam id, quod dicit, quidquid perfectionis aliud dicit, et insuper addit aliquid, quod ex se, et quoad modum habendi affert propriam perfectionem, non potest non excedere in perfectione illud prius : at Pater dicit ratione essentiæ divinæ, quidquid perfectionis affert Filius : et per consequens hoc, quod est ratione essentiæ eminenter præhabere Paternitatem, sicut Filius hoc ipsum habet : et insuper addit eamdem Paternitatem ut formaliter habitam, secundum quam rationem, tam quoad relationem habitam, quam quoad modum habendi affert, juxta adversarios, propriam perfectionem relativam, imo propriam perfectionem relativam excedentem (ut nuper dicebamus) perfectionem relativam Filiationis : ergo Pater dicet majorem perfectionem, quam Filius : et per consequens non erunt coæquales in perfectione, si semel Paternitas affert suam propriam perfectionem relativam : et multo minus Filius erit æqualis perfectionis cum omnibus relationibus simul sumptis, si afferunt propriam perfectionem relativam : siquidem omnes illæ simul sumptæ dicerent perfectionem Filiationis, et adderent propriam cujuslibet.

45. Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam licet essentia divina cum præcisione sumpta, et ut præit omnes personalitates divinas, contineat eminenter illas, prout præcise dicunt rationem formalitatis realis relativæ, et ut quasi præeunt se ipsas, ut dicunt perfectionem : attamen non ideo tollitur, quin potius ponitur, quod ipsa essentia divina, ut intelligitur habere illas formaliter in sequenti signo, habeat plus realitatis formalis, quam intelligebatur habere in illo signo, in quo illas tantum eminenter præhabebat : ergo licet eadem essentia, ut præit tales relationes quoad perfectionem relativam, quam secundum suum *esse* formale, et formaliter afferunt, contineat illas eminenter, non solum quoad realem formalitatem, seu quoad peculiarem rationem entis relativi, quam dicunt, sed etiam ut habent perfectionem relativam ad hoc subsequutam : nihilominus non ideo per hoc tolletur, quin potius ponetur, quod ipsa essentia, ut intelligitur post adventum relationum habere formaliter perfectionem relativam, sit perfectior cum illis formaliter habitis, ac erat cum ipsis, ut præcise eminenter præhabitis : ergo hoc ipso, quod Pater dicat in divinis ratione suæ relationis perfectionem relativam formaliter habitam, et ratione essentiæ contineat tantum eminenter prædictam perfectionem relativam, erit perfectior Filio, qui solum eminenter, et ratione essentiæ eamdem præhabet. Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero videtur perspicua ex paritate rationis.

Antecedens autem satis constat. Quoniam essentia divina, ut præcise continet eminenter relationes, non est multiplex virtualiter : ac proinde non dicit formalitatem, et formalitatem, id est, formalitatem absolutam, et formalitatem relativam virtualiter distinctas : cum tamen, ut dicit se ipsam ut præcontinentem relationem eminenter, et insuper, ut habet formaliter eamdem

eamdem relationem, sit multiplex virtualiter, dicatque formalitatem formaliter absolutam, et eminenter relativam; et insuper aliam formalitatem virtualiter distinctam, quæ sit formaliter relativa : ergo per hoc, quod divina essentia contineat tantum eminenter relationes, prout dicunt peculiarem rationem entis relativi, non tollitur, quin potius ponitur, quod ipsa, ut habet illas formaliter, habeat plus de realitate formali, quam intelligebatur habere in illo signo, in quo tantummodo eminenter easdem præcontinebat. Quod argumentum, ut intuenti constabit, habet majorem vim in omnibus relationibus divinis simul sumptis, et collatis cum unica tantummodo ex illis.

...timo ...nfir- ...atur. Confirmatur tandem. Nam licet essentia divina eminenti ratione præcontineat voluntatem v. g. aut misericordiam divinam : nihilominus, dum in sequenti signo intelligitur habere formaliter misericordiam, intelligitur esse magis perfecta, quam dum solum eminenter ista præcontinebat : quia ille modus præhabendi hæc formaliter dicit perfectionem denudatam ab imperfectionibus : ergo eadem ratione, licet divina essentia præcontineat eminenter relationes in illo signo, in quo præit illas : nihilominus in sequenti signo, dum intelligitur habere illas formaliter, erit perfectior se ipsa, ut præcise præcontinet illas eminenter, si semel ipsæ, ut sunt formaliter in Deo, dicunt propriam perfectionem relativam denudatam ab imperfectionibus.

Nec favet huic solutioni id, quod pro se adducit de Christo Domino, qui, ut Deus, et homo, non est perfectior se ipso, ut præcise est Deus : quia, præcise ut Deus, habet eminenter continere humanitatem, quam formaliter continet, ut Deus, et homo.

Non itaque hoc ei favet. Quoniam, si verum est id, quod vult Gonzalez tomo primo in primam partem disputat. 12, nempe, quod eædem numero perfectiones, quæ sunt in creaturis, non reperiuntur formaliter in divinis seclusis imperfectionibus : eo quod hoc ipso, quod sunt eædem numero, non sunt denudabiles ab illis : ac proinde solum eminenti ratione in Deo continentur : tunc dici potest cum eodem Gonzalez ibidem numero 13, Christum, ut Deum, et hominem, non esse absolute et simpliciter quid perfectius, adhuc extensive, quoad perfectionem contentam, quam ipsemet, ut præcise est Deus. Quia prædicta perfectio licet non contineatur in Deo solo secundum illum modum continentiæ formalis; continetur tamen in illo secundum alium modum continendi perfectiorem, nempe, modo eminenti, et excludente omnes imperfectiones. Unde cum hoc stat, imo hinc infertur, quod quantum ad modum essendi est aliquid perfectius Christus ut Deus, et homo, quam ipse, ut præcise est Deus. Quia perfectio numerica, aut specifica humanitatis ut talis continetur in solo Deo præcise eminenti modo : at in Christo Deo, et homine habetur etiam formaliter.

Quare, ex hac doctrina potest exemplum illud de Christo ut Deo, et homine retorqueri contra solutionem ex Suarez adductam. Nam si Christus ut Deus, et homo, est, saltem quoad modum, quid perfectius Deo solo; licet carere hac majori perfectione non dicat imperfectionem in Deo, ex eo quod est major perfectio, involuta tamen cum aliqua imperfectione, plane fiet, divinam essentiam, ut habentem eminenter, et simul formaliter relationem, v. g. Paternitatis, esse, saltem quoad modum habendi perfectionem, quid perfectius se ipsa, ut præcise eminenter eam præhabet, et quod, si semel non haberet formaliter hanc perfectionem relativam, esset imperfecta : quia talis perfectio relativa, si semel est talis, dicit perfectionem denudatam ab omni imperfectione, adhuc dum sub *esse* formali habetur. Retorquetur exemplum.

Si autem non hunc dicendi modum sectemur; sed illum, quem docent Cajetan. supra q. 4 art. 6 et Petrus de Ledesma in suo tomo de Divina perfectione in q. 1 quam movet ad solutionem primi argumenti primæ, et principalis quæstionis art. 2 fol. 64 et 65, nempe, omnes numericas perfectiones, quæ sunt in creaturis, esse easdemmet, sublatis imperfectionibus, et sub diverso modo essendi, formaliter in Deo, ad eum proportionalem modum, quo eademmet numero natura, quæ est a parte rei, est formaliter in sua propria specie intelligibili eam per se primo repræsentante; licet ibidem sit sub diverso modo essendi, ut latius explicuimus tomo 1 tractatu 3 disput. 2 dub. 1. Si igitur hunc dicendi modum sequamur, tunc id, quod addit creatura supra Deum, quod formaliter in Deo non reperiatur, tantum erit id, quod imperfectionis, et potentialitatis est in ipsa creatura : atque adeo non mirum, quod Christus ut Deus, et homo non sit quid 47. Cajetan. Petrus de Ledesma.

perfectius, adhuc extensive, se ipso præcise ut est Deus. Non quidem, quia solummodo eminenter præcontineat id, quod perfectionis est in creatura; sed quia formaliter earum perfectionem adhuc numericam, seclusis tamen imperfectionibus, et sub diverso, ac excellentiori modo essendi continet.

Unde, sicut ens abstractum secundum rationem continet actu, quidquid perfectionis est, v. g. in homine: et cum dicimus, *ens homo*, tunc per hanc expressionem tantum exprimitur id, quod perfectionis est in homine, addendo, et exprimendo id, quod potentialitatis, et imperfectionis est in illo: ita in ente per essentiam abstracto secundum rem ab omni potentialitate, et imperfectione, quale est Deus, formaliter continetur, quidquid perfectionis est in creaturis quoad id, adhuc numericum, quod perfectionem dicit denudatam ab omni imperfectione: quia hoc petit ipsa plenitudo, et infinitas essendi, quam divina essentia exigit: ac proinde, cum expresse dicimus. *Deum hominem*, tunc per hoc, quod exprimatur *homo*, tantum additur expressio, et rationes illæ imperfectionis, et potentialitatis, quas homo affert: ideoque Deus, et homo non sunt quid nobilius, adhuc extensive, Deo solo.

48. D.Thom. Quæ solutio videtur insinuari a D. Thoma in 3 distinct. 6 quæst. 2 artic. 3 ad 1 ubi loquens de Christo Domino sic inquit: *In persona composita quamvis sint plura bona* (involuta tamen imperfectionibus) *quam in persona simplici: quia est ibi bonum increatum, et bonum creatum: tamen persona composita non est majus bonum, quam simplex: quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo. Unde et ipse dicitur omne bonum. Unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, quod in ipso non sit.* Et ut explicaret, quomodo adhuc formaliter continet persona simplex Verbi omnem perfectionem sublatis imperfectionibus, affert exemplum puncti additi lineæ. Quia sicut hoc non tribuit prædictæ lineæ, quod sit major cum illo, quam sine ipso: quia id, quod addit, non est majoris extensionis, sed quid inextensionis. Ita creatura addita creatori non facit aliquod conjunctum perfectius: quia non addit perfectionem non habitam formaliter a Deo seclusis imperfectionibus; sed solum addit id, quod imperfectionis est. Et ideo non est proportio in ea respectu Dei adhoc, ut una cum illo faciat perfectius: quod quidem S. Doctor his verbis exposuit: *Bonum creatum se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam: cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde, sicut lineæ additum non facit majus: ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius.*

§ X.

Duæ aliæ evasiones, et illarum præclusio.

Ex quo etiam fit, nullius esse roboris, solutionem illam cum præcedenti fere coincidentem, quam Didacus Ruiz, et Granado locis infra num. 58 referendis huic secundæ rationi nostræ principaliter tradunt, nimirum, ex ea non sequi unam personam, v. g. personam Patris, esse perfectiorem alia, aut deesse illi aliquam perfectionem; sed non habere illam perfectionem relativam eo modo, quo alia persona eam habet. Tum, quia licet Filio desit Paternitas, ut formaliter habita; non tamen deest illi, ut eminenter præhabita. Tum etiam, quia licet non habeat illam constitutive, id est, quamvis non habeat v. g. Paternitatem, ita ut constituat eum in ratione Patris; habet tamen illam terminative, seu ut terminum suæ habitudinis. Tum denique, quia habet illam per circum insessionem: quatenus personalitas Patris identificatur cum essentia communi omnibus personis. 49. Aliud effugium ad rationem conclusionis. Ruiz. Granado

Ex dictis igitur fit, solutionem hanc nullius esse roboris. Quia etsi demus, modos relatos in ea habendi illam perfectionem relativam Paternitatis esse talis conditionis, ut per hoc, quod desit Filio Paternitas, ut formaliter habita, et ut constituens personam Patris; non tamen desit illi ipsa perfectio Paternitatis (ut sic dicamus) quoad substantiam, seu quoad rem habitam, sed tantum quoad modum habendi: nihilominus negari non potest juxta jam dicta, quod modus habendi illam, tam eminenter, quam formaliter, est perfectior modo habendi illam ratione essentiæ solum eminenter. Sicut etiam negari nequit, modum habendi eamdem Paternitatem constitutive perfectiorem esse modo habendi ipsam per circum insessionem, seu identice ratione identitatis, quam cum essentia retinet. Siquidem modus habendi aliquid formalissime est ex se excellentior modo habendi illud tantum identice, aut alio modo huic simili. Ac tandem prædictum modum essendi Patrem constitutive esse nobiliorem 50. Impugnatur

nobiliorem modo habendi Paternitatem terminative. Nam habere aliquid præcise et formaliter per modum termini inspecti, non est ita perfectum, sicut habere illud tanquam intrinsecum constitutivum. Et ita modus charitatis, et visionis patriæ habentis Deum terminative, seu per modum termini per se inspecti, et intime uniti, non est ita perfectus, ac modus habendi illum constitutive, si hic esset possibilis creaturæ. Ergo cum Pater divinus dicat Paternitatem constitutive, erit persona Patris, saltem quoad modum habendi perfectionem illam relativam, perfectior, quam persona Filii : ac proinde non erunt omnino coæquales, ut in ratione nostra inferebamus.

A iter refutatur. Adde, quod per hoc, quod desit Filio Paternitas formaliter habita, non tamen eminenter præhabita, non solum sequitur, deesse illi modum habendi Paternitatem, sed etiam Paternitatem ipsam quoad rem habitam : ergo hoc ipso, quod desit Filio prædicta Paternitas, deest illi, non tantum modus habendi illam perfectionem, sed etiam ipsa perfectio relativa : ergo cum hæc sit excellentior personalitate Filii, consequens erit, Patrem esse perfectiorem Filio. Utraque consequentia videtur perspicua. Et antecedens probatur : ex eo quod Paternitas, ut eminenter præhabita, non est Paternitas : sicut creatura, ut eminenter tantummodo contenta in Deo, non est absolute et simpliciter creatura, sed ipsa creatrix essentia.

51. Alia evasio. Ex quibus omnibus etiam fit, parvi esse momenti evasionem aliam, quam alius ex Junioribus tradit, nempe, non quamcumque distinctionem specificam, aut quasi specificam constituere inæqualitatem in perfectione inter aliqua, sed illam, quæ habet quasi gradualem latitudinem, sive quantitatem virtualem. Cæterum personæ divinæ licet quasi specifice differant ratione personalitatum, et ratione earum dicant perfectionem relativam; non tamen ita ut habeant quasi gradualem latitudinem, sive quantitatem virtualem : et ideo non sunt inæquales in perfectione. Quomodo autem, et cur personalitates divinæ afferentes perfectionem relativam non afferant gradualem latitudinem, seu quantitatem virtualem, existimat Junior iste, explicari ex Augustino 1 de Fide ad Petrum (quem referunt Magister in 1 distinct. 19 et D. Thomas ibidem, et infra q. 42 art. 1) dicente, *Filium esse æqualem Patri : quia Pater nec præcedit æternitate, nec excedit magnitudine,* *nec superat potestate.* Nam quantitas virtualis debet dicere ordinem ad aliquam extensionem : et cum extensio possit explicari, vel secundum quod essentia Dei se extendit ad omnia loca occupanda per immensitatem, ideoque sic constituit quantitatem magnitudinis in essentia, vel secundum quod existentia divina per durationem æternitatis se extendit ad omnia tempora, propter quod etiam hoc modo constituit quantitatem virtualem existentiæ in æternitate, et tandem vel secundum quod omnipotentia divina se extendit ad omnia factibilia, et propterea sic constituitur quantitas virtualis in divina omnipotentia : nec sit alia extensio præter dictas, et quoad omnes illas sint æquales divinæ personæ, quia non conveniunt eis, nisi ratione essentiæ : inde est, ut non dicant perfectionem, quæ afferat gradualem latitudinem, seu quantitatem virtualem.

Roboratur ex August. Magister. D.Thom.

Ex dictis igitur fit, evasionem hanc parvi esse momenti. Quoniam juxta illam nequeunt hæc duo inter se cohærere, nimirum, quod relationes divinæ afferant relativam perfectionem ex vi suæ lineæ : et quod hæc relativa perfectio non dicat quasi gradualem quandam latitudinem virtuali, et eminenti modo in ea præhabitam, seu quantitatem virtualem nempe perfectionis. 52. Corruit ex dictis.

Et ratio horum est aperta ex dictis. Tum, quia ex eis constat, relativam hanc perfectionem, si semel importatur a relationibus, debere esse liberam ab omnibus imperfectionibus, quippe repertam formaliter in Deo : ergo debet esse infinita in ratione perfectionis relativæ. Siquidem id, quod est liberum ab imperfectionibus, debet etiam esse liberum a finitate et limitatione : ac proinde debet esse infinitum intra suam lineam : et per consequens debet habere quasi gradualem latitudinem in ratione perfectionis, seu quantitatem virtualem perfectionis pertingentem ad hoc, quod sit actu major et major usque in infinitum intra prædictam lineam. Roboratur ratione primo.

Tum etiam id, quod ex præcedenti sequitur. Quoniam si aliqua relatio est perfecta perfectione relativa, v. g. ut tria, eo ipso habet quasi gradualem, et virtualem latitudinem, seu quantitatem virtualem relativæ perfectionis. Quod si ultra hanc detur alia relatio perfecta ut sex, tunc ista habebit quasi gradualem latitudinem, et insuper esset majoris quasi latitudinis gradualis, quam illa prior : ergo eo ipso, quod 53. Secundo.

divinæ relationes dicant perfectionem relativam infinitam, oportebit, ut dicant quasi gradualem latitudinem perfectionis, et hanc esse infinitam, et excedentem quamvis aliam quasi gradualem latitudinem non ita perfectam.

Tertio. Tum deinde (id, quod etiam ex præcedentibus colligitur.) Quia ex eo, quod divina omnipotentia est tantæ excellentiæ in ratione perfectionis, ut æquivalet omnibus, et singulis potentiis creatis, et earum perfectionibus, sitque infinite nobilior illis, colligimus quasi gradualem latitudinem perfectionis : ergo cum perfectio relativa (si vere est in divinis) debeat esse talis conditionis, ut æquivalet omnibus, et singulis relativis perfectionibus creatis, easque infinite in tali perfectione excedat, consequens erit, ut in relativa perfectione divinarum relationum debeat esse quasi gradualis latitudo, seu quantitas virtualis relativæ perfectionis.

Ultimo. Tum denique. Quoniam, ut jam diximus, divinæ relationes hoc ipso, quod afferant relativam perfectionem, debent tam secundum se, quam in ratione relativæ perfectionis distingui quasi specie : ergo eo ipso debent esse inæquales in ea : siquidem species, aut quasi species sunt sicut numeri : ergo eo ipso habebunt, non solum ut collatæ cum creaturis, sed ut collatæ inter se, aliquam quasi gradualem latitudinem, seu quantitatem virtualem, ratione cujus sint inæquales, et una excedat aliam. Unde aperta involvitur implicatio in hoc, quod duo in ratione perfectionis relativæ sint distinctæ speciei : et quod in illa sunt omnino æqualia. Nam cum species, aut quasi species oriatur ex actualitate, et principiis formalibus, oportet, ut ea, quæ habent eamdem prorsus, aut æqualem actualitatem, sint ejusdem speciei, et ad summum numerice ratione principiorum materialium, si illa habuerint, distinguantur. Et ideo ob hanc rationem tres divinæ personæ in ratione Dei sunt prorsus idem : quia in hac ratione dicunt eamdem prorsus actualitatem : et duo homines in ratione hominis sunt ejusdem speciei : quia dicunt æqualem quoad ad hoc actualitatem.

51. Objectio. Nec obest, si urgeas, quod Paternitas, secundum quod exprimit *esse* relativum, et infinitum ejusdem Paternitatis, distinguitur quasi specie in illa sua infinitate, et ratione relativa a Filiatione : et tamen in hac ratione relativa non sunt inæquales, ita ut una ex his relationibus excedat aliam, vel in infinitate, vel in aliqua ratione spectante præcise ad ordinem rei : ergo ex hoc, quod eædem relationes distinguerentur quasi specie in ratione perfectionis, non sequitur, unam ex illis, nempe Filiationem, excedendam etiam esse ab alia in ratione ejusdem perfectionis.

Non itaque hoc obest. Quoniam si præcise sumamus Paternitatem secundum esse relativum, quod exprimit, quodammodo excedit Filiationem excessu non spectante (ut sic dicamus) ad ordinem perfectionis, seu ad ordinem illativum proxime propriæ perfectionis relativæ : sed excessu pertinente ad ordinem rei, prout præscindit, modo sæpius dicto, ab ordine, et excessu perfectionis : hic autem excessus consistit in hoc, quod Paternitas secundum suum esse relativum adæquate sumptum quoad id, quod exprimit, quodque desumitur, saltem implicite, per ordinem ad correlativum, habet plura munera inadæquata, quam Filiatio, et quodvis ex his muneribus dicit nexum cum alio, illudque exigit : et ita Paternitas fundat innascibilitatem, respicit Filium, et radicaliter terminatur ad Spiritum Sanctum, estque connotatum generationis activæ ejusdem Filii, etc. Cum tamen Filiatio, secundum quod exprimit omnia munera relativa, non habeat tot munera, ut intuenti patebit. Enodatur.

55. Explicatur mens Augustini pro eadem evasione adducti. Ex quibus omnibus etiam fit, quomodo ea, quibus auctor hujus solutionis ducitur ad duo illa conjungenda, nempe, relationes divinas dicere ex vi suæ lineæ relativam perfectionem, et hanc non importare quasi gradualem latitudinem, parum urgent. Nam in primis testimonium illud Augustini n. 51 relatum potius est pro nobis, quam contra nos : siquidem, ut ex dictis num. 23 constat, ideo Pater non excedit Filium magnitudine, et potestate, aut præcedit æternitate : quia sicut est in ambobus una et eadem æternitas, et potestas, ex eo quod ista sunt quid absolutum : ita etiam est in illis una et eadem magnitudo, seu (ut ibidem ex Augustino, et D. Thoma diximus) una et eadem perfectio : quia, ut in eodem loco ex mente ejusdem Augustini, et Angelici Doctoris ostendimus, perfectio dicitur in ordine, aut quasi in ordine ad se, estque quid absolutum.

56. Et similiter id, quod ad explicationem prædicti testimonii, et ad hanc solutionem tuendam addit, parum etiam urget, et æquivocatione laborat. Quoniam cum in ea dicitur,

dicitur, quantitatem virtualem debere dicere ordinem ad aliquam extensionem, non est sensus, quod ea solum dicant quantitatem virtualem, quæ revera dicunt ordinem ad quantitatem formalem extensionis : alioqui attributum, v. g. invisibilitatis, aut immortalitatis non diceret quantitatem virtualem perfectionis : siquidem hæc duo attributa in nullius sententia dicunt ordinem ad prædictam quantitatem. Et similiter ob eamdem rationem natura divina, ut præcise exprimit hoc, quod est esse intellectionem sui, nullius esset quantitatis virtualis : ac tandem divina omnipotentia, quæ, juxta solutionem hujus Junioris, habet quantitatem virtualem, esset expers illius, ut intelligitur præcontinere creaturas pure spirituales, et quantitatis expertes. Sed sensus illius propositionis tantum potest esse, quod ea, quæ dicunt quantitatem virtualem perfectionis, debent intelligi ad instar eorum, quæ dicunt quantitatem extensionis : quatenus sicut quantitas extensionis dicit multiplicitatem realem partium, quarum una formaliter additur alteri, et ex omnibus illis coalescit extensio quantitativa formaliter talis, et quo una quantitas habet plures partes, eo est magis extensa : ita id, quod affert quantitatem virtualem perfectionis, intelligitur habere perfectionem, v. g. ut quatuor, vel ut quinque, etc. ac proinde quasi gradualem quamdam latitudinem, saltem ratione nostra multiplicem : et ex omnibus illis quasi gradibus ratione diversis intelligitur coalescere integra illius perfectio, seu illa quasi latitudo, et quantitas virtualis perfectionis : et quo plures gradus, aut quasi partes virtuales habuerit, eo res illa plus quantitatis virtualis perfectionis habere intelligitur.

Quare, cum hic modus perfectionis, seu hoc, quod est, debere intelligi ad instar eorum, quæ dicunt formalem extensionem, debeat necessario convenire divinis relationibus, hoc ipso quod dicant relativam perfectionem, quæ intra suam lineam sit infinita, ut ex se constat, necnon hoc ipso quod distinguantur quasi specie in ratione perfectionis relativæ, ex eo quod, ut sæpius diximus, species sunt sicut numeri : fit inde, ut ex hoc capite nihil illis desit, quominus, si semel dicunt perfectionem relativam, non dicant quasi gradualem latitudinem intra rationem perfectionis relativæ.

57. Additamentum. Adde, quod adhuc dato, quantitatem virtualem perfectionis alicujus debere desumi ex ordine, aut continentia quantitatis formalis : adhuc in eo eventu relationes divinæ dicerent gradualem quasi latitudinem perfectionis, seu prædictam quantitatem virtualem. Et ratio est. Quoniam hic ordo, aut continentia non deberet adhuc tunc esse in collatione ad quantitatem prædicamentalem, et continuam ; sed sufficeret, quod esset in comparatione ad quantitatem discretam transcendentalem sive numerum transcendentalem. Et ita omnipotentia divina, quæ æquivalet in ratione potentiæ activæ, non quidem quantitati continuæ experti rationis potentiæ activæ, sed infinitis aliis potentiis activis, dicitur juxta hanc solutionem afferre quantitatem virtualem. Unde, cum relatio divina ratione suæ infinitatis æquivaleat quantitati discretæ, transcendentali tamen, nempe infinitis relationibus creatis, in ratione perfectionis relativæ : consequens erit, ut habeat, quidquid est necessarium adhoc, ut licet quantitas virtualis desumatur in collatione ad aliquam quantitatem, aut ex continentia illius; nihilominus prædicta relatio dicat quantitatem virtualem perfectionis.

§ XI.

Opposita sententia, primum illius fundamentum ex testimoniis desumptum necnon et solutio ejusdem.

58. Opposita sententia. Sed licet nostra, vel (ut melius dicamus) Augustini, et D. Thomæ sententia adeo firmis rationis sit fulcita : nihilominus oppositam tuentur Zumel in præsenti quæst. 5 conclusione 2, Ledesma lib. de Perfect. Dei quæst. 3 art. 2 addens, in hoc debere convenire omnes Theologos, Suarez lib. 3 de Trin. cap. 9 et 10 et lib. 5 cap. 2, Valentia lib. 2 de Trinitate cap 12, Granado tomo 3 in 1 part. tract. 3 disp. 5 sect. 2, Arrubal disp. 105 cap. 3, Didacus Ruiz disp. 30 et peculiariter sect. 4 conclusione 3 ejusdem disputationis. Pro quo etiam referuntur Gabriel in 1 dist. 7 quæst. 7 art. 3, Clictoveus in S. Damascenum lib. 1 cap. 11 eamque Suarez loco citato tribuit Herbeo. Ac tandem illam tenent non pauci ex Junioribus. (Zumel. Ledesma. Suarez. Valent. Granad. Arrubal. Did. Ruiz. Gabriel. Clictoveus. Herbeus.)

59. Primum fundamentum. Primum hujus sententiæ fundamentum desumitur ex variis testimoniis. Nam, ut refert Granado ubi supra, in Concilio Constantinopolitano I (quod habetur tomo 1 Conciliorum) in epistola ad Damasum in (Concil. Constant. I.)

nova editione asseritur : *A Nicæna synodo dictum esse, ut coæternum regnum in tribus perfectis subsistentiis credatur.* Ubi de subsistentiis divinis, quæ nihil aliud, quam relationes sunt, dicitur, esse tres subsistentias perfectas. Si autem unaquæque non afferret perfectionem relativam, non dicerentur tres perfectæ; sed unicam et eamdem perfectionem tantum importarent. Sicut quia personæ prædictæ non afferunt, v. g. sapientiam relativam, propterea solum dicuntur una et eadem Sapientia, et unus et idem Sapiens.

Confirmatur primo. Conc. Gen. VI. Confirmatur primo ex illo testimonio ex 6 Synodo generali sessione 18 quod num. 4 adduximus. Nam ibi dicitur : *Credimus unam substantiam in tribus subsistentiis, unitatem quidem propter naturalem unionem, Trinitatem vero propter subsistentiarum perfectionem.* Si autem subsistentiæ divinæ, idest relationes personales afferrent perfectionem relativam, tunc non esset admittenda Trinitas propter perfectionem subsistentiarum, seu relationum personalium : quia in eo eventu non essent multiplicandæ perfectiones subsistentiarum : siquidem ea solum, quæ relative dicuntur, multiplicantur in divinis : et per consequens nec esset credenda ibidem Trinitas propter rationem, quam tradit Concilium, nempe, propter subsistentiarum perfectionem.

60. Confirmatur secundo. D. Thom. Confirmatur secundo ex D. Thoma quæst. 7 de Potentia art. 9 ubi ut probet, dari in rebus relationes *secundum esse*, sic ait : *Perfectio, et bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhærens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam. Sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit. Huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi 11. Metaphysica. Oportet ergo in ipsis rebus ordinem quendam esse : hic autem ordo relatio quædam est. Unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas unum ad alterum ordinatur.* In quibus verbis, ut constat, inde colligit D. Thomas, dandas esse in rebus relationes *secundum esse*, et non solum entia absoluta, quia prædictæ relationes afferunt propriam perfectionem relativam : ac proinde potiori ratione, juxta mentem ejusdem S. Doctoris, relationes divinæ eam afferent.

Confirmatur tertio. D. Thom. Confirmatur tandem ex eodem Angelico Doctore, tunc in Opusculo 1 contra errores Græcorum cap. 7 ubi inquit, Patrem sine Filio non esse perfectum : nec Patrem, et Filium sine Spiritu sancto : refertque Athanasium dicentem, Patrem sine Verbo fore mutum, et utrumque sine Spiritu sancto non esse vivum. Quæ omnia satis indicant, personalitates Filii, et Spiritus sancti, seu relationes personales earum afferre propriam perfectionem relativam. Tum etiam in q. 9 de Potentia art. 5 ad 23 his verbis : *Licet tota, et perfecta Divinitas sit in qualibet trium personarum secundum proprium modum existendi : tamen ad perfectionem Divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in divinis, ut scilicet sit ibi, a quo alius, et ipse a nullo, et aliquis, qui est ab alio. Non enim esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio verbi, et amoris.* Ubi satis expresse Angelicus Doctor videtur denotare, hos diversos modos existendi, seu has relationes personales afferre propriam perfectionem, ac proinde perfectionem relativam. Nam si illam non afferrent, non pertineret ad perfectionem Divinitatis, quod illos haberet, nec ob carentiam eorum deesset Deo omnimoda perfectio.

Ad hoc primum adversariorum fundamentum respondetur, quod sicut non colligeretur, tres personas divinas, aut earum personalitates habere propriam omnipotentiam, aut immensitatem relativam ex eo, quod de illis diceretur, quod coæternum Dei regnum in tribus omnipotentibus, aut immensis personis, oportet, ut credatur : quia ibi esse omnipotentem, aut immensum non sumitur substantive, sed adjective, et solum reddit hunc sensum, nimirum, coæternum Dei regnum esse credendum in tribus personis habentibus omnipotentiam, et immensitatem, licet non diversam, aut relativam, sed eamdem prorsus, et absolutam : ita ex eo, quod dicatur : *Ut coæternum regnum in tribus perfectis subsistentiis credatur*, non colligitur, has subsistentias relativas afferre propriam perfectionem relativam : quia ibi ly, *perfectis*, sumitur adjective, non vero substantive : et denotatur credendum esse coæternum Dei regnum in tribus subsistentiis, aut subsistentibus habentibus summam et infinitam perfectionem; licet non diversam, et relativam, sed eamdem, ac proinde absolutam. Per quod etiam ad exemplum ibidem adductum de sapientia divina patet. Nam si sapientia sumatur in concreto, et adjective, bene possunt admitti in Deo plures sapientes, idest, plures habentes eamdem sapientiam. 61. Diluitur fundamentum.

Ad

62. Responsio ad primam confirm. Ad primam confirmationem respondetur. non ideo in illo testimonio ex VI Synodo dici, credendam esse Trinitatem personarum divinarum, propter subsistentiarum perfectionem, quia subsistentiæ relativæ, seu relationes personales afferant tres perfectiones, atque adeo perfectiones relativas; sed quia perfectio unica, et absoluta, quæ est in tribus illis subsistentiis, est talis conditionis, ut exigat communicari, et imbibi in prædictis tribus subsistentiis, nec possit coarctari, aut quasi coarctari ad hoc, ut tantum sit in unica solummodo subsistentia, aut in paucioribus, quam in illis, in quibus de facto est. Videturque solutio hæc colligi ex eisdem verbis Concilii. Non enim dixit, credendam esse Trinitatem *propter subsistentiarum perfectiones* in plurali; sed *propter subsistentiarum perfectionem* in singulari : ut innueret, singulas ex his subsistentiis non afferre suam propriam perfectionem, ac proinde nec perfectionem relativam ; sed omnes illas dicere unam et eamdem numerice perfectionem infinitam : ac proinde eam esse absolutam, et ab essentia, quam prædictæ subsistentiæ relativæ per modum transcendentis includunt, cum quaque identificantur, provenire : et per consequens, illam ratione suæ infinitatis esse talis conditionis, quod sicut essentia divina non potest non esse in tribus subsistentiis : ita nec ejus perfectio potest non extendi ad hoc, ut eisdem tribus subsistentiis divinis communicetur.

63. Ad secundam. Ad secundam confirmationem respondetur, prænotando, quod relatio prædicamentalis creata (de qua ibidem loquitur D. Thomas) in suo conceptu adæquato importat, tum ordinem ad subjectum sistendo ibi : ex eo quod respicit illud tanquam causam materialem sui *esse* : et subjectum non habet hoc, quod est, esse causam materialem ratione termini, sed ratione sui, ut disp. 5 n. 21 et n. 79 diximus : tum etiam alium ordinem ad idem subjectum, non sistendo in illo, sed trahendo ipsum ad terminum, et sistendo in prædicto termino. Quæ duæ rationes inadæquatæ ejusdem relationis sunt adeo intrinsece, et indispensabiliter requisitæ, ut una non possit omnino separari ab alia : quia illa prior ratio debet afferre hanc posteriorem, tanquam quid sibi intime annexum. Et ideo licet ratio illa prior sit absoluta; differt tamen ab aliis rationibus absolutis repertis in aliis prædicamentis in hoc, quod si consideretur secundum suam peculiarem rationem, habet ex vi sua petere identificare, et quodammodo inferre posteriorem illum respectum, per quem subjectum trahitur ad terminum : et hoc ipso, quod ratio ista absoluta deesset, tunc etiam deesset ratio illa respectiva ad terminum, et e converso : ex eo quod habent inter se prædictum nexum, ut ex dictis in eadem disp. n. 87 satis constat.

Hinc ergo satis constat mens Angelici Doctoris in verbis relatis ex ipso in hac confirmatione. Solum enim vult, quod perfectio, et bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolutum inhærens rebus, idest, secundum aliquid absolutum, quod non sit talis conditionis, ut afferat necessario annexum ordinem prædicamentalem *secundum esse*, cum quo identificetur; sed etiam sumi secundum ordinem unius ad aliam, adæquate tamen sumptum, prout includit utrumque respectum : quia, ut diximus, relatio prædicamentalis adæquate sumpta debet dicere utrumque ordinem jam explicatum. Et propterea prædicta relatio semper dicit perfectionem : talisque perfectio deesset universo, si relatio deesset; quamvis perfectio ista non conveniat illi ratione ordinis transcendentalis, quem dicit ad subjectum ut tale, et ut est causa materialis illius : ac proinde ex eo ordine pure relativo *secundum esse*, quo respicit terminum, non concipiendo ibidem expresse alium ordinem ad subjectum sistendo ibi, nullam dicit perfectionem.

Ad ultimam confirmationem respondetur, D. Thomam in priori testimonio non ideo dixisse, Patrem sine Filio non esse perfectum, nec utrumque sine Spiritu sancto, quia propriæ relationes personales Filii, aut Spiritus sancti, aut etiam Paternitas afferant proxime ex esse *ad* propriam perfectionem distinctam a perfectione essentiæ, et attributorum Dei ; sed quia optime colligeremus a posteriori, Patrem non habere omnimodam perfectionem provenientem ab essentia, et attributis, nisi una cum illo daretur Filius, et Spiritus sanctus. Quia illa perfectio absoluta essentiæ ratione suæ infinitatis est talis conditionis, ut non possit non communicari aliis duabus personis, et in eis intime imbibi : et hoc ipso, quod hoc non haberet, optime inde colligeremus, eam non esse infinitam, nec retinere tantam perfectionem, quantam Divinitas ipsa exposcit habere. 64. Ad ultimam confirm.

Unde Athanasius relatus a D. Thoma in eo loco non ideo dixit, Patrem sine Verbo

fore mutum, et utrumque sine Spiritu sancto esse vivum, quia Filius det Patri, quod loquatur, aut quia Spiritus sanctus tribuat Patri, et Filio, quod vivant; sed quia Verbum est terminus intrinsecus loquutionis Paternæ, quæ quidem sine prædicto termino esse nequit : et similiter Spiritus sanctus est vitalis terminus actionis vitalis, per quam voluntas Patris, et Filii influit in productionem Spiritus sancti : et actio ista nequiret esse in Deo, deficiente hoc termino : et ea deficiente etiam colligeremus a posteriori, deesse Patri priorem illam loquutionem : indeque optime iterum inferremus, deesse Patri, et Filio vitam intellectualem divinam, licet relatio spirationis passivæ requisita ad prædictum terminum divinæ voluntatis ex suo esse *ad* proxime nullam in divinis ponatse ipsa formaliter perfectionem. Per quod etiam ad aliud testimonium ibidem adductum constat.

65. Explicatur exemplo. Potestque hoc ipsum explicari exemplo scientiæ divinæ terminatæ ad creaturas futuras, aut actus liberi Dei, prout extenditur ad creaturas tribuendo illis, quod sint positive futuræ, aut positive non futuræ. Nam etsi scientia illa ex eo, quod extenditur ad prædictas creaturas, non afferat distinctam perfectionem ab ea, quam importat, prout terminatur ad Deum : ac proinde non accrescat illi aliquid perfectionis ex eo, quod intuitus ejusdem scientiæ terminetur ad eas, ut communiter docent Theologi, et in 1 tomo tractatu 4 disp. 5 num. 74 diximus : attamen optime colligeremus, scientiam illam non fore infinite perfectam, si non extenderetur ad prædictas creaturas, hoc ipso quod sint futuræ : ac proinde ad ejus perfectionem spectat, ut semel supposita earum futuritione, terminetur ad illas. Et similiter, licet actui libero divinæ voluntatis non accrescat aliqua perfectio ex eo, quod terminetur ad creaturas tribuendo illis, vel quod sint positive futuræ, vel positive non futuræ : attamen, si hoc non haberet, tunc merito colligeremus, prædictum actum non esse infinitæ perfectionis. Quia summa ejus perfectio est talis conditionis, ut non possit non extendi ad illas tribuendo omnibus, et singulis creaturis, quod positive sint futuræ, vel positive sint non futuræ. Ita ergo in præsenti, proportione servata philosophandum est : quia tanta est perfectio Divinitatis, ut non possit non diffundi, et esse ad intra in tribus personis; licet in una sit absque processione ab aliqua alia, et in aliis sit mediis suis processionibus.

§ XII.

Secundum fundamentum oppositæ sententiæ, et ejus enodatio.

Secundum fundamentum oppositæ sententiæ est. Quod personalitas Verbi, seu relatio ejus personalis habet ratione sui, et ut distincta ab aliis personalitatibus divinis, sanctificare humanam naturam Christi Domini, quam terminat : ergo ratione sui affert propriam perfectionem relativam. Consequentia videtur perspicua. Quoniam sanctitas dicit bonitatem et perfectionem, et peculiariter sanctitas communicata humanitati a relatione illa personali Verbi, ex eo quod est sanctitas longe major, et dignior, quam illa, quæ provenit a gratia sanctificante : quam tamen dicere magnam bonitatem, et perfectionem, est satis notum : ergo si relatio personalis Verbi ratione sui sanctificat humanam naturam, habebit ratione sui formaliter communicare humanitati maximam quandam perfectionem : et per consequens ipsa relatio personalis ratione sui dicet perfectionem. 66. Secundum fundamentum.

Antecedens autem probatur. Tum, quia relatio personalis Verbi ratione sui tribuit humanitati impeccabilitatem : et ita implicat, humanitatem terminatam prædicta relatione personali peccare. Constat autem, quod per id, per quod aliquid redditur impeccabile, redditur sanctum, et non utcumque, sed perfecte sanctum. Tum etiam : Quia relatio illa personalis est formalis munditia habens oppositionem cum labe peccati : ideoque, si daretur, humanitatem illam fuisse prius peccati labe coinquinatam, et deinde assumi a Verbo, tunc præcise ratione terminationis per relationem personalem ejusdem Verbi mundaretur a peccato : at animæ munditia est illius sanctitas. Tum etiam : Quia relatio personalis Verbi ratione sui reddit humanitatem Christi Domini objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans : et per consequens reddet illam sanctiorem, quam a gratia sanctificante redderetur. Tum denique : Quia prædicta humanitas ratione terminationis per relationem personalem est digna adoratione latriæ : ac proinde ratione illius redditur sancta.

67. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia Verbum ratione

tione suæ relativæ personalitatis terminat proxime naturam humanam : ergo ratione illius dicit bonitatem et perfectionem : ac proinde perfectionem relativam. Hæc secunda consequentia patet ex iis, quæ in explicatione tituli diximus. Prima vero videtur perspicua. Quoniam cum sit proprium bonitatis et perfectionis se communicare et diffundere, oportet, quod id, quod ratione sui proxime se communicat, seque diffundit terminando naturam alienam, habeat etiam proxime, et ratione sui bonitatem et perfectionem.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quia Verbum ratione suæ relativæ personalitatis dignificat actiones Christi Domini : ergo ratione ejusdem relativæ personalitatis affert dignitatem et valorem moralem infinitum : ergo et propriam perfectionem, in qua fundatur illa dignitas et valor. Utraque consequentia videtur perspicua ex antecedenti, et antecedens etiam patet. Quoniam alias valor ille tribueretur divinæ essentiæ, et omnes tres personæ divinæ dignificarent illa opera : sicut omnes illæ concurrunt ad creationem, quia creant ratione divinæ naturæ.

68. Solvitur hoc secundum fundamentum. Respondetur negando antecedens, si ly *ratione sui* denotet eamdem relationem personalem Verbi non secundum id, quod per modum transcendentis includit, sed ut dicit expresse *ad* : et sensus sit, quod proxime et formaliter ratione expressionis ejusdem *ad*, seu *esse* relativi secundum id, quod exprimit, sanctificet. Licet idem antecedens concedi possit, si ly *ratione sui* significet prædictam relationem personalem, prout includit essentiam divinam per modum transcendentis in ea inclusam : sic enim sumpta habet ratione sui, idest, ratione essentiæ ad eam per modum transcendentis pertinentis, proxime sanctificare. Sicut etiam concedi potest idem antecedens, si ly *ratione sui* dicat ipsum *esse ad* seu *esse* relativum : et sensus illius sit, quod prædictum *ad* solum remote sanctificet, quatenus petit imbibere divinam essentiam per modum transcendentis, et ratione illius sanctificare.

Et ad primam probationem antecedentis, quatenus est contra illud in priori sensu, in quo illud negamus, dicendum est, relationem personalem Verbi, ut exprimit *ad* relativum, et munus præcise referendi, reddere humanitatem impeccabilem impeccabilitate (ut sic dicamus) relativa, et initiativa. Non quidem, quia munus illud, et ratio relativa secundum id, quod exprimit, afferat ratione sui sanctitatem relativam; sed quia est talis conditionis, ut importet per modum transcendentis sanctitatem essentiæ absolutam. Quoniam non solum est incompossiblilis cum actione peccandi res illa, quæ per se, et ratione sui proxime, et secundum id, quod exprimit, est ipsa sanctitas per essentiam, qualis est divina essentia ; sed etiam id, quod licet ratione ejus, quod exprimit, non sit ipsa sanctitas, petit tamen imbibere per modum transcendentis talem sanctitatem per essentiam, ut contingit prædicto esse *ad*, quatenus præcise dicit, et exprimit *esse* relativum. Et propterea dicitur relatio illa secundum prædictum esse *ad* impeccabilitas relativa, et initiativa. Relativa quidem, quia provenit ab esse *ad*, secundum quod exprimit *esse* relativum : initiativa vero, quia inde quasi incipit ejus vis ad tribuendum humanitati imcompossibilitatem cum actione peccandi : et hæc intelligitur in ea compleri, et (ut sic loquamur) quasi formalizari, dum concipitur ut imbibens ipsam sanctitatem per essentiam.

Potestque hoc a contrario explicari 69. Elucidatur solutio exemplo.
exemplo actus peccaminosi mendacii gravis advertenter prolati : qui quidem quoad id, quod de materiali dicit in ratione actus, secundum quam rationem est a Deo, est initiative incompossibilis cum sanctitate gratiæ habitualis : ac proinde prædictus actus peccaminosus, dum est, reddit in sensu composito hominem inconvertibilem ad Deum per prædictam gratiam : sicut personalitas Verbi secundum esse *ad* reddit (proportione tamen servata) humanitatem impeccabilem, seu impotentem ad hoc, ut recedat a Deo per peccatum ; et tamen prædictus actus peccaminosus mendacii gravis, si consideretur præcise ratione actus, et ut est a Deo, non habet rationem recessus ab ipso Deo, aut rationem malitiæ, ut communiter docent Theologi, sed ad hanc impossibilitatem, et inconvertibilitatem tribuendam satis est, quod habeat alias infallibiter annexam malitiam. Quia non solum id quod est peccatum ut tale, aut id, quod fundat malitiam, ut illam fundat, sed etiam id, quod alias actu, et infallibiliter eam fundat (licet formalissime sumptum non sit peccatum, aut habeat aliud munus, secundum quod eam non fundat) est incompossibile cum gratia sanctificante, et, dum est, reddit hominem in sensu composito inconvertibilem ad Deum per prædic-

tam gratiam : sicut personalitas Verbi secundum prædictum esse *ad* seu *esse* relativum reddit, proportione servata, humanitatem Christi Domini impeccabilem, seu incompossibilem cum actione peccandi.

Si ergo actus iste mendacii, qui in ratione actus, et, ut est a Deo solum habet alias infallibilem nexum cum malitia : et nexus iste tantum est nexus infallibilis infallibilitate consequentiæ, non vero ita, ut malitia illa afferatur annexa ex propriis meritis ejusdem actus prout a Deo. Si igitur prædictus actus ratione hujus præcise est incompossibilis cum gratia, et reddit hominem in sensu dicto inconvertibilem ad Deum per eamdem gratiam, licet non sit peccaminosus formaliter, imo nec, ut est a Deo, sit peccaminosus fundamentaliter : cur illud esse *ad* relationis Verbi divini secundum munus relativum quoad id, quod in hac linea exprimit, præcise consideratum non habebit initiative, quod reddat humanitatem impeccabilem, licet non sit sanctitas relativa? siquidem non jam alias, sed formalissime, ut est relatio personalis Verbi, et ut exprimit munus relativum adæquate sumptum secundum omnia, quæ formalissime spectant ad illam lineam relativam, petit imbibere ipsam sanctitatem per essentiam per modum transcendentis.

70. Explicatur amplius alio exemplo. Poteritque hoc amplius elucidari exemplo earumdem relationum divinarum, aut misericordiæ Dei, ut dicunt rationem veri, aut unitatis transcendentalis. Nam etsi rationes istæ sint absolute et simpliciter perfectæ et bonæ : attamen secundum expressum seu formalissimum conceptum, quem afferunt, non dicunt, at proxime important propriam bonitatem et perfectionem distinctam virtualiter a perfectione divinæ essentiæ, et a perfectione misericordiæ sub conceptu expresso v. g. misericordiæ, significatæ. Siquidem formalissimus seu expressus conceptus *veri*, aut *unius* non est formalissimus conceptus *boni*, et *perfecti* : nec ratio *boni* oritur proxime a ratione expressa *veri* (ut multi probabiliter volunt) tanquam passio, aut quasi passio illius, sed a ratione entis : cum tamen, hoc non obstante, formalissimus conceptus misericordiæ Dei, adhuc ut veræ, aut quatenus est una, habeat ex se esse incompossibilem cum quavis imperfectione, et tribuere saltem initiativam incapacitatem in ordine ad illam : ex eo quod quævis ratio reperta in Deo petit imbibere totam, et infinitam perfectionem Dei : ac proinde est incompossibilis ex se cum omni, et quavis imperfectione, et capacitate ad illam, debetque sic expresse concipi, si adæquate consideretur quoad omnia, quæ dicit, ut est capax imbibendi perfectionem Dei, illamque exigit. Ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est de eisdem relationibus divinis secundum suum esse *ad*, seu secundum quod præcise exprimunt *esse* relativum, et collatis cum natura creata quoad incapacitatem ad peccandum, quam necessario debent illi tribuere hoc ipso, quod illam terminent : ne persona illa divina terminans talem naturam sit quoad aliquam sui rationem capax tantæ imperfectionis, quanta est posse, sive in propria natura, sive in aliena peccare. Per quæ etiam ad secundam probationem ejusdem antecedentis satis constat, ut intuenti patebit.

Ad tertiam vero probationem dicendum est, quod relatio personalis Verbi considerata, tam secundum id, quod affert implicite, quam secundum quod præcise dicit expresse *esse* relativum, reddit humanitatem Christi Domini objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans : ita ut sit magis congruum, adhuc in ratione objecti formalis, quam quivis alius homo sanctificatus per gratiam sanctificantem, et accidentalem. Non quidem, quia gratia sanctificans secundum aliquam sui rationem intrinsecam reddat hominem objectum formale congruum divinæ dilectionis : siquidem juxta ea, quæ in 2 tomo tract. 4 disp. 3 n. 29 et disp. 7 num. 63 diximus, sola divina bonitas est objectum formale adæquatum voluntatis Dei, sed quia divina bonitas per modum objecti formalis considerata perfectiori modo actuat relationes personales secundum *esse* relativum sumptas, et secundum quod in eis intrinsece imbibitur, quam actuet gratiam sanctificantem, quæ solummodo extrinsece, et modo loco citato explicato, ab illa actuatur, ad hoc ut possit a divina voluntate amari. Et ita gratia sanctificans secundum nullam sui intrinsecam rationem reddit hominem objectum formale congruum divinæ dilectionis, sed solum materiale proximum, et valde deficiens a ratione objecti materialis proximi convenientis divinis relationibus, aut naturæ creatæ ut terminatæ per ipsas. 71.

Si tamen consideretur prædicta relatio, secundum quod præcise exprimit munus referendi, tunc reddit humanitatem illam objectum congruentius divinæ dilectionis (non

(non quidem formale, sed materiale; exigens tamen imbibere rationem formalissimam totius perfectionis divinæ) quam sit illud, quod gratia sanctificans constituit in ratione objecti congrui divinæ dilectionis.

72. Per quæ etiam ad ultimam probationem satis liquet. Quoniam, ut relationes personales, adhuc quoad *esse* relativum, possint, et debeant adorari adoratione latriæ, satis est, quod imbibant totam perfectionem Dei, sintque rationes existentes in Deo: quia eo ipso petunt talem adorationem: quamvis ratio formalissima, ob quam adorantur, sit id, quod intime in eis imbibitur, nempe, excellentia divinæ perfectionis.

Solutio ad primam confirm. Ad primam confirmationem fatemur, Verbum secundum *esse* relativum terminare Christi Domini humanitatem. Nam etsi sub hoc expresso conceptu illam terminandi non exprimat, ratione nostri imperfecti modi concipiendi, ordinem ad suum correlativum, nempe ad Patrem: attamen implicite dicit prædictum ordinem; non qualitercumque, sed ita ut illa terminatio inde specificetur: et si consideretur adæquate, et secundum id, a quo specificatur, debet talis ordo expresse concipi. Cæterum negamus, inde inferri, quod ex hoc expresso conceptu afferat perfectionem distinctam virtualiter a perfectione essentiæ divinæ, et attributorum.

73. Nec obest probatio ibidem adducta. Quoniam communicare se per modum termini præcise, licet arguat, terminum illum includere perfectionem ratione alicujus, quod habet annexum, aut intime inclusum, non tamen, quod importet propriam, et novam perfectionem aliquo modo distinctam ab ea, quam ratione annexi, aut inclusi dicit. Quia modus iste communicandi se non excedit vires relationis quoad lineam relativam: siquidem intra lineam relativam datur ratio respiciendi, et terminandi: et ratio ista relativa non nisi ratione absoluti, quod affert, dicit perfectionem: ac proinde solum importat perfectionem absolutam, ut ostensum est. Unde hoc, quod est, esse diffusivum sui utcumque, non est proprietas boni et perfecti; sed esse diffusivum sui speciali modo, qui potest explicari inter alia per hoc, quod ratione sui, seu ratione ejus, quod per se primo diffunditur, et communicatur, habeat proxime res, cui communicatur, aliquid perfectionis, quam antea non habebat: quod tamen in præsenti non contingit. Quia ratione ejus, quod per se primo communicatur humanitati, nempe, ratione termini relativi, non communicatur ei ratio perfectionis proxime; sed (ut sic dicamus) remote: quatenus, communicata ratione termini, communicatur implicite divina essentia per modum transcendentis, et ex hac proxime fluit, aut quasi fluit, et communicatur tota perfectio divina.

74. Ad secundam confirm. Ad secundam confirmationem respondetur negando antecedens, si intelligatur de personalitate Verbi secundum esse *ad* reduplicative sumptum, et secundum quod exprimit prædictum *esse* relativum: ita ut valor operum Christi Domini immediate, et proxime dimanet ex prædicto esse *ad* ut tali, seu ex *esse* relativo ejusdem. Quoniam illud esse *ad* sic sumptum tantum se habet per modum quasi deferentis, et secum imbibitam trahentis dignitatem, et perfectionem divinæ essentiæ per modum transcendentis consideratam, et prædicta essentia est, quæ proxime affert perfectionem, ab eaque modo in tomo tractatu de Incarnatione explicando, fluit valor, et dignitas prædictorum operum. Et ita illud esse *ad* non dignificat dignitate relativa sibi omnibus modis propria; sed dignitate absoluta, quæ communicatur ei per inclusionem essentiæ per modum transcendentis in ipso.

Et ad probationem ejusdem antecedentis neganda est sequela. Quoniam effectus iste valoris præstatur a relatione personali Verbi, ut habet rationem termini imbibentis per modum transcendentis divinam essentiam, et illam sic sumptam peculiariter quasi modificantis, non vero ratione ipsius essentiæ, ut habet rationem naturæ sub conceptu naturæ, et ut est communis tribus personis: ac proinde non habet magis modificari per hanc, quam per illam relationem personalem. Constat autem, effectus, qui oriuntur a divina personalitate, ut habet rationem termini imbibentis divinam essentiam per modum transcendentis, et ut peculiariter imbibitur in una personalitate, et ibi specialiter modificatur ab illa, eamque ibi peculiariter connotat, non oriri ab omnibus personis, sed ab una tantummodo, ut in præsenti contingit. Et propterea, licet ratio formalis producendi Filium in divinis sit divina natura per modum naturæ: quia tamen hoc habet, ut peculiariter modificatur per relationem Paternitatis, eamque peculiariter connotat, propterea solus Pater in divinis generat; licet etiam Filius habeat camdem naturam cum Patre.

§ XIII.

Fundamentum tertium pro opposita sententia, una cum responsione ad illud.

75. Tertium fundamentum. Tertium fundamentum est. Quoniam alioqui mysterium Trinitatis ut tale nullam diceret perfectionem in divinis : hoc autem videtur absurdum : ergo, etc. Sequela videtur perspicua. Quoniam mysterium Trinitatis coalescit ex relationibus personalibus secundum suum esse *ad* : si ergo istæ secundum hoc esse *ad* nullam dicunt perfectionem, nec mysterium Trinitatis ut tale eam dicet.

Falsitas vero consequentis probatur. Tum, quia essentiam divinam esse communicabilem tribus personis, sive suppositis est maxima illius perfectio. Et propterea essentia creata ratione suæ finitatis, et imperfectionis nequit nisi uni tantum supposito communicari : ergo supposita ista, quæ sunt relationes personales, afferent ex se perfectionem : alioqui non diceret perfectionem in divina natura communicare se prædictis personis : siquidem non est perfectio in natura communicare se, et esse in re illa, quæ ex se non affert perfectionem.

Tum etiam. Quia esse id, cui communicatur divina natura, quodque habet vim ad illam ex se suppositandam, non potest non dicere ex se maximam perfectionem. Maxime, cum hoc, quod est, subsistere, et esse per se satis perfectionis denotet.

Tum deinde. Quia quævis ex his relationibus personalibus est infinita in sua propria ratione : ac proinde dicet ex se infinitam perfectionem. Siquidem infinitas dicit aliquam quantitatem : cumque non dicat in præsenti quantitatem molis, dicet utique quantitatem perfectionis.

Tum præterea. Quia circa has relationes personales, et Trinitatis mysterium ut tale est Deus necessitatus, tam quoad speciem, quam quoad exercitium actus ad illud diligendum : et propterea semper, et necessario complacet in se ipso ut Trino : ergo mysterium hoc ut tale, ac proinde relationes ipsæ, adhuc secundum suum esse *ad*, dicent perfectionem, et non qualecumque, sed infinitam, ita ut possint divinam voluntatem necessitare.

Tum denique. Quia licet non afferre ex se perfectionem in hoc, vel illo genere determinare non dicat imperfectionem : attamen ex se nullam affere perfectionem in aliquo ex omnibus generibus est satis magna imperfectio : sicut e contra hoc, quod est, ex se affere perfectionem, est perfectio.

Confirmatio. Confirmatur. Nam in nobis subsistentia, et personalitas ex sua propria ratione affert perfectionem, et ratione hujus pertinet ad perfectionem nostræ naturæ communicare se propriæ personalitati : et si posset communicare se tribus personis, tunc Trinitas ista ut talis et ratione personalitatum adderet perfectionem : ergo idem etiam debet in Deo dici : alioqui personalitas creata esset ex se perfectior in suo genere, quam personalitas divina in suo : siquidem hæc ex se non dicit perfectionem, secus vero illa.

76. Occurritur tertio fundamento. Respondetur distinguendo sequelam. Et si sensus sit mysterium Trinitatis nullam dicere perfectionem ratione ipsius *ad* seu *esse* relativi proxime, concedenda est sequela. Quoniam perfectio ista esset relativa : et ut num. 32 dicebamus, est implicatio in terminis admittere perfectionem, et quod talis perfectio sit relativa. Si vero sensus illius sit, nullam dicere perfectionem ratione inclusi in illo esse *ad*, seu ratione ipsius esse *ad* remote, quatenus tale *ad* petit imbibere divinam essentiam per modum trauscendentis, neganda est. Nam prædictum *ad* ratione sui petit divinam essentiam per modum transcendentis : et hæc, quippe absoluta, affert proxime perfectionem, quæ est de genere absolutorum, ut num. 28 dicebamus.

Et ad primam probationem adductam ad suadendam falsitatem consequentis, quatenus potest procedere contra distinctionem datam, concedendum est antecedens, juxta dicta a num. 62 usque ad num. 66. Et deinde neganda est consequentia, cujus probatio nihil obest. Quoniam ad perfectionem essentiæ infinite perfectæ potest pertinere communicare se alicui rationi formali, quæ ex vi suæ lineæ, non afferat perfectionem, dummodo sit capax accipiendi perfectionem illius essentiæ per intimam imbibitionem talis essentiæ in ipsa ; ex eo quod ad perfectionem Dei spectat diffundere se ad intra, et id ipsum, quod in se habet communicare illis, in quibus intime transcenditur, quæque eam per modum transcendentis inclusam exigunt. Unde, adhuc in creatis, spectat ad perfectionem entis communicari, et includi in vero ut tali, licet verum ut tale secundum id, quod supperaddit enti, non dicat perfectionem

et

et bonitatem distinctam virtualiter ab ente, sed eandem prorsus ut communicatam, et derivatam ab ente in actu, quod in ipso vero, ut intelligitur superindui ratione boni, intime transcenditur.

77. Ad secundam vero probationem dicendum est, quod esse id, cui communicatur divina natura tanquam rationi relativæ quodque habet vim ad suppositandam, seu personandam illam relative, abstrahit ex hoc præciso, et expresso conceptu a perfectione, nec illam immediate et proxime affert, sed tantum mediate et remote : quatenus petit imbibere divinam essentiam, et attributa. Et ratio desumitur ex dictis nu. 28. Quoniam ratio perfectionis est in ordine ad se, ut ibidem diximus, esse autem id, cui communicatur divina essentia tanquam rationi relativæ, est esse rationem relativam, et talis conditionis, ut secundum hunc conceptum tota sit in ordine ad terminum : et id ipsum, quod est, petere divinam essentiam ut imbibitam in se ipsa, habet per ordinem ad terminum ut in simili de ratione terminandi naturam competente relationibus personalibus num. 73 dicebamus. Ideoque ratio ista sub hac præcisione et conceptu non dicit perfectionem, nec eam proxime ex vi hujus conceptus infert ; sed ratione rei ab ea petitæ per modum transcendentis, nempe, ratione essentiæ. Per quod etiam ad id, quod ibidem dicitur de subsistentia satis constat. Quoniam etsi subsistentia absoluta dicat, seu afferat proxime perfectionem, modo tamen statim magis explicando, non tamen subsistentia relativa, propter rationem nuper tactam, et a num. 28 usque ad num. 31 magis explicatam, nec non et propterilla, quæ a num. 32. usque ad num. 35 diximus.

78. Ad tertiam probationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia, si consequens intelligatur de esse *ad* ut tali, et reduplicative sumpto, quatenus dicit esse relativum, Nam infinitas præcise in ratione referendi, et in ratione terminandi non dicit perfectionem, nec eam proxime ratione sui infert, ut sæpe diximus. Sicut etiam nec infinitas in ratione terminandi affert ex vi sua prædictam perfectionem, quoties ratio illa terminandi est relativa, idest, quoties ratio prædicta, si adæquate consideretur, debet desumi penes ordinem ad correlativum. licet, dum concipitur inadæquate quoad munus terminandi, non exprimatur ibi ordo ad correlativum, a quo, adhuc sub illo munere habet suum *esse*, suamque speciem, aut quasi speciem, ut in præsenti contingit et constat ex illis, quæ ad præcedentem probationem dicebamus.

Nec verum est, omnem infinitatem, etiam relativam, debere dicere aliquam quantitatem, si proprie et in rigore loquamur, sed satis est, quod se habeat ad instar alicujus quantitatis, sive molis, sive perfectionis, quatenus dicit vim ad referendum, et terminandum æquivalentem omnibus relationibus creatis quoad vim ad referendum et terminandum, idest, quatenus hæc sola vis divinæ relationis est major, quam sit cuncta illa vis, quæ in aliis relationibus invenitur : licet, quia prædicta vis non est in ordine ad se, seu in ordine ad subjectum, non dicat (ut sic loquamur) majoritatem perfectionis : sed solum majoritatem jam explicatam.

Potestque hoc explicari exemplo veri necessarii, et contingentis, ex quibus illud (quippe habens causas firmiores suæ veritatis) est magis verum, quam verum contingens : cum tamen hæc quasi majoritas ex vi suæ lineæ non dicat proxime et immediate ratione sui perfectionem seu bonitatem : ac proinde nec majoritatem in ratione bonitatis et perfectionis, sed solum ratione entis inclusi, et ei communicantis propriam bonitatem.

Ad quartam probationem patet ex dictis 79.
num. 71 quomodo satis sit, quod mysterium Trinitatis, sive divinæ relationes secundum *esse* relativum sint talis conditionis, ut petant imbibere totam perfectionem divinæ essentiæ talemque cum ea habere connexionem, ut si non esset intime in eis inclusa, colligeremus, non posse in ipsa consistere. Quomodo igitur hoc satis sit ad hoc, ut prædictæ relationes personales, licet sint objectum materiale divinæ voluntatis, nec secundum *esse* relativum dicant perfectionem, nihilominus necessario diligantur ab eadem divina voluntate.

Ad ultimam probationem respondetur, 80.
quod licet non afferre perfectionem ex se, idest, ex nullo ad rem illam intime per modum transcendentis, aut alio intrinseco modo pertinente, sit imperfectionis signum, eamque involvat : attamen non afferre perfectionem ex aliquo munere, sive ratione formali secundum id, quod exprimit, dummodo ex alio illam afferat, non dicit imperfectionem. Maxime, si adhuc ex illo munere, ex quo illam non importat pro-

xime, importet eam remote : quatenus ex illo eodem munere adæquate concepto petit imbibere aliquid, quod afferat omnem perfectionem. Quia id quod hanc exigentiam habet, nequit ullam cum hoc afferre imperfectionem. Quare, cum hic ultimus modus competat relationi divinæ secundum suum esse *ad*, inde est, ut hic modus non afferendi perfectionem non refundat in ea imperfectionem.

Nec obest id, quod ibidem adducitur, nempe, quod afferre ex se perfectionem, est perfectio : ac proinde oppositum ejus, nempe, non afferre ex se perfectionem, erit imperfectio. Quoniam hinc solum sequitur, quod non afferre ex se perfectionem, sit non perfectio, non vero imperfectio. Quoniam afferre, et non afferre ex se, modo explicato, perfectionem, non opponuntur privative sed contradictorie : et ita non opponuntur ut perfectio, et imperfectio; sed ut perfectio, et non perfectio, quantum est ex vi hujus muneris.

Potestque hoc explicari exemplo essentiæ divinæ, ut collatæ cum attributis, in qua, afferre ex se propriam existentiam dicit perfectionem : cum tamen in attributis, non importâre illam ex se (quippe quæ tantum existunt per existentiam essentiæ, ut disputatione sequenti dicemus) non dicat imperfectionem, sed ad summum non perfectionem.

81. Diluitur confirmatio. Ad confirmationem concedatur antecedens, et negetur consequentia, propter rationes a num. 28 usque ad num. 38 traditas. Et ad probationem neganda est sequela, absolute et simpliciter loquendo. Quia personalitas divina ut talis debet absolute et simpliciter loquendo, includere totam perfectionem essentiæ, licet cum hoc stet, ut possit concedi, quod personalitas creata ex sua ultima et expressa ratione exprimit aliquid afferens proxime magis perfectionis, involutæ tamen cum imperfectionibus, quam personalitas divina ex suo esse *ad* reduplicative sumpto, seu ut exprimit *esse* relativum. Ex eo quod, ut præcise exprimit *esse* relativum, non exprimit aliquid, quod proxime, et ratione ejus, quod exprimit, afferat perfectionem. Ita quidem, ut hinc, seu ex hoc, quod non dicat ex se perfectionem, cum exigentia tamen essentiæ divinæ in ea per modum transcendentis inclusæ, proveniat illi, quod ab eadem essentia dicat infinitam perfectionem indistinctam, adhuc virtualiter, a perfectione ejusdem essentiæ, et ex imperfectione simpliciter (quamvis ex perfectione secundum quid) proveniat in subsistentia creata, quod exprimat ex sua ultima ratione aliquid afferens proxime perfectionem distinctam a perfectione essentiæ.

Nec mirum videri debet, quod concedatur, aliquid creatum ex sua ultima et expressa ratione, et secundum id precise quod exprimit, afferre (modo dicto) magis perfectionis, quam ratio aliqua existens in Deo, et præcise considerata secundum id, quod exprimit. Nam et si hoc esset inconveniens si fieret hæc collatio in ratione aliqua ex vi suæ lineæ afferente proxime, et ratione sui perfectionem secundum id, quod ex vi sua exprimit : non tamen, si fiat comparatio in ratione, quæ ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod exprimit, illam non affert, sed aliunde ei provenire debet. Sicut licet ratio substantiæ sit perfectior ratione accidentis : si tamen fiat comparatio inter substantiam, ut exprimit esse veram, aut unam, et accidens, ut exprimit suam rationem entis, tunc accidens, ut exprimit hanc rationem, dicit proxime rationem afferentem expresse magis perfectionis, quam substantia, ut exprimit rationem veræ, aut unius. Et hoc non inconvenit : quia ex parte substantiæ non assumitur ratio, quæ ex vi sua petat, ut ratione ejus, quod exprimit, afferat proxime rationem boni, sed solum remote, quatenus petit imbibere rationem entis, a qua sit bona et perfecta.

Et similiter, si Deus consideretur, ut præcise exprimit peculiarem illam virtutem intellectualem, nempe intelligentiam : et Angelus sumatur, ut habet, tam hanc virtutem, quam sapientiam : tunc Angelus est magis cognoscitivus conclusionum, et principiorum, quam Deus, ut præcise habet intelligentiam, quæ est virtus intellectualis terminata præcise (ut multi probabiliter volunt) ad principia : et hoc nullum est inconveniens : quia non fit comparatio inter Deum, et creaturam secundum aliquam rationem ex parte Dei, quæ ex vi suæ lineæ petat esse cognoscitivam conclusionum ex illis principiis deducendarum. Ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est. Maxime, quia, ut nuper dicebamus, quod relationes ex esse *ad* non dicant proxime perfectionem Dei, quæ petit, ut sit infinita et æqualis omnino perfectio in divinis personis : et hæc æqualitas non esset inter illas, si relationes secundum suum esse *ad*, et ratione ejus, quod exprimunt,

exprimunt, afferrent perfectionem, ut explicatum est. Cum tamen, quod subsistentia creata afferat ex ultima et expressa ratione sua aliquid perfectionis involutum tamen indispensabiliter cum imperfectionibus, proveniat ex imperfectione simpliciter : ex eo quod ratio formalis, unde ista perfectio oritur, est ratio formalis subsistentiæ absolutæ, et incommunicabilis : quæ quidem licet dicat aliquid perfectionis secundum quid; dicit tamen imperfectionem simpliciter : quia nesessario petit naturam finitam. Et propterea in creatis omnes subsistentiæ sunt absolutæ, et in divinis quævis subsistentia incommunicabilis est relativa. Sed circa hoc videantur duo exempla, quæ in 1 tomo, tractatu 3 disput. 2 nu. 43 adduximus, quibus non parum elucidabitur.

§ XIV.

Aliud fundamentum oppositæ sententiæ, responsioque ad illud.

83. Quartum fundamentum. Quartum fundamentum est. Quod relatio personalis ex suo esse *ad* secundum id præcise, quod habet ex vi suæ lineæ, dicit veram realitatem relativam : sive veram et realem formalitatem relativam, virtualiter distinctam a realitate, sive formalitate reali divinæ essentiæ, ut disput. 4 a num. 17 latius diximus : ergo etiam dicet perfectionem relativam virtualiter distinctam a perfectione essentiæ. Patet consequentia. Tum, quia bonum, seu perfectum, et ens convertuntur. Tum, etiam, quia prædicta realitas, hoc ipso quod distincta virtualiter ab essentia divina, affert alias passiones entis virtualiter distinctas ab eadem essentia, nempe, quod sit una per propriam unitatem relativam, afferatque propriam veritatem transcendentalem, et habet ex vi sua esse rem quamdam : propter quod in divinis dantur tres res relativæ ut docet D. Thomas 1 p. q. 20 art. 3 et q 39 art. 3 ad 3 et in 1 dist. 25 q. 1 art. 4. Ergo eadem ratione prædicta realitas relativa afferet ex vi sua propriam perfectionem relativam. D.Thom.

Confirm. Confirmatur. Quoniam bonitas et perfectio rei nihil est aliud, quam integritas in sua ratione formali. Nam hoc ipso, quod in ea sit integra, est perfecta in illa : ergo cum relatio divina hoc ipso, quod dicat veram realitatem relativam habentem vim ad referendum infinite unam personam ad aliam, sit integra in sua ratione formali relativa; non poterit non ex se habere propriam perfectionem relativam.

Respondetur ex illis, quæ in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 num. 16 et deinceps diximus, nempe, bonum et perfectum non converti cum ente nominaliter sumpto, sed cum ente in actu, ac proinde cum ente habente quidquid requiritur ad hoc, ut sit existens. Relatio autem divina nequit esse in actu, neque existens, nisi ut imbibit divinam essentiam per modum transcendentis. Et ita neque est convertibilis cum bono, nisi ut imbibit prædictam essentiam : et ratione ejus est aliquomodo in ordine ad se, habetque ab illa omnimodam perfectionem. 84. Respondetur ad quartum fundamentum.

Unde D. Thomas supra q. 6 art. 3 ad 1 cum sibi sic objecisset : *Sicut enim unum convertitur cum ente, ita et bonum : sed omne ens est unum per suam essentiam, ut patet per Philosophum in 4 Metaphysicæ : ergo omne ens est bonum per suam essentiam.* Respondet in hæc verba : *Dicendum, quod unum non importat rationem perfectionis, sed indivisionis tantum, quæ unicuique rei competit secundum suam essentiam. Simplicium autem essentiæ sunt indivisæ, et actu, et potentia. Compositorum vero essentiæ sunt indivisæ secundum actum tantum. Et ideo oportet, quod quælibet res sit una per suam essentiam ; non autem bona, ut ostensum est*, nempe, in corpore articuli, ubi dixerat, rem non esse bonam secundum suam essentiam nisi sit in actu, dicatque *esse* existentiæ : ac proinde dicat id, quod requiritur ad existendum. Et propterea idem S. Doctor supra q. 5 art. 1 sic inquit : *Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile. Unde Philosophus in 1 Ethicorum dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt. Manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum : nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est actu. Unde manifestum est, quod in tantum est, aliquid bonum, in quantum est ens* (intellige, non solum nominaliter, sed etiam participialiter : et ita rationem hujus reddens ait) *esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet*. Ubi, ut vides, D. Thomas soli enti in actu tribuit rationem perfectionis. D.Thom.

Potestque tota hæc solutio elucidari ex doctrina illa ejusdem D. Thomæ q. 5 nuper citata art. 3 ad 4 quam supra adduxi- 85. Dilucidatur solutio.

mus, nempe, non esse inconveniens, quod in aliquo ente secundum aliquam sui rationem non sit ratio boni, sive quod non exprimatur ratio boni, nec ratio aliqua, quæ proxime, et ex vi illius conceptus expressi præcise sumpti afferat proxime perfectionem : quia ratio entis est prior ratione boni. Et propterea Mathematicalia, ut talia, sunt entia; non tamen, ut Mathematicalia habent rationem boni.

Unde ad formam argumenti concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ad primam probationem patet ex modo dictis. Ad secundam vero quoad id, quod de veritate transcendentali in ea continetur, constabit ex illis, quæ disput. 10 n. 19 et deinceps dicemus. Et deinde quoad alias duas affectiones, nempe, *unitatem*, et *rem*, concedatur antecedens, et negetur consequentia, propter rationem modo tactam, et ea, quæ latius a num. 28 usque ad num. 38 diximus.

Objectio. Qua propter necesse non erit objectionem illam, quæ hic ebullire videtur, adducere, nempe, quod etsi tantummodo ratio entis in actu, idest, entis sub existentía, convertatur cum bono : nihilominus ens ipsum connotando existentiam dicit bonitatem et perfectionem distinctam ab existentia, ut in homine contingit : ergo relatio personalis secundum suum esse *ad* connotando existentiam divinam, dicet perfectionem distinctam ab *esse* Dei.

86. Fit obviam. Non itaque necesse erit objectionem istam hic adducere. Quoniam ex dictis num. cit, satis constat illius solutio et discrimen, quod versatur inter res absolutas, et relativas, nimirum, quod istæ, ut reduplicative et formalissime dicunt *esse* relativum, non habent, unde ratione ejus quod exprimunt, dicant expresse aliquid, quod ex se, connotando tamen existentiam, inferat proxime talem perfectionem. Quia tam ratio perfectionis, quam id, quod ex se, et ex suo conceptu expresso debet illam inferre, debet esse in ordine aut quasi ordine ad se. Et propterea licet esse *ad* secundum *esse* relativum reduplicative et formalissime sumptum, seu id, quod exprimit, concipiatur existens per existentiam absolutam, non affert proxime ex vi sui muneris relativi quoad id, quod exprimit aliquid perfectionis distinctum ab ipsa existentia absoluta; sed solum dicit expresse perfectionem ipsius existentiæ, seu ipsam existentiam, quæ est proxima ratio suæ propriæ perfectionis.

Cæterum res absolutæ, quia sunt in ordine ad se, propterea licet dicant etiam perfectionem existentiæ : attamen ipsamet connotando existentiam habent, unde etiam ratione suæ essentiæ dicant perfectionem distinctam ab ipsa perfectione existentiæ, sintque proxima ratio, tum perfectionis, tum existentiæ, et ea mediante, perfectionis ejusdem existentiæ. Per quod etiam, et per id, quod num. 31 diximus, satis constat ad confirmationem.

§ XV.

Fundamentum postremum pro contraria sententia, et enodatio illius.

Ultimum fundamentum ejusdem sententiæ est. Quoniam ratio boni et perfecti nihil est aliud, quam ratio entis ut convenientis et consonæ rei, quæ bona et perfecta dicitur : siquidem per hoc, quod aliquid habeat id, quod est sibi conveniens et consonum, dicitur esse perfectum : sed relatio personalis, ut dicit esse *ad* relativum, est quid conveniens et consonum personæ per illam constitutæ : ergo secundum hanc rationem erit bona et perfecta. Minor probatur. Quia secundum hanc rationem constituit personam divinam in esse personæ distinctæ ab alia persona : id autem, quod constituit, et distinguit rem, est illi consonum et conveniens : quandoquidem nihil potest esse rei magis consonum, magisque conveniens, quam suum proprium constitutivum, et distinctivum. 87. Ultimum fundamentum.

Confirmatur primo. Quoniam relatio personalis, v. g. Patris, secundum suum esse *ad* constituit connaturalissime personam Patris : ergo ut sic est illi, non utcunque conveniens, sed convenientissima et connaturalissima : ac proinde erit maximum bonum et perfectio ejus. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam relatio personalis Patris non est quomodocunque conveniens Patri, sed est ei conveniens per convenientiam distinctam virtualiter ab ea per quam est illi conveniens sua essentia : ergo secundum *esse* relativum, et non ratione essentiæ, dicet prædictam convenientiam : et per consequens etiam dicet perfectionem distinctam, hancque relativam. Hæc secunda consequentia satis liquet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam si non diceret perfectionem et convenientiam ratione ipsius esse *ad*, seu (quod in idem quoad præsens redit) ratione illius, quod Confirmatur secundo.

quod exprimit secundum *esse* relativum, sed ratione essentiæ inclusæ, tunc hæc convenientia non esset convenientia et perfectio virtualiter distincta a convenientia et perfectione essentiæ ; ergo, si est distincta ab illa, proveniet ab *esse* relativo ut tali, seu reduplicative secundum id, quod exprimit, concepto.

Antecedens autem videtur certum. Quoniam convenientia, qua relatio Paternitatis secundum suum *esse* relativum reduplicative, et secundum id, quod exprimit, sumptum, est conveniens Patri, est convenientia per modum alicujus relativi estque convenientia in ordine ad constituendam personam in *esse* relativo : cum tamen convenientia, qua essentia, ut inclusa in Paternitate, est conveniens Patri, sit convenientia per modum alicujus absoluti, et in ordine ad constituendum Patrem in ordine ad se.

88. Fit satis ultimo fundamento. Respondetur ex jam dictis, concedendo majorem, juxta ea tamen, quæ num. 29 diximus, et negando minorem, si intelligatur (ut debet intelligi ad hoc, ut sit ad rem) de relatione personali quoad *esse* relativum secundum id, quod exprimit in ratione relativi, seu ratione ejus, quod dicit præcise intra suam lineam. Nam secundum istam rationem præscindit expresse a ratione convenientiæ et consonantiæ cum re, quam constituit : licet ratione ejus, quod implicite dicit, nempe, ratione essentiæ inclusæ, dicat hanc convenientiam, et quod sit consona personæ constitutæ : quia, ut sæpius in hoc dubio, maxime vero num. 32 diximus, esse aliquid consonum et conveniens, quatenus requiritur ad rationem perfecti et boni, concipitur in ordine ad se, seu in ordine ad subjectum, cui consonum dicitur, ita ut in eo sistat, saltem tanquam in ratione formali proxima, seu tanquam in objecto formali proximo per se inspecto, indeque specificetur, aut quasi specificetur.

Quare cum relatio personalis ratione ejus, quod exprimit, ut dicit *esse* relativum, non dicat expresse ordinem ad subjectum, seu personam constitutam sistendo ibi, modo dicto, sed ordinem ad terminum ; et licet respiciat personam constitutam, habet id per ordinem ad terminum : idcirco ex hoc, quod secundum istam rationem exprimit, non dicit perfectionem, nec aliquid, quod secundum id, quod ibidem exprimitur, sit ratio proxima perfectionis, et convenientiæ requisitæ ad illam ; sed tantum id habet ratione impliciti, quod est in ordine ad se, nempe, ratione essentiæ.

Ex quo ad probationem ejusdem minoris satis constat. Nam etsi id, quod constituit debeat esse conveniens : non tamen est necesse in relativis, quod ex eodem capite, ex quo expresse constituunt relative, habeant exprimere hoc, quod est, esse convenientia, qualiter requiritur ad rationem perfectionis, seu (quod in idem quoad præsens redit) esse absolute et simpliciter, ac proprie loquendo convenientia et consona rei constitutæ, licet tale constitutivum debeat implicite hoc ipsum ratione alicujus inclusi, aut infallibiter cum eo connexi afferre. Et ratio est jam tacta, nempe, quod habent expresse constituere ex expresso conceptu relativo, seu ex conceptu respiciendi terminum, et habent expresse esse convenientia et consona ex expresso conceptu recipiendi, aut quasi respiciendi subjectum sistendo ibi. Et ita ille conceptus expressus respiciendi terminum præscindit quoad esse expressum a ratione convenientiæ, vel disconvenientiæ ; licet ratione ejus, quod includit, debeat necessario esse conveniens, vel disconveniens ; imo debeat necessario esse valde illi conveniens. 89.

Unde, constitutivum personæ divinæ, si adæquate sumatur, debet ultra naturam divinam sub conceptu naturæ, quam connotat, dicere *esse* relativum includens *esse* absolutum essentiæ divinæ per modum transcendentis : ac proinde debet constituere personam divinam aliquo modo in ordine ad se, et aliquo modo in ordine ad aliud : ita ut primum illud habeat ratione essentiæ, ut habet rationem transcendentis, et hoc secundum conveniat illi ratione *esse* relativi ut talis expresse concepti : atque adeo ratione hujus præscindat expresse a ratione convenientiæ, et implicite dicat illam ratione essentiæ per modum transcendentis ibidem inclusæ.

Ad primam confirmationem constat ex nuper dictis, quomodo etsi relatio Paternitatis constituat connaturalissime personam Patris ; tamen aliunde habet illam præcise constituere, et aliunde constituere illam connaturalissime. Nam ex esse *ad* secundum *esse* relativum, quod exprimit, habet expresse constituere ; et ex vi hujus conceptus expressi præscindit quoad *esse* expressum a modo constituendi, nempe, a con- 90. Solutio ad primam confirmationem.

naturalitate; licet implicite illum dicat. Cæterum ab essentia per modum transcendentis ibidem inclusa habet connaturalissime. Quia, ut dicebamus, constitutio sub conceptu puro et expresso constitutionis est constitutio relativa, idest, constitutio, quæ est in ordine ad terminum, ab illoque quasi specificatur : et propterea potest provenire ab aliquo munere relativo ut tali. Cæterum connaturalitas sumitur per ordinem, aut quasi ordinem ad subjectum, ita ut hoc sit quasi prima ejus mensura : et propterea est quid absolutum, debetque provenire ab aliqua ratione absoluta ibidem inclusa.

91. Nec mirum videri debet, quod constitutio personæ, et connaturalitas ejus ex distinctis capitibus, aut rationibus proveniant. Sicut nec mirandum est, quod receptio gratiæ sanctificantis (exempli causa) et receptio ejus connaturalis, aut quasi connaturalis, procedat ex distinctis capitibus : et similiter receptio formæ substantialis, et receptio connaturalis ejus ex diversis etiam causis ortum ducant. Nam receptio gratiæ in anima tantum petit animam ipsam per modum subjecti, cum tamen receptio ejus connaturalis, aut quasi connaturalis petat dispositionem peculiarem, nempe, dilectionem Dei super omnia nec non actum contritionis in iis, qui labe peccati coinquinati sunt, et extra sacramentum ab illa mundantur : et pari ratione receptio formæ substantialis in materia prima tantum exigit ex parte subjecti eandem primam materiam, cum tamen receptio connaturalis illius exigat dispositiones et eo modo, quem nostri Complutenses in lib. de Generat. disput. 2 num. 104 latius dicunt. Et ideo receptio illa in eo priori, in quo antecedit se ipsam ut connaturalem, consideraturque præcise ut receptio, præscindit a connaturalitate et non connaturalitate, et tantum exprimit receptionem ipsam absolute, non curando ex vi hujus conceptus expressi secundum id præcise, quod exprimit, an illa receptio sit connaturalis.

N. Compl.

Pari ergo ratione (proportione servata) in præsenti philosophandum est. Ita tamen, ut illud esse *ad* secundum id, quod exprimit de *esse* relativo, et intra lineam relativam formalissime contentum, si adæquate sumatur, debeat concipi expresse, ut petens illud implicitum, a quo provenit proxime talis connaturalitas, et perfectio. Sicut gratia sanctificans, et forma substantialis in illo priori, in quo concipiuntur ut receptæ, non curando de formali connaturalitate, debent, si considerentur adæquate, ut præcedunt se ipsas, quatenus habent formalissime esse connaturaliter receptas, concipi, ut petentes connaturales dispositiones, a quibus habent formalissime, quod sint connaturaliter receptæ.

Ex quo etiam ad secundam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, aliud esse, an id, quod redditur, et denominatur conveniens, sit quid relativum, an vero convenientia ipsa sit relativa. Etsi ergo relatio personalis, ut constitutiva Patris secundum suum esse *ad*, exprimat *esse* relativum, et hæc eadem quoad hoc *esse* relativum denominetur, et reddatur conveniens Patri : non tamen id, a quo habet esse conveniens, est quid relativum *secundum esse*, sed est ipsa essentia divina, ut ubi per modum transcendentis inclusa. Quia, ut sæpe diximus, ratio convenientiæ et consonantiæ cum subjecto, aut quasi subjecto, est in ordine ad se et propterea debet provenire ab aliquo absoluto, quamvis id, quod denominatur conveniens a convenientia ista absoluta, aliquando sit conceptus relativus, idest, cujus ratio, sive implicite, sive explicite desumitur per ordinem ad correlativum; aliquando vero sit quid absolutum. 92. Ad secundam confirmationem.

Possuntque omnia ista explicari, et confirmari duplici exemplo. Primum est relationis creatæ, v. g. paternitatis, quæ ex expresso conceptu *ad*, seu ex expresso conceptu relativo non exprimit ordinem ad subjectum sistendo ibi : atque adeo nec rationem convenientis respectu illius, nec connaturalitatem, aut non connaturalitatem, nec tandem distinctam rationem convenientiæ : quia ex vi hujus muneris tantum habet ea, quæ vel explicite, vel implicite habent suam rationem per ordinem ad correlativum, nempe filium. Et ita omnia ista conveniunt ei ratione *in* absoluti, quod habet intime annexum, denominantque ipsum esse *ad* relativum prædictæ relationis creatæ. Quare, cum in divinis huic *in* absoluto correspondeat essentia divina, adhuc intimius in relationibus divinis per modum transcendentis inclusa, oportet, ut id prædicta essentia his relationibus præstet, quod in creaturis præstat *in* absolutum, ratione cujus respiciunt subjectum, et habent munera jam dicta. 93. Explicantur omnia prædicta duobus exemplis.

Secundum vero exemplum est ejusdem relationis divinæ, ut existentis. Nam etsi illud

illud esse *ad* quoad id, quod exprimit relativum, denominetur, et sit vere existens, et id, quod suscipit hanc denominationem, sit ratio relativa, et ita existat per modum alicujus rationis relativæ : similiterque ipsa essentia divina quoad suam rationem absolutam denominetur, et sit vere existens, et existat per modum rationis absolutæ : nihilominus existentia utriusque, nimirum essentiæ divinæ, et relationis, a qua ambæ dicuntur existentes, est una et eadem, et in ambabus est quid absolutum, tribuitque relationi, ut existat per modum rationis relativæ, idest, quod illa sua ratio relativa respiciens terminum existat. Et similiter tribuit divinæ essentiæ, ut existat per modum rei absolutæ : quia, ut sequenti dubio dicemus, summa unitas per se reperta in divinis petit, ut etsi ea, quæ sunt in actu existendi, sint plura et diversa, ac proinde, quæ suscipiunt existentiam, sint virtualiter distincta : attamen ratio ipsa formalissima existendi, a qua omnia illa habent esse existentia, sit omnino una et eadem.

DISPUTATIO VII.

De divinis relationibus quoad esse *existentiæ, per quod existunt.*

Postquam explicuimus *an est* divinarum relationum, et plura ad *quid est* earundem spectantia, merito ad explicandum *esse* existentiæ, per quod existunt, devenimus : siquidem *esse* existentiæ intelligitur advenire post esse essentiæ, et ea, quæ ad illud pertinent.

DUBIUM UNICUM.

Utrum relationes divinæ existant per proprias existentias relativas, distinctas virtualiter ab existentia absoluta divinæ essentiæ? an vero solum habeant existere per existentiam absolutam ejusdem essentiæ?

1. S. Conc. l. Circa disputationem hanc, suppositis his quæ in 1 tomo tractatu 3 et illis, quæ a nostris Complutensibus in lib. Physicorum disput. 3 quæst. 5 dicta sunt, solum superest examinare id quod in titulo hujus dubii inquirimus : et propterea in hac disputatione unicum tantum dubium excitamus.

§ I.

Explicatio tituli.

In titulo aliquid ut certum supponimus, et aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim, divinam essentiam, ut præintellectam personis, atque adeo relationibus, existere per suam propriam existentiam absolutam. Tum, quia id sufficienter constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disput. 4 dub. 1 et 2. et tractatu 4 disput. 2 nu. 34 diximus. Tum etiam, quia id videtur satis colligi ex illo Exodi 3 : *Ego sum qui sum. Qui est, misit me ad vos.* Et ex illo Job 14 : *Nonne tu, qui solus es?* Et Apocalypsis 1 : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.* In quibus locis innuitur, existentiam esse propriam Dei ut Deus, et unus est : ac proinde esse propriam illius, ut præintelligitur personis : id quod ex istis locis colligunt Patres, ut Dionysius cap. 1 de Divinis nominibus, Augustinus lib. 3 contra Maximinum cap. 26, Rupertus lib. 1 in Exodum cap. 14, D. Thomas 1 p. q. 3 art. 4 et q. 13 art. 11 et q. 2 de Potentia, art. 1, Athanasius, Hilarius, Chrysostomus, Basilius, Greg. Nyssenus, Ambrosius, Hieronym. Damascenus, Bernard. relati a Suarez tomo. 1 in 3 p. disp. 11 sect 1. 2 Elucidatur titulus. Exodi 3. Job. 14. Apoc. 1. Dionys. August. Rupertus. D.Thom. Hilarius. Chrysost. Greg. Nys. Ambros. Hieron. Damasc. Bernard. Suarez.

Tum deinde. Quia Deus, ut præintelligitur personis, est intelligens, et volens : ac proinde existens per propriam existentiam absolutam : siquidem id, quod non est actu existens in aliquo priori, nequit in illo intelligere, aut velle. Tum denique, quia antequam personæ intelligantur advenire, debet Deus concipi ut æternus, et immutabilis. Et propterea Deus ut unus habet, quod sit æternus, et immutabilis. Et ob hanc etiam rationem æternitas in divinis non multiplicatur : sicut neque alia, quæ ad Deum ut unum spectant, juxta illud Symboli Athanasii : *Non tres æterni; sed unus æternus.* Constat autem, æternitatem, et immutabilitatem supponere *esse* existentiæ : siquidem duratio supponit *esse* rei durantis, ut in creaturis cernitur. Symbol. Athanasii.

Nec obest si dicas, quod existentia est ultima rei actualitas : et ita nequibit convenire Deo ut præintellecto relationibus; sed postquam concipitur habere illas : ac proinde talis existentia nequibit esse abso- 3. Objectio.

luta, sed relativa : cum absoluta debeant in divinis esse priora relativis.

Solutio. Non itaque hoc obest. Quoniam cum dicitur, quod existentia est ultima actualitas, tantum denotatur, tum ejus magna actualitas, ratione cujus se habet per modum actus (modo tamen alibi tacto) respectu omnium aliarum formalitatum, ut per illam existentium : Tum etiam, quod facta collatione inter ea, quæ pertinent ad lineam alicujus rationis formalis, et ipsam existentiam, tunc id, quod ultimo loco advenit, vel advenire intelligitur, est ipsa existentia, non tamen, quod facta collatione inter existentiam, et alia, quæ sunt extra lineam illius rationis formalis, a quibusque non habet, quod existat, tunc existentia, ut intelligitur tribuere illi rationi formali *esse* existentiæ, intelligatur advenire post illa : quin potius oppositum ex ipsis naturis rerum petitur. Et ideo si existentia, per quam res aliqua existit, pertineat ad ejus lineam, ut in divina essentia contingit, tunc facta collatione inter omnia illa, quæ ad ejus lineam pertinent, et inter ipsam existentiam, debet ipsa existentia concipi, ut ultimo loco (ex parte tamen nostri modi concipiendi, ex defectu distinctionis virtualis inter illa quæ in divinis ad unam et eamdem lineam pertinent) adveniens. Si vero existentia, per quam ratio aliqua formalis existit, non spectaverit ad ejus lineam, ex eo quod non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam alterius lineæ, tunc talis existentia intelligitur cum fundamento in re advenire post propria lineæ prædictæ rationis formalis.

Unde, quia relationes non spectant ad lineam divinæ naturæ, quæ est linea rei absolutæ, sed ad suas lineas relativas : idcirco non est contra rationem actualitatis ultimæ, quam importat existentia, quod conveniat Deo, ut præintelligitur relationibus ; sed potius ultima actualitas suæ existentiæ pertinens ad lineam talis naturæ hoc ipsum exigit. Et ideo semper manet certum illud, quod in titulo ut tale supponitur, nempe, dari in divinis existentiam absolutam propriam divinæ naturæ, seu Dei ut Dei, per quam, ut præintelligitur personis, sive relationibus divinis, existat.

4. Hoc autem ut certum supposito, vocamus in dubium, an relationes divinæ existant per hanc existentiam absolutam tantummodo, an vero existant per existentias relativas virtualiter distinctas ab hac existentia absoluta ? Quod quidem dubium alii aliis verbis excitant, an nimirum, præter absolutam existentiam divinæ essentiæ, dentur in divinis tres aliæ existentiæ relativæ realiter inter se, et solum virtualiter ab existentia essentiæ divinæ distinctæ.

Cæterum uterque inquirendi modus in idem redit. Nam in eo supponitur id, quod etiam in modo inquirendi in titulo proposito supposuimus, scilicet, dari in Deo existentiam absolutam propriam divinæ essentiæ : et deinde in dubium vocatur id, quod nos etiam in dubium vocavimus. Nam hoc ipso, quod relationes existant per suas existentias relativas, oportet, tum, quod sicut relationes realiter multiplicantur, ita et existentiæ : siquidem istæ sunt relativæ, ac proinde debent habere realem oppositionem relativam inter se. Tum etiam, quod prædictæ existentiæ, licet sint realiter distinctæ inter se, nihilominus solum virtualiter distinguantur ab essentia : eo proportionali modo, quo, licet relationes habeant distingui inter se realiter, nihilominus sola diversitas virtualis inter illas, et essentiam intercedit. Et similiter e converso hoc ipso, quod dentur prædictæ existentiæ relativæ inter se realiter diversæ, et solum virtualiter ab essentia distinctæ, debent relationes divinæ existere per suas existentias relativas virtualiter ab existentia absoluta divinæ essentiæ distinctas.

§ II.

Ex mente Angelici Doctoris dubii nodus dissolvitur.

Dicendum ergo est relationes divinas non existere per proprias existentias relativas distinctas virtualiter ab existentia absoluta divinæ essentiæ ; sed solum existere per prædictam existentiam absolutam : ac proinde non dari in divinis tres existentias relativas realiter inter se, et virtualiter ab existentia essentiæ distinctas: sed unicam tantummodo existentiam absolutam divinæ essentiæ. Assertio hæc satis efficaciter videtur colligi ex illo Athanasii : *Non tres æterni, sed unus æternus. Sicut non tres increati, etc. Sed unus increatus*, ut § sequenti dicemus. Eamque tuetur D. Thomas in hoc articulo in fine corporis, ubi sic concludit : ***Patet ergo, quod in Deo non est aliud esse relationis, et esse essentiæ, sed unum et idem.*** In quibus verbis non loquitur Angelicus Doctor de *esse* (si sic loqui licet)

5. Resolutio dubii.

Probatur ex Symbolo Athanasii. D.Thom.

licet) essentiæ relationis, seu de ratione formali relationis, quæ per ejus quasi diffinitionem explicatur, sed de *esse* existentiæ, tam illius, quam essentiæ divinæ : et de hoc *esse* dixit, non esse aliud *esse* divinæ essentiæ et *esse* relationis, nulla facta mentione distinctionis secundum rationem versantis inter illas : ut per hoc innueret, prædictum *esse* existentiæ, per quod existunt relationes divinæ, ita esse idem cum *esse* existentiæ divinæ essentiæ, ut non distinguatur secundum rationem, sive virtualiter ab illo, sed sit omnino idem cum ipso : ac proinde non sit *esse* existentiæ relativum, sed *esse* existentiæ absolutum divinæ essentiæ.

Sicut e contrario loquens ibidem S. Doctor de *esse* (ut sic dicamus) essentiæ relationis, et divinæ essentiæ, tunc, quia unum illorum est relativum, et aliud absolutum, idcirco, licet meminerit identitatis realis versantis inter eas, nihilominus non prætermisit distinctionem secundum intelligentiæ rationem, qua distinguuntur, et ita ait : *In hoc vero, quod aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, et non differt, nisi secundum intelligentiæ rationem prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur nomine essentiæ.*

6. D Thom. Congruitque hæc explicatio cum eo, quod D. Thomas in verbis antecedentibus ad verba nuper relata inter alia intendebat, dum dixit : *Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens.* Nam intentum Angelici Doctoris saltem inter alia, est, quod sicut in creaturis relatio ex ea parte, qua existit, habet existere in ordine ad subjectum, ac proinde per *esse* absolutum (ut ex eodem S. Doctore in hoc dubio dicemus) : cum tamen ex ea parte, qua dicit *esse* (ut sic dicamus) essentiæ relationis, non sit per ordinem ad subjectum, sed per ordinem ad terminum : et ideo dicit *esse* (si sic licet loqui) essentiæ relativum. Ita relatio divina, ut correspondet relationi creatæ quatenus existenti existit per *esse* absolutum divinæ essentiæ : et ut habet correspondere eidem relationi creatæ secundum sua essentialia, dicit *esse* relativum, ac proinde distinctum secundum rationem ab essentia divina : licet realiter cum ea identificetur. Et ex hoc idem S. Doctor in fine corporis concludit id, quod ex illo dicebamus, scilicet, quod *esse* existentiæ relationis, et divinæ essentiæ est unum, nulla facta mentione distinctionis secundum rationem, ex eo quod ibi tantum est *esse* existentiæ absolutum divinæ essentiæ.

Idem etiam docuit S. Doctor de Potentia quæst. 9, art. 5, ad 19 ubi sic ait : *Dicendum, quod nullo modo concedendum est, quod in divinis sit, nisi unum esse : cum esse semper ad essentiam pertineat, et præcipue in Deo, cujus esse est sua essentia. Relationes autem, quæ distinguunt supposita in divinis, non addunt aliud esse super esse essentiæ ; quia non faciunt compositionem cum essentia, ut dictum est. Omnis autem forma addens aliquod esse super esse substantiale facit compositionem cum substantia, et ipsum esse est accidentale : sicut esse albi, et nigri. Diversitas ergo secundum esse sequitur pluralitatem suppositorum : sicut et diversitas essentiæ in rebus creatis. Neutrum autem in divinis.* 7.

Et similiter q. 2, art. 6, sic ait : *Non est concedendum, quod aliquid absolutum in divinis multiplicetur : sicut quidam dicunt, quod in divinis est duplex esse, essentiale, et personale. Omne enim esse in divinis essentiale est : nec persona est, nisi per esse essentiæ.*

Et q. 8. art 2 ad 11 his verbis : *Dicendum, quod in divinis nullo modo est esse nisi essentiæ : sicut nec intelligere, nisi intellectus. Et propter hoc, sicut in Deo est tantum unum intelligere : ita etiam unum esse. Et ideo nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in divinis, et aliud essentiæ.*

Et de Veritate q. 1, art. 5, ad 18 sic inquit : *Quamvis autem in divinis ponantur plures personæ, vel proprietates, non tamen ibi ponitur, nisi unum esse : quia esse in divinis nonnisi essentialiter dicitur.*

Idem etiam docuit Sanctissimus Præceptor, 3 p. q. 17 art. 2 ad 3 his verbis : 8. *Dicendum, quod sicut 1 p. dictum est, quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud esse personæ, præter esse naturæ, et ideo tres personæ non habent, nisi unum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, et aliud esse naturæ.* Ubi aperte loquitur de *esse* existentiæ : quia de hoc *esse* procedebat difficultas argumenti, et illius articuli, ut intuenti constabit.

Et hoc ipsum optime explicuit, et docuit idem D. Thomas Quodlibeto 12 art 1 ubi cum inquisisset : *Utrum in Deo sit tantum unum esse*, sic respondet : *Dicendum, quod veritas fidei habet quod in divinis solum est distinctio, quæ est secundum relationes oppositas. Relatio autem, sicut et quælibet forma, habet esse ex comparatione ad illud, cui inest. Unde esse filiationis est per comparationem ad subjectum, cui inest. Relatio autem in divinis non distinguitur ab eo, cui inest, vel in quo est : quia est ipsa res, quæ refertur ; sed distinguitur solum ex parte ejus, cui opponitur : et ex hac parte non desideratur esse relationis, sed distinctio et oppositio ejus. Et ideo est in Deo unum tantum esse scilicet essentiale.* Et tandem idem D. Thomas hanc eamdem assertionem docuit in 2 dist. 1 q. 1 art. 2, in 1 dist. 33 q. 1 art. 1 ad 1, et ad Annibaldum ibidem, et infra q. 39 art. 3 q. 40 art. 2 ad 2 et alibi sæpe.

9. Effugium Suarez et Arrubalis ad testimonia D. Thomæ. Confirmat Arrubal ratione. Unde interpretatio Francisci Suarez, et Arrubalis, loco infra in hoc dubio referendo, dicentium, D. Thomam solum velle, quod *esse* essentiale Dei sit unicum ; non tamen negare triplex *esse* existentiæ personale, seu relativum, non est legitima ; sed aperte cum Angelici Doctoris mente pugnat. Sicut etiam non est alicujus momenti ratio, quam Arrubal, ad probandum prædictam interpretationem esse juxta mentem D. Thomæ adducit, nempe, quod nomine *esse* absoluti, et simpliciter dicti, de quo Angelicus Doctor loquitur, non intelligitur, nisi *esse* essentiale, et absolutum : ex eo quod *esse* existentiæ relativum tantum est esse existentiæ cum addito, scilicet, *esse* relativum. Et ideo non negat, dari hoc triplex *esse* cum addito, scilicet, triplex *esse* relativum, sed tantum triplex *esse* absolutum, et essentiale, quod tantum est *esse* absolute et simpliciter, ac sine addito tale.

Præcluditur effugium. Ex dictis igitur in primis constat, interpretationem hanc non esse legitimam, sed menti S. Doctoris adversam. Siquidem Angelicus Doctor in locis relatis docet, tum, quod *esse* existentiæ relationis, et essentiæ non distinguuntur, adhuc secundum rationem, ut in expensione primi testimonii dicebamus. Si autem admitteret *esse* existentiæ relativum, adstrueret, illud distingui secundum rationem ab *esse* existentiæ divinæ essentiæ. Tum etiam, non dari aliquod *esse* existentiæ, quod non sit absolutum : et quod *esse* existentiæ in Deo non multiplicatur : ac proinde non solum admittit unicum *esse* essentiæ divinæ ; sed negat, ultra illud *esse*, aliquod *esse* existentiæ relativum, per quo existant relationes, ut in locis citatis videre licet.

10. Evanescit ratio P. Arrubal et enucleantur test. D.Tho. Et similiter ex supra dictis, et expensione testimoniorum nuper adducta, etiam liquet, rationem Arrubalis non esse alicujus momenti. Quoniam S. Doctor, dum negat triplex *esse* in divinis, non solum loquitur de *esse* existentiæ absoluto, et essentiali, quod Arrubal nuncupat *esse* existentiæ absolute et simpliciter tale, sed etiam de *esse* existentiæ relativo, quod dicitur *esse* cum addito, scilicet, *esse* relativum. Tum, quia divus Thomas non solum negat absolute et simpliciter triplex *esse* existentiæ in divinis, sed addit, nullo modo concedendum esse in divinis triplex *esse*, non minus, ac non est concedendum aliqua ratione triplex *intelligere* : et ideo nullo modo asserendum esse, quod sit aliud *esse* divinæ relationis, et divinæ essentiæ, ut constat ex loco citato ex q. 8 de Veritate. Quare, sicut nulla ratione potest in sententia D. Thomæ admitti triplex *intelligere*, adhuc relativum : sic nec triplex *esse*, etiam relativum.

D.Thom. Tum etiam. Quia S. Doctor loco relato ex quæst. 2 de Potentia refert opinionem eorum, qui multiplex *esse* Deo tribuunt : et hac impugnata, concludit, non esse concedendum duplex *esse*, scilicet essentiale, et personale. Constat autem, *esse* personale, si semel est distinctum ab *esse* essentiali, non posse esse aliud præter *esse* relativum personæ. Quod etiam repetit loco adducto ex 3 parte.

Tum deinde. Quoniam ideo sanctissimus Præceptor negat triplex *esse* in divinis, quia alioqui aliud faceret compositionem, et non qualemcumque, sed accidentalem, ut constat ex testimonio relato ex quæst. 9 de potentia : at *esse*, secundum quod sit hæc compositio, non debet esse aliquod *esse* simpliciter, sed *esse* cum addito, scilicet accidentale, et (quoad præsens attinet) relativum : quia hoc solummodo *esse* facit prædictam compositionem : ergo *esse*, quod ibi D. Thomas a Deo rejicit, est *esse*, cum addito.

Tum denique. Quia D. Thomas in verbis adductis ex Quolibeto 12 inquit, relationes divinas, sicut et quamlibet aliam formam, non existere per comparationem ad terminum, sed per comparationem ad subjectum, aut quasi subjectum : ac proinde denegat

denegat illi existentiam cum addito, scilicet relativam, quæ, si daretur, deberet esse per comparationem ad terminum.

11. Roborantur hæc omnia eleganti test. D.Thom.

Quæ omnia confirmari possunt eleganti testimonio D. Thomæ in 1 dist. 33 quæstione 1 art. 1 ad 1 ubi relationi, adhuc creatæ, non tribuit proprium *esse*, quod sit relativum, et per ordinem ad terminum, sed *esse* absolutum, et per comparationem ad subjectum : et ita inquit : *Dico igitur, quod cum dicitur, ad aliquid sunt, quorum esse, etc. intelligitur de esse, quod est quidditas rei, quæ diffinitione significatur, quia ipsa natura relationis, per quam constituitur in tali genere, est ad aliud referri. Et non intelligitur de esse, quod est actus essentiæ. Hoc enim esse habet relatio ex his, quæ causant ipsam in subjecto, secundum quod esse non refertur ad aliud, sed ad subjectum, sicut et quodlibet accidens.*

Quod etiam docuit sanctissimus Præceptor in eadem distinctione ad Annibaldum quæst. unica art. 1 ad 2 ubi cum sibi sic objecisset : *Quæcunque sunt idem, eorum est unum esse : sed esse relationis est ad aliud se habere, secundum Philosophum in prædicamentis. Ergo si proprietas relativa est idem, quod divina essentia, oportebit, quod esse divinæ essentiæ sit ad aliud se habere : et sic haberet esse imperfectissimum.* Cum igitur sic sibi objecisset, respondet in hæc verba : *Dicendum, quod in diffinitione Philosophi, esse non sumitur pro actu essendi, sed pro ratione entis : prout dicitur, quod diffinitio est oratio significans quid est esse. Et sic esse, idest relationis ratio, in divinis est ad aliud se habere, quamvis esse suum in divinis non sit aliquid, quam esse essentiæ.*

12. Capreol. Durandus. Deza Cajetan. Ledesma. Bannez. Nazar. Vasquez. Becanus. Fonseca. Granado. Augustin. Hieron. Damasc.

Unde hanc sententiam sequuntur Capreolus in 1 dist. 26 q. 1 ad 4 Aureoli secundo loco contra tertiam conclus. et dist. 33 q. 1 ad 5 et in 3 dist. 1 q, ad 2 contra secundam conclus. et dist. 5 q. 2 ad 4, Durandus in 3 ist. 1 q. 2, Deza in 1 dist. 33 q. 1 art. 3 notabili 4 et dist. 29 q. unica art. 3. notabili 1, Cajetanus in hoc art. § *Corollarium est*, Ledesma de Perfectione Dei q. 3 conclus. 4, Bannez infra q. 29 art. 3 et q. 40 artic. 4, Nazarius in expositione textus articuli præsentis, Vasquez disput. 126. cap. 2, Becanus c. 3 de personis. Fonseca tom. 2 Metaphysicæ lib. 5 c. 8 q 5 sect. 9, Granado tom. 3 in 1 p. tract. 5 disp. 1 sect. 5 num. 21. Et hoc ipsum communiter tuentur discipuli D. Thomæ. Ac tandem Vasquez loco citato c. 2 pro hac assertione refert Augustinum, Hieronymum, et Damascenum.

§ III.

Mens Angelici Doctoris, et nostra ratione fundamentali fulcitur.

13. Ratio prima et fundamentalis. Symbolum Athan. D.Thom.

Prior ergo, et satis fundamentalis ratio pro assertione desumitur ex illo Athanasii : *Non tres æterni, sed unus æternus. Sicut non tres increati, etc. sed unus increatus.* Et ex D. Th. loco citato ex q. 39 hujus 1 p. art. 3 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in divinis non debent dari tres æternitates, aut tres formæ, aut quasi formæ, ratione quarum dentur tres increati : sed si relationes divinæ existerent per suas existentias relativas, darentur tres durationes in divinis, seu tres æternitates, tresque formæ, ratione quarum admittendi etiam essent tres increati : ergo prædictæ relationes nequeunt existere per suas existentias relativas, sed solum per unicam et eandem existentiam absolutam divinæ essentiæ. Consequentia est legitima. Major vero etiam est perspicua. Quia si darentur tres æternitates in divinis, aut tres formæ, aut quasi formæ, ratione quarum darentur etiam tres increati, tunc non esset verum illud Symboli Athanasii : *Non tres æterni ; sed unus æternus. Sicut non tres increati, etc.* Quoniam in eo eventu multiplicarentur supposita habentia æternitates illas, (Symbolum Athan.) et prædictas formas, aut quasi formas, nec non et ipsæ æternitates, ac formæ : quod est satis, juxta communem et receptissimam regulam Theologorum, ad multiplicationem horum nominum substantivorum, nempe, *æterni*, et *increati*, aliorumque similium : ac proinde non esset verum dictum illud Athanasii, cujus sensus tantum est, quod non dentur tres æterni, aut tres increati substantive.

Minor vero quoad primam partem, nempe, quod in eo eventu darentur tres æternitates, videtur certa. Quia cum unaquæque ex illis relationibus, ut existentibus per suas proprias existentias relativas, haberet suam propriam permanentiam et continuationem in suo *esse*, gauderet etiam sua propria duratione : siquidem duratio rei nihil est aliud, quam permanentia, et continuatio rei in suo *esse*. Cumque quævis duratio in divinis reperta sit æternitas, quæ sola est duratio eorum, quæ sunt in

Deo, oporteret dari tres æternitates realiter distinctas : sicut dantur tres relationes personales eodem modo distinctæ.

Quoad secundam vero partem nimirum, tunc admittendas esse tres formas, aut quasi formas, ratione quarum darentur tres increati, satis etiam liquet. Nam cum quævis ex illis tribus relationibus haberet suum proprium *esse* existentiæ relativum, et non acciperet hoc triplex *esse* ab alio, ut a causa efficienti, sed illud haberet a se prout esse a se excludit dependentiam ab alio ut a causa : fieret inde, ut darentur tres quasi formæ, ratione quarum essent admittendi tres increati. Siquidem ideo etiam Deitas est quædam quasi forma, ratione cujus Deus dicitur increatus, quia Deus ratione illius affert proprium *esse*, et hoc *esse* non habet ab alio ut a causa. Quemadmodum e contra creaturæ idcirco dicuntur creatæ, et earum naturæ sunt formæ, aut quasi formæ, ratione quarum habent esse creatas, quia ratione illarum habent esse ab alio tanquam a causa.

§ IV.

Evasio Francisci Suarēz, et præclusio illius.

15. Evasio P. Suarez. Occurit primo Suarez lib. 3 de Trinitate c. 11 num. 6 et tomo 1 in 3 part. disput 11 sectione 11 dicens : hinc non sequi, dandas esse tres æternitates : quia æternitas est attributum absolutum Dei ; sed dandas esse, ultra æternitatem, tres durationes relativas, quæ formalissime loquendo non sint æternitates : hoc autem nullum est inconveniens : quemadmodum nec inconvenit dari tres rationes formales relativas, et actuales seu existentes. Potestque explicari ex eodem Suarez, quomodo hæc durationes non sint tres æternitates : ex eo quod non pertingunt ad tantam perfectionem, quantam petit æternitas : et ob id non sunt mensuræ divinæ essentiæ, sicut æternitas, sed tantum divinarum relationum non pertingentium ad perfectionem divinæ essentiæ.

Sicut etiam ex ratione facta non sequitur, dandos esse in divinis tres increatos substantive, aut tres quasi formas, ratione quarum tres increati, modo dicto, sint admittendi. Quia increatum substantive, et forma, aut quasi forma constituens illud dicit id, quod se ipso positive habet complete et formaliter non esse ab alio tanquam a causa efficienti : cum tamen divinæ relationes hoc non habeant a se, et ex vi suæ lineæ una cum suis existentiis relativis sumptæ, sed ex se tantum habeant quamdam non repugnantiam ad hoc, ut ratione divinæ essentiæ, et per identificationem cum ea non sint ab alio tanquam a causa : ac proinde sola divina essentia, quæ immultiplicabilis est in divinis, est forma, aut quasi forma, ratione cujus ipsa, et concretum proprium illius, nempe Deus, nec non et omnia alia divina, ut cum ea identificata, habent esse increata.

Cæterum hæc evasio insufficiens est; nam in primis falsum est id, quod in priori parte ejus dicitur, nempe, ex ratione facta ex D. Thoma non sequi, dandas esse in divinis tres æternitates : nec oppositum hujus potest defendi juxta oppositam sententiam et solutionem datam, nisi committendo manifestam petitionem principii. Siquidem in ea supponitur, æternitatem esse attributum Dei, gaudereque propria ratione formali absoluta : ac proinde esse immultiplicabilem : cum tamen hoc sit, in quo est præcipua difficultas hujus dubii. 16. Impugnatur primo quoad priorem partem.

Fietque magis manifestum, quomodo in opposita sententia, et solutione data committatur petitio principii, si attendatur, quod in probatione minoris adductæ in ratione Angelici Doctoris sit vis in hoc, quod quælibet duratio inventa in Deo est æternitas : ergo si sunt tres durationes, quamvis relativæ, erunt etiam tres æternitas similiter relativæ. Et nihilominus nihil aliud juxta hanc solutionem respondetur, nisi quod æternitas est quid absolutum, duratio vero abstrahit ab absoluto, et relativo. Cum tamen de hoc, ut nuper dicebamus, sit præcipua difficultas, quomodo possit cohærere cum illo Symboli Athanasii.

Deinde. Quia non possunt hæc duo inter se cohærere, nimirum, dari in divinis tres durationes relativas, et non dari eodem modo tres æternitates. Hoc autem sic ostenditur. Nam, ut docet D. Thomas supra quæst. 10 art. 5 et nostri Complutenses in lib. Physicorum disput 21 quæst. 2 optime expendunt, durationes non distinguuntur, aut multiplicantur, nisi secundum diversos gradus mutabilitatis : sed hoc ipso, quod darentur tres durationes relativæ in divinis, haberent eundem gradum immutabilitatis, quem habet æternitas : ergo quælibet ex illis esset æternitas : ac proinde eo ipso darentur tres æternitates relativæ. 17. Secundo. D.Thom. N. Compl.

relativæ. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Prior vero ex utraque præmissa. Minor autem etiam liquet. Quoniam quælibet ex illis durationibus afferret omnimodam immutabilitatem per exclusionem totius mutationis, et potentiæ ad illam, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ, quæ quidem immutabilitas est proprius gradus immutabilitatis requisitus ad æternitatem, et eam inferens. Et propterea Angelicus Doct. quæst. citata art. 2 et art. 3 hinc probat, Deum esse æternum, et esse proprium illius, quod sit æternus.

Major vero etiam constat. Quoniam duratio dicit permanentiam rei in *esse* : diversitas autem hujus permanentiæ, et multiplicatio illius secundum speciem non potest aliunde desumi, nisi ex diversis gradibus mutabilitatis, vel immutabilitatis. Siquidem juxta hos diversos gradus habent res diversos modos, diversosque gradus permanendi in suo *esse*.

18. Confirmatur primo. N. Compl. D. Thom. Confirmatur. Quoniam, ut D. Thomas q. nuper citata docet, et nostri Complut. loco relato tradunt, et communiter docent Theologi, et Philosophi, duratio adæquate dividitur in æternitatem, tempus, et ævum : sed illæ durationes relativæ non haberent rationem temporis, aut ævi : ergo essent æternitates relativæ. Minor cum consequentia satis liquet. Major autem, prætterquam quod (ut dicebamus) est D. Thomæ, et communis inter Philosophos, et Theologos, nihilominus potest suaderi ex dictis. Quoniam tantum sunt tres gradus mutabilitatis, vel immutabilitatis, ex quibus potest oriri diversitas durationum, scilicet, mutabilitatis secundum *esse*, et operationem, et mutabilitatis secundum operationem, non vero secundum *esse*, ac tandem immutabilitatis omnimodæ, idest, tam secundum *esse*, quam secundum operationem, seu secundum omnia, quæ rei competunt, aut competere possunt, et tam per negationem potentiæ intrinsecæ, quam extrinsecæ ad mutationem. Cumque duo illi priores gradus sint proprii temporis, et ævi, et hic posterior æternitatis, fit inde, quod duratio adæquate dividatur in tempus, æternitatem, et ævum.

19. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam propriissima proprietas æternitatis est, quod ab intrinseco, et omnino necessario careat principio, et fine : sed tres illæ durationes relativæ debent ab intrinseco, et omnino necessario carere principio, et fine : ergo erunt tres æternitates. Maxime, quia carentia prædicta principii, et finis debet necessario fundari omnimoda immutabilitate, quæ necessario infert æternitatem : alioqui non esset ibidem omnino necessario, et ab intrinseco carentia principii, et finis in omnibus, quæ pertinent ad prædictas durationes, ut tales sunt.

Unde nihil obest id, quod ad explicandam hanc priorem partem suæ evasionis modo a nobis impugnatam adduximus ex Suarez, nempe, ideo has tres durationes non esse tres æternitates, quia non dicunt tantam perfectionem, quantam petit æternitas, et quia non sunt mensuræ divinæ essentiæ, longe superantis in nobilitate divinas relationes; sed mensurant prædictas relationes.

Ex dictis igitur constat, hoc non obesse. Quoniam contra primum horum obstat, quod perfectio, et nobilitas durationis, seu permanentia rei in *esse* debet desumi (loquendo præcise, et formaliter de perfectione intra propriam lineam) ex gradu mutabilitatis, vel immutabilitatis, ut ex nuper dictis constat; ergo cum tres istæ durationes haberent eumdem gradum immutabilitatis, quem habet æternitas, ut probatum est, consequens erit, ut haberent eandem perfectionem intra propriam lineam, quam petit æternitas intra suam : ac proinde ex defectu hujus perfectionis non debebunt a ratione æternitatis excludi.

Sicut etiam contra secundum obstat, quod durationes non distinguuntur specie penes subjecta, aut quasi subjecta; sed penes gradum mutabilitatis, vel immutabilitatis jam dictum : et propterea eadem species durationis, nempe, idem tempus secundum speciem, mensurat motum alterationis, augmentationis, necnon, et secundum locum specifice distinctos : ac tandem mensurat *esse* substantiale omnium substantiarum generabilium, et corruptibilium valde inter se distinctarum, seque in perfectione superantium, ut ex Angelico Doctore bene explicant nostri Complutenses in libris Physicorum disputat. 21 num. 78 et deinceps : quia omnia ista petunt eumdem gradum mutabilitatis formaliter sumptum, et duratio mensurans illa exigit prædictum gradum : ergo licet relationes divinæ excedantur in perfectione a divina essentia, et durationes earumdem relationum non sint mensuræ divinæ essentiæ tanquam subjecti proximi : nihilominus non ob id desinent habere rationem æternitatis, si semel habent eumdem N. Compl.

gradum immutabilitatis, quo gaudet æternitas, quemque divina essentia exigit.

21. Deinde refutatur secunda pars solutionis. Tandem falsum est id, quod in secunda parte hujus solutionis dicitur, nempe, quod etsi dentur tres existentiæ relativæ realiter inter se distinctæ : nihilominus non ideo dandæ sunt tres formæ, aut quasi formæ, ratione quarum dentur tres increati substantive : ex eo quod relationes cum suis existentiis ex vi propriæ lineæ tantum dicunt quandam non repugnantiam non essendi ab alio tanquam a causa efficienti : ac proinde non sunt ex vi ejusdem lineæ quid positive, sed tantum quid negative increatum : quod nullum est inconveniens, nec cum Athanasio pugnat.

Hoc igitur falsum est. Quoniam hoc ipso, quod relationes personales dicant tres existentias relativas realiter distinctas, non possunt non ex vi proptiarum linearum habere positive proprium *esse :* ergo non potest non unaquæque ex illis habere ex vi propriæ lineæ suum proprium *esse* creatum, aut increatum : ac proinde cum nulla ex illis sit positive, aut aliqua ratione quid creatum, oportebit, ut quælibet habeat suum proprium *esse* increatum. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam id, quod ex vi propriæ lineæ habet positive proprium *esse*, debet ex vi illius habere illud positive aliquo ex modis, quo tale *esse* haberi potest, nempe, vel a se, idest, non ab alio tanquam a causa, et hoc petitum ex vi proprii *esse* ac proinde positive, ratione cujus sit quid in creatum, vel ab alio tanquam a causa, ratione cujus sit quid creatum.

22. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam divinis relationibus non solum competit ex vi propriæ lineæ quædam non repugnantia non essendi ab alio tanquam a causa sed etiam habent positivam repugnantiam essendi ab alio ut a causa : ergo ex vi suæ lineæ non solum erunt quid increatum negative, sed etiam positive : et per consequens, si unaquæque ex illis dicit proprium esse, dabuntur tres formæ, aut quasi formæ, ratione quarum dentur tria increata positive, et substantive. Hæc ultima consequentia ex prima satis liquet. Prima vero ex antecedenti aperte constat. Quoniam sicut *esse* increatum negative dicit non repugnantiam non essendi ab alio tanquam a causa : ita *esse* increatum positive importat positivam repugnantiam essendi ab alio ut a causa.

Antecedens vero videtur certum. Tum, quia relationes divinæ, hoc ipso quod sint infinitæ intra propriam lineam, et earum *esse* sit infinitum intra eandem lineam, habent ex vi hujus, atque adeo positive, repugnantiam essendi ab alio ut a causa : siquidem infinitas nequit cohærere cum dependentia ab alio ut a causa. Tum etiam, quia quidquid est divinum, et existens in Deo intra quancunque lineam, exigit positive, quod non sit ab alio ut a causa : alioqui non esset quid divinum.

Confirmatur secundo. Quoniam cui per se, et intra propriam lineam convenit positive habere proprium *esse* ab alio, præcise ut a principio, ac proinde per processionem liberam ab omni imperfectione, et dependentia, competit ei positive non esse ab alio tanquam a causa : alioqui non esset positive existens ab alio, præcise ut a principio, sed esset existens ab illo ut a causa, nec positive procederet per processionem liberam ab omni dependentia : siquidem id solum procedit ex vi sua per processionem liberam ab omni dependentia, quod procedit positive ab alio, et non procedit ab eo tanquam a causa : ergo cum divinis relationibus, nempe, Filiationi, et processioni, hoc ipso quod haberent proprium *esse* relativum, conveniret ex vi suæ lineæ, quod haberent *esse* ab alio, et quod hoc esse haberent ab illo præcise ut a principio, et per processionem liberam ab omni dependentia, non posset non eis competere, quod positive ex vi sua non essent ab alio tanquam a causa : quod est habere proprium *esse* increatum. 23. Confirmatur secundo.

Confirmatur tandem. Quoniam ideo essentia divina, et Deus est positive quid increatum, quia ex vi proprii *esse* repugnat ei aliquod genus dependentiæ, ac proinde aliquod genus essendi ab alio tanquam a causa : ex eo quod esse ab alio tanquam a causa dicit dependentiam. E contra autem, idcirco supposita creata habent suum proprium *esse* creatum *ut quod*, quia *esse* est illorum *ut quod*, et dicunt secundum illud dependentiam ab alio. Sed hoc ipso, quod divinæ relationes sunt divinæ intra propriam lineam, et habeant proprium *esse* relativum, et divinum intra suam lineam, repugnat eis ex vi proprii esse omne genus dependentiæ : ergo et omne genus essendi ab alio tanquam a causa : et ita erunt ex vi suæ lineæ quid positive increatum. Confirmatur tertio.

Ex quibus omnibus fit. Tum, in hac evasione Suarez includi implicationem quamdam 24.

dam apertam, scilicet, illas durationes esse, et non esse specie distinctas. Esse quidem, ut supponitur, siquidem sunt relativæ durationes, et juxta opinionem hujus auctoris specificantur ex terminis oppositis, et specie distinctis. Non esse autem, quia conveniunt in eodem gradu immutabilitatis : et per consequens sunt ejusdem speciei in ratione durationis. Imo et hinc etiam sequitur, illas durationes esse, et non esse absolutas. Non esse quidem, ut supponitur. Esse autem, quoniam duratio sumit suam speciem ex diverso gradu immutabilitatis : et ideo non sumitur per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad subjectum, aut quasi subjectum. Tum etiam non bene, sed contradictoria virtualiter asseruisse eundem Suarez, dum dixit, non esse multiplicandas immutabilitates, multiplicari tamen durationes. Siquidem ex quo capite multiplicantur durationes, debent multiplicari immutabilitates quæ sunt radices earum : cum tamen ex quo capite ponitur una et eadem immutabilitas tantum modo, nequeunt prædictæ immutabilitates multiplicari.

§ V.

Alia effugia adversariorum, et eversiones illorum.

25. Alia solutio ad eamdem rationem. Secundo occurri potest ad eandem rationem principalem D. Thomæ ex adversariis negando, ex ea convinci dari tres æternos, aut tres increatos substantive, qui absolute et simpliciter, ac absque aliquo addito sint, et dicantur tres æterni, aut tres increati, sed solum cum addito, nimirum, tres increatos, aut tres æternos relative. Athan. Athanasius autem solum negat tres increatos, aut tres æternos substantive, qui absolute et simpliciter, et sine addito dicantur tales. Et propterea absolute, et simpliciter protulit : *Non tres æterni, sed unus æternus, et non tres increati, sed unus increatus* : ac proinde solummodo negat tres æternitates simpliciter et absolute tales, aut tres formas, aut quasi formas, ratione quarum dicantur simpliciter et absolute tres increati. Quam solutionem adducit Suarez. Suarez loco citato ex 3 p. licet ei displiceat, favet tamen ei Arrubal disp. 10 Arrubal. num 21.

Impugnatur. Cæterum hoc effugium facile impugnatur ex dictis. Quoniam hoc ipso quod dentur tres æternitates, aut formæ aut quasi formæ per quas tres illæ relationes dicantur substantive tres increati, oportet, ut ex dictis constat, æternitates illas v. g. esse perfectissimas in ratione æternitatis : siquidem habent perfectissimum gradum immutabilitatis : ergo absolute et simpliciter, et sine addito dabuntur tres æternitates : et per consequens dabuntur tres æterni absolute et simpliciter tales : sicut etiam dabuntur tres formæ aut quasi formæ, per quas dentur tres increati absolute et simpliciter, ac sine addito. Quoniam sicut in eo eventu darentur tres formæ, aut quasi formæ, quæ absolute et simpliciter essent tres realitates completæ in ratione existendi : ita essent absolute et simpliciter tres quasi formæ constituentes personas divinas in ratione habendi illas realitates, vel a se, idest, non ab alio tanquam a causa; vel ab alio ut a causa : cunque hoc ultimum non possint tribuere, oportet, ut tribuant illud prius. Maxime, quia id, quod absolute et simpliciter durat (qualiter in prædictis relationibus contingere debere, ostendimus) necesse est, ut absolute et simpliciter sit, seu habeat *esse* : ac proinde, quod absolute et simpliciter habeat, vel non habeat *esse* ab alio tanquam a causa.

Confirmatur. Quoniam relatio creata, 26. Confirmatur primo.
juxta opinionem adversariorum, non minus constituit prædicamentum completum, nec minus habet *esse* existentiæ durationis, aut entis creati, quam alia novem genera accidentium : et ideo in quo sensu possunt cætera accidentia in ratione accidentium, et juxta modum accidentis dici absolute et simpliciter existentia, durantia, etc. possunt etiam hæc prædicta enuntiari eodem proportionali modo de prædicta relatione. Quod si nec de ea, nec de aliis generibus accidentium possunt absolute et simpliciter, ac sine addito verificari prædicta prædicata, ut alii volunt, hoc ideo esset, quia sicut non sunt absolute et simpliciter entia, sed entis entia, seu entia secundum quid : ita nequeunt absolute et simpliciter, ac sine aliquo addito esse existentia, durantia, etc. Et propterea : si *quantitas*, v. g. aut *quando* essent quid substantiale completum in suis propriis rationibus, non esset cur non dicerentur absolute et simpliciter existentia, durantia, etc. Ergo cum relationes divinæ sint quid substantiale, et completum intra suam lineam, oportet, ut si afferunt proprium *esse*, propriamque durationem com-

pletam intra eandem lineam relativam substantialem, dicantur etiam absolute et simpliciter tria existentia, tria durantia, seu æterna, triaque increata realiter inter se distincta.

Expenditur amplius testimon. Athan. Adde, quod Athanasius ea ratione negavit tres æternos, tresque increatos substantive, qua dixit non esse admittendos tres immensos substantive, siquidem eodem modo de omnibus his loquutus est. Unde, sicut esset contra illum adstruere tres immensos substantive, licet cum aliquo addito : ita pugnabit cum eodem Athanasio, dari in divinis tres æternos aut tres increatos substantive, quamvis cum addito, scilicet, per modum relativorum. Maxime, quia qua ratione tria illa increata, aut æterna in genere relativo possunt esse tria in ratione existentium, et durantium relative, possent esse tria in ratione existentium ubique, ac proinde in ratione immensorum relative : siquidem, ut statim dicemus, quod per se habet *esse* proprium, propriamque durationem potest etiam ex se vendicare, quod sit alicubi vel ubique.

27. Ultima evasio. Tandem occurrunt alii, durationem esse quid distinctum ab *esse*, seu existentia rei : et ideo sequendo hunc dicendi modum, non infertur, esse in Deo tres durationes relativas, ex eo quod sint in illo tria *esse* relativa. Quoniam in hac opinione duratio relationis non est relativa : sicut nec præsentia localis relationis est relatio. Ita Arrubal disput. nuper citata num. 22. Potestque juvari hæc solutio ex eo quod, licet in creaturis totum compositum substantiale, et ejus proprietates habeant distinctas existentias, non tamen ob id habent distinctas durationes : siquidem omnes illæ durationes numero tantum distinguerentur, et sic plura accidentia solo numero distincta essent in eodem subjecto v. g. in eodem homine.

Arrubal. Roboratur. Unde juxta hunc etiam dicendi modum posset dici, quod ex triplici illo *esse* relationum non sequitur, dandas esse tres formas, aut quasi formas, ratione quarum dentur tria increata substantive, et cum addito, scilicet, in genere relativo : ex eo quod *esse* increatum est prædicatum virtualiter distinctum ab *esse* : et ideo ex multiplicatione hujus non sequitur multiplicatio illius.

28. Corruit evasio. Cæterum hæc solutio etiam displicet. Quoniam duratio, juxta D. Thomæ mentem, distinguatur in creaturis realiter sive ex natura rei, et in divinis virtualiter a re durante : attamen optime colligitur, aliquid afferre suam propriam durationem, si semel habet suum proprium *esse* existentiæ completum. Sicut etiam hoc ipso, quod aliquid importet prædictum *esse*, habet etiam suum proprium *esse* creatum, vel increatum. Et propterea in creaturis omnia illa, quæ afferunt proprium *esse*, important etiam propriam durationem, propriumque *esse* creatum (sive hoc *esse* habeant per actionem directe terminatam ad illud ; sive per naturalem dimanationem, ut adhuc in ipsa relatione creata cernitur) ergo hoc ipso, quod relationes divinæ afferant suum proprium *esse*, oportebit, ut afferant etiam suam propriam durationem, suumque proprium esse quid increatum. Maxime, cum prædictæ relationes sint substantiales, et per se subsistentes.

29. Confirmatur primo. Confirmatur. Nam cum duratio conveniat rebus ratione suæ existentiæ proxime, et immediate, oportet, quod hoc ipso, quod aliquid affert suum proprium *esse* existentiæ, afferat etiam suam propriam durationem : quoniam eo ipso affert suam propriam permanentiam in illo *esse* ; siquidem ejus est permanere in *esse*, et vendicare sibi suam propiam permanentiam in *esse*, cujus est vendicare sibi proprium *esse* : ac proinde ejus etiam erit proprium afferre ex se, quod sit quid creatum, vel increatum : quandoquidem, ut sæpe diximus, cujus est importare proprium *esse* existentiæ, ejus est afferre illud, vel a se, idest, non ab alio ut a causa, vel ab alio tanquam a causa.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ideo materia, et forma non vendicant sibi distinctas durationes, quia, ut optime expendit nostrum Collegium Complutense in libris Physicorum disp. 3 quæst. 5 et 6, non existunt per propriam existentiam, sed per existentiam totius : et propterea tantum habent esse quid creatum ratione illius. Sicut etiam juxta mentem D. Thomæ, idcirco divina essentia, et attributa non durant per distinctas durationes, quoniam divina essentia ex se affert suum proprium *existere*, et hoc *esse* communicat attributis : et ob eandem rationem non habent distinctum esse quid increatum, sed id ratione essentiæ sortiuntur. Ergo si relationes divinæ ex se afferunt suum proprium *esse* existentiæ, importabunt etiam suam propriam durationem, suumque proprium esse quid increatum ; licet hæc duo aliquo modo ab eis, et ab earum existentia distinguantur. N. Compl

Quinimo

Quinimo (ut verum fateamur, et nuper etiam tetigimus contra Suarez) una ex potissimis rationibus, propter quam sententia opposita tribuens tres existentias relativas, et realiter distinctas tribus relationibus divinis, et personalibus rejici debet, est, quia inde sequitur, durationes illarum existentiarum, ac proinde esse increatum earundem relationum, debere, et simul non debere multiplicari. Debere quidem, propter rationes modo factas. Non debere autem, tum propter auctoritatem Symboli Athanasii : tum etiam, quia duratio est de genere absolutorum, ut num. 24 dicebamus. Sicut etiam sequitur ex eadem sententia, prædictam durationem, qua mensuraretur *esse* proprium cujuslibet relationis, esse, et non esse relativam. Esse quidem, quia juxta modo dicta debet multiplicari realiter : et in divinis sola relativa sic multiplicantur. Non esse autem, propter illa, quæ n. nuper relato asseruimus, nempe, quia duratio sumitur per ordinem ad subjectum, aut quasi subjectum, et immutabilitatem ejus ; non vero per ordinem ad terminum. Et propterea adhuc duratio relationis creatæ rerum corruptibilium mensuratur tempore : quod quidem esse aliquid absolutum ex se constat, et satis ostenditur ex illis, quæ nostri Complutenses in Logica disp. 13 quæst. 5 docent, dum probant, tempus esse veram speciem quantitatis. N. Compl.

30. Evanescit fundament. prædictæ evasionis. Neque illud, quod in favorem hujus solutionis adduximus, ei revera favet. Quoniam certum debet esse in opinione D. Thomæ, et adversariorum, quod homo v. g. et ejus proprietates debent per distinctas durationes durare : sicut etiam certum id est de aliis accidentibus communibus. Neque hinc sequitur aliquid contra sententiam illam, et doctrinam Angelici Doctoris, nempe, duo accidentia solo numero differentia non posse esse in eodem subjecto. Quia id intelligitur quoties illa accidentia non habent distincta subjecta *quo* : tunc enim habent, unde distinguantur numero : et ita non sunt formaliter in eodem subjecto. Et propterea quoties aliquis simul movetur triplici motu alterationis, augmentationis, et motus localis, tunc in quovis ex his motibus est suum tempus intrinsecum : et tamen, quia motus isti sunt subjectum *quo* illius, propterea omnia hæc tempora possunt esse in uno et eodem subjecto *quod*, licet tale subjectum non sit formaliter unum et idem in ratione subjecti, ut constat ex illis, quæ nostri Complutenses in lib. Physicorum disput. 21 num 67 docent. N. Compl.

§. VI.

Eadem D. Thomæ sententia ratione alia stabilitur.

31. Secunda ratio assertionis D.Thom. Secundo probatur eadem assertio ratione, quam innuit D. Thomas supra quæst. 7 art. 2 ad 3 de Potentia q. 4 art. 1, nec non in 2 dist. 1 q. 1 art. 4 ad 4 et alibi sæpe, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in creaturis totum compositum, necnon et suppositalitas illius, et omnia, quæ faciunt unum per se cum illo, existunt per unicam et eandem indivisibilem existentiam : ergo potiori ratione in Deo relationes personales, et omnia alia divina quippe constituentia unum per se cum Deo et divina natura, existent per unicam et eandem indivisibilem existentiam : ac proinde relationes non existent per suas proprias existentias relativas, sed per absolutam existentiam divinæ essentiæ, quæ est unica, et omnino immultiplicabilis.

Antecedens constat ex illis, quæ late, et erudite nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 3 a num. 48 usque ad 69 et rursus a num. 79 usque ad numerum 81 docent. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur perspicua. Quoniam si unica et indivisibilis, eaque finita et limitata existentia absoluta totius compositi creati est satis ad hoc, ut per illam existant partes, suppositum, et omnia, quæ cum eodem composito unum per se faciunt : cur unica et eadem indivisibilis existentia absoluta divinæ essentiæ eaque infinita et summe perfecta non sufficiet ad hoc, ut per illam existat ipsa essentia, et suppositalitates illius, scilicet, relationes personales, nec non et cuncta alia, quæ cum eadem divina essentia unum per se constituunt ? N. Compl.

32. Confirmatur primo. Confirmatur primo ratione, quam insinuat D. Thomas locis supra citatis. Quoniam relationes personales in divinis existunt per existentiam absolutam divinæ essentiæ : ergo non existent simul alia existentia distincta secundum rationem ab eadem existentia absoluta. Antecedens probatur, tum, quia cum prædicta existentia absoluta sit infinita, et perfectissima, potest, et debet reddere existens omne id,

quod fuerit capax existendi. Tum etiam quia existentia absoluta, et essentialis in divinis reperta est communis omnibus personis, sive relationibus personalibus, ex eo quod omnia essentialia sunt illis communia : ac proinde reddet eas formaliter existentes. Siquidem impossibile est, existentiam competere alicui et non reddere illud existens ; sicut impossibile est, calorem convenire, et esse unitum alicui subjecto, et non reddere illud calidum.

Consequentia vero videtur perspicua. Quoniam sicut existentia est ultima actualitas rerum creatarum : et propterea quidquid eis intelligitur convenire sub quavis ratione entitatis realis ante actualem existentiam, intelligitur esse in potentia ad illam, et non esse omnino in actu, sed in statu viali, et potentiali, usquedum intelligatur habere formaliter prædictam existentiam : ita etiam in divinis existentia est ultima actualitas omnium, quæ sunt in Deo : ergo impossibile erit, eandem rem existere per duas existentias, sive realiter, sive ratione diversas : sicut impossibile est, unam rem terminari per duas ultimas actualitates, aut per duos ultimos terminos : aut unam, et eandem quantitatem terminari duabus figuris : alioqui nulla ex illis actualitatibus, nullusque ex illis terminis esset ultimus.

33. Confirmatur secundo. D.Thom.

Confirmatur secundo ratione, quam tangit Angelicus Doctor in 1 dist. 33 quæst. 1 art. 1 ad 1 et ibidem ad Annibaldum quæst. unica art. 1 ad 2 et Quodlibeto 12 art 1. Quoniam existentia relationis creatæ non est formaliter relativa *secundum esse* ; sed quid absolutum : ergo pari ratione existentia divinarum relationum non erit relativa, sed absoluta : et per consequens existent per unicam et eamdem existentiam divinæ essentiæ. Hæc secunda consequentia ex prima aperte colligitur. Prima vero ex antecedenti, propter paritatem rationis inter relationes creatas, et increatas. Et ideo, si existentia absoluta, et creata potest, et debet reddere existentem relationem creatam, non est cur existentia absoluta, et infinita divinæ essentiæ præhabens omnem excogitabilem perfectionem cujuscumque existentiæ absolutæ non reddat existentes divinas relationes absque interventu alicujus alterius existentiæ, adhuc virtualiter distinctæ.

Antecedens autem probatur. Tum, quia illud expresse docet D. Thomas locis nuper citatis. Tum etiam, quia alioqui data quavis relatione creata v. g. paternitate, daretur duplex relatio realis : una, quæ esset ipsa paternitas, alia vero relatio existentiæ paternitatis : quod tamen videtur inconveniens. Quia ex vi unius et ejusdem fundamenti, et rationis fundandi ac termini, scilicet, ex vi ejusdem potentiæ generativæ, et generationis, etc. tamtum resultat unica et eadem relatio realis, non vero multiplex in uno et eodem subjecto. Tum deinde, quoniam existentia tantum dicit ultimam relationis actualitatem, per quam est extra suas causas : in hoc autem non importatur ordo ad terminum : ac proinde prædicta existentia erit quid absolutum. Ideoque D. Thomas Quodlibeto cirato dixit, existentiam relationis convenire ei per comparationem ad subjectum, non vero per comparationem ad terminum.

Tum denique. Quia duratio, seu permanentia relationis creatæ in esse, et ipsum *esse* ejus videntur esse ejusdem rationis quoad hoc, quod sint quid absolutum, vel relativum. Siquidem permanentia in *esse* dicit ipsum *esse*, non utcumque, sed continuatum : et *esse*, ut continuatum, oportet, quod sit ejusdem rationis quoad hoc, quod est, connumerari inter absoluta, vel relativa, ac est ipsum *esse* secundum se sumptum : at duratio, et permanentia relationis, et cujuscumque rei in *esse* dicit quid absolutum : et propterea, ut ex dictis constat, desumitur ex mutabilitate, vel immutabilitati subjecti, et ex prædicto subjecto, ut tantæ vel tantæ mutabilitati, vel immutabilitati subest : ergo etiam existentia relationis erit quid absolutum, et conveniens ei per comparationem ad subjectum.

§ VII.

Solutiones, quibus adversarii occurrunt huic secundæ rationi, et ejus confirmationibus.

34. Adversariorum prima solutio ad rationem factam.

Occurres ex doctrina adversariorum, tam huic rationi, quam ejus confirmationibus. Rationi quidem tripliciter. Et primo ex Suarez, negando antecedens. Ex eo quod putat, tot esse existentias in composito substantiali, quot entitates, modi, aut formalitates in illo reperiuntur : ac proinde in divinis hoc etiam, servata proportione, continget. Secundo ex aliis (quam solutionem ex parte innuit etiam idem Suarez) quod adhuc dato, compositum substantiale,

Suarez Secunda solutio.

et

et ejus suppositum existere per unicam et eamdem existentiam : non tamen ob id sequitur, idem dicendum in divinis sed dandas esse ibidem tres alias existentias ratione distinctas ab existentia essentiæ divinæ, et realiter diversas inter se. Ex eo quod, tam natura, quam suppositalitas compositi substantialis, et ea, quæ cum eo constituunt unum per se, sunt quid absolutum : et ideo non mirum, quod possint per unicam et eamdem existentiam absolutam existere. At suppositalitates, et personalitates divinæ, seu relationes personales sunt quid relativum : et propterea nequeunt existere per existentiam absolutam essentiæ. Quia hæc, licet infinita, tantum habet infinitatem intra lineam absolutorum : et idcirco nequit extendi ad reddendum existens nisi id, quod absolutum fuerit.

Tertia solutio. Tertio tandem occurri potest concedendo etiam antecedens quoad compositum substantiale, et negando consequentiam. Et ad probationem desumptam ex summa perfectione existentiæ absolutæ dicendum est, quod hinc potius sequitur, dandas esse tres alias existentias relativas. Sicut ex eo, quod detur unica subsistentia absoluta in divinis, colligitur, dandas esse alias tres subsistentias relativas : ex eo quod id, quod subsistit perfectissime in linea absoluta, petit subsistere in omni alia linea : atque adeo in lineis relativis. Et ita etiam id, quod existit perfectissime intra lineam absolutam, quodque eo ipso est perfectissimum ens, debet in omni linea existere : et per consequens in omnibus lineis relativis existet relative.

35. ...mum ...gum ... priorem ...nfirm. Et deinde ad primam confirmationem occurres primo ex Suarez locis citatis, divinas relationes non posse existere per existentiam absolutam divinæ essentiæ ex eo quod nihil existit, aut existere queit per existentiam alterius. Quia idem est existentia rei, et ejus entitas actualis : et nihil potest esse entitas actualis per entitatem alterius, sive realiter, sive virtualiter ab ea diversam, sed per propriam entitatem actualem a se ipsa omnino indistinctam.

...cundum ... ...gum. Secundo occurri etiam potest, quod etsi relationes divinæ existant per existentiam absolutam essentiæ, queunt etiam existere per proprias existentias relativas. Nec obest probatio in contrarium. Quia licet unum et idem nequeat terminari duobus ultimis terminis ejusdem rationis, bene tamen diversæ, ut in præsenti contingit : nam existentia absoluta reddit relationes existentes diverso modo, ac existentiæ relativæ. Sicut, licet unum et idem nequeat esse simul sanctum per duas sanctitates ejusdem rationis, bene tamen diversæ, ut in Christo Domino contingit, qui simul est sanctus sanctitate gratiæ unionis, et gratiæ habitualis.

Et tandem ad secundam confirmationem respondent negando antecedens, scilicet, *esse* existentiæ relationis creatæ esse quid absolutum. Et ad primam probationem desumptam ex testimoniis D. Thomæ occurrit Arrubal loco citato num. 16, quod cum Angelicus Doctor inquit, *esse* relationis creatæ non esse respectivum, non loquitur de *esse* existentiæ illius, sed de inexistentia, seu inhærentia ejus in subjecto, per quam inquit relationem referri ad subjectum, non vero ad suum terminum, cui non inhæret. Quod verissimum est (inquit ille) quia illa inexistentia, et inhærentia secundum proprium conceptum non est respectiva ad terminum, sed transcendentaliter ad subjectum. 36. Evasio ad posteriorem confirm. Arrubal.

Et deinde ad secundam probationem respondet Suarez loco citato ex 3 part. existentiam relationis, et relationem ipsam non distingui. Et ideo, ex eo quod existentia sit respectiva, non sequitur, dandam esse ibidem duplicem relationem, sed unam et eamdem. Suarez.

Ad tertiam vero probationem occurri potest, quod etsi ultima actualitas, per quam aliquid absolutum est extra causas, non dicat ordinem ad terminum ; bene tamen ultima actualitas, per quam relatio est extra causas ; quamvis non dicat hunc ordinem expresse, ut significatur hoc nomine, bene tamen implicite. Sicut licet subsistentia personalis Patris in divinis, ut significatur nomine formæ hypostaticæ, et concipitur, ut præcise tribuit expresse Patri, quod sit per se, non dicat ordinem ad terminum expresse ; dicit tamen ordinem ad illum implicite, et propterea est aliquid relativum.

Et tandem ad ultimam probationem responderi poterit ex Suarez concedendo, durationem, et permanentiam rei in *esse* existentiæ debere esse ejusdem rationis quoad hoc, quod est, esse quid absolutum, vel relativum, imo quoad alia. Quia *esse* rei, et duratio illius in ejus sententia, non distinguuntur : et ita, sicut esse existentiæ relationis est relativum, ita et duratio, et

e converso : ac proinde immutabilitas illius non desumitur per ordinem ad subjectum, aut quasi subjectum ; sed per ordinem ad terminum, saltem implicite, ideoque est relativa.

§ VIII.

Impugnantur sigillatim tres solutiones huic secundæ rationi ab adversariis traditæ.

37. Evertitur prima solutio data ad rationem assertionis. Cæterum, ut melius, et clarius procedatur, curabimus sigillatim evertere solutiones, quibus huic secundæ rationi occurrunt adversarii : et deinde in sequenti § illas, quas utrique confirmationi ejusdem rationis tradunt. Prior autem, qua nostræ rationi respondent, ex dictis corruit. Falsum namque est, tot esse multiplicandas existentias, quot entitates, aut formalitates : et non posse plura constituentia unum existere per unicam et eamdem indivisibilem existentiam. Videantur N. Complutenses locis nuper citatis ubi hoc ex D. Thoma, et rationibus ex eo desumptis late ostendunt.

N. Compl.

Evanescit etiam secunda. Et deinde secunda solutio eidem rationi tradita est etiam insufficiens. Nam si semel omnia, quæ pertinent ad compositum substantiale, et constituunt unum per se, qualia sunt omnia substantialia, ex quibus tam in *esse* compositi, quam suppositi coalescit, possunt existere per unicam tantummodo et indivisibilem existentiam, ut in hac solutione admittitur : non est cur negetur, omnia substantialia divina posse, et debere existere per unicam etiam indivisibilem existentiam, non obstante, quod ex illis aliqua sint relativa : quoniam hoc non tollet proportionem requisitam inter existentiam, et id, quod existit. Et ratio est aperta. Quoniam non obstante, quod natura divina, et similiter natura humana Christi Domini sint quid absolutum, potest illa subsistere per tres subsistentias relativas, et hæc terminari, et esse subsistens per subsistentiam relativam Verbi : ergo pari ratione, licet relationes divinæ sint quid relativum, poterunt existere per existentiam absolutam divinæ essentiæ. Patet consequentia. Quoniam non minor proportio requiritur inter suppositalitatem, et id, quod per eam suppositatur, quam inter existentiam, et id, quod per illam existit : ergo si ad proportionem requisitam inter suppositalitatem, et id, quod per eam suppositatur, nihil interest, quod unum eorum sit quid absolutum, et aliud relativum : nec etiam poterit interesse hoc ipsum ad proportionem requisitam inter id, quod existit, et existentiam illius.

38. Confirmatio istius impugnationis. Confirmatur. Nam existentia absoluta divinæ essentiæ per se primo quasi actuat eamdem essentiam tantummodo : quia sola ipsa est, quæ perprius in divinis existit. Et ideo hoc ipso, quod tribuat relationibus, quod existant, debet hoc illis tribuere, non per se primo, sed per se secundo. Ergo quamvis daremus requiri, quod existentia, et res, quæ per illam existit, pertineant ad idem genus absoluti, vel relativi ita ut utraque sit absoluta, vel relativa : nihilominus hoc tantum deberet esse verum de existentia, et de re, quæ per eam per se primo existit ; non vero de his, quæ per se secundo per eam existunt. Ergo *esse* relativum divinarum relationum nihil eis oberit, quo minus existant per existentiam absolutam divinæ essentiæ. Antecedens videtur certum.

Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Tum, quia commensuratio omnimoda alicujus actus debet esse respectu primi actuabilis, aut quasi actuabilis per illum, non vero respectu secundariorum actuabilium. Et propterea, licet essentia divina sit purus actus, et infinita in ratione speciei intelligibilis : nihilominus tantum petit, quod primum quasi actuabile per illam, scilicet intellectus divinus, sit actus purus, et infinitus ; non vero intellectus creatus beati, qui per illam secundario actuatur.

Tum etiam. Quia licet materia prima, et homo sint quid corporeum seu materiale : nihilominus possunt existere per existentiam spiritualem et omnimo immaterialem animæ rationalis, ut multis ostendunt nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 3 q. 5 et 6. Quia primum susceptivum hujus existentiæ est ipsa anima rationalis per se subsistens : et hæc est ita spiritualis et immaterialis, sicut existentia illius : et ita nihil inconvenit, quod secundum susceptibile hujus existentiæ sit quid materiale et corporeum. Ergo pari ratione, cum divinæ relationes nequeant esse primum (ut sic dicamus) actuabile per existentiam absolutam divinæ essentiæ, sed hoc relinquatur ipsi divinæ essentiæ per se subsistenti per subsistentiam absolutam, et perprius existenti, quam omnia alia divina, non erit necessarium, ut ipsæ relationes sint quid absolutum,

N. Compl.

tum, sicut existentia essentialis, per quam existunt, sed satis erit (quamvis adhuc istud non requiratur indispensabiliter ad hoc, ut aliquid existat per existentiam absolutam, ut jam dicemus) quod ipsa divina essentia, quæ est primum susceptibile, sit quid absolutum. Siquidem si semel requireretur ad secundarium susceptibile existentiæ, quod esset quid absolutum, sicut ipsa existentia : etiam desideraretur ad idem susceptibile, quod esset immateriale et spirituale, sicut eadem existentia : cujus oppositum in exemplo nuper adducto cernitur.

39. Confutatur ulterius. Adde primo, quod etsi relationes divinæ existant per existentiam absolutam divinæ essentiæ : nihilominus non solum primum quasi susceptibile hujus existentiæ est quid absolutum, nempe, ipsa divina essentia, ut habet rationem essentiæ et naturæ, sed etiam id, ratione cujus ipsæ relationes primo habent intrinsece coaptari in ordine ad hoc, quod actuentur secundario per existentiam absolutam divinæ essentiæ, est etiam quid absolutum : ergo nihil eis deerit ad hoc, ut sint coaptatæ et proportionatæ in ordine ad existendum per prædictam existentiam.

Consequentia videtur perspicua. Quoniam ad prædictam proportionem satis est, ut id, quod est ei prima ratio existendi, sit quid absolutum, sicut ipsa existentia. Et propterea licet relatio creata, secundum quod exprimit *ad*, sit quid relativum : nihilominus (ut jam diximus, et amplius statim dicemus existit per existentiam absolutam : quoniam (ut multi probabilissime volunt, de quo alibi) ratio intrinseca, unde primo habet existere, est ratio *in*, per quam comparatur ad subjectum. Antecedens autem probatur. Quoniam relationes divinæ includunt intrinsece ipsam essentiam divinam per modum transcendentis consideratam, ut disp. 5 dubio 3 n. 76 diximus : hæc autem sic in illis inclusa est quid absolutum : et ipsa sic in eis inclusa est prima ratio ipsis formaliter sumptis intrinseca, per quam coaptantur, et redduntur proportionatæ ad hoc, ut existant secundario per ipsam absolutam existentiam ejusdem essentiæ.

40. Roboratur prædicta impugnatio. Adde secundo, quod proportio requisita et sufficiens inter rationem aliquam formalem, et existentiam, per quam existit, tantum est, quod si ratio illa formalis sit primum actuabile, aut quasi actuabile per illam existentiam, tunc utraque sit, vel substantialis, vel accidentalis; vel corruptibilis, vel incorruptibilis ; vel spiritualis, vel materialis : et quod ratio illa formalis determinet in genere causæ, aut quasi causæ formalis, et proportionate ad suam lineam, ad hoc ut subsequatur, et detur talis existentia, quæ sit hujus speciei et non alterius, per quamque ipsa existat. Quoniam quod fuerit satis ad hanc determinationem faciendam in prædicto genere causæ, erit satis ad existendum per illam existentiam, ut inductive constat.

Si vero illa ratio formalis non sit primum actuabile, aut quasi actuabile per prædictam existentiam, satis erit quod sit talis conditionis, ut ex vi illius, quod est primum quasi actuabile, fiat illa determinatio ad hoc, ut taliter subsequatur existentia, ut non solum extendatur ad primum susceptibile, et actuabile, sed etiam ad hoc secundum : ex eo quod primum susceptibile sive actuabile habet nexum cum secundo susceptibili, tanquam cum aliquo faciente unum per se cum eo, aut propter alias rationes. Et ita non potest determinare ad hanc specie et numero existentiam, nisi determinet ad eam, ut suscipiendam; vel saltem, quantum est ex se, susceptibilem in secundario susceptibili. Non tamen in universum requiritur, ut susceptibilia existentiæ conveniant in ratione absoluti, et relativi cum suis existentiis. Tum propter nuper dicta. Tum etiam, quia sicut id, quod est absolutum, potest quasi determinare *ut quo* ad hoc, ut subsequatur id, quod est relativum, et ad hoc ut sit talis, vel talis speciei, ut constat in ipso *in* absoluto relationis paternitatis creatæ, per quod respicit subjectum ut tale, de quoque disput. 5 dub. 2 n. 20 et dub. 3 n. 78 et n. 83 probavimus, debere esse quid absolutum, et determinare ad hoc, ut subsequatur esse relativum talis, vel talis speciei juxta diversitatem *in* absoluti, cum quo habet indispensabilem nexum. Ita ratio relativa potest esse susceptiva existentiæ absolutæ, per quam prædicta ratio formalis relativa existat, ut ex se, et ex omnibus illis, quibus num. 33 ostendimus existentiam relationis creatæ debere esse absolutam, et patebit amplius ex illis, quæ num. 46 adjiciemus.

Unde contra hæc, quæ diximus, nihil potest obesse id, quod ex Aristotele 9 Metaphysicæ textu 13 adduci poterat, scilicet, actum, et potentiam debere esse ejusdem generis : ac proinde existentiam 41. Objectio contra dicta ex Aristot.

relationis creatæ, et ejus susceptivum pertinere ad idem genus absoluti, vel relativi.

Solvitur. Quoniam, ut nuper innuebamus, satis est, quod id, quod primo determinat ad existentiam absolutam, sit ratio aliqua absoluta, ut in prædicta relatione creata contingere diximus, ubi *in* absolutum est id, ratione cujus primo coaptatur, et determinatur relatio ad existendum per existentiam absolutam. Et ita potentia, seu susceptivum existentiæ, ratione alicujus in eo inventi, et ad alia determinantis, spectat ad idem genus absoluti cum sua existentia. Vel dicatur, Aristotelem tantum velle, actum pertinere reductive ad genus suæ potentiæ, et e converso : illum quidem quatenus determinatur, et limitatur a sua potentia; istam vero, quatenus actuatur, et perficitur per suum actum.

42. Corruit tertia quoque solutio rationis nostræ. Tandem tertia solutio etiam displicet. Quoniam falsum est id, quod in ea dicitur, in quoque ipsa præcipue consistit, scilicet, ex perfectione existentiæ absolutæ divinæ essentiæ colligi, dandas esse tres existentias relativas : sicut ex perfectione divinæ subsistentiæ absolutæ infertur, dandas esse tres subsistentias relativas. Nam ratio disparitatis, qua satis efficaciter solutio hæc impugnatur, videtur esse in promptu.

Quoniam ratio, ob quam ex vi summæ et infinitæ perfectionis divinæ subsistentiæ absolutæ, qua natura intellectualis Dei subsistit subsistentia absoluta, colligitur, dandas esse tres subsistentias relativas, est : quia id, quod est perfectissime subsistens in natura intellectuali omnium nobilissima, qualis est natura divina, debet etiam secum afferre, quod simul sit subsistens per modum personæ in eadem natura, ut ex se constat : ac proinde, quod subsistat incommunicabiliter ad intra in omnibus personis propriis illius naturæ : ita ut subsistentia incommunicabilis unius personæ, seu (quod in idem redit) personalitas propria illius, nequeat alteri personæ ad intra communicari : atque adeo necessario debeat quævis ex illis personalitatibus distingui realiter ab aliis. Cumque hæc incommunicabilitas, et distinctio realis ad intra non possit in divinis oriri ex limitatione, sed solum ex oppositione relativa, ut disp. 1 dub. 1 dicebamus, et q. 36 art. 2 nec non q. 40 iterum dicemus, consequens est ut prædictæ incommunicabilitates et modi distinctionum realium ad intra, seu personalitates subsecutæ ad ejus subsistentiam absolutam, et ad alia in eo inventa, debeant esse quid relativum, seu personalitates relativæ, ac proinde afferentes realem distinctionem, et multiplicitatem relativam in ratione incommunicabilium : ne prædicta incommunicabilitas oriatur ex limitatione, ac proinde non possit cohærere cum perfectissimo subsistente subsistentia absoluta. Siquidem, ut locis nuper citatis diximus, et dicemus, omnis incommunicabilitas et distinctio debet oriri vel ex limitatione, vel ex oppositione relativa.

Cæterum ratio hæc non procedit in existentia perfectissima et absoluta divinæ essentiæ. 43. Quoniam existentia intra totam suam latitudinem non dicit incommunicabilitatem : quia hoc, ut dicebamus, est proprium personalitatis aut suppositalitatis : et ita nihil pertinet ad latitudinem existentiæ, quod non possit præstari ab existentia absoluta, et perfectissima divinæ essentiæ. Et propterea ex summa illius perfectione non sequitur dandas esse alias tres existentias relativas ; sicut id sequitur ex summa perfectione subsistentiæ absolutæ : ex eo quod est extra propriam lineam tribuere incommunicabilitatem ad intra.

Unde videmus, quod in creatis hoc ipso, quod aliquid (sive illud sit absolutum sive relativum) concipiatur esse extra suas causas, concipitur ut formaliter existens : nec necesse est concipere illud ut incommunicabile, ad hoc ut concipiatur, quatenus est formaliter existens : nec ratio existentiæ diffinitur per ordinem ad terminum præcise, sed per ordinem ad suas causas, quatenus nimirum est extra omnes illas. Quod satis indicat, quomodo extra totam latitudinem existentiæ formaliter sumptæ sit incommunicabilitas, et distinctio, aut oppositio relativa : ac proinde nihil esse in tota latitudine et ambitu existentiæ, quod seclusis imperfectionibus nequeat præstari a perfectissima existentia absoluta divinæ essentiæ : et per consequens ex summa illius perfectione intra suam lineam non inferri, dandas esse alias existentias intra alias lineas relativas.

Quæ impugnatio desumitur ex D. Thoma, Quodlibeto 12 supra citato art. 1 ubi cum dixisset, quomodo ex parte relationis divinæ, ac proinde incommunicabilitatis ad intra, quam secundum rationem formalem affert, detur oppositio et distinctio a suo correlativo, sic concludit : *Et ex hac parte non desideratur esse relationis, sed distinctio, et oppositio ejus : et ideo est in* D.Thom.

Deo

Deo unum tantum esse scilicet essentiale. In quibus verbis satis ostendit, quomodo *esse* existentiæ relationis, ac proinde quodlibet aliud *esse*, non dicat oppositionem aut incommunicabilitatem : et per consequens nec petat esse in Deo, aut in quovis alio, quid relativum : et ita non erit cur relationes non possint existere per existentiam absolutam divinæ essentiæ, nec cur ex hoc, quod detur in Deo talis existentia, sequatur, dandas esse alias existentias relativas.

§ IX.

Refelluntur evasiones ab adversariis duplici confirmationi præcedentis rationis adhibitæ.

44. Impugnatur prima evasio prioris nostræ confirm. Et similiter duæ solutiones, quas adversarii adhibent utrique confirmationi hujus secundæ rationis, displicent. Nam in primis primam solutionem, qua Suarez occurrit primæ confirmationi dicens nihil posse existere per existentiam alterius, constat ex dictis manere impugnatam ex illis, quæ nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 3 q. 5 et 6 jam citatis late docent. (N. Compl.) Et propterea, juxta mentem D. Thomæ, materia existit per existentiam formæ, ita ut nequeat per propriam existentiam existere : et natura, ac suppositum creatum, per unicam et indivisibilem existentiam, ut ibidem probatur.

Refutatur deinde eadem evasio ad hominem. Deinde ex principiis ejusdem Suarez potest hoc ipsum falsitatis argui. Quoniam juxta ejus sententiam loco citato, tota essentia divina et ejus existentia absoluta imbibitur per modum transcendentis in divinis relationibus : et ratione hujus intimæ transcendentiæ, putat ipse communicari divinis relationibus, quod sint æternæ, immutabiles, quid increatum, etc. Ergo eadem ratione debebit eis communicari, ratione ejusdem existentiæ absolutæ, quod sint existentes. Patet consequentia. Quia implicat aliquid imbibi in altero per modum transcendentis, et non communicare rei, in qua imbibitur, suam propriam rationem formalem, sub qua imbibitur : ergo si existentia absoluta sub proprio conceptu existentiæ absolutæ imbibitur, juxta Suarez, in relationibus divinis, non minus quam in eis, imbibuntur æternitas et alia attributa sub proprio conceptu attributorum, idest, sub proprio conceptu, v. g. æternitatis : consequens est, ut prædicta existentia communicet se ipsam sub conceptu existentiæ divinis relationibus : ac proinde, quod reddat illas existentes : sicut quia æternitas imbibitur et communicatur eis sub conceptu æternitatis, ut Suarez putat, idcirco reddit illas æternas.

Evanescit secunda solutio ejusdem confirm. Deinde secunda solutio adhibita huic primæ confirmationi, et consistens in hoc quod unum et idem potest terminari per duos ultimos terminos diversæ rationis, ac proinde per multiplices existentias diversas rationes habentes, facile potest falsitatis argui, quia plures ultimi termini, præcise quia ultimi, nequeunt terminare unam et eamdem rationem formalem, qualis est quævis relatio divina : ergo prædicti termini, seu existentiæ, quantumvis sint diversæ rationis, nequibunt unam et eamdem divinam relationem terminare. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Tum, quia propter hanc rationem plures figuræ totales, quantumvis sint diversæ rationis, nequibunt terminare eamdem quantitatem, quia quævis ex illis comparatur respectu unius et ejusdem terminabilis, et unaquæque ex illis figuris est terminus ultimus prædictæ quantitatis. Tum etiam, quia ratio ultimi termini positive talis, de quo loquimur, petit ex vi hujus conceptus ut post ipsum nullus alius sit terminus; sed ipse positive sit ultimus, et terminans, quidquid ibidem reperitur : ergo duo ultimi termini respectu unius et ejusdem rationis formalis pugnant inter se, præcise quia ultimi.

Confirmatur. Tum, quia existentia ex genere suo est actus ultimus, non quidem aliquorum tantummodo, sed omnium pertinentium ad aliquam formalitatem, v. g. substantialem. 45. Confirmatur. Et propterea usque dum intelligatur existens, non intelliguntur omnia illa esse sub ultima actualitate, ratione cujus proportionate ad suam rationem formalem dicitur absolute et simpliciter existens : ergo ex genere suo est incompossibilis cum alia existentia diversæ rationis spectante ad illam formalitatem. Quia unaquæque ex illis existentiis deberet ultimo loco, et post aliam advenire, ut unaquæque esset ultima actualitas illius rationis formalis, per quam absolute et simpliciter esset proportionate ad suam rationem formalem in actu : hoc autem satis constat involvere apertam implicationem.

Quæ impugnatio aperte deducitur ex D. Thoma, qui sæpe asserit, ipsum *esse*, seu (D.Thom.)

existentiam, semper esse actum ultimum, non determinatum per alium, sed determinantem omnia, quæ faciunt unum per se cum eo, in quo tale *esse* reperitur. Et ita quæst. unica de Anima art. 6 ad 2 describens *esse*, seu existentiam, inquit : *Quod ipsum esse est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem nihil participat.* Et de Potentia quæst. 7 art. 2 ad 9 his verbis : *Neque intelligendum est, quod ei, quod dico esse, aliquid addatur, quod sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam.* Et paucis interpositis : *Unde non sic determinatur esse per aliud, sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam. Nam et in diffinitione formarum ponuntur propriæ materiæ loco differentiæ : sicut cum dicitur, quod anima est actus corporis physici, organici. Et per hunc modum hoc esse ab alio esse distinguitur, in quantum est talis, vel talis naturæ.* Quam descriptionem tradit etiam 1 part. quæst. 3 art. 4 et quæst. 4 art. 1 ad 3, necnon quæst. 5 art. 1 et alibi sæpe.

46. Ultima tandem evasio secundæ confirm. corruit. Denique solutio ad secundam confirmationem consistens in hoc, quod existentia relationis non potest esse absoluta, sed debet esse relativa, est etiam insufficiens. Nam in primis certum est ex D. Thoma, ut communiter docent ejus discipuli, existentiam relationis, adhuc creatæ, esse aliquid absolutum, ut ex loco citato ex Quodlibeto 12 art. 1 satis liquet. Unde id, quod Arrubal. respondet Arrubal ad primam probationem antecedentis ad testimonia D. Thomæ ex 1 Sententiarum, nempe, S. Doctorem loqui non de *esse* existentiæ relationis, sed de inhærentia illius in subjecto, nihil obest. Quoniam, ut intuenti constabit, loquitur ibi S. Doctor de *esse* existentiæ relationis; quia loquitur de *esse*, quod est actus essentiæ ejusdem relationis, qui quidem actus est ipsa existentia. Et ideo in illa solutione ad primum, post verba a nobis primo loco in hac ultima confirmatione relata, in quibus dixit, quod *esse* relationis non est ad aliud se habere, sed ad subD.Thom. jectum, sic concludit : *Et sic dico, quod non oportet, quod esse essentiæ divinæ sit ad aliud se habere. Quia illud esse, in quo Paternitas et essentia uniuntur, significatur ut esse, quod est actus essentiæ; non autem uniuntur in esse, quod significat diffinitio rei. Quia alia est ratio Paternitatis, qua ad aliud refertur, et alia ratio essentiæ.* In quibus verbis ex eo, quod *esse* existentiæ relationis non est ad aliud, sed quid absolutum, secus vero ratio formalis relationis, colligit, quod in divinis *esse*, quod est actus essentiæ, idest existentia, et *esse* relationis sint unum et idem *esse* : ac proinde tale *esse* debet habere rationem *esse* absoluti; quamvis ratio formalis rationis, et ipsa essentia divina virtualiter distinguantur.

Accedit, quod vel inhærentia relationis, Ulterius infringitur. de qua, inquit Arrubal. intelligi D. Thomam, cum dixit *esse* relationis esse quid absolutum, est ipsa existentia relationis vel non. Si primum, ergo jam existentia relationis erit quid absolutum. Si secundum, ergo nomine *esse* non intelligit D. Thomas ipsam inhærentiam, sed existentiam relationis. Quia per ly *esse* tantum intelligitur, vel *esse* essentiæ, vel existentiæ.

Neque id, quod ad secundam probationem respondet Suarez, nempe, *esse* relatio- Suarez. nis et relationem ipsam non distingui, et ideo licet *esse* sit quid relativum, non dari ibidem duplicem relationem, est alicujus roboris. Nam, ut constat ex illis, quæ Nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. N. Compl. 3 n. 64 docent, in creatis existentia et essentia realiter distinguuntur.

Ex quibus fit, solutionem, qua occurri- 47. tur tertiæ probationi ejusdem confirmationis, esse insufficientem. Nam solutio illa consistit in hoc, quod licet *esse* existentiæ relationis non significetur expresse, ut dicens ordinem ad terminum, attamen implicite desumitur per ordinem ad illum. Hoc autem esse falsum, constat ex dictis, et potest insuper ejus falsitas explicari, ex eo quod id quod est relativum debet per ordinem ad terminum diffiniri, cum tamen existentia non diffiniatur, nisi per ordinem ad suas causas : et ideo tunc aliquid est existens, quatenus habet *esse* extra suas causas, maxime vero extra suam causam efficientem.

Nec etiam evasio, qua ex Suarez occurrebatur ultimæ probationi, in quaque asserebatur existentiam et durationem relationis esse omnino idem, ac proinde utramque esse relativam, est sufficiens. Tum, quia (ut supra dicebamus) inde fieret dari in divinis tres æternitates relativas. Tum etiam, quia (ut optime docent nostri Complutenses in lib. Physicorum N. Compl. disp. 21 a n. 28 usque ad num. 40) tam tempus quam quævis duratio debet in creaturis distingui realiter ab *esse* earum : sicut et in divinis distinguitur virtualiter.

Et similiter falsum est id, quod ibidem additur, relationem afferre suam propriam immutabilitatem :

immutabilitatem : et hanc, sicut ejus durationem, sumi (saltem implicite) per ordinem ad terminum. Quoniam omnes tres relationes divinæ afferunt unum et eumdem gradum immutabilitatis, scilicet immutabilitatem tam secundum actum, quam secundum potentiam, sive intrinsecam, sive extrinsecam, ad mutationem. Sicut et omnes relationes creatæ, v. g. rerum corruptibilium, important eumdem gradum mutabilitatis, scilicet, mutabilitatis secundum *esse*, et ad hos gradus per accidens est, quod sint in relatione : quia nec variantur, nec crescunt, nec minuuntur per hoc, quod sint in illa. Et propterea non contrahuntur per se per *esse* relativum : alioqui relationes differrent specie, aut quasi specie in ratione immutabilium : et ita una earum esset immutabilior alia, quod tamen, ut intuenti constabit, implicationem involvit.

§ X.

Ratio ultima pro D. Thoma essentia.

48. Ultimum assertionis fundamentum. D.Thom. N. Compl. Ultima ratio pro assertione insinuatur a D. Thoma 3 p. q. 17 art. 2 et in aliis locis a nostris Complutensibus in lib. Physicorum disp. 3 q. 5 et a nobis in 1 tomo, tractatu 3 disput. 4 dubio 1 relatis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam Deus, et quævis ex personis divinis constituta in *esse* personæ per suam relationem personalem constituunt unum per se : ergo divina natura, et personæ ipsæ, ac proinde relationes personales, non existent per plures existentias, sed per unam et eamdem omnino indivisibilem existentiam : ergo cum natura divina, et Deus per illam constitutus afferat suam propriam existentiam absolutam, oportebit, ut nulla ex relationibus personalibus habeat propriam existentiam relativam, sed existant præcise per existentiam absolutam divinæ essentiæ.

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam alioqui ex divina natura, et sua relatione personali non constitueretur unum per se. Siquidem quod advenit enti in actu, seu existenti, et affert propriam existentiam, constituit unum per accidens cum re illa cui advenit, juxta illud commune Philosophorum proloquium : *Ex pluribus entibus in actu non potest fieri unum per se*. Antecedens autem non indiget probatione. Quoniam constitutio, ex qua resultat unum per accidens, dicit imperfectionem : et propterea releganda est a Deo.

Nec obest, si cum adversariis occurras primo, non esse contra rationem unius per se, quod constituatur ex duplici ente in actu, sive partialiter tali, sive per se subordinato, ut in præsenti contingeret. Non itaque hoc obest. Nam hæc evasio satis impugnata est a nobis in 1 tomo tractatu 3 disput. 4 a num. 8 usque ad 11 et a nostris Complutensibus in lib. Physicorum disput. 3 num. 51 et sequentibus. 49. Occurrunt primo adversarii. Impugnatur. N. Compl.

Nec etiam obest, si cum Suarez, loco citato ex 3 p. in solutione ad confirmationem tertiæ difficultatis occurras, quod in re est omnino idem *esse* relationis cum *esse* absoluto divinæ essentiæ : et ita hoc satis est, ut *esse* relationis non adveniat accidentaliter divinæ naturæ, aut Deo constituto per ipsam : et per consequens ad hoc, ut non constituat unum per accidens cum illo. Sicut videre est in spiratione activa, quæ intelligitur advenire Patri, et Filio jam personaliter constitutis : et tamen non est accidens, aut facit unum per accidens cum illis, propter simplicitatem et indistinctionem. Occurrit secundo Suarez.

Non itaque hoc obest. Quoniam quod existentia relationis, et existentia naturæ divinæ tantum distinguantur virtualiter, non vero realiter, atque adeo sint unum et idem identice, solum probat, quod ex illis duobus entibus in actu, et ex illis duabus existentiis, quæ formalissime sunt plura, et tantum identice sunt idem, fiat unum per se identice, non tamen unum per se formalissime tale, sed degenerans a ratione unius per se, et aliquo modo habens rationem unius per accidens. Et ratio videtur aperta. Quoniam hoc ipso, quod ex pluribus entibus in actu realiter distinctis in ratione talium, sive in ratione existentium, fiat unum per accidens realiter tale, et excludens unitatem per se, adhuc identicam, oportet, ut ex pluribus entibus in actu formaliter sive virtualiter distinctis in esse talium, et quæ identice sint idem, fiat unum per se tantum identice ; non vero unum per se formalissime, sed degenerans ab unitate per se formalissima, et constituens aliquo modo unum per accidens, seu quod formalissime loquendo solum per accidens sit unum. Refutatur.

Unde instantia de spiratione activa advenientе in divinis Patri et Filio, ut jam existentibus, nihil contra nos concludit. Quoniam spiratio prædicta ideo non est

accidens, neque accidentaliter advenit juxta nostram, et D. Thomæ sententiam, quoniam trahitur ad unum et idem *esse* absolutum divinæ essentiæ, et per illud una cum Paternitate et Filiatione existit. Quare, si ad prædictum *esse* non traheretur, tunc esset accidens, et accidentaliter adveniret : siquidem præsupponeret *esse* simpliciter, ac proinde solum posset tribuere *esse* secundum quid, nempe accidentale. Sicut propter hanc rationem, quia albedo præsupponit *esse* simpliciter, nempe, *esse* substantiale, v. g. hominis, idcirco tantum tribuit *esse* secundum quid, et accidentale. Et sic prædicta spiratio esset, et non esset quid substantiale ; indistinctum, et non indistinctum a divina essentia, et a relationibus personalibus Patris et Filii. Esset quidem, ut supponitur. Non esset autem. Quoniam hoc ipso, quod afferret proprium *esse* existentiæ, et non existeret præcise per existentiam absolutam, seu per *esse* simpliciter ipsius Dei, tunc (ut modo dicebamus) præsupponeret *esse* existentiæ simpliciter : et per consequens *esse* existentiæ, quod tribueret, esset *esse* secundum quid, et accidentale. Cumque *esse* secundum quid, et accidentale non possit esse quid indistinctum a divina essentia, et a relationibus personalibus Patris, et Filii, fieret inde ut non esset quid indistinctum, sed potius realiter distinctum ab illis.

50. Tertia evasio. Nec etiam obest, si occurras cum aliis, non esse inconveniens dari in Deo unitatem, quæ formalissime loquendo solum per accidens sit talis ; dummodo inter ea, quæ ponuntur esse, et constituere unum per accidens, adsit unitas per se identice, seu formaliter identice sint per se unum.

Evanescit. Non igitur hoc obest. Quoniam evasionem hanc satis in 1 tomo tractatu 3 disp. 4 a n. 11 usque ad n. 13 impugnavimus, ubi (ne eadem bis repetamus) prædicta impugnatio videri potest.

51. Quarta solutio P. Suarez. Ex quo etiam fit, nihil obesse aliam solutionem, quam huic rationi loco nuper citato tradit idem Suarez dicens, quod *esse* essentiale divinæ essentiæ est *esse* completum et perfectum, quantum esse potest *esse* alicujus naturæ, non vero per se ipsum præcise sumptum habere, quod sit ultimo terminatum ad *esse* personæ : et ideo *esse* relationis non advenire accidentaliter, sed personaliter, ad constituendam, scilicet, personam.

Evertitur. Ex dictis igitur constat, solutionem hanc nihil obesse. Tum, propter illa, quæ n. 49 remissive diximus. Nam hæc solutio non parum affinitatis cum priori illa solutione habet, quamvis nonnihil ab ea differat Tum etiam, quia in ea aperta involvitur implicatio. Quoniam ex quo capite relatio personalis habet quod sit talis, deberet tribuere *esse* personale, seu *subsistere* incommunicabiliter in natura divina : at ex quo capite præsupponeret *esse* simpliciter, et tribueret, juxta sententiam Suarez, novum *esse* existentiæ, non posset communicare *esse* personale jam dictum, seu rationem per se subsistentis incommunicabiliter, sed tantum tribueret quoddam *esse* accidentale, et secundum quid. Quæ impugnatio desumitur ex D. Thoma hac 1 part. quæst. 76 art. 4 et 2 contra Gentes cap. 58 quæst. de Anima art. 11 et alibi sæpe : eamque ad aliud intentum optime elucidant Nostri Complutenses in lib. de Generat. disp. 2 n. 46 et deinceps. D.Thom. N. Compl.

§ XI.

Opposita sententia, et duo priora illius fundamenta, una cum solutionibus eorum.

52. Opposita sententia. Scotus. Suarez. Rich. Victor. Rich. de Med. Villa. Pesantius. Arrubal. Ruiz de Montoya. Medina. Quamvis autem D. Thomæ, et nostra sententia tot sit rationibus fulcita : nihilominus oppositam sententiam tuentur Scotus in 1 distinct. II quæst. 2 ad 1, Suarez lib. 3 de Trinitate cap. 5 et tomo 1 in 3 p. disput. 11 sect. 2, ubi pro se refert Richardum Victorinum, et Richardum de Media Villa. Idem tenent Pesantius in præsenti disput. 9, Arrubal disp. 104 cap. 4, Ruiz de Montoya in suo tomo de Trinit. disp. 25 sect. 5. In quam sententiam inclinat Medina 3 p. q. 3 art. 2, et alii : quia putant, idem esse subsistentiam, et existentiam substantialem, et ipsi ponunt in Deo multiplicem subsistentiam relativam.

53. Primum argumentum ex testimoniis Patrum desumptum. August. Primum pro hac sententia fundamentum desumitur ex testimoniis Augustini, Cyrilli, et Richardi de Sancto Victore. Nam Augustinus lib. 5 de Trinitate cap. 6 et lib. 7 cap. 4 ait, quod aliud est esse Deum, et aliud esse Patrem. Quæ verba, quoad alietatem, intelliguntur de alietate, non quidem reali, sed rationis, ut explicat D. Thomas in hoc art. in solutione ad 1 ; quoad *esse* vero, intelliguntur de *esse* actuali, quo Deus, et Pater sunt in rerum natura, quod est *esse* actualis existentiæ : ac proinde concedit relationi Paternitatis distinctum *esse* secundum rationem ab eo, D.Thom.

quo

quo existit Deus, et natura divina : quod quidem *esse*, hoc ipso quod sit distinctum ab *esse* absoluto divinæ essentiæ, erit relativum.

. Cyril. Et deinde N. Cyrillus Dialogo de Trinitate lib. 1 inter medium et finem, loquens de Patre et Filio ait : *Cum uterque sit, ac subsistat, propriamque habere dicatur existentiam.* Et lib. 2 Dialogi non longe a principio, notat convenientissima esse nomina, quibus tres personæ divinæ significatæ sunt a Christo Domino, et ita ait : *Sic enim manifestam, et inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentiis proprietatem servans, etc.* Et tandem Richardus de Sancto Victore lib. 4 de Trinitate cap. 16 concedit in Deo communem existentiam, et cap. 17 admittit tres existentias incommunicabiles, et per consequens relativas. (ichard.)

54. (·olvitur argumentum exp.icatur mens S. Patrum.) Respondetur, Augustinum in illis locis solum intendere, quod quatenus *esse* significat veritatem enuntiationis, aliud *esse* habet Pater, et aliud essentia Dei, ac proinde Deus, ut est concretum Deitatis, quia aliquid verificatur de Patre, quod negatur de essentia, et e converso, non vero quatenus *esse* significat actum existendi, ut in simili explicat Augustinum divus Thomas Quodlibeto 12 art. 1. (.Thom.)

Ad primum vero testimonium ex Cyrillo respondetur, sumere nomen existentiæ pro subsistentia, seu personalitate, ut de Richardo dicemus. Per quod etiam ad 2 testimonium ejusdem Cyrilli constat.

Ruiz. Nec obest id, quod objicit Ruiz nempe, hanc interpretationem non posse adaptari huic secundo testimonio : alioqui redderet hunc incongruum sensum, nempe, *inconfusam trium subsistentiarum in propriis subsistentiis proprietatem servans*.

Non itaque hoc obest. Quoniam sensus horum verborum, juxta hanc interpretationem et contextum, est, quod Christus Dominus in explicandis tribus personis sanctissimæ Trinitatis servavit manifestam proprietatem trium subsistentiarum, explicans in particulari propriam subsistentiam cujuslibet personæ, nempe, Paternitatem, Filiationem, etc. Quod autem Cyrillus nomen existentiæ sumpserit pro subsistentia, potest non difficulter colligi ex eodem. Nam, ut nuper dicebamus, lib. 2 Dialogi, notat convenientissima fuisse nomina, quibus Christus Dominus tres personas divinas significavit. Et ita inquit : *Distinctissime nobis constituentia uniuscujusque significari propriam existentiam.* Ubi aperte constat sumpssise nomen existentiæ pro nomine subsistentiæ, sive personalitatis : siquidem apud Patres Personæ divinæ in esse talium non constituuntur, et distinguuntur nisi per subsistentias, seu personalitates.

Ex quo ad testimonium Richardi eodem modo respondetur cum Alensi 1 part. quæst. 44 in corpore, et ad 5 quod non sumit in illis verbis capitis 17 existentiam, sicut nos, pro actu essendi, ut constat ex iis, quæ idem Richardus in lib. de Trinitate a c. 11 usque ad ultimum docet, sed accipit existentiam pro proprietatibus personalibus, seu pro proprietatibus quæ sunt ex alio, ut Filiatio, et Spiratio passiva : et ex qua sunt aliæ, qualis est Paternitas. Unde Richardus id, quod Scholastici appellant existentiam, et *esse*, ipse appellat *esse*. Et in capitibus relatis et sequentibus, semper unum *esse* trium personarum assignat, et nunquam tria, adhuc cum hoc addito, nempe relativa, concedit. Et lib. 5 de Trinitate cap. 1 admittit unum *esse* trium personarum ; sed discretum *existere*, ut bene etiam notavit Vasquez cap. 2 disp. 126 citata. (Alensis. Richard. Vasquez.)

Secundum fundamentum est. Quod relatio in creatis habet suum *esse* existentiæ distinctum ab *esse* fundamenti, et a subjecto, in quo est : ergo etiam relationes in divinis habebunt propriam existentiam distinctam a suo fundamento, et a divina natura, quam quodammodo afficiunt : et per consequens dabuntur tres existentiæ relativæ realiter distinctæ. Antecedens videtur perspicuum. Ex eo quod relatio creata est accidens realiter distinctum a suo fundamento, et a subjecto, in quo est, ut optime docent nostri Complutenses in sua Logica, disputat. 14 num. 51. Accidentia autem distincta realiter ab aliquo, maxime si sint entia completa, ut in relatione prædicamentali contingit, afferunt suum proprium *esse* existentiæ. Prima vero consequentia (ex qua posterior aperte sequitur) constat ex paritate rationis, et ex eo quod afferre proprium *esse* existentiæ dicit perfectionem : et ita si relatio creata hoc affert, potiori ratione id concedendum erit relationibus divinis includentibus infinitam perfectionem : alioqui perfectior esset relatio creata in suo genere, quam increata in suo. 55. (Secundum argumentum ex ratione petitum. N. Compl.)

Respondetur concedendo antecedens et negando consequentiam. Et ad probatio- 56 (Enodatio ejus.)

nem constat ex dictis, esse disparem rationem. Tum, quia *esse* existentiæ relationis creatæ debet esse quid absolutum, ut num. 33 diximus : *esse* autem absolutum in creaturis non inconvenit realiter multiplicari, secus autem in divinis. Tum etiam, quia quod subjecto, et fundamento relationis, necnon et relationi ipsi conveniat hoc, quod est, esse tria creata, et tria durantia substantive, nullum est inconveniens : et similiter nihil obest, quod de pluribus relationibus creatis verificetur, quod sint plura creata, pluraque durantia substantive : cum tamen (ut jam diximus) repugnet hoc verificari de relationibus divinis. Constat autem etiam ex dictis, quod si relationes divinæ afferrent proprium *esse* existentiæ relativum, essent tria increata, et tria durantia, seu æterna substantive : sicut quia relatio creata affert propriam existentiam, propterea tres relationes creatæ realiter distinctæ sunt tria creata, et tria, v. g. temporanea. Tum denique, quia relatio creata facit unum per accidens cum eo cui inest, et ideo nihil obest, quin potius prodest, quod afferat proprium *esse* existentiæ. Econtra vero relatio increata constituit unum per se formalissime, et perfectissime tale : ad hoc autem, quod unum per se constituat cum prædicta natura divina, non prodest, sed valde obest, quod afferat proprium *esse* existentiæ, ut num. 48 explicuimus.

Neque hinc fiet, ut in hoc argumento dicebatur, perfectiorem fore relationem creatam in suo genere, quippe afferentem proprium *esse* existentiæ, quam increatam in suo. Nam ad hoc satis constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disput. 3 numero 43 diximus, ubi explicuimus, quomodo non proveniat ex perfectione simpliciter, quod sapientia creata (et idem de relatione creata dicendum est) afferat proprium *esse* existentiæ. Sicut etiam ad summam perfectionem divinarum relationum provenientem illis ex divina essentia spectat, ut non afferant proprium *esse* : alioqui non constituerent unum per se cum Deo : imo neque essent quid substantiale, nec cum divina essentia identificatum : nec tandem in ipso Deo reperirentur, ut num. 50 dicebamus.

§ XII.

Duo alia argumenta pro opposita sententia, et occursus ad illa.

57. Tertium fundamentum. Tertium fundamentum est, quod si relationes divinæ existerent per existentiam absolutam divinæ essentiæ, et non per existentias relativas, hoc ideo esset, quia essentia divina una cum sua existentia absoluta intime imbibitur per modum transcendentis in illis, et ita tribuit eis suum *esse* existentiæ, superfluitque in illis aliud *esse* existentiæ relativum : sed prædictæ relationes non possunt sic reddi existentes a divina essentia : ergo, etc.

Major videtur certa. Quia non potest aliquid imbibi in alio secundum aliquam rationem, et non communicari ei prædicta ratio. Et ideo si divina existentia includitur per modum transcendentis in relationibus, communicabit se illis secundum hanc rationem, reddendo eas perfectissime existentes : et per consequens superfluent in eis aliæ existentiæ ad id præstandum. Minor autem etiam constat. Quoniam existentia est ultima actualis adveniens post ea, quæ pertinent ad rationem formalem et atomam alicujus rei : id autem, quod habet imbibi in alio per modum transcendentis, non sic advenit : et propterea repugnat, quod ab essentia divina, ut inclusa per modum transcendentis in relationibus, habeant ipsæ *esse* existentiæ.

58. Diluitur. Respondetur negando majorem. Et ad probationem dicendum est quod, sicut essentia divina per modum transcendentis imbibita in relationibus non tribuit eis quod sint intelligentes, quia licet essentia, quæ imbibitur, sit ipsum *intelligere* Dei, non tamen imbibitur, ut est sub hoc conceptu expresso : eo quod ad prædictum conceptum expressum requiritur quoddam connotatum, quod non habet, ut est sub conceptu transcendentis, ut supra disput. 5 num. 72 dictum est. Ita licet divina essentia, quæ habet rationem transcendentis, sit sua existentia, non tamen transcenditur sub conceptu expresso existentiæ, quia deest illi prædictum connotatum. Et ideo, ut est sub hoc conceptu transcendentis, non communicat rei, in qua transcenditur, *esse* existentiæ ; licet communicet ei illam realitatem, quæ de se est sufficiens ad hoc ut eo ipso, quod connotet prædictum connotatum, tribuat *esse* existentiæ absolutum. Quod autem sit hoc connotatum, et quomodo

modo ibidem desit? satis constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 4 disp. 7 a num. 72 et in hoc tractatu disput. 5 n. 73 diximus.

Unde existentia divinæ essentiæ non reddit relationes existentes, nisi quatenus consideratur per modum ultimæ actualitatis, et muneris pertinentis ad lineam divinæ essentiæ sub conceptu essentiæ et naturæ, habetque esse talis conditionis, ut, postquam reddit existentem ipsam divinam essentiam, extenditur secundario ad terminanda et actuanda omnia divina, trahendo illa ad unum et idem *esse* existentiæ, ut hac ratione constituant cum ea unum per se perfectissime tale.

59. Quartum fundamentum ab inconvenientibus.

Quartum fundamentum est. Quod ex opposita sententia sequerentur quatuor absurda. Primum. Hanc propositionem esse concedendam, *Pater divinus est ad se :* quod est contra rationem relativi, cujus *esse* est ad aliud. Secundum. Non esse processiones in Deo : cum tamen fides oppositum doceat. Tertium. Personas non constitui proprietatibus relativis : cujus contrarium tuentur communiter Theologi. Quartum. Humanitatem Christi Domini, vel non existere absolute et simpliciter : vel non existere per existentiam Verbi divini : quorum prius pugnat cum his, quæ ex fide habemus : posterius vero cum illis, quæ D. Thomas 3 p. q. 17 art. 2 docet. (D. Thom.)

Sequela quoad priorem partem probatur. Quoniam id, quod existit existentia absoluta, est ad se. Quoad secundam vero partem etiam constat. Quoniam ad veram processionem, seu productionem requiritur productio alicujus *esse* existentiæ : sicut ad corruptionem, et desitionem requiritur amissio et destructio *esse* ejus rei, quæ perit. Constat autem, *esse* absolutum divinæ essentiæ non produci. Quoad tertiam vero partem suadetur. Nam forma constitutiva alicujus rei debet illi tribuere aliquod *esse* existentiæ : et propterea *esse* existentiæ semper est effectus formalis formæ. Quoad ultimam vero partem videtur constare. Ex eo quod, si personalitas Verbi non existeret per propriam existentiam relativam, sed tantum per absolutam et communem tribus personis, tunc humanitas solum uniretur cum prædicta existentia mediate : siquidem solum mediate unitur divinæ essentiæ et rationibus absolutis communibus tribus personis, et ita vel non existeret absolute et simpliciter : quia existere tantum mediate non est existere absolute et simpliciter; vel existeret per propriam existentiam creatam.

60. Occurritur primum absurdum.

Respondetur negando sequelam quoad omnes ejus partes. Et ad probationem primæ dicendum est, aliud esse, an id, quod subest existentiæ, sit ad se; aliud vero, an existentia ipsa sit ad se, seu quid absolutum. Licet ergo existentia, tam in rebus absolutis quam relativis, sit ad se; nihilominus id, quod in relativis subest existentiæ, potest esse ipsa ratio relativa. Et ideo, quia in hac propositione, *Pater est ad se*, ly *est* denotat, juxta communem modum concipiendi Theologorum, quod illud, quod subest existentiæ, est ad se : propterea prædicta propositio negari debet ex vi et rigore sermonis; quamvis hæc possit concedi, *Pater existit ad se*, et debeat concedi ista, *Patris existentia est ad se*.

Ad probationem vero secundæ partis sequelæ respondetur, quod ad veram processionem satis est productio existentiæ, aut communicatio illius, vel jam productæ, vel quæ sit a se, ut in præsenti contingit. Et propterea in creatis satis est ad productionem hominis, quod ei communicetur existentia animæ rationalis; licet per generationem hominis talis existentia non producatur : et data albedine separata produceretur album, si albedo illa cum suo *esse* existentiæ uniretur alicui corpori. Ad secundum.

Ad probationem autem tertiæ partis dicendum est, quod ad rationem formæ constitutivæ in *esse* personæ sufficit, quod tribuat rationem subsistendi incommunicabiliter, et quod hæc ratio quodammodo determinet ad hoc, ut existentia alterius formæ, aut quasi formæ subsistentis in persona constituta uniatur cum illa, et tribuat ei *esse* existentiæ : ut ita possit ibidem unitas per se excludens duplex *esse* existentiæ inveniri, et salvetur, quod illa existentia habet esse quasi effectum formalem, saltem ex parte modi concipiendi, formæ subsistentis in illa persona. Ad tertium.

61. Ad quartum.

Ad probationem tandem ultimæ partis ejusdem sequelæ dicendum est, dupliciter posse aliquid uniri alicui mediate. Primo, ita ut unio hæc tantum sistat in illo, cui dicitur immediate uniri; et non pertingat usque ad illud, cum quo mediate uniri asseritur : sicut intellectus unitur mediate tantum cum materia prima hominis, quia ejus unio tantum sistit in anima rationali; non vero ultra tendit ad uniendum se cum ipsa materia; sed tantum dicitur esse unitus mediate cum materia; quia unitur

immediate cum anima, et anima est immediate unita cum eadem materia.

Secundo, quia ejus unio non sistit in extremo, cui immediate et per prius unitur, sed, mediante isto, transit et unitur cum altero. Et dicitur uniri huic mediate, quoniam non unitur ei, nisi quatenus prius unitur alteri : quo pacto existentia in creaturis, juxta mentem D. Thomæ, unitur mediante forma materiæ primæ, quia non nisi actuata per illam potest existere : nec existentia unitur ei, nisi quatemus per prius communicatur eidem formæ. Quod igitur unitur alteri mediate primo modo, non participat in se effectum, aut quasi effectum formalem illius. Et propterea intellectus sic unitus mediate cum materia prima non tribuit illi, quod intelligat. At quod unitur alteri mediate secundo modo, participat ab eo suum quasi effectum formalem, ut in exemplo adducto materiæ primæ, cui sic unitur mediate existentia totius, et formæ cernitur.

Quare, cum existentia absoluta Verbi uniatur mediate hoc posteriori modo cum humanitate, et econtra, quia prædicta existentia unitur illi, ut prius unitur cum personalitate Verbi, et ut determinata per illam, et nequit personalitas Verbi, ut existens per illam existentiam, uniri, quin etiam ipsa existentia, quatenus prius unita eidem personalitati, uniatur etiam humanitati : inde est, ut humanitas in se participet hunc quasi effectum formalem existendi ab ipsa existentia divina Verbi, sitque absolute et simpliciter existens.

§ XIII.

Fundamentum ultimum contrariæ sententiæ cum suis confirmationibus, et animadversio notatu digna ad horum solutionem.

62. Ultimum et principale argumentum. Ultimum, et potissimum hujus sententiæ fundamentum est. Quoniam tres relationes divinæ sunt ex vi sua tres entitates, sive realitates actuales inter se realiter et a divina essentia ratione distinctæ : ergo habent tres existentias relativas realiter inter se, et ratione a divina essentia distinctas. Consequentia videtur legitima. Quoniam existentia alicujus rei nihil est aliud, quam ejus entitas, aut realitas actualis. Et ideo hoc ipso, quod aliquid habeat veram entitatem, sive realitatem actualem, est existens. Antecedens autem probatur. Nam prædictæ relationes ex vi suarum linearum sunt tres realitates : quia ex vi talium linearum opponuntur realiter relative : ergo cum non sint ex vi sua tres realitates potentiales, seu in potentia tantum, quia hoc imperfectionem magnam dicit, erunt utique ex vi suarum linearum tres realitates actuales. Maxime, quia esse realitatem actualem, seu in actu, et realitatem potentialem, sive in potentia tantum, opponuntur immediate : et ita quod ex vi sua non fuerit realitas in potentia tantum, erit ex vi sua realitas in actu, seu actualis.

Confirmatur. Nam prædictæ relationes ex vi sua, et intra propriam lineam sunt tres realitates dimanantes actu per dimanationem virtualem a divina essentia, eo quod comparantur ad illam per modum proprietatum personalium : ergo ex vi sua dicunt propriam realitatem actualem, et ex se existentem. Patet consequentia. Quia sicut id, quod in potentia tantum dimanat, habet esse ens possibile : ita id, quod ab intrinseco, et ex vi sua habet dimanare actu ab alio, est ab intrinseco ens actuale, et existens : quippe quod non est præcise quid possibile, ut ex se patet; neque quid futurum, siquidem hoc non actu dimanat, sed dimanabit : ac proinde erit ens ex vi sua præsens et existens. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam multiplicato concreto multiplicari debet forma constitutiva ejus, sicut multiplicato homine multiplicatur anima : sed tres divinæ relationes sunt tres realitates actuales, et existentes, secundum quam rationem sunt concreta coalescentia, aut quasi coalescentia ex realitate propria earum, et ex sua actualitate, ac existentia : ergo multiplicatis his concretis, ut revera multiplicantur, siquidem sunt tres realitates secundum ea, quæ sunt suæ lineæ actu a parte rei inventæ, non poterit non forma constitutiva horum concretorum, nempe actualitas seu existentia, multiplicari : et per consequens habebunt proprias existentias relativas. Confirmatur secundo.

63. Animadversio pro solutione ultimi fundamenti. Respondetur prænotando, quod ex his, quæ in creaturis contingunt, debemus seclusis imperfectionibus manuduci ad cognoscendа divina. In creaturis igitur, v. g. in composito substantiali, essentia actualis, et existentia distinguuntur realiter, ut ex D. Thoma N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 3 num. 64 tangunt : N. Compl. et essentia actualis, prout distincta ab existentia, importat actualitatem (ut sic dicamus) essentialem, seu ad ordinem essentiæ pertinentem :

pertinentem : ac proinde dicit eadem prædicata essentialia, quæ importat eadem essentia sub statu possibilitatis, quatenus in se (ut sic dicamus) incipiunt esse aliquid, non vero solum habent esse in sua causa : ac proinde dicit prædicta prædicata connotando existentiam actualem, seu prout habent primam actualitatem ad ordinem essentiæ pertinentem, et connotant ultimam actualitatem ad ordinem existendi spectantem, scilicet existentiam ipsam : ideoque hæ duæ actualitates distinguuntur, ex eo quod licet quælibet connotet aliam ; attamen essentia, ut actualis actualitate ad ordinem essentiæ pertinente, tantum importat in recto actualitatem quamdam (ut sic loquamur) vialem, et tendentem ad ulteriorem, et ultimam actualitatem ad ordinem existendi spectantem, scilicet existentiam.

64. Et propter hanc rationem, licet utraque actualitas communicetur creaturis a suis causis; nihilominus aliter, et aliter comparantur cum eis, ut accipiunt prædictas actualitates. Nam, ut sunt in *egredi*, et *fieri* a suis causis, seu ut terminant prædictum *fieri*, ut est in *exerceri*, et nondum est in ultimo sui exercitii, accipiunt *esse* essentiæ actualis, prout *esse* actuale dicit actualitatem ad ordinem essentiæ pertinentem : at quatenus sunt in facto esse, seu terminant suum *fieri*, ut est in ultimo sui exercitii requisito ad hoc, ut tribuat suo effectui, quod absolute et simpliciter sit, accipiunt a suis causis ultimam actualitatem ad ordinem existendi spectantem, nempe ipsam existentiam. Nam cum prior illa actualitas antecedat istam, et hæc sit actualitas ultima: idcirco illa tribuitur a causis, dum ejus causalitates non sunt in ultimo sui exercitii; hæc vero communicatur, dum prædictæ causalitates sunt in *exercito esse*, seu in ultimo sui exercitii, aut (ut alii loquuntur) dum intelliguntur esse exhaustæ quoad omne exercitium, quod requiritur ad tribuendum suo effectui, v. g. composito substantiali, quod absolute et simpliciter sit : et ita prædictæ actualitates differunt etiam in hoc, quod actualitas ad ordinem essentiæ spectans non tribuit essentiæ, quod absolute et simpliciter sit actualis, aut absolute et simpliciter sit ; sed cum addito, scilicet, actualitate (ut sic loquamur) essentiali, seu ad ordinem essentiæ pertinente : cum tamen actualitas ad ordinem existentiæ spectans tribuat essentiæ, quod absolute et simpliciter sit actualis, habeatque absolute et simpliciter quod sit.

Quomodo juxta modo dicta philosophandum in divinis.

Ascendendo igitur ex creaturis ad Deum dicimus, quod sicut in creaturis, v. g. in composito substantiali, distinguitur essentia actualis actualitate (ut sic dicamus) essentiali, seu pertinente ad ordinem essentiæ ab actualitate suæ existentiæ : ita etiam in divinis propria ratio formalis attributorum, et relationum, adhuc ut sunt actuales actualitate propriæ rationis formalis, et pertinente ad suam lineam, et (ut sic dicamus) actualitate essentiali, ac correspondente actualitati repertæ in creaturis, et spectanti ad ordinem essentiæ, distinguuntur virtualiter ab existentia, per quam existunt. Et similiter ipsa essentia divina, ut intelligitur esse actualis ea actualitate, qua æquivalet, et correspondet prædictæ actualitati creatæ, distinguitur ex parte nostri modi concipiendi a se ipsa, ut æquivalet actualitati nostræ existentiæ.

Et sicut essentia actualis creata, ut dicit 65.
actualitatem pertinentem ad ordinem essentiæ, importat primam actualitatem quæ ei competit mediantibus causalitatibus suarum causarum, et connotat ultimam actualitatem, nempe ipsam existentiam : ita etiam attributa, et relationes, ut dicunt actualitatem, suarum linearum præcise, et correspondent essentiis, aut rationibus formalibus creatis, ut præcise actualibus actualitate ad ordinem essentiæ spectante, dicunt suas proprias rationes formales, ut sunt actuales actualitate prima, quam habent, quæque eis ex vi suæ lineæ competit : et connotant ultimam actualitatem alterius lineæ, scilicet existentiam absolutam, per quam existunt. Et similiter ipsa essentia divina, ut præcise concipitur, quatenus est actualis actualitate correspondente actualitati pertinenti ad ordinem essentiæ, quæ in creaturis reperitur, tantum concipitur, ut habens suam actualitatem primam; non vero ut gaudens sua actualitate ultima ; licet in eadem essentia ambæ actualitates pertineant ad eamdem lineam, et solum ex parte nostri modi concipiendi distinguantur, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 3 disputatione 4 dubio 1 et 2 diximus.

Et quemadmodum essentia creata ejusdem compositi substantialis, ut est actualis, actualitate nuper dicta, dicit actualitatem vialem, ratione cujus prædictum compositum est in *egredi*, et *fieri*, seu terminat suum *fieri*, ut nondum est in ultimo sui exercitii ; non tamen est ratione illius in *egresso*, aut *facto esse*, seu ratione ipsius

non terminat suum *fieri*, ut est in ultimo sui exercitii : quia ad hoc ulterius desideratur alia actualitas, quæ non sit vialis, per quamque formaliter res intelligatur in *facto esse*. Sic attributa, et relationes divinæ, ut præcise habent actualitatem correspondentem huic actualitati essentiæ creatæ, tantum sortiuntur actualitatem quasi vialem, id est, non ultimam actualitatem, per quam ultimate (modo statim explicando) sunt in actu : et per hanc actualitatem non ultimam sunt in *dimanari* virtualiter ab essentia divina, non vero in *dimanato esse* (si sic licet loqui) ab eadem essentia, sed ad hoc desideratur ulterior alia actualitas ratione ratiocinata distincta, nempe, ipsa actualitas existentiæ, per quam non sint in *dimanari*, sed in *dimanato esse*, seu per quam terminent dimanationem sui ab essentia, prout talis dimanatio est in ultimo sui exercitii. Et pari ratione divina essentia, ut intelligitur habere præcise similem actualitatem, non vero ultimam, licet non possit concipi ut in *dimanari*, quia ipsa sub conceptu essentiæ a nulla ratione priori dimanat : at dicit actualitatem talis conditionis, ut si per impossibile posset aliquo modo dimanare, non intelligeretur per illam esse in *dimanato esse*, sed in *dimanari*.

66. Ex quo etiam fit, quod sicut essentia creata prædicti compositi substantialis, ut est actualis actualitate ad ordinem essentiæ tantum spectante, non habet actualitatem, qua absolute et simpliciter sit talis, sed cum addito diminuente, si per esse actuale intelligatur ea actualitas, per quam absolute et simpliciter res dicitur esse extra suas causas, aut absolute et simpliciter esse ; e contra vero eadem essentia, ut est actualis actualitate existentiæ, dicit actualitatem absolute et simpliciter talem, prout actualitas absolute et simpliciter talis denotat eam actualitatem, per quam absolute et simpliciter dicitur res esse extra suas causas, et quod absolute et simpliciter sit. Ita attributa, et relationes divinæ, ut dicunt actualitatem correspondentem priori illi actualitati compositi substantialis, non intelliguntur esse actuales actualitate absolute et simpliciter tali, prout actualitas simpliciter talis denotat id, per quod res est omnino extra suam rationem a priori, a qua dimanat ; sed actualitate cum addito, nempe, actualitate correspondente, seclusis imperfectionibus, actualitati creaturarum pertinenti ad ordinem essentiæ : ac proinde actualitate, per quam tantum quodammodo sit extra suam rationem a priori. Et ita præcise ratione hujus actualitatis sunt quodammodo intra divinam essentiam tanquam in principio, a quo dimanant, in quoque quodammodo continentur : quatenus ex vi hujus nondum habent ab ea actualitatem, per quam absolute et simpliciter sint ; sed talis actualitas restat eis accipienda : at per actualitatem posteriorem correspondentem ultimæ actualitati essentiæ creatæ, scilicet existentiæ, habent esse in ultima actualitate, per quam in sensu jam insinuato simpliciter sunt extra principium, a quo dimanant : et de eis absolute et simpliciter dicitur, quod sint.

Et similiter essentia divina, ut correspondet etiam priori illi actualitati creaturarum, et concipitur expresse, et præcise sub hoc conceptu, non intelligitur ut habens suam ultimam actualitatem, per quam absolute et simpliciter sit, sed actualitatem cum addito jam insinuato ; secus vero, ut concipitur expresse sub ultima actualitate existentiæ : tunc enim concipitur expresse, ut absolute et simpliciter est sub ultima actualitate, et ut absolute et simpliciter est : et per consequens, ut dicit actualitatem talis conditionis, quod si posset dimanare ab aliqua ratione a priori, tunc ex vi illius non esset quodammodo intra illam, et quodammodo extra eam ; sed in sensu jam explicato esset absolute et simpliciter extra illam. 67.

Diximus, quod si actualitas absolute et simpliciter talis dicit actualitatem, per quam res absolute et simpliciter est extra suam rationem a priori, tunc tam relationes, quam attributa, necnon divinam essentiam, ut sunt sub sua prima actualitate, et præcise correspondent actualitati essentiæ creatæ spectanti ad ordinem essentiæ, non dicere actualitatem absolute et simpliciter talem, sed cum addito, nempe actualitatem, per quam tantum sunt extra illam quodammodo. Quoniam si loquamur de actualitate absolute et simpliciter tali, prout excludit potentialitatem simpliciter, sive omnem potentialitatem, aut potentialitatis vestigium, tunc prior illa actualitas divinæ essentiæ, attributorum, et relationum est actualitas absolute et simpliciter, imo perfectissime talis.

Et ratio est. Quia omnia illa habent omnem actualitatem excogitabilem, pertinentem tamen ad suam lineam. Et ideo essentia divina absque distinctione virtuali, cum distinctione solum ex parte nostri modi concipiendi, 68

concipiendi, est ipsa vis ad intelligendum, ipsaque intellectio, necnon et existentia sui : quia cuncta ista pertinent ad suam lineam. Et similiter attributa, v. g. voluntas, est sua vis ad volendum, et ipsamet volitio absque distinctione virtuali : quia totum hoc, non vero ipsa actualis existentia, pertinet ad suam lineam : et per consequens tam essentia, quam attributa, et cætera alia, ut habent priorem illam actualitatem, habent illam per modum actus purissimi, prout actus purissimus excludit omnem potentialitatem.

§ XIV.

Occurritur ex dictis ultimo argumento cum suis confirmationibus.

69. Ex dictis solvitur argumentum.

Ex his ergo ad argumentum respondetur distinguendo antecedens : *Sunt tres entitates, sive realitates actuales :* actualitatibus pertinentibus (ut sic dicamus) ad ordinem essentiæ, et correspondentibus præcise similibus actualitatibus in creaturis repertis, per quas tantum sint in *dimanari*, non vero in *dimanato esse* a divina essentia, seu terminent emanationem sui ut est solum in *exerceri*, per quasque non habeant absolute et simpliciter esse, concedendum est. Actualitatibus ultimis pertinentibus ad ordinem existendi, per quas sint in *dimanato esse* a divina essentia, seu per quas terminent dimanationem sui, prout intelligitur esse in ultimo sui exercitii, per quasque absolute et simpliciter habeant esse, negandum est. Quia sumpta actualitate hoc secundo modo, non est in eis triplex actualitas, sed unica, per quam omnes illæ redduntur actuales. Et deinde neganda est consequentia. Quoniam existentia non dicit actualitatem pertinentem præcise ad ordinem essentiæ, per quam res tantum sit in *fieri*, aut *dimanari*, seu tantum habeat terminare dimanationem, ut nondum intelligitur esse in ultimo sui exercitii; sed actualitatem ultimam talis conditionis, ut per eam res sit in *dimanato esse*, seu terminet dimanationem sui, ut est in ultimo sui exercitii, habeatque absolute et simpliciter esse. Quia existentia est ultima rei actualitas : et ideo intelligitur advenire in ultimo exercitii suæ dimanationis ; ac proinde advenire et post omnia alia, quæ intra proprium genus, v. g. substantiæ, illi conveniunt.

Ad probationem autem antecedentis, quatenus aliquo modo potest pugnare contra hanc solutionem, dicendum est, non colligi ex hoc, quod relationes divinæ sint tres realitates relative oppositæ ex vi suæ lineæ, et non sint potentiales, seu realitates in potentia tantum, debere esse actuales ex vi ejusdem lineæ præcise per actualitatem ultimam, per quam sint in *dimanato esse*, quæque pertineat ad ordinem existendi, ut aliquo modo distinctum ab ordine (ut sic loquamur) essentiæ, sive rationis formalis existentis per illam. Quia actualitas hæc non est actualitas pertinens ad lineam attributorum, aut relationum ; sed solum ad lineam divinæ essentiæ, quæ utrumque ordinem debet dicere : ne si prædicta actualitas pertineret ad quamlibet ex his lineis, amittatur (ut probatum est) unitas per se perfectissima, quæ in divinis reperiri debet : et ne multiplicentur in Deo æternitates, et immutabilitates, colligaturque, existentiam absolutam divinæ essentiæ non esse infinite perfectam, ut ostensum est. Et ita ad hoc, ut relationes divinæ ex vi suæ lineæ non sint realitates potentiales, satis est, quod sint actuales per modum actus purissimi ea actualitate, quæ præcise pertinet ad suam lineam, quæque pertinet ad ordinem (si sic licet loqui) essentiæ, seu (ut melius, et proprius dicamus) ad ordinem rationis formalis relativæ, prout distinctæ virtualiter ab ordine existendi. Sicut ad hoc, quod voluntas non sit in divinis realitas potentialis, satis est, quod sit actualis per modum actus purissimi intra suam lineam pertinentem ad ordinem essentiæ præcise, ita ut sit ipsa vis ad volendum, et ipsa actualis volitio absque distinctione virtuali, et non requiritur, quod a sua propria linea habeat actualitatem existendi, ut ex rationibus factis satis constat.

Ex quo etiam ad id, quod in probatione 70.
antecedentis additur, satis constat. Quoniam licet inter esse realitatem in potentia tantum, et esse realitatem actualem, prout realitas ista posterior dicit actualitatem primam, quæ convenit rei intra suam propriam lineam, per quamque (modo dicto) est in *fieri*, aut *dimanari* a sua causa, aut quasi causa, non detur medium in formis, aut quasi formis : et propterea de eis, et de concretis illarum, ut concreta illarum sunt, loquendo, id, quod nondum est adhuc in *fieri*, aut *dimanari*, debet esse ens tantum in potentia. Cæterum inter ens, seu realitatem in potentia tantum, et realita-

tem in actu actualitate ultima, per quam illa realitas est omnino extra suas causas, aut quasi causas, id est, in *facto* aut *dimanato esse*, quæque coincidit omnino cum existentia, debet necessario dari medium, nempe, actualitas prima pertinens ad ordinem essentiæ, ut aliquo modo distinctæ ab ordine existendi, per quam realitas illa non sit in *facto* aut in *dimanato esse*, sed tantum in *fieri*, aut in *dimanari*, etc. modo explicato.

71. Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem constat ex dictis, concedendum esse antecedens, et negandam consequentiam. Et ad probationem patet etiam ex dictis, quomodo divinæ relationes ex vi suæ lineæ non habeant tantum in potentia dimanare a divina essentia; sed ex vi sua sint semper actu in *dimanari* ab illa; quamvis ex vi suæ lineæ præcise non sint in *dimanato esse* ab eadem. Itaque prædictæ relationes semper et necessario sunt in *dimanari* a divina essentia, semperque et necessario sunt in *dimanato esse* ab illa : cæterum illud prius habent ex vi suæ lineæ ; hoc tamen posterius convenit eis ex vi alterius lineæ, nempe ex vi existentiæ absolutæ divinæ essentiæ pertinentis ad lineam ejusdem essentiæ : quia, ut sæpe diximus, ordo existendi, et ordo essentiæ Dei spectant ad lineam divinæ essentiæ : ac proinde sunt tantum distincti ex parte nostri modi concipiendi. Unde ad hoc, ut prædictæ relationes non concipiantur præcise ut possibiles, vel ut futuræ ex vi suarum linearum, satis est, quod ex vi earum semper et necessario sint in *dimanari* a divina essentia, et ab eadem, ut dicit actualitatem suam ultimam, per quam existit, habeant semper et necessario, quod sint in *dimanato esse*.

72. Enodatur secunda. Ad secundam confirmationem patet etiam ex dictis, concedendam esse majorem, si concretum multiplicetur, quatenus est constitutum per suam formam, seu, si hæc multiplicatio fiat substantive; secus vero, si concretum non sic multiplicetur. Cæterum hoc concretum, *realitas actualis, et existens*, prout ly *actualis* dicit actualitatem ultimam coincidentem cum existentia, per quam res redditur formaliter existens, non multiplicatur in tribus relationibus divinis, ita ut sint tres realitates existentes substantive, seu, ita ut multiplicentur, quatenus constitutæ sunt per prædictam actualitatem ultimam. Quia etsi sint tres habentes unam et eamdem actualitatem ultimam, unamque et eamdem existentiam; non tamen sunt sic actuales et existentes per tres actualitates jam dictas, tresque existentias : sed per unicam et eamdem.

Sicut, licet humanitas Christi Domini, et Verbum sint duo habentes existentiam, prout esse habens illam extenditur ad id, quod existit, et ad id, quod coexistit; non tamen ibi sunt duæ existentiæ, sed unica et eadem, per quam utrumque suo modo existit, seu per quam unum ex his extremis, nempe Verbum, existit, et alterum, nimirum humanitas, coexistit, ut ex D. Thoma in alio tomo hujus nostri Cursus explicantes articulum 2 quæstionis 17 contentæ in 3 parte ejusdem S. Doctoris latius dicemus. Et similiter, licet materia, et forma in composito substantiali sint duæ partes, et per modum partium existentes; non tamen sunt ibi duæ existentiæ, ut nostri Complutenses in lib. Physicorum disput. 3 quæst. 5 et 6 satis probant. N. compl.

Unde prædictæ relationes divinæ solum multiplicantur in *esse* realitatum actualium substantive, prout realitas actualis dicit actualitatem primam, per quam sunt in *dimanari*, seu terminant dimanationem sui, ut non intelligitur esse in ultimo sui exercitii, ac proinde habent (ut sic dicamus) quasi tendere ad actualitatem ultimam, per quam sint in *dimanato esse*, seu per quam terminent dimanationem sui, prout intelligitur esse in ultimo sui exercitii, per quamque absolute et simpliciter sint. Et ideo solum multiplicantur in *esse* realitatum actualium, prout actualitas dicit id, per quod sunt proxime capaces, ut actuentur per actualitatem ultimam existentiæ divinæ essentiæ.

§ XV.

Objectio quædam, ex cujus solutione, quæ nuper diximus, illustrantur.

Nec obest, si contra omnia fere, quæ in hac solutione diximus, objicias, quod divinæ relationes non habent ex vi suarum linearum esse in *dimanari* a divina essentia, si semel ex vi earumdem linearum non habent, quod sint in *dimanato esse* ab illa : ergo ex vi sua nullam dicunt actualitatem, adhuc pertinentem ad ordinem (ut sic loquamur) essentiæ, seu ad ordinem rationis formalis, et actualis ea actualitate, quæ tribuit proximam capacitatem ad existentiam : siquidem per hanc actualitatem habitam ex vi alicujus lineæ habet res esse 73. Objectio contra omnia supradicta.

in

in *dimanari*, aut *fieri*. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam cum ratio formalis relationis sit omnino indivisibilis, oportet, ut non sit partim intra, et partim extra principium, a quo virtualiter dimanat; sed quod sit, vel omnino intra, ac proinde non sit adhuc in *dimanari*; vel omnino extra, et per consequens sit ex vi sua in *dimanato esse*, si semel ex vi sua habet, quod sit in *dimanari*, seu quod terminet dimanationem illam, prout est (ut sic dicamus) in initio sui exercitii.

Roboratur eadem objectio 1. Adde primo, quod rationes, quibus supra n. 13 et deinceps ostendimus, non dari in divinis tres increatos, aut tres æternos, videntur etiam suadere, non dari tres dimanantes a divina essentia : ergo etiam suadebunt, quod vel non dantur tres habentes actualitatem primam, per quam sint in *dimanari*, ac proinde relationes divinas esse realitates quasdam potentiales; vel dari tres increatos, et tres æternos, saltem relative : quod sine triplici existentia relativa admitti nequit. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quoniam cui ex vi sua competit proprium *dimanari*, et non ab alio tanquam a causa, habet proprium esse quid increatum, et per consequens proprium esse durans. Quia sicut omne habens proprium *esse* quid creatum, gaudet propria duratione, ita et quod ex vi sua sortitur esse quid increatum.

Amplius roboratur. Adde secundo, quod post actualitatem existentiæ adveniunt in creaturis proprietates earum : et prædictæ creaturæ non censentur esse in *facto esse* absolute et simpliciter, usquedum habeant, tam *esse* essentiæ, et existentiæ, quam proprietates omnes ex essentia illa existenti dimanantes : ergo nec existentia erit ultima rei actualitas, neque erit id, per quod res est absolute et simpliciter in *facto esse* : ac proinde ruet totum fere fundamentum præcedentium solutionum, quas huic ultimo argumento, et ejus confirmationibus adhibuimus.

74. Resolvitur objectio N. Compl. Respondetur enim ad objectionem negando antecedens. Et ad probationem occurrendum est ex quadam doctrina, quam adducunt ad aliud intentum N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 3 num. 63. Quod sicut materia prima in illo priori, in quo secundum suum *esse* realis essentiæ intelligitur causare formam substantialem, et compositum quoad *esse* realis essentiæ, quam dicunt, tantum intelligitur quasi extra causam efficientem ; non vero in statu sistendi, quem nomen existentiæ significat, sed (ut sic dicamus) in statu viali, et in *egredi* : sicut solum habet causare compositum ipsum ut in *egredi* : ideoque tam ipsa, quam compositum solum intelliguntur habere a causa efficienti suam essentiam realem; non vero existentiam, per quam constituuntur in esse simpliciter extra causas. Ita in præsenti divinæ relationes, ut intelliguntur esse in *dimanari*, solum habent a divina essentia, ut a quasi causa earum, suam rationem formalem relativam, seu (si sic licet loqui) suam essentiam relativam; non tamen habent, quod sint in *dimanato esse* : ac proinde in illo priori non intelliguntur habere existentiam, per quam sint in *dimanato esse*, et absolute ac simpliciter extra illam quasi causalitatem divinæ essentiæ circa illas.

Cæterum, sicut cum dicimus, materiam v. g. esse tunc in *egredi*, non est sic intelligendum, quod secundum suam puram potentialitatem subjectivam nude consideratam partim sit intra causam, et partim extra, quasi aliquid illius puræ potentialitatis exierit a sua causa, et aliquid intra illam remaneat; sed quia, licet tunc totam suam puram potentialitatem essentialem habeat ab agente, non tamen omne id, quod intra proprium genus substantiæ debet in instanti generationis habere : quia deest illi, tum actualitas ad ordinem essentiæ spectans, quam participat a forma : tum etiam existentia, seu coexistentia in toto, per quam constituitur omnino extra causas. Ita in præsenti, proportione tamen servata, philosophandum est. Unde divinæ relationes eatenus dicuntur esse in *dimanari*, quatenus nondum habent ultimam actualitatem, id est, omnem illam actualitatem, per quam tendunt, seu sunt proxime coaptatæ in ordine ad ultimam actualitatem.

Ad id autem, quod in hac objectione 75.
primo loco additur, dicendum est, quod in primis rationes a nobis factæ probant, dandos esse tres increatos, et tres æternos realiter distinctos, et realiter procedentes in divinis, si semel dantur tres existentiæ relativæ. Cæterum ex eo, quod dentur tres relationes, quæ ex vi suarum linearum sint in *dimanari* virtualiter a divina essentia, non sequitur, danda esse tria increata, aut tria æterna realiter procedentia. (Occurritur ad illud quod primo adducitur pro roboranda objectione.)

Deinde addendum est, adhuc non sequi, dari tria increata, aut tria æterna virtuali-

ter procedentia, aut dimanantia. Quia etsi id, quod est in *dimanari*, seu terminat suam dimanationem, ut nondum est in ultimo sui exercitii, debeat etiam esse id, quod in sequenti signo est in *dimanato esse*; non tamen oportet, ut per id ipsum, per quod est in *dimanari*, sit in *dimanato esse*. Et ideo potest per aliquid, quod sit suæ lineæ, esse in *dimanari*, atque adeo habere proprium sibi *dimanari*; cum tamen per aliquid alterius lineæ sit in *dimanato esse*: et per consequens, si plura divina habuerint unum et idem esse existentiæ divinæ, per quam sint in *dimanato esse*, non erunt plura increata, pluraque æterna : quia ad hoc requiritur pluralitas in *esse* existentiæ tribuente, quod aliquid sit in *dimanato esse*.

76. Fit obviam ad id quod secundo adducitur.

Ad illud autem, quod secundo loco additur dicendum est, quod dum dicitur, existentiam esse ultimam actualitatem rei, intelligitur per distributionem (ut sic dicamus) accommodam : ita ut id, quod respectu cujuscumque rationis formalis ultimo loco ei advenit, per quamque quoad prædictam rationem formalem est omnino in *facto esse*, sit ipsa existentia; non vero aliqua actualitas pertinens ad ordinem essentiæ, prout ordo iste aliquo modo distinguitur ab ordine existendi. Unde existentia substantialis, per quam existit compositum, v. g. substantiale, advenit ultimo eidem composito inter omnia, quæ intra lineam substantiæ ei competunt, datque illi, ut quoad substantiale sit aboslute et simpliciter in *facto esse*, ac proinde *factum esse* primarium absolute et simpliciter tale.

Et deinde, si illa existentia posset extendi ad hoc, ut per illam existerent proprietates, et accidentia prædicti compositi, licet ut est ratio existendi ipsi composito, adveniret prius, quam accidentia; attamen, ut actualiter extenderetur ad communicandum se illis proprietatibus, non esset, usquedum essent ipsæ proprietates. Quia licet tota ejus entitas præesset, ex eo quod esset necessaria ad terminandum compositum, non tamen se communicaret cuilibet ex illis proprietatibus, v. g. quantitati, usquedum prædicta quantitas secundum suum *esse* essentiæ adveniret. Sicut quia de facto singulæ proprietates accidentales completæ habent suum *esse* existentiæ accidentale, propterea hoc non advenit illis, usquedum habeant suum *esse* essentiæ actualis actualitate pertimente ad ordinem essentiæ : et prædictum *esse* existentiæ tribuit illis suum *factum esse* proportionatum eisdem : ita ut sit, vel *factum esse* secundarium, quoties accidens fit per dimanationem; vel primarium, et accidentale, dum fit per propriam actionem.

Unde etiam in divinis existentia divinæ essentiæ intelligitur ei ex parte nostri modi concipiendi advenire post *esse* essentiæ actualis actualitate spectante ad ordinem essentiæ, prout ex parte tantum nostri modi concipiendi, et sine fundamento in Deo, *esse* essentiæ divinæ distinguitur ab *esse* existentiæ illius. Et si per impossibile posset habere aliquam rationem priorem, a qua dimanaret, tunc illud *esse* existentiæ, quia est *esse* existentiæ simpliciter, et *esse* primarium, simpliciter tribueret ei, quod esset in *dimanato esse* primario, et in *dimanato esse* simpliciter. 77.

Et deinde prædictum *esse* existentiæ non intelligitur ut se extendens ad hoc, ut cætera alia divina reddat existentia, usquedum illa secundum suum *esse* reale (ut sic dicamus) essentiæ, seu propriæ rationis formalis sint in *dimanari* : et eo ordine, quo sic dimanant, præstat eis, quod sint in *dimanato esse*. Et propterea falsum est, quod in hoc additamento dicitur, scilicet, non esse res in *facto esse* absolute et simpliciter, usque dum habeant omnes proprietates; licet præhabeant *esse* essentiæ, et existentiæ substantialis. Quia licet res non sit in omni *facto esse*, sive primario, sive secundario; sive substantiali, sive accidentali, per existentiam substantialem; est tamen, loquendo de *facto esse* substantiali, et primario, in *facto esse* absolute et simpliciter per *esse* substantiale; et sermonem faciendo de *facto esse* accidentali, est in illo per *esse* accidentale, ut jam diximus. Et ita loquendo de *esse* existentiæ in omni sua amplitudine, prout ambit omne *esse* existentiæ, semper res est in *facto esse* per illud : quia semper ab aliquo *esse* existentiæ est res in suo *facto esse*, quodcumque illud sit.

ARTICULUS III.

Infra q. 3[illegible] art. [illegible] corpo[illegible] art. [illegible] cor. [illegible] pot. q. [illegible] art. [illegible] et 6 corp.

Utrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab invicem non distinguantur. Quæcumque enim uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. Sed omnis relatio in Deo existens est idem secundum rem cum divina essentia. Ergo relationes secundum rem ab invicem non distinguuntur.

2.

2. Præterea, sicut Paternitas, et Filiatio secundum nominis rationem distinguuntur ab essentia divina, ita et bonitas, et potentia. Sed propter hujusmodi rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio bonitatis, et potentiæ divinæ. Ergo neque Paternitatis et Filiationis.

3. Præterea, in divinis non est distinctio realis, nisi secundum originem. Sed una relatio non videtur oriri ex alia. Ergo relationes non distinguuntur realiter ab invicem.

* Non multum a fine lib.

Sed contra est, quod dicit Boetius in lib. de Trinitate *, quod substantia in divinis continet unitatem; relatio multiplicat Trinitatem. Si ergo relationes non distinguuntur ab invicem realiter, non erit in divinis Trinitas realis, sed rationis tantum : quod est Sabelliani erroris.

Respondeo dicendum, quod ex eo quod aliquid alicui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius. Sicut cuicumque attribuitur homo, oportet, quod attribuatur ei esse rationale. De ratione autem relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio (ut dictum est *), oportet, quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet, quod in Deo sit realis distinctio; non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa unitas, et simplicitas; sed secundum rem relativam.

* Art. 1 hujus quæst.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 3 Physicorum * argumentum illud tenet, quod quæcumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his, quæ sunt idem re, et ratione, sicut tunica, et indumentum : non autem in his, quæ differunt ratione. Unde ibidem dicit *, quod licet actio sit idem motui, similiter et passio; non tamen sequitur, quod actio, et passio sint idem : quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili; in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter licet Paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter Filiatio; tamen hæc duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus, unde distinguuntur ab invicem.

* Lib. 5 Physic. text. 21 tom. 2.
* Lib. 3 Physic. text. 22 tom. 2.

Ad secundum dicendum, quod potentia, et bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Unde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamvis relationes, proprie loquendo, non oriantur, vel procedant ab invicem; tamen accipiuntur per oppositum secundum processionem alicujus ab alio.

Conclusio : In Deo est realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, sed secundum rem relativam.

ARTICULUS IV.

Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio?

Infra q. 30 art. 1 cor. et art. 2 corp. et ad 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sint tantum quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio. Est enim considerare in Deo relationes intelligentis ad intellectum, et volentis ad volitum, quæ videntur esse relationes reales, neque sub prædictis continentur. Non ergo sunt solum quatuor relationes reales in Deo.

2. Præterea, relationes reales accipiuntur in Deo secundum processionem intelligibilem verbi. Sed relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, ut Avicenna dicit. Ergo in Deo sunt infinitæ relationes reales.

* Q. 13 art. 2.
* Q. 15 art. 2.

3. Præterea, ideæ sunt in Deo ab æterno, ut supra dictum est *. Non autem distinguuntur ab invicem, nisi secundum respectum ad res, ut supra dictum est *. Ergo in Deo sunt multo plures relationes æternæ.

4. Præterea, æqualitas, et similitudo, et identitas sunt relationes quædam, et sunt in Deo ab æterno. Ergo plures relationes sunt ab æterno in Deo, quam quæ dictæ sunt.

* Lib. 3 Physic. text. 21 tom. 2.

Sed contra, videtur, quod sint pauciores. Quia secundum Philosophum in 3 Physicorum *, eadem via est de Athenis ad Thebas, et de Thebis ad Athenas. Ergo videtur, quod pari ratione eadem sit relatio de Patre ad Filium, quæ dicitur Paternitas, et de Filio ad Patrem, quæ dicitur Filiatio. Et sic non sunt quatuor relationes in Deo.

* Lib. 5 Metaph. text. 20 tom. 5.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 5 Metaphysicæ *, relatio omnis fundatur, vel supra quantitatem, ut duplum, et dimidium, vel supra actionem, et passionem, ut faciens, et factum, pater, et filius, dominus, et servus, et hujusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo : est enim sine quantitate magnus, ut dicit Augustinus *. Relinquitur ergo, quod realis relatio in Deo esse non possit, nisi super actionem fundata : non autem super actiones, secundum quas procedit aliquid extrinsecum a Deo : quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, ut supra dictum est *. Unde relinquitur, quod relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo intra, sed non extra. Hujusmodi autem processiones sunt duæ tantum, ut supra dictum est *, quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi; alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, et alia ipsius principii. Processio autem verbi dicitur generatio secundum propriam rationem, qua competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur paternitas. Relatio vero procedentis a principio dicitur filiatio. Processio vero amoris non habet nomen proprium, ut supra dictum est *. Unde neque relationes, quæ secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principii hujus processionis, spiratio; relatio autem procedentis, processio : quamvis hæc duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, et non ad relationes.

* Lib. 1 de Trinit. c. 1 circa fin. et lib. 6 cap. 7 circa princ. tom. 3.
* Q. 13 art. 7.
* Q. 27 art. 3 præcipue.
* Q. 27 art. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod in his, in quibus differt intellectus, et intellectum, volens, et volitum, potest esse realis relatio, et scientiæ ad rem scitam, et volentis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omnino intellectus, et intellectum : quia intelligendo se, intelligit omnia alia : et eadem ratione voluntas et volitum. Unde in Deo hujusmodi relationes non sunt reales, sicut neque relatio ejusdem ad idem. Sed tamen relatio ad Verbum est realis : quia Verbum intelligitur, ut procedens per actionem intelligibilem, non autem ut res intellecta. Cum enim intelligimus lapidem, id, quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.

Ad secundum dicendum, quod in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur : quia alio actu intelligit homo lapidem : et alio actu intelligit, se intelligere lapidem; et alio intelligit etiam hoc intelligere : et sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi : et per consequens relationes intellectæ. Sed hoc in Deo non habet locum : quia uno actu tantum omnia intelligit.

Ad tertium dicendum, quod, respectus ideales sunt intellecti a Deo : unde ex eorum pluralitate non sequitur, quod sint plures relationes in Deo; sed quod Deus cognoscat plures relationes.

* Q. 42 art. 4 ad 3.

Ad quartum dicendum, quod æqualitas, et similitudo in Deo non sunt relationes reales, sed rationis tantum, ut infra patebit *.

Ad quintum dicendum, quod via est eadem ab uno termino ad alterum, et e converso; sed tamen respectus sunt diversi. Unde ex hoc non potest concludi, quod eadem sit relatio Patris ad Filium, et e converso. Sed posset hoc concludi de aliquo absoluto, si esset medium inter ea.

Conclusio affirmativa.

DISPUTATIO VIII.

De divinis relationibus quoad numerum, et distinctionem earum inter se.

Postquam D. Thomas in duobus articulis præcedentibus explicuit, dari in Deo relationes, et has esse idem cum divina essentia, aliaque pertinentia ad rationes formales prædictarum relationum, ne non et ad existentiam, per quam existunt, merito in duobus istis articulis ejusdem quæstionis comparat eas inter se, et de distinctione, ac numero earum agit. Nam post quæstionem *an est* divinarum relationum, et post quæstionem (ut sic dicamus) *quid est* 1.

illarum, necnon et post comparationem ipsarum cum essentia (quod quidem, quantum materia hujus quæstionis exigebat, præstitit Angelicus Doctor in duobus articulis præcedentibus) statim pulsabat animum comparatio illarum inter se. Et ita ad hanc explicandam excitat S. Doctor hos duos posteriores articulos præsentis quæstionis, et nos octavam istam disputationem movemus.

DUBIUM I.

Utrum relationes in divinis distinguantur realiter ab invicem?

2. Consulto in titulo non inquiritur universaliter, an omnes relationes reales, quæ sunt in Deo, realiter ab invicem sunt distinctæ? sed solum indiffinite. Quia non vocamus in dubium in præsenti, an inter omnes illas sit realis distinctio? sed tantum, an earum aliquæ ab invicem realiter D.Thom. distinguantur? Sicut etiam D. Thomas in art. 3 hujus quæstionis, ad cujus explicationem dubium hoc excitatur, non universaliter de omnibus relationibus, sed indiffinite hoc ipsum inquisivit. Et merito sane. Nam cum S. Doctor nondum explicuisset, quæ, et quot sint in Deo relationes reales; sed solum, esse in illo prædictas relationes : propterea non quæsivit, an omnes distinguerentur inter se realiter; sed an aliquæ ex illis sint ab invicem realiter distinctæ. Ad hoc enim decidendum satis erat, ut ex statim dicendis constabit, præmisisse, dari in Deo reales relationes : cum tamen ad decidendum, an sit distinctio realis inter omnes relationes divinas ab invicem, præmittendum esset, quæ, et quot sint prædictæ relationes.

§ I.

Vera, et Catholica sententia.

3. Conclusio de fide. Dicendum ergo est, vere dari in divinis distinctionem realem inter relationes ibidem repertas. Assertio hæc intellecta, ut numero præcedenti dicebamus, de relationibus realibus in Deo repertis, et indiffinite sumptis, est certa secundum fidem, et communiter eam omnes Theologi fatentur : Conc. Lateran. propterea que in Concilio Lateranensi sub Innocentio III cap. 1 quod refertur, cap. *Firmiter. De Summa Trinitate*, sic dicitur : *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum proprietates personales discreta.* In quibus verbis, nomine proprietatum personalium, intelligit Concilium relationes, ut communiter exponunt Theologi. Et in Concilio Toletano XI in confessione fidei sic habetur : Conc. Tolet. XI *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus et unus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero. In relatione etiam enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod in se sunt.* Et in Concilio Florentino Sessione 18 post medium sic asseritur : Conc. Flor. *Sola namque relatio, quam principalem habitudinem superius nominavimus, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores divina processione personas multiplicat.* In quibus testimoniis licet non asseratur expresse, relationes esse inter se realiter diversas : nihilominus id in eis supponitur ut certum, hoc ipso quod in illis asseratur, personas per eas distingui realiter, esseque secundum proprietates personales discretas, ac numerum inter se constituere.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma in art. 3 4. Ratio fundamentalis. D.Thom. hujus quæstionis, potestque ad hanc brevem formam reduci. Quia in divinis dantur relationes reales se mutuo respicientes : ergo realis oppositio inter illas : ac proinde realiter ad invicem distinguentur. Antecedens constat ex dictis quæst. præcedenti, et art. 1 hujus quæstionis. Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam ubi sunt reales relationes, ibi est realis oppositio inter illas. Secunda autem consequentia ex hac priori aperte sequitur. Siquidem realis oppositio inter aliqua petit realem distinctionem inter ipsa.

Nec obest, si objicias cum aliquibus in Objectio. præsenti, quod ex eo, quod aliqua opponantur relative, non sequitur distinctio realis rei a re inter ipsa, qualem in præsenti ex vi rationis D. Thomæ intendimus : cum plura accidentia dicant oppositionem relativam cum substantia respiciendo illam per relationem realem distinctionis cum tamen non omnia accidentia distinguantur realiter distinctione rei a re ab eadem substantia.

Respondetur enim, rationem D. Thomæ Enodatio. procedere de relationibus realibus, non quibuscumque, sed fundatis in vera et propria actione, et passione, per quam communicetur

municetur univoce principium proximum ejusdem actionis in *esse* rei concurrens : nam quæ sic relative opponuntur, debent etiam inter se realiter distinctione rei a re distingui. Constat autem, relationes reales repertas in divinis esse hujus conditionis. (D.Thom.) Et propterea D. Thomas in art. 3 hujus quæstionis in solutione ad 3 dixit, in divinis non esse distinctionem realem, nisi secundum originem.

§ II.

Argumentum primum contra assertionem, et ejus solutio.

5. (Primum argumentum contra Catholicam veritatem.) Sed licet veritas in assertione contenta sit adeo certa; nihilominus non desunt aliqua argumenta, quæ contra eam pugnare videntur. Primum. Quod si relationes divinæ distinguerentur realiter inter se, tunc daretur syllogismus expositorius, in quo præmissæ essent legitimæ; non tamen ex illis deduceretur bona consequentia : quod tamen est contra communem Dialecticorum sententiam. Sequela patet. Quoniam hic syllogismus est expositorius : *Hæc essentia* (signata essentia divina) *est Pater : hæc essentia est Filius : ergo Filius est Pater* : et tamen præmissæ sunt veræ, et consequentia non est legitima.

(Prima solutio. D.Thom.) Ad hoc argumentum respondent aliqui, prædictum syllogismum non esse expositorium. Et ratio est. Quia teste D. Thoma infra quæst. 39 art. 4 ad 1 et in 1 distinct. 4 quæst. 1 art. 2, subjectum, et medium ejus nempe, *hæc essentia* (signata essentia divina) non est terminus perfecte singularis; sed habet aliquid termini communis, in quantum est communis communitate rei pluribus suppositis, et formalitatibus divinis, quæ secum identificat, potestque pro illis, et pro istis distribui : ad syllogismum autem expositorium medium aptum debet esse perfecte singulare, et incapax distributionis. (Cajetan.) Ita Cajetanus in eadem quæst 39 art. 1 qui hoc argumento convictus asserit, ista non esse contradictoria, nempe : *Hæc essentia divina est communicabilis : hæc essentia divina non est communicabilis*, ex defectu subjecti perfecte singularis, (Soto.) Soto lib. 2 Summul. 2 p. cap. 2 lect. 3, (Bellarm.) Bellarminus lib. 2 de Christo cap. 19 ad 3, (Becanus.) Becanus c. 3 de personis quæst. 4.

6. (Secunda solutio.) Secundo respondetur, quod adhuc admisso, prædictum syllogismum esse expositorium; nihilominus committi in eo defectum : et propterea in illo non deduci verum consequens. Defectus autem in eo repertus est, quod terminus ille singularis, qui est medium, est simul communis communitate rei : et ob hanc rationem debet perfecte distribui, sicut alii termini communes. Si vero perfecte distribueretur, tunc sicut præmissæ erunt falsæ, ita et consequens. Modus autem perfecte distribuendi prædictum terminum erit, vel dicendo sic : *Hæc essentia, ut est in tribus personis, est Pater : hæc essentia, ut est in tribus personis, est Filius : ergo filius est Pater* : tunc tamen ambæ præmissæ sunt falsæ, et similiter consequens, licet consequentia bene deducatur. Vel secundo potest perfecte distribui prædictus terminus singularis, si adjungas terminum distributivum *omnis*, et addendo debitos terminos, reducas illum ad formam *Darii* sic : *Omnis res, quæ est hæc essentia divina, est Pater : Filius est hæc essentia divina : ergo Filius est Pater* : at tunc major est falsa, et similiter consequens.

§ III.

Argumentum aliud contra assertionem, et duplex ejus enodatio in idem fere coincidens.

Secundum argumentum est. Quod si semel verum est, relationes divinas distingui inter se realiter, tunc non esset verum commune illud axioma ab omnibus Dialecticis, et Metaphysicis receptum, scilicet : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Siquidem in eo eventu relationes divinæ, v. g. Paternitas, et Filiatio, essent idem realiter cum essentia divina; et tamen inter se realiter distinguerentur. 7. (Argumentum secundum.)

Ad hoc argumentum respondetur primo, quod ad salvandum illud axioma, nimirum, quod *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, satis est, ut unum eorum realiter sit idem, quod alterum; vel saltem, ut id, quod est idem uni eorum, sit etiam idem alteri : nam eo ipso jam sunt idem inter se, vel ratione sui, et quoad id, quod ex se afferunt; vel ratione tertii, et ratione ejus, quod tertium illud affert, ut contingit in divinis. Nam ex eo quod Filiatio, et Paternitas identificantur cum essentia, bene sequitur, vel quod sint idem inter se ratione sui, vel quod essentia, quæ est idem cum Filiatione, sit etiam idem cum (Enodatur primo.)

Paternitate : ac proinde, quod sint idem inter se, vel ratione sui, vel tertii. Quam Capreol. interpretationem tradit Capreolus in 1 dist. 2 q. 3 art. 1.

8. Diluitur secundo. Cajetan. Ferrara. Scotus. Capreol. Cum qua etiam fere omnino coincidit ea, quam tradunt Cajetanus in præsenti, et Ferrara 2 contra Gentes cap. 9, necnon Scotus in 1 dist. 2 quæst. 4 § *Ad primum argumentum principale*, et Capreolus loco citato in fine prædicti articuli, nempe, quod ea, quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se ratione tertii, et quoad illam præcise rationem, in qua identificantur cum tertio. Et ideo, quia Paternitas et Filiatio identificantur cum divina essentia tanquam cum tertio, identificantur etiam inter se in essentia, in qua sunt idem, quæque habet rationem tertii.

D.Thom. Desumiturque utraque solutio ex D. Thoma. Nam prima insinuatur ab illo quæst. 8 de Potentia artic. 2 ad 10. Secunda vero habetur 1 Sententiarum dist. 33 quæst, 1 artic. 1 ad 2 his verbis : *Dicendum, quod si aliquando duo sint idem, secundum id, quod idem sunt, in quocumque est unum, et alterum. Paternitas autem, et essentia divina sunt idem secundum esse : et ideo sicut in Filio est esse essentiæ, ita et in Filio est esse Paternitatis : quia in divinis non est nisi unum esse. Sed Paternitas habet aliquid, in quo non unitur cum essentia, scilicet rationem Paternitatis, quæ est alia a ratione essentiæ. Unde secundum illam rationem respectus potest esse in Patre, et non in Filio, scilicet, distinguere Patrem a Filio. Unde in processu incidit fallacia accidentis.*

9. Prima objectio Molinæ contra hanc secundam solutionem. Cæterum hæc posterior solutio, ac proinde prior, quæ (ut diximus) in idem fere coincidit cum hac posteriori, displicet Molinæ, Valentiæ, Suarez, et aliis. Unde Molina objicit primo. Quod in syllogismis non inferimus in conclusione, quod major extremitas sit idem cum minori illa eadem identitate præcise, qua sunt idem cum medio ; sed absolute colligimus, majorem extremitatem competere, aut non competere minori propter connexionem, sive identitatem, quam utraque habet cum medio in præmissis : ergo signum est, quod sensus illius axiomatis : *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* non est tantum, quod sint eadem inter se præcise quoad medium, cum quo identificantur ; sed quod absolute sunt inter se idem, sicut absolute sunt idem cum medio.

Et confirm. Confirmabis ex Valentia, et Suarez. Quoniam secundum hanc expositionem idem esset dicere, quod *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* ac dicere, quod *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem illi tertio* : ac proinde esset probare idem per idem, redderturque hoc axioma inutile, et inane ad utendum illo in ordine ad rectos, et doctrinales syllogismos conficiendos. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia identificari extrema præcise quoad illam rationem, in qua identificantur in tertio, idem prorsus est, ac identificari cum ipso tertio. Et propterea, quod relationes divinæ identificentur inter se quoad illam rationem, in qua identificantur in tertio, est idem penitus, ac quod identificentur cum tertio, nempe cum essentia divina : ergo juxta solutionem istam idem esset dicere, quod *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* ac asserere, quod *quæcumque sunt eadem prædicto tertio, sunt eadem illi.*

Secundo contra eamdem expositionem objicies. Quoniam secundum illam non salvatur id, quod salvari intenditur, nimirum, quomodo divinæ relationes identificentur cum essentia Dei, et nihilominus distinguantur realiter inter se : ergo ad præsens institutum erit inanis. Antecedens probatur. Quoniam si semel quæ sunt eadem uni tertio quoad id, in quo sunt eadem illi, debent esse eadem inter se, consequens erit, ut Paternitas, et Filiatio quoad suas proprias realitates debeant esse idem inter se : siquidem secundum illas identificantur cum tertio, nempe cum divina essentia. 10. Secunda objectio.

Tertio tandem objici potest. Quod prædictum axioma æquivalet huic propositioni hypotheticæ, videlicet, quod *quæ ita sunt eadem uni tertio, ut ab eo realiter non distinguantur, debent etiam ita esse idem inter se, ut ab invicem non distinguantur realiter* : ergo prædictum axioma non recte explicatur a D. Thoma per hoc præcise, quod quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se, quoad propriam rationem tertii. Tertia et ultima.

Confirmatur. Quoniam hæc expositio plus justo videtur arctare prædictum axioma. Siquidem in omnibus rebus creatis aperte constat, quod quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se quoad proprias rationes, et non solum quoad rationem tertii. Confirmatio.

Istæ tamen objectiones non enervant expositionem Angelici Doctoris. Unde ad primam respondetur, quod licet in quamplurimis 11. Enodatur prima objectio.

plurimis syllogismis absolute inferatur, majorem extremitatem identificari, aut convenire minori propter identificationem, sive connexionem utriusque cum medio significatam in præmissis : nihilominus quantum est ex vi hujus axiomatis formalissime sumpti, semper est intelligenda conclusio de identitate quoad illam rationem præcise in medio, seu de identitate extremorum ratione medii; quamvis alias ex aliis capitibus possit major alia identitas colligi.

Dilucidatur solutio. Explicatur hoc. Etenim aliud est, quid identitatis inferatur ex vi hujus axiomatis inter extrema inter se collata, ex eo quod identificentur cum medio, ita ut hoc proveniat ex formali ratione suorum terminorum abstrahendo ab omni materia; aliud vero, quid identitatis sequatur ex vi prædicti axiomatis, non considerati cum hac præcisione, et formalitate, sed ut habet adjunctas alias circumstantias, sive ut est applicatum ad talem materiam. Si igitur loquamur de identitate sequuta ex vi hujus axiomatis considerati secundum priorem considerationem, et præcisionem, ac proinde secundum id, quod semper, et ubique debet ei ex vi sua convenire, tunc solum potest indispensabiliter colligi ex vi identitatis extremitatum majoris, et minoris cum medio, identitas illarum inter se in ipso medio, et ratione illius.

12. Si vero fiat sermo de identitate sequuta ex vi prædicti axiomatis secundo modo considerati, tunc ex identitate extremitatum cum medio potest colligi identitas illarum inter se absolute. Et ita in eo eventu reddendo singula singulis, et infertur identitas extremitatum ratione medii præcise, et quoad rationem, in qua identificantur cum medio : taliter, quod hoc proveniat ex his, quæ indispensabiliter oriuntur ex vi prædicti axiomatis, et rationibus formalibus suorum terminorum, ubicumque inveniantur : et deinde etiam ob adjunctas circumstantias, et materiam, cui applicatur prædictum axioma, infertur identitas absoluta extremitatum inter se. Et ideo ratione materiæ potest in creaturis ab una ad aliam identitatem argui, quoties extrema identificantur cum tertio considerato sub esse naturali, et entitativo, ut in hoc eodem dubio n. 24 et deinceps magis explicabimus.

Quapropter, quia D. Thomas non debebat in hoc articulo explicare quam vim haberet prædictum axioma ex adjunctis circumstantiis, sive prout est in materia creata, et extrema identificantur cum tertio considerato secundum quod est sub *esse* naturali; sed solum, quid ei necessario, et indispensabiliter debet convenire ex vi rationum formalium suorum terminorum, ut abstrahit ab omni materia, sive creata, sive increata : propterea sat illi fuit asserere, prædictum axioma salvari per hoc, quod illa quæ sunt eadem uni tertio, sint etiam idem, inter se ratione tertii, et quoad id, in quo sunt idem in tertio. Nam ex his satis deducebatur, quomodo non sit necessarium, quod ex hoc axiomate applicato ad relationes divinas colligatur, eas fore inter se idem realiter absolute loquendo, ex eo quod sint idem realiter cum essentia : siquidem materia, cui applicatur potius petit distinctionem, quam identitatem extremorum inter se. Sed hæc amplius num. citat. elucidabuntur.

13. Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negandum est antecedens. Nam aliud est, inferre identitatem extremorum cum tertio; aliud vero est, inferre identitatem extremorum inter se ratione tertii, et quoad rationem in qua identificantur cum tertio. Quoniam dum infertur identitas extremorum cum tertio, tunc extrema hujus identitatis sunt, ex una parte tertium illud, et ex alia extrema. Cum vero deducitur identitas extremorum in tertio, et ratione tertii, ac quoad illam præcisam rationem, in qua identificantur in tertio, tunc extrema identitatis istius sunt ipsa extrema; tertium vero, seu id, in quo identificantur, præcise est ratio, sive fundamentum talis identificationis extremorum in eodem tertio, et propterea est ibidem diversa identificatio : siquidem ubi est diversitas extremorum identificationis, est etiam diversa identitas. Et ideo non inferimus ex identitate extremorum cum tertio identitatem eorum præcise cum illo; sed identitatem extremorum inter se ratione tertii, et quoad rationem ejusdem tertii, ut in præsenti contingit, ubi ex identitate Paternitatis, et Filiationis cum divina essentia colligimus, Patrem, et Filium ratione essentiæ esse idem in essentia illa inter se.

Occurritur secundæ objectioni. Ad secundam objectionem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod ex expositione D. Thomæ tantum sequitur, extrema, nempe relationes identificatas cum medio, esse idem inter se quoad realitatem, non quidem qua sunt extrema, sed ratione cujus identifi

cantur inter se in ipso medio. Hinc autem solum fit, esse idem inter se in essentia : quia hæc sola est realitas illa, ratione cujus identificantur in medio.

14. Responsio ad tertiam. Ad tertiam respondetur, quod etiam illa propositio hypothetica admittit utramque expositionem D. Thomæ. Nam quæ ita sunt idem realiter uni tertio, ut ab eodem realiter non sint distincta, non est necesse, quod absolute non differant realiter inter se : sed sufficit non distingui realiter inter se in ratione tertii, in qua realiter sunt idem. Sicut etiam, juxta priorem illam expositionem Angelici Doctoris, quæ (ut diximus) fere coincidit cum hac posteriori, sufficiet non ita distingui inter se realiter prædicta extrema, ut ipsum tertium, quod est idem uni eorum, non identificet sibi alterum.

Et ad confirmationem. Ad confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo axioma hoc ex vi rationum formalium suorum terminorum, et ut abstrahit a Deo, et creaturis, non petat amplius extendi, quam juxta expositionem D. Thomæ. Quod si in creaturis amplius juxta dicta extendatur, non habet hoc nisi ratione materiæ, et ob imperfectionem, et limitationem earumdem creaturarum, ut in hoc eodem dubio numero nuper citato magis explicabimus.

§ IV.

Alia responsio ad idem secundum, et principale argumentum.

15. Respondetur secundo ad secundum principale argumentum. Secundo respondetur huic secundo argumento principali, quod axioma illud est intelligendum, quando aliqua sunt eadem cum tertio adæquate, et convertibiliter ; non tamen, quando sunt eadem cum illo inadæquate, et non convertibiliter, ut in præsenti contingit. Nam Paternitas v. g. non est idem adæquate cum divina essentia, nec convertitur cum illa ; quamvis e contra essentia identificet sibi adæquate quamlibet ex relationibus. Unde, licet valeat in divinis, *Hæc realitas est Paternitas : ergo est essentia divina*; non tamen e contra, *Hæc realitas est essentia : ergo est Paternitas.* Siquidem realitas Filiationis est essentia divina ; non tamen est Paternitas. Quæ

D. Thom. Ægidius. Argent. expositio habet fundamentum in D. Thoma de Potentia quæst. 2 art. 5 et eam tradunt Ægidius, et Argentina in 1 dist. 33, Vasquez tomo 2 in 1 part. disput. 123 cap. 2, et quamplures alii ex Thomistis. Vasquez.

16. Roboratur hæc solutio ratione. Ratio autem hujus expositionis est in promptu. Nam hoc ipso, quod aliquid non identificetur alteri adæquate, et inconvertibiliter, non oportet, ut ita extendatur sicut illud : ac proinde, nec quod sit idem cum omnibus illis, cum quibus id, cui non adæquatur, cum quoque non convertitur, fuerit idem : alioqui non identificabitur cum illo inadæquate, et convertibiliter : siquidem identificaretur, et esset idem cum omnibus, cum quibus illud alterum est idem. Potestque hoc explicari exemplo nostri temporis præteriti, ac futuri, et æternitatis. Nam quia futurum v. g. est præsens ab æterno (modo alibi dicto) æternitati solum inadæquate, et inconvertibiliter, et similiter præteritum ; cum tamen e contra æternitas adæquate sit in sua propria mensura ab æterno præsens utrique : idcirco, licet æternitas sit præsens ab æterno, et adæquate iis temporis differentiis, et quælibet ex illis sit inadæquate præsens ab æterno æternitati ; non tamen una secundum se, et in propria mensura est præsens alteri. Ita ergo, licet essentia divina sit idem adæquate, ac Paternitas, et Filiatio ; non tamen Filiatio erit Paternitas : quia neutra ex his relationibus identificatur adæquate cum divina essentia.

Quo etiam spectat alia explicatio, quam tradunt Capreolus loco citato, Durandus in 1 dist. 33 quæst. 1, Molina in præsenti disp. 2 et alii, nempe, quod hoc axioma debet intelligi de his, quæ identificantur realiter eidem tertio, non tantum singulari, sed omnino incommunicabili pluribus : cujus oppositum in essentia divina contingit, quæ licet sit singularis, est tamen communis communitate rei non tollente ejus singularitatem. Capreol. Durand. Molina.

Diximus autem, huc spectare hanc expositionem, quia revera coincidit cum præcedenti. Nam ideo aliquid potest esse solum inadæquate idem cum altero, quia illud alterum potest esse commune, et identificari pluribus aliis. Nam si non posset sic esse commune illis, eisque communicari, tunc nec posset aliquid identificari cum illo inadæquate et inconvertibiliter; sed illa identificatio esset adæquata, taliaque extrema hujus identificationis ad convertentiam dicerentur.

17. Objectio contra prædictam solutionem. Nec obest, si objicias, quod in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal : Petrus est homo : ergo Petrus est animal,* minor extremitas

extremitas non identificatur adæquate cum medio, sed solum inadæquate : et similiter medium etiam est terminus communis : cum tamen ex hac identificatione colligatur in conclusione, prædictam minorem extremitatem identificatam una cum majori extremitate in medio, scilicet in homine, esse idem cum prædicta majori extremitate.

Fit obviam. Respondetur enim, non colligi hanc identitatem utriusque extremitatis in conclusione ex meritis præcisis identificationis inadæquatæ, qua minor extremitas identificatur cum medio; sed ex meritis identificationis adæquatæ, qua major extremitas identificatur cum eodem medio, quæ talis est, ut non solum adæquet prædictum medium, sed etiam superexcedat illud. Et ideo hoc ipso, quod medium identificet adæquate minorem extremitatem, oportet, ut major extremitas adæquans medium, et superexcedens illud, cum ipsoque identificata, habeat etiam, ex vi hujus, identificare minorem extremitatem.

18. Alia objectio '. Suarez. Nec etiam obest, si secundo objicias cum Suarez loco citato, quod hæc solutio D. Thomæ videtur petere principium, et non evacuare difficultatem. Quia in creaturis nulla talis inadæquata identitas invenitur, et ipsummet axioma videtur concludere, non posse inveniri.

Responsio. Respondetur enim negando, committi in hoc axiomate juxta explicationem datam principii petitionem. Siquidem satis constat, inadæquatam identificationem alicujus extremi cum aliquo tertio non inferre identificationem ejusdem extremi cum omnibus aliis, cum quibus prædictum tertium identificatur : ita ut, sicut nulla ratione distinguitur realiter a tertio, sic nec ab aliis extremis, ut ex ratione nuper facta constat.

Ad illud autem, quod in eadem objectione dicitur, nempe, in creaturis nullam talem identitatem inveniri, respondetur, quod si loquamur de identitate inadæquata duorum extremorum cum aliquo tertio singulari, et simul communicabili, quodque sit determinate sub modo essendi naturali et entitativo, non invenitur prædicta identitas inadæquata aliquorum extremorum cum tertio; quamvis, si fiat sermo de identitate inadæquata aliquorum extremorum cum quodam tertio, non singulari, sed communi communitate rationis, possit prædicta identitas inadæquata (modo tamen illi tertio, et extremis proportionato) reperiri.

19. Si vero loquamur de identitate inadæquata extremorum cum aliquo tertio considerato, non determinate ut est sub modo essendi naturali, vel sub modo essendi intelligibili, sed quatenus secundum se præscindit ab utroque modo essendi, tunc in creaturis de facto invenitur prædicta identitas inadæquata aliquorum extremorum cum tertio aliquo singulari, et communicabili pluribus : et per consequens distinctio realis, sive (quod in idem quoad præsens redit) distinctio secluso intellectu, quæcumque illa sit, eorumdem extremorum inter se, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 132 et tractatu 3 disput. 2 num. 51 diximus. Et propterea eademmet natura hujus albi ut talis est (juxta ibidem dicta) in speciê sensibili repræsentativa illius, et in eodemmet albo, prout est a parte rei sub modo essendi naturali : licet in specie sensibili sit sub modo essendi sensibili et repræsentativo ; in albo vero, prout est a parte rei, sit sub modo essendi naturali : ac proinde modus essendi sensibilis et repræsentativus, quem habet in specie, identificatur cum prædicta natura albi ut talis secundum se sumpta per identificationem inadæquatam cum illa, absque eo quod ibidem intercedat distinctio realis inter talem naturam, et prædictum modum. Et similiter modus essendi naturalis, quem habet album ut tale, prout est a parte rei, idest, prout non habet esse in specie sensibili, sed in se, identificatur eodem modo per identificationem inadæquatam cum prædicta natura albi secundum se sumpti. Et ideo prædicti modi essendi possunt distingui inter se realiter, sive distinctione secluso intellectu, quæcumque illa sit, de quo nihil modo.

Unde ex hoc, quod in creaturis possit similis identitas inadæquata cum prædicto tertio inveniri, optime colligitur, non ostendi aliquam rationem repugnantiæ ex vi prædicti axiomatis, de quo loquimur, considerati secundum se, et ex vi ejus quod ex ratione formali suorum terminorum præcise affert, ratione cujus pugnet, dari aliquam identificationem cum tertio, quæ sit solum inadæquata, et per consequens compossibilis ex vi sua cum distinctione reali eorumdem extremorum inter se, et præcise quoad suas rationes formales sumptorum, ut intuenti patebit.

§ V.

Ultima potissimaque solutio ejusdem secundi, et principalis argumenti, necnon et aliquæ objectiones contra illam.

20. Enodatio ultima et præcipua prædicti secundi argumenti. D.Thom. Ultimo respondetur ad idem secundum, et principale argumentum ex D. Thoma in art. 3 hujus quæstionis in solutione ad 1, maximam illam non esse necessario, et irrefragabiliter veram, nisi in his, quæ sunt idem cum tertio re, et ratione, ut tunica, et indumentum; non tamen in illis, quæ non sunt idem re, et ratione cum aliquo tertio. Quare, cum relationes divinæ non sint idem re, et ratione cum essentia divina, propterea ex identitate earum cum prædicta essentia, non est necessarium, ut colligatur identitas realis earum inter se. Hoc autem explicat D. Thomas exemplo deducto ex Aristotele, nempe actionis, et passionis, quæ quia secundum eumdem Philosophum ita sunt unum cum motu, ut non sint idem re, et ratione cum eo, idcirco possunt distingui inter se.

Objectio prima contra hanc solutionem. Aureol. Molin. Valent. Vasquez. Suarez. Cæterum hæc solutio D. Thomæ displicet Aureolo in 1 dist. 2 part. 3 § *Voluerunt ergo aliqui*, et refertur a Capreolo quæst. 3 art. 1, necnon Molinæ in præsenti disput. 2, Valentiæ disput. 2 quæst. 2 puncto 4, Vasquez disput. 123 cap. 1, Suarez lib. 4 de Trinitate cap. 3 et aliis: et ideo contra eam plura objiciunt. Primo quidem. Quia periret tota ars syllogistica, quæ in illo axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, innititur. Si quidem ex connexione, seu unitate medii cum extremitatibus, colligitur secundum artem syllogisticam connexio, seu unitas extremitatum inter se; licet extremitates non sint idem re, et ratione cum medio, quod se habet per modum tertii respectu extremitatum. Et propterea, ex eo quod animal, et Petrus identificentur cum medio, scilicet cum homine, colligitur identitas eorum inter se in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal;* licet Petrus, et animal non sint idem re, et ratione cum homine.

21. Confirmatur. Vasquez. Confirmatur ex Vasquez. Nam si solum illud axioma accipiendum esset in synonymis, ut insinuare videtur D. Thomas, dum apposuit exemplum in illis, videretur inane, et nullius momenti. Quis enim indiget probatione, ut ostendat, gladium, et Aristot. ensem esse idem inter se? Aristoteles vero 7 lib. Topicorum cap. primo loco 4 dicit, prædictum axioma esse locum communem, ut probemus, quæ sint eadem inter se: qui locus dubio procul non ad probandum, synonyma esse idem inter se, sed ad alia difficiliora servire debet. Verba Aristotelis sunt: *Rursum considerandum, si cui alterum idem, et alterum, nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum est nec sibi invicem.* Cumque in rebus omnibus creatis verum sit semper esse idem secundum rem ea, quæ sunt eadem uni tertio, et rursum esse eadem prædicatione inter se, quæ prædicantur de aliquo tertio, non est opus ita limitare axioma, sed illud plane explicare, in quibus rebus locum habeat.

Confirmatur secundo ex eodem Vasquez. Ult[erius] confir[matur]. D.Thom. Nam D. Thomas 2 contra Gentes cap. 9 ex eo probat, potentiam Dei, et ejus operationem esse idem secundum rem, quia sunt idem cum essentia: at potentia, et operatio Dei non sunt synonyma, sed ratione saltem differunt.

Nec refert, si occurras, aliqua esse eadem 22.
uni tertio re, et ratione, non solum quando synonyma sunt, sed etiam quando sunt eadem uni tertio secundum rem, et non pertinent ad distinctas lineas, cujusmodi sunt potentia, et actio in Deo: quia tunc debent distingui adhuc minori distinctione inter se, scilicet, ex parte solius nostri modi concipiendi, quam distinguantur a tertio. At si aliqua differunt ab illo tertio secundum rationem, quæ habet fundamentum in re, et pertinent ad distinctas lineas, etiamsi sint idem realiter cum eo, non sequitur, esse idem inter se. Nam contra primam partem hujus solutionis objicit Vasquez dicens se non videre, quomodo S. Thomas sic possit conciliari. Nam cum in art. 3 hujus quæstionis plane asserat, axioma hoc esse intelligendum in synonymis, aperte excludit omnia illa, quæ synonyma non sunt. Et ita, quod potentia divina, et ejus operatio distinguantur absque aliquo fundamento in re, et solum ex parte nostri modi concipiendi, parum ad præsens refert: quia nihilominus synonyma non sunt. Et similiter contra secundam partem ejusdem solutionis objicit Suarez. Quod attributa in divinis distinguuntur ratione ab essentia divina cum fundamento in re: et nihilominus ex identificatione eorum cum prædicta essentia colligimus, non distingui inter se realiter.

Secundo objicit Suarez. Quoniam actio, 23. Secun[do] objic[it] ex Su[a]rez.
et passio differunt ratione a motu, cum quo identificantur; et nihilominus non distinguuntur

guuntur realiter inter se : ergo ad hoc, ut ex identificatione aliquorum reali cum quodam tertio colligatur identitas eorum realis inter se, non requiritur quod ita identificentur cum illo tertio, ut non distinguantur ratione ab ipso : ac proinde D. Thomas in sua solutione non adduxit aptum exemplum ad explicandum, quomodo ex defectu identificationis secundum rem, et rationem simul cum aliquo tertio; quamvis adsit identificatio secundum rem cum eo, possint aliqua esse idem secundum rem cum tertio, et nihilominus distingui realiter inter se : siquidem in actione, et passione, quas D. Thomas in exemplum ad hoc explicandum adduxit, hæc distinctio realis ad invicem non invenitur.

Tertia ex Aureolo et Molina. Tertio objiciunt Aureolus, et Molina. Quod licet sola distinctio rationis extremorum a medio seu tertio impediat, quominus extrema sint inter se idem secundum suam rationem formalem, seu absque distinctione rationis; non tamen impedit, quominus, ut sunt eadem prædicto tertio, nempe, per identitatem realem admittentem distinctionem rationis, sint eadem inter se. Quoniam universaliter verum est, ita ut non habeat aliquam instantiam in rebus creatis, quod quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se eo genere identitatis, quo sunt eadem cum illo tertio : ergo, etc.

§ VI.

Animadversio ad diluendas objectiones contra posteriorem solutionem Angelici Doctoris.

24. Cæterum his non obstantibus solutio D. Thomæ optima est, et valde apta ad explicandum, quomodo axioma hoc, de quo in præsenti fit sermo, sit verum ex propriis rationibus suorum terminorum, abstrahendo ab hac, vel illa materia, idest, a rebus creatis, et divinis, ut ita intelligatur, an sit verum, vel falsum, cum rebus divinis, et in hac, vel illa materia divina applicatur.

An[illegible] D. Tho- [illegible] objectionum. Hoc autem melius capietur, si prænotetur, quod cum D. Thomas inquit, quod ad hoc, ut ex identificatione extremorum cum tertio colligatur identitas eorumdem extremorum inter se, requiritur, quod extrema sint eadem re, et ratione cum tertio, tunc per esse idem re, et ratione, excludit distinctionem secundum rationem, quæ sit idem, ac distinctio rationis ratiocinatæ, habens fundamentum in re, seu distinctio virtualis; et non qualiscumque, sed ita ut rationes propriæ extremorum distinctæ virtualiter a propria ratione tertii sint talis conditionis, ut habeant inter se oppositionem : ac proinde etiam excludit distinctionem formalem, sive ex natura rei, quæ habet prædictas conditiones. Et ita sensus illius axiomatis erit, quod sumendo hoc axioma, quantum est ex vi rationum formalium suorum terminorum, et abstrahendo ab hac, vel illa materia, tunc, quantum est ex vi identitatis extremorum cum tertio, infertur illorum identitas inter se, quando extrema non afferunt proprias rationes diversas virtualiter a ratione tertii, et importantes inter se oppositionem. Si autem extrema attulerint proprias rationes virtualiter diversas a tertio, et inter se oppositas, tunc, quantum est ex vi rationum formalium terminorum hujus axiomatis, ac proinde per se, et universaliter loquendo, non colligitur identitas prædictorum extremorum inter se ex identificatione cum medio.

Esse autem hanc mentem Angelici Doctoris potest colligi, tum ex eo, quod in calce hujus solutionis, quam explicamus, et applicando eam ad divina, consulto non asseruit absolute, quod Paternitas, et Filiatio important rationes distinctas a ratione essentiæ; sed in suis rationibus propriis afferre oppositos respectus. Tum etiam, quia ideo adduxit exemplum de actione, et passione, non quidem quia exemplum hoc sit omnino simile rei, de qua agebat; sed quia actio, et passio ita identificantur cum motu, ut importent inter se oppositos respectus. Unde idem S. Doctor de Potentia quæst. 8 art. 1 in solutione ad 1 hæc omnia complectens dixit : *In divinis personis re quidem essentiali est unitas, distinctio vero ratione, idest, relatione, quæ non differt ab essentia re, sed sola ratione.* Ubi, et distinguit personas virtualiter ab essentia, et inter se relatione, ac proinde per diversos, et oppositos respectus : ut ita innuat, quomodo licet sint idem uni tertio, scilicet essentiæ, non tamen sint idem inter se. 25. D.Thom

Quod quidem adhuc clarius, et dilucidius explicuit idem Angelicus Doctor in 1 dist. 2 quæst. 1 art. 5 ad 3 et 4. Nam cum sibi objecisset quoddam argumentum quod ex adversariis contra hanc ejusdem S. Doctoris solutionem adduximus, sic respondet in solut. ad 3 : *Dicendum quod quamvis relatio per comparationem ad essentiam sit ratio* Explicatur radicitus mens D. Thomæ.

tantum, tamen per comparationem ad suum correlativum est res, et realiter distinguens ab ipso. Et in solutione ad 4 inquit : *Licet sapientia secundum suam rationem differat ab aliis attributis, non tamen opponitur ad aliquod aliud attributum : cum sapientiam, bonitatem, et alia attributa secum compatiatur in eodem subjecto. Et ideo non habent rationem distinguendi supposita divinæ naturæ, sicut habent relationes oppositæ. Sed sicut sapientia divina realiter facit effectum sapientiæ, propter veritatem rationis ipsius, quæ manet : ita relatio facit veram distinctionem propter rationem relationis veram, quæ salvatur.* Ubi, ut vides, ideo S. Doctor docet, relationes distinguere personas, ac proinde prædictas relationes esse inter se distinctas, quia non qualitercumque sunt rationes respectu divinæ essentiæ, seu distinguuntur ratione ab essentia et attributis, sicut distinguuntur attributa, sed distinctione rationis, quæ sit talis conditionis, ut ipsæ relationes habeant inter se oppositionem : et ita possunt esse idem uni tertio. et distingui inter se realiter.

26. Ulterius enucleatur. Potestque hujus interpretationis prædicti axiomatis adductæ a D. Thoma non incongrua reddi ratio desumpta ex his, quæ in hoc testimonio innuit. Nam hoc ipso, quod detur in aliquo distinctio virtualis plurium rationum formalium, ut v. g. in Deo, tunc ibidem seclusis imperfectionibus limitationis, etc. exercent suas rationes formales, necnon et ea, quæ sunt propria plurium, ac si essent realiter plura. Et propterea sapientia identificata cum divina essentia, et distincta virtualiter ab illa non minus exercet propria sapientiæ, quam si actu, et realiter esset diversa ab eadem essentia. Et similiter, licet voluntas, et intellectus sint in divinis idem, cum distinctione tamen virtuali, nihilominus Deus per voluntatem ut talem non intelligit, nec per intellectum formaliter loquendo vult. Sicut etiam, ratione hujus distinctionis virtualis, et propriarum rationum formalium intellectus, et voluntatis, Deus per intellectum generat Verbum; non vero spirat Spiritum sanctum : e contra vero per voluntatem habet spirare hunc, non vero generare illud. Quare, cum propria ratio relationis petat realem oppositionem, et distinctionem cum suo correlativo : non vero quod distinguatur realiter ab essentia ejus rei, quam quodammodo afficit quoties relatio est infinita, et summæ puritatis, ut constat ex illis quæ art. 2 hujus quæstionis late diximus : inde est, quod hoc ipso, quod cum hac identitate essentia divina habeat simul distingui virtualiter ab illa, tunc eo ipso poterit exercere ibidem propria suæ rationis formalis, ac si esset realiter distincta a divina essentia : ac proinde poterit ibidem exercere oppositionem, et distinctionem realem relativam cum suo relativo, non minus quam si esset etiam realiter distincta ab eadem essentia.

Et ita optime dixit D. Thomas, quod axioma illud : *Quæcumque sunt eadem uni tertio, debent esse eadem inter se*, debet intelligi, quantum est ex vi rationum formalium suorum terminorum, de illis, quæ ita sunt idem cum illo tertio, ut non distinguantur virtualiter ab illo tertio tali genere distinctionis, ut dicant rationes, non quidem cum tertio, sed inter se oppositas. 27. D.Tho[illegible]

Unde, licet antequam per fidem haberemus notitiam de mysterio Trinitatis, non probaretur per lumen naturale, quod ex identitate extremorum cum uno tertio (ut est sub modo essendi naturali et entitativo) a quo tantum distinguantur distinctione virtuali, non sequatur similis identitas prædictorum extremorum inter se, etiamsi habuerint rationes ad invicem oppositas : attamen supposita revelatione hujus mysterii, in quo ex reali identitate extremorum cum tertio, cum distinctione tamen virtuali ab illo, non colligitur similis identitas inter prædicta extrema, ratione oppositionis jam explicatæ, potest per prædictum lumen naturale quodammodo adjutum fide suaderi prædictum axioma debere intelligi, et limitari juxta explicationem traditam a D. Thoma : ita ut, quantum est ex vi rationum formalium suorum terminorum, non aliter sit firmum, et universaliter verum. Sicut, licet antequam constaret nobis per fidem de mysterio Eucharistiæ, per lumen naturale non probaretur, non esse de essentia accidentis actu inesse : et ita Aristoteles, et antiqui Philosophi oppositum senserunt : attamen supposita fide, et revelatione hujus mysterii, in quo remanet quantitas panis separata a substantia panis, et ab omni alio subjecto, potest optime per lumen naturale quodammodo adjutum fide suaderi, non esse de essentia accidentis actu inesse, sed quod illa maxima, *Accidentis esse est inesse*, debet intelligi, et limitari ad *inesse* aptitudinale, non vero

vero actuale, ad hoc ut habeat firmam, et universalem veritatem.

§ VII.

Deducitur ex dictis enodatio objectionum contra priorem responsionem D. Thomæ.

28. Ex his solvitur prima objectio facta contra solutionem D. Thomæ. Hinc ergo ad objectiones adversariorum contra solutionem D. Thomæ facile constat. Nam ad primam neganda est sequela. Quoniam ars syllogistica non innititur illi principio : ***Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,*** nisi intellecto juxta explicationem traditam a D. Thoma, et a nobis explicatam, vel juxta alias explicationes ejusdem S. Doctoris supra in hoc dubio relatas, quæque ad hanc nunc explicatam quodammodo reducuntur. Et propterea principium hoc, quantum est ex vi rationum formalium suorum terminorum, ac proinde universaliter non est firmum, nisi cum prædicta limitatione ad artem syllogisticam, quamvis per accidens, et ratione alicujus determinatæ materiæ possit aliquando (ut multi probabiliter volunt) esse verum, quod aliqua identificentur cum tertio, et distinguantur virtualiter ab illo, habeantque rationes, non quidem cum tertio, sed ad invicem oppositas, et nihilominus non distinguantur realiter inter se.

Unde nihil obest exemplum in hac prima objectione adductum. Tum, quia extrema identificata cum tertio, seu medio ibidem relato, et distincta virtualiter ab illo, non habent inter se oppositionem. Tum etiam, quia esto illam haberent, et quantum est ex vi identificationis cum tertio non sequeretur identitas eorum inter se, nihilominus aliunde per accidens, et ratione materiæ determinatæ, cui illud axioma applicatur, possent non distingui realiter, maxime sicut res a re, ut in solutione ad secundam objectionem magis explicabimus.

29. Solvitur prima confirm. Ad primam confirmationem negandum est id, quod ibidem supponitur, nempe, juxta mentem D. Thomæ in solutione ex eodem relata axioma hoc non esse intelligendum, nisi in solis synonymis. Nam etsi Angelicus Præceptor attulerit in exemplum synonyma, non tamen quia senserit, quod in solis illis verificetur, ut ex testimoniis a nobis citatis constat, sed quia in synonymis est universaliter verum prædictum axioma, quamvis non in solis illis verum sit, sed in aliis quibusdam veritatem contineat, in aliis vero falsitatem. Et propterea ut D. Thomas explicaret id, quod intendebat, nimirum, quomodo axioma hoc, quantum est ex vi rationum formalium suorum terminorum, sit universaliter, et abstrahendo ab omni materia verum et firmum, merito adduxit exemplum synonymorum, in quibus est universaliter verum.

Ad secundam confirmationem respondetur, potentiam, et actionem Dei pertinere ad unam et eamdem lineam, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tract. 3 disp. 4 n. 46 et deinceps, et tract. 4 disp. 2 n. 11 et 34 et tract. 5 disp. 3 n. 18 et sequentibus diximus. Unde non habent inter se oppositionem aliquam : siquidem, quæ sunt unius et ejusdem lineæ, non possunt habere inter se oppositionem, si linea illa pertingat ad summan actualitatem et puritatem, quam intra propriunm ambitum potest habere. Unde solutio inter arguendum tradita huic confimationi, et juxta ea, quæ diximus, intellecta debet admitti. Et ad impugnationem ex Vasquez contra priorem partem illius constat ex dictis, quomodo non ita bene a Vasquez inconsequentiæ arguatur. Siquidem S. Doctor nunquam dixit, axioma hoc, de quo loquimur, intelligi in solis synonymis; sed propter rationem nuper explicatam in illis exemplum adhibuit. Et etiam secunda.

Et similiter ad impugnationem secundæ partis ejusdem solutionis satis constat ex dictis. Nam licet attributa distinguantur virtualiter a divina essentia; non tamen habent realem oppositionem inter se : et propterea non mirum, quod possint identificari ad invicem, et quod ex identificatione cum tertio admixta cum distinctione virtuali colligatur similis identitas eorum inter se. Maxime, quia (ut constabit ex illis quæ disp. 14 num. 89 dicemus) non quævis oppositio, sed sola relativa, est ex genere suo sufficiens ad inducendam distinctionem realem seclusis imperfectionibus ; quam tamen oppositionem relativam non habent attributa inter se.

Ex quo ad secundam objectionem ex Suarez desumptam dicendum est, actionem, et passionem differre, saltem ratione ratiocinata, imo distinctione formali ex natura rei, et secluso intellectu a motu, cum quo in eadem entitate modali propria motus identificantur, ut nostri Complutenses in sua Logica disp. 14 n. 18 et deinceps, et in lib. Physicorum disp. 17 num. 13 et 30 Enodatur secunda objectio. N. Compl.

sequentibus docent. Et deinde, quia habent rationes formales inter se ex natura rei oppositas, propterea ut ibidem dicitur, hæ duæ rationes actionis, et passionis distinguuntur inter se formaliter et ex natura rei : et, nisi obstaret earum magna limitatio, magnaque imperfectio, distinguerentur, non solum ex natura rei per modum duarum formalitatum secluso intellectu distinctarum, sed etiam realiter per modum rei, et rei ; non obstante, quod identificarentur cum motu. Quare, cum in divinis non detur limitatio et imperfectio in relationibus inter se oppositis, inde est, ut nihil obsit, quominus distinguantur inter se realiter per modum rei, et rei ; licet identificentur in una et eadem entitate divinæ essentiæ.

Dilucidatur solutio. Potestque hoc explicari, et elucidari ex discrimine, quod intercedit inter actionem, et passionem creatam, et identificationem earum cum motu ex una parte ; et relationes divinas, ac identificationem illarum cum essentia divina ex alia. Nam actio, et passio secundum se, et suas proprias rationes non sunt res quædam, prout res distinguitur a formalitate, sed tantum sunt formalitates. Et ideo secundum rationes proprias, secundum quas opponuntur, non habent opponi realiter per modum rei, et rei, sed solum formaliter, et ex natura rei per modum formalitatis, et formalitatis : quia propter suam imperfectionem non pertingunt ad hoc, ut secundum proprias rationes sint res, prout res distinguitur a formalitate. Et ita propter hanc imperfectionem, et ratione indigentiæ, quam habent, identificantur cum illa entitate modali motus, ut ab illa veluti fulciantur, et quodammodo sustententur, ut nostri Complutenses in lib. Physicorum disput. citata num. 22 et sequentibus explicant. N. Compl.

31. Cæterum relationes divinæ secundum suas proprias rationes sunt res quædam, prout res distinguitur a formalitate. Et propterea hoc ipso, quod identificatio earum cum essentia non tollat ab eis suas proprias rationes, secundum quas ad invicem opponuntur, debent secundum illas opponi realiter per modum rei, et rei : et per consequens distingui eodem modo realiter, non obstante, quod identificentur cum divina essentia, cum qua non opponuntur. Et ita identificatio earum cum essentia non provenit ex limitatione, aut indigentia, sed ex summa simplicitate, infinitate, et amplitudine divinæ essentiæ : cujus, ut distinguitur ab omni essentia creata, est proprium, quod ratione suæ simplicitatis, et infinitatis identificet sibi omnes rationes in divinis repertas, licet saltem aliquæ ex his rationibus secundum se sint res, prout res distinguitur a formalitate, habeantque per se subsistere, ut in relationibus contingit : ac proinde prædictæ relationes solum lata quadam ratione dicuntur formalitates respectu essentiæ divinæ, cum qua identificantur : quatenus habent id, quod est proprium formalitatum creatarum, nimirum, identificari cum aliqua entitate : quamvis quia non identificantur cum prædicta essentia ratione indigentiæ, et limitationis, habentque per se subsistere, propterea non sunt proprie et stricte formalitates, sed res quædam, quatenus res dicit realitatem, non qualemcumque, sed realitatem, prout a formalitate distinctam. Unde juxta hoc debet intelligi id, quod aliquando diximus, nempe, relationes divinas esse formalitates quasdam. Nam ibi rationem formalitatis latius, non vero stricte sumpsimus

Per quod ad primam partem hujus secundæ objectionis satis constat : imo et quoad ultimam, in qua dicebatur, exemplum de actione, et passione non esse recte adductum a D. Thoma ad suam solutionem explicandam. Quoniam non adduxit illud, ut omnino simile mysterio, de quo agebat, nempe mysterio Trinitatis, siquidem S. Doctor in 1 dist. 33 q. 1 art. 1 ad 2 fatetur, non esse in creaturis aliquid omnino simile huic mysterio, sed ut explicaret suam solutionem quoad illam partem, qua asserebat, quod quantum est ex vi terminorum hujus axiomatis, non repugnat, quod aliqua identificentur realiter cum quodam tertio, adhuc sub esse naturali et entitativo sumpto, et nihilominus distinguantur realiter inter se, ratione oppositionis, quam habent : siquidem actio, et passio identificantur realiter cum motu, ut est sub suo modo essendi naturali et entitativo : et nihilominus, quia opponuntur inter se, idcirco distinguerentur omnino realiter, seu perfecta distinctione reali, nisi hæc distinctio per accidens, et ratione materiæ impediretur : ex eo quod actio, et passio sunt quid limitatum, et non afferunt ex se propriam realitatem, prout realitas dicit rem, quatenus distinctam a formalitate. Quoniam hinc bene sequitur, quod ubi non fuerit hæc li- 32. D.Thom.

mitatio,

mitatio, ut in divinis contingit, sed extrema identificata cum tertio habuerint ex vi suarum linearum esse res quasdam, prout res distinguitur a formalitate, ibi, si detur oppositio inter extrema identificata cum illo tertio, debet dari realis distinctio eorumdem extremorum inter se.

Aliter recurritur. Adde, posse etiam alio modo cum præcedenti non parum affini explicari hoc exemplum, ad hoc ut deserviat intento D. Thomæ, nimirum, quod sicut actio, et passio identificatæ cum motu ideo solum formaliter, sive ex natura rei distinguuntur inter se, quia licet habeant inter se oppositionem, attamen hæc oppositio tantum est formalis, sive ex natura rei, sicut ipsa extrema solummodo sunt formalitates quædam : ita relationes divinæ identificatæ cum essentia divina, et habentes inter se oppositionem distinguentur inter se realiter : quia illa oppositio est realis (prout oppositio realis distinguitur ab oppositione formali) sicut et ipsa extrema sunt realia, prout realitas distinguitur a formalitate.

33. Responsio ad ultimam objectionem. Ad ultimam objectionem ex Aureolo desumptam patet ex dictis, negandum esse antecedens universaliter intellectum, quamvis per accidens, et ratione materiæ oppositum contingat. Et ita axioma, de quo loquimur, nempe, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se eodem genere identitatis, ac sunt cum tertio*, solum est verum, ut applicatum (modo dicto) ad peculiarem materiam, nempe ad res creatas, non tamen potest ostendi aliqua ratio repugnantiæ, quominus sit falsum, ut applicatum ad divina, sive ex vi rationum formalium suorum terminorum, et abstrahendo a Deo, et creaturis, quoties adest distinctio rationis extremorum a medio, et oppositio ipsorum extremorum inter se. Quoniam, quantum est ex vi talis identitatis, non potest tunc ostendi aliqua ratio repugnantiæ, propter quam extrema distincta sola ratione a medio, et inter se opposita, non possint majori distinctione, nempe reali, inter se distingui.

Et ista opera dicimus, non posse tunc ostendi aliquam rationem repugnantiæ quoad hoc. Quoniam omnia argumenta, quæ oppositum poterant suadere, desumuntur ex rebus creatis in quibus ex earum limitatione, et finita perfectione ortum ducit, ut quæcumque sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se, non vero hoc proveniat ex vi rationum formalium terminorum hujus axiomatis, ut abstrahunt a materia creata, et increata. Et propterea ex eo, quod contingit in creaturis, non potest deduci aliqua ratio, qua ostendatur, oppositum repugnare in divinis.

DUBIUM II.

Utrum tantum sint in Deo quatuor relationes reales, nempe, Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio?

Pro tituli explicatione notandum est, non fieri in eo sermonem, nisi de relationibus, quæ sunt in Deo, et habent terminum intra ipsum Deum. Nam de relationibus, quarum terminus est ad extra, ut relatio creatoris, et dominii, non agit D. Thomas in præsenti : quia de illis supra quæst. 13 egerat. 34. Animadversio pro luce tituli. D.Thom.

Cum autem inquirimus, an prædictæ relationes reales habentes terminum intra Deum sint tantum quatuor, non est sensus, an sint quatuor realiter, aut ex natura rei distinctæ, hoc enim postea discutietur; sed an prædictæ relationes ex natura rei respicientes suos terminos reales, sint tantum quatuor, sive inter se sint realiter, aut ex natura rei distinctæ, sive tantum virtualiter, ac proinde ita ut iste terminus numeralis *quatuor* non appellet supra illud adjectivum *reales*, sed supra substantivum illud *relationes*, et denotetur, illas quatuor, sive sint quatuor per quaternitatem realem actualem, sive per quaternitatem virtualem, esse reales relationes, seu ex natura rei respicere suos terminos; etiamsi non omnes inter se realiter distinguantur.

Sicut etiam virtus misericordiæ, et justitiæ in divinis sunt virtutes reales : quia ex natura rei habent exercere propria munera cuivis ex his virtutibus convenientia; licet non sint duæ virtutes inter se realiter distinctæ. Et ideo optime dicimus, esse in Deo has duas virtutes reales, si ly *reales* appellet supra hoc substantivum *virtutes*, non vero si appellet supra adjectivum illud *duas*. Quia juxta priorem modum appellandi solum significatur, virtutes istas, sive sint realiter, sive solum virtualiter distinctæ, exercere ex se, et ex natura rei sua propria munera. Juxta posteriorem vero denotatur, prædictas virtutes, non solum hoc habere, sed insuper esse inter se realiter distinctas ; quod tamen falsum est.

§ I.

Decisio dubii, et ratio illius ex D. Thoma desumpta.

35. Assertio duas continens partes. Dicendum ergo est, tantum esse in Deo quatuor relationes reales in titulo recensitas. Assertio hæc, ratione illius exclusivæ *tantum*, duas habet exponentes. Prima est, esse in Deo quatuor relationes reales. Secunda vero, non esse alias præter has quatuor. Et licet utraque ex his exponentibus sit satis communis inter Theologos; non tamen est certa in eodem gradu certitudinis : quia prior certior est, quam secunda. Sicut etiam prior quoad tres relationes personales, nimirum, quoad Paternitatem, Filiationem, et Processionem, majorem habet certitudinem, quam quoad spirationem, ut Suarez. bene notavit Suarez lib. 5 de Trin. c. 2 et 4. Quoniam debet esse certum secundum fidem, dari in divinis prædictas tres relationes reales, et personales : ex eo quod, juxta testimonia Conciliorum supra a nobis adducta ad probandum, esse in Deo aliquas relationes reales realiter distinctas, habetur, non esse in Deo distinctionem trium personarum, nempe, Patris, Filii, et Spiritus sancti, nisi per relationes : et ita ibidem significatur, esse tot relationes realiter distinctas, ac proinde reales, quot sunt personæ realiter distinctæ. Et per consequens, sicut est certum secundum fidem, esse in Deo tres personas reales, sic et tres relationes reales personales, seu constituentes prædictas personas, nimirum, illas tres nuper enumeratas : cum tamen solum sit certum certitudine conclusionis Theologicæ deductæ ex prædictis testimoniis, quod ultra prædictas tres relationes sit admittenda in Deo spiratio, quæ sit relatio realis. Quoniam solum deducitur ex prædictis testimoniis per consequentiam infallibilem, ex eo quod, dum in eis asseritur, non esse distinctionem realem in personis divinis nisi per relationes, debet intelligi de relationibus, quibus ad invicem referuntur, ut in pluribus eorum verbis insinuatur, et Conc. Tolet. XI. expresse dicitur in Concilio Toletano XI. At, si tollas spirationem, non erit respectus Patris, et Filii ad Spiritum sanctum : et per consequens ad hoc, ut detur Trinitas personarum per suos respectus distinctarum, oportet, dari in Patre, et Filio spirationem, per quam relative distinguantur ab Spiritu sancto. Unde assertionem hanc, ut a nobis proposita est, communiter, (ut diximus) tuentur Theologi, uno, vel altero quoad spirationem activam excepto : et propterea non erit necesse singulos in particulari referre.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma in art. 4 hujus quæstionis, tam in corpore, quam in solutionibus ad argumenta, potestque, conjungendo omnia, quæ S. Doctor utrobique docet, ad hanc formam reduci. Nam relationes reales in Deo repertæ debent fundari, aut quasi fundari in actione, et passione, non quidem transeunti, sed immanenti, et quæ sit propria naturæ intellectualis : ergo tantum erunt in Deo quatuor relationes reales supra in assertione enumeratæ. 36. Ratio fundamentalis D.Thom.

Consequentia videtur legitima. Quia actiones immanentes in natura intellectuali repertæ tantum sunt duæ, scilicet, *intelligere*, et *velle*, ut ex dictis in præcedentibus satis constat : et secundum unamquamque ex his processionibus tantum erit duplex relatio, una quidem principii producentis ad suum terminum productum ; alia vero termini producti ad suum principium, a quo producitur : cumque una ex his processionibus, nempe prior, sit vera generatio, merito duæ relationes in ea quasi fundatæ sunt, scilicet, relatio Paternitatis, et Filiationis. Quia vero secunda processio in divinis reperta est processio amoris, quæ ex parte principii appellatur *spiratio*, et ex parte termini *processio* : propterea secundum istam processionem accipiuntur aliæ duæ relationes, quæ, ex eo quod carent propriis nominibus, nuncupantur nominibus actionis, et passionis, in quibus quasi fundantur : et ita illa, quæ se tenet ex parte principii, dicitur *spiratio*, ea vero, quæ se tenet ex parte termini, nuncupatur *processio*. Quamvis etiam, sicut actio, et passio, secundum quas attenditur ista processio, solent insigniri nominibus spirationis activæ, et passivæ, sic etiam duæ istæ relationes in eis quasi fundatæ nominantur eisdem nominibus. Et propterea relatio quasi fundata in actione hujus processionis, dicitur *spiratio activa*, quemadmodum et ipsa actio sic nuncupatur : et relatio quasi fundata in passione aut quasi passione ejusdem processionis dicitur *spiratio passiva*, sicut illa.

37. Antecedens autem probatur, explicatur discurrendo per fundamenta, sive rationes fundandi omnium relationum realium. Nam

Nam in primis in Deo non possunt esse reales relationes fundatæ super primum genus fundamentorum, sive rationum fundandi, nempe, super quantitatem, sive illa sit molis, cum hæc in divinis non reperiatur ; sive sit modalis, idest, res modum quantitatis habens, prout unum in substantia facit idem, et sic fundat relationem identitatis, et unum in qualitate facit simile, et numerus sive multitudo diversum, et dissimile in eisdem (vocantur enim omnia ista quantitates modales, seu habentia modum quantitatis, ex eo quod unitas, numerus, ac multitudo modos quosdam quantitatis, vel habentes se ad instar modorum quantitatis, exprimere videntur). Quoniam relationes fundatæ super quantitatem sive molis, sive modalem requirunt fundamenta, sive rationes fundandi, saltem numerice distinctas : ita ut, si illa relatio sit in unitate substantiæ, quæ est relatio identitatis in natura, requiratur una cum unitate, sive generica, sive specifica, quod detur multiplex, saltem numerice, natura in utroque extremo. Sicut etiam, si illa relatio sit similitudinis in qualitate, petitur multiplex numerice qualitas in eisdem. Et propterea, si unica numero humanitas esset in duobus suppositis, aut una albedo in duobus subjectis, tunc non essent ibidem relationes reales identitatis, et similitudinis, sed ad summum relationes rationis, et sic de aliis. Quare, cum in divinis non possit esse multiplicitas realis in natura, adhuc numerica, nec in aliqua alia re absoluta, quæ sola posset habere modum quantitatis idoneæ ad fundandum relationes hujus primi generis, consequens erit, relationes reales repertas in divinis non esse de genere earum, quæ fundantur, aut quasi fundantur in primo genere fundamentorum, sive rationum fundandi relationem jam explicato.

78. Et deinde in divinis non possunt esse relationes fundatæ super tertium genus fundamentorum, scilicet, super rationes mensuræ, et mensurabilis. Tum, quia relationes, quæ versantur inter personas ejusdem ordinis, ejusdemque prorsus naturæ, sunt relationes mutuæ : at relationes fundatæ in ratione mensuræ, et mensurabilis non sunt mutuæ, ut patet ex communi Dialecticorum consensu, et ostendunt optime nostri Complutenses in
N. Compl. sua Logica disp. 14 n. 41.

Tum etiam quia relationes mensuræ, et mensurabilis sunt illæ, quæ versantur inter facultates, scientias, virtutes, ac similia, et inter sua objecta : at prædictæ relationes non possunt esse reales in Deo, ex defectu distinctionis realis inter virtutes, et facultates divinas, et sua objecta : siquidem objectum earum residens intra Deum est ipse Deus. Et ideo non potest excogitari ibidem realis distinctio requisita ad relationem realem, nisi intercedat realis productio, ut in objecto potentiæ generativæ, aut spirativæ contingit : ac proinde non erunt tunc reales relationes in divinis, nisi ut fundatæ, aut quasi fundatæ in actione, et passione.

Tum denique. Quoniam nulla ex personis divinis, inter quas poterat esse hoc genus relationis ad intra, habet rationem mensuræ respectu alterius, ex eo quod omnes sunt ejusdem prorsus naturæ, et proprietates personales earum nihil perfectionis ratione sui, sed solum ratione essentiæ afferunt, ut disp. 6 dub. 2 diximus ; cum tamen ad hoc, ut aliqua ex illis compararetur per modum mensuræ respectu alterius, oporteret, ut essent diversæ naturæ, imo et quodammodo diversi ordinis in ratione naturæ, vel quod saltem proprietas personalis, v. g. unius personæ, ratione sui diceret aliquam perfectionem : ut ita propter suam majorem perfectionem posset esse quodammodo superioris ordinis, et ratione hujus esset etiam mensura respectu alterius, aut aliarum personarum.

Unde, cum ultra hæc duo genera relationum, quæ fundantur in ratione mensuræ, et mensurabilis, aut in quantitate seu (quod in idem quoad præsens redit) in unitate, et numero, non supersit aliud relationum genus præter illud, quod fundatur, aut quasi fundatur in actione, et passione : siquidem ut constat ex illis, quæ tradunt communiter Dialectici, et optime explicant nostri Complutenses in sua Logica disp. 14 n. 27, tantum est hoc triplex fundamentorum genus : consequens est, ut sit omnino verum id, quod in antecedenti hujus nostræ rationis asserebamus, scilicet, omnes relationes reales, quæ in divinis reperiuntur, solum esse de genere illarum, quæ in actione, et passione fundantur, aut quasi fundantur.

§ II.

Objectio duplex contra rationem D. Thomæ, et utriusque solutio.

39. Objectio prima contra rationem factam. Sed objicies primo contra rationem hanc, falso in ea supponi, relationes divinas præsupponere aliquod fundamentum, aut rationem fundandi. Quoniam relationes creatæ ideo illud præsupponunt, quia sunt accidentia, et non habent per se subsistere : ergo relationes divinæ, quæ sunt per se subsistentes, non præsupponent aliquid, quod se habeat per modum fundamenti respectu illarum. Consequentia videtur legitima. Et antecedens probatur. Nam si relationes creatæ essent substantiæ per se subsistentes, tunc, sicut substantia per se subsistens non eget fundamento, cui innitatur, ita neque ipsæ : et per consequens ideo egent fundamento, quia sunt accidentia, et non sunt per se subsistentes.

Diluitur. Respondetur, quod etsi relationes creatæ, quia tales, et quia accidentia sunt, exigant subjectum, cui inhæreant, et fundamentum involutum imperfectionibus; non tamen, quatenus relationes reales sunt : sic enim præscindunt ab hoc, quod inhæreant, vel sint subsistentes, vel ab hoc, quod habeant fundamentum, vel rationem fundandi liberam ab imperfectionibus, vel cum eis involutam. Et propterea relationes divinæ possunt esse subsistentes, et exigere rationem fundandi, aut fundamentum denudatum ab imperfectionibus : quia non petunt aliquod ex istis ob imperfectionem, limitationem, aut indigentiam, sed tanquam aliquid peculiariter determinans ad hoc, ut dentur in divinis relationes, saltem secundum proprium, et expressius munus earum, nempe, secundum esse *ad*. Siquidem non potest intelligi, quod alicubi sit ratio paternitatis secundum expressum conceptum *ad*, seu respiciendi expresse filium, nisi secundum nostrum modum concipiendi, et modo q. 40 explicando, præintelligatur generatio filii, ratione cujus statim intelligatur subsequi prædictus conceptus expressus respiciendi eumdem filium. Sicut etiam nequit intelligi, quod detur in divinis filiatio, nisi præcedat generatio activa, et passiva, ratione cujus veluti determinetur natura divina, ad hoc ut subsequatur relatio Filiationis.

40. Objectio 2. Secundo objicies, falsum esse id, quod in probatione antecedentis hujus rationis primo loco diximus, nimirum, quod relationes fundatæ in quantitate modali, v. g. relatio identitatis, aut similitudinis in natura, requirunt, quod natura illa sit saltem numerice multiplex in utroque extremo. Quoniam ad prædictam relationem satis est, naturam fundantem hanc relationem habere diversum modum essendi utrobique; quamvis secundum se sit eadem prorsus absque distinctione numerica in illis : ergo ex hoc capite nihil obest, quominus sit in divinis relatio realis identitatis in natura inter divinas personas.

Antecedens constat ex illis, quæ in 1 tomo tract. 2 disp. 2 n. 133 et tract. 3 disp. 2 n. 94 diximus. Nam, ut ex ibidem dictis liquet, eadem prorsus natura, quæ est ad extra in rebus, potest esse ad intra in specie intelligibili, et sub modo essendi intelligibili : et nihilominus, quia in specie est sub modo essendi distincto ab eo, quem eadem natura habet ad extra in se, idcirco potest dicere relationem realem similitudinis, seu identitatis ad se ipsam, ut est ad extra in se ipsa, seu ut est sub modo essendi naturali. Consequentia vero probatur. Quoniam essentia divina in tribus divinis personis habet distinctum modum essendi : et ideo in Patre est, ut non accepta ab alio, in Filio vero, ut accepta per generationem a Patre : ergo etc.

41. Confirmatio. Confirmatur. Quia relationes secundi generis fundatæ in actione, et passione requirunt distinctam rationem fundandi in utroque extremo : et nihilominus satis est in divinis ad has relationes, quod actio, et passio ibidem inventæ distinguantur ratione alicujus connotati, quamvis id, quod in recto afferunt, non sit distinctum : ergo eadem ratione ad relationes identitatis fundatas in quantitate modali, sive unitate naturæ satis erit, quod natura, quæ est in utroque extremo, connotet aliquid in uno, quod non connotet in altero, ut in præsenti contingit; quamvis utrobique natura in ratione naturæ sit prorsus eadem.

Consequentia videtur legitima ex paritate rationis. Minor autem etiam constat. Quoniam generatio activa in divinis consistit in ipso *intelligere* Dei active significato connotando Paternitatem, ut disp. 1 dub. 3 diximus : ac proinde generatio passiva erit hoc ipsum *intelligere* passive denotatum, et connotando Filiationem. Nam si *intelligere* active, connotando Paternitatem, est ipsa generatio activa, non est cur ipsummet passive significatum, connotando oppositam relationem nempe Filiationem, non sit ipsa

ipsa generatio passiva. Major autem probatur. Quia hoc ipso, quod ad relationes hujus secundi generis requirantur per modum rationem fundandi actio, et passio, debent prædictæ rationes fundandi aliquo modo distingui realiter, ut ita fundent relationes realiter diversas.

42. Enodatio objectionis. Respondetur, quod etsi demus, sufficere distinctionem realem provenientem ex diversitate modi essendi, non vero ex diversitate naturæ secundum se, ad hoc ut in illa natura possit fundari relatio realis identitatis, quando modus ille (saltem ex genere suo) pertinet ad lineam naturæ, non tamen, quando ex genere suo est diversæ lineæ. Quare, quia modus essendi intelligibilis, quem aliqua natura habet in sua specie intelligibili, pertinet (saltem ex genere suo) ad lineam naturæ, propterea, quod natura aliqua, ut est sub modo essendi intelligibili sit distincta a se ipsa, ut est sub modo essendi naturali, sufficit ad hoc, ut species illa intelligibilis dicat relationem realem identitatis in natura ad eamdem naturam, quam repræsentat, consideratam tamen, quatenus prædicta natura habet esse ad extra, et in se ipsa. Cæterum, quia ratio personalitatis, quam addunt personæ divinæ supra naturam Dei, ratione cujus dicitur natura divina superinducere peculiarem modum essendi, non pertinet ad lineam naturæ, sed ad diversam lineam, idcirco non est satis diversitas in hoc modo essendi ad hoc, ut eadem prorsus natura sub istis modis diversis essendi, et ratione eorum fundet relationem realem identitatis.

43. Solutio confirm. Ad confirmationem transeat major cum minori (licet supra disp. 2 n. 115 et 120 diximus, generationem passivam consistere in recto in relatione Filiationis per modum originis significatæ) sed negetur consequentia. Et ratio disparitatis est. Quod relationes, et personalitates relativæ per se pertinent per modum connotatorum ad lineas generationis activæ, et passivæ, ut tales sunt, et ut sunt rationes fundandi Paternitatem, et Filiationem. Nam sicut ad potentiam generativam per se pertinet, tanquam aliquid (modo insinuato) suæ lineæ, relatio Paternitatis : sic et ad ipsam, v. g. generationem activam ut talem, ac proinde ut est ratio fundandi Paternitatem secundum expressum conceptum *ad* : siquidem potentia generativa debet esse in Deo per modum actus purissimi ac proinde per modum generationis actualis.

Cæterum divina natura, ut fundat relationem identitatis in natura inter divinas personas, non affert tanquam aliquid illius lineæ distinctionem realem personarum, licet ex aliis capitibus personæ illæ, quæ sunt idem in natura divina, realiter personaliter distinguantur. Et ideo, si per impossibile prædictæ personæ non distinguerentur realiter personaliter sed virtualiter personaliter tantummodo, tunc natura divina, ut est fundamentum relationis identitatis inter ipsas, eodem modo fundaret prædictam relationem, ac nunc : ac proinde talis relatio non est realis, quippe quæ non petit distinctionem realem in fundamento, sive ratione fundandi secundum propria suæ lineæ : quod tamen ad fundamentum relationis realis, et ad realem relationem inde subsequutam requiritur.

§ III.

Duæ aliæ objectiones contra prædictam rationem D. Thomæ, et occursus ad eas.

Tertio objicies, non recte deduci in probatione consequentiæ rationis factæ, dandas esse quatuor tantummodo relationes reales in divinis, ex eo quod tantum sunt ibiddem duæ processiones, et unicuique ex illis solum correspondet duplex relatio. Quoniam etsi duplex tantummodo sit ibidem processio, poterunt plures, quam duæ, ex unaquaque illarum resultare relationes : sicut in humanis ex unica generatione plures, quam duæ dimanant relationes, nempe paternitatis, et filiationis, identitatis, et diversitatis, necnon et relatio distinctionis genitoris a genito. Et ita poterunt ex unica generatione Verbi divini resultare, ultra relationes Paternitatis, et Filiationis, duæ aliæ relationes mutuæ, nempe, relationes distinctionis inter Patrem, et Filium. 44. Tertia objectio.

Confirmatur. Nam quælibet persona divina realiter est in alia : ergo hoc ipso, quod detur processio Verbi, resultabunt ibidem, præter relationes Paternitatis, et Filiationis, aliæ relationes mutuæ præsentiæ, vel inexistentiæ unius personæ in altera. Patet consequentia. Nam cum istæ relationes mutuæ præsentiæ, et inexistentiæ, habeant fundamenta distincta, et ejusdem ordinis, et ex natura rei sit prædicta habitudo inter easdem divinas personas, non poterunt non esse reales. Confirmatio.

Respondetur negando, quod non colli- 45.

Respondetur ad objectionem. D. Thom. gatur sufficienter a D. Thoma, dandas esse tantummodo quatuor relationes reales in divinis, ex eo quod ibidem tantum sint duæ processiones. Ad id autem, quod adducitur de relatione reali distinctionis inter Patrem, et Filium satis liquet ex his, quæ divus Thomas infra quæst. 42 artic. 1 ad 4 docet, nempe, quod relatio distinctionis inter personas divinas non sit relatio realis adhuc virtualiter distincta a relationibus, v. g. personalibus; sed per unam et eamdem relationem, absque virtuali distinctione, realiter referuntur, et realiter distinguuntur. Cujus optimam rationem tradit D. Thomas ibidem, nempe, quod una relatio nequit fundari in alia, alioqui daretur processus in infinitum : quia sicuti distinguerentur relative per relationes superadditas prioribus relationibus, ita etiam relationes illæ superadditæ haberent etiam relative distingui per alias relationes, et sic in infinitum.

Replica. Nec obest, quod loquendo de Filiatione, aut Processione, tunc ratio fundandi illas, adhuc in recto, sint ipsæ relationes : ex quo videbatur sequi, posse esse rationes fundandi etiam respectu aliarum.

Solutio. Non igitur hoc obest. Quia non habet hoc relatio, v. g. Filiationis, nisi per modum originis, passiveque significata, idest, prout æquivalet, modo sibi proportionato, nostræ generationi passivæ. Et ita, sicut nostra generatio passiva potest esse ratio fundandi unicam tantummodo relationem filiationis. Ita et Filiatio divina, ut æquivalet prædictæ generationi, habebit unicam, eamque infinitam relationem Filiationis secundum suum esse *ad* expressum consideratam fundare. Et sicut nostra filiatio, ut dicit expresse *ad*, nequit aliam relationem fundare, ita nec divina : quia utrobique militat eadem ratio.

Adde, quod generatio passiva nequit fundare novam relationem, nisi generatio activa eam fundet, aut fundare queat : at generatio activa, quippe in recto dicens divinam essentiam connotando paternitatem, est immultiplicabilis : et propterea nequit nisi unicam relationem per modum rationis fundandi fundare.

46. Ad confirmationem. Ex quo etiam ad confirmationem constat. Quoniam relationes illæ, si reales sunt, non sunt distinctæ a Paternitate, et Filiatione, ne (ut modo dicebamus) detur una relatio realis fundata in alia. Unde, licet istæ relationes Paternitatis, et Filiationis in humanis non includant præsentiam, nihilominus in divinis non possunt non includere illam, tum ratione essentiæ : tum etiam, quia habent fundari in actionibus immanentibus, quarum et termini, et principia debent ob peculiarem rationem suam esse, modo alibi tacto, sibi invicem conjuncta.

Nec obest, relationes paternitatis, et filiationis esse disquiparantiæ ; relationes vero inexistentiæ, aut præsentiæ esse æquiparantiæ : at una et eadem relatio nequit esse æquiparantiæ, et disquiparantiæ : ergo etc. Replica.

Non igitur hoc obest. Quoniam etsi una et eadem relatio sub eodem nomine, et conceptu expresso non possit significari simul et exprimi per modum relationis æquiparantiæ, et disquiparantiæ : non tamen obest, quominus diversis nominibus significata, et diversis expressis conceptibus expressa significetur, et exprimatur, tam per modum relationis æquiparantiæ, quam disquiparantiæ, ut in præsenti contingit, et manifeste cernitur in ipsis relationibus adhuc creatis paternitatis, et filiationis, quæ his nominibus significatæ sunt relationes disquiparantiæ : et tamen quia se ipsis referuntur per modum relationum distinctarum, ac proinde relatio distinctionis inter utramque non distinguitur, adhuc virtualiter, ab ipsis, propterea, ut significatæ nominibus relationum distinctionis versantis inter illas, habent etiam significari per modum relationum æquiparantiæ. Responsio.

Quarto objicies, quod ex eo, quod detur in divinis secunda illa processio in probatione consequentiæ rationis factæ adducta, nempe, processio amoris præsupponens processionem verbi, non sequitur, dandas esse duas alias relationes, scilicet, Spirationem, et Processionem, sed ad summum dandam esse processionem, seu spirationem passivam : ergo etc. Antecedens probatur. Quoniam ex parte principii activi processionis per amorem non potest superaddi nova aliqua relatio : ex eo quod Pater, et Filius, qui sunt principium activum Spiritus sancti, præsupponuntur constituti in ratione principii *quod* per suas relationes Paternitatis, et Filiationis : et ita nequeunt fundare aliquam aliam relationem, aut actuari per illam, quia una relatio non potest aliam fundare, aut eam in se recipere, aut quasi recipere. 47. Quarta objectio.

Respondetur, quod etsi spiratio competat personis relatis, nempe Patri, et Filio, et Paternitas, ac Filiatio habeant se per modum veluti conditionum indispensabiliter requisitarum Occurritur.

requisitarum ad hoc, ut prædicta relatio spirationis activæ eis communicetur : non tamen idcirco talis relatio desinet esse relatio realis (modo infra dicendo) distincta a Paternitate, et Filiatione : quia istæ duæ relationes non comparantur respectu illius per modum rationis fundandi, sed prædicta spiratio fundatur in actu notionali spirandi, qui quidem distinguuntur virtualiter a Paternitate, et Filiatione : et propterea, licet detur ibi relatio spirationis activæ, non ideo una relatio fundabitur modo dicto in alia. Sicut si darentur relationes distinctionis aut præsentiæ inter divinas personas, et distinctæ virtualiter a quatuor illis relationibus realibus in assertione recensitis, tunc fundamentum harum relationum, adhuc in recto sumptum, esset alia relatio, et ita incideremus in inconveniens a D. Thoma adductum, nempe, in processum in infinitum ; in quem tamen non inciditur ex eo, quod ultra tres alias relationes recensitas detur in divinis relatio spirationis activæ. Sed hæc amplius infra disp. 15 dub. 3 explicabuntur.

§ IV.

Posterior objectio contra eamdem Angelici Doctoris rationem, et responsio ad eam.

18. Postrema objectio. Ultimo objicies, quod etsi revera tantum sint in Deo duæ processiones in specie, aut quasi specie atoma : attamen ex ratione D. Thomæ a nobis adducta id non probatur, sed ad summum, quod tantum sit in divinis duplex processio, quasi generice distincta. Quoniam ex eo, quod in Deo tantum sint duæ processiones, una per intellectum, et alia per voluntatem, quod D. Thomas in sua ratione docet, non colligitur, quod infra quamlibet ex istis non sint plures aliæ, sed potius oppositum : ergo in Deo dimanabunt plures relationes reales præter quatuor illas enumeratas.

Antecedens probatur. Quoniam sicut per *intelligere* essentiale et primordiale, ac divinæ naturæ constitutivum producitur verbum, ita etiam non ostenditur aliqua ratio repugnantiæ ex vi hujus rationis, nimirum ex eo, quod processiones in divinis sint per intellectum, et voluntatem, quominus etiam per alias intellectiones divinas, ut per actum scientiæ, vel artis, vel providentiæ, producatur etiam aliud verbum, sicut in creaturis per quemlibet actum producitur ; sed potius videtur per quemlibet ex his actibus, quippe infinite fœcundis, producendum esse verbum.

Nec refert si dicas, quod hoc ipso, quod per *intelligere* essentiale producatur verbum exhauritur omnino vis productiva verbi reperta in divinis : ex eo quod verbum productum per prædictum *intelligere* est infinitum in ratione verbi, et repræsentat perfectissime omne repræsentabile. Solutio.

Nam contra hoc est. Tum quod verbum productum per intellectionem essentialem licet esset infinitum, nihilominus haberet unde posset distingui ab aliis verbis productis per actum scientiæ, vel artis, vel intelligentiæ. Nam sicut *intelligere* essentiale constitutivum divinæ naturæ, et actus scientiæ habent distincta objecta formalia, ita etiam verba per hoc duplex *intelligere* producta haberent distincta objecta formalia, per quæ distinguerentur : quemadmodum, et ipsi actus, a quibus procederent, sunt inter se quasi specie distincti. Contra primo.

Tum etiam. Quoniam *intelligere* essentiale constitutivum divinæ naturæ non exhaurit totam vim intellectivam Dei : alioqui non superessent in divinis alii actus quasi specie distincti, et proprii virtutum intellectualium : ergo neque exhauriet totam fœcunditatem, quæ est in vi intellectiva Dei : siquidem ex summa perfectione virium intellectivarum illius oritur hæc fœcunditas ad producendum verbum : et ita si vires intellectivæ divinæ non exhauriuntur per priorem intellectionem essentialem, non est cur fœcunditas earum exhauriatur per productionem verbi formati per intellectionem essentialem constitutivam Dei. Secundo.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Quia D. Thomas supponit id, quod ex alibi ab eo dictis patet, nempe, quod actio, per quam producitur verbum in divinis, debet esse talis conditionis, ut non ex indigentia, sed ex pura, ac proinde summa fœcunditate sit productio illius : hæc autem, et principium, aut quasi principium, unde quasi dimanat, dicunt tantam perfectionem, ut non possit convenire, nisi principio primordiali, et potissimo contento intra totam latitudinem generis, aut quasi generis totius intellectualitatis divinæ. Sicut etiam producere ex pura fœcunditate intra latitudinem virium affectivarum aliquem impulsum, est tantæ excellentiæ, et actualitatis, ut non possit competere, nisi principio potissimo, et ac- 49. Satisfit objectioni.

tualissimo contento intra totam latitudinem generis, aut quasi generis partis (ut sic dicamus) affectivæ, nempe voluntati divinæ.

50. Hujus autem duplex ratio reddi potest. Prima quidem a posteriori, ex eo quod fide tenemus. (Sicut enim sola fide noscimus productionem verbi in divinis, ita ex sola ipsa potest efficaciter colligi, esse tantummodo unum verbum, et non plura.) Prima igitur ratio desumitur ex eo, quod fides dictat contingere in divinis, scilicet, non produci de facto verbum ibidem per actus scientiæ, artis, etc. neque impulsum aliquem per virtutes affectivas, sed solum per intellectionem primordialem constitutivam Dei produci prædictum verbum, et per voluntatem tantummodo spirari impulsum. Hoc autem satis indicat, id repugnare : siquidem quæcumque spectant ad processiones in divinis, non aliter possunt esse, quam de facto sunt : ac proinde etiam indicat, non esse in aliis virtutibus affectivis distinctis a voluntate, neque in virtutibus intellectualibus diversis etiam ab *intelligere* essentiali, ac constitutivo Dei, tantam perfectionem, quanta requiritur ad hoc, ut sint productivæ ad intra ex pura fœcunditate : et per consequens hoc etiam innuet, quod talis fœcunditas dicat tantam actualitatem, et perfectionem, et non possit convenire, nisi potissimo illius generis, vel affectivi, vel intellectivi, intra quod datur prædicta fœcunditas.

51. Secunda vero ratio ejusdem veritatis potest desumi a contrario ex his, quæ in creaturis contingunt. Nam in illis, quod tam intellectus v. g. quam quod virtutes intellectuales ejus producant verbum, oritur ex indigentia : et licet ibi sit aliquid fœcunditatis, id tamen est involutum cum maxima indigentia, et hac deficiente, nec est in creaturis illud fœcunditatis, quod cum illa indigentia involvitur, ut in visione beata contingit. Et propterea hic modus fœcunditatis non est adeo elevatus in illis, ut non possit competere tam intellectui, quam ejus virtutibus intellectualibus : quia tam ille, quam istæ indigent suo objecto unito eisdem in ratione objecti terminantis intellectionem : et ideo omnia ista debent producere verbum.

Cæterum productio verbi, et impulsus in divinis est, ut diximus, ex pura fœcunditate, et hæc ratio est ita elevata, ut in partibus (ut sic dicamus) intellectiva, et affectiva exigat potissimas facultates intra eas contentas, scilicet, in parte intellectiva solum intellectum per modum actus purissimi, qui est idem ac *intelligere* primordiale, et in parte affectiva solam voluntatem.

Unde solutio ad hanc ultimam objectionem ibidem adducta, et juxta hæc intellecta, admitti potest. Et ad probationem priorem in contrarium negandum est antecedens. Nam verbum productum in divinis non potest habere aliud objectum præter id, quod habet *intelligere* primordiale : ex eo quod sicut actio, per quam producitur, est tantæ excellentiæ, ut debeat esse ipsum *intelligere* excellentissimum omnium, ac proinde *intelligere* constitutivum Dei : ita et verbum productum in divinis debet esse ita perfectum, ut petat processionem tantæ perfectionis, quantæ est ista : ac proinde ejus objectum formale semper debet esse idem, nempe, ipsa essentia divina, ut est objectum ejusdem intellectionis primordialis. Cæterum actus scientiæ, aut artis non sunt tantæ perfectionis in divinis, ut ex vi suæ rationis differentialis cum præcisione sumptæ exprimant tantam perfectionem, quantam exprimit ipsa intellectio constitutiva Dei. Et ideo, licet non pertingant ad hanc, possunt reperiri in divinis, tanquam virtutes intellectuales distinctæ virtualiter ab ipso *intelligere* primordiali, earumque objecta formalissime sumpta distinguuntur virtualiter ab objecto ejusdem *intelligere* primordialis. 52. Admissa solutione inter arguendum tradita solvitur prior impugnatio.

Ex quo ad probationem posteriorem concedi poterit antecedens, sed neganda est consequentia, loquendo de fœcunditate ad intra. Ad cujus probationem patet ex dictis, quomodo hæc fœcunditas pura, non admixta indigentiæ, non intelligatur quasi dimanare ex quavis vi ad intelligendum : sicut neque vis ad producendum ex pura fœcunditate partis affectivæ habet veluti resultare ex quavis vi ad volendum ; sed utramque fœcunditatem solum convenire potissimæ speciei, aut quasi speciei contentæ intra partem intellectivam, aut affectivam. Cumque solus intellectus per modum actus purissimi, et sola voluntas per modum etiam actus purissimi sint hujusmodi ; non vero earum virtutes, vel intellectuales, vel affectivæ : quia istæ exceduntur a voluntate in actualitate, et perfectione, sicut habitus connaturales voluntatis creatæ exceduntur ab ipsa voluntate ; et illæ superantur ab intellectu in nobilitate, et similiter in actualitate, quemadmodum etiam habent eodem Occurritur posteriori impugnationi.

eodem modo superari virtutes intellectuales creatæ ab intellectu, in quo sunt : idcirco fœcunditas prædicta non intelligitur quasi dimanare, nisi vel a sola vi intellectiva, quæ est in divino intellectu, vel a sola vi affectiva, quæ est in voluntate divina.

53. Respondetur secundo ad totam objectionem.

Secundo respondetur ad totam hanc objectionem negando antecedens. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Nec id, quod dicitur de creaturis per actum intellectus artis, vel scientiæ producentibus verbum obstat, propter disparitatem apertam inter illas, et Deum, in solutione ejusdem objectionis insinuatam. Nam cum verbum creatum sit finitum, non est necesse, ut exhauriat totam vim productivam intellectus. Maxime, quia objecta primaria artis, vel scientiæ sunt extra intellectum creatum : et ideo indigent verbo producto per artem, ut possint intelligi ab illo, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 n. 28 diximus : quod tamen e contra in Verbo divino contingit, quod est infinitum, et semper debet repræsentare ipsam Dei essentiam, quæ est objectum primarium cujuscumque intellectionis divinæ : ac proinde debet etiam repræsentare omne repræsentabile : siquidem quidquid repræsentabile est, continetur in divina essentia, et per consequens exhaurit totam vim productivam, quam respectu Verbi habet divinus intellectus.

54. Admissa solut. inter argumentandum data respond. juxta hanc solut. impugnationibus.

Unde admissa solutione inter proponendam hanc objectionem tradita, respondetur ad ejus impugnationem negando antecedens. Et ad primam probationem illius negari etiam debet antecedens. Et ratio disparitatis est. Nam actiones possunt habere unum et idem objectum in *esse* rei, et distinctum in *esse* objecti propter diversum modum tendendi in illud, ut patet in generatione et creatione hominis. Et ita, licet omnes actus divini intellectus habeant idem objectum in *esse* rei, nempe divinam essentiam, possunt distingui in *esse* rei inter se quasi specie, propter diversum modum tendendi ad illam. Cæterum terminus productus per actionem, v. g. verbum, non multiplicatur in *esse* rei, adhuc virtualiter, penes hoc, quod producatur hoc vel illo modo ; sed solum penes repræsentationem distinctæ naturæ : sicut homo non multiplicatur in esse rei, adhuc virtualiter, penes hoc, quod fiat creatione vel generatione. Et ideo, quia omne verbum divinum debet repræsentare naturam divinam, prout est in se, et per consequens omne repræsentabile in ea contentum : idcirco non est unde verba divina multiplicentur ; sed tantum potest dari unicum et idem verbum : et hoc semel producto, nequeunt alia produci. Per quod ad secundam probationem antecedentis etiam patet.

DUBIUM III.

Utrum sicut Paternitas, Filiatio, et Processio realiter inter se distinguuntur; ita etiam spiratio a Paternitate et Filiatione sit realiter diversa?

In titulo aliquid ut certum supponimus, et aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim, tres relationes personales primo loco in eo relatas distingui realiter : siquidem constituunt tres personas realiter distinctas. Vocamus autem in dubium, an etiam spiratio activa distinguatur realiter, non quidem a processione, seu a spiratione passiva : nam certum est, has duas relationes distingui inter se realiter : ex eo quod realiter, et ex diametro inter se opponuntur, sed an distinguatur realiter a Paternitate et Filiatione : quia de hoc solum potest esse difficultas, ut ita constet, an non solum reperiantur in divinis quatuor relationes reales, sed an omnes illæ sint realiter distinctæ. 55.

§ I.

Ex mente Angelici Doctoris dubii difficultas expeditur.

56. Conclusio continens duas partes.

Dicendum ergo est, spirationem activam non distingui realiter, aut ex natura rei, seu secluso intellectu a paternitate et filiatione, sed virtualiter. Assertio hæc quoad primam ejus partem satis colligitur ex illis, quæ docet Concilium Lateranense sub Innocentio III q. 2, et refertur cap. *Damnamus, De summa Trinitate*, ubi damnatur, quod sint in Deo quatuor res. Si autem spiratio activa realiter distingueretur a paternitate et filiatione, tunc deberent dari in divinis quatuor res, nimirum, tres relationes personales, et ipsa spiratio activa, quæ ab omnibus illis realiter distingueretur.

Probatur quoad 1 part. ex Concil. Later.

Effugium Durandi.

Nec obest, quod respondet Durandus, nimirum, in eo Concilio solum damnari quaternitatem rerum contra Abbatem Joachim, quæ coalesceat ex essentia, et tribus personis, vel ex quatuor personis. Nam

Refellitur primo. contra hoc est, tum, quod ideo Concilium damnavit sententiam Abbatis Joachim, quia absolute asserebat, esse in Deo quaternitatem rei : cum tamen fides non admittat in Deo prædictam quaternitatem, sed solum Trinitatem : et omnis numerus realis, qui tantummodo potest admitti in personis et relationibus, debet ad ternarium reduci.

Secundo. Tum etiam. Quia si semel in divinis admittitur prædicta quaternitas relationum, oportet, ut incidatur in quaternitatem personarum : siquidem spiratio activa si distingueretur realiter a paternitate et filiatione, esset relatio per se subsistens per propriam subsistentiam distinctam a subsistentia divinæ essentiæ et aliarum relationum personalium, et per consequens haberet subsistentiam incommunicabilem aliis relationibus. Sicut quia paternitas et filiatio subsistunt per propriam subsistentiam relativam realiter distinctam, propterea subsistunt incommunicabiliter. Cumque ad rationem personalitatis satis sit subsistentia incommunicabilis, non posset non spiratio activa constituere personam : et ita necessario incideretur in quaternitatem personarum, ut innuit D. Thomas infra quæst. 30 art. 2, dum inquit, quod plures personæ in divinis sunt plures relationes subsistentes, ab invicem realiter distinctæ.

57. D.Thom. Eamdem etiam assertionem quoad prædictam partem tuetur D. Thomas infra quæst. 40 art. 1 ad 1 ubi sic ait : *Sic igitur communis spiratio est idem cum persona Patris, et cum persona Filii. Non quod sit una persona per se subsistens, sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas, ut supra dictum est.* Quod etiam docuit quæst. 30 art. 2. Unde partem hanc amplectuntur Capreolus in 1 dist. 13 quæst. 1 art. 2, Ægidius in 1 dist. 27 quæst. 1 art. 1, Cajetanus infra quæst. 32 art. 2 § *Circa prædicta*; et ibi Torres, Bannez ibidem art. 3 dubit. 2 ; Suarez lib. 5 de Trinitate cap. 5 dicens, esse communem omnium Thomistarum ; Vazquez in hac 1 part. disp. 137 cap. 2. et alii quamplures. (Capreol. Ægidius. Cajetanus. Bannez. Torres. Suarez. Vasquez.)

Et similiter quoad secundam partem, nimirum, spirationem activam esse distinctam virtualiter a paternitate et filiatione, est expressa D. Thomæ infra quæst. 32 art. 2 jam citato, ubi fatetur, paternitatem v. g. et spirationem esse duas relationes : quia correspondent duabus relationibus distinctæ speciei, scilicet, filiationi et processioni. Cumque non sint duæ realiter distinctæ, ut ex eodem Angelico Doctore diximus, oportet, ut sint distinctæ virtualiter, ut ita, modo sibi debito, possint correspondere filiationi et processioni. Unde assertionem nostram quoad hanc etiam partem amplectuntur omnes Doctores pro priori parte adducti. (D.Thom.)

Ratio autem potissima et fundamentalis hujus assertionis quoad priorem partem desumitur ex illis, quæ disp. 5 a num. 26 usque ad numerum 36 adduximus ad probandum, relationes divinas non distingui realiter, aut ex natura rei, et secluso intellectu ab essentia Dei. Nam omnia illa æque probant, spirationem activam non distingui actu, et secluso intellectu a paternitate et filiatione, sed ad summum virtualiter, ut ea intuenti constabit. Et ideo ex his, quæ ibidem diximus, et ex eis, quæ D. Thomas loco citato ex quæst. 40 docet, potest sequens ratio ad hanc brevem formam redacta formari. Quoniam Deus est summe simplex : ergo repugnat in eo aliqua realis compositio : ergo etiam repugnabit in Patre æterno v. g. esse formaliter paternitatem et spirationem activam, tanquam duas relationes realiter, aut secluso intellectu distinctas. Patet consequentia. Quia tunc esset in illo realis compositio coalescens ex Patre, ut habente spirationem illam, et ex spiratione ipsa habita a Patre. Sicut, quia in creaturis esse album coalescit hoc modo ex albedine, et ex subjecto, tanquam ex duabus rebus realiter distinctis, propterea est in eis realis compositio proportionata prædictæ distinctioni. Et similiter, quia in creaturis modus, et id, cujus est modus, distinguuntur modaliter, aut ex natura rei, idcirco invenitur ibidem compositio modalis, aut ex natura rei, et secluso intellectu. Videantur omnino illa, quæ loco citato diximus. 58. Ratio fundamentalis et præcipua quoad primam partem assertionis. D.Thom.

Confirmatur ex communi illo Theologorum axiomate, nempe, quod *in divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio*. Nam ex hoc optime deducitur, spirationem activam non distingui realiter aut secluso intellectu a paternitate et filiatione ; quamvis distinguatur realiter ab spiratione passiva, seu a processione : siquidem opponitur realiter prædictæ processioni, seu spirationi passivæ, non vero paternitati, aut filiationi. Confirmatur.

Ratio vero ejusdem assertionis quoad secundam partem, nempe, spirationem distingui virtualiter a paternitate et filiatione. 59. Ratio assertionis

quoad secundam partem. Angel. Doctor. tione, desumitur ex eodem Angelico Doctore loco citato ex quæst. 32 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam relationes correspondentes diversis relationibus realibus non possunt non distingui virtualiter; quamvis non distinguantur realiter ex defectu oppositionis ad invicem : sed paternitas v. g. et spiratio activa sunt hujusmodi : ergo licet non distinguantur realiter ex defectu oppositionis, distinguentur tamen virtualiter.

Consequentia videtur legitima. Minor vero est perspicua. Siquidem paternitas correspondet filiationi, ut terminus illius; spiratio vero activa habet correspondere processioni, seu spirationi passivæ, tanquam terminus ab ea inspectus; quamvis inter paternitatem et spirationem activam non sit hic respectus et oppositio. Major autem etiam constat. Quoniam relationes realiter distinctæ petunt terminos formales, saltem virtualiter distinctos : sicut potentiæ, aut actus realiter distincti exigunt, proportione tamen servata, objecta saltem virtualiter distincta in ratione objectorum : sed relationes correspondentes aliis relationibus realiter distinctis comparantur cum eis per modum terminorum formalium : ergo debebunt ex hoc capite virtualiter distingui, licet in divinis ex defectu oppositionis ad invicem (quæ sola ibidem causat distinctionem actualem secluso intellectu) debeat prædicta distinctio solum esse virtualis, non vero actualis et secluso intellectu.

60. Confirmatur. Confirmatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore loco citato. Quoniam ratio specifica relationis consistit in hoc, quod est, ad aliud se habere : ergo impossibile erit duabus relationibus totalibus distinctis secundum speciem, quales sunt filiatio et processio, respondere ex parte Patris unam relationem secundum speciem : ac proinde relationes eis correspondentes, nimirum paternitas et spiratio activa erunt specie, et per consequens virtualiter distinctæ.

Objectio contra hanc rationem. Ex quo fit, nihil obesse, si objicias, ex hac ratione etiam sequi, dari inter istas relationes aliquod genus distinctionis ex natura rei, et secluso intellectu. Tum, quia in creaturis relationes correspondentes aliis relationibus realibus realiter inter se distinctis distinguuntur etiam realiter inter se : licet non habeant ad invicem realem oppositionem. Tum etiam, quia spiratio et paternitas sunt specie, aut quasi specie totali distinctæ, et exigunt fundamenta totalia, et adæquata, necnon et terminos totales similiter adæquatos, hoc ipso quod correspondeant diversis relationibus realiter distinctis : ergo non solum virtualiter, sed etiam actualiter, et secluso intellectu ab invicem distinguentur. Quoniam relationes, quæ distinguuntur totaliter, et specifice, et habent fundamenta totalia et adæquata, debent realiter inter se distingui, ut constat inductive in relationibus creatis.

61. Enodatio. Respondetur enim ex dictis negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, esse disparem rationem inter relationes creatas et increatas. Nam illæ possunt ad invicem distingui, vel ratione oppositionis vel limitationis. Et ita relationes correspondentes duabus relationibus realiter distinctis possunt in creaturis realiter etiam distingui ratione limitationis, licet non ratione oppositionis; secus vero in divinis, ubi non patet aditus reali distinctioni ortæ ex limitatione, sed solum ex reali oppositione. Per quod etiam ad secundam probationem constat. Quoniam etsi in creaturis ratione suæ limitationis soleant ea, quæ totaliter et specifice distinguuntur, distingui etiam ex natura rei, ex eo quod sunt formalitates completæ, ut constat in actione et passione : nihilominus in divinis, propter infinitatem, et summam simplicitatem ibidem repertam, hoc non sufficit; sed solum, ut nunc dicebamus, inter ea tantummodo est distinctio actualis secluso intellectu, inter quæ est oppositio.

§ II.

Opposita sententia, duo ejus fundamenta, et responsio ad illa.

Oppositam tamen sententiam docuit Scotus quodlibeto 5 art. 2 quatenus asserit, spirationem activam distingui a paternitate, et filiatione actu a parte rei; non quidem distinctione rei a re, sed distinctione ex natura rei. Necnon et alii, quos refert Durandus in 1 dist. 13 quæst. 2 a n. 14, qui absolute concedebant, relationes has distingui inter se realiter. Et quia idem Durandus pluribus argumentis eam confirmat, et dissolvit omnia, quæ contra ipsam objiciuntur, videtur eam sequi. Pro qua etiam refertur Gabriel dist. 28 quæst. 1 art. 3. Potestque hæc sententia probari primo testimonio D. Thomæ quæst. 32 nuper 62. Opposita sententia. Durand. Gabriel. Probatur testimonio D.Thom.

citata art. 3 in solutione ad 3, ubi S. Doctor inquit, paternitatem et spirationem activam non posse ad invicem prædicari, ita ut dicamus, paternitatem esse spirationem, vel spirationem esse paternitatem. Si autem paternitas et spiratio non distinguerentur, nisi tantum virtualiter, non esset cur hæc prædicatio non esset admittenda. Sicut quia essentia, et relatio in divinis, aut sapientia et justitia tantum distinguuntur virtualiter, propterea absolute et simpliciter potest, et debet concedi, quod essentia est relatio et sapientia est justitia.

Confirmatur. D.Thom. Confirmatur. Quia ut D. Thomas loco citato explicaret, cur hæc propositio, *Paternitas est spiratio*, non sit concedenda, sic ait : *Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentiæ sit attributum scientiæ; licet dicamus, quod scientia sit potentia.* Ergo eadem ratione, quamvis negaretur hæc propositio, *Notio paternitatis est notio spirationis* : nihilominus esset concedenda hæc : *Paternitas est spiratio activa*, si semel paternitas, et spiratio activa solum distinguuntur virtualiter. Patet consequentia. Quia idcirco D. Thomas negat priorem illam propositionem, scilicet, *Attributum potentiæ est attributum scientiæ* quia ly *attributum* significat aliquid rationis, et secundum hoc scientia et potentia distinguuntur, Et contra vero, ideo concedit hanc propositionem, *Scientia est potentia*, quia in ea solum significatur identitas realis inter utramque : ergo cum notio dicat aliquid rationis, consequens erit, ut propter eamdem rationem sit neganda hæc propositio : *Notio paternitatis est notio spirationis*, e converso vero ista sit concedenda, *Paternitas est spiratio* : quia in ea solum significatur realis identitas inter utramque.

63. Prima expositio testimoniorum D.Thom. Respondent aliqui ex Junioribus, Angelicum Doctorem agere in articulo citato de divinis relationibus, ut sunt notiones, et quatenus significantur ut tales : et propterea sensum illius in prædicta solutione ad secundum tantum esse, quod notio paternitatis non est notio spirationis, non vero quod ipsa paternitatis non sit spiratio activa. Quoniam ad hoc satis est realis identificatio inter utramque relationem.

Secunda et verior interpretatio. Cæterum hæc explicatio testimonii D. Thomæ licet sit probabilis, nihilominus videtur magis consonum doctrinæ ipsius, quod prædictæ relationes non possunt in abstracto significatæ de se invicem prædicari. Nam licet Angelicus Doctor in præ- Angel. Doctor. dicta quæst. agat de divinis notionibus : attamen ad probandum, non esse in Deo quinque notiones, objicit contra se, quod tres ex illis, nempe paternitas, filiatio et spiratio activa ; *Aut differunt re, aut non? Si differunt re, sequitur, quod persona Patris sit composita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur, quod una earum possit de alia prædicari : ut dicamus, quod sicut bonitas divina est ejus sapientia propter indifferentiam rei, ita communis spiratio sit paternitas : quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.* Constat autem, objectionem hanc potius procedere de paternitate et spiratione, prout propriis nominibus primæ intentionis significantur, quam prout nominibus notionum, sive secundæ intentionis denotantur.

Et propterea idem Angelicus Doctor in solutione ad hoc argumentum satis videtur significare, se loqui de paternitate v. g. et spiratione secundum se, sive ut istis nominibus primæ intentionis, nempe paternitatis et filiationis significantur. Et ita sic ait : *Ad tertium dicendum, quod cum sola oppositio relativa faciat pluralitatem realem in divinis, plures proprietates unius personæ, cum non opponantur ad invicem relative, non differunt realiter. Nec tamen de se invicem prædicantur : quia significantur ut diversæ rationes personarum. Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentiæ sit attributum scientiæ, licet dicamus, quod scientia sit potentia.* In quibus verbis, ut constat, loquitur S. Doctor de his proprietatibus secundum se, et ut prædictis nominibus primæ intentionis denotantur; non vero ut præcise sunt notiones, sive quatenus significantur nominibus secundæ intentionis. Nec obest exemplum ibidem adductum de scientia et potentia, quatenus significantur nominibus attributorum, ut ex statim dicendis patebit.

Quare ad argumentum aliter respondetur juxta solutionem modo relatam ex Angelico Præceptore. Quoniam licet distinctio virtualis non impediat, quominus ea, quæ identificantur, possint in abstracto de se invicem prædicari : hoc tamen limitandum est, dummodo vel ratione alicujus adjuncti, vel ratione modi significandi terminorum non denotetur, terminos illius sumi in sensu formali, non vero in solo sensu identico. Nam tunc sola distinctio virtualis inter extrema satis est ad hoc, ut propositio illa sit falsa. Quoniam denotatur, non solum 64. Vera solutio argumenti.

lum in sensu identico, sed etiam in sensu formalissimo, et absque distinctione virtuali unum extremum esse aliud. Quod tamen, ut constat, cum distinctione virtuali inter utrumque cohærere non potest. Unde, cum hæc propositio, *Attributum potentiæ est attributum scientiæ*, reddat sensum formalem, et non solum identicum ratione illius adjuncti, nempe, *attributum* : idcirco a S. Doctore, et communiter a Theologis negatur, sicut et hæc conceditur : *Potentia Dei est scientia illius* : quia nec ratione alicujus additi, neque ex aliquo alio capite denotatur, extrema sumi in sensu formalissimo, sed solum in identico.

Cæterum, quia hæc propositio, *Paternitas est spiratio activa*, habet ex vi modi significandi terminorum reddere sensum formalissimum : ac proinde denotare, quod ratio formalissima paternitatis, quatenus præcise habet respicere filium, est ratio formalissima spirationis activæ, quatenus præcise est respectus realis ad Spiritum Sanctum : ideo talis propositio non est absolute concedenda. Sicut propter hanc rationem docet Angelicus Doctor, eam non debere concedi, dum loquens de his relationibus, dixit : *Nec tamen de se invicem prædicantur : quia significantur ut diversæ rationes personarum*

Angel. Doctor.

65. Ratio autem, propter quam relationes istæ sumuntur in sensu formalissimo, et per consequens quatenus una virtualiter distinguitur ab alia, non vero scientia et potentia, traditur a Cajetano. Nam relationes hoc habent speciale ex vi sua, quod determinate, expresse, et vi modi significandi significant respectum ad terminum. Et ideo, quando una relatio in abstracto prædicatur de alia, denotatur ex vi modi significandi extremorum, unamquamque earum, ut respicit proprium terminum, esse alteram : atque adeo propositio accipitur in sensu formali, et innuitur, quod una earum, ut distincta virtualiter ab alia, respicit proprium terminum alterius : quod quidem, ut constat, est falsum.

Cajetan.

Cæterum scientia et potentia Dei licet his nominibus significatæ distinguantur virtualiter in actu exercito : non tamen ex vi modi significandi horum terminorum denotantur determinate et expresse, ut virtualiter distinctæ. Et ita ad significandam distinctionem rationis, aut distinctionem virtualem versantem inter illas, utimur aliis nominibus id ex vi modi significandi exprimentibus, ut si dicamus, quod attributum scientiæ est attributum potentiæ; vel quod scientia, quatenus præcise est ratio sciendi, habet rationem potentiæ. Et propterea negatur hæc propositio, *Attributum scientiæ est attributum potentiæ* ; et conceditur ista, *Scientia est potentia* : quia licet ex parte rei significatæ virtualiter distinguantur (intellige, juxta probabilem opinionem multorum : quod quidem satis fuit Angelico Præceptori, et nobis ad hoc in exemplum adducendum) nihilominus ex vi modi significandi, non significantur expresse et determinate, quatenus sic distinguuntur.

Per quod ad confirmationem satis patet. 66. Solutio confirmationis.
Unde D. Thomas non adduxit illud exemplum, ut denotaret, paternitatem v. g. et spirationem sumi sub nominibus notionum ; sed ut significaret, quod sicut illa propositio, *Attributum scientiæ est attributum potentiæ*, reddit sensum formalissimum ratione termini adjuncti, nempe, *attributum* : ita etiam ista, *Paternitas est spiratio activa*, reddit prædictum sensum : non quidem ratione alicujus termini superadditi, sed ratione modi significandi horum extremorum ; licet utrobique sit realis identitas inter extrema utriusque propositionis. Quare, sit paternitas, et spiratio activa prædicarentur ad invicem adjuncto aliquo termino restringente propositionem, ad hoc ut non sumeretur in sensu formali, sed in identico, tunc optime posset admitti prædicta prædicatio, ut si dicatur, quod *Paternitas est res, quæ est spiratio activa.*

Adde, quod licet aliqua identificentur, Aliter occurritur.
si tamen virtualiter distinguantur, sufficit hæc virtualis distinctio ad hoc, ut non possint in abstracto de se invicem prædicari, quando ex tali prædicatione sequitur, aut denotatur confusio terminorum, qui per se inspiciuntur a prædictis formis in abstracto sumptis, et prædicta confusio nequit absque inconvenienti admitti ; secus vero, quando absque inconvenienti potest talis confusio, aut quasi confusio concedi. Et propterea, licet in divinis identificentur intellectus, et voluntas, nihilominus hæc non potest concedi, *Pater voluntate generat Filium*, et similiter nec ista, *Pater intellectu spirat Spiritum Sanctum* : quia hinc sequeretur confusio terminorum harum processionum : et per consequens, quod filius esset Spiritus Sanctus, et quod Spiritus Sanctus esset filius.

Unde, quia ex hoc quod scientia v. g. sit potentia Dei, non sequitur confusio objecto-

rum formalium scientiæ et potentiæ, quæ sit rejicienda : siquidem objectum formale utriusque est divina essentia, quatenus est ratio sciendi et faciendi creaturas, ita ut divina essentia solum ratione distinguatur in ratione objecti : idcirco nihil obest, quod concedatur prædicta propositio. Cum tamen obsit admittere istam, nempe, *Paternitas est spiratio :* quia sequeretur confusio terminorum formalium et totalium, qui per se inspiciuntur a paternitate et spiratione, nempe confusio filiationis et processionis per se inspectarum ab spiratione et paternitate.

67. Secundum fundamentum ejusdem sententiæ. Secundo probari potest eadem sententia. Quoniam relationes producentis et producti debent esse realiter distinctæ, ut constat in paternitate et filiatione : sed filiatio est relatio producti ad suum producentem, spiratio vero est relatio producentis ad suum productum, nempe ad Spiritum Sanctum : ergo prædictæ relationes realiter distinguentur.

Evertitur. Respondetur, quod etsi relationes producentis et producti respectu eorumdem extremorum debeant esse realiter distinctæ, ut patet in paternitate et filiatione : attamen relationes producentis et producti respectu diversorum possunt inter se identificari, dummodo sit inter eas virtualis distinctio, ut in præsenti contingit, ubi filius dicitur productus respectu patris, et producens respectu Spiritus Sancti : ideoque potest per unicam relationem realiter, multiplicem tamen virtualiter, respicere Patrem ut producentem ipsum, et Spiritum Sanctum tanquam terminum productum ab ipso.

§ III.

Alia duo argumenta cum suis solutionibus.

68. Tertium fundamentum. Tertio suaderi potest eadem sententia. Nam sicut se habet paternitas ad filiationem, ita spiratio ad processionem : siquidem utrobique est distinctio realis, et oppositio relativa : ergo a permutata proportione, sic se habebit paternitas ad spirationem activam, sicut filiatio ad processionem : ergo cum filiatio et processio distinguantur realiter, etiam paternitas et spiratio realiter distinguentur. Hæc secunda consequentia cum antecedenti videtur constare. Prima vero probatur. Quia argumentum a permutata proportione est legitimum, ut si dicas, *Sicut se habent octo ad quatuor, ita sex ad duodecim : ergo sicut se habent octo ad duodecim, ita quatuor ad sex :* et propterea non magis superatur, servata proportione, numerus octonarius a duodenario, quam quaternarius a senario.

Enodatur. Respondetur, quod etsi demus, argumentum a permutata proportione valere in quantitatibus; non tamen semper est legitimum in aliis rebus. Et propterea hic discursus similis formæ non est admittendus, *Sicut se habet Pater ad Filium, ita spirator ad Spiritum Sanctum : ergo a permutata proportione, sic se habebit Pater ad spiratorem, sicut Filius ad Spiritum Sanctum : ergo cum Filius, et Spiritus Sanctus distinguantur realiter tanquam duæ personæ, etiam Pater, et spirator distinguentur realiter ut duæ personæ.*

69. Quartum fundamentum. Quarto. Quoniam paternitas v. g. et spiratio activa sunt duæ relationes reales, ut constat ex dictis dubio præcedenti : ergo etiam erunt duæ res : ergo distinguentur realiter, sive secluso intellectu. Hæc ultima consequentia videtur patere ex priori. Nam duæ res non possunt non realiter, sive secluso intellectu distingui. Prior vero ex antecedenti. Quoniam multiplicato inferiori non potest non multiplicari superius : sicut multiplicato homine, debet necessario multiplicari animal : sed relatio realis est quid inferius ad rem in divinis : ergo si relatio realis multiplicatur in paternitate et spiratione, ita ut sint duæ relationes reales, debebit etiam in eisdem multiplicari res, ita ut sint duæ res.

Confirmatur primo. Confirmatur. Nam si paternitas v. g. et spiratio activa non essent duæ res, sed unica et eadem, tunc vel essent unica et eadem res absoluta tantummodo, vel unica et eadem res relativa? Non quidem primum. Quia ex hoc non haberetur, non distingui inter se realiter : sicut id non habetur ex eo, quod paternitas et filiatio sint tantummodo unica et eadem res absoluta, nempe essentia divina, ratione identificationis cum illa. Secundum autem dici nequit, ne paternitas et spiratio sint tantum unica relatio realis, non vero duæ reales relationes : siquidem idem prorsus videtur esse, quod aliqua sint una tantum res relativa realis, non vero duæ, et quod sint unica tantum relatio realis, non vero duæ relationes reales.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam hoc ipso, quod spiratio et paternitas sint duæ relationes reales, oportet, ut sit ibidem dualitas realis in ratione relationum realium :

lium : ergo etiam oportebit, inveniri realem numerum binarium, et per consequens distinctionem secluso intellectu inter easdem relationes : quandoquidem realis numerus binarius exigit distinctionem et multiplicitatem secluso intellectu.

70. Diluitur argumentum. Respondetur concedendo antecedens, si ly *reales* cadat, ut dubio præcedenti num. 34 diximus, supra ly *relationes*, non vero supra ly *duæ* : ita ut denotetur, tantummodo relationes illas, quæ dicuntur duæ, sive sint duæ realiter formaliter, et secluso intellectu, sive tantum virtualiter, habere ex natura rei, et secluso intellectu veram rationem relationis realis : et quod, licet secundum ea, quæ in recto et intrinsece important, non sint realiter actualiter duæ, sunt tamen ex parte connotatorum, seu terminorum, quos respiciunt, duæ realiter et actualiter, id est, respiciunt duos terminos hoc modo distinctos.

Et deinde neganda est utraque consequentia. Et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, dicendum est, quod multiplicato inferiori secundum eam rationem, secundum quam est' inferius directe respectu superioris, debet etiam multiplicari superius, ut in exemplo ibidem allato constat; secus vero, quando non multiplicatur inferius secundum eam rationem, secundum quam continetur directe sub superiori, sed secundum connotata extrinseca, ut in præsenti contingit.

71. Ratio autem, ob quam sic in præsenti contingere dicimus, est. Nam spiratio et paternitas non sunt duæ relationes reales, ita ut sit ibidem realis actualis multiplicatio secundum ea, quæ intrinsece et in recto dicunt (secundum quam rationem continentur directe sub suo superiori in eisdem incluso, nempe sub re, sive realitate divina), sed solum multiplicantur realiter actualiter quoad connotata, sive terminos per se inspectos : ex eo quod, licet ipsæ sint virtualiter tantum duæ quoad intrinseca, et in recto adducta, et propterea ratio rei divinæ, ut est superior directe ad ipsas, solum virtualiter multiplicatur in illis : nihilominus termini per se inspecti ab ipsis, quique comparantur per modum connotatorum respectu earumdem, sunt realiter actualiter inter se distincti : ideoque prædictæ relationes dicuntur duæ relationes reales, tum, quia sunt duæ virtualiter : tum etiam (quod ad rem præsentem magis facit) quia respiciunt duos terminos realiter actualiter distinctos. Nam cum proprium sit relationum, ut distinguuntur ab aliis rebus, quod totum suum *esse* sit ad aliud, id est, ad terminum : idcirco distinctio realis terminorum quodammodo refunditur in ipsas; non quidem quia quoad intrinseca maneant realiter, et intrinsece distinctæ, sed quia propter rationem datam denominantur absolute, licet extrinsece tantum distinctæ, ratione realis distinctionis terminorum.

72. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem eligenda est prior pars illius dilemmatis, ac proinde dicendum erit, paternitatem et spirationem esse unicam tantummodo rem relativam, cum multiplicitate tamen virtuali. Hinc tamen non sequitur, non esse dicendas duas relationes reales dualitate virtuali quoad intrinseca : sicut hinc non sequitur, non esse duas virtualiter res relativas.

Nec etiam colligitur, non esse dicendas absolute duas relationes reales, licet non sint nuncupandæ absolute duæ res relativæ. Et ratio disparitatis est. Quoniam etsi res relativa et relatio realis sint idem ex parte rei significatæ; non tamen ex parte modi significandi. Nam res relativa denotat relationem, non quidem ita, ut ex parte modi significandi significet ipsam, prout expresse dicit *ad*; sed ut habet se per modum rei, et ad instar aliarum rerum, non exprimendo illud potissimum, per quod relatio præcipue differt ab aliis rebus, nempe esse *ad*. Cæterum relatio, ut hoc nomine significata, exprimit ex parte modi significandi *esse ad* : et propterea relatio, ut explicatur per hoc nomen *res relativa*, exigit ad sui realem multiplicationem, quod multiplicetur ad instar aliarum rerum. Nam ex parte modi significandi denotatur per modum rei; et per consequens denotatur pluralitas quoad intrinseca, hoc ipso quod dicatur absolute et simpliciter, quod aliquæ relationes sint plures relativæ : et non est satis ad hanc locutionem, quod præcise ex parte terminorum sit realis distinctio et pluralitas : siquidem, ut dicebamus, relatio quatenus sic significata, significatur ex parte modi significandi quasi in ordine ad se, quatenus non exprimitur ex parte prædicti modi potissimum munus illius, nempe esse *ad*. Sicut propter oppositam rationem, sufficit ad hoc, ut ipsamet, ut significatur nomine relationis, modo dicto realiter denominetur absolute et simpliciter multiplicata, quod termini formales sint realiter distincti.

73. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quomodo ad hoc ut verificetur, spira-

Ad secundam confirmationem.

tionem activam et paternitatem esse duas relationes reales satis sit, quod sint inter se virtualiter distinctæ, et quod termini formales earum sint realiter diversi. Nam eo ipso quoad intrinseca constituunt numerum virtualem, et loquendo de eisdem intrinsecis, dicuntur duæ relationes reales modo dubio præcedenti num. 34 explicato, et quoad extrinseca, et ratione illorum denominantur realiter distinctæ, et eodem modo constituunt numerum realem actualem.

QUÆSTIO XXIX.

De personis divinis.

PROŒMIUM

Præmissis autem his, quæ de processionibus et relationibus præcognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de personis :

Et primo secundum considerationem absolutam; et deinde secundum comparativam considerationem. Oportet autem absolute de personis, primo quidem in communi considerare : deinde de singulis personis.

Ad communem autem considerationem personarum quatuor pertinere videntur : Primo quidem, significatio hujus nominis persona; *secundo vero, numerus personarum; tertio, ea quæ consequuntur numerum personarum, vel ei opponuntur, ut diversitas, et similitudo, et hujusmodi; quarto vero, ea quæ pertinent ad notitiam personarum.*

ARTICULUS I.

De diffinitione personæ.

3 q. 2 art. 2 cor. et 1 dist. 25 art. 1 et pot. q. 9 art. 2 et de union. art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod incompetens sit diffinitio personæ, quam Boetius * assignat in lib. de duabus naturis, quæ talis est. Persona est rationalis naturæ individua substantia. Nullum enim singulare diffinitur. Sed persona significat quoddam singulare. Ergo persona inconvenienter diffinitur.

* Tertia pagina a principio libri.

2. Præterea, substantia (prout ponitur in diffinitione personæ) aut sumitur pro substantia prima, aut pro substantia secunda. Si pro substantia prima, superflue additur individua : quia substantia prima est substantia individua. Si vero stat pro substantia secunda, falso additur, et est oppositio in adjecto : nam secundæ substantiæ dicuntur genera, vel species. Ergo diffinitio est male assignata.

3. Præterea, nomen intentionis non debet poni in diffinitione rei. Non enim esset bona assignatio, si quis diceret, homo est species animalis. Homo enim est nomen rei, et species est nomen intentionis. Cum igitur persona sit nomen rei, significat enim substantiam quamdam rationalis naturæ. Ergo inconvenienter individuum (quod est nomen intentionis) in ejus diffinitione ponitur.

4. Præterea, natura est principium motus, et quietis in eo, in quo est, per se, et non per accidens, ut dicitur in 2 Physicorum *. Sed persona est in rebus immobilibus, sicut in Deo et in Angelis. Non ergo in diffinitione personæ debuit poni natura, sed magis essentia.

* Lib. 2 Physic. cor. text. 3 tom. 2.

5. Præterea, anima separata est rationalis naturæ individua substantia : non autem est persona. Inconvenienter ergo persona sic diffinitur.

Respondeo dicendum, quod licet universale, et particulare inveniantur in omnibus generibus : tamen speciali quodam modo individuum invenitur in genere substantiæ. Substantia enim individuatur per se ipsam; sed accidentia individuantur per subjectum, quod est substantia. Dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subjecto. Unde etiam convenienter individua substantiæ habent aliquod speciale nomen præ aliis : dicuntur enim hypostases, vel primæ substantiæ. Sed adhuc quodam specialiori et perfectiori modo invenitur particulare, et individuum in substantiis rationalibus, quæ habent dominium sui actus, et non solum aguntur sicut alia, sed per se agunt. Actiones autem in singularibus sunt : et ideo etiam inter cæteras substantias etiam quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturæ : et hoc nomen est persona. Et ideo in prædicta diffinitione * personæ ponitur substantia individua, in quantum significat singulare in genere substantiæ : additur autem, rationalis naturæ, in quantum significat singulare in rationalibus substantiis.

* Posi in argum. hujus art.

Ad primum ergo dicendum, quod licet hoc singulare, vel illud diffiniri non possit; tamen id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, diffiniri potest, et sic Philosophus * diffinit substantiam primam. Et hoc modo diffinit Boetius personam.

* In lib prædi cam. c de sub stanti tom. 1

Ad secundum dicendum, quod secundum quosdam substantia in diffinitione personæ ponitur pro substantia prima, quæ est hypostasis : neque tamen superflue additur individua, quia nomine hypostasis, vel substantiæ primæ excluditur ratio universalis, et partis. Non enim dicimus, quod homo communis sit hypostasis : neque etiam manus, cum sit pars. Sed per hoc, quod additur, individuum, excluditur a persona ratio assumptibilis : humana enim natura in Christo non est persona, quia est assumpta a digniori, scilicet a Verbo Dei. Sed melius dicendum est, quod substantia accipitur communiter, prout dividitur per primam et secundam : et per hoc, quod additur, individua, trahitur ad standum pro substantia prima.

Ad tertium dicendum, quod quia substantiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non sunt, oportet interdum uti differentiis accidentalibus loco substantialium, puta, si quis diceret : ignis est corpus simplex, calidum et siccum. Accidentia enim propria sunt effectus formarum substantialium, et manifestans eas. Et similiter nomina intentionum possunt accipi ad diffiniendum res, secundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita. Et sic hoc nomen individuum ponitur in diffinitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui competit substantiis particularibus.

Ad quartum dicendum, quod secundum Philosophum in 5 Metaphysicæ * nomen naturæ primo impositum est ad significandam generationem viventium, quæ dicitur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco,

* Lib text. tom.

seco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cujuscumque motus. Et sic diffinitur natura in 2 Physicorum *. Et quia hujusmodi principium est formale, vel materiale, communiter tam materia quam forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia uniuscujusque rei, communiter essentia uniuscujusque rei, quam significat ejus diffinitio, vocatur natura. Et sic accipitur hic natura. Unde Boetius * in eodem libro dicit, quod natura est unumquodque informans specifica differentia. Specifica enim differentia est, quæ complet diffinitionem, et sumitur a propria forma rei. Et ideo convenientius fuit, quod in diffinitione personæ, quæ est singulare alicujus generis determinati, uteretur nomine naturæ, quam essentiæ, quæ sumitur ab esse, quod est communissimum.

* Lib. 2 Physic. text. 3 tom. 2.

* In lib. de duabus naturis 1 pag. 2 a princ.

Ad quintum dicendum, quod anima est pars humanæ speciei. Et ideo, licet sit separata, quia tamen retinet naturam unibilitatis, non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis, vel substantia prima, sicut manus, nec quæcumque alia partium hominis. Et sic non competit ei, neque diffinitio personæ, neque nomen.

Conclusio : Persona recte diffinitur a Boetio per hoc, quod sit rationalis naturæ individua substantia.

ARTICULUS II.

Utrum persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia et essentia?

1 dist. 23 art. 2 et pot. q. 9 art. 1.

* In 3 pag. a princ. lib.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia, et essentia. Dicit enim Boetius * in lib. de duabus naturis, quod Græci naturæ rationalis individuam substantiam hypostaseos nomine vocaverunt. Sed hoc etiam apud nos significat nomen personæ. Ergo persona omnino idem est, quod hypostasis.

2. Præterea, sicut in divinis dicimus tres personas, ita in divinis dicimus tres subsistentias. Quod non esset, nisi persona, et subsistentia idem significarent. Ergo idem significant persona et subsistentia.

3. Præterea, Boetius dicit in Commentariis prædicamentorum, quod usia (quod est idem, quod essentia) significat compositum ex materia et forma. Id autem, quod est compositum ex materia et forma, est individuum substantiæ, quod et hypostasis et persona dicitur. Ergo omnia prædicta nomina idem significare videntur.

* Aliquantulum a princ. lib. videlicet 3 pag. a princ.

Sed contra est, quod Boetius * dicit in lib. de duabus naturis, quod genera et species subsistunt tantum; individua vero non subsistunt tantum, verum etiam substant. Sed a subsistendo dicuntur subsistentiæ, sicut a substando substantiæ vel hypostases. Cum igitur esse hypostases, vel personas, non conveniat generibus, vel speciebus, hypostases, vel personæ non sunt idem, quod subsistentiæ.

4. Præterea, Boetius dicit in Com. prædicamentorum, quod hypostasis dicitur materia; usiosis autem (id est subsistentia) dicitur forma. Sed neque forma, neque materia potest dici persona. Ergo persona differt a prædictis.

* Lib. 5 Metaph. text. 15 tom. 3.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 5 Metaphysicæ * substantia dicitur dupliciter. Uno modo dicitur substantia quidditas rei, quam significat diffinitio, secundum quod dicimus, quod diffinitio significat substantiam rei. Quam quidem substantiam Græci usiam vocant, quod nos essentiam dicere possumus. Alio modo dicitur substantia subjectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ. Et hoc quidem communiter accipiendo [illegible] et sic dicitur suppositum. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem, quæ quidem sunt, res naturæ, subsistentia, hypostasis, secundum triplicem considerationem substantiæ sic dictæ. Secundum enim quod per se existit, et non in alio, vocatur subsistentia. Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Secundum vero quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ [illegible]

[illegible]

Ad secundum dicendum, quod [illegible]

3. Præterea, ... (continued in right column)

vinis pluraliter tres personas, et tres subsistentias : ita Græci dicunt tres hypostases. Sed quia nomen substantiæ, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, æquivocatur apud nos, cum quandoque significet essentiam, quandoque hypostasim : ne possit esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam, quam substantiam.

Ad tertium dicendum, quod essentia proprie est id, quod significatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia speciei, non autem principia individualia. Unde in rebus compositis ex materia et forma, essentia significat, non solum formam, nec solum materiam, sed compositum ex materia et forma communi, prout sunt principia speciei. Sed compositum ex hac materia, et ex hac forma habet rationem hypostasis, et personæ. Anima enim, et caro, et os sunt de ratione hominis; sed hæc anima, et hæc caro, et hoc os sunt de ratione hujus hominis. Et ideo hypostasis et persona addunt supra rationem essentiæ principia individualia : neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia et forma, ut supra dictum est *, cum de simplicitate divina ageretur. * Q. 3 art. 3.

Ad quartum dicendum, quod Boetius dicit, genera, et species subsistere, in quantum individuis aliquibus competit subsistere, ex eo quod sunt sub generibus, et speciebus in prædicamento substantiæ comprehensis. Non quod ipsæ species, vel genera subsistant, nisi secundum opinionem Platonis, qui posuit, species rerum separatim subsistere a singularibus. Substare vero competit eisdem individuis in ordine ad accidentia, quæ sunt præter rationem generum et specierum.

Ad quintum dicendum, quod individuum compositum ex materia et forma habet, quod substet accidenti, ex proprietate materiæ. Unde et Boetius dicit in lib. 2 de Trinitate * : Forma simplex subjectum esse non potest. Sed quod per se subsistat, habet ex proprietate suæ formæ : quæ non advenit rei subsistenti, sed dat esse actuale materiæ, ut sic individuum subsistere possit. Propter hoc ergo hypostasim attribuit materiæ, et usiosim, sive subsistentiam formæ : quia materia est principium substandi, et forma est principium subsistendi.

* Lib. 2 de Trinit. ante medium.

Prima conclusio : Persona in natura rationali significat id, quod significatur per hæc tria nomina, subsistentia, res naturæ, et hypostasis, sive substantia.

Secunda conclusio ex priori deducta : Nomen persona non significat idem, quod nomen essentia : sicut nec tria illa nomina conclusione præcedenti adducta.

ARTICULUS III.

1 dist. 23 art. 2 et pot. q. 9 art. 31.

Utrum nomen personæ sit ponendum in divinis?

* Cap. 1 parum a princip.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod nomen personæ non sit ponendum in divinis. Dicit enim Dionysius in principio de divinis nominibus * : Universaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occulta divinitate præter ea, quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa. Sed nomen personæ non exprimitur nobis in sacra Scriptura novi, vel veteris Testamenti. Ergo non est nomine personæ utendum in divinis.

* Aliquantulum a princip. pag. 3 a princ. libri.

2. Præterea, Boetius dicit in lib. de duabus naturis * : Nomen personæ videtur traductum ex his personis, quæ in comœdiis, tragœdiisque homines repræsentabant. Persona enim dicta est a personando : quia concavitate ipsa major necesse est ut volvatur sonus. Græci vero has personas prosopa vocant, ab eo, quod ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum. Sed hoc non potest competere in divinis, nisi forte secundum metaphoram. Ergo nomen persona non dicitur de Deo, nisi metaphorice.

* Eodem loco nunc proxime dicto.

3. Præterea, omnis persona est hypostasis. Sed nomen hypostasis non videtur Deo competere : cum secundum Boetium * significet id, quod subjicitur accidentibus, quæ in Deo non sunt. Hieronymus * etiam dicit, quod in hoc nomine hypostasis venenum latet sub melle. Ergo hoc nomen persona non est dicendum de Deo.

* In epist. ad Damas. quæ incipit : *Quoniam vetusto*, in medio illius tom. 3.

4. Præterea, a quo removetur diffinitio et diffinitum. Sed diffinitio personæ supra posita * non videtur Deo competere. Tum, quia ratio importat discursivam cognitionem, quæ non competit Deo, ut supra ostensum est *. Et sic Deus non potest dici rationalis naturæ. Tum etiam, quia Deus dici non potest individua substantia : cum principium individuationis sit materia : Deus autem immate-

* Arg. 1 art. 1 hujus q.

* Q. 14 art. 12.

rialis est. Neque etiam accidentibus substat, ut substantia dici possit. Nomen ergo personæ Deo attribui non debet.

Sed contra est, quod dicitur in Symbolo Athanasii Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Respondeo dicendum, quod persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura. Unde, cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen persona de Deo dicatur. Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis; sed excellentiori modo : sicut et alia nomina, quæ creaturis a nobis imposita Deo attribuuntur, sicut supra ostensum est *, cum de divinis nominibus ageretur. [* Q. 13 art. 3.]

Ad primum ergo dicendum, quod licet nomen personæ in scriptura veteris vel novi Testamenti non inveniatur dictum de Deo : tamen id, quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura invenitur assertum de Deo, scilicet, quod est maxime per se ens, et perfectissime intelligens. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundum vocem, quæ sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur, quod nunquam in alia lingua posset aliquis, loqui de Deo, nisi in illa, in qua primo tradita est scriptura veteris vel novi Testamenti. Ad inveniendum autem nova nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hæreticis. Nec hæc novitas vitanda est, cum non sit prophana, utpote a Scripturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus prophanas vocum novitates vitare, 1 ad Timotheum ultimo.

Ad secundum dicendum, quod quamvis hoc nomen persona non conveniat Deo quantum ad id, a quo impositum est nomen; tamen quantum ad id, ad quod significandum imponitur, maxime Deo convenit. Quia enim in comœdiis, et tragœdiis repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen persona ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici personæ in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam diffiniunt personam dicentes, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Et quia magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona, ut dictum est * : sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem : et secundum hoc maxime competit Deo nomen personæ. [* Art. 1 hujus quæst.]

Ad tertium dicendum, quod nomen hypostasis non competit Deo quantum ad id a quo est impositum nomen, cum non substet accidentibus. Competit autem quantum ad id, ad quod est. Impositum est enim ad significandum rem subsistentem. Hieronymus * autem dicit sub hoc nomine venenum latere : quia antequam significatio hujus nominis esset plene nota apud Latinos, hæretici per hoc nomen simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases, propter hoc, quod nomen substantiæ (cui respondet in Græco nomen hypostasis) communiter accipitur apud nos pro essentia. [* In epist. ad Dam. : *Quoniam vetusto*, tom. 2.]

Ad quartum dicendum, quod Deus potest dici rationalis naturæ, secundum quod ratio non importat discursum, sed communiter intelligibilem naturam. Individuum autem Deo competere non potest quantum ad hoc quod individuationis principium est materia, sed solum secundum quod importat incommunicabilitatem. Substantia vero convenit Deo, secundum quod significat existere per se. Quidam tamen dicunt, quod diffinitio superius a Boetio * data non est diffinitio personæ, secundum quod personas in Deo dicimus. Propter quod Richardus de Sancto Victore * corrigere volens hanc diffinitionem dixit, quod persona, secundum quod de Deo dicitur, est divinæ naturæ incommunicabilis existentia. [* Art. 1 hujus quæst. arg. 1. Lib. 4 de Trinitate c. 18 et 23. 1 dist. 23 art. 3 et dist. 16 q. 1 art. 1 et pot. q. 9 art 4.]

Conclusio : Nomen personæ ponitur in divinis, non tamen eo modo, quo dicitur in creaturis, sed excellentiori ratione.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc nomen persona *significet relationem?*

[* Cap. 6 circa princip. Lib. 6 de Trinit. c. 4 et sequentibus et lib. 5 de Trinit. c. 9 in fine tom. 3.]

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen *persona* non significet relationem, sed substantiam in divinis. Dicit enim Augustinus * in 7 de Trinitate : Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam. Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium.

2. Præterea, quid? quærit de essentia. Sed sicut dicit August. * in eodem loco, cum dicitur : Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et quæritur : Quid tres? Respondetur : Tres personæ. Ergo hoc nomen persona significat essentiam.

3. Præterea secundum Philosophum 4 Metaphysicæ * Id, quod significatur per nomen, est ejus diffinitio. Sed diffinitio personæ est rationalis naturæ individua substantia, ut dictum est *. Ergo hoc nomen persona significat substantiam. [* Lib. 4 Metaph. textu 28 tom. 3.] [* Art. 1 hujus quæst.]

4. Præterea, persona in hominibus et Angelis non significat relationem, sed aliquod absolutum. Si igitur in Deo significaret relationem, diceretur æquivoce de Deo et hominibus et Angelis.

Sed contra est, quod dicit Boëtius in lib. de Trinitate *, quod omne nomen ad personas pertinens relationem significat. Sed nullum nomen magis pertinet ad personas, quam hoc nomen persona. Ergo hoc nomen persona relationem significat. [* Post medium libri de Trinit.]

Respondeo dicendum, quod circa significationem hujus nominis persona in divinis difficultatem ingerit, quod pluraliter de tribus prædicatur præter naturam essentialium nominum : neque etiam ad aliquid dicitur, sicut nomina, quæ relationem significant. Unde quibusdam visum est, quod hoc nomen persona simpliciter ex virtute vocabuli essentiam significet in divinis, sicut hoc nomen Deus, et hoc nomen sapiens, sed propter instantiam hæreticorum est accommodatum ex ordinatione Concilii, ut possit poni pro relativis, et præcipue in plurali, vel cum nomine partitivo, ut cum dicimus tres personas; vel, alia est persona Patris, alia Filii. In singulari vero potest sumi pro absoluto et pro relativo. Sed hæc non videtur sufficiens ratio. Quia si hoc nomen persona ex vi suæ significationis non habet, quod significet, nisi essentiam in divinis : ex hoc quod dictum est, tres personas, non fuisset hæreticorum quietata calumnia, sed majoris calumniæ data esset eis occasio. Et ideo alii dixerunt, quod hoc nomen persona in divinis significat simul essentiam et relationem. Quorum quidam dixerunt, quod significat essentiam in recto, et relationem in obliquo, quia persona dicitur quasi per se una : unitas autem pertinet ad essentiam. Quod autem dicitur per se, implicat relationem oblique : intelligitur enim Pater per se esse quasi relatione distinctus a Filio. Quidam vero dixerunt e converso, quod significat relationem in recto, et essentiam in obliquo : quia in diffinitione personæ natura ponitur in obliquo. Et isti propinquius ad veritatem accesserunt.

Ad evidentiam igitur hujus quæstionis considerandum est, quod aliquid est de significatione minus communis; quod tamen non est de significatione magis communis. Rationale enim includitur in significatione hominis; quod tamen non est de significatione animalis. Unde aliud est quærere de significatione animalis, et aliud est quærere de significatione animalis, quod est homo. Similiter aliud est quærere de significatione hujus nominis persona in communi, et aliud de significatione personæ divinæ. Persona enim in communi significat substantiam individuam rationalis naturæ, ut dictum est *. Individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacumque natura significat id, quod est distinctum in natura illa : sicut in humana natura significat has carnes, et hæc ossa, et hanc animam, quæ sunt principia individuantia hominem. Quæ quidem licet non sint de significatione personæ; sunt tamen de significatione personæ humanæ. Distinctio autem in divinis non fit, nisi per relationes originis, ut dictum est supra *. Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhærens subjecto, sed est ipsa divina essentia : unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus : ita Paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem, ut subsistentem. Et hoc est significare relationem per modum substantiæ : quæ est hypostasis subsistens in natura divina : licet subsistens in natura divina, non sit aliud quam natura divina. Et secundum hoc verum est, quod hoc nomen persona significat relationem in recto, et essentiam in obliquo, non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis. Similiter etiam significat essentiam in recto, et relationem in obliquo : in quantum essentia idem est, quod hypostasis : hypostasis autem significatur in divinis, ut relatione distincta. Et similiter relatio per modum relationis significata cadit in ratione personæ in obliquo. Et secundum hoc etiam dici potest, quod hæc significatio hujus nominis persona non erat percepta ante hæreticorum calumniam. Unde non erat in usu hoc nomen persona, nisi sicut unum aliorum absolutorum. Sed postmodum accommodatum est hoc nomen persona ad standum pro relativo, ex congruentia suæ [* Art. 1 hujus quæst.] [* Q. 28 art. 2 et 3.]

suæ significationis, ut scilicet hoc, quod stat pro relativo, non solum habeat ex usu (ut prima opinio dicebat), sed etiam significatione sua.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen persona dicitur ad se, non ad alterum : quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Et secundum hoc Augustinus dicit, quod significat essentiam, prout in Deo essentia est idem cum hypostasi : quia in Deo non differt quod est, et quo est.

Ad secundum dicendum, quod, quid? quandoque quærit de natura, quam significat diffinitio, ut cum quæritur, quid est homo? et respondetur, animal rationale mortale. Quandoque vero quærit suppositum, ut cum quæritur, quid natat in mari? et respondetur, piscis. Et sic quærentibus, quid tres? responsum est, tres personæ.

Ad tertium dicendum, quod in intellectu substantiæ individuæ, idest distinctæ, vel incommunicabilis, intelligitur in divinis relatio, ut dictum est *. [In corp. art.]

Ad quartum dicendum, quod diversa ratio minus communium non facit æquivocationem in magis communi. Licet enim sit alia propria diffinitio equi et asini, tamen univocantur in nomine animalis : quia communis diffinitio animalis convenit utrique. Unde non sequitur, quod licet in significatione personæ divinæ contineatur relatio, non autem in significatione Angelicæ personæ, vel humanæ, quod nomen personæ æquivoce dicatur. Licet nec etiam dicatur univoce : cum nihil univoce de Deo dici possit, et de creaturis, ut supra ostensum est *. [Q. 13 art. 5.]

Prima conclusio : Persona in communi non significat relationem, sed substantiam individuam et subsistentem rationalis naturæ.

Secunda conclusio : Persona divina significat relationem, ut subsistentem, et per modum hypostasis in recto, et naturam in obliquo.

Tertia conclusio : Si relatio sumatur per modum relationis, et quoad munus expressum referendi, sic persona divina significat hypostasim in recto, et relationem in obliquo.

DISPUTATIO IX.

De personis divinis absolute, et in communi sumptis.

Ratio ordinis hujus quæstionis ad præcedentes satis constat ex supra dictis, et ex illis, quæ Angelicus Doctor in proœmio præsentis quæstionis asserit : et ideo in hoc explicando non oportet immorari.

DUBIUM I.

An recte diffiniatur a Boëtio persona generaliter sumpta, per hoc, quod sit rationalis naturæ individua substantia?

1. Quia juxta doctrinam Aristotelis a communioribus ad minus universalia optime ordine doctrinæ devenitur, idcirco, ut D. Thomas, et nos cum illo explicemus, an in divinis detur ratio personæ, prius inquiritur, quid sit persona in communi? ut inde statim deducamus, an ratio personæ in divinis reperiatur?

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubium deciditur.

Dicendum ergo est, personam recte diffiniri a Boëtio per hoc, quod sit *rationalis naturæ individua substantia*. Ita D. Thomas art. 1 hujus quæstionis, et in 1 dist. 29 q. 1 art. 1 de Potentia q. 9 art. 2, Anselmus in Monologio c. 76, Nyssenus lib. de Differentia substantiæ et hypostasis, Ugo Victorinus lib. de Sacramentis p. 2 c. 11, quos refert Montoya disp. 32 sect. 2, Alexander 1 p. q. 56 membro 3, Albertus 1 p. q. 44 memb. 2, et communiter Scholastici : et ideo singulos referre supervacaneum esset. 2. [Assertio. D.Thom. Anselm. Nyssenus. Ugo Victorinus. Montoya. Alexand. Albertus.]

Ratio vero hujus assertionis adducta est a D. Thoma in præsenti art. quæ potest ad hanc forman reduci. Quoniam persona duo dicit. Unum quidem, in quo convenit cum primis substantiis non habentibus rationem personæ, per quodque distinguitur ab accidentibus, nempe, quod tam persona, quam quævis prima substantia, quippe quæ sunt substantiæ totales et completæ, habent esse individua completa, non individuata ex aliquo extrinseco; cum tamen accidentia individuentur ex aliquo extrinseco, nempe ex subjecto, ut in 1 tomo tractatu 1 disp. 1 et 2 late diximus. Et ideo accidentia egent extrinseco sustentante; persona vero, et quævis prima substantia eo non indigent. Quia sicut non individuantur ex extrinseco principio, scilicet ex subjecto sustentante ipsas : ita non egent alio ut sustentante, sed per se ipsas subsistunt. 3. [Ratio fundamentalis. D.Thom.]

Secundum vero per quodque persona differt ab omnibus primis substantiis non habentibus rationem personæ, est. Quod prædictæ substantiæ afferunt naturam substantialem, non tamen rationalem; persona vero naturam substantialem, et rationalem importat. Et propterea proprium illius est per se agere, seu agere cum dominio actus : siquidem sola rationalis natura potest hunc agendi modum habere. Sed sic est, quod utrumque horum clauditur in prædicta diffinitione : ergo erit legitima. Major non indiget probatione. Et ideo hoc ipso, quod aliquid habeat duo illa in ea recensita, censetur communi omnium consensu habere, quidquid ad rationem personæ desideratur.

Minor autem etiam constat. Quoniam primum illud, nempe, personam esse per

modum individui completi seu totalis ex se individuam, et non ab aliquo extrinseco, ac proinde non indigere aliquo extrinseco ut sustentante, sed per se ipsam subsistere, explicatur per hoc, quod in hac diffinitione dicitur, personam esse *individuam substantiam*. Siquidem proprium est substantiæ completæ, per quam hic diffinitur, non individuari ab aliquo extrinseco, sed esse ex se, et non ab extrinseco completum seu totale individuum : et per consequens neque indigere aliquo extrinseco ut sustentante, sed per se ipsam subsistere. Secundum vero, nimirum, quod afferat naturam rationalem, et per ipsam cum dominio actus habeat operari, satis explicatur per priorem diffinitionis particulam, scilicet per hoc, quod dicatur, personam debere esse *rationalis naturæ*.

4. D Thom. Quam rationem adduxit etiam D. Thomas quæst. 9 de Potentia art. 2 optimis verbis dilucide rem hanc explicantibus. Et propterea placuit illa in præsenti afferre, quæ quidem sic se habent : *Dicendum, quod rationabiliter, sicut ex præmissis patet, individuum in genere substantiæ speciale nomen sortitur. Quia substantia ex propriis principiis individuatur, et non ex alio extraneo, sicut accidens ex subjecto. Inter individua etiam substantiarum rationabiliter individuum in rationali natura speciali nomine nominatur : quia ipsius est proprie et vere per se agere. Sicut ergo hoc nomen hypostasis secundum Græcos, vel substantia prima secundum Latinos, est speciale nomen individui in genere substantiæ : ita hoc nomen persona est speciale nomen individui rationalis naturæ. Utraque ergo specialitas sub nomine personæ continetur. Et ideo ad ostendendum, quod est specialiter individuum in genere substantiæ, dicitur, quod est substantia individua. Ad ostendendum vero, quod est specialiter in rationali natura, additur rationalis naturæ. Per hoc ergo, quod dicitur substantia, excluduntur a ratione personæ accidentia, quorum nullum potest dici persona. Per hoc vero, quod dicitur individua, excluduntur genera, et species in genere substantiæ, quæ etiam personæ dici non possunt. Per hoc vero, quod additur, rationalis naturæ, excluduntur inanimata corpora, plantæ, et bruta, quæ personæ non sunt.*

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam hæc diffinitio datur per proprium genus, aut quasi genus, et per propriam differentiam, aut quasi differentiam : ergo erit legitima. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam *substantia* ponitur loco generis, prout dicit substantiam completam, in quo, ut dicebamus, convenit persona cum primis substantiis, et differt ab accidentibus. Et deinde adjicitur per modum differentiæ illa particula, *individua*, per quod convenit cum eisdem primis substantiis, et differt a secundis. Ac tandem additur ly *rationalis naturæ*, ut persona distinguatur a primis substantiis, quæ non sunt personæ, et per consequens a quibusvis substantiis non habentibus rationem personæ.

§ II.

Objectiones contra dicta, et occursus ad illas.

Nec obest, si objicias, falso supponi in ratione facta, quod substantia differt ab accidentibus in hoc, quod accidentia individuantur ab aliquo extrinseco, secus vero substantia. Quoniam sicut accidentia, v. g. albedo, individuatur a subjecto, tanquam ab aliquo extrinseco : ita etiam substantia, ut homo, aut leo, individuatur a quantitate. Et sicut in hac albedine ordo ad hoc subjectum est quid intrinsecum, et indistinctum ab albedine, secus tamen subjectum : ita in hoc homine aut hoc leone est quid intrinsecum et indistinctum ab ipsis ordo ad suas quantitates, et ipsæ quantitates sunt eis extrinsecæ, sive accidentales. Et licet nunquam essent in illis, sed supernaturaliter conservarentur sine eisdem, haberent eadem numero individuationem : non secus ac hæc albedo maneret eadem numero, licet supernaturaliter esset sine suo subjecto, sine quo naturaliter esse non potest. 5. Object prima contra rationem assertionis

Non itaque hoc obest, propter duplicem rationem. Prima. Quoniam persona hic diffinitur secundum rationem communem ad creatam et increatam. Et ideo, ut bene notavit Cajetanus art. 1 hujus quæstionis, illa particula *substantia* non sumitur solum pro substantia creata, et multo minus pro substantia materiali tantummodo, sed pro substantia completa abstrahente a creata et increata. At sumpta sic substantia, non habet individuari ab aliquo extrinseco : alioqui omnis, et quævis substantia id haberet. Cum tamen omnia, et singula accidentia secundum rationem generalissimam accidentium habeant individuari ab aliquo extrinseco, nempe, a subjecto, ita ut oppositum eis repugnet. Quare. Diluit. Cajet.

Quare, ut denotareteur, personam secundum rationem generalem personæ non habere, quod sit individua ab extrinseco, idcirco optime diffinitur per substantiam individuam generalissime, et modo explicato sumptam, quæ secundum hanc rationem non habet individuari ab extrinseco.

6. Secunda vero ratio, ob quam prædicta objectio non obest, est : Quia adhuc substantiæ materiales, quæ dicuntur individuari a quantitate, non habent individuari ab illa ut habita, aut secundum suum esse formale sumpta, sed ut præhabita, et præcontenta in hac materia, ut in 1 tomo tract. 1 disp. 1 a n. 119 usque ad num. 130 diximus. Cumque materia, adhuc sic sumpta, sit quid intrinsecum respectu hujus individui, intrinsecumque illius principium, inde est, ut per hoc non tollatur, quominus substantia materialis individuetur ab intrinseco, idest a materia, ut præhabente hanc quantitatem, quatenus talis materia est intrinsecum principium prædictæ substantiæ individuæ. Cum tamen quantitas, et alia accidentia semper individuentur a subjecto, non ut præhabito, et ut intrinseco illis ; sed ut consideratur secundum suum esse formale et ut est extrinsecum eisdem accidentibus, seu non pertinens ad eorum intrinsecam constitutionem.

Satisfit tacitæ objectioni.

Et licet (ut ita tacitæ cuidam objectioni fiat satis) concretum accidentale, ut album, includat etiam subjectum, a quo individuatur : non tamen ita, ut illud concretum sit unicum tantum individuum, sed multiplex. Ex eo quod, ut nostri Complutenses in sua Logica disp. 4 num. 31 notarunt, concretum accidentale non est unum per se, sed plura simpliciter, et ideo non potest per se poni in prædicamento : cum tamen substantia includens primum, et intrinsecum principium suæ individuationis sit unum per se individuum, et non plura simpliciter individua, sicut prædictum concretum accidentale. Unde de ea, et de persona propie et in rigore dicitur in numero singulari, quod est individua substantia.

N. Compl.

7. Secunda objectio.

Nec etiam refert, si secundo objicias, quod illud, in cujus diffinitione ponitur substantia pro genere, seu loco generis, oportet, quod sit species substantiæ : sed persona non est species substantiæ : quia condivideretur contra alias substantiæ species : ergo inconvenienter ponitur substantia in diffinitione personæ, quasi genus.

Enodatur D. Thom.

Non igitur hoc obest. Nam huic objectioni occurrit D. Thomas q. 9 de Potentia art. 2 ad 6, sic : *Cum dividitur substantia in primam et secundam, non est divisio generis in species, cum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima, sed est divisio generis secundum diversos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam : prima vero substantia significat eam, ut individualiter subsistentem. Unde magis est divisio analogi, quam generis. Sic ergo persona continetur quidem in genere substantiæ, licet nōn ut species, sed ut specialem modum existendi determinans.* Circa hoc tamen vidtanur Nostri Complut. disp. 12 suæ Logicæ quæst. 2 num. 21. N. Compl.

8. Tertia objectio.

Nec rursus obstat, si tertio objicias, quod diffinitio debet converti cum diffinito : non autem omne, quod est rationalis naturæ individua substantia, est persona : ergo, etc. Minor probatur. Quoniam essentia divina, secundum quod est essentia, non est persona : et nihilominus convenit ei tota hæc diffinitio ; siquidem est rationalis naturæ individua substantia.

Solvitur. D. Thom.

Respondetur enim ex D. Thoma loco citato ad 12 his verbis : *Dicendum, quod individuum in diffinitione personæ sumitur pro eo quod non prædicatur de pluribus. Et secundum hoc essentia divina non est individua substantia secundum prædicationem, cum prædicetur de pluribus personis, licet sit individua secundum rem.*

9. Quarta objectio.

Nec præterea refert si quarto objicias, quod humana natura in Christo Domino est rationalis naturæ individua substantia : siquidem nec est accidens, neque quid universale, neque aliquid irrationalis naturæ : et tamen non est persona : alioqui esset in Christo duplex persona, scilicet humana assumpta, et divina eam assumens : ergo, etc.

Occurritur Ang. Doctor.

Respondetur enim cum eodem Angelico Doctore loco relato in solutione ad 13, ubi sic ait : *Dicendum quod cum substantia individua sit quoddam completum per se existens, humana natura in Christo, cum sit assumpta in personam divinam, non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis : sicut nec manus nec pes, nec aliquid eorum, quæ non subsistunt per se ab aliis separata. Et propter hoc non sequitur, quod sit persona.*

10. Ultima objectio.

Nec tandem obest, si objicias, personam potissime dicere substantiam incommunicabilem passive alteri ut supposito :

et propterea persona non est assumptibilis, sed sola natura : ex eo quod id, quod est per se subsistens, quale est persona, non potest trahi ad hoc, ut subsistat in alio : et per consequens nec ad hoc, ut simul habeat, quod sit per se, et in alio. Sed hæc ratio incommunicabilitatis non explicatur in hac diffinitione : sed solum ratio substantiæ individuæ, quæ sit rationalis naturæ : ergo, etc.

Ejus solutio. Respondetur enim, quod hoc ipso, quod in diffinitione personæ nomine substantiæ intelligatur substantia completa, et nomine substantiæ individuæ denotetur etiam substantia individua, quæ de pluribus non prædicetur, ut notavit D. Thomas (D.Thom.) loco citato ex q. 9 de Potentia in solutione ad 12, oportet, ut ibidem significetur substantia individua subsistens incommunicabiliter : nam sola ista habet esse substantiam completam et individuam, quæ de pluribus non prædicetur. Unde optime dixit D. Thomas (D.Thom.) art. 1 hujus quæstionis in solutione ad 3 : *Hoc nomen individuum ponitur in diffinitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui convenit substantiis particularibus.* Et q. 9 de Potentia art. 2 ad 7 : *Melius est, quod dicatur, quod substantia non ponitur in diffinitione personæ pro hypostasi, sed pro eo, quod est commune ad substantiam primam, quæ est hypostasis, et substantiam secundam, et dividitur in utramque. Et sic illud commune per hoc quod additur individuum, contrahitur ad hypostasim : ut idem sit dicere substantia individua rationalis naturæ, ac si diceretur hypostasis rationalis naturæ.* Constat autem, hypostasim dicere substantiam incommunicabiliter subsistentem.

DUBIUM II.

Utrum ratio personæ inveniatur in divinis?

11. Titulus non intelligitur, an utcumque ratio personæ sit in Deo, sed an sit formaliter in illo? Et propterea absolute inquisitum est, an ratio personæ reperiatur in Deo? Quoniam ea solum dicuntur absolute reperiri in illo, et non cum addito, nempe virtuali, aut eminenti modo, quæ sunt formaliter in ipso. Et ita non concedimus absolute, Deum esse equum, aut leonem : quia ratio equi aut leonis non reperitur formaliter, sed tantum virtualiter, et eminenter in illo.

§ I.

Vera et catholica sententia.

Dicendum ergo est, rationem personæ vere et formaliter reperiri in Deo. Assertio hæc est certa secundum fidem, ut constat ex illo Symboli Athanasii : *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Quod etiam habetur in confessione fidei, quam scribit Damasus ad Paulinum : *Si quis tres personas non dixerit veras, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, anathema sit.* Et in Concilio Toletano XI in confessione fidei, ubi loquendo de eo, quod invenitur in divinis, sic dicitur : *Cum relative tres personæ dicantur.* Et in Lateranensi, quod refertur in cap. *Firmiter, De Summa Trinitate,* sic asseritur : *Pater, Filius, et Spiritus Sanctus tres quidem personæ, et una essentia.* Unde antiqui Doctores Latini in eadem significatione, de qua in nostra assertione fit sermo, nomen hoc Deo attribuebant, ut Hieronymus epistola 57 ad Damasum, Ambrosius de Institutione virginum cap. 10, Lactantius lib. 4 de Vera sapientia cap. 29, Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 6 et 7, Augustinus tom. 3 in omnibus libris de Trinitate, et peculiariter a lib. 4 usque ad 7, et tom. 5 lib. 11 de Civitate Dei cap. 24, Cyprianus sermone de Christi nativitate. Et tandem hoc ipsum docent omnes Theologi : et ita ab eis peculiariter referendis abstinendum est. 12. Assertio. Symb. Athanas. Damas. Conc. Tol. XI. Conc. Lat. Hieron. Ambros. Lactan. Tertull. August. Cyprian.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma art. 3 hujus quæstionis quæ potest ad hanc brevem formam reduci. Quoniam persona denotat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura : ergo ratio personæ debet reperiri formaliter in Deo. Patet consequentia Quia quod est perfectissimum in tota natura, debet inveniri formaliter in Deo : ex eo quod ejus essentia, seu natura debet continere omnem excogitabilem perfectionem. Ita ut illa, quæ necessario involvunt secundum suum esse formale aliquam imperfectionem, contineantur virtualiter tantummodo in ipsa, et ea, quæ secundum suum esse formale nihil imperfectionis necessario involverint, sed fuerint quid perfectissimum, qualis est ratio personæ, inveniantur formaliter in ipsa. 13. Ratio fundamentalis. D.Thom.

Confirmatur, et explicatur ratione ejusdem S. Doctoris q. 9 de Potentia art. 3 his 14.

Confirmatur et elucidatur ratio. S. Doctor.

his verbis : *Dicendum, quod persona, sicut dictum est, significat quamdam naturam cum quodam modo existendi. Natura autem, quam persona in sua significatione includit, est omnium naturarum dignissima, scilicet, natura intellectualis secundum genus suum. Similiter etiam modus existendi, quem importat persona, est dignissimus, ut scilicet aliquid sit per se existens. Cum ergo omne, quod est dignissimum in creaturis, Deo sit attribuendum, convenienter nomen personæ Deo attribui potest, sicut et alia nomina, quæ proprie dicuntur de Deo.*

Prima objectio contra rationem factam. Cajetan.

Tria tamen sunt, quæ contra rationem hanc D. Thomæ objici possent ex Cajetano art. 3 hujus quæstionis. Primum est. Quod natura specifica perfectior est quam persona : ergo falsum est id, quod in antecedenti rationis D. Thomæ assumitur, nempe, personam dicere id, quod est perfectissimum in tota natura. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam persona de formali tantum dicit personalitatem : hæc autem cum sit modus, aut quasi modus naturæ, non potest esse ita perfecta, sicut ipsa natura : quandoquidem ipsa natura superat in perfectione omnes suos modos, aut quasi modos.

Nec obest si occurras, antecedens illud rationis D. Thomæ non intelligi de personalitate collata cum ipsa natura specifica, quoniam secundum hanc considerationem certum est, personalitatem non adæquare perfectionem ejusdem naturæ, sed de integra persona, ut coalescit ex personalitate, et ex prædicta natura. Quoniam sic accepta, est perfectissimum quid in tota natura, non ratione solius personalitatis superadditæ, sed ratione naturæ, prout est completa personalitate, quæ sic habet perfectiorem modum essendi quam si sumeretur sine complemento personalitatis, quodque dicitur propter hanc rationem perfectissimum in tota natura.

Nam contra hoc est, quod individua materialia sunt propter naturam specificam, et ejus conservationem, tanquam propter finem : et propterea non intenduntur propter se, sed propter conservationem ejusdem naturæ : ergo signum est, naturam specificam materialem non habere perfectissimum modum essendi, adhuc prout subsistit in illis, et completur per eorum subsistentiam et personalitatem. Patet consequentia. Quoniam id, quod est perfectius, non ordinatur ex natura sua, quam ad finem *cujus gratia*, ad id, quod est imperfectius : sicut nec id, quod est sub modo essendi perfectiori, ordinatur, quatenus sub tali modo est, tanquam ad finem, ad se ipsum, ut non est sub prædicto modo, sed secundum se sumptum.

15. Secunda objectio.

Secundum vero, et principale, quod contra prædictam rationem D. Thomæ militat, est : Quod distinctio in divinis est in personis : ergo personæ non dicunt perfectissimum in tota natura : et per consequens falsum est antecedens assumptum in ratione D. Thomæ. Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quoniam alioqui distinctio in divinis fieret in eo, quod est perfectissimum, nempe, in ipsis personis. Et ita aliquid perfectissimum, quod esset in una persona, non esset in alia : quod quidem contra æqualitatem personarum divinarum aperte pugnat.

Tertia.

Tertium est. Quod divinæ personalitates nullam ex se afferunt perfectionem, ut constat ex illis, quæ disput. 6 dubio 2 latius diximus : ergo nec persona dicit id, quod est perfectissimum in tota natura ; quod quidem assumitur in antecedenti rationis D. Thomæ : nec consequentia in eadem ratione deducta erit legitima, nec probatio illius erit bona : siquidem id, quod ex se nihil affert perfectionis, nequit esse perfectissimum in tota natura, nec petit, ut sit formaliter in Deo. Nec tandem ex eo, quod divina natura contineat omnem perfectionem (quæ erat probatio consequentiæ rationis D. Thomæ) potest colligi, personalitatem debere reperiri formaliter in Deo. Quia ex vi suæ summæ perfectionis solum potest colligi, debere reperiri omnia illa, quæ ex se dicunt perfectionem ut talem.

16. Diluitur prima objectio.

Non igitur tria hæc obstant. Nam ad primum bene respondetur ibidem. Ita tamen, ut hæc major perfectio non conveniat naturæ (loquendo de personalitate, et natura divina) ratione ipsius personalitatis secundum id, quod ex se, et ex vi suæ lineæ exprimit, sed ratione divinæ naturæ, ut habet rationem transcendentis, et modo disput. 5 dub. 3 explicato. Loquendo vero de personalitate creata, tunc licet ex se dicat aliquid perfectionis, nihilominus natura specifica fit perfectior, dum in suo singulari habet modum personalitatis : quia ibidem dicit perfectionem propriam naturæ, et insuper perfectionem modi, aut quasi modi personalitatis et ipsa cum hoc

suo modo, aut quasi modo est perfectius quid, quam ipsa sola, imo dicit se ipsam, ut est sub modo essendi non parum perfecto. Non secus, proportione servata, ac natura, ut operans, dicitur esse perfectior, quam natura : quatenus ipsamet, ut operans, est perfectior se ipsa solitarie, et sine operatione sumpta.

Ex quo ad impugnationem contra solutionem prædictam facile ex eodem Cajetano respondetur. Nam ex hoc, quod individua materialia, v. g. humana ratione ejus, quod addunt supra naturam specificam, sint propter eamdem naturam, et ejus conservationem, solum sequitur, eam esse perfectiorem, quam id quod prædicta individua addunt supra illam : non vero quod ipsa, ut subsistit in prædictis individuis, non sit perfectiori modo, quam secundum se sumpta : sive, quod conjunctum illud integratum ex natura humana, et personalitate, non sit perfectius sola natura : non quidem quia sola personalitas sit perfectior; sed quia ultra personalitatem includitur ipsa natura. Unde idem est dicere, individua materialia esse propter naturam, et ejus conservationem, ac asserere, esse propter eamdem naturam, subsistentem tamen in individuis, seu esse propter eamdem naturam terminatam modo essendi valde perfecto inter modos essendi creatos : siquidem modus essendi in alio, qui condistinguitur contra modum essendi per se, est longe imperfectior modo essendi per se, et iste longe perfectior illo.

17. Præcluditur tacita quædam objectio. Nec hinc fiet (ut ita tacita objectio solvatur) idem fore propter semetipsum. Quia dum dicitur, individua humana per se subsistentia, seu personas humanas esse propter naturam terminatam sua personalitate, tunc persona, ut respicit naturam modo dicto acceptam tanquam finem, dicit in recto personalitatem, et in obliquo naturam : et natura, quæ est finis, dicit in recto naturam et in obliquo personalitatem terminantem eamdem naturam.

Adde primo, quod hic non fit sermo de individuis materialibus, et naturis materialibus solummodo, sed de natura substantiali et intellectuali ut sic. In hac autem sic in generali sumpta non invenitur ob prædictam rationem generalem, quod individua illius sint, et multiplicentur numero ob conservationem speciei : alioqui enim in quavis specie naturæ intellectualis id reperiretur.

Silvest. Suarez. Adde secundo, probabile satis esse id, quod docent Silvester in Conflatu quæst. 29 art. 4, Suarez lib. 1 de Trinitate cap. 1 num. 9 quod, dum D. Thomas dixit, personam esse perfectissimum in tota natura, non confert personam cum natura specifica, quam includit, sed cum suppositis omnium aliarum naturarum : ita ut sit sensus, quod inter omnia supposita reperta in cunctis naturis, perfectissimum est illud, quod est persona : eo quod habet hanc majorem perfectionem ex natura, cujus est suppositum, scilicet ex natura intellectuali. Unde subdit Suarez, quod, cum S Doctor q. 3 art. 3 probasset, in Deo esse suppositum, merito nunc probat tale suppositum in illo esse proprie, et formaliter personam, quia habet perfectionem requisitam ex parte naturæ, scilicet. perfectionem naturæ intellectualis.

Ad secundum respondetur ex eodem Cajetano, quod in personis divinis reperitur subsistentia incommunicabilis, et ratio divinæ naturæ, tam ut habet rationem naturæ, quam transcendentis, a qua ipsæ personalitates habent suam perfectionem; licet a se ipsis habeant rationem personalitatum. Unde distinctio in divinis personis est in illa priori ratione, secundum quam personæ divinæ non exprimunt perfectionem, non tamen prædicta distinctio est in hac posteriori ratione, secundum quam exprimunt perfectionem, sive rationem proximam illius. 18. Satisfit secundæ objectioni.

Ad tertium respondetur, quod hoc ipso quod natura divina sit perfectissima, debet secum afferre ex vi sua, non solum ea, quæ dicunt ex se expresse perfectionem, sed etiam ea, quæ ex vi suæ lineæ illam non exprimunt, nec eam ex vi ejusdem lineæ proxime afferunt, dummodo sint capacia habendi, et imbibendi illam a divina essentia, ut per modum transcendentis in eis inclusa. Tum, quia, ut optime notavit Cajetanus loco citato, ex perfectione divinæ essentiæ provenit, non solum quod ipsa sit omnis perfectio : sed etiam quidquid necessario inest iis, quæ perfectionem ab eadem divina essentia dicunt : de quorum numero est incommunicabilitas, et quævis ratio relativa ad personam divinam pertinens. Et propterea ex perfectione divinæ essentiæ est, quod sit persona, quoad omnia, quæ clauduntur in ratione personæ. 19. Solvitur tertia. Cajetan.

Tum etiam. Quia licet persona divina ex personalitate secundum id, quod exprimit,

mit, non dicat expresse perfectionem : attamen, si divina essentia non communicaret ei, tanquam quid transcendens in ipsam, id, quod est in eadem essentia perfectionis, non haberet prædicta essentia summam perfectionem excogitabilem. Quia ad hanc requiritur, ut se diffundat actu, et necessario ad intra in omnibus illis, quæ ex se non dicunt imperfectionem, et sunt capacia imbibendi infinitam perfectionem essentiæ, qualia sunt personalitates divinæ.

§ II.

Difficultas prior contra assertionem.

20. Difficultas prima contra assertionem. Cæterum ex dictis tres insurgere videntur difficultates contra assertionem. Prima quidem. Quod ex ea sequitur, dandas esse in divinis tres hypostases : hoc autem non videtur concedendum : ergo nec dari in Deo rationem personæ. Sequela est perspicua. Quoniam id, quod est persona, est etiam hypostasis, ut ex dictis constat, licet non e contra. Siquidem hypostasis dicit substantiam incommunicabiliter subsistentem in quavis natura, persona vero denotat eamdem substantiam, ut incommunicabiliter subsistit in peculiari aliqua natura, scilicet rationali. At hoc ipso, quod in Deo detur formaliter ratio personæ, debent ibidem dari, non una tantum, sed tres personæ, ut ex infra dicendis constabit : ergo etiam debebunt dari tres hypostases.

Hieron. Falsitas autem consequentis videtur aperte deduci ex illo Hieronymi in epistola 57 ad Damasum, ubi sic inquit : *Sufficiat nobis dicere unam subsistentiam tres personas : taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur. Nomen hoc non bonæ suspicionis est, etc. Mihi credite, venenum sub melle latet.*

21. Quædam solutio. Ad hanc difficultatem posset alicui videri occurri sufficienter, negando sequelam : ex eo quod nomen hypostasis significat idem, quod essentia. Hoc autem posset suaderi. Tum ex illo Pauli ad Hebræos 1 : (Ad Heb. 1.) *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Ubi pro substantia habetur Græce *hypostasis*. Constat autem hoc nomine *substantia* significari ibidem essentiam : ex eo quod Filius dicitur figura, et imago Patris in eo, quod est ei similis, nempe in essentia, in qua solummodo illi assimilatur. Et propterea sic interpretantur hæc verba Pauli, Athanasius Dialogo 2 de Trinitate, dicens, quod *figura sive character, hypostaseos, nihil aliud est, quam essentiæ imago.* Idemque habet Epiphanius hæresi 69, Theodoretus, et alii Græci Patres in eumdem locum. Ergo sicut non possunt in divinis admitti tres essentiæ, ita nec tres hypostases. (Epiphan. Theodor.)

Tum etiam. Quia in concilio generali Sardicensi, in epistola ad omnes Episcopos dicitur adversus Valentem et Ursacium, *Unam esse substantiam Patris, Filii, et Spiritus Sancti secundum catholicam fidem.* Ubi Græce pro *una substantia*, habetur *una hypostasis* : ac per consequens denotatur, quod secundum catholicam fidem tantum sit unica hypostasis admittenda. (Conc. Sard.)

Tum denique. Qua hoc nomen *hypostasis* idem significat Græce, quod *usia*, idest, *essentia*, ut testantur Nazianzenus in Oratione de laudibus Athanasii, Rufinus lib. 1 additamenti ad historiam Eusebii cap. 9, Athanasius in epistola de Synodis Ariminensi et Seleuciensi, Niceph. lib. 10 historiæ cap. 10, Augustinus lib. 5 de Trinitate cap. 8, his verbis : *Dicunt quidem et illi hypostasim, sed nescio quid volunt interesse inter usiam et hypostasim.* Hieronymus in epistola citata ad Damasum, ubi sic habet : *Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit*, et rursus : *Quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostases, idest, usias dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere.* (Nazianz. Rufinus. Athanas. Niceph. Augustin. Hieron.)

22. Rejicitur prædicta solutio. Cæterum, licet olim in Ecclesia controversum fuerit, an in divinis sint admittendæ tres hypostases : jam tamen apud Catholicos est res adeo certa, quod oppositum nequeat absque aliqua erroris nota negari, ut notavit Vasquez in hac 1 part. disp. 121 c. 1. Quia in pluribus Conciliis fit distinctio inter hæc duo nomina, scilicet *essentia*, id est, *usia*, et nomen *hypostasis* : et illud prius determinate pro essentia, hoc vero posterius pro persona sumitur. (Vasquez.)

Unde in Concilio Florent. sess. 19 Joannes theologus retulit duas acceptiones substantiæ ex Aristotele 5 Metaphysicæ textu 15 desumptas, quibus D. Thomas art. 2 hujus quæstionis utitur, nempe *essentiæ* et *suppositi* : et prædictas acceptiones idem Joannes referens, dixit, substantiam sumptam pro essentia appellari à Græcis *usiam* et acceptam pro supposito nuncupari *hypostasim*. Idem etiam habetur in Concilio Calcedonensi actione 1, ubi refertur Epistola Cyrilli ad Nestorium, in qua dicitur, unionem Verbi divini cum carne assumpta non (Conc. Flor. Aristot. D.Thom. Conc. Cal.)

fuisse factam in *usia*, idest *essentia, sed in hypostasi*, id est, *in persona*. Et propterea D. Thomas 3 part. quæst. 2 art. 1 et 3 ex horum Conciliorum doctrina determinat, prædictam unionem factam fuisse non in natura, sed in supposito, sive in hypostasi. Et in Concilio Alexandrino decretum fuit ad hanc litem sedandam, quod Catholici agentes cum Sabellianis dicerent *tres hypostases*, agentes vero cum Arrianis eas non dicerent ne cum illis unam tantum personam, cum istis vero tres essentias admittere viderentur. Ubi satis denotatum est, nomen *hypostasis* in divinis optime sumi pro persona, dum conceditur Catholicis, quod agentes cum Sabellianis utantur prædicto nomine, quamvis, quia olim dubium erat, pro quonam acciperetur nomen *hypostasis*, an pro essentia, an pro supposito, et quia Arriani sub isto nomine *tres hypostases*, introducere volebant suum errorem, idcirco, ne deceptioni aditus pateret, cautum fuit, ne, dum agebatur cum Arrianis, admitterentur tres hypostases. Et tandem in Symbolo Athanasii, ubi nos legimus : *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, etc.* Græce pro *substantia* habetur *usia*, et pro *persona, hypostasis*, juxta translationem Græcam hujus Symboli, quam ex duplici codice, altero manuscripto, altero excusso refert Genebrardus lib. 3 de sancta Trinitate, contra Antitrinitarios.

D.Thom. — Conc. Alex. — Symb. Athanasii. — Genebrard.

23. Unde hoc ipsum habet Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 1, ubi, Trinitatem personarum appellat terminis, *hypostæton*, hoc est *tres hypostases*. Idem etiam tuentur Nazianzenus Oratione 29 de Dogmate et constitutione Episcoporum, et Oratione 32, Nyssenus in tractatu de differentia essentiæ, et hypostaseos, Justinus Martyr in expositione fidei parum a principio, et rursus circa medium, et in responsionibus ad Orthodoxos in responsione ad quæstionem 17 et ad quæstionem 129 in fine, Athanasius in tractatu de diffinitionibus parum a principio, et in quæstionibus aliis post quæstiones ad Antiochum quæst. 4 et 7, Basilius Epistola 36 ad Gregorium Nyssenum de differentia inter usiam et hypostasim, Chrysostomus in illud ad Hebræos 1 : *Et figura substantiæ ejus*, Augustinus tomo 3 lib. 7 de Trinitate cap. 4 ubi inquit Græcos ita dixisse tres hypostases sive substantias, sicut nos dicimus tres personas : maluisseque ita loqui, quia forte secundum linguæ suæ consuetudinem apertius diceretur. Hieronymus in expositione fidei ad Damasum his verbis : *Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, idest, personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, id est substantias, confitemur.* D. Thomas art. 2 hujus quæstionis, et art. 3 ad 3 infra quæst. 39 art. 1 ad 3 de Potentia quæst. 9 art. 1. Ideoque hanc partem communiter tuentur omnes Scholastici.

Dionys. — Nazianz. — Nyssenus. — Justin. M. — Athan. — Basilius. — Chrysost. — Augustin. — Hieron. — D.Thom.

Congruitque hoc cum nomine hypostasis. Nam aliud est id, a quo nomen hoc est impositum, aliud vero id, ad quod significandum fuit impositum. Quoniam impositum est ab hoc, quod est, substare accidentibus, cum tamen principale ejus significatum sit res per se subsistens, seu id quod sub aliis habet esse per se. Et licet ex priori capite nomen hoc non tribuatur Deo : in quo sensu dixit Augustinus lib. 7 de Trinitate cap. 5, Deum abusive appellari substantiam : nihilominus ex posteriori capite optime admittitur, dari in Deo prædictas hypostases : siquidem divina natura subsistit in suis personis, et personæ habent esse per se sub eadem natura.

August.

Unde ad difficultatem initio hujus secundi § adductam respondetur concedendo sequelam, et negando minorem. Et ad probationem respondetur ex D. Thoma art. 3 hujus quæstionis in solutione ad 3, ubi sic habet : *Dicendum, quod nomen hypostasis non competit Deo quantum ad id, a quo est impositum nomen : cum non substet accidentibus. Competit autem quantum ad id, ad quod est : impositum est enim ad significandum, scilicet, rem subsistentem. Hieronymus autem dicit, sub hoc nomine venenum latere : quia antequam significatio hujus nominis esset plene nota apud Latinos, Hæretici per hoc nomen simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases, propter hoc, quod nomen substantiæ (cui respondet in Græco nomen hypostasis) communiter accipitur apud nos pro essentia.* 24.

Vera enodatio difficultatis. D.Thom.

Nec id, quod pro se opposita solutio adducebat, ei favet. Nam ad primam ejus probationem dicendum est, quod etsi nomine *substantiæ* intelligatur in illo loco Pauli ad Hebræos 1 *hypostasis :* non tamen idcirco nomen hypostasis sumetur præcise pro essentia, sed pro persona Patris : ita ut sensus sit, Filium esse figuram, et imaginem Patris. Nec obest, quod solum in essentia sit Filius similis Patri, non vero in proprietate personali. Quoniam ratio imaginis, sicut et ratio personæ, petit, quod Filius in aliquo sit similis Patri et in aliquo dissimilis :

Satisfit primæ probationi.

dissimilis : ita ut similitudo sit in natura, et dissimilitudo in proprietatibus personalibus. Et eodem modo sunt exponendi Patres in hac prima probatione adducti : quia solum volunt, quod etsi Filius sit imago Patris, attamen similitudo, seu identitas solummodo sit in essentia, retinendo tamen discretionem in hypostasi et persona, ac proinde in proprietate personali.

25. Occurritur secundæ probationi. Ad secundam respondetur primo, verba illa, in quibus dicitur, *unam esse hypostasim Patris et Filii*, etc. non haberi in ea epistola, ut tradita est a Concilio, sed addita fuisse ab aliquo traductore. Et hujus signum est quod eadem epistola habetur apud Athanasium in Apologia 2 contra Arrianos, et in aliis codicibus Athanasii : cum tamen ibidem prædicta verba non contineantur. (Athanas.)

(Bellarm.) Secundo respondetur cum Bellarmino lib. 2 de Christo cap. 4 prædicta verba sumenda esse in sensu conditionali, ita ut reddant hunc sensum, scilicet, esse unam tantum hypostasim Patris et Filii et Spiritus Sancti, si nomen *hypostasis* accipiatur pro essentia, sicut accipiebatur ab hæreticis. Esse autem hunc sensum hujus epistolæ constat ex illa, prout habetur lib. 2 Historiæ Ecclesiasticæ c. 8 in editione Græca facta per Robertum Stephanum. (Historia Ecclesiast.) Nam prædicta verba de verbo ad verbum transsumpta sic sonant : *Hanc habemus catholicam traditionem, fidem et confessionem, unam esse hypostasim (quam ipsi hæretici usiam appellant) Patris, Filii, et Spiritus Sancti*. Ubi illa verba, *quam ipsi hæretici usiam appellant*, sunt includenda parenthesi, ut sequentia conjungantur antecedentibus : et sensus sit, esse unam hypostasim Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : si *hypostasis* sumatur pro *usia*, sicut sumebatur ab hæreticis.

26. Ad tertiam probationem. Ad tertiam probationem respondetur, quod quando aliqui ex SS. Patribus has voces confundunt, non loquuntur ex propria sententia, sed supponunt ex aliorum sententia, quam ipsi tunc nec approbabant, neque reprobabant, sumi pro eodem. Et hac facta suppositione, damnant eos, qui concedunt tres hypostases : siquidem qui in hoc sensu eas admittunt, debent etiam concedere tres essentias. Unde propter hanc rationem ante Concilium Alexandrinum, (Conc. Secund.) quod fuit paulo post Nicænum, ob vitandam calumniam Arrianorum, qui hæc duo nomina *hypostasis* et *usia* confundentes asserebant in divinis personis tres usias, et tres hypostases, Latini Patres formidabant admittere tres hypostases, ne adhuc in modo loquendi, Arrianis adhærerent. Cæterum in Concilio Alexandrino sancitum fuit, ut nuper dicebamus, Catholicos agentes cum Sabellianis fateri tres hypostases, agentes autem cum Arrianis eas non concedere propter rationem tactam. Postea vero lis hæc ad concordiam redacta est inter Græcos, et Latinos, ut Græci *personæ* nomen, et Latini *hypostasis* vocabulum pro eodem sumerent : et promiscue assererent, in Deo esse tres personas, seu hypostases, et unam essentiam, sive usiam.

§ III.

Difficultas alia contra eamdem assertionem.

Secunda difficultas, quæ ex nostra assertione sequitur, est. Quod si semel datur in Deo ratio personæ, non poterunt non admitti in ipso tres substantiæ : sicut debent tunc admitti tres personæ : at tres substantiæ in illo concedi nequeunt : ergo nec ratio personæ. Consequentia videtur perspicua. Minor autem etiam constat. Siquidem juxta fidem certum est, tres personas divinas esse consubstantiales, idest, unius et ejusdem substantiæ : in quo sensu dixit Hieronymus in epistola citata, *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, et tres personas*. Et Athanasius in Symbolo : *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes*. Et in Concilio Lateranensi Romano sub Martino Papa I in Secretario, seu Consultatione 5 Canone 1 sic dicitur : *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, Trinitatem in unitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus*, etc. *unam eamdemque trium Deitatem, naturam, substantiam*, etc. *condemnatus sit*. Et in Concilio Toletano III in confessione fidei facienda ab illis, qui ab Arriana hæresi convertebantur ad Ecclesiam, ita dicitur : *Ut confiteamur esse Patrem, qui genuerit ex sua substantia Filium sibi coæqualem*, etc. Et post pauca : *Unius tamen uterque substantiæ divinitate subsistat*. 27. Secunda difficultas. (Hieron.) (Athan.) (Concilium Lateran.) (Concilium Tolet. III.)

Major vero videtur sequi ex diffinitione personæ dubio præcedenti explicata. Quoniam multiplicato diffinito, multiplicatur genus, aut quasi genus ejusdem diffiniti ; sicut multiplicato homine, qui diffinitur

per animal rationale, debet multiplicari animal : ideoque tres homines non possunt non esse tria animalia : sed substantia ponitur tanquam genus, vel quasi genus in diffinitione personæ : ergo si in Deo datur ratio personæ, et hæc multiplicatur, ita ut sint ibidem tres personæ, debebunt etiam in divinis tres substantiæ concedi.

28. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia eadem ratione sequeretur, dandas esse in divinis tres substantias individuas, sive tres primas substantias, aut tria individua divinæ naturæ. Siquidem quævis persona est substantia individua, et prima substantia, nec non et individuum illius naturæ, in qua persona subsistere dicitur, ut in rebus creatis cernere licet : at in divinis non sunt concedendæ tres substantiæ individuæ, aut tres primæ substantiæ, vel tria individua naturæ divinæ, ut colligi videtur

August. ex Augustino lib. 1 de Trinitate, c. 6 : ergo, etc.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quia sumpta substantia, prout distinguitur contra accidens, seu prout dicit esse ens per se, idest, non in alio per modum accidentis, tunc non multiplicatur in divinis ratio substantiæ : ergo nec ibidem reperietur ratio personæ : siquidem hac multiplicata, non potest non multiplicari prædicta ratio substantiæ. Antecedens autem probatur testimonio

Augustin. Augustini lib. 5 de Trinitate c. 3 ubi proponens argumentum Arrianorum sub hac forma : *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est, et genitum esse Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse : diversa est ergo substantia Patris et Filii.* Respondet c. 4 et 5 sequenti, negandam esse majorem : ex eo quod genitum et ingenitum neque conveniunt Deo secundum accidens, neque secundum substantiam, sed tantum secundum relationem : quia dicuntur ad aliquid, et quidquid convenit secundum substantiam, dicitur ad se : ac proinde sentit Augustinus, rationem substantiæ, adhuc prout distinguitur contra accidens (de qua acceptione videbatur loqui argumentum Arrianorum) non multiplicari in divinis.

29. Diluitur difficultas. Respondetur, quod quantum est ex vi, rigore, et proprietate sermonis, non inconvenit concedere in divinis tres substantias. Tum quia hypostasis Græce idem est, quod Latine substantia. Et ideo sicut admittimus, tres divinas personas esse tres hypostases : ita quantum est ex proprietate sermonis, possumus concedere, illas esse tres substantias ut sæpe id concedit Augustinus in libris de Trinitate, præsertim lib. 5 c. 8 et lib. 7 c. 6, Anselmus in Monologio cap. penultimo, ubi dicit, Trinitatem esse unam essentiam, et tres substantias. Cæterum propter nominis æquivocationem non debent absolute admitti in Deo tres substantiæ, nisi cum addito determinante nomen substantiæ ad suppositum : eo quod apud Latinos nomen substantiæ jam est determinatum ad significandam essentiam, sive naturam substantialem, ut notavit Augustinus lib. 5 de Trinitate c. 9 his verbis : *Quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit et hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam : non audemus dicere unam essentiam, et tres substantias, sed unam essentiam, vel substantiam, tres autem personas*, et lib. 7 cap. 4 inquit : *Dictum est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ, a Latinis autem una essentia, vel substantia, tres personæ. Quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, idest Latino, essentia, quam substantia solet intelligi.* D. Aug. Anselm. August.

Quæ solutio desumpta est ex D. Thoma q. 9 de Potentia art. 2 ad 9 his verbis : *Dicendum, quod sicut dicimus in Deo tres personas, ita possumus dicere tres substantias individuas, unam tamen substantiam, quæ est essentia.* Ubi, ut constat, sumpta substantia absolute, et sine aliquo determinante ipsam ad hoc, ut sumatur pro hypostasi, tantum concedit S. Doctor unam substantiam : accepta tamen cum aliquo determinante ipsam ad hoc, ut sumatur pro hypostasi, qualiter accipitur, dum dicitur, *substantia individua*, idest, omnino incommunicabilis alteri tanquam supposito secundum quam rationem sumitur in diffinitione personæ dubio præcedenti explicata) tunc admittit tres substantias cum prædicto addito, scilicet, tres substantias individuas. D.Thom.

Nec oppositum suadent testimonia, quæ in probatione minoris hujus difficultatis adducta sunt; quin potius intentum suadent. Siquidem ibidem *substantia* sumitur pro eodem, pro quo hoc nomen *essentia* : et propterea prædictum nomen *substantia* ponitur ibidem absolute sine aliquo addito restringente illud ad hoc, ut sumatur pro substantia,

substantia, quæ est hypostasis sive persona.

30. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod licet possint admitti in Deo tres substantiæ individuæ; idest, omnino incommunicabiles alteri tanquam supposito, quod est idem ac admitti tres hypostases, non tamen possunt concedi tria individua divinæ naturæ, aut tres primæ substantiæ in divinis. Et ratio est. Quoniam hoc est discrimen inter hoc nomen *suppositum* et *individuum*. Quod suppositum, saltem pro formali, dicit suppositalitatem, sive hoc quod est, esse per se incommunicabiliter : individuum vero dicit de formali hanc naturam singularem. Cumque ratio essendi per se incommunicabiliter multiplicetur in divinis; ratio vero naturæ, et essentiæ singularis non multiplicetur, sed sit una et eadem in omnibus suppositis divinis : propterea, licet possint, et debeant admitti in Deo tres hypostases, et personæ, non tamen tria individua, sumpto nomine, *individui* in sensu jam dicto, et in hac confirmatione intento. Sicut etiam verius est, non dari in divinis tres primas substantias : quia nomen hoc denotat, non qualemcumque naturam importari ab eo quod dicitur prima substantia, sed naturam singularem, quæ sit ponibilis sub natura proprie specifica, et universali; hoc ipso quod talis natura pluribus communicetur. Quare, cum hoc non contingat in tribus personis divinis : siquidem una et eadem specie, aut quasi specie, et numero natura invenitur in illis, ac proinde non sunt ponibiles sub aliqua natura proprie specifica, et universali, ideo tres personæ divinæ non sunt dicendæ tres primæ substantiæ.

31. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem occurrit Junior quidam concedendo antecedens, tum propter testimonium Augustini in eadem confirmatione relatum : tum etiam, ne dentur tres essentiæ divinæ. Quia ratio essentiæ divinæ consistit in eo, quod sit substantia a se, et non ab alio ut a causa efficienter; sed tres personæ divinæ in eo eventu essent tres substantiæ a se, et non ab alio ut a causa efficiente : ergo eo ipso darentur tres essentiæ divinæ. Et deinde negat consequentiam. Et ad probationem ejus respondet, non esse necessarium ad multiplicationem personæ multiplicationem substantiæ sed satis esse multiplicationem incommunicabilitatis.

...ur. Augustin. Cæterum hæc solutio non placet. Nam in primis videtur esse contra Augustinum et Hilarium. Quoniam Augustinus lib. 7 de Trinitate c. 6 fatetur, dici posse tres substantias in divinis in sensu dicto : Hilarius vero asserit, se astitisse cuidam Synodo, et in ea concessum fuisse, reperiri tres substantias in Deo, non absolutas, sed relativas. Nec obest, si dicatur, testimonia ista intelligenda esse de substantia sumpta pro hypostasi. Non igitur hoc obest. Quoniam hoc ipso, quod multiplicetur ratio substantiæ, prout est idem ac hypostasis, oportet, multiplicari rationem substantiæ generalissime sumptam, idest, ut distinguitur contra accidens, seu prout dicit non esse in alio per modum accidentis : siquidem quævis substantia debet includere rationem formalissimam substantiæ, prout distinguitur contra accidens. Hilarius.

2. Confirmatur primo. Confirmatur, et explicatur. Quoniam ratio realitatis, prout abstrahit a realitate absoluta, et relativa, est communis communitate rationis tantummodo respectu divinarum personarum : et propterea ratio ista in illis multiplicatur, suntque tres realitates relativæ : ergo etiam ratio substantiæ, prout substantia præcise habet distingui contra accidens, erit eodem proportionali modo communis eisdem personis divinis : et ratio ista in eis multiplicabitur, eruntque tres substantiæ relativæ. Patet consequentia. Quoniam ratio illa realitatis in illa abstractione per se dividitur per esse in alio, et per esse per se, prout distinguitur ab esse in alio per modum accidentis : ergo repugnat, aliquid intra suam lineam dicere realitatem illam, et non habere intra illam, vel quod sit accidens, vel quod sit substantia, prout substantia distinguitur contra accidens. Sicut, quia animal per se dividitur per rationale, et irrationale, ideo repugnat dari animal, quod non sit rationale, vel irrationale : ergo sicut ob hanc rationem multiplicato animali multiplicatur, v. g. rationale, ita multiplicata in divinis personis ratione realitatis relativæ, multiplicabitur in eisdem ratio substantiæ in dicta acceptione : et per consequens dabuntur ibidem plures substantiæ cum hoc addito scilicet relativæ.

33. Confirmatur secundo. Confirmatur tandem. Quoniam etsi non valeat hic modus arguendi : *Personalitas divina ex suo significato formali est realitas quædam : at ex significato prædicto non est realitas, quæ sit creatura : ergo est realitas, quæ ratione sui, ac intra propriam lineam sit formalissime Deus*. Quoniam hoc quod est, esse Deum formalissime, et intra propriam

lineam aut esse creaturam, non est ex prædicatis, quæ conveniunt cuivis realitati ex sua ratione formali, licet quidquid aliquomodo dicit realitatem, debeat esse vel creatura, vel Deus saltem identice. Cæterum hoc, quod est, vel esse per se, idest, non in alio per modum accidentis, sunt duo modi essendi directe et immediate oppositi, et dividentes communissimam rationem realitatis : et propterea repugnat rationem prædictæ realitatis multiplicari, et dividi, nisi ibidem adsit multiplicatio illius per prædictos modos, aut quasi modos.

31. Vera responsio secundæ confirmationis.

Unde ad hanc secundam confirmationem negari debet antecedens. Et ad testimonium Augustini respondetur, ipsum in eo sensu negare tres substantias in divinis, in quo Arriani (quorum erat illud argumentum) eas admittebant, nempe, sumpta substantia pro essentia, seu natura. Et ita optime negavit majorem ejusdem argumenti, nempe quod esse ingenitum convenit Patri secundum substantiam, et similiter esse genitum convenit Filio secundum substantiam, idest essentiam : ac proinde merito asseruit, quod esse ingenitum, et genitum conveniunt tantum secundum relationem. Cumque competere secundum relationem subsistentem, ut in divinis contingit, sit competere secundum rationem substantiæ cum addito, idest relativæ, ideo hoc ipso, quod competat ratio geniti et ingeniti secundum relationem divinam, convenit secundum substantiam, non quidem absolutam, sed relativam, vel abstrahentem, si generaliter sumatur ab absoluta et relativa.

Nec id quod pro solutione Junioris supra citati ad hanc confirmationem adducebatur, ut suaderetur, concedendum esse antecedens illius. obest. Quoniam ad rationem essentiæ et naturæ divinæ, ut distinctæ a relationibus, non est satis ratio substantiæ relativæ, quæ sit a se, idest, quæ non sit ab alio ut a causa ; sed requiritur ratio substantiæ, a se, quæ sit absoluta, et excludat esse ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori : nam eo ipso, et non aliter, habebit omnia, quæ in 1 tomo tractatu 3 disp. 4 dubio 2 diximus requiri ad rationem essentiæ et naturæ divinæ.

Cæterum relationes, et personæ divinæ licet admittatur, quod sint tres substantiæ relativæ a se ; non tamen inde colligitur, esse tres a se prout esse a se excludit esse ab alio ut a ratione a priori, sed ad summum, prout esse a se excludit causam. Utrum autem, sicut absolute conceditur, esse tres substantias relativas, ita ut quævis ex vi suæ lineæ habeat suam (ut sic dicamus) portionem substantiæ relativæ, pari ratione debeat etiam concedi, quod sint tres substantiæ relativæ a se, prout esse a se excludit esse ab alio ut a causa, ita ut hoc conveniat eis ex vi lineæ relativæ, an vero ratione essentiæ inclusæ per modum transcendentis? ex supra dictis decidendum est.

§ IV.

Posterior difficultas.

Ultima difficultas est. Quod ad rationem personæ desideratur quod sit rationalis naturæ individua substantia : at in divinis nequit dari ratio cinatio, et per consequens nec rationalis natura ; ergo, etc. Minor probatur. Quoniam ratiocinatio, sicut et natura rationalis, dicunt intelligere, et habere vim ad intelligendum per discursum : quod quidem involvit imperfectionem. 35 Ulti[ma] diffic[ul]tas

Respondetur ex D. Thoma art. 3 hujus quæstionis et q. 9 de Potentia art. 3 ad 10 et 22 q. 83 art. 10 ad 2 et in 1 dist. 25 q. 1 art. 1 ad 4 particulam illam *rationalis naturæ* positam in diffinitione personæ significare idem, ac *intellectualis naturæ*. Qua ratione etiam Gregorius homil. 10 in Evangelia vocat Angelum animal rationale, idest, substantiam vivam intellectualem. Et similiter, licet oratio dicatur esse actus creaturæ rationalis : nihilominus proprie convenit Angelis. Eno[da]tur D.Th[omas] Gre[go]riu[s]

Adde, quod illa particula *rationalis naturæ* sumi etiam potest pro natura rationali, sive formaliter, sive eminenter tali. Unde Dionysius cap. 15 Cælestis hierarchiæ ait, Deum, et Angelos esse rationales, idest esse rationales modo eminenti. Dio[ny]si[us]

DUBIUM III.

Quod sit directum et formale, quodve materiale et directum, et quod tandem sit indirectum significatum hujus nominis persona divina, *ut per conceptus nostros confusos et imperfectos, Theologicos tamen, cognitum?*

Semel explicata diffinitione personæ in communi, prout abstrahit a creata et increata, 3

creata, et an ratio ista inveniatur in divinis, statim venit explicandum, quodnam sit significatum hujus nominis *persona divina*. Siquidem post explicationem alicujus rationis in communi sumptæ, protinus pulsat animum inquirere, quidnam afferat illa ratio contractim accepta, quodque sit significatum nominis significantis illam, ut est determinata et contracta, ut in præsenti contingit, ubi hoc nomen persona divina denotat rationem personæ, ut contractam ad personam specialem, nempe divinam.

§ I.

Explicatio tituli.

37. Animadversio prima pro tituli intelligentia. Pro tituli intelligentia notandum est primo, duplex esse significatum alicujus nominis : aliud directum, aliud vero indirectum. Primum est illud, quod in recto significatur. Secundum vero quod in obliquo denotatur. Quorum aptum exemplum habemus in diffinitione tradita personæ in communi, in qua hoc, quod est, esse substantiam individuam, est significatum directum illius, quippe quod in recto denotatur : at vero natura rationalis est significatum indirectum ejusdem : et ita in obliquo significatur.

Animadversio secunda. Secundo notandum est, quod significatum directum dividitur in significatum formale, et significatum materiale. Ex quibus primum est illud, quod directe et expresse explicatur ipso nomine ex vi suæ significationis. Secundum vero est, quod non ita distincte exprimitur, sed importatur virtualiter, et implicite tanquam id, extra quod non salvatur significatum formale. Potestque hujus exemplum apponi in significato hujus nominis *linea*, ut est continuativa superficiei. Nam de formali significato importat eamdem lineam, ut est indivisibilis secundum latitudinem : de materiali vero, extra quod nequit salvari significatum hoc formale significat eamdem lineam, ut est divisibilis secundum longitudinem. Unde in titulo hujus dubii inquirimus, quodnam sit significatum expressum, et in recto, directum, et formale, quodve significatum in recto, virtualiter tamen, et implicite denotatum, seu directum, et materiale, nec non quodnam sit significatum indirectum, et in obliquo hujus nominis *persona divina* ? ut ita prædicti nominis significatum innotescat.

Animadversio tertia. Cajetan. Tertio notandum est cum Cajetano art. 4 hujus quæstionis, § *Quoad tertium*, quod hoc nomen *persona divina*, quamvis videatur terminus complexus, nihilominus ponitur ad circumloquendum incomplexum nomen, quo significaretur id, quod in natura divina habet rationem personæ, et sub significato personæ in communi tanquam inferius sub suo superiori analogice tali continetur : sicut si animal rationale poneremus loco hominis.

Cæterum, quod ad præsens attinet, non ponitur ad circumloquendum utcumque prædictum incomplexum ; sed ad circumloquendum illud (saltem præcipue et expresse) ut cognoscitur a nobis per conceptus confusos et imperfectos (quamvis Theologicos) quos in via formamus de persona divina, non vero (saltem præcipue et expresse) ut concipitur per conceptus perfectos et distinctos, seu magis distinctos, quos adjuti vera et perfecta Theologia, adhuc in via, de persona divina habemus. Quoniam, ut q. 40 art. 2 dicemus, personæ divinæ, ut concipiuntur a nobis per prædictos conceptus perfectos et distinctos, constituuntur per relationes, secundum quod exprimunt *ad*, seu secundum quod exprimunt ordinem exercitum ad correlativum. Constat autem, quod nomen correspondens huic conceptui debet etiam esse nomen, quod exprimat, significetque expresse munus *ad*, seu prædictum ordinem, ut exercitum ad correlativum ; quem tamen, ut ex se, et ex statim dicendis patebit, non exprimit nomen hoc *persona divina*. Et ita nomen istud non ponitur ad circumloquendum utcumque prædictum nomen incomplexum, sed ad circumloquendum illud saltem præcipue, et expresse seu saltem significatum ejus præcipuum et formale, quod habet, ut concipitur a nobis per conceptus confusos et imperfectos, quos in via de persona divina formamus. Et propterea in titulo non inquisivimus de significatis ibidem contentis hujus nominis *persona divina* utcumque sumptis, sed ut cognitis a nobis per conceptus confusos et imperfectos, licet Theologicos ; non vero ut cognoscuntur per conceptus omnino perfectos, et Theologicos, quos, adhuc in via, de personis divinis formamus. 38.

39. Ultima animadversio. Ex quo, et ut hoc magis pateat, ultimo notandum est, lineam relativam in divinis, v. g. Paternitatem in concreto sumptam, prout est idem ac Pater, si sumatur adæquate secundum id, quod pertinet ad pro-

priam lineam, esse rationem adeo eminentem, ut æquivaleat, tum personis creatis secundum id, quod in recto dicunt, tum etiam quibusvis relationibus creatis paternitatis. Et propterea præstat hæc duo munera realiter in creaturis distincta, non minus ac si in ea hoc modo distinguerentur. Et licet utrumque ex his muneribus pertineat ad lineam relativam, et ex parte rei conceptæ nequaquam sit quid absolutum ex eo quod prædicta ratio Patris secundum primum munus constituit subsistens incommunicabile, et secundum munus posterius opponitur relative cum Filio, constituitque personam expresse et formaliter relativam, seu relatam : et ea solummodo habent in divinis esse quid absolutum ex parte rei conceptæ, quæ sunt communicabilia toti Trinitati, quæque non dicunt relativam oppositionem unius personæ ad aliam, neque constituunt personam relativam : nihilominus per illud primum munus conceptum per nostros conceptus confusos et imperfectos, licet Theologicos, non concipitur expresse ordo, quem Pater dicit ad Filium, licet ratio formalissima illius muneris dicat implicite ordinem ad correlativum, et ex hoc ordine specificetur, aut quasi specificetur, nec possit perfecte et distincte concipi, non concepto expresse prædicto ordine. Et propterea tale munus pertinet ad lineam relativam, cujus proprium est, ut quidquid ad illam pertinuerit, debeat, vel expresse dicere ordinem ad terminum, vel saltem implicite et ex parte rei conceptæ, ita ut ejus ratio ex tali ordine desumatur, nequeatque perfecte et distincte cognosci, non cognito expresse tali ordine, ab ea adhuc virtualiter non distincto. Cæterum secundum posterius munus, nempe, ut æquivalet relationibus creatis paternitatis, expresse explicatur, adhuc secundum nostros conceptus imperfectos, ordo ad correlativum.

40. Unde ob hanc rationem munus hoc expressum vocatur absolute, et per antonomasiam munus relativum : non quidem quia primum illud munus ex parte rei conceptæ sit absolutum et non relativum, sed quia in posteriori munere explicatur expresse ordo ad correlativum, non vero in priori, concepto per conceptus nostros imperfectos et confusos. Et propterea communiter solet dici, prædictam rationem paternitatis conceptam per hos conceptus imperfectos et confusos non exprimentes istum ordinem, et significatam per nomina eis correspondentia significari ex parte rei significatæ, tanquam quid relativum ; attamen ex parte modi significandi significari per modum absoluti : quia, nimirum, non exprimitur ordo ille, qui est proprius relativorum, et hoc satis est ad hoc, ut ex parte modi significandi quodammodo significetur per modum absoluti, ut ex dicendis in hoc dubio num. 55 patebit : ideoque, quantum est ex vi hujus non expressionis, nihil obest, quominus ex parte illius modi significandi significaretur aliquid, quod ex parte rei conceptæ, et significatæ esset quid absolutum : quandoquidem per rationem substantiæ omnino incommunicabilis alteri tanquam supposito, quod est significatum directum, et formale personæ, potest significari, quantum est ex vi modi significandi, tam ratio personæ absolutæ, ut in creatis contingit, quam ratio personæ relativæ, ut non exprimentis ordinem ad correlativum, ut in divinis cernitur : cum tamen eadem Patris divini ratio, ut expresse concepta sub munere respiciendi terminum, explicet, non solum ex parte rei significatæ, sed etiam ex parte modi significandi quid relativum.

Unde, re bene inspecta, et enucleata, quod in titulo inquirimus, est : Primo, an solum aliquid relativum, sive secundum primum, sive secundum posterius munus sit significatum directum, et formale hujus nominis *persona divina*, ut per nostros conceptus non omnino perfectos, et Theologicos viæ cognoscitur? Et deinde, an prædictum significatum illius sic concepti sit aliquid relativum secundum primum, an vero secundum posterius munus sumptum, et quomodo? Ac tandem, quodnam sit significatum ipsius materiale : et directum, quodve indirectum, et qua ratione?

§ II.

Assertio prior ex D. Thoma desumpta.

Dicendum ergo est primo, quod si nomine relativi intelligatur id, quod est relativum ex parte rei conceptæ, sive exprimat ordinem ad correlativum, sive non : vel ut clarius dicamus, si nomine relativi intelligamus quodcumque munus directe spectans ad lineam relativam, tunc significatum formale, et directum hujus nominis *persona divina* erit aliquid relativum. Ita D. Thomas art. 4 hujus quæstionis in corpore illius, ubi absolute inquit, personas divinas 41. Prior asserti D.Tho

nas esse quid relativum, non vero quid absolutum : ac proinde, si de significato directo, et formali hujus nominis *persona divina* fiat sermo, tunc quid relativum in sensu in assertione explicato erit ejus significatum formale, et directum.

Unde idem Angelicus Præceptor in eodem art. cum sibi sic in tertio argumento objecisset : ***Secundum Philosophum 4 Metaphysicæ, id quod significatur per nomen, est ejus diffinitio. Sed diffinitio personæ, est rationalis naturæ individua substantia, ut dictum est. Ergo hoc nomen persona significat substantiam.*** Cum igitur S. Doctor sic sibi objecisset, postea in solutione ad 3 ut explicaret, quodnam esset significatum directum, et formale hujus nominis *persona divina* quod quidem in divinis explicatur, modo tamen sumpta insinuato, per illam particulam positam in recto in diffinitione personæ, nempe, *individua substantia*, sic inquit : ***Dicendum, quod in intellectu substantiæ individuæ, idest distinctæ, vel incommunicabilis, intelligitur in divinis relatio.***

Idem etiam docuit S. Doctor in 1 dist. 23 q. 1 art. 3 et dist. 26 q. 1 art. 1 de Potentia q. 9 art. 4 et in hac eadem 1 p. q.
Cyrillus 40 art. 1 et 2. Quod etiam docuerunt Cyril-
Alexand. lus Alexandrinus lib. 2, Thesauri cap. 3,
Anselm. Anselmus in tractatu de Processione Spiritus Sanctis cap. penultimo prope finem,
August. Augustinus epistola 65 ad Maximum paulo post medium, et 5 de Trinitate cap. 8,
Fulgentius. Boetius. et 13 fusius lib. 7 cap. 2. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1 et 17, Boëtius lib. de Trinitate infra relatus a D. Thoma in argumento *Sed contra* art. 4 hujus quæst. et q. præcedenti art. 3 etiam in argumento *Sed contra*. Et tandem omnes Theologi q. 40 art. 2. dum de constitutivo divinarum personarum egerimus, adducendi.

42. Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma art. 4 hujus quæstionis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam persona divina, ut ex se, et ex statim dicendis magis patebit, significat substantiam per se subsistentem incommunicabiliter, tanquam significatum directum, et formale ejusdem : quamvis prædictum significatum dicat in obliquo divinam naturam, ut id, in quo subsistit ; ergo significatum ejus formale, et directum debet esse aliquid relativum, et ad lineam relativam spectans in sensu in assertione explicato. Patet consequentia. Quia ratio substantiæ incommunicabiliter subsistentis est ratio relativa, et ad lineam relativam directe spectans : siquidem ea, quæ sunt absoluta, et ad lineam absolutam spectantia, sunt communia et non incommunicabilia.

Confirmatur, et explicatur ratione D. Thomæ loco citato. Quoniam significatum formale directum personæ divinæ debet pertinere ad illam lineam, ad quam spectat significatum formale directum cujusvis personæ divinæ in particulari sumptæ, ut ex se constare videtur : sed significatum formale, et directum cujusvis personæ divinæ in particulari debet esse aliquid relativum, et ad lineam relativam pertinens : ergo etiam significatum formale directum personæ divinæ erit eodem modo aliquid relativum. Major, et consequentia satis liquent. Minor vero etiam est nota. Quoniam significatum formale, et directum cujusvis personæ divinæ in particulari dicit id, per quod una persona divina distinguitur ab alia : hoc autem debet esse aliquid relativum, et ad lineam relativam pertinens : quandoquidem personæ divinæ in absolutis non distinguuntur, sed sunt idem. Enucleatur.

Nec obest, si contra rationem factam objicias, quod significatum formale directum potentiæ generativæ in divinis est aliquid absolutum : et nihilominus dicit aliquid substantiale in Patre, quod est incommunicabile Filio et Spiritui Sancto, per quodque Pater ab utroque distinguitur : ergo ex hoc, quod persona dicat aliquid incommunicabile, et in unaquaque persona dicat id, per quod una persona distinguitur ab alia, non bene colligitur, quod significatum formale, et directum personæ divinæ sit aliquid relativum, et ad lineam relativam spectans. 43. Objectio contra factam rationem.

Non itaque hoc obest. Quoniam id ex dictis disput. 1 hujus tractatus n. 67 et 79 manet solutum. Nam in significato formali, et directo potentiæ generativæ non includitur incommunicabilitas, ita ut ipsa incommunicabilitas in recto importetur ; sed tantum affertur in obliquo : sicut etiam distinctio Patris per prædictam potentiam generativam ab aliis personis non adducitur in recto, seu ratione recti potentiæ generativæ ; sed in obliquo et ratione obliqui ejusdem potentiæ. Cæterum esse incommunicabile, esseque incommunicabiliter subsistens affertur in recto a persona divina, sicut et a persona ut sic, ut ex diffinitione ipsius dubio 1 hujus disputationis allata constat : et propterea est Occurritur.

significatum directum ejusdem personæ divinæ : et per consequens significatum directum, et formale illius debet esse aliquid relativum, et ad lineam relativam spectans. Sicut quia incommunicabilitas, et distinctio allata a potentia generativa affertur ab ea in obliquo, idcirco significatum ejus in obliquo debet esse aliquid relativum, et ad lineam relativam spectans.

§ III.

Assertio secunda ex eodem Angelico Doctore accepta.

44. Secunda assertio. Dicendum est secundo, quod illud relativum, quod quidem dicitur esse significatum formale, et directum personæ divinæ, non est aliquid relativum exprimens ordinem ad suum correlativum; sed aliquid relativum dicens expresse substantiam, non per modum essentiæ, sed per modum hypostasis subsistentis in natura divina, seu relationem, ut incommunicabiliter subsistentem. Significatum vero materiale et directum ejusdem est illudmet relativum, ut exprimit ordinem ad correlativum, seu secundum illud munus, quod absolute, et per antonomasiam dicitur relativum.

Probatur testimoniis D. Thomæ. Assertio hæc est expressa D. Thomæ q. 9 de Potentia art. 4, ubi loquens de significato directo personæ divinæ sic inquit : *Sed sciendum quod aliquid significat dupliciter. Uno modo formaliter : et alio materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen, id, ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen, illud, in quo talis ratio salvatur : sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor, et cerebrum, et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. Secundum hoc ergo dicendum est, quod hoc nomen persona communiter sumpta nihil aliud significat, quam substantiam individuam rationalis naturæ. Et quia sub substantia individua rationalis naturæ continetur substantia individua, id est, incommunicabilis, et ab aliis distincta, tam Dei quam hominis, quam etiam Angeli, oportet, quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina; sicut persona humana significat subsistens in natura humana. Et hæc est formalis significatio, tam personæ divinæ quam personæ humanæ. Sed quia distinctum subsistens in natura humana non est, nisi aliquid per individualem materiam individuatum, et ab aliis diversum : ideo oportet, quod hoc sit materiale significatum, cum dicitur persona humana. Distinctum vero incommunicabile in natura divina non potest esse, nisi relatio, etc. Ideo materiali significatione significat relationem, vel relativum. Et propter hoc potest dici, quod significat relationem per modum substantiæ, non quæ est essentia, sed quæ hypostasis.* Et ut S. Doctor innueret, quidnam dicat relatio, vel relativum in divinis, ut est significatum materiale personæ divinæ, addidit, quod *relationem significat, ut significatur hoc nomine, Pater.* Quod quidem exprimit, ut ex se patet, ordinem ad correlativum.

Idem etiam docuit Angelicus Doctor in 1 ad Annibaldum dist. 23 quæst. unica art. 2 his verbis : *Dicendum, quod significatio alicujus nominis potest dupliciter considerari. Uno modo formaliter, scilicet, quantum ad id, ad quod significandum nomen fuit impositum secundum communem nominis rationem, sicut homo significat animal rationale mortale. Alio modo quasi materialiter, quantum ad id cui nomen attribuitur in aliqua re speciali, sicut si dicatur, quod persona in natura divina significat relationem, sicut color in nive significat albedinem. Nomen ergo persona, quia impositum est ad significandum rem subsistentem distinctam ab aliis rebus subsistentibus in eadem natura, formaliter significat substantiam primam, quæ est suppositum, non autem substantiam, quæ est essentia, vel quidditas. Quia vero subsistens distinctum in divinis non potest esse aliquod absolutum, sed solum relativum, ideo quasi materialiter, et attributive in divinis persona significat relativum.* 45.

Et hoc ipsum etiam docuit idem Angelicus Præceptor art. 4 hujus quæstionis ubi loquens de significato directo et formali personæ divinæ, sic inquit : *Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem : et hoc est significare relationem per modum substantiæ quæ est hypostasis subsistens in natura divina.* Et in solutione ad 1 sic ait : *Nomen persona dicitur ad se, non ad alterum* (id est, non dicit expresse ordinem ad correlativum : et ideo dicitur quodammodo ad se, quatenus esse ad se præcise opponitur huic, quod est, non dicere expresse ordinem ad alterum), *quia significat relationem, non per modum relationis,* 46.

tionis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Constat autem, substantiam sumptam pro hypostasi esse idem atque subsistens per se. Cumque ratio hæc subsistendi per se conveniens relationi, seu relativo in divinis non possit salvari, nisi in eodem relativo dicente expresse ordinem ad suum correlativum : inde est, quod licet nomen *persona divina* tanquam formale significatum non significet relativum, ut exprimens prædictum ordinem ; attamen significet illud tanquam directum, et materiale significatum : et quod hoc ipso, quod Angelicus Doctor loquens de significato formali et directo personæ divinæ dicat, esse relationem ut subsistentem, eo ipso virtualiter asserat, quod directum et materiale significatum illius sit id, in quo salvatur, et reperitur ratio subsistendi incommunicabiliter : quod nihil est aliud, quam ipsamet relatio, seu relativum, ut respiciens suum correlativum.

Nazar. Auctor tabulæ aureæ. Silvest. Vasquez. Suarez. Ruiz. Unde sententiam hanc sequuntur Nazarius artic. 4 hujus quæstionis controversia unica notabili 2, Auctor tabulæ aureæ in verbo *Persona* num. 21, Silvester in suo Conflatu quæst. 29 art. 4, Vasquez disput. 127 cap. 2, Suarez lib. 7 de Trinit. cap. ultimo, Ruiz in præsenti disput. 32 sect. 7, et alii plures tam intra quam extra Scholam D. Thomæ.

§ IV.

Eadem assertio quoad utramque ejus partem rationibus fundamentalibus ex D. Thoma depromptis fulcitur.

47. Ratio autem fundamentalis hujus secundæ assertionis quoad primam ejus partem nempe, significatum directum et formale hujus nominis, *persona divina*, non esse aliquid relativum exprimens ordinem ad suum correlativum, sed aliquid relativum dicens expresse substantiam, non per modum essentiæ, sed per modum hypostasis subsistentis in natura divina, seu relationem ut incommunicabiliter subsistentem desumitur ex eodem Angelico Præceptore locis citatis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam significatum formale et directum hujus nominis *persona divina*, quod assertione præcedenti ostendimus esse aliquid relativum, debet dicere illud munus relativum, secundum quod directe continetur sub significato personæ ut sic, quodque directe ei correspondet, et contrahit illud : sed hoc munus relativum directe contentum sub significato personæ ut sic, et illud contrahens dicit expresse substantiam, non per modum essentiæ, sed per modum hypostasis subsistentis in natura divina, seu relationem ut incommunicabiliter subsistentem : ergo hoc erit significatum illius formale et directum. Minor cum consequentia satis patet.

Major autem videtur perspicua. Nam significatum nominis significantis aliquid directe contentum sub alio debet esse id, et secundum illud munus, secundum quod directe continetur sub illo, et secundum quod directe ei correspondet et contrahit ipsum : sicut significatum directum et formale hominis directe contentum sub animali debet esse id, quod continetur sub animali, quodque illi correspondet et contrahit ipsum, nempe, hoc animal rationale, prout ly *animal* non dicit totam naturam animalis, sed illam peculiarem portionem, quæ ad speciem hominis trahitur.

Confirmatur, et explicatur ratione deprompta ex D. Thoma locis relatis. Quoniam persona humana significat directe, et formaliter substantiam subsistentem incommunicabiliter in natura humana : et similiter persona Angelica habet pro significato directo et formali substantiam subsistentem incommunicabiliter in natura Angelica : ergo pari ratione persona divina significabit directe et formaliter substantiam per modum hypostasis, id est, subsistentem incommunicabiliter in natura divina, seu relationem ut subsistentem sic in prædicta natura : siquidem, ut dicebamus, significatum ejus formale et directum debet esse aliquid relativum dicens proportionaliter id, quod persona humana et Angelica dicunt. 4°. Confirmatur primo.

Confirmatur, et explicatur secundo ratione ejusdem Angelici Doctoris locis citatis insinuata. Quoniam relatio constituens personam in divinis est per se subsistens incommunicabiliter : et ideo est ipsa personalitas constituens per simplicitatem personam Dei, et ipsa persona per simplicitatem constituta : ergo hoc nomen *persona divina* significabit directe, et formaliter relationem, ut incommunicabiliter subsistentem : sicut quia Deitas constituens Deum est ipsa Deitas per se subsistens, ideo est ipsa Deitas, et ipse Deus sic per simplicitatem constitutus : et hoc nomen *Deus* significat Deitatem, ut subsistentem sua subsistentia communicabili. Confirmatur secundo.

49. Ratio pro secunda parte assertionis.

Ratio vero ejusdem assertionis quoad secundam ejus partem, nempe, quod significatum directum, materiale tamen, hujus hominis *persona divina* sit relatio, seu (quod in idem quoad præsens redit) relativum, secundum quod dicit ordinem ad suum correlativum, desumitur ex eodem Angelico Doctore locis adductis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam illud est significatum directum et materiale alicujus nominis, quod non significatur expresse per illud, bene tamen implicite, et virtualiter : quatenus id, quod directe et formaliter per illud significatur, non salvatur, aut reperitur extra ipsum. Sed munus illud relativum directe et formaliter significatum per hoc nomen *persona divina*, nempe, esse substantiam per modum hypostasis, seu esse relationem per se incommunicabiliter subsistentem, non salvatur nisi in eadem relatione, ut dicente ordinem ad suum correlativum : ideoque id solum, quod dixerit prædictum ordinem, potest subesse priori illi significato formali, nempe, muneri relativo subsistendi incommunicabiliter in natura divina. Ergo significatum directum, materiale tamen, hujus nominis *persona divina* erit prædicta relatio per se subsistens quoad illud munus, quod implicite dicit, nempe, quoad munus respiciendi suum correlativum, quodque, si explicite significaretur, exprimeret correlativum.

Elucidatur exemplis.

Confirmatur, et explicatur exemplis adductis a D. Thoma locis citatis. Nam licet homo significet directe et formaliter animal rationale, nihilominus, quia prædictum significatum non salvatur extra aliquod habens cor, et cerebrum, et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali, idcirco de materiali significat ista. Et similiter, licet color in nive directe et formaliter non significet albedinem, nihilominus, quia prædictus color in nive non salvatur, nisi in eadem albedine, ideo illa est significatum ejus directum et materiale. Ergo eadem ratione, quia hoc nomen *persona divina* quoad suum significatum directum et formale non salvatur, nisi in relativo sub conceptu expresso relativi, seu respiciendi suum correlativum, propterea ejus significatum directum, sed materiale, erit prædictum relativum secundum hoc expressum munus respiciendi suum correlativum.

§ V.

Posterior assertio ex eodem sanctissimo Præceptore deprompta.

Dicendum est tertio, nomen *persona divina* significare indirecte et in obliquo divinam naturam : sicut etiam significat hoc modo relationem in abstracto sumptam, sive sumatur quoad munus incommunicabiliter subsistendi *ut quo*, sive quoad munus expressum respiciendi etiam *ut quo* suum correlativum. Assertio hæc quoad priorem ejus partem est D. Thomæ art. 4 hujus quæstionis, ubi sic habet : *Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem. Et hoc est significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis, etc. Et secundum hoc verum est, quod hoc nomen persona significat relationem in recto, et essentiam in obliquo.* — 50. Posterior assertio. D.Tho.

Et similiter quoad secundam ejus partem est etiam ejusdem Angelici Præceptoris, ubi postquam dixit, quod sumpta essentia in sensu identico, seu prout est idem quod hypostasis, tunc nomen *persona divina* significat in recto essentiam in prædicto sensu identico acceptam, addidit, quod significat etiam relationem in obliquo : et ita dixit : *Hypostasis autem significatur in divinis, ut relatione distincta. Et similiter relatio per modum relationis significata cadit in ratione personæ in obliquo*, id est, ut significatur in abstracto per modum relationis, et non per modum relativi in concreto. Et propterea in quæst. 9 de Potentia artic. 4, utens etiam hoc modo loquendi, et intendens declarare significatum hujus nominis *persona divina*, magis se explicuit, dicens : *Et propter hoc potest dici, quod significat relationem per modum substantiæ, non quæ est essentia, sed quæ est hypostasis : sicut et relationem significat, non ut relationem, sed ut relativum, id est, ut significatur hoc nomine, Pater ; non ut significatur hoc nomine, Paternitas : sic enim relatio significata includitur oblique in significatione personæ divinæ, quæ nihil aliud est, quam distinctum relatione subsistens in essentia divina.*

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis quoad primam ejus partem desumitur ex eodem D. Thoma artic. 1 hujus quæstionis, et quæst 9 de Potentia art. 2. Quoniam natura rationalis significatur in obliquo ab hoc nomine *persona ut sic*, ut constat ex diffinitione Boetii ab eodem Angelico — 51. Probatur ratione quoad primam partem D.Tho.

Angelico Præceptore approbata : ergo eadem ratione persona divina significabit etiam in obliquo propriam naturam ab ea importatam, scilicet naturam divinam, ut ex paritate rationis constare videtur.

onfirmatur. Confirmatur ratione deprompta ex eodem Angelico Præceptore. Quoniam ad multiplicationem personarum in divinis substantive sumptarum requiritur indispensabiliter multiplicatio sui significati in recto sumpti, sive illud sit formale, sive materiale : ergo cum ad multiplicationem prædictam non requiratur multiplicatio divinæ naturæ in eisdem personis, ut ex fide patet, consequens erit, naturam divinam solum in obliquo a persona divina significari.

52. Ratio pro secunda parte. Ratio vero ejusdem assertionis quoad secundam ejus partem tacta est ab eodem sanctissimo Præceptore in verbis relatis ex illo. Quoniam id, quod se habet per modum formæ constituentis, et ut talis significatur, non vero simul per modum rei constitutæ, debet per nomen significans rem constitutam per talem formam denotari in obliquo : sicut hoc nomen *homo* denotans hominem constitutum per animam rationalem significat eamdem animam in obliquo : ex eo quod ejus significatum est homo prædicta anima constitutus. Ergo cum hoc nomen *persona divina* significet personam divinam constitutam, et relatio sit forma constituens illam, fiet inde, ut sumpta relatione per modum formæ, et in abstracto significata, seu ut est præcise id, quo divina persona constituitur, debeat significari in obliquo.

§ VI.

Objectiones contra dicta, et earum solutio.

53. Nec obest, si ex Scoto in 1 dist. 23 quæst. unica, necnon ex Torres art. 4 hujus quæstionis in solutione tertii argumenti, Molina in præsenti q. art. 1 disp. 2 asserentibus, significatum hujus nominis *persona divina* esse aliquid negativum, nempe, negationem communicabilitatis, objicias contra ea, quæ diximus. Quod sicut significatum formale et directum hujus nominis *persona divina* non potest esse ipsa essentia et natura divina, sive aliquid absolutum, ut habetur ex dictis : ita nec potest esse aliquid relativum : alioqui, sicut quia Pater dicitur Filii Pater, ex eo quod ejus significatum est aliquid relativum, eadem ratione persona Patris divini posset dici persona Filii : quod tamen, ut ex se constat, concedi nequit. Ergo cum prædictum significatum non sit aliquid rationis, sed aliquid revera inventum a parte rei, debebit esse quidpiam negativum, scilicet prædicta carentia. Patet consequentia. Quoniam rationes relativi, et absoluti adæquate dividunt totam latitudinem entis positivi reperti in Deo : et ita hoc ipso, quod significatum formale et directum personæ divinæ (quod, ut diximus, importat incommunicabilitatem) non sit aliquid absolutum, vel relativum, non erit aliquid positivum, sed ad summum quidpiam negativum, scilicet, carentia communicabilitatis.

Respondetur ex dictis, quod etsi hoc nomen *persona divina* significet directe et formaliter quid relativum ; non tamen sub expresso munere respiciendi suum correlativum, sed sub munere explicito hypostasis, seu subsistentis incommunicabiliter. Et ideo non est necesse, personam divinam Patris, ut hoc nomine significatur, dici personam Filii : quia hoc est proprium relativi, ut significati per modum relativi, seu ut significati per modum respicientis explicite suum correlativum ; non vero, ut ex parte modi significandi significatur per modum substantiæ. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 23 q. unica art. 2 ad 4 his verbis : *Dicendum, quod quamvis persona significet relationem ; non tamen per modum relationis* (id est, per modum expresse respicientis suum correlativum). *Et ideo non refertur secundum nomen ad aliud.* Evanescit. D.Thom.

54. Secunda objectio. August. Nec etiam obest, si secundo objicias contra ea, quæ in 1 et 2 assertione diximus, quod Augustinus lib. 7 de Trinitate cap. 6 sic inquit : *Neque in hac Trinitate, cum dicimus personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris, etc. Ad se quippe dicitur persona Patris, non ad Filium vel Spiritum Sanctum.*

Solutio. D.Thom. Respondetur enim ex D. Thoma art. 4 hujus quæst. in solutione ad 1 et in 1 dist. 23 q. unica art. 3 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod Augustinus attendit significationem personæ quantum ad modum significandi, et non quantum ad id, quod significatur. Et ideo quamvis significetur relatio : quia tamen significatur per modum substantiæ, ideo dixit, quod significat substantiam.*

Quod etiam repetit in eodem loco ad Annibaldum art. 2 ad 1 dicens : *Ad primum de Augustino dicendum, quod ly aliud in-*

tendit significationem personæ quantum ad modum significandi; sed non quantum ad id, quod significatur. Et ideo quamvis significet relationem: quia tamen significat per modum substantiæ, ideo dicit, quod nihil aliud significat, quam substantiam Patris.

55. Illustratur amplius. Potestque hæc solutio explicari ex eo, quod cum absolutum, et hoc, quod est, esse ad se, opponatur relativo, et huic, quod est, esse ad aliud, fit inde, ut sicut aliquid potest esse relativum exprimendo, non munus respiciendi, sed incommunicabiliter subsistendi: ita dicitur quodammodo ad se, et quodammodo absolutum per exclusionem peculiaris muneris relationis, quod est explicite respicere suum correlativum; non vero per exclusionem muneris relationis ad suam lineam spectantis, et ex parte rei significatæ implicite dicentis prædictum ordinem ad terminum, penes quem quasi specificatur.

D.Thom. Et propterea D. Thomas de Potentia quæst. 9 art. 4 in solutione ad 3, postquam contra se adduxit hoc testimonium Augustini, sic respondet: *Dicendum, quod hoc provenit ex formali significatione personæ, quod ad se dicitur, et ad aliud non refertur:* id est, quod ad se dicitur, prout ly *ad se* præcise excludit significare expresse munus referendi. Et similiter in solutione ad 10 in quo sibi objecit, quod hoc nomen *persona* significat substantiam primam, qua nihil est magis absolutum, cum sit per se existens, sic inquit: *Dicendum, quod substantia prima dicitur absoluta, quasi ab alio non dependens. Relativum autem in divinis non excludit absolutum, quod est ab alio non dependens, sed excludit absolutum, quod ad aliud non refertur:* id est, non excludit absolutum, prout esse absolutum dicit esse incommunicabiliter subsistens, non exprimens ordinem ad correlativum, quodque hac præcisa ratione dicitur absolutum; excludit tamen a constitutivo proprio ipsius absolutum, quod neque expresse, neque implicite est relativum, seu dicit ordinem ad correlativum, penes quem quasi specificatur.

56. Tertia objectio. Nec deinde obstat, si contra id, quod diximus in ultima assertione, scilicet, naturam divinam importari in obliquo a persona divina, objicias tertio, quod natura divina prædicatur in recto de persona: ut si dicamus: *Persona divina est Deitas, sive Deus:* ergo prædicta natura affertur ab eadem persona in recto.

Confirmatio. Confirmabis. Nam animal rationale importatur in recto, et formaliter ab homine: quia de eo in recto, et formaliter prædicatur: ergo eadem ratione importabitur Deitas a persona divina in recto, si semel sic de illa prædicatur.

Diluitur objectio. Non itaque hoc obest. Quoniam Deitas in abstracto sumpta solum identice prædicatur de persona divina in recto, non autem in sensu formalissimo: at sumpta in concreto non prædicatur in recto de persona divina, quia in recto importetur tanquam significatum directum et formale illius; sed quia quidquid est in persona divina, sive in recto, sive in obliquo pertineat ad ejus significatum, sive non pertineat ad illud, potest in recto prædicari in concreto de illa: sicut de persona humana potest eodem modo prædicari omne illud, cui prædicta persona subest; licet ad ejus significatum non pertineat; aut licet in obliquo tantum sit significatum illius: ex eo quod ad talem prædicationem non est necesse, ut attendatur ad prædictum significatum; sed sufficit, quod res illa sumatur in concreto, et sit in eadem persona. Et propterea de ea prædicatur, quod sit alba, aut nigra, etc. quamvis hæc accidentia ad significatum personæ humanæ non spectent.

Solvitur confirmatio. Ex quo ad confirmationem patet. Quoniam esse animal rationale prædicatur in recto de homine; non utcumque, sed ut significatum directum et formale illius; et non solum, quia utcumque hæ duæ rationes in eo inveniuntur.

57. Posterior objectio. Nec tandem obstat, si contra id, quod in eadem assertione diximus, scilicet, relationem in abstracto significari in obliquo a persona divina, objicias, quod Deitas importatur in recto ab hoc nomine *Deus*, tanquam significatum formale et directum ejusdem: ex eo quod Deitas est per se subsistens: et propterea hæc prædicatio est formalissima, *Deitas est Deus*, sicuti et hæc, *Deus est Deitas*. Ergo cum relatio personalis sit etiam per se subsistens, consequens erit, ut importetur in recto a persona divina, si semel ipsa in concreto sic importatur ab eadem persona.

Occurritur. Respondetur enim, quod si Deitas consideretur, ut ex parte nostri modi concipiendi, et significandi distinguitur a Deo, tunc non importatur in recto, sed in obliquo ab hoc nomine *Deus:* si autem sumatur, ut ex parte rei conceptæ est idem cum Deo absque virtuali distinctione, et constituit constitutione per simplicitatem Deum, ita

ita ut taliter constituat, quod ipsamet absque distinctione virtuali sit ipse Deus constitutus, tunc importatur in recto, tuncque est idem omnino ac ipse Deus : et idem cum proportione de relatione personali et persona divina dicimus. Et juxta hæc sunt intelligenda ea, quæ de illis in assertione ultima diximus.

DUBIUM IV.

Utrum personæ divinæ afferant suas proprias substantias relativas?

58. plicatur ulus. Ea, quæ in præcedenti dubio diximus, non parum illustrabuntur ex iis, quæ in isto dicemus : et propterea illud statim post præcedens excitamus. Consulto autem in eo non de qualicumque subsistentia, sed de subsistentia relativa inquirimus. Quoniam quid dicendum sit de subsistentia absoluta : an nimirum prædictæ personæ præter suas subsistentias relativas afferant subsistentiam aliquam absolutam, non cuivis propriam, sed omnibus illis communem? In sequenti dubio discutietur.

Nomine autem subsistentiæ relativæ idem intelligimus, ac subsistentiam incommunicabilem alteri ut supposito : ita ut hoc habeat ex sua propria et formalissima ratione. Nam prædicta subsistentia, hoc ipso quod sic sit incommunicabilis, non potest esse aliquid absolutum, sed necessario debet esse quid relativum. Maxime, quia quævis incommunicabilitas non dicens imperfectionem, quæ sola potest reperiri in divinis, non debet oriri ex limitatione, sed ex oppositione : et per consequens ex oppositione relativa, ut infra quæst. 36 art. 2 latius dicemus. Quamvis cum hoc stet, ut dubio præcedenti dicebamus, quod licet prædictæ subsistentiæ sint relativæ, nihilominus conceptæ per conceptus nostros imperfectos et confusos non explicent distincte et expresse omne munus relativum, quod afferunt : ex eo quod sic conceptæ dicunt implicite tantummodo munus respicienti expresse suum correlativum. Et propterea sub munere et conceptu expresso, confuso tamen et imperfecto subsistentiæ relativæ præcise exprimunt munus subsistendi incommunicabiliter.

Unde alius verius dubium hoc posset excitari : an nimirum dentur in divinis tres subsistentiæ incommunicabiles? vel an significatum formale, et directum personæ divinæ sit aliquid relativum subsistens per propriam subsistentiam relativam, seu ex vi suæ lineæ incommunicabilem? Ex quo etiam magis cernitur, quam congruenter dubium hoc post præcedens excitatur : quandoquidem, semel explicato in præcedenti, quomodo significatum formale et directum personæ divinæ est aliquid relativum, ut subsistens, statim pulsat animum inquirere, an sit prædictum relativum, ut subsistens, per subsistentiam propriam relativam, sive ex vi suæ lineæ incommunicabilem?

§ I

Ex mente Conciliorum et Patrum, maxime vero D. Thomæ, dubium resolvitur.

Dicendum ergo est, personas divinas afferre suas proprias subsistentias relativas : ac proinde dari in divinis tres subsistentias relativas, et incommunicabiles. Assertioni huic valde videtur favere Concilium v generale Constantinopolitanum Collatione 8 Anathematismo 1, ubi damnantur, qui non confitentur unam Deitatem cum tribus subsistentiis. Et in sexta Synodo generali Actione 11 additur, quod *sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis*. 59. Conclusio et probatio ex Conciliis. Conc. Gen. v. Conc. Gen. vi.

Deinde in Concilio Nicæno generali I lib. 2 § *In lib. Job*, sic dicitur : *Una est divinitas sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentiis perfectis et æqualibus consideratur*. Et in Concilio Nicæno II in exemplari litterarum Theodori Patriarchæ Hierosolymitani, quas probat Synodus prope initium : *Trinitatem* (inquit) *in tribus subsistentiis*. Et post pauca : *Divisa est enim numerariis subsistentiis, et numerata personalibus alteritatibus*. Et deinde confitetur, Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis. Idem etiam habetur in Lateranensi Concilio particulari secundo approbato a Martino Papa I, ubi Consultatione 5, Canone 1 sic dicitur : *Si quis non confitetur secundum sanctos Patres proprie et vere Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, anathema sit.* Conc. Nic. I et II. Conc. Lat. II.

Nec obest triplex solutio, quæ ex adversariis potest adhiberi. Prima est, quod Concilia nomine *subsistentiæ* accipiunt concretum subsistentiæ, ita ut sensus sit, dari tres subsistentes, id est, tres habentes sub- 60. Triplex solutio ad prædicta testimonia.

sistentiam. Secunda est, quod eadem subsistentia absoluta dicitur triplex, non in se, sed ut modificata tribus relationibus. Tertia est, quod nomine subsistentiæ accipitur proprietas personalis, ita ut sensus sit, dari tres proprietates personales.

Impugnantur duæ priores evasiones. Non itaque solutiones istæ obstant. Non quidem duæ priores, propter illa, quæ in hoc dubio num. 69 dicemus. Quibus etiam accedit, pro majori eversione secundæ solutionis, quod eadem ratione posset dici, dari in divinis triplicem sapientiam, misericordiam, et justitiam, necnon et triplicem naturam : siquidem omnia hæc modificantur tribus relationibus personalibus inter se diversis.

Corruit tertia. Tertia autem solutio etiam corruit. Quoniam vel Concilium sumit nomen *subsistentiæ* proprie? vel abusive, et improprie? Si primum, habetur intentum, nimirum, tres proprietates personales esse tres subsistentias. Secundum autem dici nequit. Tum, quia hoc esset contra gravem, et debitum modum loquendi Concilii præcipue in materia de sanctissima Trinitate, ubi semper loquendi modus maxime observatur a Conciliis et SS. Patribus. Tum etiam, quia alioqui nihil haberemus firmum in sacris Conciliis, si verba eorum possent pro libito ad sensum improprium, vel abusivum detorqueri. Tum denique, et maxime (per quod duæ præcedentes impugnationes magis elucidantur) quia nullum sequitur absurdum ex eo, quod verba Conciliorum in sensu proprio intelligantur, ut ex solutionibus argumentorum oppositæ sententiæ patebit : et ita multo melius in sensu proprio intelliguntur.

61. Conc. Flor. Deinde hæc eadem assertio videtur satis insinuari ab Eugenio IV in Concilio Florentino in litteris unionis post medium, quæ habentur Sessione ultima de Spiritu Sancto, ubi decernitur : *Essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre, simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedit : declarantes, quod id, quod sancti Doctores, et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut et Patrem.* Constat autem, quod si prædicta subsistentia Spiritus Sancti non esset quid relativum, non possent Pater et Filius esse principium illius : sicut quia essentia illius est quid absolutum, idcirco non dicuntur esse ejus principium.

Probatur ex SS. Patribus. Ambros. Eamdem etiam sententiam tuentur Ambrosius in Symbolo Apostolorum cap. 2 his verbis : *Catholicum est, ut et unum Deum secundum unitatem substantiæ fateamur, et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus* ; Anastasius Theopolitanus Patriarcha in expositione fidei, quæ habetur tom. 4 Bibliothecæ, ubi in divinis fatetur triplicem subsistentiam coessentialis Trinitatis ; Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinitate lib. 3 circa finem his verbis : *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, ut unam quidem videamus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentiis propriis, etc.* et lib. 7 prope initium inquit : *Deitatis naturam, ut in tribus subsistentiis, explanari a sacra Scriptura;* Nazianzenus Oratione 25 ad Arrianos; Chrysostomus ad Hebræos 1 homilia 2, ubi loquens de Verbo divino sic inquit : *Character quippe alter est ab ipso suo exemplari, alter autem non in omnibus, sed secundum quod per se ipsum subsistit.* Si autem prædictus character non afferret propriam subsistentiam relativam, non diceretur alter a suo exemplari in illo sensu reduplicativo significato per illam particulam *secundum quod per se ipsum subsistit.*

62. Athanas. Athanasius tom. 3 in quæstionibus, quarum prima est, *quid est Deus?* quæst. 7 his verbis : *Tres personas confiteor, tres subsistentias, tria propria.* Et sermone in Evangelium de sanctissima Deipara, postquam tres personas confessus fuerat, addit : *Unum Deum in tribus subsistentiis prædicantes, in quibus una sit substantia.* Gregorius Nyssenus Oratione catechetica cap. 3 sub initio docet, in Trinitate idem esse *distinctum*, ac *discretum*, *consistentia* (seu subsistentia) et *hypostasis*. Alexander Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum (quæ exstat in Concilio Alexandrino I sub Silvestro Papa) de Joanne Evangelista sic ait : *Propriam Filii subsistentiam declaravit his verbis : In principio erat Verbum, etc.* Damascenus lib. 1 Fidei c. 6 : *Filius* (asserit) *qua subsistit, secundum se ipsum discernitur ab eo, a quo subsistentiam habet;* et cap. 9 in fine : *Filius propriam habet subsistentiam, præter eam, quæ Patris est.*

Theodoretus ad Hebræos 1 explicans illud, *Et figura substantiæ ejus*, sic inquit : *Propriam ejus significans hypostasim, seu personam aut subsistentiam.* Justinus in expositione

expositione fidei de sancta Trinitate in medio, tanquam finem totius operis proponit, *Se maluisse unius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis notitiam exponere;* et quæst. 17 ad Orthodoxos in fine : *Unus est* (inquit) *Deus, uno et individuo substantiæ, sed tres personæ divisione consistentiarum :* et propterea dari in divinis tres subsistentias distinctas; et quæst. 18 et 129 ad
Richard. Orthodoxos ; Richardus de Sancto Victore 4 de Trinitate cap. 4 et toto c. 20.

63. Angel. Doctor. Idem etiam habetur apud Angelicum Doctorem infra quæst. 40 artic. 3, ubi sic inquit : *Non enim proprietates personales sic intelliguntur advenire hypostasibus divinis, sicut forma subjecto præexistenti; sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes : sicut Paternitas est ipse Pater.* Si autem proprietates personales non afferrent secum suum proprium *esse* subsistentiæ, tunc intelligerentur advenire sicut formæ suo subjecto, et non afferrent secum, id est ex vi sua, sua supposita : siquidem secundum id, quod ex vi sua habent, consideratis deesset illis id, quod requiritur ad rationem suppositi, scilicet *esse* subsistentiæ. Et in solutione ad 2 ejusdem articuli his verbis . *Dicendum, quod Paternitate Pater non solum est Pater; sed est persona, et est quis, sive hypostasis.* Si autem Paternitas non afferret propriam subsistentiam, non esset per illam formaliter Pater, quis, sive hypostasis : quia quod Pater reddatur quis, seu habens Paternitatem, et naturam divinam, debet provenire a subsistentia, seu a modo essendi per se.

Et quæst. 9 de Potentia artic. 2 ad 8, ubi sic concludit : *Sed quia nomen substantiæ refertur etiam apud Latinos ad significationem essentiæ, ideo ad vitandum errorem non dicimus tres substantias, sicut tres subsistentias.* Constat autem, quod si quævis persona divina non afferret suam propriam subsistentiam relativam juxta mentem Angelici Doctoris, non possent ab eo tres subsistentiæ admitti. Et artic. 4 in fine corporis, ubi concludit, quod significatum personæ divinæ *nihil aliud est, quam distinctum relatione subsistens in essentia divina.* Ubi aperte significat, quod personæ subsistunt relationibus : ac subinde esse tres subsistentias relativas.

64 Et 4 contra Gentes cap. 14 : *Sunt igitur plures res subsistentes, si relationes considerentur : est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus, unum Deum esse, quia est una essentia subsistens : et plures personas, propter distinctionem subsistentium relationum.* Si autem relationes non afferrent proprias subsistentias, non diceremus in divinis plures res subsistentes propter illas, et ratione illarum : nec ad distinguendas personas faceret Angelicus Doctor mentionem subsistentiæ, quam habent, dicens, *Propter distinctionem subsistentium relationum,* sed solum distinctionis earumdem relationum. Sicut licet relationes identificentur cum divina essentia, et hæc debeat necessario importari in obliquo ab illis; nihilominus, quia hæc non est relativa, nec affertur a relationibus ex vi suæ lineæ, nec in illa personæ distinguuntur : idcirco ad explicandam distinctionem personarum, et unde hæc proveniat, non facit mentionem divinæ essentiæ.

Et tandem hoc ipsum fatetur idem Angelicus Doctor, tum infra quæst. 39 art. 3 ad 4, ubi sic ait : *Dicendum, quod forma significata per hoc nomen persona non est essentia, vel natura, sed personalitas. Unde cum sint tres personalitates, id est, tres personales proprietates in Patre et Filio et Spiritu Sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.* Constat autem, quod personalitas, juxta mentem D. Thomæ, idem est ac subsistentia incommunicabilis naturæ intellectualis : et propterea idem S. Doctor in hac quæst. 29 art. 2 inquit, idem significare hæc tria nomina, nempe, *res naturæ, subsistentia et hypostasis,* et quod hac ratione id, quod hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen *persona* significat in genere rationalium substantiarum : ideoque in solutione ad 2 ejusdem articuli admittit in divinis pluraliter tres personas, et tres subsistentias, sicut in articulo citato quæstionis 29 tres personalitates fatetur.

Tum etiam art. 4 hujus quæstionis, ubi (ut ex dictis præcedenti dubio patet) docet, significatum formale, et directum personæ divinæ esse relationem, ut subsistentem incommunicabiliter. Certum est autem, quod significatum directum, et formale divinæ personæ debet esse aliquid relativum, et multiplicabile in divinis : siquidem natura divina, et ea, quæ ad ipsam spectant, qualis est subsistentia absoluta, solum in obliquo importantur a persona divina.

Unde hanc sententiam sequuntur Caje- 65. Cajetan. Ledesma.
tanus infra quæst. 40 art. 4 et 3 part. quæstione 2 art. 2 et quæst. 3 artic. 2, Le-

desma de Perfectione Dei quæst. 3 art. 1 conclusione 3, Jabellus 1 part. q. 3 art. 3 et q. 9 artic. 4, Medina 3 part. quæst. 3 artic. 2, Bannez in hac quæst. artic. 2 et quæst. 40 artic. 4, Zumel in præsenti quæst. art. 2 dubio unico, et quæst. 30 in sua quæst. unica, Nazarius infra quæst 39 artic. 4 controversia 1, Cabrera 3 part. quæst. 2 art. 2 disput. 4 num. 14, Miranda in summa Conciliorum in annotationibus ad 6 Synodum Act. 11, Suarez lib. 4 de Trinitate cap. 11 et cap. 14 et 3 part. tomo 1 disp. 11 sect. 3, 4 et 5, Arrubal 1 part. disput. 110, Granado tomo 3 in 1 partem tractatu 4 disput. 4 sect. 2, Bellarminus tomo 1 controversia 2 lib. 2 de Christo cap. 15, Fonseca 5 Metaphysicæ cap. 8 quæst. 5 sect. 5 et sequentibus, Ruiz de Montoya in suo tomo de Trinitate disput. 34 sect. 2, 3 et 4. Pro qua etiam sententia referri possunt, et debent omnes illi Doctores, qui negant in divinis subsistentiam aliquam absolutam; et tamen concedunt tres relativas, quos dubio sequenti adducemus.

Jabellus. Medina. Bannez. Zumel. Nazar. Cabrera. Miranda. Suarez. Arrubal. Granado. Bellarm. Fonseca. Ruiz de Montoya.

§ II.

Ratio fundamentalis pro assertione.

66. Prior assertionis ratio.

Ratio autem prior et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex testimoniis tam Conciliorum quam Patrum a nobis adductis, quæ potest sub hac forma proponi: Quoniam de unitate, vel pluralitate divinarum subsistentiarum ita debemus sentire, sicut ex Conciliis, et Patribus habemus : at ex Conciliis et Patribus habemus, non unicam, sed plures, nempe, tres subsistentias relativas esse in divinis : ac proinde unamquamque ex personis divinis habere suam propriam subsistentiam relativam : ergo ita, et non aliter de prædictis subsistentiis sentiendum est.

Effugium.

Occurrunt adversarii huic rationi asserentes, quod Concilia utuntur nomine abstracto pro concreto. Et ita dum dicunt, Deitatem subsistere in tribus subsistentiis, et alia his similia, solum volunt, subsistere in tribus subsistentibus, sive personis. Ad hoc autem non est necessarium, ut dentur in divinis plures subsistentiæ relativæ; sed satis est unica et eadem subsistentia cum tribus relationibus.

67. Refellitur primo.

Cæterum hæc solutio non satisfacit. Nam licet verum sit, Concilia aliquando uti nomine abstracto pro concreto : nihilominus ex modo loquendi, et ex aliis adjunctis circumstantiis colligitur, quod juxta mentem Conciliorum est longe probabilius, dari in divinis tres subsistentias relativas. Nam in primis loquuntur de prædictis subsistentiis tanquam de formis, aut quasi formis, seu terminis, quibus divina natura personaliter quasi dividitur, et numeratur, ut patet ex illis verbis relatis ex Concilio Nicæno II : *Divisa est enim numerariis subsistentiis, et numerata personalibus alteritatibus :* necnon ex verbis relatis ex Synodo Constantinopolitana Act. 11 nempe, quod *sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis.* Nam in his verbis loquitur Concilium de eo, quo numeramus Trinitatem : ac subinde accipit subsistentiam, non in concreto, sed pro ipsa ratione subsistendi, qua numeratur Trinitas. Quod ut magis explicaret, consulto addidit Concilium, quod Trinitas est *numerabilis,* non qualitercumque, sed *personalibus subsistentiis.* Nam si in verbis istis non sumeret subsistentiam pro ipsa ratione subsistendi, sed in concreto pro persona, redderet sensum incongruum, nimirum, quod Trinitas tribus personis personalibus est numerabilis. Quod etiam amplius constare poterit intuenti, et perpendenti singula testimonia Conciliorum, et Patrum a nobis adducta.

Conc. Nicæn. Synod. Constantinop.

Impugnatur amplius

Deinde. Nam hoc ipso, quod Concilia et Patres sumentes subsistentiam (de qua loquimur) in concreto asserant, subsistentiam sic sumptam plurificari in divinis, satis denotant, non solum illam in concreto plurificari, sed etiam in abstracto, seu ipsam rationem subsistendi debere plurificari. Nam, juxta doctrinam D. Thomæ infra quæst. 39 art. 3 quam communiter Theologi admittunt, ad multiplicationem concreti substantivi requiritur, non solum pluralitas suppositi, seu habentis formam importatam per tale concretum, sed etiam pluralitas prædictæ formæ : et proptêrea non possunt in divinis admitti plures Dii, quia hoc nomen *Deus* est concretum substantivum, et forma importata per illud, nempe *Deitas,* non plurificatur. Sed subsistentia in concreto, seu subsistens (de quo loquimur) scilicet subsistens personale, est nomen substantivum : ideoque significat per modum substantiæ : ergo hoc ipso, quod Concilia et Patres dicant, prædictum concretum plurificari, satis denotant, formam importatam per prædictum concretum, nempe subsistentiam, plurificari.

D. Thom.

Confirmatur

58. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam Concilia et Patres ita concedunt plurificari subsistentiam in concreto, ut negent plurificari eodem modo Deitatem, et cætera alia attributa, ut constat ex verbis relatis a nobis in pluribus ex testimoniis adductis : at certum est, Deitatem, et alia attributa, si sumantur in concreto, et adjective significentur, posse multiplicari in divinis ratione suppositorum habentium Deitatem : et propterea admittimus tres habentes eamdem Deitatem : ergo cum prædicta Concilia et Patres concedunt, subsistentiam in concreto plurificari, non vero Deitatem, loquuntur de eadem subsistentia in concreto, et substantive : ut ita assignetur debita differentia inter Deitatem et subsistentiam.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ad hoc, ut aliquod concretum multiplicetur adhuc adjective, oportet, multiplicari rationem habendi formam ab eodem importatam. Et propterea concretum hoc, *habens Deitatem*, potest adjective multiplicari, quia etsi Deitas sit una et eadem : nihilominus rationes habendi illam sunt plures. Sed hoc ipso, quod in divinis tantum detur unica subsistentia, non possunt plurificari rationes habendi formam importatam per hoc concretum *subsistens*, seu *persona divina* : siquidem ratio habendi quamvis formam, aut quasi formam divinam est ipsa subsistentia : ex eo quod id, quod dat esse per se, seu subsistere, dat etiam hoc, quod est, quasi sustinere, et habere in se formas, aut quasi formas in eo inventas. Ergo si in divinis non multiplicantur rationes subsistendi, non poterit realiter multiplicari hoc concretum *subsistens*, de quo loquimur, aut *persona*, aut tandem aliquod aliud concretum.

60. Alia solutio. Ex quibus omnibus constat, insufficientem esse aliam solutionem, sive majorem explicationem præcedentis solutionis, quam adversarii adducunt, nempe, quod nomine *subsistentiæ* intelligitur in Conciliis et Patribus subsistentia in concreto, non qualitercumque, sed prout est idem ac persona. Cæterum hoc est discrimen inter personam creatam et divinam. Quod persona creata addit supra naturam, subsistentiam, et incommunicabilitatem : ita ut ab eadem ratione formali proveniat utrumque : ex eo quod subsistentia creata propter sui limitationem est incommunicabilis alteri ut supposito, aut personæ. At persona divina solum addit supra ea, quæ pertinent ad lineam divinæ naturæ, incommunicabilitatem : quia hoc, quod est subsistere provenit in omnibus personis divinis ab ipsa subsistentia divinæ naturæ. Et ita ex duobus illis, quæ requiruntur ad personam, nimirum, subsistentia, et incommunicabilitas, primum provenit formaliter et proxime ab unica et eadem subsistentia divinæ naturæ; secundum vero a relationibus. Unde ad multiplicationem substantivam hujus concreti *persona divina*, seu *subsistentis divini*, ut est idem ac persona divina (de quo in præsenti loquimur) satis est multiplicatio prædictarum incommunicabilitatum, quæ se habent per modum formæ in prædicto concreto, necnon multiplicatio relationum quoad munus expressum respiciendi terminum, quod se habet per modum significati materialis, absque eo quod multiplicetur subsistentia.

Ex dictis igitur constat, solutionem hanc esse insufficientem. Siquidem ex vi modi loquendi Conciliorum, et Patrum, et ex impugnationibus factis satis liquet, subsistentiam habere se per modum formæ, qua numerantur, et constituuntur personæ divinæ : ac proinde subsistentiam ab eis importatam per modum formæ constitutivæ non posse esse subsistentiam absolutam, sed aliam relativam, ad cujus lineam absque distinctione virtuali pertineat hoc, quod est, subsistere incommunicabiliter. Præcluditur.

Deinde hoc ipsum, nempe, propriam formam proxime et immediate constituentem personam divinam esse subsistentiam incommunicabilem, ac proinde totum hoc debere plurificari ad plurificationem substantivam personæ divinæ, seu subsistentis, de quo in præsenti loquimur, potest sic ostendi. Quoniam significatum directum et formale personæ divinæ est subsistens divinum incommunicabiliter, ut ex dictis dubio præcedenti constat : sicut etiam significatum directum, et formale personæ ut sic est subsistens incommunicabile, seu (quod in idem quoad præsens redit) individua subsistentia in concreto sumpta. Et propterea Boëtius lib. de duabus naturis, paulo propius ad medium, quam ad principium, inquit : *Peritior Græcia sermonum hypostasim vocat individuam subsistentiam.* Et longe inferius, multo propius ad medium, quam ad principium, diffinit personam per hoc, quod sit, *Rationalis naturæ individua subsistentia*; quamvis paulo superius diffinierit illam per hoc, quod sit, *Rationalis naturæ individua substantia.* Boëtius. 70

Ergo forma, aut quasi forma constituens proxime personam divinam, seu concretum hoc *subsistens divinum*, prout est idem ac persona, erit subsistentia incommunicabilis : ac proinde, nisi prædicta subsistentia incommunicabilis multiplicetur, nequibit prædictum concretum substantive multiplicari.

71. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam persona divina, v. g. persona Patris, ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod addit supra essentiam, est principium *quod* actionis notionalis, v. g. generandi : ita ut, licet ratio agendi proveniat illi ab essentia; attamen esse id quod generat per modum principii *quod*, provenit illi proxime ex capite jam dicto. Sed in ratione principii *quod* constituitur per propriam personalitatem tanquam per formam, aut quasi formam : ergo prædicta personalitas ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod addit supra essentiam, dicit substentiam incommunicabilem, tanquam formam proxime constituentem personam Major videtur certa. Quia secundum id, quod dicit ex vi suæ lineæ, et addit supra essentiam, est habens vim ad generandum, et omnia requisita ad generationem activam : hoc autem idem est, ac esse ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod addit supra essentiam, principium *quod* prædictæ actionis notionalis. Minor autem satis liquet. Consequentia vero etiam constat. Quia id solum ex vi suæ lineæ, et secundum ea quæ addit supra essentiam, potest constituere principium *quod* actionis notionalis omnino incommunicabilis, quod ex vi ejusdem lineæ dicit propriam et incommunicabilem subsistentiam : siquidem esse principium *quod* solum convenit rebus subsistentibus, quia subsistentes sunt : et esse principium *quod* incommunicabile in ratione principii notionalis dicit etiam subsistens incommunicabile, quatenus tale.

72. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam incommunicabilitas, quæ convenit personalitati divinæ, quatenus dicit negationem communicabilitatis, debet fundari in aliquo positivo, ut ex se constat : hoc autem positivum nihil aliud potest esse, nisi subsistentia, quæ sit talis conditionis, ut petat prædictam negationem : siquidem ea præcisa ratione non potest aliquid communicari alteri, ut supposito per se subsistenti, nisi quia id, quod dicit prædictam carentiam communicabilitatis, habet propriam subsistentiam, et propterea nequit esse in alio, sed solum potest esse in se et per se. Unde relatio spirationis activæ reperta in divinis non fundat hanc negationem, ac proinde neque est proprietas personalis; sed est quid communicabile Patri et Filio : quia licet dicat *esse* relativum, non tamen dicit esse relativum afferens propriam subsistentiam relativam : et ita in ea non, videtur assignabile aliquid aliud, unde oriatur, quod non sit proprietas personalis, seu quod sit communicabilis Patri et Filio ut supposit s, nisi ex prædicto capite.

Confirmatur tertio. Confirmatur tandem. Quoniam hoc ipso, quod negatio communicabilitatis debeat fundari in aliquo positivo, quod sit constitutivum personæ, oportet, prædictum positivum non se habere præcise per modum formæ adjacentis rei subsistenti, sed afferentis suam propriam subsistentiam. Tum, quia alioqui prædicta ratio positiva non esset constitutiva personæ, nec esset per simplicitatem ipsa persona constituta : quod requiritur ad infinitatem divinæ personæ : siquidem contra rationem personæ est, quod secundum suam formalissimam rationem considerata habeat se per modum alteri adjacentis.

Tum etiam. Quia alioqui res illa, quæ præsupponeretur subsistens, haberet ex se, et intra suam lineam præcise sumptam rationem formalem suppositi, sive personæ. Quoniam præsupponeretur subsistens : et nihil ei obesset ad rationem suppositi, vel personæ, quod communicaretur alteri tanquam formæ, sive rationi sibi adjacenti, non tamen tanquam ex vi sua per se subsistenti : ex eo quod communicabilitas alteri tanquam formæ adjacenti non tollit, quod id, cui communicatur, habeat rationem suppositi et personæ.

§ III.

Opposita sententia una cum suis fundamentis et eorum solutionibus.

Oppositam tamen sententiam, nempe, quamvis ex personis divinis non afferre suam propriam subsistentiam relativam, sed solum subsistere per subsistentiam absolutam, tuentur Capreolus in 1 dist. 26 quæst. 1 art. 1 conclusione 3 et art. 3, Scotus in 3 dist. 1 q. 2 et in 1 dist. 4 quæst. 2 necnon dist. 26, Durandus in 3 dist. 1 q. 2 et in 1 distin. 26 quæst. 1, Albertus 1 part. Summæ quæst. 43 membro 1, Argentina, Marsilius, et alii, quos refert Ruiz de Montoya 73. Opposita sententia. Capreol. Scotus. Durand. Albertus. Argentina. Marsilius. Ruiz de Montoya.

Montoya in præsenti disput. 34 sect. 1 num. 5

Probatur primo testimonio D. Thomæ de Potentia quæst. 8 art. 3 ad 7, ubi sic inquit : *Relationes autem in divinis, etsi constituant hypostases, et sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina. Relatio enim, in quantum est relatio, non habet, quod subsistat, vel subsistere faciat : hoc enim solius substantiæ est. Distinguunt vero relationes, in quantum relationes sunt : sic enim oppositionem habent.*

Confirmatur ex his, quæ ibidem addit D. Thomas, tum in solutione ad 8 his verbis : *Relatio in divinis non solum est relatio, sed est secundum rem ipsa divina substantia. Et ideo potest constituere aliquid subsistens, et non solum aliquid relativum.* Tum etiam in solutione ad 9 ubi sic habet : *Relatio distinguit in quantum est relatio; constituit autem hypostasim in quantum est divina essentia, et utrumque facit, in quantum est divina essentia et relatio.*

Respondetur cum Cajetano infra q. 40 art. 4 mentem S. Doctoris tantum esse, quod constituere hypostasim conveniat relationibus divinis ratione essentiæ Dei, et identificationis cum illa, tanquam a radice, a qua hoc eis radicaliter provenit : et propterea nisi identificarentur cum illa, hoc non haberent. Quamvis semel cum eadem identificatæ habeant esse, intra propriam lineam, et ex vi sua constitutivæ personæ, et afferre suam propriam subsistentiam. Sicut licet in opinione eorum, qui distinguunt virtualiter intellectum Dei a sua natura, intellectus habet tanquam ex radice a divina natura, et ab identificatione cum eadem, quod sit communicativus ejusdem divinæ naturæ : quamvis proxime, et formaliter hoc habeat ex vi suæ linæ : et propterea prædictus intellectus ut divinus intra propriam lineam, idest, ut oritur a Deo, et tendit in Deum, est formaliter communicativus divinæ naturæ. Ita ergo proportione servata relationes, v. g. Paternitatis et Filiationis, habebunt constituere personas, et propriam subsistentiam, tanquam a radice a divina natura, ac proinde ut sunt divinæ identice : et nihilominus, quia sunt divinæ, seu infinitæ intra propriam, et peculiarem lineam Paternitatis et Filiationis, constituent personam Patris et Filii, adducentque propriam subsistentiam relativam.

Secundo probatur eadem sententia. Quoniam divina natura est per se ipsam essentialiter subsistens : ergo non subsistet in personis, seu in relationibus personalibus, ut afferentibus proprias substantias personales. Consequentia aperte constat ex antecedenti. Tum, quia subsistantia personalis ad hoc tantum datur, ut natura per illam subsistat : ergo si natura divina præintelligitur subsistens essentialiter ante relationes personales, seu personas ipsas, non erit cur prædictæ personæ, seu personales relationes afferant suam propriam subsistentiam relativam. Tum etiam, quia alioqui divina essentia esset simul per se et in alio. Esset quidem per se : quoniam est per se subsistens subsistentia absoluta. Esset vero in alio : ex eo quod subsisteret in personis, ut afferentibus proprias subsistentias relativas : et id, quod subsistit in alio afferente propriam subsistentiam, dicitur absolute et simpliciter esse in illo. Antecedens vero ex dicendis dubio sequenti constabit. Secundum fundamentum.

Confirmatur primo. Nam ex eo quod misericordia Dei est infinita, et similiter omnipotentia, idcirco non datur in divinis nisi unica tantum misericordia, unicaque omnipotentia : ergo hoc ipso, quod in divinis detur unica subsistentia absoluta, non debet dari multiplex subsistentia relativa : quandoquidem subsistentia illa absoluta est infinite perfecta. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam ad rationem personæ divinæ tantum desideratur natura, et subsistentia divina, necnon et incommunicabilitas : ergo hoc ipso, quod detur natura, et subsistentia divina importata ab eadem natura, et addatur ratione relationum sola incommunicabilitas, dabuntur omnia, quæ requiruntur ad rationem personæ : ergo superfluit addere aliam subsistentiam relativam : siquidem hæc ad solam constitutionem divinæ personæ poterat desiderari. Secunda.

Respondetur concedendo antecedens, et 76.
negando consequentiam. Et ad primam probationem dicendum est, subsistentiam relativam non requiri ad hoc, ut natura divina subsistat utcumque ; sed ad hoc, ut subsistat per subsistentiam talis conditionis, ut intra suam lineam habeat esse incommunicabilem. Quia forma constitutiva personæ debet esse talis conditionis, ut multiplicetur ad multiplicationem personæ, ut ex dictis n. 67 constat : et per consequens debet esse quid intra propriam lineam incommunicabile sicut ipsa persona : Evertitur fundamentum.

nam in divinis ea solum, quæ ex vi suæ lineæ sunt incommunicabilia, possunt multiplicari.

Ad secundam vero probationem neganda est sequela. Tum, quia essentia divina non est in suis personis, tanquam in aliquo realiter ab ea distincto; sed subsistit in illis tanquam in personis, quæ sunt ipsa essentia absque aliqua distinctione actuali, et secluso intellectu. Et propterea, ex eo quod divina essentia subsistat in illis, non dicitur esse in alio, sed esse ipsas personas divinas ratione identificationis cum ipsis. Tum etiam, quia sicut divina essentia non dicitur esse in alio, sed esse in se et per se, quamvis subsistat et sit per se ratione suæ subsistentiæ absolutæ : quia prædicta essentia affert eam ex propriis meritis, et ideo subsistere per illam est esse in se et per se : ita, quia subsistentia relativa provenit radicaliter a divina essentia, ac proinde ex propriis meritis ab ea importatur et infertur, idcirco, ex eo quod prædicta essentia subsistat in suis relationibus, et subsistentiis personalibus non tollitur ab ea, quod ratione hujus sit in se et per se : nec ex hoc habet, quod sit in alio; sed solum, quod illamet essentia, quæ antea subsistebat per subsistentiam communicabilem, subsistat per subsistentiam alterius rationis, scilicet incommunicabilem. Nam ad hoc, ut ratione prædictæ subsistentiæ esset in alio, desiderabatur, quod esset subsistentia aliena, et non importata ex meritis divinæ naturæ, nec in ea radicata, aut quasi radicata. Et ideo humanitas Christi Domini subsistens in Verbo dicitur esse in alio, qua illa subsistentia est aliena, et non radicata in prædicta humanitate.

77. Occurritur priori confirm. Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ratio disparitatis est. Quod linea misericordiæ divinæ v. g. est linea atoma : et propterea hoc ipso, quod detur misericordia infinita in divinis, nequit multiplicari. At linea subsistentiæ divinæ est linea subalterna, sicut ratio attributi et relationis, vel personæ divinæ siquidem nequit linea personæ divinæ esse subalterna, quin linea formæ constitutivæ illius sit etiam subalterna. Et propterea linea subsistentiæ divinæ ut sic, non solum est subalterna, quia contrahitur per distinctas subsistentias incommunicabiles constitutivas divinarum personarum, sed etiam quia contrahitur per subsistentiam absolutam et communicabilem.

Potestque hæc disparitas explicari, ex eo quod misericordia divina v. g. debet habere pro objecto formali divinam bonitatem, ut est ratio sublevandi omnem excogitabilem miseriam : et ita non superest aliquod aliud objectum proportionatum ad ponendam in divinis aliam misericordiam. Cæterum subsistentia relativa unius personæ, v. g. Patris, solum constituit Patrem in ordine ad Filium, ejusque incommunicabilitas desumitur per ordinem ad eumdem Filium : et propterea aperitur aditus ad ponendam aliam subsistentiam relativam respicientem alium terminum, nempe, subsistentiam relativam Filii, quæ sit in ordine ad Patrem, cujusque incommunicabilitas per ordinem ad illum desumatur, sicut et persona Filii, quæ sua ratione et incommunicabilis, debet secundum hanc rationem esse in ordine ad Patrem.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quomodo non quævis subsistentia sit in ratione subsistentiæ sufficiens ad constituendam personam divinam per modum formæ constituentis ipsam ; sed desiderari subsistentiam talis conditionis, quæ ex vi suæ lineæ sit incommunicabilis, qualis est sola subsistentia relativa. Occurritur secundæ.

78. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam personæ divinæ non afferunt proprias existentias relativas; sed solum existunt per existentiam divinæ essentiæ, ut constat ex his, quæ disput. 7 dubio unico diximus : ergo nec etiam afferent proprias subsistentias relativas; sed tantum subsistent per subsistentiam absolutam divinæ essentiæ. Patet consequentia. Quia non minus convenit personis existere, quam subsistere : ergo si possunt existere per existentiam essentiæ divinæ illis communicatam, etiam poterunt subsistere per subsistentiam ejusdem essentiæ, quæ ipsis communicetur.

Dissolvitur. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quod multiplex subsistentia non derogat summæ simplicitati, et unitati per se, quæ in divinis debet reperiri : et aliunde requiritur ad multiplicationem substantivam personarum repertam in Deo, ex eo quod prædicta subsistentia est forma constitutiva personæ : et hoc, quod est, subsistere per subsistentiam incommunicabilem importatur in recto a persona divina : ac proinde totum hoc debet esse multiplicabile in divinis. Cæterum multiplex existentia, alia quidem proveniens a natura divina, alia vero a propria personalitate,

personalitate, derogat summæ simplicitati, et unitati per se inventæ in divinis, ut constat ex illis, quæ loco in argumento citato a n. 48 et in 2 tomo tractatu 3 disput. 4 num. 7 et deinceps diximus : et alias existentia non est forma constitutiva personæ ut talis : ac proinde nec debet multiplicari ad multiplicationem personarum : dicitque ex genere suo quid absolutum, ut loco citato explicuimus.

m. Ultimo probatur. Quoniam subsistentia dicit maximam perfectionem : quippe quæ exprimit modum essendi perfectissimum scilicet, esse in se et per se : propterea hoc, quod est subsistere, est proprium solius substantiæ, quæ est ens valde perfectum : ergo personæ divinæ ex vi suæ lineæ non afferunt proprias subsistentias. Patet consequentia. Quia personæ divinæ constituuntur per relationes tanquam per formas : relationes autem, sive creatæ, sive increatæ, non dicunt ex vi suæ lineæ perfectionem, ut constat ex illis, quæ late in hoc tract. disp. 6 dub. 2 et deinceps asseruimus.

iit. Respondetur, quod etsi subsistere in ordine ad se, seu per subsistentiam absolutam, afferat ex vi suæ lineæ perfectionem : attamen subsistere relative, seu præcise in ordine ad correlativum, nihil ex vi propriæ lineæ affert perfectionis ; licet (quoad præsens attinet) includat per modum transcendentis totam perfectionem aliarum linearum : ex eo quod omnes aliæ lineæ absolutæ per modum transcendentium consideratæ includuntur in quavis formalitate divina. Et ita, licet relativæ subsistentiæ implicite, et ex vi prædictarum linearum afferant perfectionem, non tamen expresse, aut ex vi propriarum linearum. Cur autem subsistere in ordine ad se, non vero in ordine ad correlativum, dicat ex vi propriæ lineæ perfectionem, explicatum est supra disput. 7 a num. 28 usque ad numerum 38.

DUBIUM V.

Utrum personæ divinæ non solum subsistant per proprias subsistentias relativas, sed etiam ultra has habeant aliam subsistentiam absolutam omnibus illis communem, et ratione divinæ naturæ eisdem formaliter convenientem ?

Postquam explicuimus, an personæ divinæ ex vi suarum linearum, et secundum id, quod in recto dicunt, afferant propriam subsistentiam relativam, restat, ut explicemus, an, ultra hanc, ratione naturæ divinæ formaliter importent aliam subsistentiam absolutam eisdem communem, ut ita ex omni capite appareat, quid prædictæ personæ divinæ afferant.

Diximus, *ratione naturæ divinæ formaliter*. Quia prædicta subsistentia, si semel convenit divinis personis, debet convenire eis ratione divinæ naturæ, et non utcumque, sed ita ut ratione ejusdem naturæ formaliter eis competat : quatenus per hoc significatur, quod divina natura, non solum est radix prædictæ subsistentiæ absolutæ, sed etiam communicat divinis personis eamdem prorsus subsistentiam absolutam, quam ipsa habet ex vi suæ lineæ. Et licet alii aliis verbis dubium hoc excitent, an nimírtum natura divina, ut præintellecta personis, afferat suam propriam subsistentiam absolutam : attamen suppositis his, quæ dubio præcedenti diximus, scilicet, dari in divinis personis proprias subsistentias relativas, in idem, aut fere in idem redit inquirere, an divina natura præintellecta personis importet propriam subsistentiam absolutam, ac quærere, an personæ divinæ, ultra suas subsistentias relativas, afferant aliam subsistentiam absolutam, quæ eis ratione divinæ naturæ formaliter conveniat. Et ideo, quod prædictæ personæ importent hanc absolutam subsistentiam ratione naturæ, pendet ex eo, quod natura divina ex se eam afferat.

Ut autem titulus, et quid nomine *subsistentiæ absolutæ* intelligamus, melius capiatur, notandum est, quod cum subsistere nihil aliud sit, quam esse per se, ideo, juxta triplicem modum essendi per se, possumus distinguere triplicem modum subsistendi. Primus quidem latissimus, et improprius, qui tantum petit hoc, quod est, non esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis : secundum quem modum quidquid pertinet ad genus substantiæ, aut participat rationem generalissimam substantiæ, prout distinguitur contra accidens, dicitur esse per se, et hoc latissimo, ac improprio modo subsistere. Explicatur titulus.

Secundus vero non est ita latus, aut improprius, sed magis strictus, et proprius : dicitque talem modum essendi per se, ut non indigeat alio tanquam sustentante ; sed res, quæ sic per se esse dicitur, possit ratione sui, et ratione hujus modi essendi per se, quem affert, existere *ut quod*, seu

esse susceptiva, aut quasi susceptiva *ut quod* existentiæ, quæ, saltem ex parte nostri modi concipiendi, ab ea distinguatur : ac proinde possit simul habere hoc quod est, esse principium operandi *ut quod*.

Tertius tandem modus essendi per se est adhuc strictior, estque simul proprius, et ultra prædicta dicit incommunicabilitatem : et ita affert talem modum essendi per se, ut reses, quæ sic per se esse et subsistere dicitur, nec sit in alio tanquam in subjecto inhæsionis, nec pendeat ab altero tanquam a sustentante, sed sit independens ab illo, ac proinde existens, et operans *ut quod* : et insuper sit incommunicabilis, non qualicumque incommunicabilitate, sed ita ut nequeat alteri tanquam supposito communicari, seu esse in alio supposito.

82. Titulus ergo non intelligitur de priori modo subsistendi. Quoniam satis certum et indubitatum est, quamvis rationem in divinis repertam, sicut et quamlibet aliam rationem subsistantialem creatam, non esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis : et per consequens esse aliquo modo per se, habereque hunc modum subsistendi improprium. Et similiter prædictus titulus non intelligitur de subsistentia tertio modo accepta : siquidem prædicta subsistentia affert omnimodam incommunicabilitatem jam dictam : et id, quod est sic omnino incommunicabile alteri, non potest dicere rationem aliquam absolutam in divinis inventam, qualis esset subsistentia absoluta, de qua loquimur. Et propterea quidquid absolutum in Deo reperitur, debet communicari idemmet singulis personis divinis.

Quare titulus hujus dubii solum intelligitur de subsistentia secundo modo ex nuper recensitis accepta : an, nimirum, personæ divinæ, ultra subsistentias relativas habeant aliam subsistentiam absolutam, quæ eademmet numero singulis personis communicetur, quæque ratione divinæ naturæ formaliter eisdem conveniat?

§ I.

Verior D. Thomæ sententia testimoniis Conciliorum fulcitur.

83. Assertio. Dicendum ergo est, divinam naturam ratione sui afferre propriam subsistentiam absolutam : ac proinde divinas personas, ultra suas subsistentias relativas, importare aliam subsistentiam absolutam, quæ sit una et eadem in omnibus illis, quæque ipsis ratione divinæ essentiæ formaliter conveniat. Assertio hæc colligitur ex illo Symboli Athanasii : *Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres Dii ; sed unus est Deus.* Ubi, ut constat ex consensu Patrum et Theologorum, conceditur in divinis unus Deus communis communitate rei tribus personis divinis. Cumque unus Deus sit idem, ac unus habens Deitatem, et unus habens Deitatem sitidem, ac unus subsistens in ipsa Deitate, consequens est, ut in his verbis concedatur unus subsistens communis communitate rei eisdem personis : quod quidem idem est ac concedere unicam subsistentiam absolutam convenientem personis ratione essentiæ. Quandoquidem ea solum, quæ sunt absoluta, et conveniunt personis ratione essentiæ, sive essentialium, habent esse communia communitate rei omnibus personis divinis. Probatur primo ex Symbolo Athanasii.

Nec obest id, quod respondet Vasquez in hac 1 p. disput. 125 c. 6 et disp. 156 c. 2 ubi inquit, ex hoc testimonio non colligi, dari in divinis unicam subsistentiam absolutam, unicumque subsistens itidem absolutum. Quoniam non colligitur, dari unum Deum communem communitate rei tribus personis divinis, ex eo quod detur unum habens Deitatem, unumque subsistens eodem modo commune ; sed quia datur una et eadem numero natura, quæ eodem modo sit communis respectu illarum : et rationem reddit. Quoniam iste terminus *Deus* dicit in recto naturam ; connotat autem, non aliud habens præter personas, aut in singulari, aut in communi, sive indistincte etc. sumptas. Et ita satis est, quod natura sit communis communitate rei omnibus personis divinis ad hoc, ut verificetur, omnes illas esse unum Deum, qui sit communis eisdem per communitatem rei. Sicut quia *hic homo* dicit in recto hanc naturam humanam, et connotat habens illam, seu hanc, vel illam personam indistincte, propterea, si tres personæ divinæ assumerent unam et eamdem numero humanitatem, tunc verificaretur de illis, quod essent unus et idem numero homo. Occurritur Vasquez.

84. Non itaque hoc refert. Quoniam hæc interpretatio videtur pugnare cum Concilio Rhemensi contra Gilbertum, ubi sic dicitur : *Credimus, et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum : neque aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas.* Si autem divinitas intra propriam Impugnatur primo. Conc. Rhemensi.

propriam lineam, et ut præcisa a personis, non esset Deus, tunc posset cum fundamento in re (in quo sensu loquebatur Concilium) affirmari Catholice, quod divinitas præcisa a relationibus, seu personis, non est Deus, cujus oppositum videtur intendere Concilium : et ideo hoc ita declaravit, quia Gilbertus etiam dicebat, essentiam sine relationibus non esse Deum : quamvis Gilbertus in eo magis errabat, quoniam ad Dei constitutionem postulabat proprietates distinctas ab essentia : quod Vasquez, et alii auctores oppositæ sententiæ non dicunt : et propterea possunt interpretari, Concilium ita loqui ex eo, quod essentia sit persona, et e contra.

Vasquez.

Suarez. Cæterum, quia, ut bene notavit Suarez, Concilium asserit, in nullo sensu Catholico (intellige, habente fundamentum in re) posse negari, quin divinitas sit Deus : idcirco multum urget contra sententiam Vasquez, et aliorum, si verba illius (prout a nobis relata sunt) ejusdem Concilii esse admittantur. Quod ideo dicimus, quia non habemus illud Concilium : et Vasquez, qui ejus decreta refert ex quodam codice manuscripto, dubitat, an illa sint formalia verba Concilii; quamvis non reddat rationem, cur de hoc dubitet, nec neget, hanc fuisse sententiam prædicti Concilii : quod nobis satis est sive illis, sive aliis verbis eam docuerit.

Vasquez.

85. Ulterius confutatur. D.Thom. Deinde hæc eadem responsio adducta a Vasquez pugnat cum Angelico Doctore, tum in 1 dist. 21 quæst. 2 art. 1 his verbis : *Iste terminus Deus prædicat naturam divinam de tribus personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla personarum distinctione intellecta.* Tum etiam infra quæst. 39 art. 4 in corpore ubi sic inquit : *Quia hoc nomen Deus significat divinam essentiam, ut in habente ipsam, sicut hoc nomen homo humanitatem significat in supposito : alii melius dixerunt, quod hoc nomen Deus ex modo significandi habet, ut proprie possit supponere pro persona, sicut hoc nomen homo. Quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia, ut cum dicitur, Deus creat : quia hoc prædicatum competit subjecto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas, quandoque vero supponit personam, vel unam tantum, ut cum dicitur, Deus generat, vel duas, ut cum dicitur, Deus spirat, vel tres, ut cum dicitur, Regi sæculorum immortali invisibili, soli Deo, etc.* In quibus verbis duo expendenda sunt.

Primum est. Quod cum loquitur de hoc nomine *Deus*, tunc inquit, quod significat divinam essentiam, ut in habente ipsam : cum vero sermonem facit de hoc nomine *homo*, asserit, significare humanitatem in supposito. Ut denotaret, quod respectu humanitatis nullum est habens illam præter suppositum : cæterum respectu Deitatis non est idem omnino habens illam, et suppositum : quia datur habens illam, nempe *hic Deus* præintellectus personis, qui sub hac præcisione non intelligitur esse suppositum. Et propterea idem S. Doctor in solutione ad 1 ejusdem articuli subjungit, quod hoc nomen *Deus*, non oportet, ut semper supponat pro essentia, quam significat : ut innueret, posse supponere, tum aliquando pro essentia, tum aliquando pro suppositis : ac proinde, cum semper supponat pro habente Deitatem, debet supponere aliquando pro habente aliquo, quod formalissime loquendo non sit ex vi suæ lineæ suppositum ; et aliquando etiam pro supposito : et per consequens respectu hujus nominis *Deus*, oportebit, non esse idem formalissime et adæquate, habens Deitatem, et suppositum ejusdem Deitatis. Imo, ut in sequenti testimonio expendemus, oportebit, quod quoties non adjungitur huic nomini *Deus* aliquid, quod restringat illud ad hoc, ut accipiatur determinate pro suppositis, ut in præsenti non adjungitur, quod debeat accipi pro unico et eodem habente essentiali et communi omnibus personis per communitatem rei, sicut ipsa natura sic est illis communis.

Secundum est. Quod Angelicus Præceptor tribuit huic nomini *Deus*, quod aliquando supponat pro essentia, idest, pro essentia in concreto, seu pro habente Deitatem, ut cum dicitur, quod Deus creat : aliquando vero pro personis, sive omnibus, sive duabus, sive unica tantum. Si autem hoc nomen *Deus* non afferret, ultra personas aliquo ex his modis sumptas, quidpiam, quod esset habens Deitatem, non posset asserere, hoc nomen *Deus*, de quo præmiserat, significare divinam essentiam, ut in habente ipsam, posse aliquando supponere, vel pro personis, sive omnibus, sive duabus, sive unica tantum ; vel pro ipsa essentia. Quia ultra personas sic sumptas non daretur aliquid habens prædictam essentiam : et per consequens nec aliquid, pro quo ultra eas posset supponere.

Unde propter hanc rationem idem S. Doctor consulto non dixit in verbis nuper citatis, quod hoc nomen *Deus* ex modo significandi habet, ut proprie debeat suppo- 86. Idem. S. Doctor.

nere pro persona, sicut et hoc nomen *homo* : sed quod proprie possit supponere pro illa. Ut denotaret, non conferri hæc duo nomina inter se quoad necessitatem supponendi, sed quoad posse supponere pro ipsa. Ex eo quod, licet hoc nomen *homo* possit, et debeat supponere pro persona : attamen nomen *Deus* potest, sed non debet pro illa supponere : ac proinde denotat aliquid habens Deitatem distinctum virtualiter a persona.

D.Thom. Nec minus prædicta solutio a Vasquez adducta est contra Angelicum Præceptorem in art. citato in solutione ad 3 ubi constituit discrimen inter hoc nomen *homo*, et hoc nomen *Deus*, quod primum non per se, sed propter exigentiam alicujus additi supponit pro natura communi, ut cum dicitur, *Homo est species*. Secundum vero per se supponit pro natura communi ; sed ex adjuncto determinatur ejus suppositio ad personam, ut cum dicitur, *Deus generat*, tunc ratione actus notionalis supponit hoc nomen *Deus* pro persona Patris : ac proinde sentit S. Doctor, quod hoc nomen *Deus* per se, et præcisum ab adjunctis non supponit pro personis, sed pro aliquo alio habente, virtualiter ab eis distincto : siquidem, ut ex eodem dicebamus, ex modo significandi semper denotat Deitatem ut in habente.

87. Quod adhuc magis explicuit Angelicus Præceptor in ratione, quam ad prædictum discrimen explicandum in eadem solutione reddidit, nempe, quod hoc nomen *homo* significat naturam divisam realiter in diversis suppositis, et per rationem solummodo communem, et unam in illis : et ita solum ex aliquo prædicato adjuncto, quod exigat hanc unitatem secundum rationem, supponit pro natura communi : ac proinde, cum significet humanitatem, ut in habente, solum supponit pro habente aliquo modo in communi sumpto, quod sit commune, non quidem secundum rem, sed solum secundum rationem : et adhuc tunc non habet supponere pro illo, nisi ratione prædicti adjuncti, seu prædicati exigentis illud. At cum Deus dicat naturam divinam, non divisam realiter in diversis suppositis, sed communem communitate rei respectu illorum : idcirco, sicut non ex aliquo adjuncto, sed per se habet significare Deitatem, ut in habente, ita supponit pro habente, quod sit commune communitate rei in ratione habentis respectu personarum : et per consequens supponit pro aliquo subsistente absoluto, et communi communitate rei, in ratione talis respectu prædictarum personarum.

Eamdem etiam assertionem nostram tueri videtur Agatho Papa in epistola, quæ habetur in VI Synodo Act. 4, ubi sic inquit : *Confitemur Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum, seu personarum unam subsistentiam.* Quæ verba, non solum sunt Agathonis, sed etiam Romanæ Synodi instruentis Legatos missos ad sextam Synodum Generalem, in cujus Actione 4 præsens epistola exstat, et recipitur postea Actione 17. Probatur etiam assertio ex Agathone Papa.

Nec obstat id, quod respondet Vasquez in præsenti disp. 125, et Ruiz de Montoya disput. 34 sect. 8, nempe, in hoc testimonio non esse legendum : *Trium subsistentiarum, seu personarum unam subsistentiam*, sed *unam substantiam*. Quod etiam, ut inquit Ruiz, optime notavit Joverius in summa Conciliorum. Et ita emendatum legunt plura exemplaria Latina, præsertim Codices impressi Coloniæ Agrippinæ anno 1606 pagina 21 tomo 3. Confirmat autem Vasquez hanc suam solutionem, ac proinde litteram hujus testimonii, ut a nobis adducitur, esse mendosam : ex eo quod incredibile est in tam paucis verbis usum fuisse Agathonem eadem voce in tam diverso sensu. 88. Effugium. Vasquez. Ruiz. Joverius.

Non itaque hoc obstat. Quoniam juxta vetustiora exemplaria legendum est, *unam subsistentiam*, ut nos legimus ; non vero *unam substantiam*. Constat autem, vetustioribus exemplaribus magnam fidem adhibendam esse. Nec ratio adducta a Vasquez est sufficiens. Quoniam sicut tres divinæ personæ possunt dici tres substantiæ, et una substantia : quatenus ratione personalitatum dicunt substantiam relativam, et per consequens sunt tres substantiæ relativæ : cum tamen ratione essentiæ sint una et eadem substantia et essentia : ita potuit optime Agatho Papa confiteri in divinis trium subsistentiarum, seu personarum unam subsistentiam, ut denotaret, esse ibidem tres subsistentias relativas convenientes personis ratione sui et unam subsistentiam absolutam conpetentem eisdem ratione essentiæ. Maxime, quia hoc ipso, quod semel dicatur in hoc testimonio, esse in divinis unam subsistentiam ; et semel, dari ibidem tres, satis denotatur, fieri sermonem de subsistentia in diversa acceptione : 89. Præcluditur.

tione : ita ut dum dicitur, eas esse tres, fiat sermo de subsistentiis relativis, quæ, hoc ipso quod tales, debent multiplicari : dum vero asseritur, dari unicam subsistentiam, innuatur subsistentia absoluta, quæ, hoc ipso quod absoluta, nequit realiter multiplicari.

Concil. Constant. Eamdem etiam assertionem docuisse videtur idem Concilium Constantinopolitanum generale sextum Act. 11 in epistola Sophronii approbata a toto Concilio, ubi dicitur, quod *sanctissima Trinitas est numerabilis personalibus subsistentiis*. Nam propterea non dixit absolute, quod est numerabilis tribus subsistentiis, sed tribus personalibus subsistentiis, ut innueret, esse in divinis aliam subsistentiam, præter subsistentias personales : et ideo Trinitatem, non subsistentiis qualibuscumque, sed subsistentiis, quarum quælibet sit personalis, esse numerandam.

§ II.

Eadem sententia testimoniis Patrum stabilitur.

90. Probatur testimoniis Patrum. August. Hieron. Nyssen. Deinde hanc eamdem assertionem docuit Augustinus 7 de Trinitate cap. 4, ubi sic inquit : *Omnis enim res ad se ipsam subsistit : quanto magis Deus*; Hieronymus epistola 57 ad Damasum, his verbis : *Una est Dei, et sola natura, quæ vere est : id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est*; Nyssenus in lib. de Mystica interpretatione vitæ Moysis columna 3 ubi asserit : *Nihil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, et a qua omnia dependent, vere subsistere.*

Evasio P. Vasquez. Nec obest id, quod respondet Vasquez ad hæc testimonia, nempe, quod testimonium Augustini, si quid probaret, etiam convinceret, tantum dari in divinis unicam subsistentiam absolutam; non vero ultra illam tres alias relativas : cujus oppositum dubio præcedenti defendimus. Siquidem inquit, quod *omnis res ad se ipsam subsistit*. Et deinde, quod prædictum testimonium adhuc non suadet, dari in divinis subsistentiam absolutam. Quia Augustinus nunquam usurpat nomen *subsistentiam*, sed verbum *subsistere*. Unde cum inquit, omnem rem, seu (quod in idem quoad præsens redit) substantiam ad se subsistere, loquitur de proprio actu substantiæ, qui est existentia. Sicut etiam D. Hieronymus hoc eodem modo intelligendus est, dum inquit, divinam naturam unam esse, et solam, quæ vere est : et quod id, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Et tandem Nyssenus solum intendit, supremam essentiam vere subsistere a se et non ab alio, sicut creaturæ, quæ ab alio pendent ut a causa. Ob id tamen non conceditur communis aliqua subsistentia absoluta in divinis. Nam, ut supra dicebatur, natura Dei vere in personis a se, et non ab alio ut a causa habet, quod subsistat.

91. Præcluditur primo. Non igitur hoc obest. Nam in primis falsum est, quod testimonium Augustini, vel nihil probet, vel suadeat, non dari etiam subsistentias relativas. Quoniam Augustinus non inquit, omnem rem ad se ipsam subsistere, quia deneget ultra subsistentiam absolutam dari in divinis tres relativas; sed quia loquebatur de subsistentia, per quam id, quod per eam subsistit, redditur subjectum, aut quasi subjectum capax existendi per se primo *ut quod* : hæc autem subsistentia semper est absoluta. Quoniam in creaturis solummodo suppositum, quod in illis est quid absolutum, est subjectum connaturaliter capax existendi *ut quod* : in divinis autem sola divina essentia, ut subsistens per subsistentiam absolutam, habet existere per se primo *ut quod*; et personæ solum existunt secundario *ut quod*, ut statim magis explicabimus : quamvis prædicta subsistentia in creaturis ratione suæ limitationis tribuat incommunicabilitatem ; secus vero in divinis, propter summam infinitatem ejus, et defectum incompossibilitatis cum aliis formalitatibus divinis. Unde non mirum, quod Augustinus loco citato non fecerit mentionem subsistentiæ relativæ, cujus proprium est, tribuere personæ, quam constituit, ut sit subjectum, aut quasi subjectum (ut sic dicamus) susceptivum existentiæ *ut quod*, solum per se secundo.

92. Exploditur deinde. Deinde falsum etiam est, quod Augustinus (quod idem de Hieronymo dicimus) sumpserit verbum *subsistere* pro actu substantiæ, qui est existentia substantialis. Nam secundum proprietatem linguæ Latinæ, aut rigorem Theologicum *subsistentia*, vel *subsistere* non sunt idem ac *existentia*, *existere*. Unde, sicut quia existentia significat rationem existendi in abstracto sumptam, propterea *existere*, quod est concretum

illius, nihil aliud significat, quam eamdem existentiam in concreto : ita, quia subsistentia significat rationem subsistendi in abstracto, idcirco, *subsistere*, quod est concretum illius, tantum habet significare eamdem subsistentiam in concreto. Et ideo non est cur nomen *subsistentia* non detorqueatur ad denotandam existentiam; et tamen nomen *subsistere* ad illam existentiam significandam liceat detorquere, sed utrobique eamdem subsistentiam, vel in abstracto, vel in concreto, ut jam innuimus, debet significare.

Tandem confutatur. Tandem falsum etiam est, quod ideo Nyssenus dixerit, solam divinam essentiam vere subsistere, quia sola ipsa non habet ab alio tanquam a causa hoc, quod est subsistere. Quoniam sicut Angelus v. g. dicitur vere esse persona; licet hoc habeat ab alio tanquam a causa : et rationem personæ non convenire vere soli Deo; quamvis solus ipse ita sit persona, ut non habeat hoc ab alio tanquam a causa : ita ex hoc, quod natura divina non subsistat ab alio tanquam a causa, bene tamen natura creata, non idcirco dicetur solam naturam divinam vere subsistere : quia hic modus loquendi attentis omnibus aliquid amplius videtur exigere.

93. Quare propria et sincera horum verborum interpretatio est, quod sola natura divina habet intra suam lineam vere subsistere : quia sola ipsa intra suam lineam affert propriam subsistentiam absolutam distinctam a persona, sive personis : cum tamen naturæ creatæ non habeant subsistere intra lineam naturæ præcise sumptæ, sed ut trahuntur ad lineam suorum suppositorum, quæ est distincta a linea prædictæ naturæ. Et propterea optime D. Hieronymus loco nuper relato aiebat, quod natura Dei id, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.

Probatur etiam ex aliis PP. Cyrill. Alex. Anastas. Eamdem etiam assertionem tuentur Cyrillus Alexandrinus, et Anastasius in compendiaria fidei explicatione, quæ habetur tomo 4 Bibliothecæ : *Quid* (inquit) *est Deus? Essentia cujus nullus est auctor, cui prorsus nihil desit. Quid est essentia? Res, quæ per se est, nec altero indiget, ad hoc ut ipsa subsistat.*

94. Effugium. Nec refert id, quod respondent aliqui, nempe Cyrillum agere de essentia abstracta a creata et increata, significareque, essentiam substantialem non indigere subjecto, cui insit, seu inhæreat ad subsistendum; non vero negare, illam subsistere per aliquid diversum, quod in Deo sit ipsa subsistentia relativa.

Non igitur hoc refert. Tum, quia contextus satis manifeste loquitur de essentia divina : agitur enim de essentia, quæ Deus est. Tum etiam, quia subjectum, vel aliquid simile non potest alicui esse ratio subsistendi :quia hic effectus est proprius subsistentiæ Et ita, cum Cyrillus inquit, essentiam, nempe divinam, per se existere, nec indigere alio ad subsistendum, denotat, ipsam in se habere subsistentiam intra rationem essentiæ : ac proinde non deesse illi subsistentiam essentialem : et absolutam. Tum denique, quia nullum est verbum, ex quo possit colligi, Cyrillum et Anastasium sumere *esse per se* pro eo, quod est, non esse in alio præcise tanquam in subjecto inhæsionis : cum explicent hoc, quod est esse per se, per hoc, quod non indigeat altero, ut ipsa subsistat : qui modus essendi per se, non solum dicit non esse in alio, tanquam in subjecto inhæsionis præcise; sed habere veram subsistentiam : et per consequens, ut jam diximus, innuit subsistentiam pertinentem ad lineam essentiæ. Eliditur.

Et deinde hoc ipsum docuit Hilarius 7 de Trinitate in fine, ubi de Patre et Filio, quorum unus dicitur esse in alio, ita scribit : *Non est corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentiæ naturæ habeant perfectam unitatem.* Et paucis interjectis : *Inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, sed ita esse, ac subsistere, ut in subsistente insit; ita vero inesse, ut et ipsa subsistat.* Ubi aperte videtur concedere Hilarius subsistentiam propriam naturæ divinæ, dum in prioribus verbis ait, *ut subsistentiæ naturæ*, et cum in posterioribus inquit, *ut et ipsa subsistat*. Hilar.

Nec obstat responsio adhibita a Vasquez, nempe, male referre Hilarium, quia in prioribus verbis non inquit, *ut subsistentiæ naturæ habeant perfectam unitatem*, sed, *ut subsistentis naturæ, etc.* Ut denotaret, in corporalibus rebus non esse ita unam in alia, ut habeant eamdem numero naturam subsistentem, non quidem per subsistentiam distinctam a subsistentia suppositi, sed neque etiam per subsistentiam convenientem ei ratione suppositi, ita ut eadem numero natura sit in illis, et hæc subsistat ratione suppositi : cum tamen in divinis eadem numero natura reperiatur in divinis personis, et hæc ab 95. Vasquez.

ab illis habeat subsistere. Deinde in posterioribus verbis non ait Hilarius, *ita vero inesse, ut et ipsa* (scilicet natura divina) *subsistat*, sed, *ita ut ipse* (scilicet Deus) *subsistat* : ut innueret, in divinis ita unum subsistentem esse in alio, ut et ipse subsistat.

Non itaque hoc obest. Tum, quia quoad priora verba ita legitur a pluribus Doctoribus, sicut nos retulimus. Tum etiam, quia quoad posteriora sic habetur apud eumdem Hilarium, sicut nos ex ipso retulimus, ut constat ex impressione facta Parisiis anno 1544.

Hilarius. Adde, quod hoc ipso, quod Hilarius asserat, divinitatem ita subsistere, ut insit Filio; ita vero inesse illi, ut et ipsa subsistat, satis denotat, se non loqui de *subsistere*, quod Deitas habet a personis; sed de *subsistere*, quod habet a se : quia loquitur de modo essendi in Filio talis conditionis, ut eadem prorsus natura sit etiam in Spiritu sancto, et ipsa simul subsistat : hic autem modus arguit propriam subsistentiam, ut in secunda ratione pro assertione dicemus.

96. Et tandem hanc eamdem assertionem

D. Thom. docuit D. Thomas quæst. 9 de Potentia art. 5 ad 13 his verbis : *In divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divinæ naturæ ab invicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi divinæ essentiæ. Ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens. Sed e converso proprietates personales habent, quod subsistant* (modo tamen supra explicato, nempe, tanquam a prima radice) *ab essentia. Ex eo enim Paternitas habet, quod sit res subsistens : quia essentia divina, cui est idem secundum rem, est res subsistens : ut inde sequatur, quod sicut essentia divina est Deus, ita Paternitas est Pater. Et ex hoc est etiam, quod essentia divina non multiplicatur secundum numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in istis inferioribus. Nam ex eo aliquid secundum numerum multiplicatur, ex quo subsistentiam habet. Licet autem divina essentia secundum se ipsam (ut ita dicam) individuetur quantum ad hoc quod est per se subsistere : tamen ipsa una existente secundum numerum, sunt in divinis plura supposita ad invicem distincta per relationes subsistentes.*

Et in 3 dist. 6 quæst. 2 art. 1 ad 2, ubi sic ait : *Dicendum, quod aliud est de Deo, et de omnibus aliis rebus : quia in Deo ipsa essentia subsistens est. Unde sibi secundum se debetur esse : imo ipsa est suum esse subsistens. Unde essentia a persona non differt secundum rem : et ideo esse essentiæ est etiam personæ : et tamen persona, et essentia ratione differunt. Quamvis ergo unum sit esse, potest tamen esse considerari, vel prout est essentiæ, et sic non unitur in esse divino, unde non unitur Patri : vel potest considerari, prout est personæ, et sic unitur humanitas in esse divino.* In quibus verbis expendendum est tum, quod Angelicus Doctor distinguit essentiam divinam ab omnibus aliis rebus, quod cæteræ res non sunt subsistentes secundum suam essentiam ; secus vero essentia divina : ac proinde sentit, quod essentiæ aliarum rerum non subsistunt præcise ratione suæ lineæ, sed ratione suppositorum, et secundum id, quod a linea illorum habent : cum tamen divina essentia præcise intra suam lineam, et antequam consideretur suppositata, habeat propriam subsistentiam : alioqui non staret discrimen adductum a D. Thoma inter divinam essentiam, et essentias creatas, nempe essentias creatas substantiales : quia etiam istæ, ut sunt suppositatæ in suis suppositis, habent esse subsistentes.

Tum etiam. Quod Angelicus Præceptor tribuit divinæ essentiæ, quod sibi secundum se debetur esse, nimirum esse existentiæ, idest, ut existat ut *quod* : et per consequens sentit, ipsam secundum se, idest, sub conceptu essentiæ, esse subsistentem. Et propterea postquam dixit, quod *sibi secundum se debetur esse*, addidit : *Imo ipsa est suum esse subsistens.* Quoniam juxta doctrinam D. Thomæ id solum habet esse ut *quod*, cui convenit subsistere : et ideo idem S. Doctor in articulo modo citato ex 3 Sententiarum in solutione ad primum inquit : *Dicendum, quod forma facit esse : non ita quod illud esse sit materiæ, aut formæ, sed subsistentis.* 97. Angel. Doctor.

Tum deinde. Quod Angelicus Doctor ex eo, quod divina essentia secundum se est subsistens, imo ipsa est suum *esse* subsistens, colligit, quod essentia a persona non differt secundum rem. Quoniam propterea essentiæ creatæ, et substantiales differunt secundum rem a suis personis, qui non sunt suum *esse* subsistens, sed ab illis habent subsistere, et esse.

Tum denique. Quod Angelicus Præceptor inquit, idem esse *esse* existentiæ divinæ essentiæ, et personarum : ac proinde,

quod sicut divina essentia prius intelligitur existens, quam personæ, ita prædictum *esse* prius conveniet illi, quam istis : et per consequens prius erit subsistens, quam prædictæ personæ : siquidem, ut nuper ex Angelico Præceptore dicebamus, existere *ut quod* (de quo in præsenti fit sermo, ut possit stare discrimen inter divinam essentiam, et essentias creatas nuper adductum) supponit rem subsistentem.

Et 4 contra Gentes cap. 14, ubi loquens de Deo sic inquit : *Sunt igitur plures res subsistentes, si relationes considerentur : est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus, unum Deum esse, quia est una essentia subsistens : et plures personas, propter distinctionem subsistentium relationum.*

Et hoc ipsum docuit idem Angelicus Præceptor supra quæst. 3 artic. 2 ad 3 et quæst. 7 artic. 2 quæst. 12 artic. 4 quæst. 13 artic. 1 ad 2 et infra quæst. 30 artic. 1 ad 2 quæst. 40 artic. 2 ad 2 et quæst. 7 de Potentia artic. 2 ad 5, necnon 3 part. quæst. 3 artic. 3 ad 1 et in 1 distinct. 21 quæst. 2 art. 1.

Cajetan. Bannez. Petrus de Ledesma. Alvarez. Cabrera. Zumel. Nazarius. Carrança. Molin. Ragusa. Fonseca. Suarez. Gabriel. O'Kam. Almainus. Albertus Magnus. Scotus. Durand. Paludan. Capreol. Becanus. Ferrara. Bellarmin. Granad.

98. Unde hanc eamdem assertionem tuentur Cajetanus infra quæst. 39 art. 4, Bannez ibidem art. 3, Petrus de Ledesma in suo tomo de perfectione Dei quæst. 3 procemiali art. 1 conclusione 1, Alvarez 3 part. quæst. 3 art. 3, Cabrera ibidem, Zumel in præsenti quæst. 30 art. 1 in sua quæst. unica, Nazarius quæst. 39 art. 4 controversia 1. Carrança, Molina, Ragusa, Fonseca, Suarez, Gabriel, O'Kam, Almainus, Albertus Magnus, Scotus, Durandus, Paludanus, Capreolus, Becanus, Ferrara, et Bellarminus, quos refert, et sequitur Granado in hac 1 part. tomo 3 tractatu 4 disput. 5 sect. 3, ubi bene ait, Doctores sentientes, dari in Deo subsistentiam absolutam, non vero relativas, posse optime referri pro nostra sententia, tam subsistentiam absolutam, quam relativas admittente; ex eo quod omnes, vel fere omnes rationes, quas adversarii contra subsistentiam absolutam congerunt, æque militant contra eos, qui eam solummodo, vel ipsam una cum subsistentiis relativis admittunt.

§ III.

Ratio prior, et fundamentalis pro sententia Angelici Præceptoris.

99. Ratio autem prior et fundamentalis pro D. Thomæ sententia sumitur ex eodem S. Doctore locis supra citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam habere subsistentiam absolutam, et in ordine ad se dicit satis perfectionis in divina essentia : ergo prædicta perfectio, et subsistentia non potest ei denegari. Consequentia patet. Quoniam omnis perfectio excogitabilis debet reperiri in Deo, et ejus essentia : et ita, si habere subsistentiam absolutam dicit perfectionem, nequit hæc Deo, et ejus essentiæ denegari. Antecedens autem probatur. Quia habere subsistentiam absolutam, et in ordine ad se dicit modum essendi adeo perfectum, ut sit independens a relationibus personalibus tanquam a sustentante, sitque existens *ut quod*, ac tandem principium *quod* operandi per se, et ratione sui, et non solum ratione proprietatum personalium : hæc autem omnia satis perfectionis præ se ferunt. Prius fundamentum ex ratione.

Confirmatur. Quoniam divina essentia intra suam lineam est infinita : ergo intra eamdem erit subsistens. Patet consequentia. Tum, quia natura creata et substantialis subsistit non intra propriam lineam, sed ratione sui suppositi : quia est finita et limitata, et ita ob hanc rationem dependet ab illo, ut a sustentante : ergo e contra divina essentia ratione suæ infinitatis habebit intra suam lineam esse quid subsistens. Tum etiam, quia essentia divina ratione suæ infinitatis pertingit ad hoc, ut intra suam lineam sit suum *esse* existentiæ : ac proinde etiam pertinget ad hoc, ut intra eamdem lineam sit suum *subsistere*. Siquidem in via D. Thomæ id solum habet propriam existentiam, quod habet subsistere, ut constabit ex iis, quæ in 5 tomo tractatu de Incarnatione explicantes quæstionem 17 partis tertiæ D. Thomæ, dicemus, et patet ex illis, quæ N. Complutenses in lib. Physicorum disp. 3 quæst. 5 docuerunt. Confirmatur. N. Compl.

Tum denique. Quia hoc ipso, quod essentiæ divinæ intra suam propriam lineam competat propria existentia, et quod sit suum *esse*, convenit etiam illi intra eamdem lineam, quod sit sum *operari* : siquidem operari sequitur ad *esse* : et eo modo aliquid habet operari, quo habet esse : et per consequens intra prædictam lineam habebit subsistere : cum operationes sint subsistentium, ut communiter docent Philosophi et Theologi. Imo intra eamdem lineam non solum erit subsistens, sed erit suum *subsistere* : quandoquidem sicut id, quod

quod habet omnia requisita ex parte principii radicalis ad operandum per se, et ratione sui, non tamen est sua operatio, debet habere subsistentiam, et existentiam : non tamen esse suum *subsistere* et *existere* : sic id, quod est suum *operari*, oportet, quod sit etiam suum *esse*, et suum *subsistere*.

100. Occurrit Vasquez ad rationem. Occurres ex Vasquez, et ex aliis infra in hoc dubio referendis tam rationi, quam confirmationi factæ. Rationi quidem, quod subsistere per subsistentiam absolutam, in ordine ad se, est quidem perfectio; non tamen perfectio simpliciter simplex : ex eo quod non est melior quavis alia perfectione incompossibili cum ipsa : quod tamen requirebatur ad hoc, ut esset perfectio simpliciter simplex, possetque poni in Deo. Ratio autem, ob quam prædicta subsistentia absoluta non est melior quavis incompossibili cum ipsa, potest reddi ex eo, quod est incompossibilis cum majori quadam perfectione, nempe cum hoc, quod est, naturam divinam esse communicabilem pluribus personis, et esse in illis. Siquidem natura, quæ per se, et ratione sui est subsistens, ac proinde est in se et per se, nequit esse in alio, seu in aliquo, vel aliquibus suppositis.

Aliorum solutio ad eamdem rationem. Huc etiam tendit alia solutio ex eisdem adversariis loco infra in hoc eodem dubio referendo, nempe, subsistentiam absolutam nullam dicere perfectionem veram et realem ; sed solum esse aliquid chimæricum, atque adeo contradictoria involvens : nam de ratione subsistentiæ est, quod sit incommunicabilis. Et ita subsistentia illa absoluta esset et non subsistentia, essetque, et non esset incommunicabilis. Nam ex quo capite dicitur, esse subsistentiam, haberet veram rationem subsistentiæ, conveniretque ei incommunicabilitas : cum tamen ex quo capite dicitur esse absoluta, deberet esse communicabilis : cum omnia absoluta in divinis sint communicabilia : atque adeo eo ipso deberet rationem subsistentiæ amittere. Unde natura divina per prædictam subsistentiam existeret, et non existeret ut *quod* : penderet, et non penderet ab alio, ut sustentante : ac tandem esset, et non esset principium operandi suumque *operari*.

101. Effugium Vasquez ad confirm. Et similiter confirmationi ex eodem Vasquez occurres, quod ad rationem naturæ infinitæ intra suam lineam, qualis est natura divina, non desideratur, quod intra eamdem lineam sit subsistens ; sed satis erit, quod non sit ab alio tanquam a causa : nam hinc habet divina natura suam infinitatem : sicut hoc ipso, quod natura creata sit ab alio tanquam a causa, debet esse finita et limitata.

Firmatur evasio. Adde primo ex eodem auctore, quod sicut infinitati divinæ essentiæ nihil obest, eam intra propriam lineam non habere personalitatem, sed satis erit, si aliunde, idest, ex vi aliarum linearum, suarum personalitatum sit personata, et quod ex vi suæ lineæ sit radix earum : ita ad eamdem infinitatem intra propriam lineam naturæ divinæ sufficiet, quod sit radix subsistentiarum relativarum; licet intra suam lineam non sit subsistens, sed id habeat ex lineis prædictarum subsistentiarum.

Ulterius roboratur. Adde secundo, quod ad summum ad infinitatem divinæ naturæ sat erit, eam esse suum subsistere; non quidem intra propriam lineam, sed intra lineas suarum personarum, ex eo quod identificatur cum illis absque ulla distinctione actuali. Et hic modus essendi per identificationem suum *subsistere*, seu *subsistere* suarum personarum arguit infinitatem in natura hoc habente : et ideo nulli naturæ creatæ, aut creabili, sed soli divinæ naturæ potest hoc competere.

102. Enervatur prior solutio. Non igitur hæc obstant. Non quidem prior solutio adhibita rationi factæ. Nam illa satis corruit ex iis, quæ dubio præcedenti asseruimus, nempe, quod etsi daremus, quod hoc, quod est, esse in se et per se, pugnet cum hoc, quod est, esse in aliquo realiter actualiter, sive ex natura rei distincto ab eo, quod dicitur esse in se et per se : non tamen esse in aliquo, seu subsistere in aliquo, quod sit idem prorsus absque aliqua distinctione reali actuali, aut ex natura rei cum eo, quod habet esse in se et per se. Et ratio est aperta. Quia ubi non est alia, et alia res, sed id, quod subsistit, est idem realiter absque aliqua distinctione ex natura rei cum eo, in quo subsistit, non potest verificari, quod id, quod subsistit in illo, insit, seu subsistat in alio ; sed potius inde colligetur, subsistere in se et per se : siquidem id, in quo subsistit, est idem prorsus absque distinctione jam dicta, ac id, quod subsistit.

Dilucidatur amplius. Accedit primo, quod, ut loco nuper citato diximus, quando aliquid subsistit in aliquo afferente propriam subsistentiam, non dicitur absolute et simpliciter esse in alio, si prædicta subsistentia afferatur ex propriis meritis ejus, quod in illo dicitur subsistere. Nam hoc ipso jam res illa, a

qua velut a prima radice oritur, dicitur esse in se et per se : siquidem ex vi sua affert, saltem radicaliter, id, per quod est per se : et ita hic modus essendi in alio non opponitur cum modo essendi per se. Ergo multo minus tolletur a natura divina : quod sit in se et per se, per hoc quod subsistat in aliquo habente subsistentiam ortam ex priori alia subsistentia ejusdem naturæ, et eamdem subsistentiam absolutam imbibente.

103. Evertitur secunda solutio ad eamdem rationem. Ex quibus, et ex his, quæ num. 83 et sequentibus diximus, satis constat, nullius esse roboris solutionem, quæ nostræ rationi secundo loco ab adversariis adhibetur. Tum, quia ex testimoniis Conciliorum et Patrum, quæ numeris citatis adduximus, constat, non requiri ad rationem subsistentiæ omnimodam incommunicabilitatem respectu proprii suppositi naturæ illius, quæ subsistere dicitur. Et ideo tribuunt divinæ naturæ propriam subsistentiam absolutam, communicabilem tamen propriis suppositis divinæ naturæ. Tum etiam, quia ut ex his, quæ in explicatione tituli diximus, satis liquet, hic non loquimur de subsistentia in quavis significatione; sed ut præcise dicit talem modum essendi ut res, quæ subsistere dicitur, non pendeat ab alio ut a sustentante, sitque existens *ut quod,* necnon et principium *quod* operandi.

Tum denique, et maxime. Quoniam falsum est ad rationem subsistentiæ (si illa non sit finita et creata, sed infinita ac increata) requiri omnimodam incommunicabilitatem respectu propriarum personarum. Nam ad hoc, ut aliqua natura sit subsistens, sufficit, quod sit per se, ac proinde possit existere, et operari *ut quod* : sitque incommunicabilis alteri ut supposito alieno, ac proinde realiter, sive ex natura rei ab ea distincto. Et ratio quoad hoc ultimum (de quo poterat esse aliqua dubitatio) videtur aperta. Nam ideo humanitas subsistens in Verbo non habet subsistentiam distinctam a subsistentia Verbi, quia est in illo, ut in alieno supposito. E contra vero, hoc ipso, quod prædicta humanitas haberet talem modum essendi, ut ei repugnaret esse communicabilem alteri tanquam alieno supposito, non posset non esse in se et per se, habereque esse subsistens : ac proinde hæc incommunicabilitas, et non aliqua alia requiritur ad veram rationem subsistentiæ; quamvis ad rationem suppositi, aut personæ major alia incommunicabilitas desideretur.

Quare, cum divina natura, ut præit suas personalitates, habeat talem modum essendi, ut ei repugnet esse in alio, tanquam in alieno supposito (alioqui posset pendere ab alieno, et creato supposito tanquam a sustentante) consequens est, ut secundum se et ut præit suas personalitates, habeat incommunicabilitatem requisitam ad aliquam veram rationem subsistentiæ : atque adeo ex hoc capite nihil illi deerit, quominus sit subsistens per subsistentiam quamdam, quæ ratione suæ infinitatis sit communicabilis propriis suppositis, et incommunicabilis omnibus, et solis alienis suppositis. 104.

Illustratur amplius. Potestque hæc ratio magis elucidari, et explicari ex eo, quod si per impossibile daremus, humanitatem præcise incommunicabilem alteri, ut alieno supposito, tunc non posset non habere aliquem modum essendi distinctum ab eo quem habet humanitas in Christo Domino secundum ea, quæ a se, et non a divino supposito habet. Siquidem humanitas Christi communicatur alteri, ut alieno supposito : cum tamen prior illa humanitas supponatur omnino incommunicabilis alteri, tanquam alieno supposito. At modus iste, quem haberet in eo eventu humanitas illa incommunicabilis tantum esset modus subsistendi; quia idcirco aliquid est incommunicabile alteri, ut alieno supposito, seu nequit esse in alio extraneo, ut in sustentante, quia est in se et per se, et habet unde sustentetur : ideoque humanitas Christi, quia caret proprio sustentante, propriaque subsistentia, potest esse in alieno supposito : ergo, etc.

Diximus, *si per impossibile daretur humanitas, quæ præcise esset incommunicabilis alteri, ut alieno supposito.* Quoniam fieri nequit, humanitatem esse incommunicabilem alteri, ut alieno supposito, et non simul esse omnino incommunicabilem cuivis supposito : hoc tamen provenit ratione limitationis ejusdem humanitatis, et modi subsistendi ipsius, ratione cujus redditur incommunicabilis alieno supposito. Nam cum subsistentia illa sit limitata, finit et limitat naturam, ne sit in alio subsistente sive proprio, sive alieno : sicuti materia, quæ ratione suæ finitatis, et potentialitatis limitat formam, habet ita coarctare illam, ut illa met forma semel informans materiam nequeat recipi in alia materia, ut N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 4 quæst. 6 docent : unde hoc 105.

N. Compl.

hoc non oritur per locum intrinsecum ex ratione generali subsistendi. Et ita subsistentia, quæ fuerit infinita, poterit reddere naturam incommunicabilem alteri, præcise ut alieno supposito : et hoc ipso, quod natura sic incommunicabilis sit, intelligitur subsistens. Sicut etiam propter hanc rationem subsistentia Patris divini ob rationem generalem subsistentiæ nihil habet, unde non sit communicabilis alteri, ut supposito, nec ob rationem subsistentiæ infinitæ ut sic ; quamvis, quia est subsistentia dicens oppositionem relativam, vel formalem, vel radicalem cum quavis alia subsistentia relativa, idcirco est omnino incommunicabilis alteri, tanquam supposito.

106. Impugnatur solutio confirm. Nec etiam obest solutio, quæ adhibetur confirmationi. Quin potius, si prædicta solutio bene perpendatur, potest ex illa non levis impugnatio contra eamdem desumi. Quoniam etsi linea naturæ Dei ob rationem generalem lineæ divinæ tantum petat hoc, quod est, non esse ab alio tanquam a causa : attamen ob rationem specialem primæ et fontalis lineæ inter omnes, quæ in Deo reperiuntur, exigit, non solum non esse ab alio tanquam a causa, sed etiam non esse ab aliquo tanquam a ratione a priori ad ordinem activum, aut quasi activum spectante : alioqui non esset prima et fontalis linea ; sed aliam præsupponeret, a qua, modo insinuato, dimanaret. Ergo eadem ratione exiget, quod non sit ab alio tanquam a causa sustentante, vel tanquam a ratione virtualiter distincta, a qua sustentetur, a quaque sit in se et per se ; sed sicut ex vi suæ lineæ habet, quod ex vi propriorum terminorum sit existens, ita etiam, quod sit in se, et per se, et non dependens ab aliquo a se virtualiter distincto, tanquam a sustentante.

Patet consequentia. Tum, quia id, quod est tantæ eminentiæ, et perfectionis, ut ratione illius, non solum sit independens ab alio ut a causa efficienti, verum etiam ut a ratione a priori virtualiter distincta, et ad ordinem activum spectante, oportet, ut propter eamdem eminentiam sit etiam independens ab alio, vel tanquam a causa sustentante, vel tanquam a ratione virtualiter distincta, a qua sustentetur : alioqui res illa non esset existens ex vi propriorum terminorum. Siquidem, quod non potest in se et per se esse ex vi suæ lineæ, nequit habere esse præcise ex vi propriorum terminorum.

Tum etiam. Quia indispensabilior est dependentia rei a sua causa, vel principio, aut ratione efficienti, quam dependentia ab aliquo a se realiter, vel virtualiter distincto, tanquam a sustentante : et ita suppositum creatum, quod absolvitur a dependentia ab alio, tanquam a sustentante, nequit absolvi a dependentia a sua causa efficienti. Ergo si natura divina intra suam lineam habet, quod ratione suæ eminentiæ absolvatur a dependentia, aut quasi dependentia ab alio, non solum tanquam a causa efficienti, sed etiam tanquam a ratione a priori ad ordinem activum pertinente : multo magis poterit, et debebit absolvi a dependentia ab alio, tanquam a causa, sive tanquam a ratione virtualiter ab illa distincta ; sed in se, et per se, ac ex vi suæ lineæ præcise habebit, unde sustentetur : et per consequens ex vi ejusdem lineæ debet subsistere.

Neque etiam id, quod primo loco pro majori solutione ejusdem confirmationis additur, obstat, propterea apertam disparitatem, quæ est inter personalitates divinas collatas cum natura Dei, et inter subsistentiam absolutam comparatam cum eadem natura. Quoniam prædictæ personalitates, quippe relativæ, pertinent ex genere suo ad lineam diversam a linea divinæ naturæ : siquidem linea naturæ est linea absoluta, et absolutum, ac relativum pertinent ad distinctas lineas. Cæterum subsistentia absoluta, hoc ipso quod subsistentia absoluta est, nihil habet, unde repugnet ei pertinere ad lineam absolutam : et propter illa, quæ nuper diximus, debet ad lineam divinæ naturæ spectare. 107. Evanescit quod primo adducitur pro evasione firmanda.

Potestque hoc magis declarari ex eo, quod *esse* per se absolutum multum differt a personalitate, seu modo essendi per se relativo. Nam personalitas includit formaliter, quod sit ratio incommunicabiliter subsistendi : quod non habet, nisi vel ratione oppositionis, ut in divinis, vel ratione limitationis, ut in creaturis : et ideo non potest formaliter huic Deo, præcise concepto intra suam lineam, convenire : quia ad ejus lineam nec relatio, nec limitatio spectare potest. At subsistentia absoluta præcise dicit perseitatem essendi, quæ ex proprio conceptu non postulat omnimodam incommunicabilitatem, nisi tantum incommunicabilitatem alteri, tanquam alieno supposito, seu tanquam rei aliquo modo actualiter distinctæ a parte Dilucidatur hæc impugnatio.

rei, ut in illa, vel per illam sustentetur. Hæc autem incommunicabilitas cum hac præcisione, ac proinde una cum communicabilitate ejusdem numero subsistentiæ absolutæ respectu plurium personarum ab ea sola ratione distinctarum, et propriarum ejusdem numero naturæ per se subsistentis, ut in divinis contingit, non oritur ex limitatione; sed potius arguit infinitatem : neque etiam ducit ortum ex oppositione aliqua : et ita non mirum, quod in hoc Deo, ut præit suas personalitates, inveniatur.

108. Corruit additamentum secundum prædictæ solutionis.

Ex quibus etiam constat, nihil obesse id, quod ultimo loco in eadem solutione prædictæ confirmationis additur. Siquidem ostensum est, quod ad lineam divinæ naturæ pertinet subsistentia absoluta : sicut ad eam spectat, quod non sit ab alio, sive tanquam a causa efficiente, sive tanquam a ratione a priori ad ordinem activum spectante. Et ita ad ejus infinitatem non est satis, quod cum virtuali distinctione identificetur cum personalitate, et subsistentiis relativis, et quod præcise ex vi earum linearum sit subsistens; sed insuper desideratur, quod ex vi propriæ lineæ habeat subsistentiam, et intra illam præcise sumptam sit subsistens : et per consequens ita sit idem cum hac subsistentia, ut adhuc virtualiter ab ea non distinguatur : siquidem ea, quæ constituunt unicam et eamdem lineam in divinis, sunt ita idem, ut nec virtualem distinctionem admittant.

Adde (id, quod ex dictis sequitur) ex vi omnium, quæ in solutione nostræ confirmationis ab adversariis adducuntur nulla ratione infringi duas posteriores probationes in eadem confirmatione adductas, quarum vis potest sic explicari. Quoniam ubicumque datur in aliquo priori operatio alicujus naturæ, oportet, ut præcedat, saltem ex parte nostri modi concipiendi, ipsa natura cum suo *esse*, suoque *subsistere* : siquidem operationes sunt subsistentium. Sicut etiam oportet, quod si illa operatio sit ipsummet *esse* operantis absque aliqua distinctione virtuali, quod etiam sit ipsum *subsistere* ejusdem operantis absque eadem distinctione : siquidem, ut modo dicebamus, prius est naturam aliquam subsistere, quam operari : et ita si natura aliqua pertingit ad hoc, ut identificet sibi suum *operari* absque virtuali distinctione, etiam pertinget ad hoc, ut absque prædicta distinctione identificet suum *subsistere*, quod intimius et proximius est ipsi, quam prædictum *operari*.

Quare, cum in illo priori, in quo natura divina præit suas personalitates, intelligatur tunc operatio ejusdem naturæ, nempe, *intelligere* primordiale et essentiale, quod est constitutivum prædictæ naturæ, juxta ea, quæ in 1 tomo tractatu 3 disp. 4 num. 43 late diximus, oportet, ut natura divina præsupponatur, saltem præsuppositione ex parte nostri modi concipiendi, ut subsistens : necnon ut ita subsistens, quod sit solum *subsistere* absque distinctione virtuali : sicut est suum *esse*, suumque *operari*, nempe, *intelligere* essentiale et primordiale absque eadem distinctione.

§ IV.

Posterior ratio pro veriori Angelici Præceptoris sententia.

Secundo probatur eadem D. Thomæ sententia ratione alia, per quam præcedens magis confirmatur. Quoniam in hoc distinguitur *esse* divinum ab *esse* creato, v. g. Angelico, vel humano, quod *esse* creatum est tale, quia est hujus naturæ, et non alterius : et ideo *esse* Angelicum Gabrielis est tale, quia est *esse* naturæ Gabrielis, et non Michaelis : *esse* vero divinum est tale, quia est ipsum *esse* per se subsistens. Ergo *esse* Dei erit subsistens per subsistentiam absolutam aliquo modo, nempe virtualiter, distinctam a subsistentiis trium suppositorum, seu personarum divinarum. Consequentia videtur perspicua. Quoniam nisi *esse* divinum esset ipsum *esse* subsistens per propriam subsistentiam absolutam, et non solum per subsistentiam suarum personarum, non staret discrimen in antecedenti positum, nempe, quod solum *esse* divinum est *esse* per se subsistens : siquidem etiam *esse* Angelicum est *esse* subsistens per subsistentiam proprii suppositi.

109. Secundum assertionis fundamentum.

Antecedens autem probatur. Quoniam *esse* Angelicum, v. g. Michaelis, non est existens *ut quod* sed præcise *ut quo* : quia est id, quo natura Michaelis, non vero Gabrielis existit. Et ideo est tale, quia est *esse* naturæ Michaelis, et non Gabrielis : sicut etiam *esse* Gabrielis est tale, quia est *esse*, quo existit natura Gabrielis, et non Michaelis : et hoc non aliunde, nisi quia est *esse* finitum et limitatum, quod proinde non est *esse* existens *ut quo*, et *ut quod*, sed tantum *ut quo*. Cæterum ipsum *esse* Dei

Dei non existit præcise *ut quo*, sed existit etiam *ut quod* : tum, quia est *esse* infinitum intra primam, et perfectissimam omnium linearum, quæ in divinis reperiuntur : et ideo, sicut *esse* Angelicum tantum existit *ut quo*, ratione suæ limitationis, sic *esse* Dei ratione infinitatis prædictæ existit, tam *ut quo*, quam *ut quod*.

Tum etiam. Quia hoc, quod est, existere præcise *ut quo*, non dicit omnem excogitabilem perfectionem in ratione existendi : quam tamen dicit hoc, quod est, existere tam *ut quo*, quam *ut quod*. Ergo cum *esse* Dei debeat dicere totam hanc perfectionem in ratione existendi : quippe quod dicit *esse* infinitum intra primam et potissimam lineam divinam, nempe naturam Dei : inde est, ut debeat existere, non tantum *ut quo*, sed etiam *ut quod*. Et propterea non est tale, præcise quia est hujus naturæ, nempe naturæ divinæ ; sed quia est ipsum *esse subsistens* : siquidem in rebus substantialibus id, quod existit *ut quod*, ac proinde ut sustentans, aut quasi sustentans rationem existendi, habet *esse* in se et per se, et per consequens *esse* subsistens.

110. D.Thom. Quæ ratio desumitur ex D. Thoma quæst. 7 de Potentia art. 2 ad 5 his verbis : *Dicendum, quod sicut dicitur in libro de Causis, ipsum esse Dei distinguitur, et individuatur a quolibet alio esse per hoc ipsum, quod est esse per se subsistens, et non adveniens alicui naturæ, quæ sit aliud ab ipso esse. Omne autem aliud esse, quod non est subsistens, oportet, quod individuetur per naturam et substantiam, quæ in tali esse subsistit. Et in eis verum est, quod esse hujus est aliud ab esse illius, per hoc, quod est alterius natura. Sicut si esset unus calor per se existens sine materia, vel subjecto, ex hoc ipso ab omni alio calore distingueretur, licet calores in subjecto existentes non distinguantur, nisi per subjecta.*

Occurrit Vasquez. Nec refert, si occurras ex doctrina Vasquez, et aliorum loco infra referendo, quod etsi *esse* Dei sit existens *ut quod*, ac proinde sit etiam ipsum *esse* subsistens, et in hoc distinguatur a quolibet alio *esse* creato : non tamen idcirco erit subsistens per propriam subsistentiam absolutam ; sed tantum subsistet per subsistentias relativas proprias personarum. Quia ita subsistit in illis, et per illas, ut identificetur realiter cum ipsis absque omni distinctione reali actuali, sive ex natura rei, et cum sola distinctione virtuali : et ita ratione hujus identificationis cum divinis personis existentibus *ut quod* competit eidem *esse* divino, ut existat, non solum *ut quo*, sicut et alia *esse*, sed etiam existat *ut quod*, et habeat alia, quæ in hac ratione D. Thomæ referuntur.

Non itaque hoc refert. Tum propter illa, quæ in præsenti ratione adduximus, quæ quidem satis probant, quod divinum *esse* ratione sui, et intra propriam lineam, et non solum ratione personalitatum divinarum subsistit in se et per se, seu (quod in idem quoad præsens redit) non solum existit *ut quo*, sed etiam *ut quod* : quamvis, ut ibidem innuimus, in prædicto *esse* non distinguatur virtualiter munus existendi *ut quo* a munere existendi *ut quod*, sed solum dicat eminentiam unius et ejusdem *esse* afferentis duo ista munera ex parte solius nostri modi concipiendi distincta : ex eo quod prædicta munera pertinent ad unam et eamdem lineam. 111. Eliditur primo.

Tum etiam. Quia contra prædictam solutionem obstat ratio satis fundamentalis desumpta ex D. Thoma loco supra relato, nempe, in 3 dist. 6 q. 2 art. 2 in solutione ad 2, necnon in pluribus aliis locis, quæ supra disput. 7 a n. 6 adduximus, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam in divinis tantum datur unicum et idem *esse* absolutum absque aliqua multiplicatione plurium existentiarum, adhuc virtualiter distinctarum ; sive illæ sint absolutæ, sive relativæ, ut loco citato late ostendimus, et constat etiam ex illis, quæ in 1 tomo tract. 3 disp. 4 num. 7 et sequentibus diximus : ita quidem, ut prædictum *esse* spectet ad lineam essentiæ seu naturæ divinæ, ut habetur etiam locis citatis. Ergo ea solum, quæ ad lineam divinæ naturæ spectant, ut ipsum *esse*, et alia hujusmodi, quæ proinde sunt ipsissima (ut sic dicamus) natura Dei, existent per se primo per prædictum *esse*, tanquam per existentiam sibi propriam, et non ab alio perprius existenti communicatam. Ergo prædictum *esse* intra propriam lineam, non solum existet *ut quo*, quatenus est ipsa ratio existendi, sed etiam *ut quod*, quatenus est ipsa natura Dei : et per consequens erit intra propriam lineam ipsum *esse subsistens*, et non solum ratione personalitatum divinarum. Secundo. D.Thom.

Hæc ultima consequentia non indiget probatione : siquidem in substantiis id, quod existit per se primo, et *ut quod*, est subsistens. Secunda vero consequentia ex 112.

priori etiam liquet. Quoniam in eisdem substantiis id existit *ut quod*, cui convenit per se primo existentia, tanquam quid sibi proprium, et non communicatum ab alio perprius existenti per talem existentiam, ut constat inductive in omnibus substantiis creatis.

Prima autem consequentia ex antecedenti satis deducitur. Tum, quia si *esse* Dei tantum est unicum et absolutum, oportet, ut per illud non existant per se primo, tanquam per existentiam sibi propriam, divina attributa, ut ex se patet : siquidem hæc debent præsupponere essentiam Dei existentem, et existere per existentiam communicatam ab illa, si semel in divinis tantum potest esse unicum et idem *esse* absque aliqua multiplicatione, adhuc virtuali. Et similiter per prædictum *esse* non poterunt per se primo existere relationes personales, seu personæ : quia hæc sunt posteriora, quam attributa, ac proinde, quam ipsum *esse* absolutum, quod pertinet ad lineam naturæ, quodque est prius eisdem attributis : cum tamen id, quod existit per se primo per *esse*, tanquam per existentiam sibi propriam, debeat præsupponi, vel realiter, vel virtualiter, vel saltem ex parte nostri modi concipiendi, juxta naturam suæ lineæ, ad prædictum *esse*. Ergo ea solum, quæ spectant ad lineam naturæ divinæ, ut ipsum *esse*, et alia hujusmodi, quæ proinde sunt ipsissima (ut sic dicamus) natura Dei, existent per se primo per *esse* divinum, tanquam per *esse* sibi proprium, et non communicatum ab alio perprius existenti per tale *esse*.

Impugnatur ulterius. Tum etiam. Quia si *esse* Dei est tantum unum et idem, et ad lineam divinæ naturæ spectans, oportet, ut sicut per se primo solum (ut sic dicamus) unitur, et identificatur cum iis, quæ pertinent ad lineam divinæ naturæ tanquam quid proprium eorum : ita solum per illud existant per se primo, tanquam per existentiam sibi propriam, ea, quæ sunt hujus lineæ, et inter illa ipsum *esse*, ut est ipsissima Dei natura.

113. Enucleatur vis hujus impugnationis. Confirmatur, et explicatur vis hujus impugnationis ex iis, quæ nuper dicebamus, ad hanc tamen formam redactis. Quoniam *esse* Dei est ipsum *intelligere* divinum primordiale et essentiale : nam prædictum *intelligere* est constitutivum divinæ naturæ, ut constat ex illis, quæ in 1 tom. tract. 3 disput. 4 num. 43 et sequentibus diximus : et in divinis, ut sæpius diximus, et ibidem explicuimus, natura, et existentia illius non distinguuntur virtualiter, sed pertinent ad eamdem lineam : ergo sicut prædicta intellectio essentialis, hoc ipso quod sit operatio vitalis, præsupponit, præsuppositione saltem ex parte nostri modi concipiendi, vim proximam, necnon et vim radicalem ad intelligendum, quæ sit talis, non solum *ut quo*, sed *ut quod* (ne detur operatio vitalis, et maxime substantialis, sine suo quasi principio radicali *quod)* et omnia ista pertinent ad unam et eamdem lineam, ac proinde prædicta intellectio essentialis est ex vi suæ lineæ ipsa intellectio, et vis proxima, necnon et ipsa intelletio et vis proxima, necnon et ipsa vis radicalis tam *ut quo*, quam *ut quod* ad intelligendum : ita eadem intellectio, ut est existentia divinæ naturæ, præsupponet, præsuppositione saltem ex parte nostri modi concipiendi, omnia ista, et se ipsam, ut est ipsa Dei natura et essentia : ac proinde ut exprimit hoc speciale munus, scilicet esse id, quod per se primo redditur existens *ut quod* per prædictam intellectionem, ut exprimit se ipsam, quatenus est ratio existendi : ac tandem cuncta hæc pertinebunt ad unam et eamdem lineam : taliter, quod prædicta existentia, et *esse* Dei sit ex vi suæ lineæ ipsa ratio existendi, seu existentia *ut quod*, et id, cui convenit existere *ut quod*.

Patet consequentia. Tum ex paritate, et summa identificatione horum omnium munerum absque distinctione etiam virtuali, sed sola distinctione ex parte nostri modi concipiendi. Tum etiam, quia sicut aliquid se habet ad *esse*, ita et ad *operari*. Et ideo id, quod est sua operatio, et cujus operatio est ipsum principium operandi, tam *quo*, quam *quod*, sine distinctione virtuali, erit etiam suum *esse* : taliter, quod suum *esse* sit id, quod existit *ut quo* et *ut quod*, idque, quod operatur *ut quo*, et *ut quod*.

Confirmatur secundo. Quoniam sicut in creaturis id existit *ut quod*, estque subsistens, cui competit *ut quod* esse ab alio, tanquam a causa efficienti : et propterea in via D. Thomæ (quam, explicantes quæstionem 17 in 3 part. ejusdem Angelici Doctoris contentam, elucidabimus) quia in creaturis solum suppositum fit *ut quod* a sua causa efficienti, idcirco ipsum solummodo existit *ut quod* : ita in divinis id habet ex vi suæ lineæ existere per se primo, et *ut quod*, cui competit non esse ab alio, sive tanquam a causa efficienti, sive 114. Confirmatur.

sive tanquam a ratione a priori. Quia cum *existere* Dei sit *existere* a se, sicut *existere* creaturæ est *existere* ab alio : inde est, ut id per se primo et potissime existat *ut quod* in divinis, quod potissime habet esse a se, id est, esse a se perfectissime, seu non esse ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori. Ergo cum solummodo ipsum *esse* Dei, et ea, quæ ad ejus lineam spectant, habeant esse perfectissime a se, id est, non ab alio tanquam a causa, vel tanquam a ratione a priori; sed potius prædictum *esse* sit ratio a priori, et *ut quod* omnium divinorum : oportebit, quod prædictum *esse* sit id, quod per se primo est existens *ut quod* ex vi suæ lineæ.

115. Dilucidatur hæc confirmatio. Potestque hoc ipsum amplius elucidari, ex eo quod personæ divinæ, nempe Filius et Spiritus Sanctus, quia sunt ab alio ut a principio, licet non ut a causa, suntque productæ *ut quod*, idcirco sunt existentes *ut quod*. Et similiter, quia Paternitas dimanat per dimanationem virtualem a divina essentia, et dimanat tam *ut quo*, quam *ut quod*, quia absque distinctione virtuali est ipsa Paternitas, et ipse Pater quoad ea, quæ persona Patris in recto dicit : idcirco habet etiam existere *ut quod*. Et tandem, quia omnia ista supponunt divinam essentiam, et divinum *esse*, tanquam id, quod non est ulla ratione ab alio, sive realiter, sive virtualiter distincto, propterea solum secundario habent existere *ut quod* per idemmet *esse* divinæ essentiæ : quia, ut ex dictis constat, in divinis non possunt, sive realiter, sive virtualiter multiplicari existentiæ. Ergo sola divina essentia, solummodo ipsum divinum *esse* erit existens per se primo *ut quod* : ex eo quod sola ipsa est, quæ est omnino a se, et non ab alio tanquam a causa, aut ratione a priori.

Patet consequentia. Nam hoc ipso, quod divinæ personæ solum existant secundario *ut quod*, quia aliquomodo sunt ab alio, oportet, ut per se primo sola existat *ut quod* divina essentia, quæ sola non est ullo modo ab alio, quæque habet *ut quod*, et non solum *ut quo*, hoc quod est, non esse sic ab alio : quandoquidem nihil, præter divinam essentiam, habet *ut quod* non esse ab alio, etiam tanquam a ratione a priori.

116. Tandem impugnatur D. Thomæ. Tandem impugnatur hæc eadem solutio adversariorum ratione alia desumpta ex D. Thoma loco supra citato, nempe, quæst. 9 de Potentia artic. 5 in solutione ad 13 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam *esse* Dei ita est in tribus personis divinis, ut communicet se illis absque aliqua distinctione, adhuc virtuali, ipsius : ita ut idem prorsus numero *esse* absolutum sit in illis, sicut et eadem prorsus natura divina in omnibus illis est : ergo prædictum *esse* non solum est existens *ut quo*, sed etiam præsupponitur existens *ut quod* : ac proinde erit ex vi suæ lineæ, et antecedenter ad divinas personas subsistens. Hæc secunda consequentia patet ex priori, et ex jam dictis. Prima vero ex antecedenti. Quoniam id, quod non est existens *ut quod*, seu quid subsistens ex se, et ex vi suæ lineæ, multiplicatur ad multiplicationem rei subsistentis, in qua recipitur, seu cui communicatur. Et propterea D. Thomas loco nuper citato colligit, essentiam divinam non multiplicari secundum numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in istis inferioribus, quia prædicta essentia ex se, et antecedenter ad suas personas est subsistens.

Confirmatur, et explicatur. Nam ex eo quod natura aliqua, v. g. humana, sit in pluribus suppositis, tanquam id præcise, quod habet esse *ut quo*, in eo, quod habet esse *ut quod*, seu tanquam quid non subsistens ex vi suæ lineæ in re subsistenti ex vi propriæ lineæ, nempe in prædictis suppositis, colligimus, quod etsi possit esse eadem in illis absque distinctione specifica; non tamen absque distinctione numerica : et quia est in illis tanquam in suppositis realiter ab ea distinctis, idcirco multiplicatur realiter numerice ad multiplicationem eorumdem suppositorum. Ergo hoc ipso, quod *esse* Dei, ac proinde natura divina, esset in pluribus suppositis divinis, ut existens præcise *ut quo* ex vi suæ lineæ, non vero ut existens *ut quod*, seu, non ut subsistens ante prædicta supposita : tunc, licet non multiplicaretur realiter ad multiplicationem eorum, quia sola ratione ab eis distinguitur : attamen multiplicaretur virtualiter, sicut et hoc modo habet ab eis distingui. Patet consequentia. Tum ex paritate rationis. Tum etiam, quia id, quod habet esse præcise *ut quo*, habet illud per ordinem, aut quasi ordinem ad id, quod habet esse *ut quod*, et per consequens distingui, et multiplicari ad multiplicationem illius, et eo modo, quo comparatur ad illud, tanquam id, quo aliquid est, respectu ejus, quod habet esse *ut quod*. Confirmatur et explicatur.

Nec refert, si dicas primo, hoc esse verum respectu naturæ finitæ et limitatæ; 117. Prior objectio.

non vero respectu naturæ infinitæ. Nam sicut illa, quia finita est, tantum petit unicum suppositum, et hoc ipso, quod sit in pluribus, colligitur, eam ibidem plurificari : ita natura infinita petit plura supposita absque aliqua sui plurificatione, et singula ex illis sunt inadæquata respectu prædictæ naturæ : et propterea ad multiplicationem eorum non debet ulla ratione plurificari : et per consequens neque *esse* prædictæ naturæ erit, sive realiter, sive virtualiter in eisdem suppositis multiplicabile.

Respondetur. Non itaque hoc refert. Quoniam etsi verum sit, naturam infinitam, et *esse* itidem infinitum, quale est esse Dei, posse, et debere esse in pluribus suppositis absque aliqua sui multiplicatione, adhuc virtuali : hoc tamen ideo est, quia prædictum *esse* est ex vi sua subsistens, antequam intelligatur esse in personis : quia, ut dicebamus, id, quod habet esse præcise *ut quo*, non potest non multiplicari aliquo modo per hoc, quod recipiatur, aut quasi recipiatur in eo, quod habet esse *ut quod*.

118. Explicatur amplius. Potestque hoc amplius declarari, supponendo id, quod ex ipsis terminis videtur notum, scilicet, infinitatem ideo conducere ad hoc, ut natura divina sit in tribus suppositis, quia tribuit ei amplitudinem ad hoc, ut possit ad illa extendi. Nam hoc supposito, potest id, quod intendimus, non parum declarari. Ex eo quod, sicut natura divina habet amplitudinem respectu suorum suppositorum, ita natura humana considerata in omni sua amplitudine respectu suorum : sed hoc ipso, quod non sit subsistens, nisi tantum ratione illorum, sed habeat esse præcise *ut quo*, multiplicatur realiter ad multiplicationem eorum : quia realiter in eis recipitur : ergo etiam divina natura multiplicabitur, saltem secundum rationem, ad multiplicationem suorum suppositorum, si semel non præsupponitur existens *ut quod*, antequam in illis sit ; licet habeat amplitudinem ad extendendum se ad illa : siquidem, saltem secundum rationem, comparantur inter se, tanquam id, quod præcise est *ut quo*, et id, quod est *ut quod*, sicut natura humana, et sua supposita comparantur secundum rem, tanquam *quo* et *quod*.

Dilucidatur ulterius. Accedit, quod sola infinitas naturæ (adhuc dato, non tamen concesso, ut ex dictis constat, eam posse salvari absque prædicta subsistentia) non conducit ad immultiplicabilitatem : sicut nec ad multiplicationem alicujus *esse* conducit sola illius limitatio, quando recipi potest in unico solo supposito, ut in Angelo contingit. Et ita prædicta multiplicabilitas, vel immultiplicabilitas non est mensuranda præcise penes limitationem et finitatem, sed ex unitate, vel pluralitate suppositorum, in quibus est, debet colligi, quoties prædictum *esse* non est existens *ut quod*, seu subsistens, antequam intelligatur suppositari. Sicut etiam, quod aliqua supposita sint inadæquata respectu alicujus naturæ, non arguit, si sint totalia et completa, eam non fore multiplicandam, si semel talis natura non existit *ut quod ;* seu non est subsistens, antequam sit in prædictis suppositis. Siquidem supposita naturæ humanæ sunt inadæquata respectu illius : et tamen non ob id remanet immultiplicata in ipsis. Sed quia non est in se et per se subsistens intra propriam lineam, sive antequam recipiatur in illis, idcirco ad multiplicationem eorum multiplicatur.

Nec etiam refert, si secundo dicas, attributa divina esse eademmet numero in tribus personis : et nihilominus, neque afferre propriam subsistentiam ex vi suæ lineæ, nec multiplicari aliquo modo, adhuc virtualiter, ad multiplicationem suppositorum, in quibus sunt : ergo, etc. 119. Secunda objectio.

Respondetur enim primo, esse probabile, quod licet prædicta attributa non afferant proprium *esse* existentiæ, important tamen propriam subsistentiam. Nam sicut misericordia creata, quia est quid completum intra lineam misericordiæ creatæ, affert propriam inhærentiam : ita misericordia divina, quia est completa intra lineam divinæ misericordiæ, et est quid substantiale, importat proprium modum existendi per se. Corruit primo.

Quæ solutio videtur habere aliquod fundamentum in D. Thoma q. 9 de Potentia artic. 5 in solutione ad 16 ubi cum sibi sic opposuisset : *Absolutum perfectius est, quam relativum : sed proprietates absolutæ, id est attributa essentialia, ut sapientia, justitia, et hujus modi, non constituunt in Deo plures personas : ergo nec proprietates relativæ, ut Paternitas et Filiatio.* Respondet : *Dicendum, quod attributa essentialia nullam ad invicem habent oppositionem, sicut relationes. Et ideo licet subsistant, sicut relationes, non tamen constituunt pluralitatem suppositorum ab invicem distinctorum : cum pluralitas distinctionem sequatur : distinctio vero formalis sit ex aliqua oppositione.* In quibus verbis 120. D. Thom.

bis non negat Angelicus Doctor, quod attributa essentialia sint constitutiva et multiplicativa personarum, ex eo quod non sint subsistentes : siquidem asserit, illa habere subsistentiam, sicut et relationes personales, quas ex vi suæ lineæ subsistere, ex eodem Angelico Præceptore dubio præcedenti ostendimus : sed quia prædicta attributa non habent inter se oppositionem, sicut relationes personales illam habent.

121. Secunda et verior solutio. Secundo respondetur, esse etiam probabilius quod attributa non habent propriam subsistentiam, sed subsistunt per subsistentiam divinæ essentiæ, sicut et per existentiam a prædicta essentia communicatam habent existere. Hinc tamen non fit, prædicta attributa multiplicari, adhuc virtualiter, ex eo quod communicentur divinis personis. Quoniam per prius communicantur divinæ essentiæ per se subsistenti : et deinde consubsistunt ad subsistentiam illius, et sic consubsistentia; et quatenus habent consubsistere per prædictam subsistentiam, communicantur tribus personis divinis : ideoque non multiplicantur, adhuc virtualiter, per communicationem illam secundariam, per quam communicantur, et sunt in tribus personis divinis. Quoniam ad hanc multiplicationem desiderabatur, ut non essent in prædictis personis, quatenus sunt subsistentia, aut consubsistentia ratione divinæ essentiæ.

Unde, si per impossibile daretur, quod essentia divina, ut subsistens in Patre, haberet, una cum subsistentia relativa Paternitatis, subsistere in Filio et Spiritu Sancto, ita ut tam essentia, quam Paternitas subsisterent in illis : tunc, quia essentia, ut subsistens per Paternitatem actuaret personam Filii et Spiritus Sancti, et terminaretur per illas, non multiplicaretur, nec quoad essentiam, nec quoad Paternitatem ad multiplicationem earum. Sic igitur nec attributa modo multiplicantur per hoc, quod communicentur pluribus personis : quia communicantur illis quasi mediate, et quatenus consubsistunt per subsistentiam divinæ essentiæ. Ideoque tota ratio, propter quam, non admissa subsistentia absoluta, asserit Angelicus Doctor multiplicandam fore divinam essentiam, divinumque *esse*, est, quia prædictum *esse* nequit, ut subsistens in una persona, subsistere in alia, ita ut tam *esse*, quam prior illa subsistentia relativa terminetur per aliam subsistentiam relativam.

§ V.

Opposita sententia, primum ejus fundamentum, et enodatio illius.

Oppositam tamen sententiam, nempe, præter subsistentias relativas non dari aliam absolutam, tuetur Vasquez in præsenti disput. 125 cap. 3 et sequentibus : et pro ea refert Alexandrum, Bonaventuram, Richardum, Marsilium, Henricum, et Genebrardum. Eamdemque tuentur Arrubal in hac 1 part. disp. 109, Ruiz de Montoya disput. 34 sect. 5 et sequentibus, Lorca 3 p. disput. 14, et novissime Araujo in 2 tomo suæ Metaphysicæ lib. 7 q. art. 3 num. 11. 122. Opposita sententia. Vasquez. Arrubal. Ruiz de Montoya. Lorca. Araujo.

Probatur primo. Nam Concilia, a quibus ex professo de mysterio Trinitatis disseritur, et magna reverentia inquisierunt, et adinvenerunt nomina aptissima ad illud, et ad ea, quæ ad ipsum pertinent, declaranda, nunquam usurparunt nomen ***subsistentiæ absolutæ***, seu communis; sed pro eodem reputarunt subsistentiam, et personam : ergo sentiunt, non minus esse certum, non dari in Deo subsistentiam absolutam distinctam a tribus relativis, quam non dari quartam personam distinctam aliquo modo a tribus : quod apud omnes Catholicos videtur esse certum. Consequentia est legitima. Quoniam si præter subsistentias relativas, seu constitutivas, et distinctivas personarum, esset aliqua alia subsistentia absoluta, et communis omnibus personis divinis, non sumerent pro eodem subsistentiam et personam : siquidem tunc non essent omnino idem, sed haberent diversas rationes. Sicut, quia essentia divina et persona non sunt omnino idem, sed distinguuntur virtualiter, propterea Concilia non sumunt pro eodem essentiam, et personam. Primum fundamentum.

123. Antecedens autem probatur. Tum ex secunda Synodo generali, quæ est prima Constantinopolitana, initio epistolæ ad S. Damasum, ubi approbatur doctrina Nicæni I dicentis : *Nos credere, videlicet, ut divinitas, et potestas una Patris et Filii et Spiritus Sancti, etc. in tribus perfectis subsistentiis, sive in tribus perfectis personis, etc.* Conc. Const. I. Conc. Nicænum I. Tum etiam ex tertia Synodo generali, sive Ephesina, in qua N. Cyrillus Alexandrinus, qui illi præfuit nomine Cœlestini Papæ, in tomo 5 Anathematismo 2, ait Verbum divinum humanitati fuisse unitum Conc. Gen. III. N. Cyrill. Alexand.

secundum hypostasim, seu subsistentiam: et in 3 Anathematismo damnat dividentes subsistentias in Christo Domino: ubi subsistentiam, sive hypostasim, et personam pro eodem omnino reputat. Tum deinde ex Concilio Chalcedonensi et universali IV Actione 16 approbante sententiam primi Concilii generalis, ubi sic dicetur: *Contra eos quoque* (scilicet Photinum et Marcellum) *trium subsistentiarum Patres intulere doctrinam etc. Ostendentes, quod unam duarum personarum nobis essentiam fides ediderit, nequaquam Filii subsistentiam denegaverit.* Tum denique ex quinta Synodo generali, Constantinopolitana secunda, Collatione 8 Canone 1: *Si quis* (ait) *non confitetur Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unam naturam, sive substantiam, unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, anathema sit.*

Conc. Gen. IV. — Conc. Gen. V.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia idem significat nomen *subsistentiæ* Latine, quod Græce *hypostasis*. Et ita ex Græcis Joannes Maxentius in Catholica de Christo professione, quæ habetur tomo 6 Bibliothecæ novæ part. 1, fatetur, idem omnino esse personam, et subsistentiam (intellige, in natura rationali). Quod etiam fatentur plures ex Patribus, ut Athanasius in sermone de sanctissima Deipara, Flavianus apud Joannem Maxentium ubi supra, Damascenus lib. 3 fidei cap. 6. Ideoque Imperator Justinianus, et ipse Latine scribens ad Pontificem Joannem secundum, in edicto, seu confessione ad eum missa, quæ habetur in tomis Conciliorum post Concilium Toletanum secundum columna 9 intelligens hunc communem sensum Patrum, ita scribit: *Quoniam non est idem natura, et subsistentia. Omnes enim sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, sive substantiam, et formam, et aliud subsistentiam, sive personam. Et naturam quidem, vel substantiam, et formam, hoc, quod est commune, significare, subsistentiam autem, sive personam, hoc quod est speciale.*

Maxent. Athanas. Flavian. Damasc. Justin.

124. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo ex Angelico Doctore diligentissimo observatore doctrinæ, et phrasis Conciliorum ac Patrum, qui omnino idem putat esse subsistentiam naturæ intellectualis, et personam: nec in essentia a personis abstracta ullam cognovit subsistentiam. Unde quæst. 9 de Potentia art. 3 ad 1 ait, quod *nomine persona significatur subsistens in natura intellectuali*; et in solutione ad 5: *Ex hoc* (inquit *quod aliquid est subsistens habet, quod de pluribus prædicari non potest. Et ideo nihil prohibet in rebus immaterialibus substantiam individuam, et personam inveniri*; et artic. 5 in fine corporis: *Res autem* (ait) *subsistentes in divina natura sunt divinæ personæ*; et in hac quæst. 29 artic. 2 ait, hypostasim et subsistentiam idem significare; et artic. 3: *Persona* (asserit) *significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura.*

Angel. Doctor.

Et 3 part. quæst. 2 art. 2 ubi loquens de divina natura, et ejus supposito, sic inquit: *Natura dicitur, secundum quod est essentia quædam: eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens.* Et artic. 6: *Fides autem Catholica medium inter prædictas positiones tenens non dicit, unionem factam Dei, et hominis secundum essentiam, vel naturam, nec etiam secundum accidens, sed medio modo, secundum subsistentiam seu hypostasim.* Et quæst. 3 art. 2: *Esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundum se ipsam; sed ratione personæ, in qua consideratur.* Si autem in divina natura esset subsistentia absoluta, tunc ratione illius posset terminare naturam creatam, sicut terminat divinam. Et tandem in 3 dist. 5 q. 2 art. 3: *Si circumscribatur a Deo omnis ratio personalitatis, ipsa natura neque erit subsistens in se, neque erit in aliquo subsistente.*

125. Respondetur, quod sicut nomen *substantia* aliquando apud Patres sumitur in divinis pro ipsa essentia et natura Dei, ut constat ex locis in hoc argumento relatis, et propterea in eis dicitur, esse in divinis unam tantum substantiam; aliquando vero accipitur pro relationibus personalibus, et ideo possunt concedi in Deo tres substantiæ, ut constat ex his, quæ ex Augustino in hac disputat. num. 29 diximus, necnon ex edicto Imperatoris Justiniani nuper relato, ubi habetur, unitatem convenire Deo secundum rationem substantiæ, seu Deitatis; Trinitatem autem secundum proprietates, vel substantias, sive personas. Ac tandem ex Hilario in lib. de Synodis, ubi explicans fidem Concilii Antiocheni refert pagina 128 et 129 hanc propositionem illius: *Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt per substantiam tria.* Et ait, illam non habere calumniam. Ita similiter *subsistere*, et subsistentia aliquando sumitur apud Patres pro subsistentiis relativis, ut patet ex testimoniis in hoc argumento adductis; aliquando vero pro *subsistere*, sive subsistentia absoluta, ut constat ex testimoniis Conciliorum

Animadversio pro solutione fundamenti. — Justinian. — Hilarius.

Conciliorum et Patrum, quæ pro nostra assertione adduximus.

Cæterum licet tam nomen *substantia*, quam *subsistentia* sumantur modis dictis : nihilominus est discrimen notandum inter utrumque. Quod in divinis nomen *substantia* absolute sumptum sumitur apud Patres pro essentia et natura Dei ; non tamen pro relationibus personalibus, nisi aliquid ei addatur, per quod determinetur ad hoc, ut accipiatur pro illis, ut si dicas, *substantia relativa*, etc. E contra vero nomen *subsistentia* absolute acceptum sumitur frequentius ab eisdem Patribus pro subsistentiis relativis, non pro subsistentia absoluta ; nisi apponatur aliquid determinans illud ad hoc, ut stet pro prædicta subsistentia, ut si dicas *subsistentia communi toti Trinitati*, vel *subsistentia absoluta*, vel aliquid hujusmodi.

126. Ratio animadversionis. Nec deest congrua hujus diversæ acceptionis ratio. Nam cum nomina ista desumantur ex iis, quæ reperiuntur in creaturis : et prius significent ea quæ in illis inveniuntur, et deinde transferantur ad significanda divina : hinc est, quod cum in creaturis nomen *substantia* absolute et simpliciter dictum significet naturam et essentiam rei, nomen vero *subsistentia* denotet subsistentiam incommunicabilem, ideo in divinis nomen *substantia* absolute et simpliciter dictum potuit a Patribus sumi ad significandam ipsam substantiam et naturam Dei, et nomen *subsistentia* ad denotandam subsistentiam incommunicabilem nempe relativam. Et ita, nisi eis aliquid addatur, nec nomen *substantia* denotat apud eosdem Patres (loquendo de eo, quod apud eos frequentius contingit) relationes personales, sive personas ; nec nomen *subsistentia* significat subsistentiam communem toti Trinitati, seu subsistentiam absolutam.

Diximus, frequentius sumi a Patribus propter prædictam rationem hoc nomen *subsistentia* absolute et simpliciter dictum pro subsistentiis relativis. Ut denotaremus, quod attendendo ad alia, et non ita frequenter, sumitur etiam ab eisdem Patribus prædictum nomen, adhuc absolute et simpliciter dictum, pro subsistentia absoluta. Quia nimirum subsistentia dicit ordinem ad *esse*, et sicut id, quod perprius in creaturis dicit ordinem ad *esse*, tanquam proprium ejus susceptivum, est suppositum : ita in divinis e contra, non supposita divina, sed ipsa Dei natura, ut subsistens subsistentia absoluta, est quæ, perprius dicit ordinem ad *esse* : ideoque ipsa sic subsistens, et quia sic subsistit (si ly *quia* dicat conditionem proximam ex parte nostri modi concipiendi distinctam) est, quæ per se primo existit : cum tamen, ut sæpe diximus, supposita divina tantum existant secundario, et ratione existentiæ absolutæ, quæ per se primo convenit divinæ essentiæ.

Hinc diluitur argumentum. Hinc ergo ad argumentum satis constat. Nam cum in testimoniis in illo relatis fiat sermo de subsistentia absolute et simpliciter dicta, nec addatur in eis aliquid, per quod nomen *subsistentia* determinetur ad hoc, ut stet pro *subsistere* absoluto et communi toti Trinitati, non mirum, quod apud Patres et Concilia prædicta, attendendo ad priorem rationem nuper dictam tantum sumatur in his locis nomen *subsistentia* pro subsistentiis relativis, quæ per prædictum nomen absolute et simpliciter dictum potius et frequentius significantur, quam ipsa subsistentia absoluta et communis toti Trinitati. Sicut etiam, attendendo ad posteriorem rationem, et licet non ita frequenter, nomen *subsistentia*, adhuc absolute sumptum, accipitur pro subsistentia absoluta et communi toti Trinitati, ut ex multis locis Angelici Doctoris jam adductis constat.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 distinct. 26 quæst. 2 art. 1 ad 4 his verbis : *Dicendum, quod persona, ut dictum est, non distinguitur in divinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse, sed solum ex parte proprietatum. Unde illa nomina, quæ dicuntur secundum respectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, sicut hypostasis, et persona. Quæ autem dicuntur per respectum ad esse prædicantur singulariter, ut subsistentia et essentia : quamvis nomen subsistentiæ apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi, ut prius dictum est.* 127. D. Thom.

Ubi, ut constat, Angelicus Præceptor duo fatetur. Primum est. Subsistentiam sumi aliquando pro subsistentia absoluta, et communi toti Trinitati : siquidem asserit, dari subsistentiam in divinis, quæ non dicatur pluraliter, sicut nec ipsa natura Dei pluraliter dicitur : aliquando vero, et hoc apud Patres, accipi pro supposito, sive pro subsistentia relativa, et incommunicabili ; non quidem, quia apud eosdem Patres non sumatur etiam pro subsistentia absoluta, ut ex eodem Angelico Doctore, et ex pluribus aliis Patribus vidi-

mus; sed quia propter rationem priorem in hac solutione adductam, frequentius utuntur nomine subsistentiæ absolute, et simpliciter dictæ ad denotandam subsistentiam relativam.

128. Secundum vero, quod Angelicus Doctor fatetur, est utraque ratio a nobis adducta, ob quam aliquando nomen subsistentiæ absolute, et simpliciter dictum sumitur pro subsistentia relativa, aliquando vero pro absoluta. Nam ex quo capite asserit nomen *subsistentia* significare ordinem ad *esse*, et per consequens non sumit illud, secundum quod etiam dicit incommunicabilitatem satis insinuat rationem a nobis adductam, propter quam prædictum nomen absolute sumptum possit significare subsistentiam communem toti Trinitati : siquidem, ut dicebamus, natura Dei per eam subsistens, et quia per illam subsistit, est, quæ per se primo existit in divinis. Et ideo prædictum nomen non sumitur ex creaturis quoad id, quod adæquate, sed quoad id, quod inadæquate significat, nempe, modum essendi per se absque incommunicabilitate ab eo significatum.

Sicut etiam ex quo capite ait, tum, quod illa nomina, quæ dicuntur secundum respectum ad proprietatem, ac proinde dicunt incommunicabilitatem, pluraliter prædicantur, sicut *hypostasis* et *persona*. Tum etiam, quod et nomen *subsistantiæ* sumitur apud Patres pro hypostasi, et per consequens pro subsistentia incommunicabili, atque adeo dicente utrumque modum perseitatis, et incommunicabilitatis repertum in creaturis, ut ex eodem Angelico Doctore dubio præcedenti asseruimus : non parum innuit priorem rationem, quam adduximus ad hoc, ut subsistentia absolute sumpta sumatur pro subsistentia personali : siquidem in creaturis, ex quibus hoc nomen desumptum est, accipitur pro *subsistere* incommunicabili : et hic modus subsistendi incommunicabiliter solum competit in divinis subsistentiis relativis.

129. Occurritur duabus confirmationibus. Ad primam confirmationem patet ex dictis. Ad secundam vero confirmationem desumptam ex diversis testimoniis D. Thomæ constat etiam ex nuper adductis : quid dicendum sit quo ad omnia testimonia, præterquam ad duo ultima. Unde ad primum ex his duobus dicendum est, Angelicum Doctorem non loqui de termino assumptionis utcumque, sed supposito decreto, quod de facto Deus habuit circa incarnationem. Nam hoc supposito, non convenit naturæ divinæ terminars de facto, et per se primo assumptionem ratione sui, aut alicujus pertinentis ad suam lineam, qualis est subsistentia absoluta; sed ratione personæ.

Ad secundum vero ex prædictis testimoniis dicendum est, Sanctum Doctorem solum velle, quod si abstrahatur a Deo omnis ratio personalitatis, idest, tam quoad rationem subsistendi ut sic, prout abstrahit a ratione subsistendi, sive absoluta, sive relativa, quam quoad rationes quasi differentiales; tunc natura divina neque erit subsistens in se, neque in aliquo subsistente. Hinc tamen non fit, non esse in Deo subsistentiam absolutam; sed non fore in illo, si abstrahatur ab eo omnis ratio, tam communis, quam peculiaris, quæ pertinet ad rationem personalitatis, qualis est ratio subsistendi ut sic, quæ est communis, tam subsistentiæ absolutæ, quam relativæ. Nam sublata hac ratione a Deo, debet consequenter tolli tam ratio subsistentiæ absolutæ quam relativæ.

§ VI.

Proponuntur et diluuntur secundum et tertium, necnon et quartum fundamentum oppositæ sententiæ.

Secundo probatur eadem sententia ratione. Quoniam Deitas, ut præintellecta personis, non potest esse principium *quod* generandi ad intra : ergo, antequam intelligatur personata non erit subsistens. Antecedens est manifestum. Quoniam id, quod præintelligitur personis, est commune toti Trinitati : et per consequens Patri et Filio, ita ut sit prorsus idem in illis. Si autem Deitas, ut præintellecta personis, esset principium *quod* generandi, distingueretur realiter a Filio, et non esset eadem numero communis utrique : sicut quia Pater est principium generans Filium, distinguitur realiter ab illo. 130. Secundum argumentum

Consequentia vero probatur. Quoniam sicut id, quod subsistit per se primo in natura humana, est principium *quod* generandi filium : ita id, quod per se primo subsistit in natura divina, quale esset Deitas præintellecta personis, si haberet subsistentiam absolutam, deberet esse principium *quod* communicandi ad intra naturam divinam et generandi Filium : ergo si Deitas, ut præintellecta personis, hoc non habeat,

habeat, signum erit, non subsistere, quatenus intelligitur præcedere divinas personas.

131. Enodatur. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem dicendum est, requiri, saltem tanquam conditionem, et connotatum, ad hoc ut Deus sit principium *quod* generandi ad intra, ipsam Paternitatem, ut est ratio incommunicabiliter subsistendi : ex eo quod desideratur realis distinctio inter generans et genitum : et hæc in divinis nequit dari, nisi mediis relationibus. Et ideo, licet in creatis, ubi ratione limitationis ibidem repertæ potest esse distinctio in rationibus absolutis inter generans et genitum, sufficiat ad hoc, ut detur principium *quod* generationis, reperiri naturam fœcundam, et subsistentem : quia eo ipso illa subsistentia ratione suæ limitationis est non communicabilis, potestque ibidem reperiri distinctio realis, saltem numerica, inter naturam generantis et geniti : non tamen potest distinctio realis inveniri in divinis, nisi mediis relationibus. Diximus, Paternitatem requiri, saltem tanquam conditionem, et connotatum, ad principium *quod* generantis. Quoniam pro nunc satis est, hoc modo requiri. Et an alio strictiori ad illud desideretur, non est hujus loci, sed ex infra dicendis patebit.

132. Tertium fundamentum. Tertio probatur prædicta sententia. Quoniam si propter aliquam rationem natura divina afferret suam propriam subsistentiam absolutam, maxime, quia antequam intelligantur personæ datur *hic Deus*, qui est concretum Deitatis, et per consequens est habens naturam divinam, et subsistens in illa : sed hæc ratio est nulla, Siquidem spiratio activa non affert propriam subsistentiam : et tamen ex vi propriæ lineæ affert suum concretum, nempe, *spiratorem* : ex eo quod ratione suæ infinitatis intra suam lineam relativam non distinguitur in ipsa abstractum, et concretum distinctione virtuali : sicut ratione infinitatis, quam dicit Paternitas intra propriam lineam, non distinguuntur in ipsa virtualiter Paternitas, et Pater : et propter eamdem infinitatem Deitas, et Deus, misericordia, et misericors non habent in divinis, adhuc virtualiter, distingui.

Dissolvitur primo. Respondetur primo, esse probabile juxta multorum sententiam, spirationem activam afferre suam propriam subsistentiam relativam, quæ sit communis Patri et Filio, et videtur id probabiliter colligi ex D. Thoma loco supra citato, nempe, q. 9 de Potentia art. 5, ex eo quod ibi propriam subsistentiam videtur tribuere omnibus divinis attributis : qua semel admissa in ipsis, non potest non spirationi activæ sua propria subsistentia relativa concedi : quamvis prædicta subsistentia nec sit personalis, siquidem est communis Patri et Filio ; nec obsit incommunicabilitati, quam afferunt subsistentiæ personales Patris et Filii : quia hæ, licet afferant incommunicabilitatem, non tamen qualemcumque, sed incommunicabilitatem alteri tanquam supposito. Et ideo licet spiratio activa sit subsistens : nihilominus, quia ex vi sua non est subsistens personaliter, potest communicari Patri et Filio, et Paternitas, ac Filiatio communicari ipsi, ut personæ, in quibus ipsa peculiari alio modo subsistat. Unde hanc sententiam sequuntur Nazarius, Molina, Becanus, Torres, et alii infra disp. 15 num. 44 referendi. D.Thom. Nazar. Molina. Becanus. Torres.

Secundo respondetur, esse saltem probabilius, et magis consonum menti D. Thomæ, spirationem, sicut et cætera alia attributa, non subsistere per propriam subsistentiam : atque adeo mentem D. Thomæ loco citato tantum esse, quod attributa, et omnia divina subsistant ; non tamen quod hoc habeant ex vi propriæ lineæ ; sed hoc solum concedit relationibus personalibus, et naturæ divinæ, ut constabit ex illis, quæ disputatione citata num. 37 et sequentibus dicemus. Secundo et melius.

Et ratio disparitatis inter relationes personales, et spirationem activam est satis perspicua ex dictis : similiterque disparitas inter eamdem spirationem activam, et naturam divinam facile potest reddi ex eo, quod natura divina est prima (ut sic dicamus) forma substantialis et perfectissima, et ita ex se habet subsistere in sensu explicato : at vero spiratio præsupponit naturam divinam, et relationes personales : et ita potest, tam ab illa quam ab istis, nempe a Paternitate et Filiatione, habere quod subsistat. 133.

Unde ad argumentum concedatur major, et negetur minor. Et ad probationem dicendum est, non quamvis infinitatem sed infinitatem in ratione naturæ divinæ, et relationum personalium afferre, propter rationes dictas, tam in hoc quam in præcedenti dubio, quod in illis non distinguantur virtualiter abstractum, et concretum per se primo earum. Videantur tamen

illa, quæ disputatione relata num. 48 adducemus.

134. Quartum fundamentum. Quarto probatur eadem sententia. Quoniam si natura divina ex vi propriæ lineæ esset subsistens, tunc non posset concipi in abstracto : hoc autem est manifeste falsum ut ex se constat : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam non posset concipi, nisi ut subsistens ; siquidem, si semel affert subsistentiam absolutam intra propriam lineam, tunc talis subsistentia esset de ejus essentia, et conceptu : id autem, quod in suo conceptu essentiali includit, quod subsistat, non potest concipi, nisi ut concretum.

Evanescit. Respondetur negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, quod etsi natura divina adæquate concepta quoad omnia, quæ ad suam lineam spectant, non possit concipi, nisi ut subsistens : bene tamen, si inadæquate concipiatur ex defectu nostri modi concipiendi absque eo, quod expresse concipiatur ut subsistens ; licet res illa concepta sit in se absque distinctione virtuali subsistens. Et ideo potest divina essentia concipi, vel in abstracto, vel in concreto. Et ita in illa abstractum et concretum non distinguuntur ex parte rei conceptæ ; sed ex parte nostri modi concipiendi : hæcque distinctio est satis, ut ex defectu nostri modi concipiendi possimus illam in abstracto expresse concipere : absque eo quod expresse eamdem in concreto concipiamus.

§ VII.

Adducitur ultimum fundamentum adversariorum cum sua solutione.

135. Ultimum argumentum. Ultimo probatur adversariorum opinio ex eo, quod in divinis non dantur quatuor personæ ; ergo neque tres subsistentiæ relativæ, et insuper alia absoluta. Antecedens est de fide, et consequentia probatur. Quoniam si daretur, ultra subsistentias relativas, alia subsistentia absoluta, tunc daretur quarta persona. Siquidem Deus ut subsistens per talem subsistentiam, esset persona : ex eo quod persona nihil aliud dicit, nisi subsistens in natura intellectuali : et per consequens persona divina solum dicit subsistens in natura divina, quale esset Deus, ut subsistens per prædictam subsistentiam.

Solutio. Nec satis erit, si dicas, Deum, ut subsistentem per subsistentiam absolutam, non esse personam : quia subsistit communicabiliter, et de ratione personæ est, quod dicat subsistens incommunicabiliter in natura intellectuali.

Nam contra hoc est, involvi in hac solutione apertam contradictionem, nimirum, prædictam subsistentiam absolutam, non esse et esse incommunicabilem. Non esse quidem, ut supponitur. Esse autem. Tum, quia natura divina, ut subsistens per talem subsistentiam, non esset communicabilis eo modo, quo superius communicatur suis inferioribus : quia communicatio ista tantum est communicatio per rationem : cum tamen communicatio, de qua loquimur, debeat esse communicatio realis : nec etiam esset communicabilis eo modo quo natura communicatur proprio supposito : quia talis communicatio est communicatio ejus, quod tantum habet esse ut *quo* respectu ejus, quod habet esse, ut *quod* : at id, quod est subsistens, nequit communicari præcise ut *quo*, quia habet esse ut *quod*, hoc ipso quod sit subsistens : ergo prædicta natura et subsistentia manebit omnino incommunicabilis. Impugnatur primo.

136. Secundo. Tum etiam. Quia alioqui prædicta natura, ut subsistens per hanc subsistentiam, penderet, et non penderet ab alio, ut a sustentante. Non penderet quidem : quia supponitur esse subsistens. Penderet autem : quia hoc ipso, quod est communicabilis alteri, ut supposito, haberet esse per se ab illo : et per consequens penderet ab eo, ut a sustentante. Tum deinde, quia sicut actio, ex eo quod est ipsum *fieri*, non habet fieri ab alia actione : et unio, quia essentialiter est ipsa unio, non habet uniri ab alia unione : et tandem figura, v. g. rotunda, quia essentialiter habet rationem talis nequit figurari per aliam figuram : ita quia subsistentia absoluta est essentialiter subsistentia, nequibit subsistere per aliam subsistentiam : et per consequens nec erit communicabilis alteri, ut supposito : siquidem eo ipso subsisteret per subsistentiam ejusdem suppositi.

Tertio. Tum denique (et est major explicatio præcedentis probationis). Quoniam ex eo in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 113 et 222 et sequentibus diximus, essentiam divinam non posse reddi intelligibilem, aut intellectam quidditative, et clare ab aliqua specie creata impressa, vel expressa quia talis essentia habet essentialiter, quod sit suum *esse* intelligibile, et suum *esse* intellectum :

lectum : ergo si eadem essentia, ut subsistens per subsistentiam suæ lineæ qualis esset hæc subsistentia absoluta, habet essentialiter esse subsistentem, esseque ipsam rationem subsistendi, nequibit reddi subsistens per aliam subsistentiam : et ita neque erit communicabilis alteri, ut supposito.

137. Admissa solut. inter arguendum data, respond. ad primam impugnat. Respondetur admittendo solutionem datam. Et ad primam impugnationem, qua intenditur, prædictam subsistentiam debere esse omnino communicabilem, dicendum est, eam esse quodammodo communicabilem divinis suppositis, utroque modo ex recensitis in illa priori impugnatione. Nam cum subsistentia absoluta sit communicabilis communitate rei simul cum ipsa natura divina respectu trium suppositorum, quæ reperiuntur in divinis, oportet, ut quodammodo communicetur illis eo modo, quo superius communicatur suis inferioribus, seu eo modo, quo natura communis communicatur suis suppositis et hæc communicatio semper est realis : quatenus per hoc significatur, non quidem distinctio realis suppositi a natura, siquidem divina natura non distinguitur realiter a personis ; sed quatenus per hoc denotatur, vere et realiter reperiri eamdem numero naturam in omnibus illis, et prædictam naturam subsistere etiam per subsistentias divinarum personarum : ac proinde reperitur ibidem communicatio, quia natura cum his, quæ pertinent ad suam lineam, communicatur suo supposito.

Nec probatio, quæ contra hoc in hac prima impugnatione adducitur, est alicujus momenti. Nam licet natura imperfecta, et admixta potentialitati, quæ proinde non est suum *esse*, suumque *operari*, communicetur suo supposito, præcise eo modo, quo id, quod habet *esse* tantum *ut quo* communicatur ei, quod habet esse *ut quod* : et licet communicetur illi ad hoc, ut in eo, et ratione ejus existat : attamen natura perfectissima, et quæ est suum *esse*, suumque *operari* absque distinctione virtuali, qualis est natura divina, oportet, ut habeat *esse ut quod*, ut supra dicebamus : et per consequens, ut communicetur, tanquam id, quod habet esse per se primo *ut quod*, ei, quod habet *esse ut quod* secundario, et ratione ipsius naturæ, ut per se primo existentis *ut quod*.

138. Ad secundam. Ad secundam vero impugnationem dicendum est, prædictam subsistentiam absolutam et naturam, ut subsistentem per illam, non pendere ab alio ut a sustentante ; etiamsi subsistat per subsistentiam relativam et incommunicabilem : quia pendere ab alio ut a sustentante dicit quoad præsens, subsistere ratione alterius : ita ut præcise ratione illius subsistat, et eo sublato deficiat, nec habeat in se, et ex vi propriæ lineæ, unde fulciatur et sustentetur. Unde subsistentia relativa solum tribuit divinæ essentiæ jam præsubsistenti in ordine ad se per subsistentiam absolutam, quod alio modo sit per se, scilicet per modum suppositi incommunicabiliter, et in ordine ad aliud suppositum correlativum ; non vero veluti fulcit prædictam naturam, ne corruat et deficiat, ex eo quod ipsa ex se non habeat suum *esse* per se ad suam lineam spectans.

Ad tertiam vero impugnationem respondetur in primis, bene posse unam actionem fieri per aliam diversæ rationis : et ideo actio creata elicita a creatura fit a Deo mediis actionibus intellectus, et voluntatis divinæ. Et deinde dicimus, figuram, quia est ultimus terminus quantitatis, non posse figurari per aliam figuram : alioqui esset, et non esset ultimus terminus. Tandem addimus, quod sicut linea est unio partium superficiei : et nihilominus potest per unionem diversæ rationis uniri substantiæ : ita licet subsistentia absoluta sit essentialiter ipsa ratio subsistendi, ipsumque *subsistere* absolutum, potest reddi subsistens per subsistentiam alterius rationis, quæ sit subsistentia relativa, et tribuat peculiarem modum subsistendi. Ad tertiam.

Ex quo ad ultimam impugnationem satis constat. Quoniam essentia divina, prout est intelligibilis, et intellecta clare et quidditative, tantum potest habere unicum modum, quo sit intelligibilis et intellecta, nempe, modum intelligibilitatis, qui sit actus purus, sitque suum *esse* intelligibile, et intellectum, suumque *esse* naturale et entitativum, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 fere per totam, maxime vero dubio 5 et 6 necnon dubio 9 et 10 diximus : et ita nequit reddi intelligibilis, aut intellecta, vel ab aliqua specie creata, quæ, eo ipso quod creata, non est suum *esse* intelligibile, aut intellectum, ut dubio 10 nuper citato latius explicuimus ; vel ab aliqua alia ratione increata, et divina : quia nulla ex illis secundum se præcise sumpta est suum *esse* intelligibile, et intellectum, nec potest ha- 139. Ad ultimam.

bere rationem speciei intelligibilis, adhuc respectu sui : ex eo quod non conveniunt ratione sui cum divino intellectu in gradu immaterialitatis, nempe in hoc, quod sint suum *esse* absque distinctione virtuali, sicut intellectus Dei est hoc modo suum *esse*. Et ideo solum secundario, et ratione essentiæ divinæ gerentis rationem speciei intelligibilis, et objecti per se primo intellecti, attinguntur ab intellectu Dei, ut constat ex illis, quæ in 1 tom. tractatu 3 disp. 3 n. 17 et sequent. latius asseruimus.

QUÆSTIO XXX

De pluralitate personarum in divinis.

PROŒMIUM

Deinde quæritur de pluralitate personarum.

ARTICULUS I.

Utrum sit ponere plures personas in divinis?

1 dist. 2 artic. 4 et 5 et 4 contra g. c. 5 et 25 et po. q. 9 arg. 5 et op. 3 c. 50 et quol. 7 q. 3 art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non sit ponere plures personas in divinis. Persona enim est rationalis naturæ individua substantia. Si ergo sunt plures personæ in divinis, sequitur, quod sint plures substantiæ. Quod videtur hæreticum.

2. Præterea, pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarum, neque in Deo, neque in nobis. Multo igitur minus pluralitas relationum. Sed in Deo non est alia pluralitas, nisi relationum, ut supra dictum est *. Ergo non potest dici, quod in Deo sint plures personæ.

* Q. 27 art. 3.

3. Præterea, Boetius * dicit, de Deo loquens, quod hoc vere unum est, in quo nullus est numerus. Sed pluralitas importat numerum. Ergo non sunt plures personæ in divinis.

* Boëtius in lib. de Trinitat. ante medium illius.

4. Præterea, ubicumque est numerus, ibi est totum, et pars. Si igitur in Deo sit numerus personarum, erit in Deo ponere totum, et partem. Quod simplicitati divinæ repugnat.

Sed contra est, quod dicit Athanasius * : Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Ergo Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt plures personæ.

* In suo Symbolo fidei.

Respondeo dicendum, quod plures esse personas in divinis, sequitur ex præmissis. Ostensum est enim supra *, quod hoc nomen, persona, significat in divinis relationem, ut rem subsistentem in natura divina. Supra autem habitum est *, quod sunt plures relationes reales in divinis. Unde sequitur, quod sint plures res subsistentes in divina natura. Et hoc est esse plures personas.

* Art. 4 q. præced.

* Q. 27 art. 1, 3 et 4.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia non ponitur in diffinitione personæ, secundum quod significat essentiam; sed secundum quod significat suppositum. Quod patet ex hoc quod additur, individua. Ad significandum autem substantiam sic dictam habent Græci nomen hypostasis. Unde sicut nos dicimus tres personas : ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem * non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiæ, propter nominis æquivocationem.

* Augustin. lib. 5 de Trinit. c. 8 et lib. 7, 8, 6.

Ad secundum dicendum, quod proprietates absolutæ in divinis (ut bonitas, et sapientia) non opponuntur ad invicem : unde neque realiter distinguuntur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere; non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas. Proprietates autem absolutæ in rebus creatis non subsistunt; licet realiter ab invicem distinguantur, ut albedo, et dulcedo. Sed proprietates relativæ in Deo, et subsistunt, et realiter ab invicem distinguuntur, ut supra dictum est *. Unde pluralitas talium proprietatum sufficit ad pluralitatem personarum in divinis.

* Q. 28 artic. 3.

Ad tertium dicendum, quod a Deo propter summam unitatem, et simplicitatem excluditur omnis pluralitas absolute dictorum; non autem pluralitas relationum : quæ relationes prædicantur de aliquo, ut ad alterum. Et sic compositionem in ipso, de quo dicuntur, non important, ut Boetius * in eodem libro docet.

* Loco citato.

Ad quartum dicendum, quod numerus est duplex, scilicet, numerus simplex, vel absolutus, ut duo, et tria, et quatuor. Et est numerus, qui est in rebus numeratis, ut duo homines, et duo equi. Si igitur in divinis accipiatur numerus absolute, sive abstracte, nihil prohibet in eo esse totum, et partem : et sic non est nisi in acceptione intellectus nostri. Non enim numerus absolutus a rebus numeratis est, nisi in intellectu. Si autem accipiamus numerum, prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis unum est pars duorum, et duo trium, et unus homo duorum, et duo trium. Et sic non est in Deo : quia tantus est Pater, quanta tota Trinitas, ut infra patebit *.

* Q. 4[2] art. 1 et 4.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS II.

Utrum in Deo sint plures personæ, quam tres?

Infra q. 31 artic. [1] et q. [4]1 art. 6 et 1 dist. [24] artic. [1] et 4 cont. [g.] c. 12 vel 13 c. 25 vel 26 pot. q. [9] artic. [9] et opus 2 c. 56 [et] 60.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Deo sunt plures personæ, quam tres. Pluralitas enim personarum in divinis est secundum pluralitatem proprietatum relativarum, ut dictum est *. Sed quatuor sunt relationes in divinis (ut supra dictum est), scilicet Paternitas, Filiatio, communis spiratio, et processio. Ergo quatuor personæ sunt in divinis.

* Art. præced.

2. Præterea, non plus differt natura a voluntate in Deo, quam natura ab intellectu. Sed in divinis est alia persona, quæ procedit per modum voluntatis, ut amor; et alia, quæ procedit per modum naturæ, ut Filius. Ergo est etiam alia, quæ procedit per modum intellectus, ut Verbum; et alia, quæ procedit per modum naturæ, ut Filius. Et sic iterum sequitur, quod non sunt tantum tres personæ in divinis.

3. Præterea, in rebus creatis, quod excellentius est, plures habet operationes intrinsecas : sicut homo supra alia animalia habet intelligere et velle. Sed Deus in infinitum excedit omnem creaturam. Ergo non solum est ibi persona procedens per modum voluntatis, et per modum intellectus, sed infinitis aliis modis. Ergo sunt infinitæ personæ in divinis.

4. Præterea, ex infinita bonitate Patris est, quod infinite se ipsum communicet producendo personam divinam. Sed etiam in Spiritu Sancto est infinita bonitas. Ergo Spiritus Sanctus producit divinam personam, et illa aliam, et sic in infinitum.

5. Præterea

5. Præterea, omne quod continetur sub determinato numero, est mensuratum : numerus enim mensura quædam est. Sed personæ divinæ sunt immensæ, ut patet per Athanasium * : Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Non ergo sub numero ternario continentur.

* In suo Symbolo fidei.

Sed contra est, quod dicitur 1 Joannis ultimo : Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus. Quærentibus autem quid tres ? respondetur, tres personæ, ut Augustinus dicit * de Trinitate 7 : sunt igitur tres personæ tantum in divinis.

* Cap. 4 et sequentibus tom. 3.

Respondeo dicendum, quod secundum præmissa * necesse est ponere tantum tres personas in divinis. Ostensum * est enim, quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes divinas non est, nisi ratione oppositionis relativæ. Ergo oportet, duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eamdem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo, et Filiatio (cum sint oppositæ relationes) ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens est persona Patris, et Filiatio subsistens est persona Filii. Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppositionem habent; sed sibi invicem opponuntur. Impossibile est igitur, quod ambæ uni personæ conveniant. Oportet ergo, quod vel una earum conveniat utrique dictarum personarum, aut quod una uni, et alia alii. Non autem potest esse, quod processio conveniat Patri et Filio, vel alteri eorum : quia sic sequeretur, quod processio intellectus, quæ est generatio in divinis, secundum quam accipitur Paternitas, et Filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio, et processio, et persona generans, et genita procederent a spirante. Quod est contra præmissa *. Relinquitur ergo, quod spiratio conveniat, et personæ Patris, et personæ Filii, utpote nullam habens oppositionem relativam, nec ad Paternitatem, nec ad Filiationem. Et per consequens oportet, quod conveniat processio alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus Sancti, quæ per modum amoris procedit, ut supra habitum est *. Relinquitur ergo, tantum tres personas esse in divinis, scilicet, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum.

* Art. præced. et q. 29 artic. 4.
* Art. præced.
* Q. 27 art. 3 et 4.
* Loco nunc citato.

Ad primum ergo dicendum, quod licet sint quatuor relationes in divinis : tamen una earum, scilicet spiratio, non separatur a persona Patris, et Filii; sed convenit utrique. Et sic, licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas (quia non convenit uni tantum personæ) neque relatio personalis, id est, constituens personam. Sed hæ tres relationes, Paternitas, Filiatio, et Processio dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes. Nam Paternitas est persona Patris, Filiatio est persona Filii, Processio persona Spiritus Sancti procedentis.

Ad secundum dicendum, quod id quod procedit per modum intellectus ut Verbum, procedit secundum rationem similitudinis : sicut etiam id, quod procedit per modum naturæ. Et ideo supra dictum est *, quod processio Verbi divini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem, in quantum hujusmodi, non procedit, ut similitudo illius, a quo procedit, licet in divinis amor sit coessentialis, in quantum est divinus. Et ideo processio amoris non dicitur generatio in divinis.

* Q. 27 art. 3.

Ad tertium dicendum, quod homo (cum sit perfectior aliis animalibus) habet plures operationes intrinsecas, quam alia animalia : quia ejus perfectio est per modum compositionis. Unde in Angelis, qui sunt perfectiores, et simpliciores, sunt pauciores operationes intrinsecæ, quam in homine : quia in eis non est imaginari, sentire, et hujusmodi. Sed in Deo secundum rem non est nisi una operatio, quæ est sua essentia. Sed quomodo sint duæ processiones supra ostensum est *.

* Q. 27 artic. 1 et 4.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procederet, si Spiritus Sanctus haberet aliam numero bonitatem a bonitate Patris : oporteret enim quod sicut Pater per suam bonitatem producit personam divinam, ita et Spiritus Sanctus. Sed una et eadem bonitas Patris est, et Spiritus Sancti. Neque etiam est distinctio, nisi per relationes personarum. Unde bonitas convenit Spiritui Sancto, quasi habita ab alio : Patri autem, sicut a quo communicatur alteri. Oppositio autem relationis non permittit, ut cum relatione Spiritus Sancti sit relatio principii respectu divinæ personæ : quia ipse procedit ab aliis personis, quæ in divinis esse possunt.

Ad quintum dicendum, quod numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus) per unum mensuratur : si vero accipiatur numerus rerum in divinis personis, sic non competit ibi ratio mensurati : quia eadem est magnitudo trium personarum, ut infra patebit *. Idem autem non mensuratur per idem.

* Q. 41 art. 1 et 2.

Conclusio : Tantum sunt tres personæ in divinis, scilicet, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

ARTICULUS III.

Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod termini numerales ponant aliquid in divinis. Unitas enim divina est ejus essentia. Sed omnis numerus est unitas repetita. Ergo omnis terminus numeralis in divinis significat essentiam. Ergo ponit aliquid in Deo.

1 dist. 24 q. 1 art. 3 et pot. q. 5 artic. 7 quol. 10 q. 1 artic. 1.

2. Præterea, quidquid dicitur de Deo, et creaturis, eminentius convenit Deo, quam creaturis. Sed termini numerales in creaturis aliquid ponunt. Ergo multo magis in Deo.

3. Præterea, si termini numerales non ponunt aliquid in divinis; sed inducuntur ad removendum tantum, ut per pluralitatem removeatur unitas, et per unitatem pluralitas : sequitur, quod sit circulatio in ratione, confundens intellectum, et nihil certificans. Quod est inconveniens. Relinquitur ergo, quod termini numerales aliquid ponunt in divinis.

Sed contra est, quod Hilarius dicit in 4 de Trinitate *. Sustulit singularitatis, ac solitudinis intelligentiam professio consortii : quod est professio pluralitatis. Et Ambrosius dicit in lib. de fide * : Cum unum Deum dicimus, unitas pluralitatem excludit Deorum, non quantitatem in Deo ponimus. Ex quibus videtur, quod hujusmodi nomina sunt inducta in divinis ad removendum, non ad ponendum aliquid.

* Lib. 4 de Trinit. ante medium.
* Amb. lib 1 de fide cap. 2, ante med. tomo 2.

Respondeo dicendum, quod Magister in Sententiis ponit, quod termini numerales non ponunt aliquid in divinis, sed removent tantum. Alii vero dicunt contrarium.

Ad evidentiam igitur considerandum est, quod omnis pluralitas consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex divisio : Una materialis, quæ fit secundum divisionem continui. Et hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis. Unde talis numerus non est, nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est divisio formalis, quæ fit per oppositas, vel diversas formas. Et hanc divisionem sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus, secundum quod ens dividitur per unum, et multa. Et talem multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus. Quidam igitur non considerantes, nisi multitudinem solam, quæ est species quantitatis discretæ (quia videbant, quod quantitas discreta non habet locum in divinis) posuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, sed removent tantum. Alii vero eamdem multitudinem considerantes dixerunt, quod sicut scientia ponitur in Deo secundum rationem propriam scientiæ; non autem secundum rationem sui generis (quia in Deo nulla est qualitas) ita numerus in Deo ponitur secundum propriam rationem numeri; non autem secundum rationem sui generis, quod est quantitas. Nos autem dicimus, quod termini numerales, secundum quod veniunt in prædicationem divinam, non sumuntur a numero, qui est species quantitatis : quia sic de Deo non dicerentur, nisi metaphorice, sicut et aliæ proprietates corporalium, sicut latitudo, longitudo, et similia. Sed sumuntur a multitudine, secundum quod est transcendens. Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa, de quibus prædicatur, sicut unum, quod convertitur cum ente, ad ens. Hujusmodi autem unum (sicut supra dictum est * cum de Dei unitate ageretur) non addit aliquid supra ens, nisi negationem divisionis tantum. Unum enim significat ens indivisum. Et ideo de quocumque dicatur unum, significatur illa res indivisa, sicut unum dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non divisam. Et eadem ratione, cum dicuntur res multæ, multitudo sic accepta significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum. Numerus autem, qui est species quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens : et similiter unum, quod est principium numeri. Termini ergo numerales significant in divinis illa, de quibus dicuntur, et super hoc nihil addunt, nisi negationem, ut dictum est. Et quantum ad hoc veritatem dixit Magister in sententiis. Ut cum dicimus, essentia est una, unum significat essen-

* Q. 11 artic. 1.

tiam indivisam. Cum dicimus, persona est una, significat personam indivisam. Cum dicimus, personæ sunt plures, significantur illæ personæ, et indivisio circa unamquamque earum : quia de ratione multitudinis est, quod ex unitatibus constet.

Ad primum ergo dicendum, quod unum, cum sit de transcendentibus, est communius, quam substantia, et quam relatio, et similiter multitudo. Unde potest stare in divinis, et pro substantia, et pro relatione, secundum quod competit his, quibus adjungitur. Et tamen per hujusmodi nomina supra essentiam, vel relationem additur ex eorum significatione propria negatio quædam divisionis, ut dictum est *.

* In corp. art. et loco ibi citato.

Ad secundum dicendum, quod multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, quæ non transumitur in divinam prædicationem ; sed tantum multitudo transcendens, quæ non addit supra ea, de quibus dicitur, nisi indivisionem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo.

Ad tertium dicendum, quod unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis, quæ est prior secundum rationem, quam unum, vel multitudo. Multitudo autem non removet unitatem ; sed removet divisionem circa unumquodque eorum, ex quibus constat multitudo. Et hæc supra exposita sunt *, cum de divina unitate ageretur. Sciendum tamen est, quod auctoritates in oppositum inductæ non probant sufficienter propositum. Licet enim pluralitate excludatur solitudo, et unitate Deorum pluralitas : non tamen sequitur, quod his nominibus hoc solum significetur. Albedine enim excluditur nigredo : non tamen nomine albedinis significatur sola nigredinis exclusio.

* Q. 11 artic. 2.

Conclusio : Termini numerales in divinis significant illa, de quibus dicuntur, solam negationem addendo : ut nomen *unum* significat Deum, addendo negationem divisionis, et hoc nomen *plures*, dictum de personis, significat ipsas personas, addendo negationem divisionis circa unamquamque earum.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc nomen persona possit esse commune tribus personis ?

1 dist. 25 artic. 3 et pot. q. 8 art. 3 ad 11 et q. 9 artic. 4 ad 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen persona non possit esse commune tribus personis. Nihil enim est commune tribus personis, nisi essentia. Sed hoc nomen persona non significat essentiam in recto. Ergo non est commune tribus.

2. Præterea, commune opponitur incommunicabili. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis, ut patet, ex diffinitione Richardi de Sancto Victore supra posita *. Ergo hoc nomen persona non est commune tribus.

* Q. 29 art. 3 ad 4 arg.

3. Præterea, si est commune tribus, aut ista communitas attenditur secundum rem, aut secundum rationem ? Sed non secundum rem : quia sic tres personæ essent una persona. Nec iterum secundum rationem tantum : quia sic persona esset universale. In divinis autem non est universale, nec etiam particulare, neque genus, neque species, ut supra ostensum est *. Non ergo hoc nomen persona est commune tribus.

* Q. 3 artic. 5.

Sed contra est, quod dicit Augustinus 7 de Trinitate *, quod cum quæreretur, quid tres ? responsum est, tres personæ : quia commune est eis id, quod est persona.

* Lib. 7 de Trin. c. 4 et sequentibus et lib. 5 c. 9 in fin. tom. 3.

Respondeo dicendum, quod ipse modus loquendi ostendit, hoc nomen persona tribus esse commune, cum dicimus tres personas : sicut, cum dicimus tres homines, ostendimus, hominem esse communem tribus. Manifestum est autem, quod non est communitas rei, sicut una essentia communis est tribus : quia sic sequeretur, unam esse personam trium, sicut essentia est una. Qualis autem sit communitas, investigantes diversimode locuti sunt. Quidam enim dixerunt, quod est communitas negationis, propter hoc, quod in diffinitione personæ ponitur incommunicabile. Quidam autem dixerunt, quod est communitas intentionis, eo quod in diffinitione personæ ponitur individuum : sicut si dicatur, quod esse speciem est commune equo et bovi et utrumque horum excluditur per hoc, quod hoc nomen persona non est nomen negationis, neque intentionis ; sed est nomen rei. Et ideo etiam dicendum est, quod in rebus humanis hoc nomen persona est commune communitate rationis ; non sicut genus, vel species, sed sicut individuum vagum. Nomina enim generum, vel specierum, ut homo, vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes ; non autem intentiones naturarum communium, quæ significantur his nominibus genus, vel species. Sed individuum vagum (ut aliquis homo) significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. Sed in homine singularis designati significatur determinatum distinguens : sicut in nomine Sortis, hæc caro, et hoc os. Hoc tamen interest. Quod aliquis homo significat naturam vel individuum ex parte naturæ cum modo existendi, qui competit singularibus. Hoc autem nomen persona, non est impositum ad significandum individuum ex parte naturæ ; sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis divinis, ut unaquæque earum subsistat in natura divina distincta ab aliis. Et sic hoc nomen persona secundum rationem est commune tribus personis divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de communitate rei.

Ad secundum dicendum, quod licet persona sit incommunicabilis : tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis

Ad tertium dicendum, quod licet sit communitas rationis, et non rei : tamen non sequitur, quod in divinis sit universale, vel particulare, vel genus, vel species. Tum, quia neque in rebus humanis communitas personæ est communitas generis, vel speciei. Tum, quia personæ divinæ habent unum esse : genus autem, et species, et quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.

Conclusio : Nomen *persona* est commune tribus personis divinis communitate secundum rationem ; non quidem sicut genus vel species, sed sicut individuum vagum.

Circa totam istam quæstionem Angelici Doctoris aliqua occurrunt discutienda. Cæterum, quia tam ea, quæ in ipsa dicuntur quam illa, quæ in quæstione sequenti idem D. Thomas docet, possunt in una et eadem disputatione, propter affinitatem doctrinæ, in controversiam vocari : idcirco, postquam omnes articulos quæstionis sequentis adduxerimus, et ad brevem summam, brevesque conclusiones redacti a nobis fuerint, unicam disputationem excitabimus, in qua, quæ discussione in omnibus articulis utriusque quæstionis indiguerint, examinabimus, mentemque D. Thomæ aperiemus. D.Thom.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XXXI

De his quæ ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis.

PROŒMIUM

Post hæc considerandum est de his, quæ ad unitatem, vel pluralitatem pertinent in divinis.

ARTICULUS I.

Utrum sit Trinitas in divinis?

1 dist. 24 q. 2 art. 2 et 2 dist. 1 q. 1 art. 5 cor. et opusc. 2 c. 50, 50, 51 et 52.

Ad primum sic proceditur Videtur, quod non sit Trinitas in divinis. Omne enim nomen in divinis vel significat substantiam, vel relationem. Sed hoc nomen Trinitas non significat substantiam : prædicaretur enim de singulis personis : neque significat relationem : quia non dicitur secundum nomen ad aliud. Ergo nomine Trinitatis non est utendum in divinis.

2. Præterea, hoc nomen Trinitas videtur esse nomen collectivum, cum significet multitudinem. Tale autem nomen non convenit in divinis : cum unitas importata per nomen collectivum sit minima unitas : in divinis autem est maxima unitas. Ergo hoc nomen Trinitas non convenit in divinis.

3. Præterea, omne trinum est triplex. Sed in Deo non est triplicitas, cum triplicitas sit species inæqualitatis. Ergo nec Trinitas.

4. Præterea, quidquid est in Deo, est in unitate essentiæ divinæ, quia Deus est sua essentia. Si igitur Trinitas est in Deo, erit in unitate essentiæ divinæ. Et sic in Deo erunt tres essentiales unitates. Quod est hæreticum.

5. Præterea, in omnibus quæ dicuntur de Deo, concretum prædicatur de abstracto. Deitas enim est Deus, et Paternitas est Pater. Sed Trinitas non potest dici trina : quia sic essent novem res in divinis, quod est erroneum Ergo nomine Trinitatis non est utendum in divinis.

* In suo Symbolo fidei.

Sed contra est quod Athanasius * dicit, quod unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.

Respondeo dicendum, quod nomen Trinitatis in divinis significat determinatum numerum personarum. Sicut igitur ponitur pluralitas personarum in divinis, ita utendum est nomine Trinitatis : quia hoc idem, quod significat pluralitas indeterminate, significat hoc nomen Trinitas determinate.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen Trinitas secundum etymologiam vocabuli videtur significare unam essentiam trium personarum, secundum quod dicitur Trinitas, quasi trium unitas. Sed secundum proprietatem vocabuli significat magis numerum personarum unius essentiæ : et propter hoc non possumus dicere, quod Pater sit Trinitas, quia non est tres personæ. Non autem significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum ad invicem relatarum. Et inde est quod secundum nomen ad aliud non refertur.

Ad secundum dicendum, quod nomen collectivum duo importat, scilicet, pluralitatem suppositorum, et unitatem quamdam, scilicet, ordinis alicujus. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum hoc nomen Trinitas convenit cum nominibus collectivis. Sed quantum ad secundum differt : quia in divina Trinitate, non solum est unitas ordinis, sed cum hoc est etiam unitas essentiæ.

Ad tertium dicendum, quod Trinitas absolute dicitur : significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis : est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boëtium * in Arithmetica. Et ideo non est in Deo triplicitas, sed Trinitas.

* Lib. 1 c. 24.

Ad quartum dicendum, quod in Trinitate divina intelligitur et numerus, et personæ numeratæ. Cum ergo dicimus : Trinitatem in unitate, non ponimus numerum in unitate essentiæ, quasi sit ter una ; sed personas numeratas ponimus in unitate naturæ, sicut supposita alicujus naturæ dicuntur esse in natura illa. E converso autem dicimus, unitatem in Trinitate, sicut natura dicitur esse in suis suppositis.

Ad quintum dicendum, quod cum dicimus, Trinitas est trina, ratione numeri importati significatur multiplicatio ejusdem numeri in se ipsum : cum hoc, quod dicto trinum, importet distinctionem in suppositis illius, de quo dicitur. Et ideo non potest dici quod Trinitas sit trina : quia sequeretur, si Trinitas esset trina, quod tria essent supposita Trinitatis : sicut cum dicitur, Deus est trinus sequitur, quod sint tria supposita Deitatis.

Conclusio : Trinitatis nomine utendum est in divinis.

Angel. Doctor.

Circa quam conclusionem notandum est, consulto Angelicum Doctorem in ea non dixisse, dari Trinitatem in divinis : quia hoc satis ex dictis q. 27 et 28 necnon q. 30 art. 1 et 2 constabat : sed solum asseruisse, nomine Trinitatis utendum esse in divinis : quoniam hoc erat, quod in præsenti articulo intendebat, quoque semel explicato, nihil aliud desiderabatur.

ARTICULUS II.

1 dist. 5 art. 1 et dist. 34 q. 2 art. 1.

Utrum Filius sit alius a Patre?

* Lib. 7 de Trinit. c. ult. tomo 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Filius non sit alius a Patre. Alius enim est relativum diversitatis substantiæ. Si igitur Filius est alius a Patre, videtur, quod sit a Patre diversus. Quod est contra Augustinum 7 de Trinitate * ubi dicit, quod cum dicimus tres personas, non diversitatem intelligere volumus.

* Lib. 1 de fide ad Gratianum c. 2 ante medium tom. 2.

2. Præterea, quicumque sunt alii ab invicem, aliquo modo ab invicem differunt. Si igitur Filius est alius a Patre, sequitur, quod sit differens a Patre. Quod est contra Ambrosium in 1 de fide * ubi ait : Pater et Filius Deitate unum sunt, nec est ibi substantiæ differentia, neque ulla diversitas.

* Hilar. 7 de Trin. non longe a fine libri.

3. Præterea, alienum ab alio dicitur. Sed Pater non est alienus a Filio. Dicit enim Hilarius in 7 de Trinitate *, quod in divinis personis nihil est diversum, nihil separabile. Ergo Filius non est alius a Patre.

4. Præterea, alius, et aliud idem significant; sed sola generis consignificatione differunt. Si ergo Filius est alius a Patre, videtur sequi, quod Filius sit aliud a Patre.

* De fide ad Petrum c. 1 post medium tom. 3.

Sed contra est, quod Fulgentius * dicit in lib. de fide ad Petrum. Una est enim essentia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

* Citatur 4 sentent. a Magist. dist. 13 in fine.

* Lib. 1 de Trinit. in princ. tom. 3.

Respondeo dicendum, quod quia ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis (ut Hieronymus dicit *) ideo, cum de Trinitate loquimur, cum cautela, et modestia est agendum. Quia, ut Augustinus dicit in 1 de Trinitate *, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Oportet autem in his, quæ de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cavere, temperate inter utrumque procedentes, scilicet, errorem Arrii, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatem substantiarum, et errorem Sabellii, qui posuit cum unitate essentiæ unitatem personæ.

* Amb. lib. 1 de fide cap. 2 ante medium tom. 2.

* Loco citat. in arg. 3.

* Lib. 7 de Trin. non multum a fine libri.

* Loco citat.

* Loco ante citato, tom. 2.

* Lib. 4 non multum ante med.

Ad evitandum igitur errorem Arrii, vitare debemus in divinis nomen diversitatis, et differentiæ, ne tollatur unitas essentiæ. Possumus autem uti nomine distinctionis propter oppositionem relativam. Unde, sicubi in aliqua scriptura authentica diversitas, vel differentia personarum invenitur, sumitur diversitas vel differentia pro distinctione. Ne autem tollatur simplicitas divinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis et divisionis, quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, et discrepantis. Dicit enim Ambrosius in lib. de fide *, quod in Patre et Filio non est discrepans, sed una divinitas. Et secundum Hilarium (ut dictum est *) in divinis nihil est separabile. Ad vitandum vero errorem Sabellii, vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiæ divinæ. Unde Hilarius * dicit 7 de Trinitate : Patrem, et Filium singularem Deum prædicare, sacrilegum est. Debemus etiam vitare nomen unici, ne tollatur numerus personarum. Unde Hilarius * in eodem lib. dicit, quod a Deo excluditur singularitas, atque unici intelligentia. Dicimus tamen unicum Filium : quia non sunt plures Filii in divinis. Neque tamen dicimus unicum Deum; quia pluribus Deitas est communis. Vitamus etiam nomen confusi, ne tollatur ordo naturæ a personis. Unde Ambrosius dicit 2 de fide *. Neque confusum est, quod unum est : neque multiplex esse potest, quod indifferens est. Vitandum est etiam nomen solitarii, ne tollatur consortium trium personarum. Dicit enim Hilarius in 4 de Trinitate *. Nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confitendus. Hoc autem nomen alius, masculine sumptum, non importat, nisi distinctionem suppositi. Unde convenienter dicere possumus, quod Filius est alius a Patre : quia scilicet est aliud suppositum divinæ naturæ, sicut est alia persona, et alia hypostasis.

Ad primum ergo dicendum, quod alius, quia est sicut quoddam particulare nomen, tenet se ex parte suppositi. Unde ad ejus rationem sufficit distinctio substantiæ, quæ est hypostasis, vel persona. Sed diversitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia. Et ideo non possumus dicere, quod Filius sit diversus a Patre; licet sit alius.

* In 2 arg.

* Damasc. lib. 3 Orthod. fid. c. 6 et 7.

* In corp. art.

Ad secundum dicendum, quod differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum una forma in divinis, ut patet per id, quod dicitur Philippens. 2 : Qui cum in forma Dei esset. Et ideo nomen differentiæ non proprie competit in divinis, ut patet per authoritatem inductam * : utitur tamen Damascenus * nomine differentiæ in divinis personis, secundum quod proprietas relativa significatur per modum formæ. Unde dicit, quod non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, ut dictum est *

Ad tertium dicendum, quod alienum est, quod est extraneum, et dissimile. Sed hoc non importatur, cum dicitur alius. Et ideo dicimus Filium alium a Patre, licet non dicamus alienum.

Ad quartum dicendum, quod neutrum genus est informe. Masculinum autem est formatum, et distinctum : et similiter femininum. Et ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis. Per masculinum autem, et femininum, aliquod suppositum determinatum in communi natura. Unde etiam in rebus humanis, si quæratur : Quis est iste? respondetur, Sortes, quod nomen est suppositi. Si autem quæratur : Quid est iste? respondetur, animal rationale et mortale. Et ideo, quia in divinis distinctio est secundum personas, non autem secundum essentiam, dicimus, quod Pater est alius a Filio, sed non aliud. Et e converso dicimus, quod sunt unum, sed non unus.

Prima conclusio : In omnibus pertinentibus ad pluralitatem vitanda sunt nomina diversitatis et differentiæ, quia videntur tollere unitatem essentiæ; et nomina separationis et divisionis, quoniam videntur auferre divinam simplicitatem, cum divisio sit totius in partes et separatio requirat partes, quarum una sit ab alia sejuncta; et nomen disparitatis, ne tollatur æqualitas inter divinas personas; et nomina alieni et discrepantis, ne tollatur similitudo.

Secunda conclusio : Ex nominibus pertinentibus ad unitatem vitandum est nomen singularitatis, ne tollatur communicabilitas divinæ essentiæ; et nomen unici, ne tollatur numerus personarum; et nomen confusi, ne tollatur ordo originis inter personas; et nomen solitarii, ne tollatur consortium trium personarum.

Tertia conclusio : Ad significandam pluralitatem divinarum personarum possumus uti nomine distinctionis, propter oppositionem relativam; et hoc nomine alius, sumpto masculine; et non hoc nomine aliud, sumpto neutraliter. Atque ita concedimus hanc propositionem : Filius est alius a Patre; et non hanc : Filius est aliud a Patre.

ARTICULUS III.

Utrum dictio exclusiva, solus, sit addenda termino essentiali in divinis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod dictio exclusiva, solus, non sit addenda termino essentiali in divinis. Quia secundum Philosophum in Elench. * : Solus est, qui cum alio non est. Sed Deus est cum Angelis et sanctis animabus. Ergo non possumus dicere Deum solum. 1 dist. 21 q. 1 art. 1.

* Lib. 2 c. 3 a medio illius tomo 1.

2. Præterea, quidquid adjungitur termino essentiali in divinis, potest prædicari de qualibet persona per se, et de omnibus simul. Quia enim convenienter dicitur sapiens Deus, possumus dicere : Pater est sapiens Deus, et Trinitas est sapiens Deus. Sed Augustinus in 6 de Trinitate * dicit : Consideranda est illa sententia, qua dicitur, non esse Patrem verum Deum solum. Ergo non potest dici solus Deus.

* Lib. 6 de Trinit. c. 9 in princ. tom. 3.

3. Præterea, si hæc dictio solus, adjungitur termino essentiali, aut hoc erit respectu prædicati personalis; aut respectu prædicati essentialis? Sed non respectu prædicati personalis. Quia hæc est falsa, solus Deus est Pater, cum etiam homo sit pater. Neque etiam respectu prædicati essentialis. Quia si hæc esset vera, Solus Deus creat, videtur sequi, quod hæc esset vera, Solus Pater creat : quia quidquid dicitur de Deo potest dici de Patre. Hæc autem est falsa : quia etiam Filius est creator. Non ergo hæc dictio, solus, potest in divinis adjungi termino essentiali.

Sed contra est, quod dicitur 1 ad Timotheum primo : Regi sæculorum, immortali, et invisibili, soli Deo.

* Art. præc.

Respondeo dicendum, quod hæc dictio, solus, potest accipi ut categorematica, vel syncategorematica. Dicitur autem dictio categorematica, quæ absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, ut albus circa hominem, cum dicitur homo albus. Si ergo sic accipiatur, hæc dictio, solus, nullo modo potest adjungi alicui termino in divinis : quia poneret solitudinem circa terminum, cui adjungeretur : et sic sequeretur, Deum esse solitarium. Quod est contra prædicta *. Dictio vero syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subjectum, sicut hæc dictio, omnis, vel nullus, et similiter hæc dictio, solus : quia excludit omne aliud suppositum a consortio prædicati : sicut cum dicitur, Solus Sortes scribit, non datur intelligi, quod Sortes sit solitarius; sed quod nullus sit ei consors in scribendo; quamvis cum eo multis existentibus. Et per hunc modum nihil prohibet hanc dictionem,

dictionem, solus, adjungere alicui essentiali termino in divinis, in quantum excluduntur omnia alia a Deo a consortio prædicati : ut si dicamus, Solus Deus est æternus, quia nihil præter Deum est æternum

Ad primum ergo dicendum, quod licet Angeli, et animæ sanctæ semper sint cum Deo : tamen, si non esset pluralitas personarum in divinis, sequeretur quod Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicujus, quod est extraneæ naturæ. Dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ, et animalia. Et similiter diceretur Deus esse solus, vel solitarius, Angelis, et hominibus cum eo existentibus, si non essent in divinis personæ plures. Consociatio igitur Angelorum, et animarum non excludit solitudinem absolutam a divinis : multo minus solitudinem respectivam, et per comparationem ad aliquod prædicatum.

Ad secundum dicendum, quod hæc dictio, solus, proprie loquendo, non ponitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter : respicit enim suppositum, in quantum excludit aliud suppositum ab eo, cui adjungitur. Sed hoc adverbium tantum, cum sit exclusivum, potest poni ex parte subjecti, et ex parte prædicati. Possumus enim dicere, tantum Sortes currit, idest, nullus alius. Et Sortes currit tantum, idest, nihil aliud facit. Unde non proprie dici potest, Pater est solus Deus, vel Trinitas est solus Deus, nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, ut dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus. Et secundum hoc etiam posset esse vera ista, Pater est Deus, qui est solus Deus, si relativum referret prædicatum, et non suppositum. Augustinus autem cum dicit, Patrem non esse solum Deum, sed Trinitatem esse solum Deum, loquitur expositive : ac si diceret, cum dicitur, Regi sæculorum invisibili, soli Deo, non est exponendum de persona Patris, sed de sola Trinitate.

Ad tertium dicendum, quod utroque modo potest hæc dictio, solus, adjungi termino essentiali. Hæc enim propositio, Solus Deus est Pater, est duplex. Quia ly, Pater, potest prædicare personam Patris, et sic est vera. Non enim homo est illa persona. Vel potest prædicare relationem tantum : et sic est falsa. Quia relatio paternitatis etiam in aliis invenitur, licet non univoce. Similiter hæc est vera, Solus Deus creat : nec tamen sequitur, ergo solus Pater : quia, ut Sophistæ dicunt, dictio exclusiva immobilitat terminum, cui adjungitur, ut non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur. Solus homo est animal rationale mortale : ergo solus Sortes.

Conclusio : Si ista dictio, solus, sumatur categorematice, idest, prout ponit suum significatum circa subjectum, non potest addi termino essentiali : ut si dicamus, quod Deus est solus. Nam tunc ly, solus, idem valet atque solitarius. Si tamen sumatur syncategorematice, idest, prout excludit omne aliud suppositum, realiter distinctum a Deo, et divina natura, a consortio prædicati, bene potest addi : ut si dicamus, Solus Deus est æternus. Quia tunc non significatur, Deum esse solitarium ;. sed nihil præter Deum esse æternum.

ARTICULUS IV.

Utrum dictio exclusiva possit adjungi termino personali?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod dictio exclusiva possit adjungi termino personali, etiamsi prædicatum sit commune. Dicit enim Dominus ad Patrem loquens Joannis 17 : Ut cognoscant te solum Deum verum. Ergo solus Pater est Deus verus.

2. Præterea, Matthæi 2 dicitur : Nemo novit Filium, nisi Pater. Quod idem significat, ac si diceretur, solus Pater novit Filium. Sed nosse Filium est commune. Ergo idem, quod prius.

3. Præterea, dictio exclusiva non excludit illud, quod est de intellectu termini, cui adjungitur. Unde non excludit partem, neque universale. Non enim sequitur, Solus Sortes est albus : ergo manus ejus non est alba : vel, ergo homo non est albus. Sed una persona est in intellectu alterius, sicut Pater in intellectu Filii, et e converso. Non ergo per hoc, quod dicitur, Solus Pater est Deus, excluditur Filius, vel Spiritus sanctus. Et sic videtur hæc locutio esse vera.

4. Præterea, ab Ecclesia cantatur : Tu solus altissimus, Jesu Christe.

Sed contra, hæc locutio, Solus Pater est Deus, habet duas expositivas, scilicet, Pater est Deus, et nullus alius a Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa : quia Filius alius est a Patre, qui est Deus : ergo hæc est falsa, solus Pater est Deus : et sic de similibus.

Respondeo dicendum, quod cum dicimus, Solus Pater est Deus, hæc propositio potest habere multiplicem intellectum. Si enim solus ponat solitudinem circa Patrem, sic est falsa, secundum quod sumitur categorematice. Secundum vero, quod sumitur syncategorematice, sic iterum potest intelligi multipliciter. Quia si excludat a forma subjecti, sic est vera : ut sit sensus, Solus Pater est Deus, idest ille, cum quo nullus alius est Pater, est Deus. Et hoc modo exponit Augustinus in 6 de Trinitate *, cum dicit : Solum Patrem dicimus, non quia separatur a Filio, vel Spiritu sancto ; sed hoc dicentes significamus, quod illi simul cum eo non sunt Pater. Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi, nisi intellecta alia implicatione : ut si dicatur, ille, qui solus dicitur Pater, est Deus. Secundum vero proprium sensum excludit a consortio prædicati. Et sic hæc propositio est falsa, si excludit alium masculine : est autem vera, si excludit aliud neutraliter tantum : quia Filius est alius a Patre, non tamen aliud : similiter et Spiritus sanctus. Sed quia hæc dictio, solus, respicit proprie subjectum (ut dictum est *) magis se habet ad excludendum alium, quam aliud. Unde non est extendenda talis locutio; sed pie exponenda, sicubi inveniatur in authentica Scriptura.

* Lib. 6 de Trinit. c. 7 in fine tom. 3.

* Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicimus, Te solum Deum verum, non intelligitur de persona Patris ; sed de sola Trinitate, ut Augustinus * exponit. Vel, si intelligatur de persona Patris, non excluduntur aliæ personæ, propter essentiæ unitatem : prout ly, solus, excludit tantum aliud, ut dictum est *.

* Lib. 6 de Trinit. c. 9 tomo 3.

* In corp. art.

Et similiter dicendum est ad secundum. Cum enim aliquid essentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus sanctus, propter essentiæ unitatem. Tamen sciendum est, quod in authoritate prædicta hæc dictio, nemo, non idem est, quod nullus homo ; quod videtur significare vocabulum : non enim posset excipi persona Patris : sed sumitur secundum usum loquendi distributive, pro quacumque rationali natura.

Ad tertium dicendum, quod dictio exclusiva non excludit illa quæ sunt de intellectu termini, cui adjungitur, si non differunt secundum suppositum, ut pars, et universale. Sed Filius differt supposito a Patre : et ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicendum, quod non dicimus absolute, quod solus Filius sit altissimus ; sed quod solus sit altissimus cum Spiritu sancto, in gloria Dei Parris.

Circa titulum hujus articuli nota, in idem redire, ac si in eo quæreretur, utrum ista propositio, v. g. *Solus Pater est Deus*, possit concedi.

Prima conclusio : Si illa dictio, solus, sumatur categorematice, hoc est, prout ponit solitudinem circa Patrem, falsa est hæc propositio : quia facit istum sensum, Pater, qui est solus, idest solitarius, sine consortio alterius suppositi, est Deus.

Secunda conclusio : Si dictio, solus, sumatur syncategorematice, prout excludit aliam personam a consortio quoad aliquam formam, et excludat a consortio quoad formam subjecti, ita ut sit sensus, ille qui solus est Pater, est Deus, vera est propositio : quia Filius, et Spiritus sanctus non excluduntur a consortio Deitatis, sed Paternitatis. Attamen hic sensus non est proprius, neque communi usu receptus : et ita prædicta propositio non debet concedi, nisi sensus iste in ea explicetur.

Tertia conclusio : Si dictio, solus, sumatur syncategorematice, et excludat a consortio

quoad prædicatum Si excludat alium in genere masculino, falsa est prædicta propositio : quia Filius est alius a Patre, et est Deus. Si tamen excludat aliud neutraliter, est vera : quia nihil, quod sit aliud a Patre, est Deus.

Ultima conclusio : Dictio, solus, sumpta syncategorematice, non excludit secundum proprietatem sermonis a consortio quoad formam subjecti, sed quoad formam prædicati : et non excludit aliud in natura, sed aliud suppositum. Et ideo hæc propositio non est absolute concedenda; sed, si alicubi reperiatur in Scriptura authentica, pie exponenda est.

Notationes circa hunc articulum.

1. Animadversio prior. Circa has conclusiones notandum est primo, correspondere optime titulo articuli. Quia licet in eis terminus personalis cum dictione exclusiva ex parte subjecti comparetur termino communi posito ex parte prædicati, et in titulo nulla fiat mentio termini communis habentis locum prædicati; sed absolute inquiratur, an dictio exclusiva possit adjungi termino personali? tamen ita debet intelligi titulus, ut observavit Vasquez in annotationibus circa hunc articulum. Nam D. Thomas sic proponit rationem dubitandi : *Videtur, quod dictio exclusiva possit adjungi termino personali, etiam si prædicatum sit commune.* Et in argumento *Sed contra* loquitur tantum de hac propositione, *Solus Pater est Deus* : et in principio corporis articuli proponit eam in exemplum, et de illa tantum agit in omnibus conclusionibus, ut constat ex littera articuli. (Vasquez. D.Thom.)

2. Secunda. Secundo notandum est, ex prædictis conclusionibus patere, quid dicendum sit de illis propositionibus constantibus ex parte prædicati, non quidem termino essentiali, sed personali. Quoniam si talis terminus personalis fuerit proprius unius tantummodo personæ ut si dicatur, *Solus Pater generat*, vel *Solus Spiritus sanctus spiratur*, tunc concedendæ sunt prædictæ propositiones. Si tamen talis terminus fuerit communis, ut in hac propositione, *Solus Pater spirat*, tunc ferendum est indicium de prædicta propositione juxta conclusiones ex hoc articulo nuper depromptas.

3. Tertia. D.Thom. Tertio notandum est ex Angelico Præceptore in 1 distinctione, 21, quæstion. 1 et 2 et de Potentia quæstione 10 articulo 4 ad 12 esse regulam Scripturæ, quod nomen dictum de qualibet persona divina, adhuc cum dictione exclusiva, intelligitur, etiam convenire aliis personis, nisi in illis, in quibus personæ opponuntur, ut verbi gratia sapientia genita dicit de se Ecclesiastici 24 : *Gyrum cœli circuivi sola* : ab isto tamen actu non excluduntur Pater et Spiritus sanctus. Et quando Joannis 17 dicitur : *Ut cognoscant te solum Deum verum*, illa dictio *solum* non excludit Filium, et Spiritum sanctum a consortio Deitatis. Quod etiam docuerunt noster Cyrillus Alexandrinus libro 4 Thesauri cap. 2, et libro 10 capite 6. Athanasius in disputatione contra Arrium, Cyprianus in exhortatione martyrii capite 2, Nazianzenus Oratione 4 de Theologia, Augustinus libro 1 de Trinitate capite 6, Chrysostomus homilia 72 in Matthæum, et Evaristus Papa epist. 1. (Eccles. 24. Joann. 17. Cyrill. Athan. Cyprian. Nazianz. August. Chrysost. Evaristus Papa.)

4. Ultima. Ultimo notandum est, hinc sequi, quid dicendum sit de propositione, in qua ex parte subjecti ponitur terminus personalis communis, et ex parte prædicati terminus eodem modo personalis, et communis eisdem personis : ut in hac propositione : *Solum unum principium, quod est Pater, et Filius, spirat Spiritum sanctum.* Nam ex dictis sequitur, eam esse concedendam. Maxime, quia solum potest obstare, Patrem spirare, et similiter Filium ; et nihilominus Patrem, aut Filium non esse illud principium, sed utrumque simul. Hoc tamen nihil obest ut constat ex doctrina D. Thomæ in hoc articulo in solutione ad 3 ubi ait, quod per dictionem exclusivam non excluduntur ea, quæ sunt de intellectu termini, cui adjungitur, si non differant secundum suppositum, cujusmodi sunt partes, concomitantia et universalia. Constat autem, quod Pater, et similiter Filius, licet alias sint duo integra supposita, nihilominus sunt, (ut sic dicamus) quasi partes illius integri principii : et per consequens quoad hoc, quod est desiderari, modo infra explicando, ad hoc unicum principium, ita se quodammodo habent, ac si eorum quilibet non esset integrum suppositum : quatenus per hoc denotatur, non posse unum sine altero influere in productionem Spiritus sancti, sed integrum ex omni capite principium *quod* ex utroque supposito coalescere. (D.Thom.)

Unde, quemadmodum conceditur hæc propositio, *Solus homo scribit*, licet manus non habeat esse hominem, et dicatur scribere : quia manus est pars concurrens cum homine ad scribendum : ita etiam concedenda est prædicta propositio, de qua loquimur : quamvis Pater spiret, et non sit omnino illud principium. Sed de hac propositione iterum infra quæst. 36 art. 4 sermo

4 sermo redibit, ubi etiam aliud caput, unde prædicta propositio sit concedenda, explicabitur.

DISPUTATIO X.

De personis divinis quoad pluralitatem earum, nec non et quoad ea, in quibus sunt unum.

1. Postquam Angelicus Præceptor in q. 29 hujus tractatus egit de personis divinis in communi, statim in his duabus quæstionibus nuper recensitis, scilicet, in q. 30 et 31 sermonem instituit de pluralitate earumdem personarum, et de aliquibus ad hoc pertinentibus, nec non et de aliquibus in quibus prædictæ personæ sunt unum. Et ideo, ad omnia ista explicanda præsens disputatio instituitur.

DUBIUM I.

Utrum sicut in divinis conceduntur tres personæ realiter distinctæ, ita etiam concedendæ sint tres res, tres unitates, tres quidditates, tria (ut sic dicamus) aliquid, tria entia, tresque veritates realiter etiam distinctæ?

2. In titulo aliquid ut certum supponimus, aliqua in dubium vocamus. Supponimus enim, dari in divinis tres personas realiter distinctas : quia id constat ex iis, quæ in disputationibus præcedentibus diximus. Et D.Thom. propterea, licet D. Thomas de hoc in q. 30 art. 1 et 2 agat, et nos in hac disputatione de his, quæ D. Thomas, tam in hac q. 30 quam in q. 31 docet, disseramus ; nihilominus de pluralitate divinarum personarum nihil discutiemus : quia etiam D. Thomas hanc eamdem pluralitatem, et quomodo divinæ personæ non sint plures, nec pauciores quam tres, explicat, et probat ex iis, quæ in præcedentibus, quæque a nobis jam explicata sunt, dixerat.

Vocamus autem in dubium omnia illa, quæ in titulo recensita sunt. Quia etsi constet de pluralitate divinarum personarum : non tamen ita ex iis, quæ dicta sunt, de pluralitate prædicatorum, quæ in titulo adduximus, liquet. Merito autem in hac disputatione quæ ad explicanda ea, quæ circa pluralitatem divinarum personarum D. Thomas docuit, instituitur, de pluralitate prædictorum agimus. Siquidem, si quæ in illis pluralitas invenitur, debet ex pluralitate earumdem personarum oriri.

Consulto autem in titulo hujus dubii non addidimus aliqua alia prædicata, sive rationes de quibus posset inquiri, an realiter plurificentur in divinis propter realem pluralitatem personarum ? Quoniam, licet hoc ipsum posset inquiri de subsistentia, de existentia, de substantia, de hypostasi, de individuo, de perfectione : nihilominus, quia de hoc ultimo late egimus disput. 6 et de aliis disput. 7, 8 et 9 sermonem texuimus : idcirco solummodo de pluralitate eorum, quæ in titulo recensita sunt, data opera in hoc dubio inquisitum est.

§ I.

Stabilitur, dandas esse in Deo tres res, tresque unitates absolute et simpliciter loquendo, quæ realiter distinctæ sint.

Dicendum est primo dari in divinis absolute et simpliciter loquendo tres res realiter distinctas, necnon tres unitates, quæ realiter etiam distinguantur. Assertio hæc quoad primam partem, imo et quoad secundam, habetur in Concilio Rhemensi sub Calixto Papa II, ut statim referemus, estque communis inter Patres. Nam ita loquuntur Augustinus lib. 1 de Doctrina Christiana c. 5 ubi inquit : *Res, quibus in cœlo fruendum, esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum;* Anselmus lib. de Incarnatione Verbi c. 3 ubi inquit : *Omnes Christianos sentire, personas divinas secundum propria et personalia esse tres res, sed secundum essentiam esse unam rem absque separatione aliqua, vel divisione.* 3. Prior assertio. Concilium Rhem. August. Anselm.

Et D. Thomas in 1 dist. 25 q. 1 art. 4 his verbis : *Quidditas, sive forma, a qua sumitur nomen rei in divinis, consideratur dupliciter. Aut ut forma absoluta, ut essentia, vel Deitas, et hujusmodi, quæ non multiplicantur in divinis. Unde et nomen rei, quod a tali forma sumitur, pluraliter non prædicatur, sed singulariter : prout dicitur, quod Pater et Filius sunt una res. Est etiam in divinis quædam forma relativa, ut Paternitas quæ secundum rationem non solum in intellectu existentem, sed etiam extra, est alia a Filiatione. Unde secundum quod ab hac relatione sumitur nomen rei, res pluraliter prædicatur : ut sint ibi plures tales formæ relativæ. Et secundum hoc dicimus, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus* D Thom.

sunt tres res, non tantum in anima, sed etiam extra animam, habentes firmitatem in natura.

4. Et in hac prima p. q. 39 art. 3 ad 3 ubi sic ait : *Dicendum, quod hoc nomen res est de transcendentibus. Unde secundum quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in divinis. Secundum vero quod pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur. Unde Augustinus dicit, quod eadem Trinitas quædam summa res est.* Et 4 contra Gentes c. 14 : *Sunt igitur plures res subsistentes, si relationes considerentur : est autem una res subsistens, si consideretur essentia,* et alibi sæpe. Quod etiam docuerunt alii Patres.

Concilium Rhemens. Deinde eadem assertio quoad secundam ejus partem, imo etiam quoad primam, satis colligitur ex Concilio Rhemensi nuper citato, ubi supponitur, esse in divinis tres res, tresque unitates : et deinde asseritur, has res esse ipsum Deum. Unde ibidem dicitur : *Credimus, solum Deum, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum æternum esse : nec aliquas omnino res (sive proprietates, vel unitates dicantur) adesse Deo, quæ sint ab æterno, quæ non sint Deus.* Idem etiam habetur apud Damascenum lib. 1 de Fide c. 11 et lib. 3 c. 5; apud D. Thomam de Potentia q. 9 art. 4 ad 14 his verbis : *Dicendum, quod unum in divinis se habet communiter ad essentiam et relationem. Dicimus enim, quod essentia est una, et quod Pater est unus.* Et in hac q. 30 art. 3 : *Cum diximus, personæ sunt plures, significantur illæ personæ, et indivisio circa unamquamque earum : quia de ratione multitudinis est, quod ex unitatibus constet.* Et in solut. ad 1 sic inquit : *Dicendum, quod unum, cum sit de transcendentibus, est communius, quam substantia, et quam relatio, et similiter multitudo. Unde potest stare in divinis, et pro substantia, et pro relatione.* Quod etiam habetur apud alios Patres. Et propterea assertionem hanc quoad utramque partem communiter tuentur Theologi : et ita ab eis in particulari referendis abstinendum est.

Damasc. D.Thom.

5. Ratio fundamentalis pro prima parte assertionis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis quoad priorem partem desumitur ex D. Thoma locis citatis, præcipue vero ex testimonio relato ex 1 Sententiarum, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam nomen rei, absolute et simpliciter loquendo, significat realitatem ratam et firmam extra animam, ut communiter docent Metaphysici : seu significari id, quod eam qualemcumque entitatem, qua gaudet, non habet præcise in anima, et beneficio intellectus, sicut ens rationis illam habet, et propterea diffinitur per hoc, quod tantum sit objective in intellectu, seu per hoc, quod ejus qualiscumque entitas tantum est entitas apparens, sive ficta in anima. Sed hoc ipso, quod absolute et simpliciter loquendo in divinis dentur tres personæ realiter distinctæ dantur ibidem tres realitates ratæ et firmæ : ergo et eodem modo dabuntur tres res realiter etiam distinctæ. Consequentia est perspicua. Minor autem etiam constat. Quoniam quævis ex personis divinis ex vi suæ lineæ dicit realitatem ratam et firmam extra animam : alioqui secundum illud, quod ex vi suæ lineæ quælibet illarum dicit, esset purum nihil, aut ens rationis.

Confirmatur. Confirmatur ratione desumpta ex eodem S. Doctore loco citato ex q. 39 hujus tractatus. Quoniam res habet se per modum prædicati transcendentis, tam respectu divinæ essentiæ, quam respectu relationum personalium : quia in intimis essentiæ et relationum personalium, de quibus loquimur, includitur impræscindibiliter, quod sint realitas rata et firma : ne, ut modo dicebamus, sint secundum aliquam sui rationem, vel purum nihil, vel ens rationis. Ergo sicut res non multiplicatur realiter respectu essentiæ : quia in divinis est tantum unica essentia : ita multiplicatur in relationibus personalibus, dabunturque ibidem tres res, quemadmodum dantur tres relationes personales, seu tres personæ. Patet consequentia. Quia quod est transcendens respectu essentiæ divinæ, et relationum personalium, ita ut non conveniat illis præcise ratione essentiæ, sed ratione suæ lineæ, ut in præsenti contingit, tantum est commune illis communitate rationis; non vero communitate rei. Constat autem, quod id, quod est transcendens et commune communitate rationis in divinis, debet multiplicari juxta multiplicationem eorum, in quibus transcenditur. Et propterea ratio personæ multiplicatur in divinis juxta pluralitatem relationum personalium : quia tantum est illis communis communitate rationis.

Ratio vero etiam fundamentalis pro secunda parte assertionis, nempe, dari absolute et simpliciter loquendo, in divinis tres unitates realiter distinctas, desumitur ex D. Thoma in hac q. 30 art. 1 ad 4 et art. 2 ad 5 necnon art. 3 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in divinis, absolute 6. Ratio pro secunda parte D.Thom.

lute et simpliciter loquendo, datur pluralitas personarum, necnon numerus transcendentalis, ut in hac eadem disputatione latius dicemus : ergo eodem modo dabuntur ibi plures unitates realiter distinctæ, juxta pluralitatem earumdem personarum et numerum, quem constituunt, nempe ternarium. Patet consequentia. Quia numerus, vel multitudo realis, absolute et simpliciter talis, debet constare ex similibus unitatibus.

Confirmatur. Confirmatur ratione deprompta ex eodem S. Doctore locis citatis. Quia unitas, absolute et simpliciter loquendo, tantum dicit realitatem indivisam in se, et (ad summum) divisam ab alia : sed quælibet ex divinis personis, dicit ex vi suæ lineæ realitatem indivisam in se, et divisam ab alia : ergo et realem unitatem : et per consequens tres personæ divinæ dicent tres reales unitates.

Objectio. Avicena. D. Thom. Nec obest, si objicias, quod nomen rei, juxta Avicenam, quem refert et sequitur D. Thomas in 1 dist. 25 q. 1 art. 4, sumitur a quidditate : sed in divinis tantum est una quidditas, sicut tantum est una essentia et natura : ergo ibi tantum dabitur una res, non vero tres res : et per consequens nec dabuntur tres unitates realiter distinctæ.

7. Solutio. Respondetur enim ex eodem Angelico Præceptore ibidem in solutione ad 2 quod nomen rei non sumitur a quidditate absoluta, quæ est idem, ac essentia et natura Dei, sed a ratione formali, quæ quodammodo quidditas, licet non proprie et absolute, vocari potest. Unde Angelicus D. Thom. Doctor ita explicat id, quod ex Avicena in principio prædicti articuli dixerat : et ideo ait : *Si autem per quidditatem intelligitur, non solum natura absoluta, sed ratio, vel intentio cujuscumque, vel substantiæ, vel accidentis, vel relationis, sic in divinis quamvis sit una quidditas absoluta, tamen sunt plures rationes relationum realium : et ita plures quidditates quodammodo. Quamvis hoc non possit proprie concedi : quia quidditas, et essentia, et diffinitio est simpliciter tantum substantiarum, ut probat Philosophus 7 Metaphysicæ. Et inde est, quod nomen rei prædicari potest pluraliter, et singulariter.* Et deinde in solut. ad 3 ejusdem articuli hoc ipsum magis explicuit, dicens : *Dicendum, quod relatio quamvis non ponat ex illo respectu aliquid absolutum, tamen ponit relationis rationem realiter in Deo existentem, et ideo ex hoc potest dici res, et ex pluralibus relationibus oppositis plures res.*

§ II.

Statuitur, entitatem absolute et simpliciter dictam non multiplicari substantive in divinis : ac proinde non dari ibidem absolute et simpliciter, ac proprie loquendo tria entia substantive.

Dicendum est secundo, quod, si absolute, simpliciter ac proprie loquamur, non sunt admittenda in divinis tria entia substantive, sed solum adjective. Ita videtur docuisse Concilium Lateranense sub Innocentio III c. 2 ubi dicitur : *Patrem totam suam entitatem dedisse Filio.* Quod etiam docuerunt Cyrillus lib. 1 in Joan. c. 4, Hilarius lib. 3 de Trinitate, et Isidorus lib. 1 de Summo bono cap. 15. Cumque Pater non dederit ei suam relationem Paternitatis, signum est, quod nomine entitatis, absolute et simpliciter sumptæ, non intelliguntur relationes personales. Et ita, ex eo quod dentur in divinis tres relationes personales, non sequitur, danda esse ibidem tria entia, absolute et simpliciter loquendo. 8. Secunda conclusio. Conc. Lat. Cyrillus. Hilarius. Isidorus.

Idem etiam docuit D. Thom. in 1 dist. 25 q. 1 art. 4 his verbis : *Nomen entis sumitur ab esse rei. Et ideo cum unum et idem sit esse trium personarum : si ens sumatur substantive, non potest pluraliter prædicari de tribus personis : quia forma, a qua imponitur, scilicet esse, non multiplicatur in eis. Si autem sumatur participialiter, et adjective, sic pluraliter prædicari potest : quia hujusmodi recipiunt numerum a suppositis, et non a forma significata, ut dictum est.* Et in responsione ad 1 sic ait : *Dicendum, quod nomen entis nullo modo sumitur ab aliqua relatione, sed ab esse, quod absolutum est simpliciter in divinis. Et ideo non prædicatur pluraliter ex forma sua, sed ex supposito, prout est adjectivum, vel participium, Sed nomen rei imponitur a quidditate, vel forma, quæ potest esse, et absoluta, et relata : et ideo potest pluraliter prædicari.* D Thom.

9. Quod etiam eleganter docuit idem Angelicus Præceptor in eadem quæst. et articul. ad Annibaldum, his verbis : *Ens, secundum Avicenam, ab esse imponitur, sicut res a quidditate. In divinis autem unicum est esse : et ideo quantum ad id, a quo nomen entis imponitur, non prædica-*

tur in divinis pluraliter. Sed quia diversimode impositum est ad esse significandum, scilicet, adjective, et substantive : adjectivum vero numerum recipit a suppositis : substantivum autem a forma, a qua imponitur : ideo hoc nomen ens, si substantive sumatur, non prædicatur nisi singulariter in divinis : si autem sumatur adjective, potest pluraliter prædicari. Substantiva enim plurificantur ratione formæ significatæ, adjectiva ratione suppositorum. Et hoc ipsum habetur etiam apud S. Doctorem alibi sæpe, ut in 1 distinct. 8 quæst. 1 art. 1 et de Veritate q. 1 art. 1 et 1 contra Gentes c. 25. Unde hanc assertionem tuentur Bonaventura dist. 23 art. 2 q. 2 ad ultimum, Enricus in Summa q. 2 ad 6, Alexander 1 p. q. 49 membro 3, Capreolus in dist. 29 q. unic. art. 3 ad 1 contra primam conclusionem, Nazarius 1 p. q. 29 art. 2 in expositione textus, Bannez ibidem art. 3, et alii plures ex discipulis D. Thomæ.

Bonavent. Enricus. Alexand. Capreol. Nazar. Bannez.

10. Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam ad multiplicationem nominis substantive requiritur multiplicatio, tum suppositi, tum etiam formæ formaliter significatæ per illud : cum tamen ad multiplicationem termini adjectivi satis sit plurificatio suppositorum. Sed forma formaliter significata per hoc nomen *ens*, absolute et simpliciter sumptum, non plurificatur in divinis, bene tamen supposita; ergo absolute et simpliciter loquendo, non sunt admittenda tria entia substantive, bene tamen adjective. Consequentia videtur perspicua. Major autem etiam constat ex universali regula, quam nuper tradidimus ex D. Thoma, quamque ipse, et communiter Theologi cum eo etiam tradunt infra q. 39.

Minor vero quoad secundam partem etiam liquet. Quoad primam vero probatur. Quia forma formaliter significata per hoc nomen *ens*, absolute et simpliciter sumptum, est ipsum *esse*, seu ipsa existentia. Tum, quia sicut nomen *ens* desumitur ab *esse* : ita forma formaliter per illud significata tantum est ipsum *esse*, ut ex Conciliis et Patribus diximus. Tum etiam, quia quemadmodum hoc nomen *homo*, absolute et simpliciter dictum, imponitur ad significandum id, cum quo convertuntur omnes passiones hominis : sic hoc nomen *ens* ad denotandum illud ens, cum quo omnes passiones entis habent converti. Constat autem, quod omnes passiones entis non convertuntur cum ente, nisi ut significat ens, ut in aliqua differentia temporis existens : et propterea licet *unum*, et *res* habeant converti cum quavis formalitate, non tamen *bonum*, *verum* aut *aliquid*, ut de bono disp. 6 n. 84 diximus, et vero, nec non et de aliquid statim dicemus.

11. Confirmatur. Confirmatur, quia etsi dicamus, quod abstractum hujus nominis *ens* est entitas aliquomodo distincta ab *esse* : nihilominus entitas absolute et simpliciter dicta non plurificatur in Deo. Ex eo quod, sicut hoc nomen *ens*, absolute et simpliciter sumptum sumitur ab *esse*, sive existentia : ita entitas significat, vel ipsum *esse* vel entitatem, non quomodocumque, sed ut est principium essendi. Et propterea, ut ex Concilio Lateranensi dicebamus, et habetur in Florentino sess. ult. in litteris sanctæ unionis, ideo dicitur, Patrem dedisse Filio totam suam entitatem : quia dedit illi suam essentiam, quæ est principium essendi, imo est ipsum *esse*. Constat autem entitatem sic sumptam non multiplicari in divinis : siquidem in divinis tantum est unica existentia, unicumque essendi principium.

Diximus in assertione, quod ens absolute et simpliciter sumptum non plurificatur in divinis. Quoniam si non sumatur absolute et simpliciter, sed cum addito, ut si dicatur, ens relativum, secundum quam rationem non dicit ens, ut est principium essendi, sed saltem ens ut distinguitur contra nihil : tunc poterit plurificari. Quo pacto nos sumpsimus ens, quoties diximus, relationes divinas dicere propriam entitatem : quia ex contextu satis ibi denotavimus, nos loqui de entitate relativa.

12. Objectio. Suarez. Vasquez. Molina. Torres. Ruiz de Montoya. Nec obest, si cum Suarez lib. 3 de Trinitat. c. 6 et tom. 1 tertiæ partis disp. 11 sect. 2, Vasquez in præsenti disput. 122 c. 7 in fine, Molina, et Torres infra q. 39 art. 3, Ruiz de Montoya in præsenti disp. 26 sect. 2 et aliis quibus assertio nostra displicet, objicias. Tum, quod ens absolute et simpliciter sumptum est superius ad personam : ergo multiplicatis personis multiplicabuntur entia : siquidem multiplicatis inferioribus multiplicantur prædicata superiora.

Tum etiam, quod significatum formale hujus nominis *ens* non est existentia, sed entitas : hæc autem multiplicatur in personis, sicut et personæ ipsæ : et ideo una persona est entitas realiter distincta ab alia.

alia. Tum deinde, quod etsi daremus *ens* desumi ab *esse*, seu existentia : non tamen ideo significat ipsum *esse*, sed ad hoc sufficeret, ut significet realitatem quamlibet dicentem ordinem ad *esse*, seu capacem existentiæ. Constat autem, prædictam realitatem plurificari in divinis personis. Tum etiam quia relationes divinæ, ut distinctæ ab essentia, non sunt purum nihil : ergo dicunt propriam entitatem. Tum denique, quia res dicitur pluraliter in divinis quia est transcendens : sed etiam ens est transcendens, quippe quod convertitur cum re : ergo, etc.

13. Evanescit. Non itaque hoc obest. Nam ad primam ex his impugnationibus dicendum est, quod ens participialiter sumptum, seu ut dicit de formali *esse*, seu existentiam, non est essentialiter superius per superioritatem, et communitatem rationis, de qua argumentum procedit, ad personam, sicut nec ens, ut dicit principium essendi : sed ens, ut distinguitur contra nihil, et modo alibi tacto consideratum, quodque, si proprie loquamur, non dicitur absolute et simpliciter ens, sed cum addito, nempe ens, prout est idem ac realitas, vel prout distinguitur contra nihil, aut ens, prout abstrahit ab hoc, quod est, esse principium essendi, aut non esse principium illius.

Ad secundam vero impugnationem patet ex dictis, quomodo etsi detur, quod entitas sit forma formaliter significata per hoc nomen *ens* absolute et simpliciter dictum : nihilominus tantum significat, vel existentiam, seu *esse*, quæ dicitur entitas participialiter sumpta ; vel entitatem, seu essentiam, ut est principium essendi. Et ita proprie et simpliciter loquendo, personæ divinæ non distinguuntur, ut entitas, et entitas absolute et simpliciter dictæ, sed ut res, et res, quamvis cum addito possit id concedi : ut si dicatur expresse, distingui ut entitatem, et entitatem relativam, vel id ex contextu constet.

14. Ad tertiam vero impugnationem dicendum est, probare ad summum, quod hoc nomen *ens* potuit desumi ab *esse* et imponi ad significandum quidquid quovis modo dicit ordinem aut quasi ordinem ad *esse* : non tamen suadere, quod de facto sit impositum ad hoc significandum. Quia oppositum hujus constat ex Avicena ex D. Thoma, ex Patribus a nobis relatis, ex Conciliis Lateranensi et Florentino adductis, quorum testimoniis quoad hoc standum est.

Ad quartam constat etiam ex dictis, quomodo etsi divinæ personæ secundum id, quod addunt supra essentiam, dicant aliquam realitatem, prout realitas distinguitur contra nihil ; non tamen proprie, absolute et simpliciter loquendo, addunt entitatem : quia non addunt realitatem, quæ sit ipsa existentia, seu *esse*, vel principium essendi.

Ad ultimam etiam liquet, quomodo ens, ut est principium essendi, aut dicit existentiam, non sit transcendens transcendentia rationis : nec res, et ens sic sumptum omnino convertuntur, et sunt prorsus idem.

§ III.

Ostenditur, in divinis nec tres essentias, seu quidditates absolute et simpliciter, ac proprie loquendo esse admittendas, neque etiam tria (ut sic dicamus) aliquid posse concedi.

Dicendum est tertio, in divinis proprie ac simpliciter loquendo non esse tres essentias, seu quidditates, nec etiam tria (ut sic dicamus) *aliquid*, prout ly *aliquid* sumitur pro una ex quinque affectionibus entis. Prior pars hujus assertionis satis innuitur a Concilio Lateranensi sub Innocentio III c. 1 ubi diffinitur, tres personas esse unius essentiæ. Idem etiam docuit Augustin. 7 de Trinitate c. 6 ubi expresse negat in Deo esse plures essentias, Anastasius Sinaita lib. qui inscribitur : *Viæ dux*, c. 2 § *De hypostasi*, ubi ait : *Una natura, seu essentia est divinitas, tres vero hypostases, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus ; tres personæ, una vero essentia.* Idem etiam docuit D. Thom. in 1 dist. 25 q. 1 art. 4 quem communiter sequuntur Theologi. 15. Tertia assertio. Conc. Lat. Augustin. Anast. Sinaita. D.Thom.

Et ratio assertionis quoad hanc partem est. Quoniam teste Basilio epist. 37, essentia proprie et absolute sumpta significat quidditatem, prout est principium, aut quasi principium essendi. Quod etiam fatentur Nyssenus orat. 12 contra Eunomium, Cyrillus lib. 1 Dialogor. de Trinit. ad fin., Justinian. in confessione fidei, quæ habetur tom. 2 Conciliorum post secundum Concilium Toletanum in editione Surii. Constat autem, essentiam in hac significatione non multiplicari in divinis : siquidem omnia divina (ut sæpe diximus) existunt per unicam et eamdem indivisibilem existentiam divinæ essentiæ : et nihil Ratio fundamentalis quoad priorem partem. Basilius. Nyssenus. Cyrillus. Justin.

aliud præter prædictam essentiam habet proprium *esse*, seu existentiam : et ita sola prædicta essentia est principium, aut quasi principium essendi.

16. D.Thom. Secundam vero ejusdem assertionis partem tuetur D. Thom. q. 2 de Potentia art. 6 his verbis : *Nec tamen sequitur, quod quamvis Paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat pater, quod non habet Filius. Nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet, quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua inest ; vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis. Unde cum id, quod esse absolutum, communiter sit in Patre et Filio, non distinguuntur secundum aliquid, sed secundum ad aliquid tantum. Unde non potest dici, quod aliquid habet Pater, quod non habet Filius, sed quod aliquid secundum unum respectum convenit Patri, et secundum alium aliquid Filio.*

Unde propter hanc rationem idem Angelicus Præceptor super Joan. c. 16 lect. 4 concedit, quod quidquid habet Pater, habet Filius, licet in Filio non sit illud ad aliquid quod est in Patre, nempe, Paternitas, et ita sic ait : *Simpliciter concedimus hanc scilicet : Quidquid habet Pater, habet Filius. Non tamen, quod eo ordine habeat Filius, quo Pater habet. Nam Filius habet sicut ab alio accipiens, Pater vero sicut alii dans. Non ergo est distinctio in eo, quod habetur, sed in ordine habendi : hujusmodi autem relationes, scilicet Paternitas et Filiatio hujus ordinis distinctionem important. Paternitas enim importat hoc quod est dare alii : Filiatio vero accipere ab alio* Et ideo sententiam hanc tuentur discipuli D. Thomæ.

17. Probatur assertio quoad secundam partem. Ratio autem hujus assertionis quoad istam secundam partem desumitur ex D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quia ly *aliquid*, si ut est una ex quinque affectionibns entis, et proprie sumatur, significat non realitatem qualemcumque, sed realitatem absolutam : siquidem distinguitur contra *ad aliquid*, et convenit divinis relationibus ratione essentiæ, et non ratione sui, ut ex D. Thoma dicebamus : constat autem, quod id quod est absolutum, et convenit formaliter ratione essentiæ, nequit multiplicari in divinis : ergo, etc.

Confirmatur. Confirmatur ratione alia insinuata ab eodem Angelico Doctore de Veritate q. 1 artic. 1. Quoniam ly *aliquid* proprie sumptum significat id, quod est *aliud quid :* ergo cum in divinis, licet sit alius, et alius, non tamen multiplicetur *aliud quid ;* quandoquidem una persona non est *aliud quid* ab alia, licet omnes illæ sint unum *aliquid*, unumque *aliud quid* ab omnibus creaturis : inde est, ut ly *aliquid* nequeat multiplicari in divinis. Quam rationem innuit D. Thomas locis citatis, his verbis : *Si autem modus entis accipitur secundo modo, scilicet, secundum ordinem unius ad alterum, hoc potest esse dupliciter. Uno modo secundum divisionem unius ab altero : et hoc exprimit hoc nomen aliquid : dicitur enim aliquid, quasi aliud quid. Unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se : ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum*, etc. D Thom

18. Objectio. Unde contra hæc nihil obstabit, si objicias, quod quælibet ex divinis personis ex vi suæ lineæ habet esse aliquod suppositum, dicitque aliquam realitatem : ergo quælibet ex illis erit *aliquid* ex vi suæ lineæ : et per consequens erunt tria (ut sic dicamus) *aliquid.*

Non itaque hoc obstat. Quoniam id ex dictis manet solutum. Tum, quia cum dicitur de persona divina, quod est aliquod suppositum, non sumitur ly *aliquod,* ut est una ex quinque affectionibus entis, sed ut est signum modificativum, vel determinativum suppositi. Tum etiam, quia (ut dicebamus) ly *aliquid* proprie sumptum, in quo sensu de illo loquimur, non significat quamcumque realitatem, sed realitatem absolutam, et in ordine ad se : ad quod suadendum satis est auctoritas Angelici Præceptoris, qui ex antiquitatis et Patrum visceribus proprias nominum Metaphysicorum et Theologorum significationes, sicut et alia, desumpsit. Diluitur.

§ IV.

Defenditur, non esse admittendas in Deo tres veritates, aut tria vera substantive.

Dicendum est ultimo, non esse concedendas in Deo tres veritates realiter distinctas, aut tria vera substantive et eodem modo distincta. Assertionem hanc eleganter docuit Augustinus lib. 8 de Trinitate cap. 1 circa medium, ubi eamdem esse magnitudinem seu perfectionem trium personarum, nec majus, aut perfectius aliquid esse tres personas simul, quam sit quælibet 19. Posterior assertio. August.

bet ex illis, ostendit sequenti ratione, hisque verbis : *Ubi magnitudo ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est, ut plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porro quidquid plus habet veritatis, profecto verius est : sicut majus est, quod plus habet magnitudinis. Hoc ergo ibi est majus, quod verius. Non autem verius est Pater et Filius simul, quam singulus Pater aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quam singulum eorum. Et quoniam æque vere est etiam Spiritus Sanctus : nec Pater, et Filius simul majus aliquid est quam ipse : quia nec verius est. Pater quoque, et Spiritus Sanctus simul quoniam veritate non superant Filium, non enim verius sunt, neque magnitudine superant. Atque ita Filius, et Spiritus Sanctus simul tam magnum aliquid sunt, quam Pater solus : quia tam vere sunt. Sic et ipsa Trinitas tam magnum est, quam unaquæque ibi persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis hoc est verum esse, quod est esse : et hoc est esse, quod est magnum esse : hoc est ergo magnum esse, quod verum esse.*

20. Boetius. Idem etiam docuit Boetius lib. *An Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus de divinitate substantialiter, prædicentur*, prope medium dicens : *Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus Sanctus veritas est : non tres veritates, sed una veritas. Si ergo una in his substantia, una veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommunicabilitate, de justitia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quam de omnibus singulariter prædicamus.*

Anselm. Et hoc ipsum tuentur Anselmus in Prosologio c. 23 et in Dialogo de Veritate c. 7 et 11, Bernard. serm. 80 in Cantica prope finem, ubi etiam adducit Fulgentium, et tandem inter alios Angelicus Doctor in 1 dist. 19 q. 5 artic. 3 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod sicut trium personarum una est essentia, qua quælibet habet esse ; quamvis sint plures proprietates, quibus distinguuntur, quæ tamen omnes non differunt secundum rem ab essentia. Ita etiam est una veritas trium personarum ex parte ipsius rei, de qua fit enuntiatio*. Quod etiam magis explicuit q. 1 de Veritate artic. 5 in solut. ad 18 his verbis : *Dicendum, quod ratio veri fundatur supra ens. Quamvis autem in divinis ponantur plures personæ, vel proprietates : non tamen ibi ponitur nisi unum esse : quia esse in divinis non nisi essentialiter dicitur, et omnium istorum enuntiabilium, Patrem esse vel generare, Filium esse vel genitum esse, secundum quod ad rem referuntur, est veritas una, quæ est veritas prima et æterna.* Unde assertionem hanc tuentur plures ex discipulis D. Thomæ, ut Ledesma lib. de Perfectione Dei q. 3 art. 3, Nazarius, et alii : quod etiam tenet Richardus in 1 dist. 24 art. 1 q. 3 ad 1.

(Bernard. Fulgentius. Aug. Doctor. — Ledesma. Nazar. Richardus.)

21. Ratio fundamentalis prima. Ratio autem prior et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex testimonio D. Augustini nuper adducto, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in divinis non datur, nisi unica magnitudo et perfectio in tribus personis : ne omnes illæ simul sumptæ dicerent majorem perfectionem, quam singulæ ex ipsis, si quævis earum afferret ex vi suæ lineæ propriam perfectionem et magnitudinem : ergo nec etiam dabuntur in illis plures veritates realiter distinctæ, et convenientes illis ex vi suarum linearum ; ne omnes personæ simul sumptæ sint aliquid verius. quam solus, v. g. Pater, aut solus Filius. Siquidem id, quod est verius alio, est perfectius illo : ex eo quod veritas dicit rationem perfectivam, et major veritas majorem perfectionem, et propterea verum dicitur esse perfectivum intellectus, sicut bonum perfectivum voluntatis, modo tamen a nobis tomo 4 tract. 1 explicando.

Nec necesse erit referre solutiones, quæ ex doctrina adversariorum possent adhiberi. Nam omnes illæ sunt similes eis, quas ex prædictis authoribus retulimus, dum dubium illud discussimus, an nimirum relationes ex vi suæ lineæ afferant propriam perfectionem, et ex ibidem dictis, nempe, disput. 6 q. 2 hujus tractatus, prædictæ solutiones satis corruunt.

22. Secundum fundamentum. Secunda et principalis ratio hujus assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis et q. 1 de Veritate art. 1 quæ potest sub hac forma proponi. Nam ratio veritatis fundatur solummodo (si formalissime loquamur) supra entitatem absolute et simpliciter dictam, sive supra entitatem, ut præcise dicit principium, aut quasi principium essendi : sed in divinis tantum datur unica entitas, prout dicit principium, aut quasi principium essendi, ut in hoc dubio sæpe diximus : ergo, etc.

D.Thom. Major probatur primo a D. Thoma loco citato ex quæst. 1 de Veritate artic. 1 ubi sic ait : *Tripliciter veritas, et verum diffiniri invenitur. Uno modo secundum id quod*

præcedit rationem veritatis, et in quo verum fundatur. Et sic Augustinus diffinit in lib. Soliloquiorum : Verum est id, quod est. Et Avicena in 11 Metaphysicæ : Veritas cujuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est rei. Et quidam sic : Verum est indivisio esse, et ejus quod est

23. Quæ probatio, quoad præsens attinet, non parum habet efficacitatis. Nam hoc ipso, quod verum fundamentaliter sumptum diffiniatur per *esse*, signum est, quod peculiari ratione illud respicit, aut involvit, et non solum ex generali ratione, qua quævis realitas habet illud utcumque respicere, aut involvere. Cumque verum sic sumptum non respiciat, aut involvat *esse* speciali ratione, et distincta ab essentia, nisi modo dicto illud respiciat, aut involvat, consequens est, ut verum non dicat pro fundamento realitatem qualemcumque, sed realitatem, quæ, vel sit entitas absolute et simpliciter dicta, ac proinde dicat ens, ut a se actu existens, vel realitatem, quæ sit principium, aut quasi principium, unde oriatur, vel quasi oriatur *esse*, sive existentia.

24. Confirmatur. Confirmatur ex eodem Angelico Doctore. Quoniam id est fundamentum veri, ac per consequens rei ut intelligibilis, prout hæc duo quodammodo reperiuntur in rebus ad extra, quod est fundamentum formæ, seu speciei intelligibilis secundum quod ad lineam intelligibilem spectat : sed quod est fundamentum formæ intelligibilis, ut ad lineam intelligibilem spectat, non est quævis realitas, sed realitas, quæ, vel sit existens, vel sit principium, aut quasi principium existendi : ergo etiam fundamentum veritatis, sive intelligibilitatis repertæ quodammodo in rebus ad extra non erit realitas utcumque, sed realitas, quæ, vel sit existens, vel sit quasi principium existendi.

Major probatur. Nam cum res, ut vera et intelligibilis ad extra, reddatur formaliter, et proxime intelligibilis et vera a prædicta forma intelligibili, secundum eam veritatem et intelligibilitatem, quæ requiritur ad hoc, ut sit proxime objectum motivum intellectus, oportet, ut id ipsum proportione servata reperiatur remote, et veluti radicaliter in re, prout est vera et intelligibilis (ut sic dicamus) remote, habetque hoc modo esse objectum motivum intellectus, quod invenitur in eadem specie intelligibili prout est forma reddens illam formaliter veram et intelligibilem, secundum eam intelligibilitatem et veritatem, quæ requiritur ad hoc, ut sit proxime objectum motivum ejusdem intellectus.

Minor vero etiam constat inductione facta in omnibus speciebus intelligibilibus, ut talibus, quæ non dicunt realitatem qualemcumque, sed realitatem, quæ, vel sit existens, vel sit principium, aut quasi principium existendi, ut inductive constat in omnibus et singulis speciebus intelligibilibus. Et propterea in 1 tom. tract. 3 disp. 3 n. 32 diximus, relationes divinas non posse habere rationem speciei intelligibilis : quia non dicunt realitatem, quæ sit principium, aut quasi principium essendi : ac proinde quæ sit suum *esse* absque distinctione virtuali. Quia in divinis id solum habet *esse* quasi principium essendi, quod est ipsum *esse* absque distinctione virtuali. Et similiter ob hanc eamdem rationem in secundo 1 tom. tract. 4 disp. 1 n. 22 et in hoc 3 tom. et tract. disp. 2 dub. 3 diximus, quod *esse*, seu existentia in ordine intelligibili est effectus, aut quasi effectus formalis proveniens ab specie intelligibili : et n. 26 disputationis 1 tractatus quarti nuper citati asseruimus, speciem intelligibilem vendicare sibi propriam existentiam in ordine naturali et entitativo, ad hoc ut possit esse causa, aut quasi causa intellectionis, quæ est existentia ordinis intelligibilis, ut in eadem disputatione a n. 21 usque ad 29 explicuimus et in hoc eodem tractatu disp. 2 nuper citata dub. 3 a n. 78 tetigimus.

§ V.

Objectiones contra hanc ultimam conclusionem, et enodatio earum.

Contrarium tamen hujus assertionis docent Suarez lib. 3 de Trinitate c. 8, Vasquez in præsenti disp. 122 c. 7, et alii. Et ita censent, quod licet in Deo, non multiplicentur veritates in intelligendo, vel dicendo : quia in Deo tantum est unum *intelligere* quod quidem est veritas in intelligendo, et una veracitas in attestando, quæ est perfectio absoluta : sunt tamen in illo tres veritates in essendo, seu tres veritates objective. Potestque hoc probari primo ex illo 1 Joannis 5 : *Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Ubi de Filio dicitur, quod sit verus Filius, et quod sit verus Deus, ut denotetur, quod tam ratione Filiationis, quam ratione Deitatis afferat 25. Opposita sententia. Suarez, Vasquez. Primum fundamentum 1 Joann. 5.

ferat veritatem. Ac proinde, cum eadem sit ratio de aliis relationibus personalibus oportebit, ut singulæ ex illis afferant propriam veritatem : et per consequens sint in Deo tres veritates in essendo, et objective, seu tres veritates, prout veritas est in rebus.

Corruit. Respondetur enim, quod sicut ex hoc, quod dicatur de Filio, quod est Deus perfectus et Filius perfectus, solum sequitur, quod absolute sit perfectus, et quod sit Deus perfectus : non tamen quod ex Filiatione habeat perfectionem, sed ex essentia transcendentaliter in ea imbibita. Ita ex eo, quod dicatur, illum esse verum Deum, et verum Filium, non colligitur esse verum a Filiatione, sed ab essentia, si ly *verum* sumatur proprie, ut dicit unam ex affectionibus entis, et non prout est idem, ac realis Filius, et non fictus : quia sic sumpto *vero*, Filius est verus filius a filiatione, secundum ea, quæ intra propriam lineam dicit.

26. Secundum fundamentum D. Thom. Secundo probatur eadem sententia ex D. Thoma q. 1 de Veritate art. 7 ubi postquam dixit, veritatem in divinis sumi dupliciter : uno modo proprie, et alio metaphorice : et veritatem proprie sumptam dici essentialiter, et non personaliter, quamvis approprietur Filio, addidit, veritatem metaphorice acceptam dici personaliter. At nomine veritatis metaphorice acceptæ intelligit D. Thomas veritatem in essendo, et objectivam, seu prout in rebus reperitur : ergo prædicta veritas plurificatur realiter in divinis. Consequentia patet. Quoniam hoc ipso, quod veritas ista personaliter dicatur, conveniet Filio, ut ibidem docet Angelicus Præceptor, ratione Filiationis, et eo ipso alia etiam veritas quasi specie distincta ab ista conveniet aliis personis Trinitatis ratione suarum relationum personalium.

Minor autem probatur. Tum, quia ideo Angelicus Præceptor appellat hanc veritatem metaphoricam, quia veritas proprie sumpta est in intellectu, ut ex his, quæ in eadem quæstione art. 2 dixerat, colligi potest. Tum etiam, quia de hac veritate, quam appellat metaphoricam, ait : *Metaphorice autem, vel similitudinarie accipitur veritas in divinis, quando accipimus eam ibi secundum rationem illam, qua invenitur in rebus creatis, in quibus dicitur veritas, secundum quod res creata imitatur suum principium, scilicet intellectum divinum.* Constat autem, hunc modum veritatis esse proprium veritatis in essendo, seu objectivæ, seu quæ invenitur in rebus : quæ ideo dicuntur veræ, quia sunt tales quales concipiuntur ab intellectu divino.

Confirmatur primo. D.Thom. Confirmatur. Nam ibidem Angelicus Præceptor affert testimonium Augustini in lib. de Vera religione, ubi dicit, quod veritas divina est summa similitudo principii sine ulla dissimilitudine : et ex hoc infert Angelicus Doctor, veritatem in divinis dici proprie et personaliter, explicatque hoc testimonium de veritate metaphorica, nempe objectiva : ergo etiam secundum Augustinum veritas in divinis dicetur personaliter : ac proinde, ut nuper dicebamus, plurificabitur.

27. Satisfit fundamento et confirmationi. Respondetur negando minorem. Et ad probationem dicendum est, D. Thomam nomine veritatis similitudinariæ, aut metaphoricæ non intelligere veritatem in essendo, quæ est una ex quinque affectionibus entis, et correspondet veritati objectivæ, seu in essendo, quæ reperitur in rebus : sed id, quod nomen ipsum præ se fert, scilicet rem habentem aliqualem similitudinem cum prædicta veritate, quæque cum addito, scilicet in ratione veritatis similitudinariæ, sit proprie veritas. Similitudo autem ista consistit in hoc, quod sicut veritas in essendo, quæ est in creaturis, dicit similitudinem et conformitatem cum divino intellectu divinoque *intelligere*, et ab eo ut a principio procedit : ita Filius ex vi suæ processionis habet summam similitudinem cum suo principio, nempe cum intellectu Dei, et ejus *intelligere*. Et propterea Filius dicit similitudinarie suam veritatem peculiarem : et sumpta veritate cum hoc addito, tunc veritas proprie sumpta, seu veritas, quæ proprie sit similitudinaria, dicitur in divinis personaliter.

Aliter occurritur. Adde, quod in via S. Doctoris, ad hoc ut veritas, prout est una ex quinque affectionibus entis divini, et correspondet veritati in essendo repertæ in creaturis, diceretur personaliter, oportebat, ut sicut veritas, quæ est in creaturis adhuc ratione sui est ab alio, nempe ab intellectu divino, et ideo ex hoc capite nihil obest, quominus dicatur personaliter : ita veritas, quæ est in Filio, non solum debebat esse in Filio, qui habet principium, sed etiam ratione sui habere principium : quod tamen ei non competit proprie, sed similitudinarie, quatenus dicitur esse a se, idest, non ab alio : et ideo nec ei convenit, quod sumpta veritate in essendo, proprie dicatur personaliter in divinis.

28. D.Thom. Unde Angelicus Doctor in hac 1 par. q. 16 art. 5 ad 2, adducens contra se testimonium illud Augustini in confirmatione hujus argumenti allatum, nulla ratione concedit veritatem in essendo, quæ proprie sit talis veritas, et non sit similitudinaria, dici personaliter, sed solum essentialiter, licet approprietur Filio, et simul ea, quæ in solutione ista diximus, satis innuit. Et ita ait : *Dicendum quod verum intellectus nostri est, secundum quod conformatur suo principio, scilicet rebus, a quibus cognitionem accipit. Veritas etiam rerum est, secundum quod conformantur suo principio, scilicet intellectui divino. Sed hoc, proprie loquendo, non potest dici in veritate divina, nisi forte, secundum quod veritas appropriatur Filio, qui habet principium. Sed si de veritate essentialiter dicta loquamur, non potest intelligi, nisi resolvatur affirmativa in negativam : sicut cum dicitur, Pater est a se, quia non est ab alio. Et similiter dici potest similitudo principii veritas divina, in quantum esse suum non est suo intellectui dissimile.*

In quibus verbis satis explicatur (ut intuenti patebit) quomodo veritas, prout est in rebus, seu ut est veritas proprie in essendo, et una ex affectionibus entis, non sit propria Filii, licet ei approprietur : ac proinde solum dicatur in Deo essentialiter : et quomodo, quod proprie dicitur de veritate in essendo in rebus creatis, nempe quod secundum similitudinem cum suo principio, nempe intellectu divino, procedit ab illo, ita ut hæc conformitas vere sit ab alio, ut a principio producente illam, dicatur similitudinarie de veritate reperta in divinis : quatenus prædicta veritas non est dissimilis divino intellectui, licet non procedat ab illo. Et tandem quomodo ad veritatem, quæ est personalis, et simul est veritas proprie, non qualitercumque, sed in essendo, prout veritas ista est una ex affectionibus entis, requirebatur, quod ipsa etiam secundum se procederet, et haberet principium : siquidem ob defectum hujus inquit D. Thomas, non dici in Deo veritatem istam personaliter. Per quæ ad confirmationem satis patet.

29. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam hæ sunt distinctæ veritates, nempe, quod *Filius genitus est a Patre*, et quod *Spiritus Sanctus procedit ab utroque*. Et similiter quod *Pater in divinis habet veram rationem Patris*, et *Spiritus Sanctus veram rationem Spiritus Sancti* : ergo ratio veritatis plurificabitur realiter in divinis si de veritate objectiva fiat sermo. Siquidem hoc ipso, quod prædictæ veritates sint distinctæ, debent realiter inter se distingui : siquidem sunt veritates relative, radicaliter saltem oppositæ. Antecedens videtur perspicuum. Nam etsi per impossibile Spiritus Sanctus non procederet a Patre et Filio : nihilominus esset verum, Filium genitum esse a Patre : sicut etiam, licet Spiritus Sanctus implicaret : nihilominus Pater haberet veram rationem Patris.

30. Confirmatur primo. Confirmatur. Nam alio Pater est Pater, et generat Filium, et alio Filius est Filius et spirat Spiritum Sanctum : sed illo, quo Pater est Pater, hæc est vera ex parte rerum, *Pater generat Filium*, vel *Pater est Pater*, eo autem, quo Filius est Filius, hæc est vera, *Filius est genitus a Patre* ; ergo si loquamur ex parte rerum, seu objective, dabuntur plures veritates in divinis.

Secundo. Confirmatur secundo. Quia veritas objectiva nihil est aliud, quam realitas uniuscujusque rei, ut conformabilis cum suo proprio conceptu : sed in Deo sunt tres realitates conformabiles cum suis propriis conceptibus : ergo et tres veritates objectivæ.

Tertio. Confirmatur tertio. Nam licet homo, et risibile convertantur, nihilominus non est eadem veritas harum propositionum, nimirum, *Homo est homo*, et *homo est risibilis* : ex eo quod non est eadem proprietas, sive ratio, quam prædicat hoc nomen *homo*, et hoc nomen *risibile*. Sed similiter non est eadem proprietas, quam prædicat hoc nomen *Pater* et hoc nomen *Filius* : ergo veritates objectivæ, quæ correspondent his propositionibus, non erunt una et eadem, sed plures.

Occurritur argumento. Respondetur, quod etsi veritas objectiva prædictarum propositionum, nempe, *Filius genitus est a Patre, et Spiritus Sanctus procedit ab utroque*, sit adjective plures : non tamen substantive. Quia licet sit una et eadem veritas, nempe, veritas divinæ essentiæ : imbibitur tamen per modum transcendentis in diversis realitatibus : et ita solum materialiter, et concretive, non vero formaliter, et in abstracto est ibi multiplex veritas : ac proinde, licet distincta prædicata enuntientur in prædictis propositionibus, distinctæque realitates ibidem concipiantur : nihilominus ratio formalis conformitatis earumdem cum divino intellectu semper est unica et eadem indivisibilis, nempe, ratio veritatis propria divinæ essentiæ in illis per modum

modum transcendentis inclusæ; quæ, ut inclusa in Filiatione et peculiariter connotans illam tanquam connotatum inadæquatum suæ transcendentiæ, est ratio formalis suæ conformitatis cum divino intellectu, et per consequens hujus, quod est, posse proxime et immediate enuntiari de illa distinctum prædicatum, ac enuntiatur de processione passiva, sive relatione personali Spiritus Sancti.

Et ratio horum omnium est, inter alias, illa, quam ex D. Thoma q. 1 de Veritate art. 5 in solutione ad hoc idem argumentum, quod est decimum nonum in eodem S. Doctore, tradidimus, nempe, quod ratio veri non fundatur in realitate qualicumque, sed in realitate, ut est principium, aut quasi principium essendi, seu existentiæ : et ideo, quantumvis aliqua ratio dicat realitatem, si tamen non dixerit realitatem, quæ (modo dicto) sit principium essendi : nihilominus usquedum actuetur, aut quasi actuetur per aliam realitatem, quæ sit principium essendi, non est proxime capax veritatis, seu conformitatis cum intellectu, sed tantum remote : quatenus dicit realitatem distinctam, quæ actuata per aliam realitatem quæ est principium essendi, erit ab ea, et per eam conformabilis proxime cum intellectu.

31. Solvitur in forma. Unde ad formam argumenti respondetur distinguendo antecedens, et concedendo illud de distincta veritate concretive, et adjective sumpta : negando vero idem antecedens de distinctis veritatibus substantive aut in abstracto sumptis. Et ad probationem dicendum est, quod si semel implicaret processio Spiritus Sancti, aut ipse Spiritus Sanctus, tunc propositio illa, *Spiritus procedit ab utroque*, nempe a Patre et Filio, non esset vera : non quidem, quia ex parte objecti deesset illa veritas objectiva, a qua formaliter Spiritus Sanctus et ejus processio habent conformitatem cum divino intellectu, sed quia hæc eadem veritas objectiva, a qua omnia divina redduntur vera et conformia divino intellectui, non communicaretur, nec intime includeretur per modum transcendentis in Spiritu Sancto, aut ejus processione : et ideo nec communicaret eis, quod essent formaliter et proxime vera et quid conforme cum divino intellectu. Sicut in eadem implicatione, tunc Spiritus Sanctus et ejus processio non existerent : non quidem ex defectu existentiæ, quippe cum existant per existentiam propriam divinæ essentiæ, et ab ea eis communicatam, sed quia in eo eventu prædicta existentia illis non communicaretur.

Possuntque omnia, quæ in tota hac solutione diximus, elucidari exemplo bonitatis, et perfectionis, ac appetibilitatis convenientis divinis relationibus, quæ etsi ratione essentiæ divinæ per modum transcendentis in eis inclusæ sint bonæ, perfectæ et appetibiles : non tamen ex vi propriæ lineæ. Et ita, licet in collectione harum sint plura bona, pluraque appetibilia adjective, et concretive, non tamen substantive, aut in abstracto : et per consequens ex vi suæ lineæ tantum dicunt capacitatem remotam ad hoc, ut actuatæ per divinam essentiam per modum transcendentis in eis inclusam possint ratione ejusdem essentiæ esse bonæ, perfectæ, et actu appetibiles. Ita ergo in præsenti philosophandum est. Maxime, quia veritas dicit peculiarem bonitatem et perfectionem intellectus. Dilucidantur exemplo supradicta.

32. Ad primam confirmationem. Angel. Doctor. Ad primam confirmationem patet ex dictis, ad eamque respondet Angelicus Doctor, q. 1 de Veritate ar. 5 nuper citato in solutione ad 19 his verbis : *Dicendum, quod quamvis alio Pater sit Pater, et Filius sit Filius, quia hoc est Paternitate, illud Filiatione : tamen idem est, quo Pater est, et quo Filius est : quia utrumque est per essentiam divinam, quæ una est. Ratio autem veritatis non fundatur super rationem Paternitatis et Filiationis, in quantum hujusmodi, sed super rationem entitatis. Paternitas autem et Filiatio sunt una essentia, et ideo una est veritas utriusque.* Ubi, ut vides, Angelicus Præceptor negat Filiationi et Paternitati proprias veritates objectivas, licet eis non neget, sed potius concedat proprias realitates constitutivas personarum : quia ad hoc satis est realitas, quæ non sit ipsum *esse* intra suam propriam lineam, aut principium essendi : cum tamen ad fundandam propriam veritatem non sit satis quævis realitas, sed realitas, quæ sit entitas, prout entitas in creaturis dicit saltem id, quod est principium essendi, et in divinis id quod simul est principium essendi et ipsum *esse* ex eo quod hæc duo ex genere suo pertinent ad unam et eamdem lineam.

33. Ad secundam. Per quod etiam ad secundam confirmationem satis constat, quomodo ad fundandam proxime veritatem non sit satis quævis realitas, sed realitas, quæ saltem sit principium essendi. Nam ratione hujus redditur proxime capax ad hoc, ut inde subsequatur veritas, et conformitas cum

intellectu, quæ propria est realitatis dicentis principium essendi, quæque diversimode applicata, sive imbibita in distinctis realitatibus divinis non dicentibus ex se principium essendi, sit ratio, propter quam diversa prædicata de illis verificentur. Ex eo quod, licet in abstracto veritas illa sit unica, attamen concretive et adjective multiplicatur : et ratione transcendentiæ in prædictis realitatibus ita veluti attemperetur cuilibet, ac si esset illius lineæ, et propria uniuscujusque ex illis.

Ad tertiam. D.Thom. Ex quo etiam ad ultimam confirmationem occurrit idem Angelicus Doctor q. et art. nuper citatis in solutione ad 20 ubi sic habet : *Dicendum, quod proprietas, quam prædicat hoc nomen homo, et hoc nomen risibile, non est eadem per essentiam, nec habent unum esse sicut est de Paternitate et Filiatione. Et ideo non est simile.* In quibus verbis tribuit S. Doctor risibilitati, et humanitati distinctas veritates objectivas quia habent distincta *esse*, seu distinctas existentias, ita ut quælibet ex illis sit principium formale, unde oritur sua propria existentia.

34. Ultimum argumentum. Ultimo probatur eadem sententia. Quoniam relationes divinæ habent suam propriam immaterialitatem et depurationem a materialitate, et potentialitate : ergo afferunt suam propriam intelligibilitatem : et per consequens propriam veritatem. Antecedens videtur perspicuum : et ideo prædictæ relationes ex vi suæ lineæ superant in immaterialitate, et puritate omnia entia creata. Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Quoniam intelligibilitas sequitur ex immaterialitate, ut 1 tom. tractatu 3 disput. 1 n. 19 diximus. Secunda vero consequentia ex prima colligitur Quoniam intelligibilitas subsequitur ad veritatem et ita, si relationes afferunt propriam intelligibilitatem, importabunt utique propriam veritatem.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam in creaturis personalitas fundat propriam veritatem : ergo etiam in divinis. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens vero probatur. Quoniam in creaturis quævis formalitas affert propriam conformitatem objectivam cum intellectu, ut in 2 tomo tractatu 4 disp. 5 num. 24 et sequentibus diximus : ubi etiam distinximus bonum a vero, quod bonum non sequitur ad quamlibet realitatem, maxime si sit realitas in potentia, et non existat in aliqua differentia temporis : secus autem verum.

Respondetur distinguendo antecedens, et concedendo illud de immaterialitate, quæ non constituat proprium et peculiarem gradum, sed reducatur ad gradum immaterialitatis divinæ essentiæ juxta illa, quæ in primo tomo tract. 3 disp. 3 num. 36 et deinceps asseruimus, quæque non sit principium, aut quasi principium essendi. Negandum vero est idem antecedens de immaterialitate constituente peculiarem gradum, quæque sit principium, aut quasi principium essendi. Et deinde neganda est utraque consequentia. Quia veritas, et intelligibilitas propria, et distincta ab aliis intelligibilitatibus, non est necesse, ut subsequatur ad quamvis immaterialitatem, sed ad illam, quæ constituit peculiarem gradum, aut est principium essendi. Unde juxta hæc intelligenda sunt illa, quæ ex 1 tomo in hoc argumento adducta sunt. Et propterea creaturæ possibiles, quæ dicunt entitatem possibilem quæ in genere causæ formalis sit principium essendi, sunt veræ, licet non sint bonæ, nisi dicant existentiam in aliqua temporis differentia futuram. 35. Dissolvitur ultimum.

Quibus etiam, pro majori eorum intelligentia, et consonantia cum his, quæ modo diximus, addendum est, quod ad quamvis immaterialitatem subsequitur intelligibilitas, vel proxime, vel remote : quatenus vel ratione sui infert, aut quasi infert intelligibilitatem, vel etiam ratione sui petit imbibere aliquid per modum transcendentis a quo subsequatur (modo alibi tacto) intelligibilitas, ut in divinis relationibus petentibus imbibere divinam essentiam per modum transcendentis constat.

Ad confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quia in creaturis personalitas est etiam quodammodo principium formale essendi : ex eo quod existentia advenit post ipsam : et personalitas quodammodo determinat formaliter ad prædictam existentiam. Sicut etiam quævis realitas in creaturis (unica excepta materia prima) est quodammodo principium formale essendi : quia quodammodo concurrit in genere causæ formalis ad existentiam, per quam existit, sive illa sit sibi propria, sive communis, tam ipsi, quam aliis. Et ideo quævis realitas creata (præter materiam primam) fundat veritatem. Cæterum relationes divinæ dicunt realitatem, quæ ex vi suæ lineæ non est principium essendi : quia supponunt existentiam divinæ essentiæ, per quam existunt : 36. Ad confirmationem.

existunt : et ideo ex vi suæ lineæ cum præcisione sumptæ non habent proxime et immediate fundare veritatem.

DUBIUM II.

Utrum in illis, in quibus reperitur pluralitas in divinis, reperiatur etiam numerus transcendentalis?

37. Semel explicato, an, et in quibus rebus reperiatur proprie pluralitas in Deo, statim pulsat animum inquirere, an hæc pluralitas sit satis ad hoc, ut in prædictis rebus, sive rationibus reperiatur proprie numerus transcendentalis ex eis coalescens. Sed quia pluralitas inventa in Deo præcipue datur in divinis personis : et quævis alia pluralitas aliarum rationum formalium ibidem reperta oritur ex pluralitate personarum : propterea, et quia quoad decisionem hujus dubii eadem est ratio de personis et de aliis rationibus plurificatis in Deo, decidemus illud peculiariter quoad divinas personas : an nimirum sit in Deo proprie numerus personarum? ac proinde quidquid de his dixerimus, debet de aliis rationibus in divinis plurificatis, juxta jam dicta dubio præcedenti, intelligi.

Addimus autem in titulo particulam illam, *transcendentalis*, ut intelligatur id, quod ex se erat satis perspicuum, nempe, nos hic non loqui de numero quantitativo, qui in solis quantitatibus invenitur, sed de numero, qui in quibusvis aliis rebus, seu formalitatibus reperitur, quique idcirco numerus transcendentalis nuncupatur.

§ I.

Enodatio dubii.

38. Assertio. Dicendum ergo est, dari in divinis, proprie loquendo, numerum transcendentalem personarum : et per consequens omnium aliarum rationum quæ in divinis multiplicantur. Ita communiter Theologi contra Magistrum. Explicatur. Explicatur assertio. Etenim in ea consulto non dicimus, dari in divinis numerum absolute et simpliciter, sed numerum cum addito, nempe, numerum personarum. Hoc autem optime D.Thom. explicuit D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 24 q. 1 art. 1 reddiditque optimam rationem istius modi loquendi, his verbis : *Sicut ratio unitatis consistit in unione, ita ratio numeri in divisione. Sicut ergo aliqua se habent ad divisionem, ita et ad numerum. Quædam autem sunt, quæ simpliciter dividuntur, quia secundum materiam et quantitatem, sive secundum essentiam et formam. Et ideo istis est numerus simpliciter. Quædam autem sunt, quæ secundum quid dividuntur, quia secundum proprietates accidentales. Et hoc est dupliciter. Quia vel dividuntur secundum proprietates absolutas, sicut Sortes albus dicitur alius a se nigro; vel secundum proprietates relativas, ut Sortes dexter est alius a se sinistro : et in his est numerus secundum quid. Sic ergo numerus simpliciter importat separationem et distinctionem, sed numerus secundum quid importat tantum distinctionem. Cum ergo in divinis sit personarum distinctio per proprietates relativas, et non separatio secundum essentiam, in divinis est numerus personarum secundum quid, scilicet personarum, et proprietatum, non numerus simpliciter scilicet essentiarum et quidditatum : quamvis in divinis proprietates relativæ non sint accidentales.*

His ergo suppositis, ratio prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex his, quæ innuuntur a D. Thoma locis statim referendis, potestque ad hanc formam reduci. 39. Prius fundamentum. Quoniam de hoc mysterio, et de iis, quæ in illo reperiuntur, debemus loqui juxta id, quod ex Scriptura, Conciliis et Patribus habemus : sed ex omnibus istis habemus, dari in divinis personis numerum transcendentalem proprie sumptum : ergo ita est sentiendum. Major et consequentia sunt perspicuæ. Minor autem quoad primam partem nempe, hoc haberi ex Scriptura, probatur. Nam 1 Joannis ultimo dicitur : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.* 1 Joann. ult. Ubi per nomen illud numerale *tres*, significatur personarum ternarius, qui vere et proprie numerus est.

Quoad secundam vero partem, scilicet, hoc ipsum contineri in Conciliis, probatur. Concilium Toletanum XI. Quoniam in concilio Toletano XI in confessione fidei dicitur : *In relatione personarum numerus cernitur.* Concil. Constantin. III. Et in VI Synodo generali, quæ est Constantinopolitana III actione 11, in epist. Sophronii, quæ approbata est actione 13, asseritur : *Sancta Trinitas numerabilis personalibus facta est subsistentiis.* Et inferius : *Cum dividitur namque numerabilibus subsistentiis, et numeratur personalibus alteritatibus.* Et deinde additur : *Hoc ipsum namque et numerabile*

est, et refugit numerum, Numerabile quidem tribus suis subsistentiis. Et tandem hoc ipsum habetur in omnibus Conciliis, in quibus docemur, personas divinas plurificari, et distingui realiter secundum relationes : quia ubi est multitudo realis personarum, est etiam numerus proprie earum.

40. Quoad tertiam vero partem, nempe quoad sanctos Patres, probatur eadem minor. Augustin. Nam illam docet Augustinus tomo 3 lib. 7 de Trinitate capit. 6, ubi sic ait : *Tres personas ejusdem essentiæ vel tres personas unam essentiam dicimus.* Damasc. Et Damascenus lib. 3 de Fide cap. 5 : *Tres personæ supernæ Trinitatis inconfuse uniuntur, indivisibiliter discernuntur, et numerantur, et numerus divisionem non inducit.* Bernard. Bernardus lib. 5 de Consideratione cap. 7 : *Quid sibi vult iste, ut ita loquar, absque numero, numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, et quid non numerem. Substantia una est, personæ tres sunt.* Et ad Eugenium ut refert D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 24 q. 1 art. 1 in argumento D.Thom. *Sed contra : Si una est essentia, et tres personæ, quis numerum neget in divinis?*

Et tandem D. Thomas q. 30 art. 3 et q. 9 de Potentia art. 5 his verbis : *Numerus ergo relationum est numerus rerum subsistentium in divina natura. Res autem subsistentes in divina natura sunt divinæ personæ. Et propter hoc ponimus personarum numerum in divinis.* Et in argumento *Sed contra*, secundo in ordine hujus articuli sic ait : *Athanasius dicit in Symbolo : Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales. Ergo est in divinis numerus personarum.* Et in 1 dist. 24 q. 1 art. 2 : *Sciendum est igitur, quod in divinis non est numerus simplex, qui est per divisionem essentiæ, vel quantitatis, sed est numerus quidam, scilicet numerus relationum, non tamen relationum existentium in Deo secundum rationem tantum, sed realiter in ipso subsistentium.* Et in argumento *Sed contra*, secundo in ordine hujus articuli hoc ipsum probat sic : *Ubicumque est distinctio, vel discretio, ibi est aliquis numerus. Sed diximus, divinas personas esse discretas, vel distinctas. Ergo in divinis personis est numerus*

41. Effugium. Nec potest dici, hæc testimonia intelligi de numero, non proprie, sed metaphorice, aut improprie sumpto. Contra. Nam contra hoc aperte pugnat. Tum contextus eorum, ut intuenti constabit. Tum regula supra tradita ex Athanasio et Augustino, Athanas. August. et communiter admissa a Theologis, nempe, verba Scripturæ, Conciliorum, et Patrum in sensu proprio esse intelligenda, nisi inde sequatur aliquod absurdum. Quod tamen in præsenti non sequi, ex se, et ex unanimi consensu Theologorum, nec non ex solutionibus argumentorum constabit.

Confirmatur. Quia etsi dentur aliquæ Confirmatur. imperfectiones in numero transcendentali creato, ut quod ibi sit aliqua compositio partium respectu totius numeri, quod sit in eo magis, et minus, vel quod sit multitudo mensurata per unum : attamen istæ imperfectiones non afferuntur a prædicto numero secundum rationem generalem numeri, ut est analogice communis numero creato, et increato, sed ob specialem rationem numeri creati : ergo non est cur numerus, qui in Scriptura, Patribus et Conciliis tribuitur Deo, non intelligatur in sensu proprio. Patet consequentia. Nam ideo ratio sapientiæ, quæ juxta Scripturam et Patres tribuitur Deo, attribuitur illi in sensu proprio : quoniam licet in creaturis dicat imperfectionem ratione limitationis earum, non tamen id competit ei secundum rationem generalem suæ analogiæ, secundum quam est communis Deo, et creaturis.

Antecedens autem probatur. Tum quia etiam distinctio in creaturis dicit imperfectionem limitationis : et nihilominus secundum rationem communem suæ analogiæ illam non involvit, sicut neque etiam pluralitas : et propterea tam distinctio quam pluralitas reperiuntur proprie et formaliter in divinis : ergo idem dicendum erit de numero. Tum etiam, quia ideo in creaturis numerus dicit prædictas imperfectiones, quia res numeratæ dicunt limitationem et imperfectionem : ergo cum in divinis res numeratæ sint infinitæ et summæ perfectionis, non erit cur ibidem numerus (sicut distinctio, et pluralitas ob eamdem rationem) non separetur ab imperfectionibus.

Secunda et principalis ratio assertionis, 42. Secundum fundamentum. per quam præcedens elucidatur, desumitur ex Angelico Præceptore locis citatis dubio præcedenti num. 6, potestque sub hac forma proponi. Quoniam in divinis quævis ex personis affert suam propriam unitatem proprie sumptam : ergo ab omnibus illis constituetur, seclusis imperfectionibus, numerus transcendentalis proprie sumptus. Patet

Patet consequentia. Quia unitates ex se sunt constitutivæ numeri, sicut et pluralitatis ac multitudinis : ergo unitates liberæ ab imperfectionibus constituent numerum ab imperfectionibus etiam liberum. Sicut quia unitates ex se sunt constitutivæ pluralitatis ac multitudinis, idcirco unitates excludentes omnem imperfectionem constituunt pluralitatem ac multitudinem liberam ab imperfectionibus.

§ II.

Prior objectio contra prædictam veritatem, et ejus enodatio.

43. Prior objectio. Concilium Toletanum xi. Boëtius. Sed contra dicta objicies primo, quod in Concilio Toletano xi in confessione fidei sic habetur : *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus, et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero.* Et Boëtius libro de Trinitate loquens de Deo sic ait : *Hoc vero unum, in quo nullus est numerus.* Quæ verba refert, et approbat Bernard. (Bernard.) lib. 5 de Consideratione cap. 7, et Ambrosius (Ambros.) lib. 1 de Fide cap. 2 sic ait : *Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem : quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.*

Evanescit. Respondetur, Concilium Toletanum solum voluisse negare numerum ex parte essentiæ, admittere tamen illum ex parte personarum : et propterea inquit, quod *nec recedit a numero,* siquidem in personis invenitur numerus : *nec capitur numero,* ex eo quod in essentia divina, sunt prorsus unum et idem. Et propterea post verba in argumento relata, subjiciuntur hæc in eodem Concilio tanquam eorum ratio : *In ratione enim personarum numerus cernitur : in divinitatis vero substantia quid numeratum sit, non comprehenditur.* Quo etiam modo exponit D. Thomas (D.Thom.) testimonium Boetii in 1, distinct. 24 quæst. 1 art. 6 ad 1. Per quod etiam ad verba ex Ambrosio adducta satis constat.

§ III.

Objectio alia, et solutio ab aliquibus tradita.

44. Secunda objectio. Secundo objicies, quod ex assertione nostra quatuor sequuntur absurda. Primum est, dari in divinis compositionem. Secundum, inveniri ibidem rationem totius, et partium : quæ duo cum divina simplicitate pugnant. Tertium, reperiri etiam in Deo majus et minus, sive magis et minus perfectum. Quod non cohæret cum æqualitate divinarum personarum, et est contra illud Athanasii in Symbolo : *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus aut minus.* (Athanas.) Quartum. Personas divinas esse mensuratas ab aliqua mensura. Quod tamen repugnat earum immensitati, et est contra illud Athanasii in eodem Symbolo : *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.*

Sequela quoad duas priores partes constat. Quoniam numerus componitur ex suis unitatibus, et constat ex illis tanquam ex partibus et ad earum singulas comparatur eo modo, quo totum ad suas partes. Quoad tertiam vero partem eadem sequela etiam liquet. Quia omne totum est majus etiam quoad perfectionem singulis partibus. Et tandem eadem sequela quoad ultimam partem videtur perspicua. Tum, quia quod continetur sub aliquo numero determinato, mensuratur ab illo : eo quod numerus est mensura rerum mensuratarum. Tum etiam, quia numerus est multitudo mensurata per unum.

Neque obest, si occurras cum D. Thoma in præsenti quæst. 30 art. 1 in solutione ad 4, omnia hæc esse vera de numero abstracto, et absoluto, non vero de numero, ut reperitur in rebus numeratis. 45. D.Thom. Nam contra hoc est, quod D. Thoma negans, rationem totius, et partis, aut rationem majoris, et minoris, etc. convenire personis Trinitatis, vel loquitur de majoritate extensiva, idest, de pluralitate, aut intensiva, hoc est, de majori perfectione? (D.Thom.) Si de prima, certum est tres personas Trinitatis esse plures, quam singulas : et per consequens totus ternarius ex illis coalescens componetur ex eis tanquam ex partibus : siquidem ex quavis inadæquate consurgit, et est idem, ac omnes illæ simul sumptæ, sicut in aliis totis, et partibus contingit. Si autem loquitur de secunda : tunc nihil deerit ad rationem numeri, ex eo quod prædicta major perfectio intensiva non reperiatur in toto numero collato cum suis partibus, sive unitatibus : quandoquidem non oportet, universaliter loquendo, quod in toto numero numerato sit major perfectio intensiva, quam in aliqua ex suis partibus. Et ideo in ternario coalescente ex triplici specie, aut quasi specie durationum, nempe ex tempore, ævo, et æternitate, non est major perfectio intensiva, quam in sola æternitate : et in binario coalescente ex

Deo, et creatura non invenitur aliquid majoris perfectionis intensivæ quam in Deo solo.

46. Solutio aliquorum. Suarez. Vasquez. Gabriel. Ad hoc argumentum respondent Suarez lib. 1 de Trinitate capit. 10, Vasquez in præsenti quæst. 30 in annotationibus ad articulum 1, cum Gabriele in 1 distinct. 24 q. 2 art. 3 dub. 1 dupliciter posse dici *majus* et *minus* (et idem asserendum est de aliis terminis, nempe *totum* et *pars*, *perfectius et imperfectius*, etc.) in quantitate virtutis et perfectionis, seu modali, scilicet, aut per modum quantitatis discretæ, aut per modum quantitatis continuæ : Primo modo, quicumque numerus confertur cum suis unitatibus, tanquam quid majus et perfectius, et per modum totius ad suas partes. At secundo modo, non sic comparatur cum illis, nisi ubi totus numerus est majoris entitatis, et perfectionis, quam singulæ ex suis unitatibus. Eo quod esse aliquid majus et perfectius secundum rationem quantitatis continuæ, nihil aliud est, quam habere majorem entitativam perfectionem. Et ita in rebus creatis totus numerus est quid perfectius et majus singulis unitatibus, non solum secundum rationem prædictæ quantitatis discretæ, sed etiam quantitatis continuæ : quia importat majorem entitativam perfectionem, quam singulæ ex illis. Econtra vero in numero divinarum personarum contingit : ex eo quod totus ternarius non affert majorem entitativam perfectionem, quam singulæ personæ : ac proinde solum comparabitur ad illas per modum totius ad suas partes secundum rationem quantitatis modalis discretæ.

Fulcitur apparentibus D.Thom. testimoniis. Potestque hæc solutio elucidari duplici testimonio D. Thomæ. Primum desumitur ex q. 9 de Potentia art. 5 ad 10, ubi S. Doctor sic inquit : *Dicendum, quod Deus est infinitus secundum perfectionem magnitudinis, et sapientiæ, et hujusmodi. Unde in Psalmo dicitur, quod sapientiæ ejus non est numerus. Sed processio in divinis, secundum quam multiplicantur personæ divinæ, non est in infinitum. Non enim est immoderata divina generatio, ut Augustinus dicit in libris de Trinitate. Et ideo nec personarum numerus est infinitus.* In quibus verbis negat Deo rationem numeri secundum quantitatem continuam modalem, seu secundum magnitudinem perfectionis, v. g. sapientiæ, secundum quam est infinitus et incomprehensibilis. Et ita, cum concedat prædictum numerum in personis, ex hoc quod multiplicatio personarum non est in infinitum, planum est, admittere illum secundum rationem quantitatis modalis discretæ : et per consequens cum omnibus illis, quæ cum numero finito non pugnant, sed ad illum requiruntur, nempe, comparari secundum rationem prædictæ quantitatis per modum totius ad suas unitates, et totum numerum afferre plures unitates, atque adeo magis perfectionis secundum quantitatem discretam, quam singulæ partes, ex quibus coalescit.

Secundum vero testimonium depromitur ex articulo 1 sæpius a nobis citato hujus quæstionis 30 in solutione ad 4. Nam cum Angelicus Doctor sibi objecisset, quod si in divinis datur proprie numerus personarum, dabitur etiam ibi ratio totius, et partium, respondet, quod si fiat sermo de numero absolute sive abstracte, semper est verum, quod in eo nihil datur prohibens rationem totius, et partium, secus vero de numero, prout est in rebus : nam hic poterit aliquando inveniri, quin in eo ratio totius, et partium reperiatur, ut in numero divinarum personarum cernitur. In quo testimonio (inquit Vasquez) continetur solutio a se tradita. Quoniam per numerum absolutum, et abstractum intelligit D. Thomas numerum, quatenus habet modum quantitatis discretæ, sive multitudinis. Et per numerum, qui est in rebus, perfectionem earumdem rerum, quatenus sortitur modum quantitatis continuæ. — 47. D.Thom. — Vasquez.

48. Roboratur amplius. Potestque ex doctrina ejusdem Vasquez ratio hujus intelligentiæ desumi. Quoniam per numerum abstractum, et absolutum solum potest D. Thomas intelligere, vel id, quod primo aspectu sese videtur offerre, nempe, numerum secundum se, aut in communi ; et per numerum, qui est in rebus, numerum in particulari, et in tali materia contentum. Vel, per numerum abstractum, et absolutum, numerum habentem modum quantitatis discretæ ; et per illum, qui est in rebus, perfectionem ipsarum rerum, quatenus habet modum quantitatis continuæ.

Ex his autem duobus sensibus, primus sensus non est admittendus. Quia id, quod est de ratione numeri, secundum se, et in communi sumpti, debet esse de ratione numeri in particulari, et in tali materia : atque adeo, si de ratione numeri in communi est comparari per modum totius ad suas partes, etiam hoc erit de ratione numeri in tali materia : ac proinde, si D. Thomas

Thomas per numerum abstractum, et absolutum intelligeret numerum secundum se, et per numerum, ut est in rebus, numerum in particulari, non potuisset asserere, numerum illum priorem comparari per modum totius, et magis perfecti cum suis partibus, secus vero posteriorem. Et ideo necessario admittendus est posterior sensus, qui est idem, ac ille, quem prædicta solutio intendit.

§ IV.

Impugnatur præcedens solutio.

49. Rejicitur hæc solutio primo. Angel. Doctor. Cæterum hæc solutio in multis deficit. Primo quidem. Quia est contra D. Thomam loco nuper citato q. 30 art. 1 ad 4 ubi Angelicus Doctor inquit, numerum abstractum tantum inveniri in intellectu. Constat autem, quod numerus, ut habet rationem quantitatis discretæ, adhuc modalis, reperitur in rebus, et non solum in intellectu, ut de numero trium personarum divinarum, aut trium hominum patet : ergo D. Thomas per numerum abstractum non intellexit numerum, qui est in rebus, ut habet rationem quantitatis, adhuc modalis, et discretæ.

Dilucidatur amplius hæc impugnatio. Accedit primo, quod numerus, qui est in rebus licet de materiali, dicat quantitatem continuam, sive molis, sive virtutis, sive modalis : nihilominus juxta mentem Angelici Doctoris, de formali dicit rationem multitudinis discretæ. Et propterea senarius, v. g. lapidum, vel equorum, etiam prout in rebus est, habet juxta eumdum Doctorem, veram rationem senarii : ergo juxta ejus mentem numerus, qui est in rebus, non distinguetur a numero abstracto per hoc, quod ille absolvatur a quantitate discreta, a qua iste non absolvitur : cujus oppositum in hac solutione adversariorum asseritur.

Roboratur magis. Accedit secundo, quod D. Thomas per numerum absolutum, seu abstractum intelligit numerum qui communiter appellatur *numerans*, ille videlicet, quo intellectus utitur ad hoc, ut certificetur de aliqua summa, an sit tanta, vel tanta. Et per numerum qui est in rebus, intelligit numerum, qui communiter nuncupatur *numeratus*, idest, qui ab intellectu per numerum præcedentem, scilicet abstractum, seu numerantem numeratur, ut constat ex exemplis, quibus Angelicus Præceptor loco citato utitur ad unumquemque ex his numeris explicandum. Nam priorem asserit esse, ut *duo*, vel *tria*, absque determinatione ad aliquam materiam, et posteriorem esse, ut *duos homines*, vel *tres equos*. Et deinde, ut nuper dicebamus, de priori ait, esse tantum in intellectu ; de posteriori vero in rebus ipsis, quæ numerantur. Ac tandem ex hoc infert, quod quamvis in priori numero sit totum, et pars, non colligitur esse semper idem dicendum de posteriori : ex eo quod primus est extrinsecus posteriori, estque tantum in intellectu. Constat autem, omnes has proprietates assignatas numero abstracto convenire numero numeranti : sicut et omnes illæ, quæ attribuuntur numero numerato, competunt numero, qui est in rebus : ergo male in hac solutione asseritur D. Thom. intellexisse per numerum abstractum, numerum, ut habet rationem, et modum quantitatis discretæ, saltem modalis ; et per numerum, ut est in rebus, perfectionem præcise earum rerum, quatenus sortiuntur rationem quantitatis continuæ, saltem modalis.

Deficit secundo prædicta solutio in hoc, quod, in divinis veram rationem totius, ac partis, adhuc secundum rationem quantitatis modalis discretæ admittit. Quod tamen cum divina perfectione et simplicitate pugnat. Siquidem ubi est ratio totius, et partis, non solum non est summa simplicitas, verum nec simplicitas absolute dicta : et similiter nec est summa perfectio libera ab omni imperfectione ; sed ibi necessario debet includi id, quod est proprium partis, in quantum talis, nempe, esse quid incompletum, et ex natura sua realiter ordinatum ad componendum aliud. Et propterea D. Thom. q. 9 de Potentia art. 5 ad 6 inquit, unitates relationum personarum non comparari ad numerum ipsarum relationum, sicut partes ad totum. 50. Impugnatur secundo. D.Thom.

Deficit tertio. Quoniam numerus divinarum personarum, hoc ipso quod sit numerus earum, repugnat afferre majorem perfectionem discretam, sive intensivam, sive extensivam, quam singulæ ex suis unitatibus. Cujus oppositum in hac solutione asseritur. Et quidem de majori perfectione intensiva satis constat, non posse a prædicto numero afferri : siquidem hoc ad minus convincit illud Athanasii : *Et in hac Trinitate nihil majus aut minus, etc.* De majori autem perfectione extensiva etiam patet. Nam hæc non potest inveniri, nisi ubi unitates dicunt perfectiones ejusdem 51. Refutatur tertio. Athanas.

speciei, et numerice distinctas, vel ubi ex se, et ex vi suæ lineæ afferunt aliquid perfectionis; non vero, ubi eadem prorsus numero perfectio in singulis, et in omnibus simul reperitur. Quare, cum in divinis unitates relationum, sive personarum ex vi suæ lineæ nihil dicant perfectionis, sed eadem numero perfectio divinæ essentiæ sit in singulis, et in omnibus, ut in hoc tractatu disput. 6 num. 20 et deinceps late ostendimus, non poterit numerus divinarum personarum esse quid perfectius, sive intensive, sive extensive, quam singulæ ex suis unitatibus.

Infringitur ulterius. Accedit primo, quod aliud est, an numerus divinarum personarum dicat plus realitatis, quam singulæ unitates, an vero dicat plus perfectionis, quam illæ. Etsi ergo prædictus numerus dicat plus realitatis, ex eo quod singulæ unitates ex vi suæ lineæ afferunt propriam realitatem : non tamen dicit plus perfectionis : siquidem, ut nunc dicebamus, unitates illius non afferunt ex vi suæ lineæ aliquid perfectionis; sed eam solum habent a divina essentia in illis per modum transcendentis inclusa.

Arguitur inconsequentiæ prædicta solutio. Accedit secundo, non videri satis consequenter ab adversariis dictum, quod numerus divinarum personarum sit quid perfectius singulis unitatibus, quatenus per hoc præcise significatur, esse plus realitatis in prædicto numero, quam in qualibet unitate : et nihilominus, quod singulæ unitates afferunt ex vi suæ lineæ aliquid perfectionis, sive bonitatis, ut in locis supra disp. 6 n. 58 relatis docent.

52. Et ratio hujus inconsequentiæ est. Quod hoc ipso, quod unitates ex se, et ex vi suæ lineæ sint perfectæ, sive bonæ, non possunt non omnes illæ simul sumptæ afferre plus realitatis, et simul plus bonitatis, quam singulæ. Ac tandem hoc ipso, quod sint quasi specie distinctæ, debebunt adhuc in ratione quantitatis modalis continuæ, ita inter se conferri, ut una earum sit perfectior aliis, imo et omnes simul sint quid perfectius singulis. Quare, etsi juxta nostram sententiam possit admitti, numerum trium personarum dicere plus realitatis singulis unitatibus : et nihilominus quod nec in ratione quantitatis continuæ, neque in ratione quantitatis discretæ modalis dicat plus perfectionis : ex eo quod, ut sæpe diximus, numerus in divinis non cadit supra perfectionem personarum, sed supra realitates ipsarum, ut præscindunt secundum conceptus expressos ab hoc, quod est, expresse dicere perfectionem. Non tamen in sententia adversariorum, propter rationem dictam.

Nec duo illa, quæ in favorem solutionis a Suarez, et Vasquez traditæ adducuntur, sunt alicujus momenti. Non quidem primum. Nam etsi verum sit, D. Thomam non concedere in divinis numerum secundum quantitatem continuam modalem, et virtutis, seu secundum magnitudinem perfectionis, v. g. sapientiæ, sed secundum rationem quantitatis discretæ modalis : et tandem concedere secundum hanc rationem quantitatis numerum ternarium ex tribus solummodo unitatibus constitutum. Non tamen inde fit, concedere in Deo aliquam compositionem, aut rationem totius, et partium, vel magis, aut minus perfecti. Quia hæc omnia non conveniunt indispensabiliter omni numero, qui est in rebus, seu omni numero numerato, sed hoc juxta qualitatem numeri numerati pensandum est. Et ideo, quoties iste fuerit ita elevatus, ut hæ imperfectiones nequeant in illo reperiri, vel quoties aliqua specialis ratio in eo militaverit, propter quam ab omnibus istis liber sit, tunc ut statim magis explicabitur, invenietur in eo ratio numeri ternarii absque prædictis imperfectionibus. 53. Interpret. testim. D.Thom. pro ea adducta.

Neque etiam secundum est alicujus momenti. Quoniam, ut ex dictis constat, licet D. Thomas per numerum abstractum non intelligat numerum secundum sua essentialia, prout abstrahitur per modum universalis a suis inferioribus : non ideo per prædictum numerum intelligit numerum, ut præcise habet rationem quantitatis discretæ, sive molis, sive modalis : secundum quam rationem etiam numerus numeratus, et prout est in rebus, haberet esse numerum absolutum, et abstractum. Sed per numerum abstractum, solum intelligit numerum numerantem, ut duo, vel tria, quatenus abstrahitur abstractione formali ab omni materia. Sicut etiam per numerum, prout est in rebus, nulla ratione intelligit Angelicus Doctor perfectionem earumdem rerum, ut habent rationem quantitatis continuæ, adhuc modalis; sed numeratum, seu res ipsas numeratas, ac mensuratas per numerum illum abstractum.

Unde non bene ibidem infertur, quod si semel numerus abstractus indispensabiliter includit compositionem, et alia, de quibus in argumento fit sermo, quod etiam numerus, prout est in rebus, debeat hæc eadem includere. Quoniam numerus abstractus 54.
non

non comparatur per modum universalis, et totius potentialis respectu numeri, qui est in rebus, tanquam respectu sui inferioris essentialis, sed comparatur cum illo, tanquam numerus singularis singularitate sibi proportionata, et abstractus abstractione formali ab omni materia, seu abstractus per modum formæ ab omni numero numerato, tanquam a materia illius, qui, præcise ratione hujuscemodi abstractionis, habet non utcumque, sed indispensabiliter esse quid compositum, et includere rationem totius, et partium, etc. Constat autem, quod ea, quæ conveniunt rationi abstractæ abstractione formali, quia sic abstracta est, et quatenus manet sub statu abstractionis, non debent convenire rebus, a quibus abstrahitur, nec eidem rationi abstractæ, ut deperdit illum statum abstractionis, et habet contrahi per contractionem correspondentem prædictæ abstractioni. Sed hæc statim amplius elucidabuntur.

Accedit, quod numerus abstractus, seu numerus numerans, ut intelligitur applicari per modum mensuræ, et formæ mensurantis numero numerato, non concipitur applicari illi, nisi tantum per modum formæ extrinsecæ : ac proinde prædictus numerus abstractus non contrahitur tunc eo modo, quo forma abstracta, et intrinseca alicui habet contrahi per illam; sed retinet abstractionem oppositam huic contractioni, et solum contrahitur, et applicatur per modum formæ extrinsecæ. Et propterea ex hoc, quod prædictus numerus, ut consideratus per modum formæ, et mensuræ extrinsecæ, sit indispensabiliter compositus, non sequitur, quod numerus numeratus, qui est materia, cui applicatur, debeat esse intrinsece compositus; sed id ei ad summum conveniet extrinsece ratione suæ mensuræ nempe numeri abstracti, denominantis extrinsece ipsum mensuratum, et adhuc tunc retinentis rationem numeri abstracti : quippe qui, ut nunc dicebamus, adhuc ut est abstractus, retinet rationem mensuræ, et formæ extrinsecæ respectu numerorum numeratorum.

§ V.

Vera secundæ objectionis enodatio.

55. Vera argumenti responsio. Quare, hac rejecta solutione, neganda est sequela hujus argumenti quoad omnia absurda, quæ in ea continentur. Et ad probationem primam, qua intenditur, quod si in Deo datur proprie et formaliter numerus trium personarum, debet etiam ibidem admitti compositio, dicendum est, quod etsi in numero absoluto, et abstracto semper inveniatur compositio, et semper, aut fere semper hæc eadem compositio in numero aliarum rerum reperiatur : non tamen in numero, de quo loquimur. Nam iste, hoc ipso quod sit numerus divinarum personarum, seu relationum subsistentium, et inter se oppositarum, nequit habere rationem numeri per compositionem, ut optime explicuit D. Thomas q. 9 de Potentia (D.Thom.) art. 5 in solutione ad 15. Nam cum sibi sic objecisset : *Impossibile est in aliquo uno esse rerum pluralitatem absque rerum compositione : Deus autem unus est. Si ergo in Deo sunt plures personæ, quod est esse plures res, sequitur, quod in eo sit compositio : quod simplicitati divinæ repugnat.* Respondet : *Dicendum, quod pluralitas rerum in divinis est pluralitas relationum subsistentium oppositorum, ex quo non sequitur compositio in divinis. Nam relatio comparata ad essentiam divinam non differt re, sed ratione solum. Unde non facit compositionem cum ipsa, sicut nec bonitas, nec aliud essentialium attributorum. Sed per comparationem ad oppositam relationem est pluralitas rerum, non tamen compositio : quia relationes oppositæ, in quantum hujusmodi ob invicem distinguuntur. Compositio vero non est ex aliquibus distinctis, in quantum distincta sunt.*

Potestque hæc solutio D. Thomæ elucidari ex eo, quod ad numerum compositum (56. Illustratur solutio.) duo requiruntur. Primum est, quod constet ex rebus distinctis. Secundum est, quod constet ex iis, prout inter se unibilia sunt unione ordinis, seu numerabilitatis : ita quidem, ut una ex illis rebus, sive unitatibus comparetur per modum formæ; et alia per modum materiæ, ut optime explicant N. Complutenses in sua Logica disp. 13 q. (N. Compl.) 8. Quare, si aliquis numerus importet plures res, et unitates, quatenus inter se distinctæ, et oppositæ sunt; non vero in eisdem rebus, aut unitatibus ab eo importatis fuerit aliqua formalitas, aut munus, secundum quod sint unibiles, et comparentur per modum formæ et materiæ : et per consequens talis numerus non constiterit ex illis rebus, et unitatibus distinctis, quatenus sic unibiles sunt, sed præcise, quatenus inter se sunt distinctæ, et oppositæ : tunc prædictus numerus nequibit componi ex suis unitatibus, sed eas importabit absque aliqua compositione.

Quare, cum numerus trium divinarum personarum sit numerus importans tres relationes personales, præcise quatenus inter se distinctæ, et oppositæ sunt, secundum quam rationem non habent aliquo modo uniri per modum materiæ, et formæ; sed potius habent ab invicem distingui, et una ab altera quasi refugere : ac proinde non sit in illis, quatenus importantur a prædicto numero, aliqua formalitas, aut munus ratione cujus petant uniri per modum formæ, et materiæ, sed solum munus distinctionis, et oppositionis inter easdem : consequens est, ut prædictus numerus divinarum personarum nequeat ob hanc rationem importare numerum compositum ex tribus divinis personis. Sicut etiam, ob oppositam rationem, numerus absolutus, et abstractus, necnon et numerus, v. g. duorum hominum, aut leonum, constat ex suis unitatibus, tanquam ex his, ex quibus componitur.

57. Ad secundam probationem. Ex quo ad secundam probationem, per quam intenditur, dari in divinis rationem totius, et partium, si semel ibidem ratio numeri, proprie et formaliter invenitur, satis constat. Quoniam ubi non est compositio, nequit ratio totius, et partium dari. Et ita, licet in numero abstracto, et absoluto, in quo datur compositio, debeat admitti ratio totius, et partium : non tamen in numero trium divinarum personarum, in quo compositio non est admittenda.

Ad tertiam. Ad tertiam vero probationem, qua intenditur, dari in divinis magis, vel minus perfectum, si semel admittitur numerus, constat etiam ex dictis, id esse verum in numero abstracto, et absoluto; non vero in numeris, prout sunt in rebus, nisi juxta conditionem rerum numeratarum, quando nimirum sunt talis conditionis, ut quælibet ex se afferat propriam perfectionem, nec una earum dicit, tam intensive quam extensive tantam perfectionem, quantam totus numerus.

D.Thom. Quæ omnia complexus fuit D. Thomas in illa solutione ad 4 art. 1 quæst. 30 hujus tractatus sæpe citata, ubi sic inquit : *Dicendum, quod numerus est duplex, scilicet, numerus simplex : vel absolutus, ut duo, et tria, et quatuor. Et est numerus, qui est in rebus numeratis, ut duo homines, et duo equi. Si igitur in divinis accipiatur numerus absolute sive abstracte, nihil prohibet in eo esse totum, et partem : et sic non est nisi in acceptione intellectus nostri : non enim numerus absolutus a rebus numeratis est, nisi in intellectu. Si autem accipiamus numerum, prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis unum est pars duorum, et duo trium, et unus homo duorum, et duo trium. Et sic non est in Deo : quia tantus est Pater, quanta tota Trinitas, ut infra patebit.* In quibus verbis negat D. Thomas numero divinarum personarum, tum, quod sit in eo ratio totius, et partium : et per consequens compositio. Tum etiam, quod ibidem inveniatur magis, et minus perfectum; siquidem tantus est Pater, v. g. quanta tota Trinitas.

Ad ultimam vero probationem ejusdem sequelæ constantem ex duplici parte, quarum prima intendebatur, non dari in Deo numerum, ne id, quod continetur sub illo numero, mensuretur per illum : secunda vero, non esse dandum prædictum numerum, ex eo quod numerus est multitudo mensurata per unum. Respondetur, hanc probationem quoad primam ejus partem nihil convincere. Nam cum dicitur, quod id, quod continetur sub aliquo numero, mensuratur per illum, vel nomine *numeri*, intelligitur numerus numerans, ut *duo*, vel *tria* abstractus ab omni materia, sub quo continetur quodammodo numerus numeratus trium divinarum personarum; vel intelliguntur unitates importatæ ab ipso numero, qui est in rebus. Et si intelligatur de numero numerante, tunc non est inconveniens, numerum trium divinarum personarum mensurari per numerum abstractum, seu numerantem : sicut non est inconveniens, æternitatem quodammodo mensurari tempore imaginario. Quia utrobique est eadem ratio, nempe, tam tempus imaginarium, quam prædictum numerum esse solum mensuram extrinsecam, et quoad nos respectu rerum divinarum. 58. Ad ultimam.

Si autem intelligatur de numero, prout est in rebus, et collato cum suis unitatibus, tunc hæc prior pars ejusdem sequelæ coincidit cum posteriori, et ad eam sic intellectam : ac proinde et ad posteriorem dicendum est, quod illa maxima, *Numerus est multitudo mensurata per unum*, non intelligitur de numero, in quo singulæ unitates sunt tantæ perfectionis, quantæ totus numerus, et e converso; sed prædicta maxima solum est universaliter vera de numero numerante, seu absoluto, et abstracto, ut optime notavit D. Thomas in præsenti D.Thom. quæst. 30 art. 2 in solutione ad 5 his verbis : *Dicendum, quod numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex, qui est tantum*

tantum in acceptione intellectus) per unum mensuratur. Si vero accipiatur numerus rerum in divinis personis, sic non competit ibi ratio mensurati : quia eadem est magnitudo trium personarum, ut infra patebit. Idem autem mensuratur per idem.

59. Et hoc ipsum optime etiam explicuit D. Thomas in 1 distin. 24 quæst. 1 artic. 2 ad 4, ubi cum sibi opposuisset id, quod in hac probatione hujus argumenti dicitur, scilicet quod *Numerus est multitudo mensurata per unum. Sed Deus est mensura non mensurata, sed omnia mensurans. Ergo videtur, quod numerus in divinis non competat.* Respondet : *Dicendum, quod in numero absoluto pluralitas habet quamdam compositionem, et aggregationem, quæ est minus certa, quam unum, quod est principium ipsius. Et ideo, non solum quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad rem est mensurabilitas multitudinis talis per unitatem. Sed in numero relationum, vel personarum non est aliquis ordo certitudinis, vel compositionis in re : et ideo numerus in Deo, non est multitudo mensurata, nisi forte secundum acceptionem intellectus tantum, qui componit etiam, quæ composita non sunt, secundum quod diversa ex eis intelligit : secundum quod etiam propositiones affirmativas in divinis format.*

Quibus accedit, quod juxta aliam interpretationem D. Thomæ in 1 dist. 24 q. 1 art. 2 ad ultimum, et q. 9 de Potentia art. 5 ad 12, maxima illa intelligitur de solo numero, qui fit ex divisione continui, et est in prædicamento quantitatis, qui non habet locum in divinis.

60. Vindicatur solutio inter arguendum data.

Unde solutio huic argumento inter arguendum num. 45 tradita est optima, si intelligatur, ut debet intelligi, juxta ea, quæ hucusque diximus. Et ad probationem contra eam ibidem adductam dicendum est D. Thomam non loqui de majoritate extensiva late sumpta, prout præcise dicit pluralitatem realitatum : nam hanc, certum est, inveniri in numero trium personarum divinarum, et totum hunc numerum dicere plus realitatis, quam singulas personas. Hinc tamen non fit, ut in hac probatione intenditur, dari in prædicto numero rationem totius, et partium, ut ex dictis patet. Et ita, si proprie et in rigore loquendum est, numerus iste, non tam dicendus est constare inadæquate ex singulis personis divinis, quam importare inadæquate singulas ex illis : et adæquate omnes : ad quod non requiritur compositio aut ratio totius, aut partium.

Cæterum in prædicto numero trium personarum divinarum negat Angelicus Doctor omnem majoritatem perfectionis, sive intensivam, sive extensivam. Quoniam, ut ex sæpe dictis constat, relationes in divinis non habent ex vi suæ lineæ afferre aliquam perfectionem ; sed tantum ratione essentiæ divinæ, ut per modum transcendentis in illis inclusæ : et ideo eadem numero infinita perfectio essentiæ divinæ est in omnibus et singulis. Sicut etiam, cum idem Angelicus Præceptor loquitur de numero importante Deum, et creaturas, negat ibidem ad minus majoritatem perfectionis intensivam, et quod numerus ille constet ex suis unitatibus, tanquam ex partibus : eo quod ratio partis nequit Deo convenire. Et tandem, cum idem D. Thomas loquitur de numero constante præcise ex rebus creatis, et afferentibus ex se aliquid perfectionis, tunc admittit in toto numero majoritatem perfectionis, saltem aliquo modo intensivam : nam hæc necessario reperitur in omni numero numerato constante ex prædictis rebus.

§ VI.

Proponitur triplex replica, quæ contra veram secundæ objectionis solutionem militare poterat.

61. Prior objectio contra omnia prædicta.

Ex quibus omnibus constat, nihil contra ea, quæ diximus, obesse tres objectiones quæ possunt hic fieri. Prima est. Quod si in numero divinarum relationum, non admittitur compositio : ex eo quod prædictus numerus dicit illas præcise, ut inter se distinctas, et oppositas : neque etiam numerus binarius Paternitatis et Filiationis creatæ erit compositus : quippe qui constat ex his relationibus, quatenus inter se habent in *esse* relationum esse præcise distinctas et oppositas. Hoc autem videtur esse contra communem Dialecticorum et Metaphysicorum consensum, et non cohærere cum maxima debilitate relationum creatarum, quæ sicut inter alia entia sunt debilioris realitatis, ita et sunt aptiores ad hoc, ut intrent in compositionem, habeantque aliquo modo rationem partium.

62. Secunda.

Secunda est. Non cohærere inter se ea, quæ in solutione hujus secundi argumenti diximus, nempe per numerum abstractum intelligi numerum, ut abstrahitur abstractione formali ab omni materia ; et per nu-

merum, prout est in rebus, intelligi numerum numeratum, a quo tanquam a materia abstrahitur numerus, qui dicitur abstractus : et quod nihilominus numerus abstractus sit indispensabiliter compositus, et in eo ratio totius, et partium necessario inveniatur ; non tamen in numero numerato, a quo abstrahitur.

Et ratio hujus non cohærentiæ videtur aperta. Quoniam id ipsum abstrahitur abstractione formali ab aliqua materia, seu ratione materiali, quod ibidem est : ergo si numerus abstractus abstractione formali ab omni numero, qui est in rebus, dicit necessario prædictas imperfectiones compositionis, etc. signum erit, illas inveniri eodem modo in omni numero numerato, qui est in rebus : vel si prædictæ imperfectiones non inveniuntur in omni numero numerato, qui in rebus reperitur, sed ex numeris istis aliqui, vel fere omnes eas dicunt, et aliqui, vel saltem unus ex illis eas non affert, tunc numerus abstractus abstractione formali ab omnibus illis, præscindet ab hoc, quod est, dicere, vel non dicere prædictas imperfectiones : ut ita sit forma accommodata ad hoc ut contrahatur per materias adeo diversæ rationis.

Confirmatur. Confirmatur. Nam si sapientia, v. g. abstracta abstractione formali ab hac, vel illa sapientia, tanquam a ratione materiali, aut quasi materiali, non posset non dicere imperfectionem compositionis metaphysicæ, tunc non posset reperiri in Deo ; sed in omni materia, aut quasi materia, nempe in omni sapientia, ad quam descenderet, deberet rationem compositionis habere, ut intuenti constabit. Et ita, quia sic abstracta præscindit a compositione, vel simplicitate, propterea ratio materialis, a qua abstrahitur, in aliquibus dicit compositionem, in aliis vero non. Et quia prædicta ratio materialis sic præscindit, idcirco sapientia abstracta abstractione formali ab hac, vel illa sapientia, tanquam a ratione materiali, aut quasi materiali, præscindit a compositione. Ergo similiter in præsenti, si ratio numeri abstracti abstractione formali ab omni numero, qui est in rebus, tanquam a ratione materiali, aut quasi materiali, dicit necessario compositionem, non poterit non hoc inveniri in rationibus materialibus, a quibus abstrahitur : vel si istæ præscindunt a compositione, quatenus quædam eam dicunt, non vero aliquæ, vel aliqua, tunc etiam numerus abstractus præscindet, modo sibi proportionato, a prædicta compositione.

Tertia objectio est. Quod numerus trium personarum repertus in divinis revera est unicus ternarius, ac proinde habet unicam ternarii essentiam : ergo cum prædictus ternarius non sit unicus per simplicitatem : siquidem hoc pugnat cum pluralitate unitatum, quas importat : consequens erit, ut sit unicus per compositionem : cum omne, quod est unum quid, debeat esse unum altero ex his duobus modis, nempe, vel per simplicitatem, vel per compositionem. 63. Tertia objectio.

§ VII

Solvuntur ex dictis prædictæ replicæ.

Ex dictis igitur constat, has objectiones nihil obesse. Et ideo ad primam respondetur primo concedendo, numerum binarium duarum relationum creatarum, et inter se oppositarum non posse secundum hanc puram et nudam rationem distinctionis, et oppositionis ac proinde secundum id, quod exprimunt, ut ad invicem opponuntur, esse numerum compositum, sed prædictum numerum importare prædictas relationes sic sumptas absque compositione propter rationem, quam ex D. Thom. n. 55 adduximus. Nec oppositum hujus a Dialecticis, aut Metaphysicis, Thomistis asseritur, sed ad summum, quod prædictæ relationes secundum alia munera, ut nimirum respiciunt subjecta, et ratione eorum, quæ inde habent, constituunt numerum binarium afferentem compositionem. 64. Responsio prima ad priorem objectionem.

Secundo respondetur (sive magis explicatur præcedens solutio) esse disparem rationem inter relationes personales in divinis repertas, et inter relationes paternitatis, et filiationis creatas. Nam illæ sunt infinitæ intra suas lineas : et ideo ultra oppositionem relativam, quam dicunt, non possunt dicere aliud munus, vel rationem formalem, ratione cujus sint unibiles in ordine ad constituendum aliquod unum per compositionem, ita ut una earum se habeat per modum materiæ, et alia per modum formæ. Tum, quia hic modus se habendi per modum materiæ, et formæ dicit imperfectionem pugnantem cum infinitate. Tum etiam, quia si semel inveniretur in prædicto numero compositio, et in divinis relationibus unio tendens ad compositionem, esset unio per se, quæ ad 65. Secunda solutio.

compositionem

compositionem per se talem, et non talem per accidens tenderet : hæc autem unio ab intrinseco petit, ut unitates, quæ ad prædictam compositionem ingrediuntur, sint quid incompletum, ut ita possint habere veram rationem partium, ut in numero prædicamentali, qui est unus per se per compositionem, satis cernitur. Constat autem, hoc non posse cohærere cum infinitate divinarum relationum personalium. Tum denique, quia prædictæ relationes sumunt, tam suam rationem specificam, aut quasi specificam, quam numericam ab oppositione ad suum correlativum : et ita non est in eis aliquod munus, ratione cujus non opponantur, et sint unibiles.

Cæterum relationes creatæ paternitatis, et filiationis non sunt infinitæ intra suas lineas, nec numerus ex illis coalescens per compositionem, quippe qui est numerus transcendentalis rerum creatarum, petit esse unum per se : ac tandem ratio earum numerica, licet non specifica, sumitur, non ex correlativo, et oppositione ad illud, sed ex subjecto. Et ideo, licet quatenus præcise sunt oppositæ, non dicant numerum compositum : attamen, quia ratione suæ finitatis et limitationis non repugnat eis ut distinguantur numerice per ordinem ad subjecta, et non per ordinem ad correlativum, cui opponuntur, nec quod faciant unum per accidens, idcirco, quatenus sunt numerice distincta, possunt constituere numerum compositum compositione per accidens et non per se ex illis.

66. Fit obviam secundæ objectioni. Ad secundam objectionem respondetur etiam ex dictis, quod etsi numerus absolutus, seu abstractus dicat numerum abstractum abstractione formali ab omni materia, seu numero numerato : eo sane proportionali modo, quo quantitas Mathematica abstrahitur abstractione formali ab omni materia sensibili : et licet etiam non abstrahatur in hac abstractione, nisi illud ipsum, quod est in rebus numeratis, tanquam in propria materia, seu ratione materiali : deest tamen prædictæ formæ, quatenus sic abstractæ, id, quod ei competit præcise ratione ejusdem materiæ, et quatenus est in illa : sicut etiam accrescit ei id, quod ei competit ratione status abstractionis. Quare, quia hoc, quod est, numerum aliquem non esse compositum, competit ei præcise ratione alicujus peculiaris materiæ, seu rationis materialis specialis, et quatenus in illa est : idcirco ex eo, quod numerus intelligatur abstractus abstractione formali ab omni materia, nequit carere prædicta compositione ; sed hinc fit, quod necessario debeat illam habere, licet aliquis numerus numeratus, qui comparatur per modum materiæ respectu illius, ea careat.

Ex quo ad confirmationem etiam constat. Quoniam est apertum discrimen inter sapientiam abstractam abstractione formali ab omni sapientia, et inter numerum eodem modo abstractum ab omnibus numeris. Quoniam sapientia adhuc quatenus sic abstracta, ex vi suæ lineæ, et ex meritis suæ rationis formalis, ut talis, præscindit (modo tamen alibi tacto) a compositione Metaphysica. Et similiter ratione alicujus specialis materiæ, seu rationis quasi materialis, nempe, prout invenitur in sapientia divina, habet carere compositione Metaphysica. 67. Ad confirmationem.

Cæterum numerus ex vi suæ lineæ, et ex propriis meritis, quoad id formale, quod dicit, ut est abstractus abstractione formali, non habet præscindere a compositione ; sed potius illam includit : quamvis sit capax ad hoc, ut ratione alicujus peculiaris materiæ, et ut per illam quasi contrahitur, in eaque invenitur, impediatur, ne sit cum hac imperfectione compositionis, sed ab ea denudetur. Ex eo quod, numerum esse liberum a prædicta compositione, non potest ei convenire, quia dicat præcise duo, aut tria ; sed quia dicit illa in peculiari aliqua materia, in qua res numeratæ, vel sint ita perfectæ, ut nequeant in compositionem venire, ut in numero numerato trium personarum divinarum constat ; vel habeant specialem aliquam rationem, propter quam sint etiam incapaces prædictæ compositionis, ut in binario paternitatis, et filiationis creatarum, si considerentur præcise quoad suas rationes specificas, contingere n. 64 diximus. Et ideo prædicta ratio numeri est talis conditionis, ut licet, quatenus est abstracta abstractione formali, dicat compositionem : nihilominus, quia hoc convenit ei ratione status abstractionis, non quidem formaliter, et immediate, sed per modum removentis illam specialem materiam, seu rationem materialem, quæ impeditura erat prædictam compositionem : idcirco est de numero earum rerum, quæ possunt in divinis inveniri : quia ad hoc satis est, ut sit capax essendi in tali materia, aut ratione quasi materiali, quæ impediat prædictam compositionem : ac proinde, quod præ-

dicta ratio formalis numeri non petat indispensabiliter, ut in omni, et quovis statu, in quo fuerit, sit involuta cum imperfectionibus.

68. Enodatur tertia objectio. Ad tertiam objectionem respondetur etiam ex dictis, concedendo, numerum ternarium divinarum personarum habere unicam essentiam numeri ternarii : atque adeo non esse unum per accidens, seu unum per puram aggregationem : siquidem ad hoc desiderabatur, quod unitates ab eo importatæ existerent per diversas existentias : et ita, quæ existunt per eamdem existentiam, nequeunt constituere unum per accidens cum illis, quæ per talem existentiam habent existere. Et deinde etiam concedimus, tum, quod talis essentia numeri ternarii reperti in divinis, est una unitate per se : ac tandem, quod non est una per simplicitatem : cum certum sit importare plures unitates realiter inter se distinctas.

Negamus tamen, inde sequi, prædictam essentiam esse unam per compositionem. Quoniam aliquam pluralitatem esse unam per compositionem, solum est proprium pluralitatum importantium suas unitates; non quidem præcise, quatenus inter se distinctæ, et oppositæ sunt, sed quatenus ultra hoc important etiam eas, ut ad invicem se respiciunt per modum unibilium : ita quidem, ut una se habeat per modum materiæ, et alia per modum formæ. Et similiter, si illa compositio sit compositio per se, ex qua unum per se resultet, debent illæ unitates habere veram rationem partium, esseque quid incompletum, ut in numero prædicamentali cernitur et N. Complutenses in sua Logica disp. 13 dub. 7 explicant. Quare, cum hæc non reperiantur in divinis neque ibi reperietur numerus, qui sit talis per compositionem. N. Compl.

69. Unde unum per se, prout comprehendit etiam omnem pluralitatem per se unam sive creatam sive increatam non dividitur adæquate in unum per simplicitatem et per compositionem; sed addendum est tertium aliud membrum, nempe, unum per pluralitatem rerum talis conditionis, ut petant existere per eamdem existentiam, modificando illam distincto, et opposito modo, ut in numero trium personarum cernitur. Et ita tres relationes personales in divinis repertæ constituunt numerum ternarium, quatenus important suas speciales, et determinatas unitates, quæ sint talis conditionis, ut sint numerabiles per numerum ternarium absolutum et abstractum, qui communiter vocatur numerus ternarius *numerans*, et se respiciant, præcise quatenus distinctæ, et oppositæ, et prout distincto et opposito inter se modo habent modificare unam et eamdem numero existentiam divinam, per quam omnes illæ existant.

DUBIUM III.

Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis, et quid sit illud?

Postquam explicuimus, dari in divinis numerum proprie et formaliter sumptum, restat explicandum una cum Angelico Doctore, an dicat aliquid positivum, an vero aliquid privativum? Hoc autem optime in dubium vocatur inquirendo, an termini numerales ponant aliquid in divinis? Nam si dixerint quid positivum, revera ponent aliquid. Si autem quid privativum, tunc potius removebunt, quam ponent. Et tandem si aliquid privativum, aut positivum dixerint, restat explicandum, quidnam sit illud? 70.

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubium deciditur.

Dicendum ergo est, terminos numerales in divinis, ut *unum*, *duo*, aut *tria* ponere in divinis res, de quibus dicuntur; addere tamen aliquid privativum, sive negativum : ac proinde quoad id, quod addunt, non ponere aliquid, sed potius removere, Explicatur assertio. Etenim unum, v. g. cum dicitur de Deo, significat quidem, et ponit positivum illud, quod dicit, et ponit Deus; addit tamen negationem divisionis : nihil enim aliud est Deus, ut unus, quam ipse indivisus. Et similiter numerus ternarius, cum prædicatur de divinis personis, dicit easdem cum duplici negatione circa unamquamque earum, idest, quod unaquæque sit indivisa, seu non divisa in se, et insuper, quod una earum non sit altera. Et ita quoad id, quod superaddunt termini numerales in divinis, potius removent, quam aliquid ponant. Quatenus vero includunt in sua significatione ea, de quibus dicuntur, debent aliquid, nempe prædictas res, ponere. 71. Conclusio.

Assertio ergo sic explicata est D. Thomæ in præsenti q. 30 art. 3 et q. 9 de Potentia art. 7, ubi sic inquit : *Unum vero, quod convertitur* Probatur ex D. Thom.

convertitur cum ente, non addit supra ens, nisi negationem divisionis. Non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam ejus cum ipsa. Est enim unum idem, quod ens indivisum. Et similiter, multitudo correspondens uni nihil addit supra res multas, nisi distinctionem, quæ in hoc attenditur, quod una earum non est alia : quod quidem non habent ex aliquo superaddito, sed ex propriis formis. Patet ergo, quod unum, quod convertitur cum ente, ponit quidem ipsum ens, sed nihil superaddit, nisi negationem divisionis. Multitudo autem ei correspondens addit supra res, quæ dicuntur multæ, quod unaquæque earum sit una, et quod una earum non sit altera : in quo consistit ratio distinctionis. Et sic cum unum addat supra ens unam negationem, secundum quod aliquid est indivisum in se, multitudo addit duas negationes, prout scilicet aliquid est in se indivisum, et prout est ab alio divisum : quod quidem dividi est, unum eorum non esse alterum. Dico ergo, quod in divinis non prædicantur unum, et multa, quæ pertinent ad genus quantitatis, sed unum quod convertitur cum ente, et multitudo ei correspondens. Unde unum, et multa ponunt quidem in divinis ea, de quibus dicuntur, sed non superaddunt nisi distinctionem, et indistinctionem : quod est superaddere negationes, ut supra expositum est. Unde concedimus, quod quantum ad id, quod superaddunt eis, de quibus prædicantur, remotive in Deo accipiuntur. In quantum autem includunt in sua significatione ea, de quibus dicuntur, positive accipiuntur. Idem etiam tuetur Angelicus Præceptor Quodlibeto 10 q. 1 art. 1 et in 1 dist. 24 q. 1 art. 3 quem sequuntur communiter ejus discipuli.

72. Ratio assertionis. Ratio fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam numerus repertus in divinis non est numerus quantitativus, seu de prædicamento quantitatis, sed numerus transcendentaliter dictus : ergo termini numerales significantes ipsum solum dicent, seu ponent aliquid positivum, ex eo quod ponunt res, de quibus dicuntur, non vero addent, nisi tantum prædictas negationes. Antecedens quoad priorem partem est perspicuum. Quia alioqui in divinis non daretur proprie, sed solum metaphorice numerus : sicut nec datur proprie ibidem longitudo, aut latitudo : siquidem ea, quæ sunt de genere quantitatis, nequeunt reperiri proprie in divinis. Quoad secundam vero partem etiam constat idem antecedens. Quoniam ultra numerum prædicamentalem non restat alius, præter numerum transcendentalem. Et propterea in rebus spiritualibus quantitatis expertibus solum ponitur numerus transcendentalis.

Consequentia vero probatur, Quoniam etsi unitas prædicamentalis, seu de genere quantitatis, non solum dicat de materiali aliquid positivum, nempe quantitatem, quæ una dicitur, sed etiam de formali addat aliquid positivum : et propterea numerus de prædicamento quantitatis est speciale ens per se directe contentum sub hoc prædicamento : et termini numerales denotantes prædictum numerum ponant, et significent, adhuc secundum id, quod addunt, aliquid positivum : nihilominus unitas, et numerus transcendentalis nihil aliud positivum ponunt, præter res, de quibus dicuntur, et solum addunt aliquid negativum sive privativum jam explicatum : ideoque prædictus numerus non constituit speciale ens aliquo modo distinctum a rebus, de quibus dicitur : et termini numerales significantes ipsum tantum ponunt res, de quibus dicuntur, superaddendo tamen prædictas negationes, et hoc non utcumque, sed indispensabiliter : siquidem unum, hoc ipso quod tale, non habet in se divisionem : et multitudo, seu numerus, v. g. ternarius, non potest non dicere negationem divisionis circa unamquamque rem importatam in tali multitudine, et insuper quod una non sit alia.

Confirmatur ex discrimine, quod intercedit inter unitatem prædicamentalem, et transcendentalem. Nam unitas transcendentalis consequitur omne ens. Et ita, si ipsa adderet aliquid positivum, etiam illud positivum additum afferret suam unitatem, et per consequens aliquid aliud positivum, et sic in infinitum. Cæterum cum unitas prædicamentalis, seu de prædicamento quantitatis non sit transcendens, sed solum consequatur ad quantitatem continuam completam, inde est, quod etsi talis unitas addat aliquid positivum, quod tamen est quid incompletum in genere quantitatis : nihilominus tale positivum non est unum per aliam unitatem nec inde sequitur processus in infinitum. Et propterea multitudo sive numerus prædicamentalis addit aliquid positivum supra res, de quibus dicuntur : ex eo quod multitudo debet 73. Confirmatur.

esse proportionata unitatibus, ex quibus componitur, vel quas importat. Et similiter numerus transcendentalis, ob eamdem proportionalem rationem, nihil super addit positivum supra res numerabiles, de quibus dicitur.

74. D.Thom. Avicena. Quæ confirmatio desumpta est ex D.Thoma Quodlibeto 10 nuper citato q. 1 art. 1 ubi cum retulisset opinionem Avicenæ asserentis, numerum prædicamentalem, et similiter transcendentalem, atque adeo unitatem, quæ convertitur cum ente, et similiter eam, quæ est principium numeri, nempe prædicamentalem, addere aliquid positivum supra res, de quibus dicuntur, sic eam, quoad unitatem, et numerum transcendentalem impugnat : *Sed hoc non potest esse. Quia cum unum, quod convertitur cum ente, de qualibet re dicatur, oportet, quod etiam illa res, quam addit supra ens, sit una. Et sit, vel erit una per aliquam unitatem additam, et ita erit processus in infinitum ; vel erit una per essentiam suam. Quod si est, standum est in primo, ut scilicet ens ipsum dicatur unum per essentiam, non per aliquam rem additam. Sic ergo intelligendum est secundum opinionem Aristotelis, et Commentatoris ejus, quod unum, quod convertitur cum ente, non superaddit enti rem aliquam, sed solum negationem divisionis. Et sic hujusmodi unum, et ponit aliquid, in quantum in suo intellectu includit ens, et dicitur remotive quantum ad id, quod superaddit enti. Unum vero, quod est principium numeri, quod superaddit enti aliquid de genere mensuræ, et similiter numerus, cujus est principium, inveniuntur in rebus habentibus dimensionem quia talis numerus causatur ex divisione continui : et hic numerus, scilicet ex divisione continui causatus, est subjectum Arithmeticæ.*

75. Licet autem contra rationem hanc D. Thomæ, et ejus confirmationem, quatenus constituit discrimen inter unitatem, quæ est principium numeri, nempe prædicamentalem, et unitatem, quæ convertitur cum ente, ac proinde inter numeros ipsos transcendentalem, et prædicamentalem, possent proponi plura argumenta, quæ adducunt Suarez, Vasquez, et alii : et similiter ex eorum doctrina posset etiam, tam ratio, quam confirmatio facta apparenti quadam solutione dissolvi : nihilominus, quia prædicta solutio satis impugnatur ex his, quæ N. Complutenses in sua Logica disp. 13 q. 7 a n. 75 usque ad num. 80 optime tradunt, et argumenta, quæ contra prædictam rationem, et ejus confirmationem pugnant, ab eisdem a num. 80 usque ad num. 84 dissoluntur : et tandem q. 8 ejusdem disputationis plura adducunt, quæ ad rem hanc explicandam faciunt : idcirco ab his argumentis referendis, et solvendis, et a prædictis solutionibus adducendis, et impugnandis consulto abstinemus, et ad sententiam nostræ assertioni contrariam referendam sermonem convertimus.

Suarez. Vasquez. N. Compl.

§ II.

Sententia opposita, primum ejus fundamentum cum sua solutione.

Contrariam igitur nostræ assertioni sententiam, nempe, tam numerum, quam unitatem in divinis addere aliquid positivum supra res, de quibus dicuntur, et ideo his nominibus numeralibus unitatis, et pluralitatis significari de formali aliquam rationem positivam superadditam enti, aut rebus, de quibus dicuntur, et ab illic saltem ratione distinctam, tuentur Bonaventura in 1 dist. 24 art. 1 q. 1, Alensis 1 p. q. 13 membro 1, Scotus lib. 4 Metaphysicæ q. 4, et Vasquez in præsenti disp. 128, et 129 ad quam sententiam reducitur, quantum ad præsens attinet, ea, quam tenuit Durandus in 1 dist. 24 q. 1 art. 1 ubi asserit, quod licet unum transcendentaliter sumptum, ultra entitatem rei, solum addat negationem divisionis, et in hoc nobiscum consentiat : nihilominus multitudo superaddit aliquid positivum rebus, idest, positivam distinctionem, seu divisionem unius ab altero : et hæc significatur in divinis personis, quando dicimus, illas esse tres, in quo prædicta sententia cum præcedenti convenit. 76. Opposita sententia. Bonavent. Alensis. Scotus. Vasquez. Durand.

Primum argumentum pro sententia Bonaventuræ desumit Vasquez loco citato num. 4 ex Aristotele 10 Metaphysicæ c. 5, ubi sic habet : *Opponuntur autem unum, et multa multis modis. Quorum uno, unum, et multitudo, ut indivisibile, et divisibile. Quod enim aut divisum, aut divisibile est, multitudo quædam dicitur. Quod vero indivisibile, aut non divisum, unum. Cum autem oppositionis quatuor sint modi, et horum alius secundum privationem dicatur, contraria erunt profecto, et nec ut contradictio, nec ut ea, quæ ad aliquid dicuntur.* In quibus verbis cum dicat, quatuor esse genera oppositionum, et his numeratis concludat, unitatem, et multitudinem esse contraria, non 77. Primum argumentum. Vasquez. Aristot.

non videtur posse affirmari, quod solum opponantur privative.

Confirmatur ex Aristot. Confirmatur ex eodem Aristotele. Nam post verba relata sic inquit secundum aliam translationem, nempe, secundum antiquam, quam tuetur D. Thomas : *Dicitur autem ex contrario, et ostenditur ipsum unum ex divisibili indivisibile propter magis sensibilem multitudinem esse, et divisibile, quam indivisibile. Quare ratione prior multitudo indivisibili propter sensum.* Quasi dicat (sic enim interpretatur Vasquez) ideo unum significatur negatione oppositi, cum dicitur indivisibile, etiam si opponatur illi contrarie, quia multitudo magis sensibilis, et nota est, et quia (ut ait paulo inferius) simplicia, et prima, qualis est unitas, melius negatione significamus ; cum tamen eorum ratio sit positiva. Quod si ex sententia Aristotelis unum, et multa privative opponerentur, frustra huic objectioni occurrisset. Si enim unitas in negatione formali consistit, aut in privatione, quid mirum, si nomine negativo significetur?

Vasquez.

78. Enervatur argumentum. D.Thom. Respondetur ex D. Thoma in eodem lib. et c. Metaphysicæ lection. 4, ubi prædictum testimonium Aristotelis sic exponit : *Quia igitur unum non significat privationem puram, non enim significat ipsam indivisionem, sed ipsum ens indivisum, manifestum est, quod unum, et multitudo non opponuntur secundum privationem puram, et habitum, sed sicut contraria.* Ubi, ut vides, Angelicus Præceptor non admittit oppositionem contrariam inter unum, et multa ratione ejus, quod superaddunt supra ens, sed ratione entis, quod includunt. Quia, ut ex eodem S. Doctore in explicatione nostræ assertionis dicebamus, et in hoc loco repetit, unum non significat ipsam indivisionem puram, sed ipsum ens indivisum. Cum tamen id, quod Vasquez, Scotus, et alii intendebant, sit, quod unum et multitudo secundum id, quod addunt supra ens, dicunt aliquid positivum, et secundum hoc contrarie opponuntur. Unde non ita bene Vasquez disp. 228 jam citata n. 2 adducit D. Thomam pro sua sententia loco nuper citato. Quia ut jam explicuimus, S. Doctor solum loquitur de unitate, et multitudine sumptis pro substratis, aut quasi substratis ejus, quod addunt supra ens ; non vero de eisdem sumptis quoad id, quod superaddunt.

Vasquez.

79. Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, Philosophum solum velle, unum, et multa esse opposita contrarie, si considerentur secundum rationes nuper explicatas. Et quia unumquodque cognoscitur ex suo contrario : et ea, quæ simpliciora sunt, vel indivisibilia, cognoscuntur quoad nos per res compositas : idcirco unum, quod (modo alibi tacto) importat, vel quid simplex, vel saltem simplicius, quam multitudo, vel quid indivisibile, sive fundans indivisionem, cognoscitur quoad nos secundum id positivum, quod dicit ex suo contrario, nempe ex multitudine, quæ in rebus creatis sensu perceptilibus est quid compositum.

D.Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lectione nuper citata, his verbis : *Considerandum est quod ea, quæ sunt priora secundum naturam, et magis nota, sunt posteriora et minus nota quoad nos : eo quod rerum notitiam per sensum accipimus : composita autem, et confusa prius cadunt in sensum, ut dicitur in 1 Physicorum : et inde est, quod composita prius cadunt in nostram cognitionem. Simpliciora autem, quæ sunt priora, et notiora secundum naturam, cadunt in cognitionem nostram per posterius. Inde est, quod prima rerum principia non diffinimus, nisi per negationes posteriorum sicut dicimus, quod punctus est, cujus pars non est : et Deum cognoscimus per negationes, in quantum dicimus, Deum incorporeum esse, immobilem, infinitum. Sic igitur, licet unum sit prius secundum naturam multitudine : tamen secundum cognitionem nostram diffinitur, et determinatur ex privatione divisionis. Et propter hoc Philosophus dicit, quod ipsum unum dicitur (id est nominatur) et ostenditur (id est cognoscitur) ex suo contrario, sicut indivisibile ex divisibili, propter hoc, quod multitudo est magis sensibilis, quam unum, et divisibile quam indivisibile ; non quidem, secundum ordinem naturæ, sed propter sensum, qui est principium nostræ cognitionis.*

Nec obest, si urgeas, quod unum, et 80. Replica.
multa, si considerentur, non secundum id, quod superaddunt enti, sed secundum id positivum, quod dicunt, debent, saltem secundum hoc positivum, ita inter se conferri, ut unum intret ad compositionem multitudinis : ergo secundum hanc rationem non sunt contraria : siquidem unum contrariorum non componit aliud, sed potius id expellit, et destruit : ergo si quæ est oppositio contraria inter unum, et multa, debet esse secundum ea, quæ addunt supra ens : et ita addent aliquid positivum supra illud.

Enodatur. Respondetur enim, quod hæc objectio, si aliquid probat, etiam convincet, quod unum, et multa, etiamsi superadderent enti aliquid positivum, non essent secundum illud contraria : siquidem unum secundum illud positivum componit multitudinem. Quare ad prædictam objectionem D.Thom. occurrendum est cum D. Thoma lectione nuper citata, ubi cum illam proposuisset, respondet in hæc verba : *Sciendum est igitur, quod cum contraria differant secundum formam, ut infra dicetur : cum dicimus aliqua esse contraria, accipiendum est utrumque eorum, secundum quod habet formam, non autem secundum quod est pars habentis formam. Corpus enim secundum quod absque anima accipitur ut formam habens, opponitur animali, ut inanimatum animato. Secundum vero quod accipitur non quasi aliquid perfectum, et formatum, non opponitur animali, sed est pars materialis ipsius. Et sic etiam videmus in numeris. Nam binarius, secundum quod est quoddam totum, speciem, et formam determinatam habens, est specie diversum a ternario. Si vero consideretur absque hoc, quod sit perfectum per formam, est pars ternarii. Sic igitur et ipsum unum, secundum quod consideratur ut in se perfectum, et speciem quamdam habens, opponitur multitudini : quia quod est unum, non est multa; nec e contra. Prout vero consideratur non completum secundum speciem, et formam, sic non opponitur multitudini, sed est pars ejus.*

§ III.

Fundamentum secundum, et tertium oppositæ sententiæ, et eorum enodatio.

81. Secundum argumentum. Vasquez. Secundo probat Vasquez suam, et Scoti sententiam argumento desumpto ex eodem Scoto, sic. Quoniam omnis negatio, quæ est in subjecto, nascitur ex aliquo fundamento positivo, ut patet inductione : illud ergo formale positivum, quod consequitur negatio divisionis, erit formalis ratio unitatis : hoc autem positivum non potest esse ipsa ratio entis : nam ens, ut ens, vel *esse* significatum extra numerum singularem, et pluralem, abstrahitur ab uno, et a pluribus : ergo ut ei conjungatur negatio divisionis, aliquid etiam positivum ipsi accedere debet; alioqui non magis ei conveniret negatio divisionis, quam ipsa divisio, et multitudo.

Diluitur. Respondetur concedendo antecedens, et saltem pro nunc, primam consequentiam. Diximus, *saltem pro nunc*, ut abstrahamus ab illa quæstione, an unum dicat de formali ipsam solam rationem entis connotando negationem superadditam, et jam explicatam ? an vero dicat de formali ipsam negationem, quam solummodo superaddit enti ? quia hoc ad præsentem quæstionem nihil refert. Et deinde ad minorem subsumptam respondetur, negando illam, si intelligatur de ratione entis, ut peculiariter exprimit exigentiam carentiæ divisionis in se. Nec contra hoc obest probatio ibidem adjuncta. Quia satis est ad hoc, ut enti adjungatur illa carentia divisionis, quod illi addatur expressio prædictæ exigentiæ.

Tertio arguit Vasquez pro sua sententia. 82. Tertium. Vasquez.
Quoniam multitudo consistit formaliter in aliquo positivo superaddito enti, aut entibus, quæ multa dicuntur : ergo etiam unitas, et per consequens termini numerales, adhuc secundum id, quod addunt supra res, de quibus dicuntur, ponent aliquid in divinis. Hæc secunda consequentia ex prima aperte videtur sequi. Prima vero ex antecedenti. Quoniam multitudo est talis juxta naturam unitatum, quas affert, vel ex quibus componitur. Antecedens vero probatur. Quoniam si multitudo formaliter sumpta, ac proinde secundum id, quod superaddit enti, non diceret aliquid positivum, sed solum quid negativum, tunc unitas (quæ esse dicitur privatio multitudinis formaliter) tantum esset privatio alicujus negationis : et per consequens adhuc non esset vera et realis privatio, quippe quæ non removeret verum et realem habitum.

Respondetur, unitatem, quæ convertitur 83. Respondetur.
cum ente, non superaddere ipsi formaliter, et immediate negationem multitudinis formaliter etiam sumptæ; sed negationem divisionis in re, quæ una dicitur. Divisio autem, quam removet prædicta unitas, est divisio ita late patens (proportione tamen servata) ac unitas : ac proinde est talis, ut in omni divisione salvetur : seu est divisio per affirmationem, et negationem : quatenus illud est unum, quod non dividitur tali divisione, quod sit accipere in illo hoc et non hoc, ita ut simul sit hoc et non hoc. Constat autem, hanc divisionem includere ad minus rem et negationem rei : et ita unum erit carentia rei et negationis simul. Sicut etiam, quia divisio includitur in ratione multitudinis, ideo includitur ibidem

ibidem negatio rei : quatenus multa sunt, quæ sic dividuntur, quod eorum unum non est alterum.

D.Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma Quodlibeto 10 quæst. 1 art. 1 in solutione ad 3 his verbis : *Dicendum, quod in ratione multitudinis includitur negatio rei, sed in ratione unius negatio negationis, et rei simul : quod sic patet. Unum enim est quod non dividitur ; divisio autem est, quæ negatur per unum, quod convertitur cum ente. Oportet autem, quod sit talis, quod in omni divisione salvetur. Hæc autem est divisio per affirmationem et negationem. Et ideo hujus divisionis negatio constituit rationem unius. Est enim unum, quod non dividitur tali divisione, quod sit accipere hoc, et non hoc. Et sic unum, in quantum negat affirmationem et negationem, simul est negatio rei et negationis simul. Prædicta vero divisio includitur in ratione multitudinis : et sic includitur ibi negatio rei : quia multa sunt, quæ sic dividuntur, quod eorum unum non est alterum.*

§ IV.

Fundamentum ultimum adversariorum, et responsio ad illud.

84. Quartum fundamentum. Quarto probatur sententia ista ab eodem Vasquez. Quoniam si unitas est negatio, aut privatio, aut illam solummodo superaddit enti, non poterit esse carentia alterius, quam multitudinis : hoc autem videtur absurdum : ergo, etc. Minor videtur perspicua. Quoniam habitus est prior privatione, aut carentia talis habitus : at multitudo non est prior unitate ; sed potius e contra unitas est prior multitudine : ex eo quod est principium illius. Sequela autem probatur. Quia si semel unitas est carentia, vel eam solummodo supra ens addit, tunc eo ipso, quod aliquod ens careat in se multitudine, erit unum : et per consequens, si unitas solum addit negationem, aut privationem, jam talis carentia erit negatio, aut privatio multitudinis.

Nec obest (inquit Vasquez) si dicatur, unitatem non esse, aut addere negationem, aut privationem multitudinis, sed divisionis. Nam contra hoc est. Tum, quia etiam divisio est posterior unitate : siquidem divisio est partitio unius in plura. Tum etiam, quia idem prorsus est, unitatem esse privationem hujus, et illius, quatenus divisa sunt, ac dicere, esse privationem multitudinis formaliter acceptæ. Unde juxta Aristotelem 10 Metaphysicæ cap. 3 idem sunt unum, et multa, ac divisum, et indivisum : et propterea inquit, unum et multa opponi uno modo, sicut divisum et indivisum : et diffiniens multitudinem asseruit : *Quod enim divisum est, multitudo quædam dicitur.* Tum denique, quia alioqui unum et multa non essent opposita : siquidem unum tantum est privatio divisionis, et multitudo non est idem ac divisio, seu entia, ut divisa. Aristot.

85. Dissolvitur. D.Thom. Respondetur negando sequelam, juxta D. Thomam in præsenti quæst. 30 art. 3 ad 3, ubi sic inquit : *Dicendum, quod unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis quæ est prior secundum rationem, quam unum, vel multitudo.* Sicut etiam, ut notavit idem Angelicus Præceptor ibidem : *Multitudo non removet unitatem* (intellige, formaliter, et immediate), *sed removet divisionem circa unumquodque eorum, ex quibus constat multitudo.* Quod etiam docuit idem S. Doctor supra, quæst. 11 art. 2 ad 4.

Et ad probationem dicendum est, quod etsi unitas per se primo et formaliter solum superaddat enti carentiam divisionis : nihilominus indirecte opponitur multitudini : quia hæc includit divisionem. Unde, licet hoc ipso, quod ens careat in se multitudine, habeat esse unum : nihilominus hoc non ideo contingit, quia unum consistat formaliter in hac carentia, aut hæc carentia sit illa, quam unum per se primo addit supra ens ; sed quia carentia, qua unum directe et immediate opponitur divisioni, habet indirecte extendi ad multitudinem, ex eo quod includit prædictam divisionem : et hoc ipso, quod detur prædicta carentia, ut indirecte removens multitudinem, debet præsupponi eademmet carentia, ut directe removens divisionem, ex cujus directa remotione sequitur indirecta remotio multitudinis necessario petentis, et includentis divisionem : ideoque prædicta carentia, ut indirecte removens multitudinem et ut distincta quodammodo a se, ut directe removente divisionem, erit signum unitatis præsuppositæ, et quid ad illam consecutum ; non vero erit unitas ipsa, vel carentia illa secundum id, quod per se primo dicit.

86. Quare solutio inter arguendum tradita huic argumento, et juxta dicta, et statim dicenda intellecta debet admitti : ex eo

quod est expressa D. Thomæ locis nuper citatis. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est, quod licet demus, divisionem quantitativam in plura præsupponere quantum illud esse unum : nihilominus divisio, quæ opponitur unitati, quæ convertitur cum ente, non præsupponit ens ut unum ; sed potius unitas transcendentalis illius nostro modo intelligendi subsequitur ad divisionem : et ita divisio potest comparari per modum habitus respectu prædictæ unitatis, et habere prioritatem desideratam ad hoc, ut per modum habitus respectu illius se habeat.

Dilucidatur responsio. Hæc autem prioritas, et coordinatio entis, divisionis, unitatis, et multitudinis, eo ordine, quo a nobis proposita sunt, potest sic explicari. Nam primum, quod intelligimus, est ipsa ratio entis, sive ipsum ens. Deinde intelligimus quasi subsequi carentiam entis : ut ita habitus, aut quasi habitus sit prior, et negatio entis, quæ est carentia prædicti habitus, statim subsequatur. Semel autem datis, et intellectis ente, et negatione entis, eo ipso intelligimus, dari divisionem secundum affirmationem, et negationem, quæ consistit in hoc, quod simul detur ens, et non ens, et quod ens non sit non ens, et e converso : ac proinde prædicta divisio dicit utrumque extremum simul : ita tamen, ut unum non sit aliud, aut simul utrumque : et in hoc præciso conceptu, etiamsi simul intelligamus, unum ex extremis divisionis, non esse aliud, non intelligimus rationem unius : quia etiam divisum, ut tale, distinguitur ab unitate subsecuta ad ipsum : et nihilominus non ob id divisum sub hoc præciso, et expresso conceptu divisi, ut talis, dicit hoc, quod est *esse* unum.

87. Post hanc vero divisionem universalissimam secundum affirmationem, et negationem concipimus subsequi unitatem v. g. in ente. Quia post habitum optime intelligimus subsequi negationem, sive privationem talis habitus : et ita post divisionem hanc, quæ est habitus respectu carentiæ, quam addit unum supra ens, optime intelligimus subsequi prædictam carentiam : ac proinde subsequi unitatem, quæ tantum superaddit enti carentiam divisionis secundum affirmationem, et negationem simul, seu carentiam hujus, quod est, esse simul ipsum ens et ipsum non ens : quæ quidem negatio nequit esse, ut ex se patet, nisi post divisionem jam dictam : et ita optime explicatur per carentiam, sive negationem divisionis : quia, ut diximus, divisio secundum affirmationem, vel negationem, de qua loquimur, dicit utrumque extremum simul ; licet unum non sit aliud. Et ideo perinde est asserere, quod unum dicat, vel superaddat negationem divisionis, ac asserere, illud dicere, aut superaddere negationem hujus, quod est, esse simul ens, et non ens, aut etiam negationem hujus, quod est, esse rem illam in particulari, quæ una dicitur, et simul non esse prædictam rem. Et sicut ad unum extremum hujus divisionis, nempe ad extremum affirmationis, sequitur unitas jam dicta : ita etiam ad aliud extremum prædictæ divisionis, scilicet ad extremum negationis, seu ad non ens, intelligitur subsequi sua unitas omnino negativa, ut ex paritate rationis constare videtur. Ac tandem post unitatem concipimus subsequi multitudinem secundum id, quod per se primo addit supra ens, adhuc ut divisum : quia multitudo, formaliter sumpta in ratione multitudinis, debet afferre plures unitates : ac proinde, usquedum istæ intelligantur, non intelligetur subsequi multitudo.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in hac 1 p. q. 11 art. 1 ad 4, ubi sic ait : *Dicendum, quod unum opponitur privative multis, in quantum in ratione multorum est, quod sint divisa. Unde oportet, quod divisio sit prius unitate non simpliciter, sed secundum rationem nostræ apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita. Unde diffinimus punctum, cujus pars non est, vel principium lineæ. Sed multitudo etiam, secundum rationem consequenter se habet ad unum. Quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quod utrique divisorum attribuimus unitatem. Unde unum ponitur in diffinitione multitudinis : non autem multitudo in diffinitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis. Ita quod primo cadit in intellectu ens. Secundo, quod hoc ens non est illud ens : et sic secundo apprehendimus divisionem* (id est, ut ipse S. Doctor Quodlibet. 10 nuper citato q. 1 articulo 1 ad 3 se explicuit, quod detur simul *esse*, et non *esse*, ex quibus integratur divisio, ita ut unum ex his extremis non sit aliud). *Tertio unum. Quarto multitudinem.* 88. Roboratur testimoniis D. Thomæ.

Idem. Angelic. Præcept. Quod adhuc magis explicuit idem Angelicus Præceptor quæst. 9 de Potentia artic. 7 ad 15, ubi cum sibi objecisset hoc idem argumentum,

argumentum, quod quarto loco pro se adducit Vasquez, sic respondet : *Potest melius dici, quod divisio est causa multitudinis, et est prior secundum intellectum, quam multitudo. Unum autem dicitur privative respectu divisionis, cum sit ens indivisum; non autem respectu multitudinis. Unde divisio est prior secundum rationem, quam unum : sed multitudo posterior. Quod sic patet. Primum enim, quod in intellectum cadit, est ens. Secundum vero, est negatio entis. Ex his autem duobus sequitur tertio intellectus divisionis. Ex hoc enim, quod aliquid intelligitur ens, et intelligitur non esse hoc ens, sequitur in intellectu, quod sit divisum ab eo. Quarto autem sequitur in intellectu ratio unius, prout scilicet intelligitur, hoc ens non esse in se divisum. Quinto autem sequitur intellectus multitudinis, prout scilicet hoc ens intelligitur divisum ab alio, et utrumque ipsorum esse in se unum. Quantumcumque enim aliqua intelligantur divisa, non intelligetur multitudo, nisi quodlibet divisorum intelligatur esse unum. Et sic etiam patet, quod non erit circulus in diffinitione unius, et multitudinis.* Videatur idem D. Thomas 10 Metaphysicæ lectione 4 per medium.

89. Ad secundam vero probationem patet ex dictis; quomodo distinctum sit, unitatem esse carentiam hujus, et illius, quatenus divisa sunt, id est, esse carentiam hujus, quod est, esse simul illa membra divisa quatenus divisa; ac dicere, esse privationem multitudinis formaliter acceptæ. Siquidem, ut dicebamus, multitudo sic sumpta non solum requiritur ad divisionem, sed etiam præsupponit unitatem, quæ juxta doctrinam datam ex D. Thoma intelligitur mediare inter divisionem, et multitudinem : ex eo quod multitudo necessario importat vel componitur ex unitatibus. Nec Aristoteles locis ibidem citatis oppositum docet. Quoniam in 1 loco solum voluit, quod unum, et multa quoad id, quod multitudo includit, opponuntur, sicut divisum, et indivisum : quia multitudo necessario includit divisionem, ut ex Angelico Doctore Quodlibeto 10 sæpius citato dicebamus. Et similiter in 2 loco ideo dixit, quod *id, quod divisum est, multitudo quædam dicitur*, quia id, quod divisum est, semper affert id, quod requiritur ad multitudinem, tanquam quid consecutum ad divisionem. Et ita loquendo de eo quod omnia, quæ secum affert, tunc, quod divisum est, semper potest multitudo quædam dici; licet sub præciso et expresso conceptu divisi secundum illam rationem, secundum quam comparatur per modum habitus respectu unitatis transcendentalis, non dicat formaliter multitudinem, sed præsupponatur ad illam formaliter sumptam : siquidem præsupponitur, nostro modo intelligendi, ad unitatem, quæ in sensu jam explicato est prior multitudine.

Ad ultimam vero probationem neganda est sequela. Quia multitudo includit divisionem : et ita quod opponitur divisioni, opponitur etiam multitudini, quatenus includenti prædictam divisionem.

DUBIUM IV.

Utrum utendum sit nomine Trinitatis in divinis?

Semel explicato, quid quoad rem ipsam reperiatur in divinis quoad pluralitatem, et simul quomodo ibidem reperiatur proprie et formaliter numerus ternarius, restat agere de nomine, quo hoc explicetur. Quia vero nomen magis usitatum est nomen *Trinitatis* : idcirco de hoc inquirimus, an recte hoc utamur ad explicandum numerum repertum in divinis?

§ I.

Communis, et vera sententia. 90. Conclusio.

Dicendum ergo est, nos optime uti nomine *Trinitatis* ad significandum numerum ternarium personarum divinarum. Ita Concilium Lateranense, ut refertur cap. *Damnamus, de Summa Trinitate*, Concilium Nicænum, et Constantinopolitanum, Ephesinum I. et alia, et habetur in Symbolo Athanasii : *Et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.* Idem etiam docent Alexander I in epistola ad omnes Catholicos, Xystus I in epistola ad omnes fideles, ac tandem sancti Patres, ut Dionysius, Cyprianus, Justinus, Tertullianus, Cyrillus, Augustinus, divus Thomas, et cæteri, necnon et universi Theologi : Ecclesiaque utitur hoc nomine in præfatione Missæ sanctissimæ Trinitatis, et in toto officio.

Concilium Lateran. Conc. Nicænum. Concilium Constant. Concilium Ephes. I. Symbolum Athan. Alexand. I. Xystus I. Dionys. Cyprianus. Justin. Tertul. Cyrillus. August. D. Thom.

Nec obest, quod in Concil. Toletano XI in confessione fidei asseritur : *Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas.* Non itaque hoc obest. Quia sensus horum verborum est, non esse ponendam Trinitatem in Deo, quatenus unus est, hoc est, Concilium Tol. XI.

secundum naturam divinam. Et propterea statim additur : *Sed unus Deus Trinitas*, id est, per identitatem cum personis. Et hoc idem magis declaratur in sequentibus.

91. Ratio fundamentalis. D.Thom. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma, tum ex dictis in q. 27 et 28, tum etiam quæst. 31 artic. 1 quæ potest ad hanc formam reduci. Nam ex eo quod datur in divinis pluralitas personarum, ideo recte utimur nomine pluralitatis, ad eam significandam : ergo cum etiam ibidem detur numerus ternarius personarum, optime etiam utemur nomine Trinitatis ad significandum numerum : siquidem nomen hoc impositum est ad denotandum prædictum numerum in divinis repertum. Quæ ratio supposita fide de pluralitate, et numero ternario divinarum personarum, quam Angelicus Præceptor in præcedentibus ostenderat, est satis accommodata.

92. Objectio contra rationem. Nec obest, si contra hanc rationem objicias, esse disparitatem inter nomen pluralitatis, aut numeri ternarii. Quod numerus ternarius in divinis significat pluralitatem personarum, seu numerum ternarium illarum, ita ut hoc sit significatum principale, et in recto prædicti nominis : sed nomen Trinitatis non significat hanc pluralitatem, seu numerum de principali significato, et in recto; sed potius significat in recto unitatem, et numerum personarum in obliquo, et ideo trinitas nihil est aliud, quam trium unitas. Ergo licet ad significandam in divinis prædictam pluralitatem, et numerum, recte utamur pluralitate, vel numero ternario : ex eo quod ista non significant in recto et de principali significato prædictam unitatem, sed pluralitatem repertam in divinis; non tamen nomine Trinitatis, principaliter, et in recto unitatem significantis.

92. Diluitur. Respondetur, quod licet nomen Trinitatis, secundum nominis etymologiam desumptum sit ab unitate in essentia trium personarum : attamen impositum est ad significandas de principali significato, et in recto ipsas tres personas cum duplici illa negatione supra explicata, nempe, negatione divisionis in unaquaque earum, et negatione identitatis cum aliis. Quæ so-

D.Thom. lutio desumitur ex D. Thoma in præsenti quæst. 31 art. 1 ad 1, ubi sic habet : *Dicendum, quod hoc nomen Trinitas secundum etymologiam vocabuli videtur significare unam essentiam trium personarum, secundum quod dicitur Trinitas quasi trium unitas. Sed secundum proprietatem vocabuli significat magis numerum personarum unius essentiæ. Et propter hoc non possumus dicere, quod Pater sit Trinitas : quia non est tres personæ.*

Quod etiam explicuerat Angelicus Præceptor in 1 dist. 34 q. 2 art. 2 ad 2 his verbis : *Dicendum, quod hæc est falsa, Pater est trinitas. Quamvis enim hoc nomen trinitas propter modum significandi, quia significatur in abstracto, significet unitatem essentiæ in recto, et numerum personarum in obliquo, quantum ad etymologiam nominis, prout dicitur trinitas trium unitas : tamen quantum ad impositionem nominis est e converso. Impositum est enim nomen ad significandum ab ipso numero, qui in nomine importatur. Unde quantum ad veram nominis significationem idem significatur, cum dicitur trinitas, ac si diceretur tres personas unius essentiæ, sicut Magister exponit. Unde patet, quod Pater non potest trinitas dici.*

§ II.

Objectio notanda contra assertionem, et solutio ab aliquibus tradita.

Sed licet assertio nostra sit adeo certa et communis : nihilominus, quia argumentum quoddam ab Angelico Doctore artic. 1 nuper citato adductum, ingerit aliquam difficultatem, et ejus solutio aliquibus displicet, et propterea aliam tradunt non ita legitimam, placuit sigillatim hoc argumentum adducere, et adversariorum solutionem afferre, et impugnare, ac tandem responsionem Angelici Doctoris defendere. 94. D.Thom.

Contra assertionem igitur nostram objici potest. Nam si semel possumus in Deo uti nomine *trinitatis*, et consequenter nomine *trini*, ad explicandum numerum ternarium personarum, qui est in divinis, eadem ratione possemus uti nomine *triplex*, aut *triplicitas*, ita ut dicamus, Deum esse triplicem, aut esse in illo triplicitatem : hoc autem admitti nequit : ergo, etc. Sequela videtur certa ex paritate rationis. Minor autem habetur expresse apud Augustinum tom. 3 lib. 6 de Trinitate cap. 6 et 7 et lib. 15 cap. 3; idemque docet Bernardus 5 de Consideratione cap. 7, et D. Thomas in præsenti quæst. 31 art. 1 ad 3. Objectio contra assertionem. August. Bernard. D.Thom.

Confirmatur. Quia alias eadem ratione posset dici Deus triformis. Quia cum in Deo sint tres relationes, quarum quælibet est forma, Confirmatur.

forma, seu quasi forma constituens peculiarem personam divinam, nihil impediret, quominus ab eis denominaretur triformis, sicut ab eisdem denominatur trinus : hoc autem est contra usum Ecclesiæ : ergo, etc.

95. Aliorum solutio. Suarez. Vasquez. Montoya. Granado. Ad hoc argumentum occurrunt Suarez lib. de Trinitate cap. ultimo, et Vasquez disputatione 131 cap. 3, Ruiz de Montoya in præsenti disputatione 38 sectione 4, Granado 1 part. tom. 3 tractatu 5 disputat. 2, quod *trinitas,* aut *trinus* de formali significat numerum personarum, et earum distinctionem : non tamen affert pluralitatem in essentia, sed potius unitatem in illa, ut ex etymologia prædicti nominis constat. Nam *trinitas*, nihil est aliud, quam *trium unitas :* et ideo per illud applicatum Deo non numeratur essentia divina, sed solum personæ.

Cæterum nomen *triplex* denotat absolute numerum ternarium : et ideo terminus, cui additur, sumptus secundum suum formale significatum numeratur ab eo : et ideo nequit Deus dici triplex, aut multiplex : quia significaretur pluralitas, vel multiplicatio divinæ essentiæ. Sicut etiam non potest propter eamdem rationem admitti in eo formaliter sumpto multiplicitas : potest tamen concedi personam divinam esse triplicem, aut multiplicem, aut processionem in divinis esse duplicem : ex eo quod ratio personæ, aut processionis divinæ plurificatur in Deo. Et ita generaliter loquendo de omnibus illis, quæ in Deo plurificantur, potest secundum eam rationem, secundum quam plurificantur, affirmari de illis, quod sunt multiplicia, duplicia, aut triplicia, si ad hunc numerum pertingant. Unde D. Thomas (D.Thom.) q. 10 de Potentia art. 2 in corpore dixit, naturam divinam communicari duplici processione. Et Nazianzenus (Nazianz.) Oratione 45 quæ est ad Evagrium monachum, vocat Filium et Spiritum Sanctum *Geminum Patris radium.*

Cyrillus Alexand. Et deinde Cyrillus N. Alexandrinus Dialogo de Trinitate lib. 3 columna 4 de Deo Patre, Filioque bis repetit : *Duplex est in subsistentiis.* Et post pauca : *Duplicitas* (inquit (Idem.) *in subsistentiis.* Et tandem idem Nazianzenus (Nazianz.) nuper citatus Oratione 39 in sancta lumina prope medium num. 23 . *Deum* (ait) *cum dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini. Triplici quidem quantum ad proprietates, sive hypostases : uno autem quantum ad substantiæ, hoc est, divinitatis rationem.*

§ III.

Impugnatur præcedens solutio

96. Rejicitur primo. Concilium Tol. XI. Cæterum hæc solutio admittenda non est. Tum, quia juxta eam non ita bene videtur salvari id, quod habetur in Concilio Toletano XI in confessione fidei, ubi sic dicitur : *Hæc est sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed trinitas, et dici et credi debet.* In quibus verbis satis innuit Concilium, quod pluralitas divinarum personarum non est explicanda his nominibus *triplicitas* , *aut multiplex* , sed nomine *trinitatis.*

Secundo. August. Tum etiam. Quia non salvatur auctoritas sanctorum Patrum Augustini, et Angelici Doctoris, quæ magni semper est habenda. Quod autem prædicta auctoritas non salvetur quoad Augustinum, constat ex verbis ejusdem lib. 6 de Trinitate capit. 7 jam relato, ubi sic inquit : *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est : alioqui minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius.* Et cap. 8 sic inquit : *In ipso igitur Deo, cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus Patri, et Filio æqualis, non fit major Deus, quam singuli eorum : quia non est, quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive Pater sive Filius, sive Spiritus Sanctus : et perfectus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et ideo Trinitas potius, quam triplex.*

97. Et tandem lib. 15 cap. 3 : *Etiam* (inquit) *in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas : nec quasi aliquid duplum esse Patrem, et Filium ad simplum Spiritum Sanctum, ubi nec tria plus aliquid sunt, quam unum horum.* In quibus testimoniis satis constat, quomodo Augustinus , adhuc ratione personarum non admittat in Deo triplicitatem. Et propterea in priori ex illis dixit : *Nec quoniam trinitas est, ideo triplex putandus est :* id est, non ex eo quod in Deo sit trinitas, ideo ratione personarum debet ibidem admitti triplicitas. Et similiter tam in hoc, quam in duobus aliis testimoniis, ut redderet rationem, propter quam non sit in divinis admittenda triplicitas, recurrit ad æqualitatem in perfectione inter divinas personas : et quod alioqui minor esset Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius : ut denotaret, se loqui de triplicitate quoad personalia, et quod ad hanc requiritur, quod non sit tantus in perfectione Filius solus, ac Pater, et Filius simul.

Angel. Doctor. Et deinde quoad Angelicum Doctorem, non salvari juxta hunc modum dicendi adversariorum propriam ipsius mentem, et auctoritatem, constat ex his, quæ tradit in præsenti quæst. 31 art. 1 ad 3 ubi, ut statim magis explicabimus, reddens eam rationem, quam attulit Augustinus, expresse docet, utendum esse ad explicandam pluralitatem personarum in divinis nomine *Trinitatis*, non vero *triplicitatis*, aut *triplicis*.

Tertio. N. Cyrill. Alexand. Tum præterea contra eamdem adversariorum solutionem obstat, eam videri contra nostrum Cyrillum Alexandrinum Dialogo de Trinitate libro jam citato, multo propius ad medium, quam ad principium, de veteri Testamento, ubi ait : *Prædicat quidem, quod unus sit Deus et nullo modo dilatat divinitatis naturam ad triplicitatem secundum subsistentiam.*

98. Confirmatur ulterius. Tum deinde. Quoniam si semel in divinis admittitur triplicitas quoad personas, ita ut hæc sit vera, *Persona divina est triplex :* eadem ratione hæc erit absolute vera, *Deus est triplex :* quoniam tunc ly, *Deus*, supponeret pro persona divina in communi sumpta. Sicut quia Pater generat, ideo, licet hæc non sit vera, *Essentia divina generat*, sicut nec ista, *Essentia divina est triplex*, nihilominus hæc admittitur, *Deus generat :* quia aliqua persona determinata, nempe Pater, in divinis generat : et ita ly *Deus* supponit ibidem pro Patre.

Postrema impugnatio. Tum denique. Quoniam solutio hæc non videtur firmo fundamento niti. Nam vel directum significatum horum nominum *trinitas*, et *triplex* est unum et idem? vel diversum? Si primum, non erit cur unum eorum, nempe *trinitas*, significet numerum ternarium determinatarum rerum, nempe personarum; et aliud, nempe *triplex*, aut *triplicitas*, habeat significare numerum absolute : et ita applicatum terminis essentialibus, v. g. huic termino *Deus*, numeret Deitatem; applicatum vero terminis personalibus et plurificabilibus numeret illos. Si autem secundum dicatur, tunc significatum directum hujus nominis *triplex*, aut *triplicitas* non erit aliud, quam proportio illa inæqualitatis, qua id, quod dicitur triplex, est majus et perfectius, quam illud respectu cujus dicitur triplex, ut docet D. Thomas cum Augustino locis citatis, et Boetius in sua Arithmetica lib. 1 cap. 24 et communiter tuentur Arithmetici. Ergo cum inter divinas personas non possit reperiri hæc proportio inæqualitatis, non poterit, adhuc ratione illarum, dari in Deo triplicitas, ita ut possit admitti, quod persona divina est triplex, aut quod in divinis reperiatur triplicitas.

D.Thom. August. Boetius.

Nec testimonia illa, quæ pro se adducunt prædicti auctores, eis favent. Non quidem primum desumptum ex D. Thoma. Quia Angelicus Præceptor in verbis immediate præcedentibus et subsequentibus appellat illas processiones duas : et ita sufficienter explicat, se dixisse *duplici processione*, pro *duabus processionibus*. Quia Latini aliquando pro eodem utuntur his nominibus *duplex* et *duo;* licet tunc non utantur priori illo nomine *duplex* secundum eam rationem, secundum quam distinguitur a nomine *duo*, sed illo late sumpto utuntur. 99. Non favent testim. adducta pro solut.

Nec similiter Nazianzenus in illa Oratione 45 adversariis favet. Quoniam non loquitur de Filio et Spiritu Sancto secundum processiones æternas, sed secundum temporales, secundum quas Filius venit ad nos per incarnationem et Spiritus Sanctus per sua dona ; ad quod explicandum utitur ratio lucis corporeæ emanantis a sole. Et in hoc sensu non est inconveniens dicere, illos esse *geminum, vel duplicem Patris radium*. Et tandem Cyrillus et idem Nazianzenus Oratione 39 explicandi sunt, sicut explicuimus verba Angelici Doctoris. Et propterea quædam translatio pro *triplici lumine*, habet, *tribus luminibus*.

§ IV.

Vera Augustini et D. Thomæ responsio.

Quare vera responsio est, quæ traditur ab Augustino et Angelico Doctore locis citatis, quamque jam innuimus, nimirum, hoc esse discrimen inter hæc duo nomina *trinitas* et *triplicitas*. Quod trinitas absolute significat numerum personarum : triplicitas autem significat specialem illam proportionem inæqualitatis, secundum quam id, quod dicitur triplex, est majus et perfectius, quam illud, respectu cujus dicitur triplex, ut ex communi Arithmeticorum sententia (quibus quoad impositionem nominum ad eos pertinentium standum est) dicebamus. Quare, cum prædicta inæqualitatis proportio non reperiatur in divinis, ut ex sæpe dictis constat, inde est, ut non reperiatur ibidem significatum directum hujus nominis : et per consequens nec prædictis nominibus *triplicitatis*, aut *triplicis*, possimus ad explicandam pluralitatem 100. Vera responsio. August. Angelic. Doctor.

tem repertam in divinis uti; bene tamen nominibus *trinitatis*, aut *trini.*

Quam solutionem succincte tradit D. Thomas in præsenti q. 31 in solutione ad 3 his verbis : *Dicendum, quod trinitas absolute dicitur : significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis : est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boetium in Arithmetica. Et ideo non est in Deo triplicitas, sed trinitas.*

101. Secundo respondetur. August. Angel. Doctor.

Vel secundo potest responderi, sive magis explicari præcedens solutio ex his, quæ tradit idem Angelicus Doctor in 1 dist. 24 q. 2 art. 1, una cum Augustino 6 de Trinitate cap. 6, et Bernardo 5 de Consideratione c. 7, quod isti termini *triplex*, vel *multiplex*, etc. in rigore accepti, habent opponi simplicitati, ut etiam habetur apud Thesaurum linguæ Latinæ, verbo *Multiplex*. Et quia in Deo, etiam stante trinitate personarum, est omnimoda simplicitas, et per consequens excluditur ab eo omnis vera, et realis compositio, ideo nec est ibidem triplicitas, nec multiplicitas.

Diluitur confirmatio. August.

Ad confirmationem vero respondetur ex Augustino epistola 177 ubi negat, Deum posse dici *triformem :* ex eo quod forma absolute accepta in Deo habet significare essentiam, ut constat ex illo ad Philippenses 2 : *Qui cum in forma Dei esset.* Quæ solutio habetur etiam apud D. Thomam in præsenti, quæst. 31 art. 2 ad 2, cujus verba in hoc eodem dubio referemus.

Ad Philip. 2. D.Thom.

102. Replica contra solutionem objectionis.

Nec obest, si tam contra veram D. Thomæ solutionem adhibitam huic principali objectioni nuper solutæ, quam contra enodationem confirmationis arguas. Contra solutionem quidem objectionis ex Vasquez et Suarez locis citatis. Quoniam licet nomen *triplex* significet proportionem inæqualitatis : nihilominus hæc potest in divinis admitti absque incommodo : ergo etiam poterimus uti nomine *triplicitatis*, aut *triplicis* ad significandam pluralitatem divinarum personarum. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam æqualitas, et inæqualitas numeri necessario in Deo concedenda est, sicut etiam ratio paucioris, et pluralitatis. Quis enim neget, minorem numerum esse ternarium personarum in Deo, quam quaternarium personarum hominum ; et plures esse quatuor homines, quam sint tres divinæ personæ? Sicut etiam negari non potest, quin tres personæ divinæ sint plures, quam duæ, et duæ quam una.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Quoniam etiam numerus ternarius, et *trinitas* significant hanc proportionem inæqualitatis. Quia numerus ternarius est præcise quoad rationem numeri plus, quam binarius, aut quælibet ex suis unitatibus : quia hoc est de ratione numeri ternarii : et propterea prædictus numerus dicit indispensabiliter tres unitates : cum tamen binarius tantum dicat duas, et unaquæque unitas tantum dicat se ipsam : et per consequens *trinitas* significans prædictum numerum ternarium personarum, etiam significabit proportionem illam inæqualitatis, quam significat *triplicitas.*

103. Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam juxta nostram sententiam dubio 2 hujus disputationis adductam, numerus ternarius in divinis repertus, licet non dicat plus perfectionis, quam singulæ ex suis unitatibus, dicit tamen plus realitatis : ergo prædictus numerus significabit proportionem inæqualitatis, qua totus ternarius divinarum personarum excedit in realitate, licet non in perfectione, duas, aut unam tantum ex personis divinis : ergo eadem ratione poterit dici, quod datur in Deo *triplicitas*, aut *triplex :* quia ad proportionem inæqualitatis significatam per hæc nomina *triplex*, aut *triplicitas*, satis est prædicta proportio inæqualitatis quoad realitatem ; licet non detur talis proportio quoad perfectionem. Maxime, quia sicut Mathematicalia abstrahunt a bonitate et perfectione, ut constat ex illis, quæ in 2 tomo tractatu 4 disputat. 5 num. 18 diximus, et habet D. Thomas in hac 1 part. quæst. 5 art. 3 ad 4, ita nomina imposita ab Arithmeticis ad significanda prædicta Mathematicalia, et ad significandam proportionem inæqualitatis, quam dicunt, non imponuntur ad denotandam proportionem inæqualitatis secundum perfectionem et bonitatem, sed aliam proportionem inæqualitatis repertam in numeris, v. g. ternario, collato cum suis unitatibus, vel in triplicitate comparata cum eisdem unitatibus. Constat autem, quod si semel excluditur inæqualitas proportionis secundum perfectionem, nequit proportio significata per hæc nomina *triplex*, aut *triplicitas* esse alia, nisi inæqualitas proportionis præcise quoad realitatem : quia id, quod dicitur, v. g. triplex, dicit plus realitatis in tali, vel tali proportione, quam id, respectu cujus habet esse triplex.

D.Thom.

Alia replica contra

Contra enodationem autem confirmationis objicies, quod in divinis dantur plures

solut. confirmat. formæ : siquidem dantur plures hypostases : ac proinde plures formæ hypostaticæ constituentes illas hypostases : ergo non erit inconveniens, quod Deus dicatur *triformis*, si semel dicitur *trinus*.

104. Corruit prima replica. Non itaque hæc obstant. Nam ad argumentum adductum ex adversariis contra solutionem præcipuæ objectionis § 2 adductæ dicendum est, proportionem inæqualitatis peculiarem, quam dicit hoc nomen *triplex*, non esse quamcumque proportionem illam, qua id, quod dicitur *triplex*, absolute et simpliciter sumptum, est majus, et perfectius in tanta proportione, quam illud, respectu cujus dicitur *triplex*, ut ex Augustino et D. Thoma, necnon ex Boetio, et Arithmeticis dicebamus : seu (quod in idem quoad præsens redit) nomen *triplex*, dicit inter alia peculiarem illam proportionem inæqualitatis, qua totum excedit suas partes, ita ut collatum cum unitatibus, quas affert, comparetur cum illis eo modo, et ea proportione inæqualitatis, qua totum cum suis partibus. Quare, cum hæc non possint reperiri in numero ternario divinarum personarum, ut diximus, inde est, ut neque ibidem reperiatur illa peculiaris proportio inæqualitatis, quam significat nomen *triplex*.

105. Ad primam confirmationem. Ex quo ad primam confirmationem patet, numerum ternarium, aut nomen *trinitatis* non significare hanc peculiarem proportionem inæqualitatis, si sumantur secundum id, quod indispensabiliter important; sed tantum proportionem inæqualitatis quoad realitatem præcise, absque inæqualitate perfectionis, vel pro portionis totius ad partes, ut ex dictis patet.

Ad secundam. Ex quo etiam patet, quid ad secundam confirmationem dicendum sit. Nam concesso antecedenti, et prima consequentia, neganda est secunda. Ad cujus probationem ex nuper dictis satis liquet.

Ad id autem, quod ibidem additur pro pleniori probatione ejusdem consequentiæ, dicendum est : quod licet Mathematicalia, ut talia, non sint actu bona, aut perfecta; habent tamen in potentia bonitatem et perfectionem : quatenus illamet, quæ abstrahunt a materia singulari, et sensibili, possunt absolute, et simpliciter existere, et dum extiterint erunt actu bona.

Accedit, quod licet Mathematicalia, quatenus subsunt abstractioni Mathematicæ, non sint bona et perfecta : absolute tamen et simpliciter loquendo, res, quæ sunt Mathematicales, sunt bonæ et perfectæ, possuntque habere eam proportionem inæqualitatis, quæ per nomina ista *triplex*, aut *triplicitas* significatur, ut optime docuit D. Thomas 3 Metaphysicæ lectione 4. Et D.Thom. propterea Aristoteles 6 Ethicorum docuit, Aristot. omnem scientiam esse circa bonum. Quare cum hæ proportiones inæqualitatis non reperiantur in numero ternario divinarum personarum, inde est, ut nulla ratione nomine *triplicis*, aut *triplicitatis* utendum sit in divinis ad significandam pluralitatem personarum.

Ad argumentum vero contra solutionem 106. Dissolvitur secunda replica. D.Thom. confirmationis objectionis præcipuæ optime respondet D. Thomas iu hac quæst. 31 art. 2 ad 2 ubi ut explicet, quomodo etsi Filius sit in Deo alius a Patre, nihilominus non est utendum nominibus importantibus differentiam, sed puram distinctionem, sic inquit : *Dicendum, quod differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum una forma in divinis, ut patet per id quod dicitur Philip. 2 : Qui cum in forma Dei esset. Et ideo nomen differentiæ non proprie competit in divinis. Utitur tamen Damascenus nomine differentiæ in divinis personis, secundum quod proprietas relativa significatur per modum formæ. Unde dicit, quod non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, ut dictum est.* Ubi, ut vides, proprie et in rigore loquendo, nomen formæ absolute et simpliciter sumptum accipitur pro forma essentiali, non hypostatica : et ideo Deus non dicitur absolute et simpliciter *triformis*.

DUBIUM V.

Utrum ratio personæ divinæ sit communis univoce respectu trium personarum divinarum? et an quidditative (ut sic loquamur) de illis dicatur?

Cuncta, quæ hucusque diximus, potius 107. ad pluralitatem, quam ad unitatem divinarum personarum spectant. Quia vero disputatio præsens non solum inscripta est de his, quæ pertinent ad pluralitatem, sed etiam de illis, quæ ad divinarum personarum unitatem spectant, ideo de his posterioribus solummodo in ea agendum restat. Sed quia circa hoc plura in præcedentibus disputationibus diximus, et ex ibidem dictis, quæ aliquam difficultatem discussione dignam ingerunt, jam manent explicata,

explicata, ideo solum restat examinare an ratio personæ divinæ sit communis univoce, ac proinde sit una et eadem omnino in omnibus personis divinis?

Nomine autem *personæ divinæ* non intelligimus eam secundum id divinitatis, quod ex parte naturæ divinæ affert, sed secundum illam suam rationem differentialem veluti subalternam directe contentam sub ratione personæ ut sic, abstrahentis a creata et increata, quæ una cum ratione personæ ut sic immediate descendit ad tres personas relativas in divinis repertas.

Addidimus autem in secunda parte tituli, *an (ut sic loquamur) quidditative ratio personæ de tribus personis divinis dicatur?* non vero an absolute et simpliciter dicatur quidditative? quia in divinis ut diximus, nomen *quidditatis* sumitur pro essentia et natura divina. Et propterea licet in divinis sint plures personæ, non tamen proprie et absolute, ac simpliciter sunt tres quidditates, sed tantum tres formales rationes relativæ. Et ita idem est inquirere, an ratio personæ dicatur (ut sic loquamur) quidditative de tribus personis? ac quærere, an sit de conceptu formalissimo earum, et non aliquid denominative, aut veluti denominative eis conveniens?

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubium quod primam ejus partem resolvitur.

108. Prima conclusio. Dicendum ergo est primo, rationem personæ divinæ non esse univocam, sed analogam respectu trium personarum relativarum, quæ in Deo reperiuntur. Assertio hæc colligitur ex D. Thoma supra quæst. 3 artic. 5 ubi rejicit a Deo omnem compositionem ex genere et differentia, ac proinde omnem compositionem, quæ sit tanta, quanta prædicta compositio. Si autem in divinis daretur ratio aliqua univoca respectu divinarum personarum, daretur utique in Deo tanta compositio, quanta est compositio Metaphysica ex genere et differentia, ut in hoc dubio explicabimus.

D.Thom.

Idem etiam colligitur ex eodem S. Doctore in eadem q. art. 7 ubi ex Augustino 6 de Trinitate cap. 6 et 7 docet, quod Deus vere, et summe simplex est, idque rationibus confirmat. Si autem ratio personæ in divinis esset communis univoce respectu trium personarum, et per consequens essent ibidem duæ rationes se invicem in suis rationibus formalissimis excludentes, et unicam personam, v. g. Patris, constituentes, tunc non reperiretur in divinis summa simplicitas, ut ex jam dicendis amplius constabit : siquidem daretur ibidem tanta compositio, quanta est compositio generis et differentiæ.

August.

Idem etiam habetur apud S. Doctorem infra q. 40 art. 2 ubi personalitatem, et personam divinam solum distinguit ex parte nostri modi concipiendi, et significandi, non vero virtualiter. Id autem, quod est tantæ simplicitatis, ut in eo non distinguatur abstractum et concretum ob summam sui simplicitatem, est etiam ita simplex, ut rationes communes communitate rationis non distinguantur, adhuc virtualiter, a rationibus quasi differentialibus illius : atque adeo prædictæ rationes communes ibidem repertæ, non poterunt omnino abstrahi a rationibus differentialibus : quod tamen ad rationem univocam desiderabatur.

Hoc ipsum etiam docuit S. Doctor in præsenti quæst. 30 art. 4 in solutione ad 3 ubi inquit, quod personæ divinæ habent unum *esse*, et quod genus, species, aut quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum *esse* differentibus. Hæc autem ratio etiam probat, non dari in divinis rationem univocam communem communitate rationis respectu divinarum personarum, ut in hoc eodem dubio explicabimus. Et tandem hoc ipsum colligitur ex omnibus illis locis, in quibus 1 tomo ex Angelico Doctore diximus, quod omnia illa, quæ in divinis pertinent ad unam et eamdem lineam, non distinguuntur virtualiter : et per consequens unum non potest omnino abstrahi ab alio, ut constat ex ibidem dictis tractatu 3 disput. 4 dubio 1 et 2, et 2 tomo tractatu 4 disp. 2 et tractatu 5 disp. 2 dubio 3 et alibi sæpe. 109.

Quare, cum ratio personæ divinæ, quæ est communis communitate rationis tantummodo respectu divinarum personarum, habeat veluti tripartiri in illis, et illa portio, aut quasi portio correspondens cuilibet personæ divinæ in particulari, ut v. g. Paternitati, spectet ad lineam Paternitatis, ut statim dicemus, inde est, ut non distinguatur virtualiter ab illa, ac proinde nec possit omnino ab eadem abstrahi : quod, ut sæpe diximus, ad univocationem requiritur. Unde hanc sententiam sequun-

tur plures ex junioribus Thomistis. Idem
Scotus. etiam docuit Scotus in 1 dist. 23 q. unica § *Item arguo*,
Molina. Molina supra q. 28 art. 4 in disputatione simili de relationibus in communi, et alii.

§ II.

Ratio prior pro prima assertione.

110. Ratio fundamentalis. D. Thom. Ratio autem fundamentalis pro nostra assertione desumitur ex D. Thoma locis citatis, peculiariter vero ex quæst. 30 hujus 1 p. in solutione ad 3 jam relata, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam tres personæ divinæ secundum suas particulares rationes consideratæ non existunt per existentias realiter distinctas, sed per unicum et idem *esse* divinæ essentiæ, ut loco nuper citato docuit D. Thomas, (D. Thom.) et multis testimoniis ipsius, ac rationibus ex eo desumptis id ostendimus in hoc eodem tractatu disputatione 7 a n. 5 usque ad num. 48 : ergo ratio personæ divinæ non est communis univoce respectu prædictarum personarum.

Patet consequentia. Quoniam illa, quæ conveniunt in aliqua ratione univoca, et postea distinguuntur per distinctas rationes quasi specificas, existunt per distincta *esse*, saltem quoties ratio illa communis et univoca est completa intra suam lineam, et contrahitur, aut quasi contrahitur per aliquam rationem quasi specificam constitutivam alicujus entis completi, ut in præsenti cernitur, ubi ratio personæ divinæ non in communi sumpta dicit aliquid completum, nempe, rationem relationis divinæ per se, et incommunicabiliter subsistentis, et prædicta ratio contrahitur, aut quasi contrahitur per aliquam rationem quasi specificam constitutivam alicujus entis completi, v. g. Patris, seu personæ Paternæ. Et propterea in omnibus entibus completis convenientibus in aliqua ratione univoca, et distinctis secundum speciales rationes specificas aut quasi specificas, habent inferiora sic constituta, et distincta existere per diversas existentias, non vero per unicam et eamdem omnino.

111. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam si in divinis datur ratio aliqua superior et univoca respectu trium personarum, et per consequens omnino abstracta ab illis, dabitur utique ibidem tanta compositio, quanta est compositio Metaphysica ex genere et differentia : ergo eo ipso peculiares personalitates divinæ, quæ dividerent, et contraherent quasi specifice rationem personalitatis divinæ, non possent existere per unicam et eamdem indivisibilem existentiam, sed per diversas. Consequentia videtur perspicua. Quoniam ideo species constantes ex genere et differentia petunt singulæ earum proprias existentias, ut in homine et leone constat quia componuntur ex genere et differentia ; ergo si tanta compositio, quanta ista, reperitur in singulis ex personis divinis, non poterunt existere per unicam et eamdem indivisibilem existentiam, sed per plures.

Antecedens autem videtur etiam certum. Quia vis compositionis Metaphysicæ consistit in hoc, quod detur in re, in qua invenitur duplex ratio virtualiter distincta, quarum una sit potentialis non pertingens ex vi sua ad actualitatem specificam, et ultimam, sed illam a suo formalissimo conceptu excludens, per eamque determinabilis, contrahibilis, et actuabilis alia vero sit actualis, et atoma, prioris illius contractiva et determinativa. Sed totum hoc reperitur in compositione illa, qua persona Patris v. g. in eo eventu componeretur ex ratione personæ divinæ ut sic, et ex peculiari personalitate Patris : siquidem ratio personæ divinæ esset secundum hanc puram, et præcisam rationem quid potentiale, non pertingens ad actualitatem atomam, et peculiarem rationem talis personalitatis : sed habens esse quid contrahibile, determinabile et actuabile per illam : ipsaque peculiaris ratio personalitatis Patris esset ratio quasi specifica et atoma contrahens et determinans, actuansque communem rationem personæ divinæ. Ergo reperietur in divinis in eo eventu tanta compositio, quanta est compositio Metaphysica ex genere et differentia.

Nec obest, si occurras, in hac ratione, et ejus confirmatione reddi non causam, ut causam. Nam quod aliqua conveniant in ratione univoca, vel analoga, non est sufficiens ratio ad hoc, ut habeant, vel non habeant diversas existentias, dum per diversas rationes dividuntur, aut contrahuntur. Et propterea licet ratio entis sit analoga respectu substantiæ, et accidentis : nihilominus, dum hæc ratio intelligitur contrahi ad hæc duo, tanquam ad diversa analogata, tunc quodlibet ex illis existit per suam propriam existentiam. E contra vero, licet ratio substantiæ partialis sit univoce communis respectu materiæ 112. Effugium ad rationem.
et

et formæ, tanquam respectu partium essentialiter distinctarum : nihilominus materia, et forma existunt per unam et eamdem indivisibilem existentiam.

Solutio confirmationis. Per quod etiam ad confirmationem nostræ rationis videtur sufficienter occurri. Nam quod aliquid sit, vel non sit compositum tanta compositione, quanta est compositio Metaphysica, vel habeat compositionem Metaphysicam, non est ratio sufficiens, et proportionata ad hoc, ut habeat, vel non habeat eamdem, vel diversam existentiam ab aliis. Et propterea humanitas Christi Domini, licet sit composita Metaphysice, existit per existentiam Verbi : et per consequens prædicta existentia tribuit humanitati, et Verbo carenti compositione Metaphysica, aut aliqua alia, quæ sit tanta, quanta ista, quod existant per unam et eamdem indivisibilem existentiam. Et ratio hujus insufficientiæ contentæ in confirmatione videtur perspicua. Quoniam multiplicatio, vel identitas existentiæ non sequitur ad compositionem Metaphysicam, sed ad Physicam compositionem, vel simplicitatem : quia existentia pertinet ad lineam Physicam.

113. *Refellitur solutio rationis.* Non itaque hæc obstant. Nam solutio hæc, quatenus applicatur rationi principali, facile corruit ex discrimine, quod intercedit inter univoca, et univocata ex uno capite ; et inter analoga, et analogata ex alio. Quod licet tam illa, quam ista, ob peculiarem aliquam rationem et limitationem ibidem inventam, debeant hoc ipso, quod contrahantur, aut quasi contrahantur per diversos modos, aut rationes differentiales, aut quasi differentiales, existere in suis inferioribus completis per diversas existentias : nihilominus analoga, et analogata ex ratione communi analogorum, et analogatorum non habent aliquid, unde limitentur et finiantur, ac proinde unde eis repugnet, quod existant sua analogata realiter inter se distincta per unam et eamdem indivisibilem existentiam; cum tamen univoca ex generali ratione univocorum, et univocatorum habeant hoc ipso quod sint completa, et dividantur per distinctos modos, et rationes quasi differentiales, finiri et limitari, et per consequens petere, non unicam, sed plures existentias sibi connaturales.

114. Et ratio hujus discriminis videtur aperta. Quoniam ratio analoga et communis communitate rationis, de qua in præsenti loquimur, nihil habet ex hoc capite, unde ei repugnet, quod absque distinctione aliqua virtuali pertingat usque ad rationem omnino ultimam, per quam contrahitur : ita quidem, ut divisa in sua analogata, tunc portio illa, quæ descendit ad unum analogatum, possit non distingui, adhuc virtualiter, a rationibus ultimis et actualissimis illius, et sic de alia portione reperta in alio analogato. Et ideo, si ratio illa ultima fuerit denudabilis ab imperfectionibus, non habebit, quantum est ex parte hujus identificationis, unde non sit denudabilis, aut denudata ab illis, nec unde dicat aliquid potentiale, aut non contrahatur, aut quasi contrahatur per rationes quasi differentiales liberas ab omnibus imperfectionibus, et per consequens unde finiatur aut limitetur : ideoque nec habet, unde ei repugnet, quod in suis analogatis completis existat per diversas existentias. Quia sola limitatio, solaque potentialitas potest esse ratio in entibus completis vendicandi sibi propriam existentiam, distinctam ab existentia aliorum contentorum sub aliqua ratione communi, et non existendi per unicam et indivisibilem existentiam una cum illis : ex eo quod sola existentia infinita potest esse connaturalis pluribus rebus completis in suo ordine, et ratio existendi respectu earum.

Cæterum ratio univoca, et omnino abstracta a rationibus ultimis dicentibus actualitatem atomam ex vi sua, est quid potentiale, quippe non pertingens ex vi sui conceptus formalissimi præcise sumpti usque ad aliquam actualitatem atomam, sed illam a suo conceptu cum prædicta præcisione accepto excludens. Et similiter rationes ultimæ habent excludere, eodem proportionali modo, rationem superiorem et univocam a suo formalissimo conceptu, sicut actus sub hac præcisione sumptus excludit potentialitatem illam, quam actuat. Et propterea ex hoc præciso capite univocorum et univocatorum est ibi sufficiens ratio in hoc ordine limitationis, et coarctationis ad hoc, ut univocata petant existentias finitas et limitatas, nec possint petere unicam et eamdem indivisibilem existentiam, quæ hoc ipso, quod sit talis conditionis, ut per illam connaturaliter existant diversæ species, aut quasi species completæ, debet esse infinita, et petere, ut id, quod per illam connaturaliter exstiterit, nihil habeat, unde finiatur et limitetur.

115. Præcluditur evasio confirmationis. Ex quo etiam fit, prædictam solutionem, quatenus applicatur confirmationi nostræ rationis, nullius esse momenti. Quoniam sicut compositio Metaphysica est sufficiens ratio in suo ordine limitationis et coarctionis in re, in qua invenitur : et propterea inter entia completa solus Deus caret compositione Metaphysica, et omnis creatura hoc ipso, quod sit creatura habens esse completum, et creatum, ac proinde finitum, debet habere prædictam compositionem : ita compositio, quæ est tanta, quanta compositio Metaphysica, debet esse sufficiens ratio in suo ordine limitationis et coarctationis, petendique existentiam distinctam, eamque limitatam : quod quidem pugnat cum hoc, quod est, quod plures aliquæ res completæ, et realiter distinctæ habentes prædictam compositionem existant per unicam et eamdem, ac proinde infinitam existentiam.

116. Explicatur amplius. Potestque hoc confirmari, et explicari. Nam si semel datur in divinis compositio tanta, quanta est compositio Metaphysica, oportet, dari ibidem compositionem physicam : ac proinde potiori ratione compositionem Metaphysicam. Et ratio est. Quoniam sicut *esse* Metaphysicum supponit *esse* Physicum : ita et compositio Metaphysica præsupponit aliquam compositionem Physicam ut compositionem ex materia, et forma, vel ex essentia, et *esse* : et per consequens compositio, quæ sit tanta, quanta compositio Metaphysica ex genere, et differentia, præsupponet etiam compositionem aliquam Physicam. Quia non datur in Physicis compositio æquivalens compositioni Physicæ, quæ sit tanta, quanta ipsa, et quod nihilominus non habeat formaliter veram rationem compositionis Physicæ : ideoque res, ubi est prædicta compositio æquivalens compositioni Metaphysicæ, non sistet in illa priori compositione, sed ulterius habebit hanc posteriorem. Siquidem ubi est aliqua compositio Physica, quæ ad minus erit ex essentia, et *esse*, est sufficiens fundamentum ad compositionem Metaphysicam, ut optime docent N. Complutenses in sua Logica disput. 5 q. 6. Et ita ibidem invenietur vera limitatio, et potentialitas, atque adeo ineptitudo ad hoc, ut possit connaturaliter existere per unicam et eamdem existentiam una cum aliis rebus completis, et a se quasi specifice diversis, sub unaque ratione univoca una cum illa proxime contentis. Ex eo quod, ut sæpe diximus, solæ rationes infinitæ, et expertes totius compositionis jam dictæ, petentesque existentiam infinitam, possunt per unam et eamdem omnino indivisibilem existentiam sic connaturaliter existere. Videantur ea, quæ N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 18 a num. 17 usque ad 23 docent.

N. Compl.

117. Non favent instantiæ adductæ in evasione. Nec ea, quæ in favorem hujus solutionis adduximus, sunt alicujus momenti. Nam in primis id, quod dictum est de divisione entis, nempe creati, in substantiam, et accidens, quæ est divisio analogi in analogata, et nihilominus analogata existunt per distinctas existentias, facile constat ex dictis. Quia id non provenit ex communi ratione analogi, et analogatorum realiter inter se distinctorum, sed ex speciali ratione talis analogi, et talium analogatorum, quæ ob sui limitationem non possunt hoc ipso, quod sint realiter distincta, non habere existentias finitas et limitatas, realiterque distinctas. Cum tamen, si ratio illa communis communitate rationis esset univoca, tunc ex hoc præciso capite induceret limitationem, et quod in diversis univocatis realiter distinctis, et completis existat per diversas realiter existentias.

Et similiter id, quod de materia et forma adductum est, nihil prodest. Quoniam etsi daremus, materiam, et formam convenire univoce in aliqua ratione superiori et essentiali (de quo videnda sunt ea, quæ N. Complutenses in libris Physicorum disput. 3 num. 38 et 39 docent) nihilominus ex eo, quod ipsæ adhuc tunc existerent per eamdem indivisibilem existentiam totius, non sequeretur, posse tres personas divinas convenire univoce in ratione personæ divinæ, et nihilominus existere per eamdem indivisibilem existentiam. Siquidem materia et forma sunt quid incompletum, habentque veram rationem partium, et istæ ob rationem hanc possunt connaturaliter existere per idem *esse* sui totius, quantumvis sit finitum et limitatum. Cæterum quævis persona divina intra suam lineam est quid completum, sicut quævis relatio creata paternitatis, aut filiationis est etiam quid completum, id est, non potest habere rationem partis respectu alterius relationis. Constat autem ex dictis, quod res illæ, quæ habent (modo explicato) esse quid completum nequeunt connaturaliter existere per unam et eamdem indivisibilem existentiam, si semel conveniant

conveniant univoce in aliqua ratione superiori, et essentiali.

118. Per quod etiam patet ad id, quod de humanitate, et Verbo divino allatum est. Tum, quia humanitas illa per se petit propriam et naturalem existentiam, sicut et Verbum actu illam affert : et ideo solum ex divino decreto, et supernaturaliter, non vero connaturaliter, existit humanitas per existentiam Verbi. Tum etiam, quia Verbum, et humanitas tantum conveniunt analogice, adhuc in ratione extremi unibilis in ordine ad constituendam personam Christi Domini : sicut etiam eadem humanitas, et personalitas creata illi debita conveniunt tantummodo analogice in ratione extremi unibilis in ordine ad constitutionem personæ creatæ et humanæ. Quamvis hæc duo posteriora extrema (ut id obiter dicamus, et tacitæ objectioni occurratur) ex alio etiam capite possent existere per unicam existentiam, licet daremus convenire univoce in ratione extremi unibilis. Nam, hoc non obstante, unumquodque ex his extremis esset quid incompletum, id est, non pertingens ad complementum requisitum ad hoc, ut petat propriam existentiam, quatenus humanitas per se sumpta non haberet subsistere, et personalitas tantum subsisteret *ut quo* : cum tamen singulæ ex personis divinis sint formæ, aut quasi formæ per se subsistentes, et relationes completæ afferentes propriam subsistentiam, quæ proinde non solum sunt ipsa personalitas, sed ipsa persona. Et propterea si convenirent univoce in ratione personæ, non possent existere per unicam et eamdem existentiam.

Ex quo tandem patet, quomodo id, quod in favorem solutionis ad nostram confirmationem adductum est, nihil ei favet. Siquidem compositio Metaphysica, aut compositio quæ sit tanta, quanta compositio Metaphysica, est sufficiens in suo ordine ad hoc, ut res, quæ illam habent, et conveniunt univoce in aliqua ratione superiori, non possint existere per unicam et eamdem indivisibilem numero existentiam. Et quomodo prædicta compositio arguat compositionem physicam ibidem simul existentem, quæ est satis ad petendam diversam existentiam.

§ III.

Alia ratio pro priori assertione.

Secunda, et principalis ratio pro assertione depromitur ex D. Thoma locis citatis, quæ potest sub hac forma proponi. 119. Secunda assertionis ratio.
Quoniam in quavis ex personis divinis non distinguuntur virtualiter ratio personæ divinæ, et peculiaris ratio talis personæ, v. g. Patris : ergo ratio personæ divinæ non erit omnino abstrahibilis a peculiaribus personis divinis : et per consequens neque erit ratio univoca respectu illarum. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Siquidem ratio univoca debet omnino abstrahi a rationibus inferioribus, ita ut non dicat eas actu, sed tantum in potentia : alioqui non diceret rationem omnimode unam, sed rationem unam secundum quid, et plures simpliciter : quippe actu includens plura inferiora. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quoniam ad hoc, ut una ratio abstrahatur omnino ab alia, debent inter se saltem virtualiter distingui, ut inductive constat, et ex terminis ipsis patere videtur.

Antecedens autem etiam liquet. Quoniam ea, quæ in divinis sunt communia communitate rationis, qualiter persona divina est communis respectu trium personarum, pertinent ad unam et eamdem lineam cum iis, in quibus includuntur : ita quidem, ut illa ratio communis divisa in distinctas quasi portiones descendat secundum unam ad unum ex suis inferioribus, et secundum aliam ad alterum, et in unoquoque pertineat ad lineam sui inferioris : et per consequens non distinguetur virtualiter ab illo : siquidem (ut sæpe diximus) ea, quæ spectant in divinis ad unam et eamdem lineam, non distinguuntur adhuc virtualiter. Et propterea videmus, quod ratio realitatis divinæ ut sic, quæ tantum est communis communitate rationis respectu omnium divinorum, dividitur in distinctas quasi portiones, et secundum unam descendit ad unum attributum, et secundum aliam ad alterum, sic de aliis, et in unoquoque eorum non distinguitur etiam virtualiter ab illo, pertinetque ad lineam ipsius.

Confirmatur, et explicatur ratione, quam insinuat D. Thomas art. 4 q. 30 hujus tractatus ex discrimine, quod intercedit inter ea, quæ sunt communia communitate rei, ut est v. g. essentia divina ; et 120. Confirmatur. D.Thom.

inter illa quæ sunt communia tantum communitate rationis. Quod illa priora ex se constituunt in divinis propriam lineam : ex eo quod pertingunt usque ad aliquam ultimam actualitatem absque eo, quod aliquid eis superaddatur ratione eorum, quibus sunt communia : et ideo habent distingui virtualiter ab eis, quibus sunt communia. Cæterum ea, quæ sunt communia posteriori modo, non habent ex se constituere propriam lineam : ex eo quod non pertingunt ad aliquam ultimam actualitatem, nisi ratione eorum, quibus sunt communia : et propterea pertinent ad lineam suorum inferiorum : ac proinde eo ipso exposcunt, ut non distinguantur virtualiter ab illis.

Quare, cum persona divina tantum sit communis communitate rationis, non vero communitate rei respectu trium personarum : alioqui non multiplicaretur realiter in illis, sicut essentia divina, et alia communia communitate rei non multiplicantur : idcirco prædicta ratio personæ divinæ pertinet ad lineam, v. g. Patris, si ratio illa personæ consideretur secundum eam portionem, aut quasi portionem, quæ descendit ad personam Patris : ac proinde nec distinguetur virtualiter ab illa : siquidem (ut sæpe diximus) omnia, quæ spectant ad unam et eamdem lineam, nequeunt virtualiter distingui : et ita nec ratio personæ, aut personæ divinæ, aut peculiaris (ut sic dicamus) portionis repertæ in persona Patris poterit abstrahi omnino ab illa : ne rationes istæ ibidem inventæ distinguantur virtualiter a Patre, et eo ipso constituant lineam diversam et involutam imperfectionibus, quippe non pertingentem ad aliquam actualitatem ultimam, et quasi atomam.

121. Aliorum ratio expenditur. Ex quo etiam intelligitur, quam vim habeat ratio quædam, quæ a sectatoribus nostræ sententiæ solet afferri ad assertionem istam suadendam, nimirum, quod ab ultimis constitutivis et distinctivis non potest abstrahi una ratio communis et univoca : ac proinde nec a tribus personis Trinitatis poterit abstrahi ratio univoca personæ divinæ : quia hæc abstraheretur ab ultimis constitutivis et distinctivis prædictarum personarum. Ex dictis igitur constat, quam vim habeat prædicta ratio. Nam debet intelligi de eo, quod abstrahitur ab ultimis constitutivis et distinctivis et debet pertinere ad eamdem indivisibilem omnino lineam : et per consequens nequit distingui virtualiter ab eis. Nam prædicta ratio, quippe indistincta virtualiter a constitutivis et distinctivis, nequit omnino abstrahi ab illis ; sed ex parte rei conceptæ et abstractæ debet illa secum actu, saltem implicite, ferre : et sic non potest esse ratio univoca respectu suorum inferiorum. Unde prædictum argumentum innititur, tanquam in proprio et solido fundamento, in ratione a nobis ex Angelico Doctore adducta.

Et similiter hinc etiam colligitur impugnatio solutionis, quam adversarii tradunt prædictæ rationi, nempe, quod regula illa docens, quod ab ultimis constitutivis et distinctivis non potest abstrahi ratio communis univoca, debet intelligi de illis, ut formalissime constitutiva et distinctiva sunt; non vero, ut in *esse* rei considerantur : quia sic potest esse in illis multiplex ratio, ut in præsenti cernitur. Quoniam ratio Patris in *esse* rei sumpta dicit, tam subsistere incommunicabiliter in natura divina, quam subsistere speciali modo, nempe, respiciendo Filium : et ideo potest ratio illa prior omnino abstrahi a Patre, et a duabus aliis personis, et esse communis univoce respectu illarum. 122. Evasio.

Ex dictis igitur etiam colligitur efficax hujus solutionis impugnatio. Quoniam (ut dicebamus) quidquid in recto pertinet ad rationem personæ Patris, tanquam quid (ut sic dicamus) essentiale illi, et commune communitate rationis respectu illius, sive id ad ordinem rerum, sive ad ordinem constitutivi et distinctivi pertineat, est ejusdem lineæ cum Paternitate. Et propterea nequit, adhuc virtualiter, distingui ab illa : et per consequens nec omnino ab eadem præscindi. Quod tamen, ut sæpe diximus, ad rationem univoci desideratur. Exploditur.

§ IV.

Ex sententia ejusdem Angelici Præceptoris difficultas dubii quoad secundam partem alia assertione expeditur.

Dicendum est secundo, rationem personæ divinæ, licet analogice tantum communem respectu trium personarum divinarum, nihilominus dici (ut sic loquamur) quidditative de illis, seu esse de conceptu formali earum ; non vero aliquid denominative, aut veluti denominative eis conveniens. Assertio hæc satis colligitur ex D. Thoma in præsenti quæst. 30 art. 4, eamque 123. Assertio secunda. D.Thom.

que communiter tuentur ejus discipuli. Et ideo a singulis in particulari referendis abstinemus.

Ratio fundamentalis. D.Thom. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis deducitur ex D. Thoma loco citato, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam persona divina dicitur de tribus personis eo modo, quo individuum vagum de individuis determinatis : sed individuum vagum dicitur (ut sic dicamus) quidditative de individuis determinatis : ergo etiam ratio personæ divinæ dicetur hoc modo de tribus personis divinis. Consequentia videtur perspicua. Minor autem etiam constat. Quoniam in ratione formali hujus hominis, v. g. Petri, includitur, quod sit quidam homo. Et propterea si semel auferretur ab hoc homine, quod esset quidam homo, tolleretur etiam, quod esset hic homo.

Major autem probatur a D. Thoma sic. Nam sicut individuum vagum significat naturam communem cum determinato modo essendi, seu individuum ex parte naturæ cum modo existendi, qui competit singularibus, realiter, quod in recto dicat hunc modum, quatenus prædictum individuum nomine isto *individui vagi* significatur : sic persona divina significat rem subsistentem in natura divina, ita ut dicat in recto subsistentiam, et *subsistere* ipsum, quod quodammodo se habet ad instar modi superadditi naturæ, et in obliquo naturam : ergo persona divina dicitur de tribus personis eo modo, quo individuum vagum dicitur de individuis determinatis.

124. Confirmatur primo. Confirmatur primo ex eodem Angelico Doctore. Quoniam sub persona divina ut sic directe continetur hæc particularis persona, sicut sub animali ut sic directe continetur Petrus : ergo sicut ob hanc rationem hæc est quidditativa prædicatio, *Petrus est animal* : ita ob eamdem hæc erit quodammodo quidditativa : *Hæc persona divina est persona divina*, et solum deficiet a ratione quidditativa absolute et simpliciter tali ex eo, quod ratio importata directe et formaliter per personam divinam non est absolute, et simpliciter quidditas, ut explicatum est.

Confirmatur secundo. D.Thom. Confirmatur secundo ratione deprompta ex eodem Angelico Doctore, quaest. 40 hujus 1 part. art. 2 et supra quaest. 29 artic. 4. Quoniam sicut peculiaris persona divina dicit peculiarem relationem divinam per se subsistentem : ita persona divina ut sic dicit relationem divinam ut sic, quatenus per se subsistentem, ut ibidem latius explicuimus : sed relatio divina ut subsistens dicitur (ut sic loquamur) quidditative de peculiaribus relationibus divinis per se subsistentibus : sicut relatio creata ut sic dicitur quidditative de peculiaribus relationibus creatis, ut de paternitate et filiatione : ergo etiam ratio personæ divinæ dicetur (ut sic loquamur) quidditative de peculiaribus personis divinis.

Nec obest, si contra præcipuam rationem hujus assertionis objicias, quod individuum vagum, ut *aliquis homo*, prædicatur etiam univoce, ut docent N. Complutenses in sua Logica disp. 4 n. 51 et non solum quasi quidditative, de individuis determinatis : ergo si persona divina prædicatur (ut sic dicamus) quidditative de peculiaribus personis, prædicabitur etiam univoce de illis : et sic hæc posterior assertio non cohærebit cum priori. 125. Objectio contra rationem. N. Compl.

Non igitur hoc obest. Quoniam etsi persona divina prædicetur de singulis personis divinis ad instar individui vagi : non tamen ita ut sit omnimoda paritas inter eam, et individuum vagum. Et ideo, licet daremus, individuum vagum dici univoce de individuis determinatis, non inde fieret, idem esse dicendum de persona divina, propter rationem disparitatis, quæ ex dictis non prima assertione satis constat. Sicut etiam licet daremus, personam creatam dici univoce de singulis personis creatis : non tamen idcirco dicendum esset idem de persona divina collata cum singulis personis divinis, ut explicatum est. Enodatur.

§ V.

Proponitur prior ex oppositis sententiis, una cum primo fundamento, eique occurritur.

Contra nostram tamen sententiam duæ militant opiniones. Prima, quæ contra priorem assertionem procedit, est, personam divinam dici univoce de singulis personis divinis. Ita Cajetanus in præsenti quaest. 30 art. 4, Nazarius ibidem controversia unica. Probatur primo testimonio satis apparenti D. Thomæ in 1 dist. 25 quaest. 1 artic. 3, ubi Angelicus Præceptor refert, et impugnat sententiam dicentium, personam divinam dici analogice analogia proportionalitatis de tribus personis divinis : et postea asserit, quod est communis sicut ratio animalis est communis homini et asino. 126. Opinio contraria primæ assertioni et ejus primum fundamentum. Cajetan. Nazar. D Thom.

Confirmatur ex iis, quæ docet idem S. Confirm.

D.Thom. Doctor ad Annibaldum distinct. et quæst. necnon et articulo citatis, ubi postquam retulit, et impugnavit sententiam dicentium, personam divinam dici analogice de tribus personis divinis, sic concludit : *Ideo dicendum est aliter, quod hæc communitas est per unam rationem rei, sicut ratio animalis est communis homini et asino.*

Animadversio pro solutione. Propter hoc testimonium aliqui viri docti opinantur, hanc sententiam esse de mente D. Thomæ, eamque amplectuntur. Et ideo placuit ex professo, quid in eo S. Doctor velit minutatim explicare. Ut autem hoc melius intelligatur, supponendum est, Angelicum Doctorem in his locis duas retulisse sententias. Prima erat asserentium, personam divinam dici analogice analogia proportionis, sive proportionalitatis de tribus personis divinis : ita tamen, ut ratio analogice communis esset relatio quædam rationis, qua persona divina refertur ad divinam naturam, in qua subsis-
D.Thom. tit. Et propterea referens S. Doctor hanc sententiam sic inquit : *Unde alii dicunt, quod est communitas secundum rationem proportionis : sicut dicimus, quod sicut se habet Rector in civitate, ita nauta in navi. Et sic dicunt quod persona est communis Patri et Filio : qua sicut Pater se habet ut subsistens ad naturam divinam, ita et Filius.*

127. Secunda sententia, quam refert idem Angelicus Præceptor, est dicentium, personam divinam dici analogice : ita ut ratio analoga tantum sit aliqua secunda intentio rationis, sicut color et animal habent convenientiam in secunda intentione generis. Et propterea Angelicus Præceptor sic addidit : *Alii dicunt, quod est communitas secundum rationem intentionis : sicut dicitur, quod color et animal conveniunt in intentione generis.* Et de his duabus opinionibus censet in idem referri, seu coincidere : quia utraque ponit pro ratione analoga aliquid rationis, et utraque ponit idem genus proportionis, sive proportionalitatis, nempe, communis ad proprium, vel proprii ad commune : quatenus, sicut propria et peculiaris persona Patris, v. g. se habet ad naturam divinam communem tribus personis in illa sua habitudine rationis, quam dicit ad illam, ita et Filius : et similiter sicut se habet persona Patris ad illam secundam intentionem communem, ita et persona Filii : ad eum sane modum, quo sicut propria et peculiaris natura animalis se habet ad secundam intentionem generis, quæ est quid commune, sic et natura peculiaris coloris se habet ad illam : ideoque S. Doctor sic inquit : *Sed hæc duo dicta in idem referuntur : quia communitas intentionum non est, nisi secundum proportionem communis ad proprium, vel e contrario.*

128. Ex dictis aperitur mens D. Thomæ et solvitur fundamentum. His ergo suppositis, dicendum est, mentem Angelici Doctoris, dum impugnat prædictas sententias, non esse impugnare eas, quatenus ponunt, personam divinam esse analogam respectu trium personarum, sed quatenus dicunt, rationem analogam tantum esse relationem illam rationis, aut aliquam aliam secundam intentionem; non vero esse aliquam rationem rei. Unde ad prædictas sententias impugnandas statim protulit Angelicus Præceptor : *Et hoc etiam* D.Thom. *non videtur sufficere. Quia persona non tantum nominat intentionem, vel habitudinem alicujus subsistentis ad naturam communem sicut hoc nomen suppositum* (intellige juxta alibi insinuata) *vel particulare, vel aliquid hujusmodi; sed magis nominat illam rem, cui accidit talis intentio. Unde communitas personæ in divinis non potest esse secundum communitatem talis habitudinis, vel intentionis; sed ista communitas est, qua hoc nomen suppositum commune est tribus personis divinis. Et ideo aliter dicendum est, quod præter hos communitates, quæ aliquo modo includuntur in communitate personæ* (de quibus in duabus sententiis nuper relatis sermo fiebat) *est ibi communitas rationis fundata in re : sicut dicimus, quod ratio animalis est communis homini et asino.*

Unde exemplum hoc de animali respectu hominis et asini solum est adductum a D. Thoma ad explicandum id, quod intendebat, nempe, quod communitas, quam dicit persona divina, est communitas rationis fundata in re; non vero est communitas talis conditionis, ut ratio, quæ communis dicitur, solum sit aliqua relatio rationis, aut aliqua secunda intentio. Et propterea, postquam præcise dixerat quod est *ibi communitas rationis fundata in re*, statim apposuit prædictum exemplum animalis : ut denotaret, illud ad communitatem rationis fundatam in re, solummodo denotandam deservire.

129. Ad confirmationem. Per quod etiam patet ad confirmationem. Nam Angelicus Præceptor in illo loco antea præmiserat duas illas opiniones, de quibus mentionem fecimus, et eas impugnat eo modo, quo in præcedenti loco illas impugnavit, nempe ex eo, quod hoc nomen *personæ* magis est nomen primæ impositionis,

positionis, seu nomen rei : et statim addidit verba in confirmatione relata, nempe : *Ideo dicendum est aliter, quod hæc communitas est per unam rationem rei sicut ratio animalis est communis homini et asino.* Unde non dixit, esse unam rationem rei, prout una ratio rei, seu fundata in re est propria univocorum; sed prout una ratio rei dicit præcise unitatem rationis fundatam in re : ita ut ratio, quæ dicitur communis, et habet illam unitatem secundum rationem, sit ratio aliqua realis; non vero aliqua relatio rationis, aut secunda intentio, ut duæ illæ sententiæ volebant, quodque falsitatis convincere S. Doctor ibidem intendebat.

Esse autem in utroque loco hanc Doctoris Angelici mentem, satis, ultra modo dicta, constat ex his, quæ pro assertione diximus. Quoniam utrobique in solutione ad 2 fatetur, personas divinas habere unum et idem *esse* existentiæ : et ideo rationem personæ non posse esse illis communem per modum universalis. Hæc autem ratio, ut in prima ratione pro prima assertione latius ex D. Thoma diximus, non solum probat, personam divinam non esse communem per modum alicujus ex quinque prædicabilibus, verum etiam nec esse communem per modum univoci.

§ VI.

Aliud argumentum pro hac sententia una cum responsione ad illud.

130. Secundum fundamentum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam ratio personæ divinæ æqualiter competit tribus divinis personis, ut constat ex iis, quæ disp. 6 num. 24 diximus : alioqui una divina persona esset melior et perfectior altera : ergo ratio personæ nequit esse analoga, analogia adhuc proportionalitatis, respectu prædictarum personarum. Patet consequentia. Quia omnis analogia fundatur in aliqua inæqualitate.

Nec obest, si occurras, hoc esse verum de analogia attributionis, non autem de analogia proportionalitatis : quoniam hæc non habet pro fundamento per se loquendo inæqualitatem aliquam; sed tantum petit habitudinem inter duas proportiones, ita ut sicut unum se habet ad alterum, ita aliud se habeat ad illud.

Non itaque hoc obest. Quoniam contra hoc est. Quia hinc fieret, proportionalitatem non esse speciem analogiæ : cujus oppositum sensit Aristoteles, dividens analogiam in eam, quæ est attributionis, et in illam, quæ est proportionalitatis. Sequela videtur certa. Quoniam analoga in communi diffiniuntur per hoc, quod ratio communis nec sit omnino eadem, nec omnino diversa. Ad hanc autem unitatem cum diversitate necessario requiritur aliqua inæqualitas. Aristotel.

131. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam ens dicitur analogice analogia proportionalitatis de Deo, et creaturis, et similiter de substantia, et accidentibus : siquidem ratio significata per nomen entis reperitur formaliter, et intrinsece in omnibus membris dividentibus : et hæc est propria differentia constituens analogiam proportionalitatis, prout distinctam ab analogia attributionis : at prædicta ratio entis dicitur inæqualiter de istis, etiam prout fundat hujusmodi analogiam : quia nulla ratio communis importata per illud nomen reperitur, in qua conveniant æqualiter Deus, et creatura, substantia, et accidens : ergo, etc.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quia ubi est omnimoda convenientia, non est proportionalitas, sed omnimoda unitas secundum rationem illam communem : et ita ibidem non erit fundamentum analogiæ, sed univocationis : sed personæ divinæ habent omnimodam convenientiam in ratione personæ ut sic : ergo ibi non est proportionalitas, sed omnimoda unitas : et per consequens tantum erit ibi fundamentum univocationis, non autem analogiæ. Utraque consequentia videtur perspicua. Minor vero etiam constat. Quoniam eodem prorsus modo, quo Pater se habet ad personam divinam, se habet etiam Filius ad illam.

Major autem probatur. Quia si dicas : *Sicut se habet homo ad rationem animalis, ita se habet equus ad illam*, hæc comparatio non est proportionalis, sed omnimode eadem secundum illam rationem communem : quia est ibidem omnimoda convenientia, et propterea ibi non est proportionalitas, quæ est certa habitudo duarum proportionum, sed omnimoda unitas illarum. E contra vero, quando in ratione communi significata per nomen non est omnimoda convenientia, sed solum proportio, tunc est ibidem analogia proportionalitatis; etiamsi non detur analogia attributionis, ut si dicas : *Sicut se habet cor ad rationem principii, sic se habet fundamentum domus, vel initium viæ.*

132. Dissolvitur secundum fundamentum. Respondetur, admittendo solutionem datam. Et ad impugnationem neganda est sequela. Ad ejus autem probationem dicendum est satis esse ad salvandam unitatem cum diversitate requisitam ad communem rationem analogorum, quod ratio communis nequeat omnino abstrahi a suis rationibus (ut sic dicamus) differentialibus, ad hoc ut illa ratio, quippe includens actu rationes quasi differentiales, non sit eadem omnino, sed sit partim eadem, et partim eadem diversa, ut ex se constat. Quare, cum ratio personæ divinæ nequeat omnino abstrahi a singulis ex personis divinis, ut explicatum est, consequens est, ut ibi satis salvetur unitas cum diversitate, nec sit necessaria aliqua inæqualitas in perfectione.

Enodatur confirm. prima. Ad primam confirmationem concedantur major et minor, et negetur consequentia. Quia etsi ibidem reperiatur inæqualitas, non ideo hoc contingit, quia id desideretur ex intrinsecis analogiæ proportionalitatis ut sic, sed aliunde. Quoniam ad prædictam analogiam satis est quoad rem, de qua loquimur, unitas cum diversitate in proportionibus.

133. Necnon et secunda. Ad secundam confirmationem transeat major, et negetur minor. Et ad ejus probationem dicendum est, quod non eodem prorsus modo, quo Pater se habet ad personam divinam, sic Filius se habet ad illam; sed comparantur ad ipsam modo partim eodem, et partim diverso. Nam in convenientia quam habent, necessario involvuntur actu ipsæmet rationes quasi differentiales Paternitatis et Filiationis, hoc ipso, quod ratio personæ divinæ non sit omnino præscindibilis a prædictis rationibus quasi differentialibus : et ita invenitur ibidem convenientia cum diversitate. Diximus autem, quod transeat major, non vero illam absolute concessimus, propter illa, quæ N. Complutenses in sua Logica disp. 10 quæst. 4 maxime vero n. 25 et deinceps docent, quæ semel visa non parum ad intelligentiam hujus, et similium difficultatum proderunt. N. Compl.

§ VII.

Posterior sententia contra secundam assertionem, una cum suo fundamento et ejus solutione.

134. Secunda vero opinio, quæ contra nostram sententiam quoad secundam ejus conclusionem pugnat, negat, personam divinam dici quasi quidditative de singulis personis : ac proinde affirmat, solum dici de illis denominative. Ita Vasquez in præsenti disp. 130 c. 2. Fundamentum est. Quod persona divina dicit de formali modum incommunicabilitatis, seu incommunicabiliter subsistendi : subsistentia autem denominative solum convenit primis, et secundis substantiis : quippe quæ se habent ad instar propriæ passionis respectu prædicamenti substantiæ : ergo ratio personæ divinæ, seu incommunicabiliter subsistentis denominative solum dicetur de singulis divinis personis. Secunda sententia. Vasquez. Fundamentum.

Respondetur, quod licet persona dicat de formali subsistere incommunicabiliter, et hoc in creatis comparetur ad instar propriæ passionis, vel quasi propriæ passionis respectu essentiæ : non tamen respectu particularium personarum, sed respectu earum comparatur per modum prædicati (ut sic dicamus) quidditativi. Sicut licet qualitas materialis comparetur per modum propriæ passionis, sive ad instar illius cum substantia materiali, quippe quæ semper, ipsaque sola debet esse affecta aliqua qualitate materiali : nihilominus qualitas comparatur per modum prædicati essentialis respectu peculiarium qualitatum. Evertitur.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XXXII

De divinarum personarum cognitione.

PROOEMIUM

Consequenter inquirendum est de cognitione divinarum personarum.

ARTICULUS I.

Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci. Philosophi enim non devenerunt in Dei cognitionem, nisi per rationem naturalem. Inveniuntur autem a Philosophis multa dicta de Trinitate personarum. Dicit enim Aristoteles * in 1 de cœlo et mundo : Per hunc numerum (scilicet ternarium) adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata. Augustinus etiam dicit 7 confessionum *. Ibi legi scilicet in libris Platonicorum) non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et hujusmodi, quæ ibi sequuntur. In quibus verbis distinctio divinarum personarum traditur. Dicitur etiam in Glossa Rom. 1 et Exodi 7 quod Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, idest in notitia tertiæ personæ, scilicet Spiritus sancti : et sic ad minus duas cognoverunt. Trismegistus etiam dixit * : Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit ardorem. Per quod videtur generatio Filii, et Spiritus sancti processio intimari. Cognitio ergo divinarum personarum potest per rationem naturalem haberi.

2. Præterea, Richardus de Sancto Victore dicit in lib. de Trinitate * : Credo sine dubio, quod ad quamcumque explanationem veritatis, non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non desint. Unde etiam ad probandum Trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis divinæ, quæ se ipsam infinite communicat in processione divinarum personarum. Quidam vero per hoc, quod nullius boni sine consortio potest esse jucunda possessio. Augustinus * vero procedit ad manifestandum Trinitatem personarum ex processione verbi, et amoris in mente nostra. Quam viam supra secuti sumus *. Ergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas personarum.

3. Præterea, superfluum videtur homini tradere, quod humana ratione cognosci non potest. Sed non est dicendum, quod traditio divina de cognitione Trinitatis sit superflua. Ergo Trinitas personarum ratione humana cognosci potest.

Sed contra est, quod Hilarius dicit in lib. 1 de Trinitate * : Non putet homo sua intelligentia generationis sacramentum posse consequi. Ambrosius * etiam dicit : Impossibile est generationis scire secretum : mens deficit, vox silet. Sed per originem generationis, et processionis distinguitur Trinitas in personis divinis, ut ex supra dictis patet *. Cum ergo illud homo non possit scire, et intelligentia consequi, ad quod ratio necessaria haberi non potest, sequitur, quod Trinitas personarum per rationem cognosci non possit.

Respondeo dicendum, quod impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire. Ostensum est enim supra *, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. Et hoc fundamento usi sumus supra * in consideratione Dei. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati : unde pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem essentiæ : non autem, quæ pertineant ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Unde Apostolus dicit ad Hebræos 11 quod fides est de non apparentibus, et Apostolus dicit 1 Corinthiorum 2 c. : Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam vero, non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per authoritates, his, qui authoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere, non esse impossibile, quod prædicat fides. Unde Dionysius * dicit 2 c. de divinis nominibus : si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistit, longe erit a nostra Philosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum, scilicet sacrorum, respicit, hoc et nos canone utimur.

* Q. 12 art. 12.

* Cap. 2 non multum remote a princ.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophi non cognoverunt mysterium Trinitatis divinarum personarum per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, et Processio, secundum illud Apostoli 1 ad Corinth. 2 : Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum hujus sæculi cognovit, idest Philosophorum, secundum Glossam. Cognoverunt tamen quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto, ut infra patebit. Quod ergo Aristoteles dicit : Per hunc numerum adhibuimus nos ipsos, etc. non est sic intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis. Sed vult dicere, quod Antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis et orationibus, propter quamdam ternarii numeri perfectionem. In libro etiam Platonicorum invenitur : In principio erat verbum, non secundum quod verbum significat personam genitam in divinis; sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur. Et licet appropriata tribus personis cognoscerent : dicuntur tamen in tertio signo defecisse, idest, in cognitione tertiæ personæ : quia a bonitate, quæ Spiritui sancto appropriatur, deviaverunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ut dicitur Rom. 1. Vel, quia ponebant Platonici unum primum ens, quod etiam dicebant esse Patrem totius universitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel Paternum intellectum, in qua erant rationes omnium rerum, sicut Macrobius * recitat super somnium Scipionis. Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quæ videretur Spiritui sancto respondere. Sic autem nos non ponimus Patrem, et Filium secundum substantiam differentes : sed fuit error Origenis, et Arrii * sequentium Platonicos. Quod vero Trismegistus dixit : Monas Monadem genuit, et in se suum reflexit ardorem, non

* Lib. 1 non multum procul a medio illius.

* Origenes Jo. 1 super illud. *Et Deus erat Verbum.* Et idem refert Hier. in epi. ad Pammachium et Oceanum, quæ incipit: *Schedulæ quas.* tom. 2.

est referendum ad generationem Filii, vel processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi. Nam unus Deus produxit [illegible] propter sui ipsius amorem.

Ad secundum dicendum, quod ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum, quod motus cœli semper sit uniformis velocitatis. Alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter probet radicem; sed quæ radici jam positæ ostendat congruere consequentes effectus : sicut in Astrologia ponitur radio excentricorum, et epicyclorum ex hoc, quod hac positione facta, possunt salvari apparentia sensibilia circa motus cœlestes. Non tamen ratio hæc est sufficienter probans : quia etiam forte alia positione facta salvari possent. Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum, Deum esse unum, et similia. Sed secundo modo se habet ratio, quæ inducitur ad manifestationem Trinitatis. Quia, scilicet, Trinitate posita; congruunt hujusmodi rationes : non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum. Et hoc patet per singula. Bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ : quia infinitæ virtutis est, ex nihilo producere. Non enim oportet, si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat; sed secundum modum suum recipiat divinam bonitatem. Similiter etiam, quod dicitur, quod sine consortio non potest esse jucunda possessio alicujus boni, locum habet, quando in una persona non invenitur perfecta bonitas, unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem bono alicujus alterius consociati sibi. Similitudo autem intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quod intellectus non univoce invenitur in Deo, et in nobis. Et inde est quod Augustinus * super Joann. dicit, quod per fidem venitur ad cognitionem, et non e converso.

* Tract. 17 in Joan. circa medium tom. 3.

Ad tertium dicendum, quod cognitio divinarum personarum fuit necessaria nobis dupliciter. Uno modo, ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus, Deum omnia fecisse Verbo suo, excluditur error ponentium, Deum produxisse res ex necessitate naturæ. Per hoc autem, quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur, quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suæ bonitatis. Unde et Moyses, postquam dixerat : in principio creavit Deus cœlum, et terram, subdit : Dixit Deus, Fiat lux, ad manifestationem divini Verbi. Et postea dixit : Vidit Deus lucem quod esset bona, ad ostendendum probationem divini amoris. Et similiter in aliis operibus. Alio modo, et principalius ad sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per Filium incarnatum, et per donum Spiritus sancti.

Prima conclusio : Impossibile est ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum per rationem naturalem pervenire.

Secunda conclusio : Qui rationibus naturalibus Trinitatem personarum intendit probare, dupliciter irrogat injuriam fidei. Primo. Quia derogat dignitati fidei : quatenus suo facto significat, quod non sunt tam sublimia ea, de quibus est fides, ut superent facultatem naturalem intellectus hominis. Secundo. Quoniam impedit, ne infideles convertantur ad fidem : in quantum præbet illis occasionem ut existiment, nos tam levibus fundamentis inniti ad credendum : et per consequens, ut fidem nostram irrideant.

Tertia conclusio : Ea, quæ sunt fidei, probanda sunt authoritatibus apud eos, qui authoritates admittunt : et apud alios, qui eas non admittunt, sufficiet probare, non esse impossibile, quod fides prædicat.

Notationes circa hunc articulum.

1. Circa primam conclusionem notandum est, plura posse circa illam dubia excitari. Primum quidem. An absque speciali Dei revelatione possit per vires naturales intellectus creati evidenter demonstrari mysterium Trinitatis quoad *an est?* Secundum vero. An semel data hac revelatione queat intellectus creatus ita per eam excitari, ut propriis viribus inveniat demonstrationes, quibus hoc mysterium evidenter quoad *an est* ostendat? Tertium autem. An per Dei revelationem possit communicari intellectui creato notitia hujus mysterii, quæ esset evidens, quidditativa, et propria, in quantum non haberet inniti testimonio dicentis, neque esset per alienas species, sive ad instar aliarum rerum; et tamen non haberet rationem notitiæ intuitivæ, sed abstractivæ, ex eo quod abstrahit, vel ab existentia, vel ab aliqua conditione objecti ad prædictam notitiam intuitivam desiderata?

Animadversio circa primam conclusion.

Cæterum, quia de his solent expositores D. Thomæ agere 2, 2, quæst. 1 art. 4 et 5 et de primo ac secundo satis diximus in 1 tomo tract. 2 disp. 1 dub. 3 quæ ad præsens possunt deservire : ac tandem de tertio plurima in eodem tractatu disput. 2 fere per totum, et disp. 4 dub. 2 asseruimus, quatenus ibidem late probavimus, Deum sive ut unum, sive ut Trinum non posse cognosci quidditative per species creatas, sed per essentiam divinam, ut habentem rationem speciei intelligibilis, et hanc non posse uniri intellectui creato nisi mediante lumine gloriæ, ac proinde nisi Deus quidditative, et intuitive videatur : idcirco ab omnibus his dubiis in præsenti abstinebimus. 2.

Circa secundam conclusionem animadvertendum est, non esse mentem Angelici Doctoris, quod rationes naturales deservire non possint ad confirmandas, vel explicandas veritates fidei, sive postquam suscepta est, sive cum primo proponitur infidelibus, ad hoc ut suscipiatur : sed tantum, quod non debemus eis uti, ut præcipuo veritatis nostræ fidei fundamento.

Animadversio circa secundam conclusion.

Circa tertiam conclusionem notandum est, posse etiam ad ejus explicationem duo dubia excitari. Primum est. An in veteri Testamento inveniantur testimonia efficaciter probantia hoc mysterium apud Judæos admittentes prædictum Testamentum, et testimonia in illo contenta. Secundum autem : quomodo apud infideles non admittentes auctoritates, sint diluenda argumenta militantia contra mysteria nostræ fidei, ut ex earum solutionibus ostendatur, ea non esse impossibilia? Cæterum, quia 3.

Animadversio circa tertiam conclusion.

quia de primo plures disputarunt, et inspici possunt Burgensis 1 part. Scrutinii Scripturarum distinct. 9 a capite 2 usque ad ultimum. Galatinus lib. 2 de Arcanis Catholicæ veritatis a capite 1 usque ad 12, Adrianus Pinus lib. 4 Flagelli contra Judæos cap. 8 et 9, et Lyranus in Opusculo contra Judæos de divinitate, et humanitate Messiæ, quod habetur 6 parte Glossæ ordinariæ in fine : et de secundo agitur in materia de fide, cum ostenditur, mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia : idcirco de istis in præsenti non agemus.

Burgensis. Galatin. Adrian. Pinus. Lyran.

ARTICULUS II.

Utrum sint ponendæ notiones in divinis?

Infra q. 40 art. 1 cor. et 1 dist. 26 q. 2 art. 1 et dist. 33 art. 2 cor.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non sint ponendæ notiones in divinis. Dicit enim Dionysius in 1 cap. de divinis nominibus *, quod non est audendum dicere aliquid de Deo, præter ea, quæ nobis ex sacris eloquiis sunt expressa. Sed de notionibus nulla fit mentio in eloquiis sacræ Scripturæ. Ergo non sunt ponendæ notiones in divinis.

* Cap. 1 parum a princ.

2. Præterea, quidquid ponitur in divinis, aut pertinet ad unitatem essentiæ, aut ad Trinitatem personarum. Sed notiones non pertinent ad unitatem essentiæ, nec ad Trinitatem personarum. De notionibus enim neque prædicantur ea, quæ sunt essentiæ : non enim dicimus, quod Paternitas sit sapiens, vel creet : neque etiam ea, quæ sunt personæ : non enim dicimus, quod Paternitas generet, et Filiatio generetur. Ergo non sunt ponendæ notiones in divinis.

3. Præterea, in simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sint principia cognoscendi : quia cognoscuntur se ipsis. Sed divinæ personæ sunt simplicissimæ. Ergo non sunt ponendæ in divinis personis notiones.

* Lib. 3 Orthod. fid. c. 5 circa princ.

Sed contra est, quod dicit Joannes * Damascenus : Differentiam hypostaseon (idest personarum) in tribus proprietatibus (idest, Paternali, et Filiali, et Processionali) recognoscimus. Sunt ergo ponendæ proprietates, et notiones in divinis.

Respondeo dicendum, quod Præpositivus attendens simplicitatem personarum dixit non esse ponendas proprietates et notiones in divinis. Et sicubi inveniantur, exponit abstractum pro concreto. Sicut enim consuevimus dicere, rogo benignitatem tuam, idest, te benignum : ita cum dicitur in divinis Paternitas, intelligitur Deus Pater. Sed, sicut ostensum est supra * divinæ simplicitati non præjudicat, quod in divinis utamur nominibus concretis et abstractis. Quia secundum quod intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem divinam, secundum quod in se est consideranda : et ideo secundum modum suum divina apprehendit, et nominat, idest, secundum quod invenitur in rebus sensibilibus, a quibus cognitionem accipit. In quibus ad significandum simplices formas, nominibus abstractis utimur : ad significandum vero res subsistentes, utimur nominibus concretis. Unde et divina, sicut supra dictum est * ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus; ratione vero subsistentiæ, et complementi, per nomina concreta. Oportet autem, non solum nomina essentialia in abstracto, et in concreto significare (cum dicimus Deitatem, et Deum, vel sapientiam, et sapientem), sed etiam personalia : ut dicamus Paternitatem, et Patrem. Ad quod duo præcipue nos cogunt. Primo quidem, Hæreticorum instantia. Cum enim confiteamur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse unum Deum, et tres personas, quærentibus, quo sunt unus Deus? et quo sunt tres? sicut respondetur, quod sunt essentia, vel Deitate unum : ita oportuit, esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit, personas distingui. Et hujusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significatæ, ut Paternitas et Filiatio. Et ideo essentia significatur in divinis, ut quid : persona vero, ut quis : proprietas autem, ut quo. Secundo. Quia una persona invenitur in divinis referri ad duas personas, scilicet persona Patris ad personam Filii, et Spiritus sancti. Non autem una relatione quia sic sequeretur, quod etiam Filius et Spiritus sanctus una et eadem relatione referrentur ad Patrem : et sic cum sola relatio in divinis multiplicet Trinitatem, sequeretur, quod Filius et Spiritus sanctus non essent duæ personæ. Neque tamen potest dici (ut Præpositivus dicebat) quod sicut Deus uno modo se habet ad creaturas; cum tamen creaturæ diversimode se habeant ad ipsum : sic Pater una relatione refertur ad Filium et ad Spiritum sanctum; cum tamen illi duo duabus relationibus referantur ad Patrem. Quia cum ratio specifica relativi consistat in hoc quod ad aliud se habet, necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diversæ secundum speciem, si ex opposito una relatio eis correspondeat. Oportet enim, aliam speciem relationis esse domini et patris, secundum diversitatem filiationis et servitutis. Omnes autem creaturæ sub una specie relationis referuntur ad Deum, ut sunt creaturæ ipsius. Filius autem et Spiritus sanctus non secundum relationes unius rationis referuntur ad Patrem. Unde non est simile. Et iterum. In Deo non requiritur relatio realis ad creaturam, ut supra dictum est *. Relationes autem rationis in Deo multiplicare non est conveniens. Sed in Patre oportet esse relationem realem, qua refertur ad Filium et Spiritum sanctum. Unde secundum duas relationes Filii et Spiritus sancti, quibus referuntur ad Patrem oportet intelligi duas relationes in Patre quibus referatur ad Filium et Spiritum sanctum. Unde, cum non sit nisi una Patris persona, necesse fuit, seorsum significari relationes in abstracto, quæ dicuntur proprietates et notiones.

* Q. 3 art. 3 ad 1 præcipue et q. 13 art. 1.

* Locis nunc proxime citatis.

* Q. 28 art. 1 ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod licet de notionibus non fiat mentio in sacra Scriptura : fit tamen mentio de personis, in quibus intelliguntur notiones, sicut abstractum in concreto.

Ad secundum dicendum, quod notiones significantur in divinis non ut res, sed ut rationes quædam, quibus cognoscuntur personæ; licet ipsæ notiones, vel relationes realiter sint in Deo, ut supra dictum est *, et ideo ea, quæ habent ordinem aliquem ad actum aliquem essentialem, vel personalem, non possunt dici de notionibus : quia hoc repugnat modo significandi ipsarum. Unde non possumus dicere, quod Paternitas generet, vel creet, sicut sapientia, vel intellectus : essentialia vero, quæ non habent ordinem ad aliquem actum, sed removent conditiones creaturæ a Deo, possunt prædicari de notionibus. Possumus enim dicere, quod Paternitas est æterna, vel immensa, vel quodcumque hujusmodi. Et similiter propter identitatem rei possunt substantiva personalia, et essentialia prædicari de notionibus. Possumus enim dicere, quod Paternitas est Deus, et Deitas est Pater.

* Q. 28 art. 1.

Ad tertium dicendum, quod licet personæ sint simplices : tamen absque præjudicio simplicitatis possunt propriæ rationes personarum in abstracto significari, ut dictum est.

Prima conclusio : Non pugnat cum divina simplicitate, quod utamur nominibus abstractis, et concretis ad denotanda ea, quæ sunt in Deo, sive essentialia, sive etiam personalia, ut Deus et Deitas, Pater et Paternitas.

Secunda conclusio : Oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit quærentibus, quo una persona distinguatur ab alia : et quibus relationibus eadem persona habeat referri ad distinctas personas, ut Pater ad Filium et Spiritum sanctum? et significata horum nominum dicuntur proprietates et notiones.

ARTICULUS III.

Utrum sint quinque notiones?

1 dist. 26 q. 2 art. 3 et dist. 27 q. 1 art. 12. cor. et dist. 28 q. 1 et Pot. q. 9 art. 9, 21 et 27 et q. 10 art 5, 12 et Opus. 2 c. 57, 58, 59, 60 et 61.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sint quinque notiones. Propriæ enim notiones personarum, sunt relationes, quibus distinguuntur. Sed relationes in divinis non sunt nisi quatuor, ut supra dictum est *. Ergo et notiones sunt tantum quatuor.

* Q. 28 art. 1.

2. Præterea, propter hoc, quod in divinis est una essentia, dicitur Deus unus. Propter hoc autem quod sunt tres personæ, dicitur Deus Trinus. Si ergo in divinis sunt quinque notiones, dicetur quinus : quod est inconveniens.

3. Præterea, si tribus personis existentibus in divinis sunt quinque notiones, oportet, quod in aliqua personarum sint aliquæ notiones duæ, vel plures, sicut in persona Patris ponitur innascibilitas, et Paternitas, et communis spiratio. Aut igitur istæ tres notiones differunt re? aut non? Si differunt re, sequitur, quod persona Patris sit composita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur, quod una earum possit de alia prædicari : ut dicamus, quod sicut bonitas divina est ejus sapientia propter indifferentiam rei : ita communis spiratio sit Paternitas : quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.

Sed contra. Videtur, quod sint plures. Quia sicut Pater a nullo est, et secundum hoc accipitur notio, quæ dicitur innascibilitas : ita a Spiritu Sancto non est alia persona. Et secundum hoc oportebit accipere sex notiones.

4. Præterea, sicut Patri et Filio commune est, quod ab eis procedat Spiritus sanctus : ita commune est Filio et Spiritui sancto, quod procedant a Patre. Ergo sicut una notio ponitur communis Patri et Filio, ita debet poni una notio communis Filio et Spiritui sancto.

Respondeo dicendum, quod notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinæ autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet, a quo alius, et qui ab alio : et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc, quod a nullo est. Et sic ex hac parte ejus notio est innascibilitas. Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter. Quia in quantum Filius est ab eo, innotescit notione Paternitatis : in quantum autem Spiritus sanctus est ab eo, innotescit notione communis spirationis. Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo : et sic innotescit per Filiationem. Et per hoc, quod est alius ab eo, scilicet Spiritus sanctus : et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater, scilicet, communi spiratione. Spiritus sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio, vel ab aliis : et sic innotescit processione. Non autem per hoc, quod alius sit ab eo : quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet innascibilitas, Paternitas, Filiatio, communis spiratio, et Processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem, ut infra
* Q. 33 art. 4 ad 3. dicetur *. Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, idest, constituentes personas, scilicet Paternitas, Filiatio, et Processio. Nam communis spiratio, et innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales, ut in-
* Q. 40 art. 1 ad 1. fra magis patebit *.

Ad primum ergo dicendum, quod præter quatuor relationes oportet ponere aliam notionem, ut dictum est *.
* In corp. art.

Ad secundum dicendum, quod essentia in divinis significatur, ut res quædam : et similiter personæ significantur ut res quædam : sed notiones significantur, ut rationes notificantes personas. Et ideo licet dicatur Deus unus, propter unitatem essentiæ, et Trinus propter Trinitatem personarum : non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad tertium dicendum, quod cum sola oppositio relativa faciat pluralitatem realem in divinis, plures proprietates unius personæ, cum non opponantur ad invicem relative, non differunt realiter. Nec tamen de invicem prædicantur : quia significantur ut diversæ rationes personarum. Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentiæ sit attributum scientiæ, licet dicamus, quod scientia sit potentia.

* Q. 29 art. 3. Ad quartum dicendum, quod cum persona importet dignitatem, ut supra dictum est *, non potest accipi notio aliqua Spiritus sancti ex hoc, quod nulla persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad authoritatem Patris, quod sit a nullo.

Ad quintum dicendum, quod Filius et Spiritus sanctus non conveniunt in uno speciali modo existendi a Patre, sicut Pater et Filius conveniunt in uno speciali modo producendi Spiritum sanctum. Id autem, quod est principium innotescendi, oportet esse aliquid speciale. Et ideo non est simile.

Prima conclusio : Quinque dumtaxat sunt notiones in divinis, scilicet, innascibilitas, et Paternitas in Patre, Filiatio in Filio, communis spiratio in Patre et Filio, et Processio in Spiritu sancto.

Secunda conclusio : Ex his quinque notionibus quatuor tantum sunt relationes : quia innascibilitas non est relatio; quamvis reducatur ad eam. Et quatuor tantum sunt proprietates : quia spiratio non est proprietas : ex eo quod est communis duabus personis. Et tres tantum sunt notiones personales, idest, constituentes personas : quia communis spiratio, et innascibilitas dicuntur notiones personarum; non tamen sunt personales.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat contrarie opinari de notionibus?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod non liceat contrarie opinari de notionibus. Dicit enim Augustinus 1 dist. 33 art. 5.
in 1 de Trinitate * quod non erratur alicubi periculosius, * Lib. 1 de Trin. c. 3 tomo 3.
quam in materia Trinitatis : ad quam, certum est, notiones pertinere. Sed contrariæ opiniones non possunt esse absque errore. Ergo contrarie opinari circa notiones non licet.

2. Præterea, per notiones cognoscuntur personæ, ut dictum est *. Sed circa personas non licet contrarie opinari. Ergo nec circa notiones. * Art. præced.

Sed contra. Articuli fidei non sunt de notionibus. Ergo circa notiones licet sic, vel aliter opinari.

Respondeo dicendum, quod ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Uno modo directe : sicut ea, quæ nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse Trinum, et unum, Filium Dei esse incarnatum, et hujusmodi : et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim : maxime, si pertinacia adjungatur. Indirecte vero ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei. Sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanæ. Ex hoc enim sequitur, Scripturam divinam esse falsam.

Circa hujusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis falsum potest opinari, antequam consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei : et maxime, si non pertinaciter adhæreat. Sed postquam manifestum est, et præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare non esset absque hæresi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc est magis manifestum, quid ex eis sequatur. Sic igitur dicendum est, quod circa notiones aliqui absque periculo hæresis contrarie sunt opinati, non intendentes sustinere aliquid contrarium fidei. Sed si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans, quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur. Et per hoc patet responsio ad objecta.

Prima conclusio : Opinari falsum contra ea, quæ directe et principaliter pertinent ad fidem, ut Deum esse Trinum, et unum, inducit hæresim, si adsit pertinacia.

Secunda conclusio : Opinari falsum circa ea, quæ pertinent ad fidem indirecte, idest, ex quorum negatione sequitur aliquid contra fidem, ut si quis dicat, Samuelem non fuisse filium Helcanæ, non inducit hæresim, nisi postquam consideratur, vel determinatum sit, sequi ex eo aliquid contrarium fidei.

Tertia conclusio : Circa notiones potest aliquis absque periculo hæresis contrarium opinari, si id faciat, non intendens defendere aliquid contrarium fidei. Si tamen aliquis falsum contra eas opinaretur, considerans, sequi ex eo aliquid contrarium fidei, in hæresim laberetur.

DISPUTATIO

DISPUTATIO XI.

De divinis notionibus.

1. Postquam Angelicus Præceptor egit de divinis personis absolute, et earum pluralitate, necnon et de iis, quæ ad prædictam pluralitatem spectant, statim in hac quæstione disputat circa easdem personas quomodo sub nostra cognitione cadunt : ac proinde de rationibus propriis, quibus cognoscuntur, quatenus in prædictam cognitionem ducunt : quæ rationes nihil aliud sunt, ut jam dicemus, quam divinæ notiones. Et propterea præsentem disputationem ad agendum de illis excitamus.

DUBIUM I.

Quid sit notio divina?

Cuncta, quæ in hac disputatione dicemus, pendent ex præsenti dubio : et ideo primo loco illud examinamus.

§ I.

Ex Angelici Præceptoris doctrina dubium enodatur.

2. Conclusio D. Thom. Dicendum igitur est, quod notio divina est *ratio propria cognoscendi personam divinam*. Ita D. Thomas in præsenti art. 3, et in hoc sensu explicatur notio a sanctis Patribus, ut ab Augustino 5 de Trinitate c. 6, ubi sic ait : *Alia notio est, qua intelligitur genitor, et alia, qua ingenitus* : a Basilio lib. 2 adversus Eunomium, et epistola 37 ad Gregorium fratrem, ubi sic ait : *Pater vero, qui super omnia Deus est, peculiarem hypostaseos suæ notionem solus habet quod Pater est quod nulla omnino causa subsistit atque isto iterum indicio, et ipse proprie, ac separatim agnoscitur.* Unde assertionem hanc tuentur communiter discipuli D. Thomæ. (August. — Basilius.)

Explicatur diffinitio. Ut autem prædicta assertio melius intelligatur, placuit singulas particulas hujus quasi diffinitionis sigillatim percurrere et explicare. In primis igitur dicitur, quod notio *est ratio*, in quo convenit cum Deitate, aut sapientia, et aliis rationibus essentialibus in divinis in abstracto significatis. Nam sicut Deitas est ratio constitutiva Dei, et sapientia constitutiva sapientis : ita notio est etiam *ratio* : ac proinde in hoc convenit cum aliis rationibus divinis; licet differat ab eis in aliis ab eadem importatis, de quibus statim. Ideoque ad notionem desideratur, si proprie, et omnino rigorose loquendum est, quod significetur in abstracto : quia id, quod significatur ut ratio alicujus, debet significari in abstracto.

3. Objectio. August. Basilius. Cyrill. Nec obest, quod Augustinus et Basilius locis citatis, Cyrillus 1 Thesauri c. 6 recensent notiones in concreto; dicunt enim, *genitum* et *ingenitum* esse notiones Patris et Filii : ergo notiones non debent significari, ut rationes in abstracto.

Respondetur, sanctos Patres dum agebant cum Hæreticis, non contra modum loquendi, sed contra rem ipsam, et explicationem ejus, non tam curasse de modo loquendi, quam de rebus ipsis et explicatione earum. Et quia in prædictis locis volebant explicare distinctionem inter personas divinas quia de hac re erat illis disputatio cum Hæreticis, ideo usi sunt nominibus concretis loco abstractorum.

Enodatur. Deinde ponitur in prædicta quasi diffinitione particula *propria*, per quam incipit notio distingui ab aliis rationibus essentialibus, cum quibus in hoc quod est, esse ratione utcumque conveniebat. Quoniam abstracta essentialia, ut *Deitas*, et *sapientia*, sunt communia omnibus personis ; secus vero notiones : et ita una et eadem notio ad summum potest convenire duabus personis divinis : non tamen cunctis. Ideoque per illam particulam *propria* non significatur, notionem uni soli personæ convenire, siquidem communis spiratio convenit duabus ; sed denotatur, quod debet esse forma singularis non communis omnibus.

4. Præterea additur particula illa *cognoscendi*, ut per eam denotetur, tum, notionem distingui a significato horum nominum, nempe, *relatio personalis, et proprietas non personalis* : tum etiam quonam ordine ista inter se nectantur. Et quidem quoad primum constat. Nam relatio personalis dicitur in ordine ad correlativum, et est constitutiva personæ : proprietas autem, licet non personalis, dicit id quod non convenit omnibus personis; licet non sit constitutiva personæ. Et tandem notio dicitur, ut est principium proprium formale cognoscendi personam. Quæ omnia notavit D. Thomas in 1 dist. 26 q. 2 art. 3, his verbis : *Dicendum, quod notionis, proprietatis, et relationis differentia potest tripliciter assignari. Primo. Quod Paternitas* (D.Thom.)

dicitur relatio, secundum quod ad Filium refertur : dicitur autem proprietas, in quantum soli Patri convenit. Dicitur notio, in quantum est principium formale innotescendi Patrem.

Quoad secundum vero etiam constat. Quia nihil potest esse principium notificandi aliud, nisi sit illi proprium : et nihil est proprium alicujus personæ nisi ipsa persona habeat esse constitutam et distinctam ab aliis. Et ita prius intelligimus relationem, sive proprietatem personalem in divinis : deinde proprietatem : tandem notionem. Quod etiam docuit idem Angelicus

D.Thom. Præceptor loco citato his verbis : *Cum nihil possit esse principium innotescendi aliquid, nisi sit sibi proprium, intellectum notionis præcedit intellectus proprietatis. Et quia proprietas non convenit, nisi res distinctæ ab aliis : et distinctio in divinis non est, nisi per oppositionem relationis, intellectum proprietatis in divinis præcedit intellectus relationis.*

5. Tandem ponitur in diffinitione particulà illa, *personam divinam*, ut denotetur, notionem significare aliquid pertinens ad originem, spectansque ad dignitatem. Et ratio est. Quoniam notio est ratio propria cognoscendi personam divinam : ac proinde cognoscendi illam secundum sibi propria. Constat autem, non cognosci secundum sibi propria nisi cognoscatur secundum aliquid pertinens ad originem, et spectans ad dignitatem personalem. Quia omnia propria personæ sunt hujusmodi.

Nec obest, si dicas, personam non addere supra naturam divinam aliquid perfectionis : siquidem ex vi suæ lineæ illam non exprimit, ut constat ex illis, quæ disp. 6 n. 20 late diximus : ergo falsum est, notionem dicere aliquid pertinens ad dignitatem propter personam divinam, et quia est ratio formalis cognoscendi eam.

Respondetur enim, quod etsi persona divina ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod dicit in recto, non exprimat dignitatem et perfectionem : includit tamen per modum transcendentis totam perfectionem divinæ essentiæ : et insuper dicit in obliquo eamdem divinam essentiam, ut habet rationem naturæ : et propterea absolute et simpliciter, ac omnino impræscindibiliter affert perfectionem et dignitatem. Et ita, quia notio in divinis pertinet ad personam divinam, quæ absolute et simpliciter (licet ratione naturæ et essentiæ divinæ modis prædictis consideratæ) est perfectissima : idcirco dicitur, notionem significare aliquid pertinens ad dignitatem.

Unde D. Thomas infra quæst. 40 art. 3 ad 1 et in 1 distinct. 20 quæst. 1 art. 3 hoc modo explicat, personas dicere aliquid pertinens ad dignitatem : quia omnes illæ dicunt aliquid spectans ad naturam intellectualem. Nam Paternitas, et Filiatio sunt eædem prorsus relationes, ac relationes dicentis, et Verbi dicti : quas, satis constat, solum reperiri in natura intellectuali, ad eamque spectare. Quod etiam de relationibus procedentis, et principii, a quo procedit, liquet. Siquidem istæ sunt eædem, ac relationes spirantis, et impulsus spirati per voluntatem : de quibus etiam certum est, solum in natura intellectuali inveniri. Sicut etiam innascibilitas, quæ ultra prædictas relationes est notio, non potest non pertinere ad naturam intellectualem, ut dub. 3 explicabimus. D.Thom.

Assertio ergo sic explicata probatur. Tum ex testimoniis D. Thomæ, et aliorum Patrum adductis, ex quibus non levis ratio desumitur, cum de bonitate alicujus diffinitionis, aut quasi diffinitionis agitur, ut in præsenti contingit. Tum etiam ex unanimi Thomistarum consensu illam admittentium, ut jam diximus. Tum denique, quia in ea explicatur id, in quo notio cum aliis convenit, necnon et quomodo ab aliis rationibus, quæ non sunt notiones, distinguatur. Et propterea omnes, et solas illas rationes esse notiones invenietur, quibus omnes hujus diffinitionis particulæ conveniunt, ut intuenti constabit. 6. Probatur assertio.

Confirmatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore quæst. 40. Quoniam, ut ex terminis ipsis constare videtur, ad ipsum habet rationem notionis respectu alicujus, vel duarum personarum, quod est proprium illius, vel earum : non quidem, quatenus præcise exprimit esse quid proprium ; sed quatenus exprimit, quod ex vi illius deveniatur in cognitionem prædictæ, vel prædictarum personarum, seu quatenus est ratio cognoscendi illas : siquidem eo ipso talis ratio erit notio, seu notificativa prædictarum personarum. Sed hoc explicatur per prædictam diffinitionem : ergo erit legitima, et valde consona diffinito, aut quasi diffinito ipsius. Confirmatur.

§ II.

§ II.

Ex dictis deducitur, quomodo aliæ diffinitiones notionis ab aliquibus ex Junioribus traditæ non sint ita legitimæ.

7. *Rejicitur diffinitio Bellarmini.* Ex dictis igitur constat, diffinitiones, aut quasi diffinitiones alias, quæ traduntur ab aliquibus ex Junioribus, non esse ita legitimas, sicuti est hæc quasi diffinitio, quam ex Angelico Præceptore tradidimus. Nam in primis illa, quam tradit Bellarminus lib. 2 de Christo cap. 5 dicens : *Notio est nomen, quo una persona cognoscitur distincta ab aliis,* deficit ex eo, quod juxta communem sanctorum Patrem et Theologorum sententiam, notio non est nomen, quo significamus, unam personam esse distinctam ab alia; sed est ratio objectiva, et conditio, ratione cujus cognoscitur persona divina, per quamque una persona, v. g. passive cognoscitur distincta ab alia.

Confirmatur. Confirmatur, ratione desumpta ex D. Thoma art. 2 hujus quæstionis, et infra quæst. 40. Quoniam loquendo de re ipsa, notiones sunt in personis, quarum sunt notiones, ita ut saltem comparentur tanquam proprietates earum : nomina autem non sunt in personis divinis : ergo notiones non erunt nomina illa, quibus significatur, unam personam distingui ab alia; sed ad summum notio erit ratio objectiva, per quam passive cognoscitur distingui.

8. *Rejicitur etiam diffinitio Valentiæ.* Deinde alia quasi diffinitio, quam adducit Valentia in præsenti disput. 2 quæstione 6 puncto 2 et lib. 2 de Trinitate c. 16, nimirum, quod *notio est conditio, sive proprietas divina, non omnibus personis communis, in abstracto significata, qua propria ratio cujusque personæ significatur, atque innotescit,* est etiam insufficiens. Tum, quia aliqua continet superflua, et omnia illa possent sub brevi forma proponi, ut constat in diffinitione, aut quasi diffinitione adducta a D. Thoma, quæ omnia ista breviter et succincte continet.

Tum etiam. Quia etsi ad explicandam notionem utcumque, et non reducendo explicationem illam ad normam diffinitionis, aut quasi diffinitionis, possent fere omnia in prædicta diffinitione contenta adduci : non tamen si diffinitio per illa tradi intendatur. Ex eo quod tunc rectior diffiniendi modus esset, diffinire notionem per suam rationem formalem, non autem per id, quod se habet veluti per modum materiæ respectu illius. Constat autem, rationem formalem notionis non consistere in eo, quod sit conditio, vel proprietas in *esse* rei, siquidem hoc se habet ut quid materiale respectu hujus formalitatis; sed in eo, quod sit ratio, qua cognoscitur divina persona. Et propterea Angelicus Præceptor art. 3 hujus quæstionis, postquam sibi opposuisset, quod si notiones essent quinque, consequens esset, quod sicut propter hoc, quod in divinis est una essentia, dicitur Deus unus; propter hoc autem, quod sint tres personæ, dicitur Deus Trinus : ita si in divinis sunt quinque notiones, dicetur quinus : quod est inconveniens. Postquam igitur Angelicus Præceptor sic sibi opposuisset, respondet in solutione ad 2 in hæc verba : *Dicendum, quod essentia in divinis significatur ut res quædam, et similiter personæ significantur ut res quædam : sed notiones significantur, ut rationes notificantes personas. Et ideo licet dicatur Deus unus propter unitatem essentiæ, et trinus propter trinitatem personarum : non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.* Ubi, ut constat, juxta Angelici Doctoris mentem, et rationem ab ipso traditam, formale notionis non est, quod sit res quædam, aut conditio, vel proprietas personæ; sed quod sit ratio propria ipsius, per quam ipsa persona significetur, per quodque ipsa a semetipsa, ut habet rationem proprietatis, distinguitur. *D. Thom.*

9. *Deficit etiam diffinitio Molinæ et Becani.* Et tandem alia quasi diffinitio allata a Molina, videlicet, quod *notio est forma, qua una persona cognoscitur distingui ab alia,* quam approbat Becanus c. 7 de Notionibus q. 1, etiam deficit. Quoniam in hac quasi diffinitione non explicatur id, quod primum locum obtinet in notione, nimirum quod sit ratio cognoscendi personam divinam secundum id, quod est sibi proprium; sed id, quod secundo loco convenit eidem notioni, nimirum, quod sit ratio cognoscendi personam divinam, secundum quod distinguitur ab alia. Nam facta collatione inter hæc duo munera, illud prius obtinet primum locum in notione, et hoc posterius secundum. Siquidem ex eo quod cognoscitur una persona secundum sibi propria, cognoscitur esse distinctam ab alia.

Potestque hoc explicari exemplo personæ divinæ, in qua prius est, habere in se ipsa aliquid sibi proprium, quam distingui per hoc ab aliis personis. Et ideo etiam in notione personæ prius erit, quod sit ratio propria cognoscendi personam secundum id, quod est sibi proprium, quam quod sit

ratio percipiendi eamdem personam, secundum quod per hoc sibi proprium habet distingui ab aliis personis.

DUBIUM II.

Utrum notiones sint ponendæ in divinis?

10. Licet præsens dubium pertineat ad quæstionem *an est* : nihilominus non incongrue post præcedens, quod ad quæstionem *quid est* pertinebat, excitatum est. Quia multoties expedit, quæstionem *quid est* quæstioni *an est* præmittere, quando, nimirum, specialis aliqua ratio urget, ut in præsenti urgebat : ex eo quod significatum hujus nominis *notio,* non ita perspicuum erat, et prius explicando illud, aut diffinitionem, vel quasi diffinitionem notionis adducendo, manet satis perspicuum, et eo ipso clarius deciditur, an ratio illius reperiatur, vel non reperiatur in rebus.

§ I.

Resolutio dubii ex mente Angelici Doctoris, et omnium Scholasticorum, et duplex pro ea ratio.

11. Resolvitur dubium. Dicendum igitur est, ponendas esse in divinis personis notiones. Assertio hæc quoad rem ipsam, et de notionibus indiffinite, aut quasi indiffinite loquendo, et non considerando quotnam sint, ejusdem est certitudinis, ac illa, in qua dicitur, esse in divinis personis ponendas proprietates constitutivas et distinctivas earumdem. Quare, sicut de hac aliqui existimant, esse adeo certam, ut opposita sit error contra fidem, et alii censent, oppositam esse errorem, aut errori proximam, et tandem alii, esse ad minimum nota temeritatis dignam : sic de præsenti assertione hoc quoad rem ipsam, ut diximus, censeri debet. Sicut etiam quantum ad modum loquendi consistentem in usu hujus vocis *notio* ad rem hanc denotandam, habet assertio nostra tantam certitudinem, ut sine aliqua temeritatis nota nequeat denegari.

Ratio autem, ob quam judicamus, utramque assertionem esse ejusdem certitudinis quoad rem ipsam, est. Quia cum asserimus, ponendas esse notiones in divinis personis, solum volumus, ponendas esse in illis saltem proprietates, quibus unaquæque earum possit cognosci secundum id, quod est sibi proprium, et ab aliis distinguitur. Hoc autem æqualem habet certitudinem cum hoc, quod est, ponendas saltem esse in divinis personis proprietates, quibus constituantur, et distinguantur : et propterea non negatur prior illa assertio, nisi quia negatur hæc posterior : siquidem esse propriam rationem cognoscendi rem aliquam est inseparabiliter connexum cum formali constitutivo ejusdem rei. Et propterea Angelicus Præceptor art. 4 hujus quæstionis dixit, labi in hæresim opinantem falsum contra notiones, si videat sequi ex eo aliquid contrarium fidei. Quia hoc non potuit dici nisi de eo, qui opinaretur falsum contra rem ipsam jam explicatam.

Sicut etiam ratio, propter quam nostra assertio quantum ad modum loquendi, qui consistit in usu hujus vocis *notio* ad rem hanc (saltem modo dicto sumptam) explicandam, habeat certitudinem jam dictam, potest reddi ex eo, quod licet usus hujus vocis nec apud Scripturam, Concilia aut Patres de communi eorum consensu reperiatur : nihilominus est excogitatus ab Augustino, et ab aliquibus sanctis Græcis ; quamvis sub aliis vocibus propriis suæ linguæ, et communiter ab omnibus Scholasticis cum Magistro in 1 dist. 26 et 28 et ab Angelico Doctore ibidem, et in præsenti receptis : quod quidem sufficit ad hoc, ut absque temeritate nequeat prædictus usus rejici. Magister. Angel. Doctor.

12. Ratio fundamentalis D.Thom. Ratio vero prior, et fundamentalis hujus assertionis in iis, quæ modo dicebamus, tacta est, et insinuatur a D. Thoma q. 40 art. 1 potestque sub hac forma proponi. Quoniam si loquamur de re ipsa, notiones v. g. Paternitas, aut Filiatio, vel Processio sunt ipsæmet proprietates constituentes, et distinguentes personas : sed istæ non possunt non poni in divinis, ut ex dictis, et ex infra in q. nuper citata dicendis constabit : ergo etiam notiones ponendæ erunt in divinis.

Objectio. August. Nec obest, si objicias tum, quod Augustinus 5 de Trinitate notionem vocat ipsam formalem notitiam, qua cognoscitur persona : et ita ait : *Alia est notio, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus :* ergo notio non ponit aliquid intrinsecum in divinis personis, sed solum denominationem extrinsecam provenientem a cognitione, qua dignoscuntur. Tum etiam quod si notiones ponerent aliquid in Deo, derogaretur summæ simplicitati illius : siquidem eo ipso esset ibidem abstractum, et concretum :

cretum : et ubi est abstractum, et concretum, non est summa simplicitas.

Enodatur. D.Thom. Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus, quod sicut *ratio* solet significare conceptum formalem, et ejus objectum, nempe quidditatem aut quasi quidditatem rei conceptæ, ut habet D. Thomas in 1 dist. 2 q. 1 art. 3, ita notio aliquando sumitur pro notitia, aliquando pro ratione objectiva illi correspondente. Et propterea nihil prohibet, per notiones ibi intelligi ab Augustino ipsas rationes objectivas earum existentes in ipsis personis, quibus tanquam notis, et indiciis distinguuntur. Et ideo sensus Augustini erit, quod alia est nota, seu indicium, vel ratio objectiva, ex qua cognoscitur genitor, alia ex qua cognoscitur ingenitus.

Ad secundam vero dicendum est, quod ad minus, dari in divinis abstracta, et concreta distincta solum ex parte nostri modi concipiendi, non vero virtualiter ex parte rei conceptæ quoad id, quod in recto afferunt, non derogat summæ simplicitati Dei, ut in præsenti, v. g. in Paternitate et Filiatione cernitur. Quia una et eadem formalitas Patris, et habet esse formam simplicissimam, et esse subsistentem : ita ut hæc duo quoad id, quod in recto dicunt, solum ex parte nostri modi concipiendi distinguantur, et ad significandam ipsam, quatenus est forma simplicissima, utimur nominibus abstractis; ad denotandum vero ipsam ut subsistentem, nominibus concretis.

13. Secunda ratio. Secunda et principalis ratio assertionis desumitur ex D. Thoma in præsenti, potestque ad hanc formam reduci. Nam oportet, Catholicos uti nominibus abstractis, quibus occurrant Hæreticis, aut infidelibus inquirentibus, quonam Pater, Filius et Spiritus sanctus sint unus Deus, et tres personæ? sed id, quod correspondet his nominibus abstractis, quibus occurritur huic interrogationi, nempe, quonam personæ divinæ sint tres? habet rationem notionis in Deo : ergo oportebit prædictas notiones ponere in divinis. Major videtur certa. Quoniam cum Catholici confiteantur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse unum Deum, et tres personas, non possent sufficienter occurrere argumentis, quibus hoc impugnaretur ab Hæreticis, nisi haberent nomina abstracta, quibus responderent, quonam sint unus Deus, et tres personæ : ergo oportet, eos uti prædictis nominibus, quibus huic interrogationi occurrant : ita nimirum, ut dicant, quod sicut Deitate unica sunt unus Deus : ita tribus proprietatibus personalibus, nempe Paternitate, Filiatione, et Processione, sunt tres personæ.

Minor autem etiam constat. Quoniam id, quod correspondet nominibus abstractis deservientibus ad occurrendum prædictæ interrogationi, sunt proprietates personales Paternitatis, Filiationis, et Processionis, ut nunc dicebamus : istæ autem sunt etiam notiones, ut ex se patet : siquidem sunt rationes propriæ cognoscendi divinam personam : ergo, etc. Consequentia autem primi syllogismi hujus rationis ex utraque præmissa aperte sequitur : siquidem planum est, prædictas proprietates ponendas esse in divinis, ut quid intrinsecum personis.

Nec refert, si objicias cum Gregorio Ariminensi in 1 dist. 26 quod propter Hæreticorum instantiam non oportet proprietates has in abstracto distinguere, et eas in Deo ponere, sicut illas D. Thomas ponit. Quia Augustinus docuit respondere, in sermone de fide, et Symbolo, huic interrogationi dicens : *Credimus Trinitatem personis distinctam, substantia unitam.* Et Hieronym. in expositione fidei Catholicæ hoc ipsum docuit his verbis : *Substantia unum sunt, sed personis ac nominibus distinguuntur.* Ergo absque proprietatibus eo modo, quo de illis loquitur D. Thomas, haberetur sufficiens responsum ad declarandum, quo personæ sunt unum et plures. 14. Objectio. Gregor. Ariminensis. D.Thom. August. Hieron.

Respondetur enim cum Cajetano in præsenti art. 2 non esse satis Catholicis, habere sufficiens responsum ad occurrendum interrogationi Hæreticorum, si fiat sub nomine Trinitatis præcise, ut si inquiratur, quo Trinitas distinguatur? sed insuper debent reddere sufficiens responsum, si fiat sub aliis nominibus, et sub ea forma, quam in ratione Angelici Doctoris proposuimus, nimirum, quonam tres personæ sint unum, et simul sint tres? Constat autem, quod etsi priori interrogationi fiat satis verbis et responso Augustini et Hieronymi, et ad hoc etiam ab illis prolata sunt : non tamen sufficienter occurritur prædictæ interrogationi, et instantiæ Hæreticorum factæ sub verbis, et forma in ratione D. Thomæ proposita. Non enim congruenter occurritur interroganti, quonam personæ divinæ sunt tres personæ? si dicatur, quod sunt tres tribus personis. Et propterea oportet dari alia nomina, quibus alia ratio Corruit. Cajetan.

objectiva distincta, modo dicto, ex parte nostri modi concipiendi correspondeat, nempe, quod sunt tres tribus proprietatibus personalibus, scilicet Paternitate, Filiatione, et Processione.

15. Explicatur hoc. Cajetan. Potestque hoc magis explicari ex eo, quod addit Cajetanus, nimirum, quod D. Thomas in hac sua ratione loquitur juxta morem suum formaliter : et consistit vis ejus in hoc, quod interrogativo *quo?* oportet reddi responsum talis conditionis, ut ex proprio modo significandi significetur, *ut quo* : alioqui non quiesceret instantia quærentium. Constat autem, quod persona non significatur *ut quo*, nec nomen eam significans significat eam, ut est talis *ut quo*, cum sit concretum nomen : oportet igitur ad hoc, ut habeamus proprium responsuum *quo*, non respectu hujus aut illius termini, sed simpliciter respectu concretorum divinorum, proprietates in abstracto admittere in divinis, quæ, ut sunt rationes propriæ cognoscendi divinam personam, habent rationem notionum.

§ II.

Ratio ultima pro assertione.

16. Posterior ratio. Ultima ratio assertionis deducitur ex D. Thoma art. 2 hujus quæstionis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam licet Pater, v. g. sit una et eadem persona tantummodo : nihilominus sunt in illo duæ relationes, nempe, Paternitatis et spirationis virtualiter inter se distinctæ : ergo oportet dari nomina abstracta, et nomen concretum, quibus significetur, tum unitas personæ in illo, tum etiam pluralitas jam dicta relationum : ergo etiam oportebit dari ibidem notiones. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Quoniam, ut ex nuper dictis constat, rationes objectivæ correspondentes prædictis nominibus abstractis habent rationem notionis in divinis : siquidem competit illis diffinitio, aut quasi diffinitio notionis dubio præcedenti adducta. Prima vero consequentia ex antecedenti etiam liquet. Quoniam oportet habere nomina, quantum fieri possit, ad explicanda cuncta, quæ de Deo cognoscimus.

Antecedens autem probatur. Quia prædictis relationibus correspondent ex opposito duæ relationes realiter distinctæ : una quidem in Filio correspondens Paternitati : alia vero in Spiritu sancto, quæ correspondet spirationi : ergo licet Pater sit unica et eadem persona simplicissima absque distinctione virtuali in ratione personæ : nihilominus erunt in illo duæ relationes virtualiter distinctæ, quarum una sit ipsi ratio respiciendi Filium, nempe Paternitas; et alia respiciendi Spiritum sanctum, scilicet spiratio : quandoquidem duabus relationibus realiter inter se distinctis non potest correspondere unica dumtaxat relatio, quæ adhuc virtualiter non sit plures.

§ III.

Objectio duplex contra hanc rationem et occursus ad illam.

Nec obest, si objicias primo contra rationem hanc, male colligi, dari in Patre duplicem relationem virtualiter distinctam, ex eo quod ex opposito correspondet illi duplex realiter relatio. Quoniam si hæc illatio esset legitima, fieret inde, Paternitatem et spirationem correspondentes his duabus relationibus realiter distinctis, debere etiam inter se distingui realiter. Nam sicut distinctio utcumque relationum aliquarum arguit distinctionem, etiam utcumque, relationum ex opposito eis correspondentium : ita dictinctio realis inter prædictas relationes arguet eamdem distinctionem realem in illis relationibus, quæ ex adverso eis correspondent. 17. Prima objectio

Respondetur enim, esset disparem rationem. Nam distinctio realis relationum in divinis, sumitur ex oppositione reali earum inter se; non vero ex eo, quod eis correspondeant aliæ relationes realiter distinctæ : quoniam distinctio realis, et entitativa earum non sumitur ex termino. Et propterea, licet Paternitas et spiratio activa respiciant relationes realiter distinctas : non tamen idcirco colligetur, eas realiter inter se distingui : quia non habent inter se aliquam oppositionem. Cæterum distinctio specifica, aut quasi specifica relationum sumitur ex terminis, seu ex correlativis, modo alibi tacto : et ideo ex distinctione terminorum, seu relationum ex adverso correspondentium optime colligitur, non quidem distinctio entitativa et realis, sed quasi specifica, et virtualis prædictarum relationum. Diluitur.

Nec etiam obest, si secundo objicias, quod unum album v. g. habet unicam tantummodo relationem similitudinis in albedine : et nihilominus prædictæ relationi correspondent 18. Secunda objectio.

correspondent ex adverso tot relationes similitudinis in albedine, quot sunt alba : ergo ex eo, quod correspondeant ex adverso plures relationes realiter distinctæ, non bene colligitur diversitas, adhuc virtualis, in relatione ilia, cui correspondent : et per consequens ex eo, quod Filiatio et Processio realiter inter se distinctæ correspondeant ex adverso Paternitati, et spirationi, non sequitur, eas inter se distingui virtualiter. Utraque consequentia aperte videtur sequi ex antecedenti. Antecedens autem constat ex iis, quæ docet D. Thomas 3 part. quæst. 35 art. 5 et Quodlibeto 1 art. 2 et Quodlibeto 9 art. 4 necnon ex illis, quæ nostri Complutenses in sua Logica disp. 14 num. 91 docent. (D.Thom. — N. Compl.)

Evanescit.

Respondetur enim, concedendo antecedens, et negando utramque consequentiam, quoties relationes ex opposito correspondentes sunt specifice, aut quasi specifice distinctæ, ac proinde arguunt distinctionem specificam in illis relationibus, quibus correspondent, ut in Filiatione et Processione correspondentibus Paternitati, et spirationi cernitur : quamvis dum relationes ex opposito correspondentes solo numero distinguuntur, tunc non inferatur virtualis distinctio in relatione, cui correspondent, ut in albo relato relatione similitudinis ad plura alba contingit. Quoniam distinctio numerica similitudinum non sumitur ex terminis, ut Scotus in 3 distinct. 8 quæst. 1, Vasquez tomo 4 in 3 part. quæst. 91 art. 1 dub. 4, una cum Suarez et aliis, juxta multitudinem terminorum multiplicantibus unitatem numericam relationum, volunt; sed aliunde, nempe ex subjecto, ut cum D. Thoma locis citatis explicant N. Complut. disp. nuper relata a num. 91 usque ad 94. (Scotus. — Vasquez. — Suarez. — N. Compl.)

§ IV.

Alia objectio notanda contra prædictam rationem, et responsio ad eam.

19. Tertia et notanda objectio.

Nec præterea obstat, si tertio contra eamdem rationem, et simul contra solutionem præcedentis objectionis urgeas, quod idem filius refertur per unicam et eamdem relationem ad patrem et matrem : et nihilominus prædictæ filiationi correspondent duæ relationes specie distinctæ, nempe paternitas et maternitas : ergo ex correspondentia plurium relationum, adhuc specie distinctarum, respectu unius et ejusdem relationis non bene colligitur, relationem illam, cui correspondent, debere esse virtualiter multiplicem. Consequentia videtur certa. Minor autem etiam constat. Quoniam pater et mater concurrunt diversimode ad generationem : ille quidem per modum principii activi; ista vero per modum principii passivi, ut docet D. Thomas 3 p. q. 35 artic. 5 : ergo fundant relationes secundum speciem distinctas. Major vero probatur. Nam sicut filius est unicus tantummodo filius : ita unica tantummodo relatione ad patrem et matrem refertur. (D.Thom.)

Probabilis aliquorum solutio.

Ad hanc objectionem respondent aliqui, in filio esse duas relationes specie distinctas, si loquamur de eis formaliter in *esse* relationis; quamvis materialiter in *esse* rei sit una relatio. Ita Ferrara 2 contra Gentes c. 12 § *Ex istis,* quem sequuntur Vasquez in præsenti in annotatione ad artic. 2 hujus quæstionis, necnon et Suarez disp. 47 suæ Metaphysicæ sectione 17 num. 24, ac alii. (Ferrara. — Vasquez. — Suarez.)

20. Favet D. Thomas.

Videturque hæc solutio habere fundamentum in D. Thoma 3 p. q. 35 art. 5 in solutione ad 3, ubi postquam sic dixit : *Contingit, quod ex parte unius extremi est una relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multæ relationes. Sicut in hominibus ex parte parentum invenitur duplex relatio, una paternitatis, et alia maternitatis, quæ sunt specie differentes, propter hoc quod alia ratione pater, et alia mater est generationis principium.* Postquam igitur S. Doctor hæc protulit, post pauca subdit : *Ex parte autem prolis est una filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet utrique relationi parentum secundum duos respectus intellectos.* Ac si diceret, quod in prole materialiter, et in *esse* rei unica tantummodo invenitur filiatio; formaliter autem, et in *esse* relationis duplex specie distincta, ex quibus una correspondet paternitati, et alia maternitati specie differentibus. Et ita in divinis duplici illi relationi Filiationis et Processionis correspondent in divinis ex parte Patris duæ aliæ relationes, non quidem realiter inter se distinctæ, sicut illæ priores, sed solum quasi specie, et virtualiter distinctæ.

21. Fulcitur ratione.

Potestque hæc eadem solutio ratione etiam fulciri. Tum, quia pereunte patre, et remanente matre, vel e converso, perit relatio filiationis ad patrem, si iste moriatur : et similiter desinit esse relatio ad matrem, si ista moriatur, et pater perma-

neat. Hoc autem satis indicat, esse ibidem relationem rationis virtualiter saltem distinctam : alioqui idem prorsus manens idem, periret, et non periret.

Tum etiam. Quia in patre et matre est diversus modus secundum speciem concurrendi : et propterea fundant diversas relationes : ergo etiam in filio erit distinctus modus secundum speciem dependendi ab eis : et ob eamdem rationem erit in eo duplex secundum speciem relatio filiationis : siquidem ad diversos secundum speciem modos fundandi sequuntur relationes diversæ secundum speciem.

Tum deinde. Quia alias relationes specie diversæ, quales sunt paternitas et maternitas, diffinirentur per relationem sibi oppositam, quæ sit una tantum. Et ita pater diffiniretur sic, *Pater est, qui habet filium* · et mater eodem modo posset, et deberet diffiniri, nempe, *Mater est, quæ habet filium* : quod, ut constat, est inconveniens.

22. Verior responsio. N. Compl. Cajetan. Bannez. Sylvester. Torres. Zumel. Araujo. Sanchez.

Sed licet hæc solutio sit probabilis, ut fatentur nostri Complutenses in sua Logica disp. 14 n. 87, nihilominus, ut iidem Complutenses ibidem docent, longe probabilius explicant Angelicum Doctorem cæteri Thomistæ, ut Cajetanus in præsenti art. 2 § *Ad 2 dubium*, Bannez dubit. 1 conc. 2, Sylvester, Torres, et Zumel in discursu ejusdem articuli, Araujo, Sanchez, et alii, qui uno ore negant, etiam formaliter constituendas esse filiationes specie diversas respectu patris et matris.

Quorum fundamentum optime explicant, et proponunt sub hac forma prædicti Complutenses loco citato. Quia licet diverso modo concurrat uterque parens ad productionem filii : neuter tamen est causa completa, et per se sufficiens; sed concurrunt generationibus partialibus intrinsece ordinatis ad complendum unicum totale principium filii. Cujus signum optimum est, ut notat D. Thomas loco citato ex 3 parte, quod homo unica nativitate nascitur ex patre et matre : ergo non solum ex parte filii unica tantum est productio passiva, quæ est ratio fundandi relationem; sed etiam ex parte parentum tantum datur unica completa ratio radicalis terminandi, coalescens, tanquam ex partibus heterogeneis, ex concursu activo patris, et passivo matris : et per consequens non dantur duæ integræ rationes terminandi : quod necessarium erat, ut specifice multiplicaretur relatio.

Ex quo etiam fit, neque solam paternitatis, neque solam maternitatis relationem per se constituere integrum correlativum filiationis, sed esse quasi partes diversas ejusdem integri extremi : ac proinde ipsas inter se solum distingui in *esse* termini specie incompleta, et quasi partialiter.

Ex his ergo satis constat probabilior solutio hujus tertiæ objectionis. Quoniam concessa majori et minori de correspondentia duplicis relationis nempe paternitatis et maternitatis, quæ tantum specie partiali sint inter se distinctæ, et habeant rationes fundandi eodem modo diversas, quæque simul sumptæ constituant unum integrum et totale terminativum filiationis, neganda est consequentia, quoties relationes correspondentes ex adverso sunt totales, et habent rationes, aut quasi rationes fundandi totaliter, et specie, aut quasi specie totali distinctas, ut in divinis contingit in Filiatione, et Processione realiter distinctis, et correspondentibus in Patre Paternitati, et spirationi. Et ita D. Thomas optime ex distinctione reali Filiationis et Processionis intulit Paternitatem, et spirationem esse virtualiter distinctas. 23 Ex his responde tur in forma.

Potestque hoc explicari duplici exemplo, nempe, diversarum causarum totalium, et efficientium inter se subordinatarum, ut sunt homo, Sol, et Deus, respectu productionis alicujus hominis, necnon materiæ, et formæ, ac totius ex illis compositi, Nam ex eo quod causæ illæ efficientes concurrunt, non utcumque, sed ita ut quævis ex illis sit in suo ordine totalis, idcirco quævis refertur sua relatione totali ad hominem productum, licet relatio, quæ se tenet ex parte Dei, non sit realis, sed rationis, propter eminentiam divini *esse*, quod non est realiter referibile, aut ordinabile ad aliquid creatum. Et similiter ex parte hominis correspondent illis tres relationes totales et completæ, quæ specie etiam distinguantur. Quia vero materia et forma solum præstant concursum partialem in suo ordine, quia concurrunt per modum partium, idcirco, si quæ est in illis, v. g. in materia, relatio ad hominem, ut ad totum, quod causant, talis relatio solum distinguitur specie partiali a relatione illa, quæ est in forma, et ambæ relationes constituunt unum integrum correlativum. Illustratur exemplis.

Sic ergo in præsenti dicendum est. Quoniam pater et mater solum concurrunt, ut principia partialia, respectu generationis 24.

rationis filii, et ex utroque concursu integratur unus concursus totalis : et propterea licet unumquodque ex iis principiis referatur per distinctam relationem ad filium, non idcirco opus est, ut ex parte filii correspondeat eis duplex relatio secundum speciem : quia ad hoc requirebatur, ut quilibet ex parentibus concurreret ut principium totale, ut explicatum est : ac proinde, quod duæ illæ relationes paternitatis et maternitatis non concurrerent per modum integrantium unicum terminum totalem respectu filiationis.

Exponitur D. Thomas pro præcedenti solutione adductus.

Neque id, quod pro se adducit præcedens solutio ex D. Thoma, ei sufficienter favet. Nam Angelicus Præceptor in eo testimonio solum vult, quod duabus relationibus specie partiali distinctis, et exigentibus rationes fundandi partialiter distinctas, potest correspondere unica et eadem tantummodo relatio secundum speciem absque aliqua virtuali distinctione : sicut e converso, quoties relationes ex adverso correspondentes sunt totales, tunc optime arguitur, quod relatio, cui correspondent, est multiplex secundum speciem, cum distinctione saltem virtuali. Et hoc modo optime conciliantur hæc duo testimonia D. Thomæ, nempe illud ex 3 p. et hoc ex art. 2 hujus quæstionis.

D.Thom.

Unde, cum D. Thomas subdidit in loco illo ex 3 part. quod *ex parte prolis est una relatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet utrique relationi parentum. secundum duos respectus intellectos*, non vult, quod sit ibi multiplex virtualiter filiatio, et secundum speciem distincta ; sed quod in eadem indivisibili filiatione, quæ sit unica secundum speciem absque distinctione virtuali, sint ibi duo munera ex parte solius nostri modi concipiendi distincta, et quod ratione horum munerum possit ibi intellectus distinguere, et formare duos respectus rationis, quorum unus ad partem, alius vero ad matrem, terminetur. Et propterea idem Angelicus Doctor in 1 dist. 27 q. 1 art. 1 loquens de relatione creata ait, impossibile esse eamdem relationem realem esse in diversis speciebus.

25. Occurritur etiam rationi ejusdem solutionis.

Neque etiam ratio ex triplici illa probatione in ea contenta coalescens illam sufficienter confirmat. Nam ad primam probationem dicendum est, quod si pereat, v. g. mater, remanente patre, tunc nihil realitatis pertinentis ad relationem filiationis perit, sed tota realitas ibidem manet : quamvis ex defectu illius connotati, nempe existentiæ patris, non denominet filium relatum ad patrem, nec prædicta relatio extendatur ad illum : ac proinde nec tribuat filio, quod in actu exercito respiciat patrem : quia ad hanc denominationem, extensionem, et exercitium, non sufficit sola realitas relationis ; sed requiritur realitas, et connotatum prædictum : et ideo ex defectu istius, potest non dari prædicta extensio, et exercitium ; licet remaneat relatio quoad suam realitatem, et ut tribuens exercitium respiciendi matrem ; ex eo quod ad hoc satis est, quod maneat ipsa mater.

Explicatur exemplo

Potestque hoc explicari exemplo relationis paternitatis, quæ etsi prius terminetur ad duos filios, pereunte tamen uno ex illis, remanet quoad suam realitatem : licet non remaneat quoad extensionem, denominationem, et exercitium respiciendi utrumque. Quia ad hujus realitatis persistentiam satis est, quod permaneat aliquis ex terminis partialibus, quos respicit : cum tamen ad exercitium et extensionem prædictam requiratur, quod uterque filius maneat. Sed de his videantur ea, quæ in 2 tomo tractatu 4 disp. 7 a num. 5 usque ad 58 diximus, ubi plura, quæ ad hoc explicandum poterunt prodesse, adduximus.

Nec prodest, ad hoc ut in prædictis 26.
eventibus remaneat paternitas respectu filii præexistentis, pereuntibus aliis filiis, non vero queat remanere filiatio respectu solius maternitatis; quod prædicti filii solum materialiter et numerice in ratione termini distinguantur respectu patris : cum tamen maternitas, et paternitas in *esse* termini filiationis specifice partialiter distinguantur.

Non itaque discrimen hoc prodest ad prædictum intentum. Et ratio est. Quoniam ad hoc, ut permaneat aliqua realitas, non tribuens omnem suum effectum formalem, sed aliquem, sive illi effectus virtualiter, sive ex parte nostri modi concipiendi sint distincti, satis est, quod permaneant ea connotata, quæ requiruntur ad prædictum effectum inadæquatum, ut patet, tum in probabili sententia asserentium, animam sensitivam equi esse in capillis secundum aliquem ex suis effectibus inadæquatis tantummodo, scilicet, secundum *esse* radicaliter vegetativum. Nam juxta hunc modum dicendi satis est ad hoc, ut tota ejus realitas ibidem sit, non tribuendo omnem suum effectum forma-

lem, quod dentur ea connotata, quæ requiruntur ad illum effectum inadæquatum. Tum etiam in essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, quæ licet solum ex parte nostri modi concipiendi distinguatur a se ipsa, ut est principium videndi Deum, et ut est visio illius : nihilominus communicatur intellectui beato, ut habet rationem speciei intelligibilis, non vero ut habet rationem visionis : ex eo quod intellectus est capax illius quasi effectus, non vero istius : et ideo ad hoc, ut sit ibi specialiter tota realitas divinæ essentiæ, sufficit, quod sint ibi connotata requisita ad priorem illum effectum, ut lumen gloriæ, et si quæ sunt alia, quæ per modum connotati ad effectum istum desiderantur.

27. Et ratio horum omnium est eadem. Quia nec realitas animæ sensitivæ, nec divinæ essentiæ, nec tandem relationis filiationis requirunt omnia sua connotata ad sui permanentiam ibidem, nisi ut tribuunt totum suum effectum, et exercitium, quod tribuere possunt. Et ideo realitas filiationis ad permanendum secundum totam suam realitatem, non tamen tribuendo omnem suum effectum, exercitium, et extensionem, non requirit permanentiam utriusque parentis, sed solum unius ex illis.

Ad secundam vero probationem respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia ad multiplicationem dependentiæ passivæ ex parte effectus non sufficit multiplicatio concursuum partialium ex parte principii effectivi; sed requiritur multiplicatio concursuum totalium. Et ratio est, ex eo quod dependentia passiva non habet correspondere concursibus activis, ut inter se distinctis, sed ut constituentibus unum integrum et totalem concursum.

28. Replica P. Vasquez. Nec obest, si urgeas cum Vasquez, quod isti concursus patris et matris potius videntur totales, quam partiales : ac proinde ex parte filii erit duplex dependentia passiva : et per consequens duplex relatio filiationis, quarum una sit ad patrem, et alia ad matrem; licet solum secundum speciem, non vero entitative sint distinctæ. Antecedens probatur. Quia unusquisque eorum attingit totam prolem, et non tantum partem : et insuper concursus isti sunt inter se specie distincti, et unusquisque intra propriam speciem est sufficiens : quæ duæ conditiones videntur esse satis ad concursus totales; quamvis causæ sic concurrentes sint talis conditionis, ut una sine alia effectum non producat, ut in causis subordinatis non amittentibus propter hanc rationem, quod sint causæ totales, satis cernitur.

Respondetur enim negando antecedens. Quia hoc, quod est, aliquam causam concurrere per concursum totalem, non sumitur ex illis duobus capitibus ibidem recensitis, sed ex hoc, quod si fuerit causa, v. g. particularis, præstet in suo ordine totum influxum, qui in ordine causæ particularis desideratur. Hoc autem non convenit patri aut matri per se, et separatim sumptis : quia intra ordinem causarum particularium neutrius concursus solus est sufficiens; sed requiritur concursus matris efficiens materiam, nempe semen maternum, et ministrans illud ut materiam, et insuper desideratur concursus activus patris producens semen virile, et active mediante illo gignens eumdem filium. Unde nec obest, vel quod concursus isti sint distinctarum specierum : quia causæ partiales etiam possunt distingui specie, aut quasi specie partiali, ut de materia et forma constat. Nec ut dicebamus, quod tam mater quam pater attingant totum effectum : quia inde solum sequitur, esse causas totales totalitate effectus : non vero totalitate causæ et concursus totalis. Occurritur.

Ex quibus ad tertiam probationem respondetur, diffinitionem patris sic posse tradi : *Pater est, qui habet filium per generationem activam* : matris vero, quod sit *quæ habet filium per subministrationem suæ materiæ.*

DUBIUM III.

Utrum tantum sint quinque notiones in divinis?

Quia Angelicus Præceptor, postquam explicuit, an sint notiones in divinis, statim inquirit, an prædictæ notiones sint quinque : ideo nos ejus vestigia sectantes, post præcedens dubium excitamus hoc ad explicandum numerum divinarum notionum. Et quia idem S. Doctor non solum quinarium numerum notionibus assignat; sed innuit, illas prædictum numerum non excedere : idcirco nos utrumque in præsenti dubio conjunximus. 29.

§ I.

§ I.

Dubii difficultas ex mente Angelici Præceptoris diluitur.

30. Conclusio. Dicendum ergo est, in divinis esse quinque notiones, et non plures, nempe, Paternitatem, Filiationem, Spirationem, et Processionem, quæ sunt quatuor relationes reales in Deo inventæ, et insuper innasci-
D.Thom. bilitatem. Ita D. Thomas artic. 3 hujus quæstionis, et in 1 dist. 26 q. 2 art. 3 et dist. 28 q. 1 de Potentia q. 9 art. 9 ad 21 et 27 et q. 10 art. 5 ad 12, necnon Opusculo 2 cap. 57 et 58 ubi assertionem hanc non solum tuetur, sed etiam perspicue explicat his verbis : *Necesse est personarum proprietates, quibus ab invicem distinguuntur, in aliquo numero esse, quarum tres oportet Patri convenire. Una qua distinguatur a Filio solo : et hæc est Paternitas. Alia, qua distinguatur a duobus, scilicet Filio et Spiritu Sancto : et hæc est innascibilitas : quia Pater non est Deus procedens ab alio, Filius autem, et Spiritus Sanctus ab alio procedunt. Tertia est, qua ipse Pater cum Filio a Spiritu Sancto distinguitur, et hæc dicitur communis spiratio. Proprietatem autem, qua Pater differat a solo Spiritu Sancto, non est assignare : eo quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Filio autem necesse est duas convenire. Unam scilicet, qua distinguatur a Patre, et hæc est Filiatio. Aliam, qua simul cum Patre distinguatur a Spiritu Sancto, quæ est communis spiratio. Non autem est assignare proprietatem, qua distinguatur a solo Spiritu Sancto : quia, ut jam dictum est, Filius, et Pater sunt unum principium Spiritus Sancti. Similiter etiam non est assignare proprietatem unam, qua Spiritus Sanctus, et Filius simul distinguantur a Patre. Pater enim ab eis distinguitur una proprietate, scilicet innascibilitate, in quantum est non procedens. Sed quia Filius, et Spiritus Sanctus non una processione procedunt, sed pluribus, duabus proprietatibus a Patre distinguuntur. Spiritus autem Sanctus habet unam proprietatem tantum, qua distinguitur a Patre et Filio, et dicitur Processio. Quod autem non possit esse aliqua proprietas, qua Spiritus Sanctus distinguatur a Filio solo, vel a Patre solo, ex dictis patet. Sunt igitur quinque, quæ personis attribuuntur, scilicet, innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio.*

Ubi Angelicus Præceptor, non solum satis explicuit, notiones esse quinque, sed etiam sufficienter innuit, non excedere prædictum numerum, ut constat, tum ex modo loquendi, tum ex rationibus, quas in prædicta explicatione inseruit, tum denique ex titulo capitis 57 qui sic ab Angelico Doctore inscriptus est, nimirum, *De proprietatibus, seu notionibus in divinis, et quot sunt numero in Patre :* necnon ex titulo capitis 58 qui sic se habet : *De proprietatibus Filii, et Spiritus Sancti, quæ et quot sunt.*

Ex quo fit, nihil obesse, si contra testi- 31.
monium hoc, quatenus in favorem nostræ assertionis adductum est, objicias, quod Angelicus Præceptor non dixit in illo, esse in divinis quinque notiones, sed quinque proprietates. Ex nuper igitur dictis constat, hoc nihil obesse. Siquidem titulus illius capitis 57 : *De proprietatibus, seu notionibus divinis,* inscriptus est : et ut hoc magis denotaret, ideo in cap. 59 inquirit : *Quare prædictæ proprietates dicantur notiones?* et statim addit : *Hæc autem quinque notiones personarum dici possunt : eo quod per eas nobis innotescit in divinis distinctio personarum.*

Quibus etiam addi potest, quod, ut innuit idem D. Thomas in præsenti art. 3 notio est superior ad proprietatem, sive personalem, id est constituentem personam, sive non personalem, seu personam non constituentem. Et propterea si proprietates, sive personales, sive non personales fuerint quinque, non possunt non notiones esse quinque. Sicut quia animal est superius ad omnia animalia, debet multiplicari juxta numerum animalium. Nec necesse erit, ultra Angelici Doctoris testimonium, plura alia ad assertionem hanc tuendam congerere; sed sufficiet dicere, illam communi Scholasticorum calculo (unico excepto Scoto) confirmatam esse, et insuper eam Scotus.
doceri a sanctis Patribus, apud quos invenitur usus hujus nominis *notio*, ut a Basi- Basil.
lio lib. 2 adversus Eunomium et epistola 37 ad Gregorium fratrem, ab Augustino August.
5 de Trinitate cap. 6 et lib. 15 c. 26, et a Nyssenus.
Nysseno Orat. catechetica c. 2, Nazianz. Nazianz.
Orat. 35, et aliis Patribus.

§ II.

Ratio fundamentalis pro assertione.

Ratio autem fundamentalis desumitur ex 32. Ratio fundamentalis.
D. Thoma art. 3 hujus quæstionis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam no-

tiones in divinis pertinent ad ordinem originis personarum, dicuntque aliquam dignitatem : ergo numerus earum desumendus est penes ordinem originis ejus, a quo est alius, et ejus, qui est ab alio : ergo prædictæ notiones erunt quinque, ita ut non sint plures. Antecedens constat ex dictis dubio 1 hujus disputationis. Nam cum notio sit ratio propria cognoscendi divinam personam, erit utique ratio propria illius, per quam ipsa ab alia, vel aliis personis aliquo modo distinguitur. Constat autem, quod ratio propria personæ divinæ, per quam ipsa aliquo modo distinguitur ab alia, vel ab aliis personis, pertinet ad ordinem originis earumdem personarum : siquidem non nisi mediis his ordinibus distinguuntur. Sicut etiam perspicuum est, quod notio personæ innuit ex vi sua personam ipsam : et per consequens habet innuere aliquam dignitatem, nempe, dignitatem personæ divinæ, quæ consistit in hoc, quod sit suppositum naturæ intellectualis perfectissimæ.

Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Quoniam si notiones pertinent ad ordinem originis, oportet, ut numerus earum desumatur ex numero, et pluralitate ordinum originum : siquidem ea, quæ ad prædictum ordinem pertinent, non aliunde distinguuntur, et plurificantur. Cumque ordines originum reperti in Deo tantum sint, ejus, a quo alius, et ejus qui ab alio, oportet, ut juxta prædictos ordines numerus, et pluralitas notionum accipiatur.

33. Secunda vero consequentia quoad priorem ejus partem, nempe, notiones esse quinque, ex hac priori, et ex antecedenti satis deducitur. Quoniam cum in divinis tantum sint duæ processiones positivæ, una per intellectum, quæ est generatio, alia per voluntatem, quæ est spiratio amoris, oportet, ut in unaquaque ex istis quasi fundentur duo ordines positivi originis. In prima quidem, quæ est generatio, unus ordo originis ejus, a quo est alius per generationem, qui vocatur *Paternitas*, et est propria notio Patris. Secundus vero ejus, qui est a Patre per generationem, nempe *Filiatio*, quæ est notio Filii. In secunda vero processione primus ordo est ejus, a quo est alius per spirationem, qui ordo est *spiratio activa*, et est propria notio Patris et Filii : ex eo quod uterque est unicum principium (modo infra explicando) spirandi Spiritum Sanctum. Secundus vero ordo ejus, qui est ab alio per spirationem, qui ordo est spiratio passiva, quæque nuncupatur communi nomine *Processionis*, et est propria notio Spiritus Sancti. Cumque ultra hunc modum pertinendi positive ad ordinem originis, ex eo nimirum, quod positive aliquis procedat ab alio, detur alius modus pertinendi ad ordinem originis, nempe negative, quatenus aliquis nullo modo procedit ab alio, et in universum quævis carentiæ reducantur ad suum positivum, ac proinde omnimoda carentia processionis, et ordinis originis ab alio reducitur hoc modo ad suum positivum, scilicet ad ordinem originis : inde est, ut detur in divinis quinta notio, ad ordinem originis hoc modo pertinens, nempe innascibilitas, prout dicit prædictam carentiam, quæ est propria notio Patris.

Ex quo etiam eadem consequentia quoad secundam ejus partem, nempe, quod notiones sint tantum quinque, probatur. Quoniam loquendo de his, quæ spectant ad ordinem originum positive, planum est, non posse dari in Deo alias notiones sic pertinentes ad prædictum ordinem : siquidem certum est, ut constat ex dictis q. 28 non posse dari alios ordines, sive relationes originis, præter quatuor jam enumeratas. Si autem fiat sermo de aliis, quæ pertinent ad ordinem originis negative, aut privative, qualia sunt non esse spiratum in Filio, et non esse genitum, aut non esse spirantem in Spiritu Sancto, et si quæ sunt alia his similia, certum est, prædicta non habere rationem novarum notionum : ex eo quod, licet innascibilitas innuat dignitatem, quia removet omnem rationem procedendi ab alio, seu hoc quod est, habere suum *esse* ab alio : non tamen aliæ negationes, sive privationes enumeratæ. Quia quod Spiritus Sanctus non spiret, nec pertinet ad dignitatem personæ, nec negatio ista illam arguit. Et similiter quod Filius non procedat hoc speciali modo, nempe per spirationem, aut Spiritus Sanctus non procedat per generationem, sed ille sit non spiratus, et iste non genitus, non dicit dignitatem, si semel procedunt (ut revera procedunt) per aliam processionem. Et propterea, quod aliquæ creaturæ non spirent, aut quod non procedant per generationem, aut spirationem, non arguitur in illis, ex hac præcisa ratione, aliquid, quod ad dignitatem personæ pertineat. E contra vero, hoc ipso quod aliquid, quodcumque illud sit, non habeat suum *esse* ab alio, arguitur inde, et significatur specialis dignitas personalis, nempe, quod sit

sit suppositum naturæ intellectualis ; imo non qualiscumque, sed perfectissimæ et divinæ.

35. Confirmatur et explicatur. Confirmatur, et explicatur. Quoniam si loquamur de pertinentibus positive ad ordinem originis, qualia sunt prædictæ quatuor relationes, tunc istæ habent potissime pertinere ad prædictum ordinem, et significare specialem dignitatem pertinentem ad rationem personæ. Si vero fiat sermo de pertinentibus ad ordinem originis negative, tunc innascibilitas habet peculiari ratione significare, sive innuere prædictam dignitatem; non vero cæteræ aliæ negationes, sive privationes. Ergo illæ solæ quatuor relationes, una cum innascibilitate, habebunt rationem specialium notionum : et per consequens tantum erunt quinque notiones. Utraque consequentia videtur perspicua.

Antecedens autem quoad primam partem, nempe de quatuor relationibus, etiam constat. Quoniam significare specialem dignitatem pertinentem ad personam, nihil est aliud, quam significare dignitatem personæ provenientem ei ex eo, quod afferat naturam intellectualem. Constat autem, quatuor illas relationes originis significare hanc dignitatem : siquidem Paternitas, et Filiatio sunt eædem prorsus relationes, ac relationes dicentis intellectualiter ad Verbum, et Verbi ad prædictum dicens. Et similiter relationes spirationis et processionis sunt relationes ejus, qui procedit ad intra per voluntatem, et ejus, a quo alius sic procedit : quæ quidem quatuor relationes nec possunt esse extra naturam intellectualem, nec possunt non significare dignitatem personæ intellectualis, quam constituunt, vel quasi afficiunt.

36. Et similiter idem antecedens quoad secundam partem, nempe, discrimen innascibilitatis, et aliarum negationum quoad specialiter denotandam dignitatem personæ, probatur. Nam quo aliqua affirmatio, vel habitus, aut quasi habitus alicujus carentiæ est specialior, eo carentia illa est universalior, et pluribus convenit. Econtra vero, quo prædicta affirmatio, vel habitus, aut quasi habitus est universalior, eo carentia illius est specialior, et paucioribus convenit, ut patet *in non homine, et non animali*, ex quibus prior carentia, quia removet aliquid specialius, nempe hominem, est magis universalis, quam secunda, nempe *non animal*, quæ removet aliquid universalius. Et propterea *non homo* pluribus convenit, quam *non animal* : et ita quidquid est *non animal, est non homo* ; non tamen e contra.

Quare, cum carentia procedendi per spirationem præcise, seu non esse præcise spiratum (et sic de similibus carentiis) removeat tantummodo aliquem specialem modum procedendi, et per consequens ejus affirmatio, et habitus sit specialior : e contra vero innascibilitas removeat omnem modum procedendi ab alio, atque adeo affirmatio, et habitus ei oppositus sit universalissimus : oportet, ut priores illæ carentiæ sint universaliores, et potentes convenire rebus non intellectualibus, imo etiam inanimatis : e contra vero innascibilitas sit carentia specialior, et non potens convenire illis rebus, quibus aliæ negationes jam dictæ propter sui universalitatem conveniunt; sed solum posse convenire rei, et supposito intellectuali, ut revera illi soli potest convenire : siquidem solum prædictum suppositum potest non esse aliquo modo ab alio : et ita prædicta innascibilitas peculiari ratione denotabit hanc specialem dignitatem pertinentem ad personam; quam tamen cæteræ aliæ carentiæ non denotant.

37. Confirmatur et elucidatur secundo. Confirmatur et explicatur secundo. Quoniam si quæ sunt aliæ rationes positivæ pertinentes ad ordinem originis, ut ratio ordinis originis ut sic in Deo existentis, ratio procedendi passive ab alio, vel ratio missi ab una, vel duabus personis, tunc ista non habebunt specialem rationem notionum, nec ponent in numero cum notionibus enumeratis, quod idem de aliis rationibus positivis ad ordinem originis spectantibus dicimus : ergo tantum quinque enumeratæ erunt notiones : siquidem (ut nuper dicebamus) si fiat sermo de pertinentibus negative ad ordinem originis, sola innascibilitas potest habere rationem notionis. Antecedens autem videtur certum. Quoniam rationes illæ in eo enumeratæ tantum dicunt aliquid commune communitate rationis, et inclusum in specialibus notionibus; non vero aliquid, quod licet sit commune communitate rei, nihilominus sit quid singulare, ut in spiratione activa contingit. Constat autem, rationes communes communitate rationis non ponere in numero cum rationibus specialibus, neque esse speciales rationes cognoscendi aliquid secundum id, quod est sibi proprium. Sicut etiam si quæ sunt aliæ rationes positivæ pertinentes aliquo modo ad originem, non aliter, aut aliunde habent esse proprias rationes alicujus ex personis divinis, nisi ratione alicujus ex quinque notionibus enu

meratis : quia ipsæ solæ dicunt aliquid proprium, et cæteræ aliæ non nisi ratione earum, ut ex statim dicendis amplius patebit.

38. Angel. Doctor. Desumpsimus autem hanc nostram rationem fundamentalem una cum duplici sua confirmatione ex Angelico Doctore in 1 dist. 26 quæst. 2 art. 3 cujus verba, et discursum, quia satis eleganter et dilucide totam hanc rem explicant, placuit ad unguem referre, quæ sic se habent : *Harum autem notionum quinque sufficientia sic patet. Ad hoc enim, quod aliquid dicatur notio personæ, tria requiruntur. Primo, quod ad originem pertineat : quia relationibus originis personæ distinguuntur. Secundo, quod pertineat ad dignitatem : quia persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Tertio, quod dicat aliquid speciale : quia commune non est sufficiens principium innotescendi. Dico igitur, quod pertinens ad originem potest significari, vel affirmative, vel negative. Si affirmative, vel dicetur secundum rationem principii, ut a quo alius; vel secundum rationem ejus, quod est a principio, ut qui ab alio. Utrumque istorum dicit originem in communi : unde neutrum potest esse notio. Oportet ergo, quod determinetur secundum specialem modum originis, qui non est nisi dupliciter, ut supra probatum est, scilicet per modum naturæ, et per modum amoris : et secundum utrumque habemus duas relationes, unam, quæ designat rationem principii, et alteram, quæ designat rationem ejus, quod est a principio : et sic sunt quatuor notiones, scilicet, Paternitas et Filiatio quantum ad modum originis naturæ; processio et communis spiratio, quantum ad modum originis amoris. Si significatur negative, vel negatur ratio principii, vel ratio ejus, quod est a principio? Si negatur ratio principii, non est ad dignitatem pertinens : et ideo non potest esse notio Spiritus Sancti, nec esse principium alicujus personæ divinæ. Si negatur ratio ejus, quod est a principio, aut in speciali, aut in generali? si in speciali, non potest esse notio, quia quanto affirmatio est magis specialis, tanto notio opposita est magis communis : sicut non homo est magis commune, quam non animal : quia omne non animal est non homo; sed non convertitur. Si in generali, sic erit negatio specialis, et ad dignitatem pertinens : unde faciet notionem Patris, quæ est innascibilitas, quæ significat non esse ab alio secundum quod est proprietas Patris.*

§ III.

Objectio duplex contra rationem D. Thomæ, et ejus secundam confirmationem ex dictis solvitur.

Quæ ratio, una cum suis confirmationibus, est ita efficax, ut ex ea plures objectiones, quæ in contrarium fieri poterant, facile corruant. Nam in primis contra rationem prædictam et secundam ejus confirmationem objici potest, non numerari sufficienter in illa ea, quæ positive pertinent ad ordinem originis. Nam potentia generativa et spirativa pertinent aliquo modo ad ordinem originis : siquidem prædictæ potentiæ sunt principium *quo* Filii et Spiritus Sancti, et prima est propria Patris, secunda vero Patris et Filii et unaquæque ex illis denotat specialem dignitatem, quæ est in persona : sicuti etiam processiones tam activæ quam passivæ denotant hanc dignitatem : ex eo quod solæ personæ, seu supposita naturæ intellectualis possunt procedere per prædictas processiones, quas etiam, planum est, potissime spectare ad ordinem originis satis specialiter, nempe, sicut rationes fundandi prædictos ordines, sive relationes originis. Propter quod Augustinus 5 de Trinitate cap. 6 et Cyrillus lib. 1 Thesauri cap. 6 computant inter notiones, esse *genitum*, vel *genitorem*, quæ duo denotant generationem activam et passivam : quoniam sumunt ibi prædicti Patres concretum pro abstracto. 39. Prior objectio contra rationem et secundam confirmationem. August. Cyrillus.

Confirmatur. Quoniam ultra prædicta dantur etiam aliæ rationes positivæ, quæ non sunt numeratæ in ratione ex Angelico Præceptore adducta, quæ quidem sunt etiam notiones : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam Patri convenit esse fontale principium Deitatis, et ratione Paternitatis habet esse majorem Filio, testibus Athanasio Oratione 2 contra Arrianos, Hilario 9 de Trinitate, Damasceno 1 de Fide cap. 8, et aliis. Et similiter Filio competit, quod sit imago, et Spiritui Sancto ratio amoris et doni, quæ sunt distincta a Filiatione et Processione. Constat autem, unamquamque ex his esse rationem propriam cognoscendi personam divinam, ac proinde esse notionem. Confirmatur primo. Athanas. Hilarius. Damasc.

Confirmatur secundo. Quoniam ex eo quod Pater cognoscitur, tum positive, tum negative, seu per remotionem, admittuntur in illo plures notiones, nempe Paternitas, Confirmatur secundo.

nitas, spiratio activa et innascibilitas : ergo ob eamdem rationem debet in eo alia notio positiva admitti. Patet consequentia. Quia etiam cognoscitur per viam eminentiæ et causalitatis respectu creaturarum. Ad Ephes. 3. Et propterea ad Ephesios 3 dicitur, quod a Patre æterno derivatur *omnis paternitas in cœlo et in terra*. Quæ confirmatio etiam probat, dandas esse in Filio et Spiritu Sancto alias notiones, quibus per viam remotionis, causalitatis, et eminentiæ cognoscantur.

40. Enodatur objectio. Respondetur ex dictis negando, non esse factam sufficientem enumerationem earum rationum positivarum, quæ possunt constituere speciales notiones in divinis. Unde ad illud de potentia generativa et spirativa dicendum est, prædictas potentias dicere in recto aliquid essentiale et commune omnibus personis, ut constat ex illis, quæ in hoc tractatu disput. 1 num. 79 diximus. Et ita potentia generativa dicit in recto naturam divinam : potentia vero spirativa proxima ipsam voluntatem Dei per modum actus purissimi et solum in obliquo et pro connotato dicunt relationes originis : et propterea a solummodo propter obliquum et ratione illius dicunt aliquid proprium pertinens ad ordinem originis. Quia vero id proprium, quod unaquæque ex illis dicit, tantum est, vel relatio Paternitatis, quæ connotatur a potentia generativa, vel relatio spirationis activæ, quæ est connotatum potentiæ spirativæ, ut q. 30 dicetur, et istæ relationes constituunt speciales notiones : idcirco potentiæ jam dictæ non afferunt aliquid proprium distinctum ab istis proprietatibus, per quod peculiariter notificent personam, aut personas illas, cujus sunt propriæ : et propterea nequeunt constituere speciales notiones. Maxime, quia (ut ex diffinitione, aut quasi diffinitione notionis a nobis dubio 1 hujus disputationis tradita et communiter recepta constat) *notio* debet in recto dicere aliquam rationem propriam personæ divinæ, per quam ipsa notificetur : quam tamen non dicere aliquam ex his duabus potentiis explicuimus.

Ex quo etiam ad id, quod de ipsis processionibus in eadem objectione adducitur, satis constat. Tum, quia si loquamur de prædictis processionibus active sumptis, dicunt in recto aliquid essentiale, ut loco citato explicuimus et hoc nulla ratione distinguitur virtualiter ab eo quod prædictæ potentiæ generativa et spirativa dicunt, propter summam earum puritatem, propter quam pertingunt ad hoc, ut sint ipsa actualis generatio et ipsum *spirare*. Si vero loquamur de eisdem passive acceptis, tunc licet sit satis probabile, quod dicant in recto aliquid proprium, ita ut generatio passiva dicat in recto Filiationem et spiratio passiva relationem processionis : nihilominus quia ratione hujus, quod in recto dicunt, non afferunt aliquam aliam rationem propriam præter eam, quam afferunt relatio processionis seu spiratio passiva et Filiatio : idcirco non constituunt speciales notiones, neque aliter notificant personas, quam prædictæ relationes.

Maxime, quia (ut ex alibi dictis constat) in Filiatione et spiratione passiva non sunt duæ rationes virtualiter distinctæ, hoc quod est, esse rationes referendi et esse rationes passive procedendi, seu esse ipsas processiones passivas jam dictas : et ideo non constituunt speciales notiones. Sicut propter eamdem rationem Paternitas licet dicat plura munera inadæquata ex parte solius nostri modi concipiendi distincta, ut esse rationem præcise referendi Patrem ad Filium, esse constitutivam personæ divinæ ad instar nostrarum personalitatum et esse veluti fundamentum spirationis activæ, ut aliqui dicunt : nihilominus non ideo constituit plures notiones.

Adde, quod ad rationem notionis desideratur, quod significetur per modum formæ, aut quasi formæ *in facto esse* ; non vero per modum viæ et veluti *fieri*. Quia cum notiones sint rationes propriæ cognoscendi divinam personam et persona significetur ut forma, aut quasi forma *in facto esse*, oportet, ut et ipsæ notiones sic significentur : siquidem propriæ rationes cognoscendi formam perfectam et *in facto esse* debent eidem proportionari. Quare, cum processiones non significentur, nisi ut *in fieri*, et per modum viæ, inde est, ut secundum hunc formalissimum et expressum conceptum processionum non habeant rationem notionum. Unde ad illud testimonium ex Augustino et Cyrillo adductum dicendum est, hos sanctos Patres loqui de generatione activa et passiva ratione relationum originis, quas afferunt, secundum quas sunt veræ notiones. 41. Additamentum.

Ad primam confirmationem respondetur, quod ratio fontalis principii in Patre non dicit aliquid proprium ipsius distinctum a Paternitate, vel ad summum (de quo statim) distinctum a Paternitate et spiratione Ad primam confirmationem.

activa : et ideo ratio fontalis principii ratione positivi, quod affert, non potest specialem notionem constituere.

42. Ad illud autem ex Hilario et Athanasio dicendum est, Patrem ea sola ratione dici majorem Filio, quia est principium illius : ideoque hæc ratio non dicit aliquid positivum constituens novam notionem. Ratio autem, ob quam Pater ob hoc dicitur major Filio non est, quia revera dicat ex hoc capite aliquid majoritatis, aut majoris perfectionis, ut ex dictis disputatione 6 numero 24 constat; sed quia hoc quod est, esse principium alterius, dicit in creaturis aliquid majoritatis et excellentiæ : et ita nisi alias in Deo propter unitatem essentiæ et omnimodam æqualitatem personarum repugnaret aliqua majoritas et inæqualitas in perfectione inter divinas personas, tunc Pater, ex eo quod sit principium Filii, diceret aliquam majoritatem et excellentiam respectu illius.

Ad id autem, quod de ratione imaginis, et verbi convenientis Filio adducitur, dicendum est, relationem imaginis et verbi non esse distinctam, adhuc virtualiter, a relatione Filiationis, ut constat ex illis, quæ disputat. 2 dubio 4 hujus tractatus

D.Thom. diximus, et ex illis, quæ Angelicus Præceptor quæstione sequenti articulo 2 ait, ideoque non constituere specialem notionem. Sicut etiam ratio amoris et doni illam respectu Spiritus Sancti non constituit : quia relatio importata ab amore et dono notionali conveniente Spiritui Sancto non distinguitur, adhuc virtualiter, a relatione processionis passivæ, ut ex dictis loco citato, et cum proportione ad præsens applicatis, patet.

Additamentum. Adde, quod si ratio verbi aut imaginis est aliquo modo distincta a relatione Filiationis, vel quia dicunt quid commune Filio et aliis, vel quia dicunt aliquid speciale repertum in Filio, ut aliquam relationem rationis ad creaturas, tunc neque ob hanc rationem dabitur alia notio in Filio : quia ratio communis communitate rationis, qualis esset hæc, non constituit specialem notionem, et illa relatio rationis, sive formaliter, sive fundamentaliter sumpta convenit Filio ratione essentiæ; non vero ratione Filiationis, aut alicujus alterius proprietatis relativæ : et ita esset communis toti Trinitati : et per consequens non esset peculiaris notio.

43. Ad secundam vero confirmationem negetur consequentia. Quia ratio eminentiæ, aut causalitatis repertæ in Patre convenit etiam ei ratione essentiæ : et idcirco est aliquid commune; non vero aliquid proprium.

Ad secundam confirmationem.

Ad testimonium vero ex Paulo respondetur primo, quod (ut constat ex Glossa ibidem) loquitur ibi Paulus de patre per creationem, vel adoptionem, quæ ratio est communis toti Trinitati. Nec obest, quod ibidem fiat sermo de Patre Domini nostri Jesu Christi. Quia prædicta particula potest intelligi de humanitate Christi Domini, cujus pater, id est conditor, fuit Deus.

Prior solutio ad testim. D. Pauli.

Respondetur secundo, quod ratio Patris prius dicitur de patre notionaliter sumpto, quam de patre creato, ut exponit D. Thomas quæstione sequenti art. 2 ad 4 et art. 3. Unde sensus Pauli non est, paternitatem creaturarum causari a solo patre notionaliter sumpto, sed quod denominatio patris convenit creaturis, quia prius et principalius convenit patri notionaliter accepto. Hinc autem non fit, quod debeat assignari alia distincta notio in Patre propter istam rationem : siquidem omne hoc includitur in Paternitate, ut est una ex quinque notionibus.

Secunda solutio. D.Thom.

Secundo objicies, non esse sufficienter enumerata in prædicta ratione omnia illa, quæ negative pertinent ad ordinem originis in divinis. Quoniam in Filio datur quædam specialis negatio, nempe, carentia præsupponendi aliam personam ante ipsum procedentem : siquidem Filius est primus procedens in divinis : at hæc specialis carentia pertinet ad ordinem originis negative, et constituit specialem notionem : ergo, etc. Major ex se constat. Sicuti etiam minor quoad primam partem satis liquet. Quoad secundam vero partem probatur. Nam ideo carentia procedendi ab omni alio in Patre constituit specialem notionem : quia notificat illum speciali ratione distincta ab illa, qua notificatur per Paternitatem : siquidem per istam notificatur in ordine ad Filium; per innascibilitatem vero solum per remotionem alicujus anterioris ad ipsum. Sed similiter prædicta carentia reperta in Filio notificat ipsum per remotionem alicujus procedentis ante ipsum; Filiatio vero per ordinem ad Patrem : ergo, etc.

44. Secunda objectio.

Respondetur, quod in primis prædicta negatio convenit etiam Patri, et in eo est idem ac innascibilitas : ac proinde neque est notio specialis in Patre, neque est notio solius Filii, imo neque est notio communis utrique. Quoniam ad hoc desiderabatur,

Dissolvitur.

batur, quod esset distincta virtualiter ab innascibilitate : sicut spiratio, quia est communis Patri et Filio, est virtualiter distincta ab innascibilitate et Paternitate. Deinde addimus, prædictam negationem non significare ex se dignitatem personalem; sed quantum est ex se, et ex iis, quæ in recto dicit, convenire cuivis supposito, et non solum supposito intellectuali : quia convenit etiam omni creaturæ procedenti a Deo, si ipsa secundum id, quod petit in ratione procedentis, et effectus, consideretur. Et ratio est. Quoniam etsi creaturæ procedant a tota Trinitate, et per consequens præsupponant personas divinas procedentes : id tamen non petunt ex parte sua; sed solum id contingit ex eo, quod alias Deus est Trinus, et unus, et ex parte Trinitatis petitur, ut opera ipsius ad extra sint indivisa. Et ideo, si per impossibile Deus non esset Trinus, sed unus, tunc produceretur homo, v. g. cum omnibus prædicatis essentialibus, et propriis illius, non minus quam nunc.

45. Replica. Sed urgebis, quod negatio prædicta conveniens Filio, non solum est negatio præsupponendi utcumque aliam anteriorem personam procedentem, sed negatio præsupponendi illam ex quocumque capite : hæc autem negatio, ut constat, solum potest esse propria personæ Filii : ergo, etc.

Confirm. Confirmabis. Quia negatio prædicta competens Filio, ita convenit illi, ut repugnet ei (adhuc aliunde) oppositum : cum tamen negatio præsupponendi, quantum est ex parte effectus, aliam personam anteriorem procedentem, non conveniat creaturis, ita ut repugnet eis (adhuc aliunde) oppositum : siquidem de facto præsupponunt absolute loquendo aliam personam prius procedentem, ergo istæ duæ negationes sunt specie, aut quasi specie distinctæ : et ita illa prior carentia solummodo erit propria personæ Filii : et per consequens denotabit ex se dignitatem personalem.

Responsio ad replicam. Respondetur concedendo majorem : ita tamen, ut hoc, quod est Filium in divinis non præsupponere aliquam personam ulla ratione ante ipsum procedentem, non dicat aliquid extrahens Filium ab eo, quod petit ex parte sua in ratione producti : et ideo prædicta negatio formaliter sumpta consistit in hoc, quod ex parte termini producti ex nullo capite petatur aliqua persona prius procedens, quam Filius. Hæc autem negatio etiam convenit creaturis.

Ad confirm. Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo in Filio habere carentiam præsupponendi aliam personam procedentem ante illum, ita ut oppositum ei repugnet, sit intra lineam suæ processionis : et ideo illa carentia est carentia præsupponendi prædictam personam, ita ut ex vi processionis illam præsupponere ei repugnet. At similis carentia in quavis creatura procedente invenitur.

Adde : quod si quæ carentia præsuppositionis non petitæ ex vi lineæ processionis, et ordinis originis Filii ibidem invenitur, hæc nihil prodest ad notionem specialem constituendam : ex eo quod ratio notionis specialis præcise attenditur ex illis, quæ intra lineam ordinis originis petuntur. Videantur tamen ea, quæ num. 70 dicemus ubi plura, quæ in favorem hujus secundæ objectionis adduci poterant, ex ibidem dicendis manebunt soluta.

§ IV.

Objectio tertia, ejus confirmatio et utriusque enodatio.

Tertio objicies contra eamdem rationem, non recte inter notiones numeratam esse relationem spirationis activæ : ac proinde numerum notionum non esse desumendum ex distinctis ordinibus originis, si fiat sermo de notionibus positivis. Antecedens videtur esse D. Thomæ in hoc articulo, ubi inquit, quod communis spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis : quod etiam docuit in 1 ad Annibaldum distinctione 27 quæstione 1 articul. 1 ad 3, dicens : *Innascibilitas autem est proprietas personæ, sed non personalis : communis vero spiratio nec est proprietas personæ, nec personalis, quia non distinguit aliquam personam ab omnibus aliis.* Constat autem, notioni debere convenire rationem proprietatis : siquidem est ratio propria cognoscendi divinam personam. 46. Tertia objectio. D.Thom.

Confirmatur. Quia si communis spiratio esset notio, ex eo quod, licet non conveniat uni tantum personæ, non tamen convenit omnibus, sed duabus solummodo, tunc eadem ratione esse non spiratum, ut connotat principium *quod* alicujus personæ ad intra, erit specialis notio respectu Patris et Filii : siquidem illis tantum competit et denotat dignitatem personalem, nimirum, rationem principii *quod* ad intra. Confirmatur.

Respondetur ex dictis negando antecedens. Et ad probationem occurrendum est 47.

Corruit objectio. D.Thom. ex D. Thoma Opusculo 2 cap. 59, ubi postquam in duobus præcedentibus capitibus communem spirationem, et quatuor alias notiones appellavit proprietates, postea in hoc capite inquirens, quare quinque proprietates dicantur notiones et explicans in quo sensu communis spiratio nuncupetur proprietas (ut ita omnia testimonia ejusdem Angelici Doctoris maneant conciliata), sic inquit : *Hæc autem quinque, notiones personarum dici possunt, eo quod per eas nobis innotescat in divinis distinctio personarum : non tamen hæc quinque possunt dici proprietates, si hoc in proprietatis ratione observetur, ut proprium esse dicatur, quod convenit uni soli : nam communis spiratio Patri et Filio convenit. Sed secundum illum modum, quod aliquid dicitur proprium aliquibus per respectum ad aliud, sicut bipes homini et avi per respectum ad quadrupedia, nihil prohibet, etiam communem spirationem proprietatem dici :* quatenus, nimirum, etsi communis spiratio conveniat Patri et Filio ; non tamen convenit Spiritui Sancto : et ideo per respectum ad illum potest hoc posteriori modo dici proprietas Patris et Filii. Quare, cum ad rationem notionis non requiratur quod sit proprietas priori illo modo, sed sufficiat esse proprietatem hoc posteriori, ut ex explicatione diffinitionis dubio 1 hujus disputationis adducta constat, nec non ex iis, quæ in hoc c. 59 sanctus Doctor docet : inde est, ut merito communis spiratio inter notiones connumerata fuerit.

48. Occurritur confirmationi. Ad confirmationem respondetur, quod non esse spiratum, adhuc quatenus connotat principium *quod* ad intra alicujus personæ, non potest constituere specialem notionem distinctam ab aliis communiter enumeratis; quamvis sic determinatum conveniat soli Patri et Filio : quia ratione illius carentiæ non notificat illos aliqua speciali ratione, secundum quam non notificentur per spirationem activam. Quia cum hoc, quod est esse spiratum, relative opponatur spiranti : et quævis ratio tribuens alicui se ipsam, tribuat etiam eidem, quod ratione illius non sit suum oppositum, sed potius ab illo distinguatur, eique opponatur : oportet quod spiratio activa tribuat Patri et Filio per modum quasi effectus secundarii, quod non sint spirati : ex eo quod termino spirato relative opponuntur, ab eoque distinguuntur. Et propterea hoc ipso, quod per spirationem notificentur, ut spirantes et distincti, ac oppositi termino spirato, notificantur etiam ut non spirati : ex eo quod omnis res opposita et distincta ab alia, et notificata ut talis, notificatur ut afferens negationem essendi rem illam, a qua distinguitur, cum quaque opponitur.

Adde ex Angelico Doctore in 1 distinctione 28 q. 1 art. 1 ad 4, quod non esse spiratum, sicut et non esse genitum, est veluti ratio partialis notionis Patris, quæ dicitur innascibilitas : quia hæc dicit carentiam omnis processionis et in hoc includitur carentia procedendi per generationem aut spirationem. Unde, sicut Paternitas, ut est ratio constituendi personam ad instar nostrarum personalitatum, et ut est ratio referendi, et ut est ratio veluti sustinendi in se spirationem activam, non constituit secundum hæc specialia munera sigillatim sumpta speciales notiones, quia sunt veluti partes integræ notionis Paternitatis : ita in præsenti, proportione servata, philosophandum est. Et ideo nec in Filio solummodo potest prædicta carentia esse specialis notio : quia ad hoc desiderabatur, ut esset propria ratio illius et non alterius. Sed de his, et ut occurratur aliquibus objectionibus, quæ quoad præsens fieri ex aliis capitibus poterant, videantur illa, quæ n. 70 dicemus. Respondetur secundo D.Thom

§ V.

Objectio quarta, eaque præcipua contra rationem D. Thomæ, et solutio, qua ei Vasquez occurrit.

Quarto objicies contra eamdem rationem D. Thomæ, non posse inter se cohærere duo illa, quæ in prædicta ratione dicuntur, nimirum, innascibilitatem pertinere negative ad ordinem originis ; et nihilominus dicere aliquid pertinens ad dignitatem personalem. Nam hoc ipso, quod pertineat ad ordinem originis negative tantummodo, non dicit aliquid positivum : alioqui non pertineret ad prædictum ordinem negative solummodo sed positive : negatio autem non dicit dignitatem, sed removet positivum, quod est perfectio et dignitas : ergo hoc ipso, quod innascibilitas tantum pertineat ad ordinem originis negative, seu dicat prædictam negationem, non poterit cum hoc cohærere, quod dicat dignitatem pertinentem ad personam, ut in ratione D. Thomæ dictum est. 49. Quart. objectio

Confirmatur. Quia si semel innascibilitas Confirm

tas non dicit aliquid positivum, sed tantum carentiam aliquam, tunc talis carentia non erit per modum puræ negationis : quia sic conveniret tam enti, quam non enti : ac proinde non esset propria notio Patris : ergo debebit sumi per modum privationis : et per consequens non solum non denotabit dignitatem personalem, verum etiam ponet imperfectionem in eo, in quo est : cum privatio sit illius, quod natum est haberi, et non habetur.

50. Solutio P. Vasquez. Ad hanc objectionem respondet Vasquez in præsenti disput. 140 c. 3, innascibilitatem de formali et expresso significato importare negationem aut privationem : materialiter tamen, sed directe significare quamdam dignitatem, et rationem positivam Patris, scilicet rationem principii primi. Subdit vero, rationem hanc esse positivam relationem, non realem, sed rationis, constitutivam tamen Patris, ut ipse se explicat disputatione 159, cap. 5 et 7. Per materiale autem, et directum significatum ejus non intelligit fundamentum talis negationis, vel privationis, quod connotatur in obliquo per nomen *innascibilitatis* : sed ipsam positivam relationem primi principii distinctam a Paternitate esse id, quod significatur per illud nomen sub forma, vel conceptu negativo, vel privativo, ut ipse etiam se explicat in prædicto cap. 7, sicut etiam supra disput. 127 c. 2 dixerat, personam directe, sed materialiter, significare relationem, quia relatio formaliter est idem quod persona ; licet persona non significet illam sub conceptu relationis, sed sub conceptu individuæ substantiæ rationalis naturæ.

Suadetur. D. Thom. Quam solutionem existimat Vasquez esse de mente D. Thomæ : ex eo quod Angelicus Præceptor q. sequenti art. 4 in solutione ad 1 postquam dixit, quod *secundum Augustinum 5 de Trinitate, ingenitus negationem generationis passivæ importat*, addidit : *Nec propter hoc sequitur, quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris : quia prima et simplicia per negationes notificantur : sicut dicimus, punctum esse cujus pars non est*. In quibus verbis satis videtur D. Thomas sentire, quod esse ingenitum, seu innascibile sit modus aliquis positivus, quem circumscribimus per prædictam negationem aut privationem : sicut modus ille, quem circumscribimus per negationem positam in diffinitione puncti, est quid positivum ; licet per talem negationem circumscribatur.

51. Roboratur testim. Patrum. Just. Mart. Nazianz. Cyrillus. Basilius. Damasc. Potestque hæc eadem solutio suaderi, tum aliis testimoniis Patrum, tum etiam rationibus. Testimoniis quidem. Quia Justinus Martyr in expositione fidei, Nazianzenus Oratione 23, Cyrillus primo Thesauri capite 3, Basilius 4 contra Eunomium, et Damascenus libro 1 de Fide capit. 9 asserunt, *ingenitum* non significare substantiam Patris, sed modum existendi, vel subsistendi illius qui non potest esse alius, quam subsistere, vel existere per modum fontalis principii, quique, ut ex terminis ipsis constare videtur, aliquid positivum præsefert.

Probatur ratione. Rationibus vero. Nam in primis esse in se est modus essendi substantiæ positivus : ergo etiam esse a se erit modus subsistendi positivus in Patre : ergo etiam innascibilitas dicens hunc modum erit aliquid positivum.

Confirm. Confirmatur primo. Quia esse ab alio dicit aliquid positivum in Filio : non est autem minoris dignitatis esse a se, quam ab alio : ergo, etc. Secundo. Quia esse a se non videtur aliud dicere, quam habere sufficientiam subsistendi sine alio : hoc autem est valde positivum : ergo innascibile, quod hoc significat, dicet aliquid positivum : et per consequens innascibilitas significabit etiam aliquid positivum.

§ VI.

Rejicitur prædicta solutio Gabrielis Vasquez testimoniis Angelici Doctoris et aliorum Patrum.

52. Ex August. impugnatur prædicta responsio. Cæterum hæc solutio tradita a Vasquez est contra Augustinum 5 de Trinitate c. 7, ubi multis ostendit, quod nomen *ingenitum*, seu *innascibile* nihil aliud significat nisi negationem, seu carentiam generationis passivæ, et quod Pater non habet genitorem, seu aliquod principium, a quo procedat. Idem etiam docuit Concilium Toletanum XII, Cyrillus 1 Thesauri c. 2 et 3 et lib. 11 c. unico, Basilius lib. 5 contra Eunomium, et Epiphanius hæresi 73, qui omnes hoc expresse sentiunt : et ita ex eo colligunt, istud nomen non significare essentiam Dei, quia hæc est aliquid positivum : cum tamen prædictum nomen *ingeniti*, seu *innascibilis* sit nomen negativum, et indicet, non quid sit Deus, sed potius quid non sit.

Conc. Toletanum XI. Cyrillus. Basil. Epiphan.

Refutatur ex D. Thom. Deinde prædicta solutio est etiam contra Angelicum Doctorem in 1 distinctione

28 quæstione 1 articulo 1 ubi sic ait : *Dicendum, quod secundum Augustinum Pater est principium totius divinitatis. Unde et Dionysius dicit, quod in Patre est fontana divinitatis. Unde si in divinis personis esset ordo qui poneret prius, et posterius, Pater esset primum principium. Sed quia ibi non est talis ordo, loco ejus, quod est primum, dicimus principium non de principio. Unde Pater potest dupliciter innotescere, vel in quantum est de non principio : et sic innotescit per notionem innascibilitatis.* In quibus verbis, ut constat, negat, quod innascibilitas dicat in recto aliquid positivum ; et solum admittit, quod dicat aliquid negativum, scilicet, quod Pater sit de non principio.

Idem etiam docuit Angelicus Præceptor quæstione sequenti articulo 4 ad primum, ubi proponens modum dicendi eorum, qui sentiunt, innascibilitatem dicere in recto aliquid positivum, sic inquit : *Dicendum, quod quidam dicunt, quod innascibilitas, quam significat hoc nomen ingenitus, secundum quod est proprietas Patris, non dicitur tantum negative, sed importat, vel utrumque simul, scilicet, quod Pater a nullo est, et quod est principium aliorum; vel importat universalem auctoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum. Quia sic innascibilitas non esset alia proprietas a Paternitate, et spiratione, sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas, et auctoritas nihil aliud significat in divinis, quam principium originis. Et ideo dicendum est secundum Augustinum* 5 *de Trinitate, quod ingenitus negationem generationis passivæ importat. Dicit enim, quod tantum valet, quod dicitur ingenitus, quantum valet, quod dicitur non Filius.* Quomodo autem, et in quo sensu *ingenitus* sit idem, quod *non Filius*, et utrumque nomen denotet idem quod *innascibile*, ac proinde *ingenitus*, et *non Filius* tantum sit notio Patris, non vero Spiritus Sancti? in hoc eodem dubio n. 77 dicemus.

53. Effugium ad prædicta testim. Unde nihil obest id quod respondet Vasquez, D. Thomam solum velle, quod innascibilitas non significet positivum formaliter et expresse, non vero quod non significet aliquid positivum, tanquam significatum directum, licet materiale.

Præcluditur primo. Non itaque hoc refert. Primo. Quoniam D. Thomas expresse negat loco nuper adducto, hoc nomen utrumque simul importare, positivum scilicet et negativum : quia, teste Augustino ubi supra, significat idem quod *non Filius*. Constat autem, quod si diceret positivum directe, licet tanquam significatum materiale, tunc utrumque simul importaret et non esset idem quod *non Filius* : siquidem nomen hoc nihil in recto positivum dicit, adhuc tanquam materiale significatum.

Secundo. Quia idem Angelicus Præceptor quæstione sequenti art. 4 in solutione ad 2 inquit, quod ad hoc, quod *ingenitum* sit proprium soli Patri, oportet ulterius in nomine *ingeniti* intelligere, quod conveniat alicui personæ divinæ, quæ sit principium alterius personæ : ut sic intelligatur importare negationem in genere principii personaliter distincti in divinis. At si prædictum nomen haberet directe significare positivam rationem principii prædicti ex hac præcisa ratione absque aliquo alio, non posset convenire Spiritui Sancto, cui non convenit ratio talis principii. Secundo. D.Thom

Tertio. Nam idem S. Doctor. in 1 distinct. 28 q. 1 art. 1 ad 3 inquit, quod hoc nomen significat negationem relationis Filii, et ideo pertinet ad genus relationis reductive, sicut quævis negatio ad genus sui positivi reducitur. At si tale nomen significaret aliquid positivum directe, non esset ejus significatum reducendum ad genus relationis, sicut negatio illius; sed poneretur in eo directe, tanquam significans illam. Maxime, quia si semel dicit aliquid positivum, tunc illud non erit quid rationis, sed quid reale vere relativum : sicut nomen *persona divina*, quia adhuc juxta sententiam Vasquez significat directe (licet tanquam significatum materiale) relationem, idcirco, quantum est ex vi hujus capitis, pertinet directe ad genus, aut quasi genus relationis, prout abstrahit a relatione creata et increata. 54 Tertio. D.Thom.

Quarto. Nam D. Thomas infra q. 40 articul. 3 ad 3, ex Augustino inquit, quod si a Patre removeatur Paternitas, remaneat tamen in eo innascibilitas, tunc non remanebit aliqua ratio hypostasis : ex eo quod *ingenitum*, sive *innascibilitas* nihil ponit, sed negative dicitur. Tandem. Quia idem Angelicus Præceptor in 1 dist. 28 q. 1 art. 1, citato in solutione ad 1 fatetur expresse, innascibilitatem sumptam in recto nihil ponere in Patre, sed tantum esse carentiam removentem positivum jam dictum. Impugnatur quarto. D.Thom

§ VII.

§ VII.

Eadem solutio rationibus exploditur, et fundamenta, quibus nititur, diluuntur.

55. **Refellitur ratione prædicta solutio.** Deinde eadem solutio impugnatur ratione desumpta ex D. Thoma loco citato ex quæstione sequenti art. 4 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam ratio fontalis principii divinitatis, quæ est in Patre, nec comparatur ad speciales rationes principii generativi et spirativi in eodem Patre existentis eo modo, quo id quod est commune per modum rationis essentialiter superioris, comparatur cum suis inferioribus : nec illo modo, quo ratio integrata et composita, tanquam totum, aut quasi totum actuale ex pluribus rationibus, confertur cum eis : nec tandem eo modo, quo plures rationes specificæ, atomæ et singulares ex æquo distinctæ inter se conferuntur : ergo nec comparatur cum eis per modum alicujus positivi. Consequentia patet. Quia si prædicta ratio esset aliquid positivum, conferretur cum aliis duabus rationibus principii per generationem et per spirationem, aliquo ex his tribus modis prædictis, ut consideranti patebit.

Antecedens autem quoad priorem partem, scilicet, quod hæc ratio fontalis principii non comparetur cum aliis duabus rationibus per modum alicujus essentialiter superioris, videtur certum. Quia ratio fontalis principii non convenit cuivis ex peculiaribus rationibus principii existentibus in Patre : et ideo Pater, ut est principium spirandi præcise sumptum, non est fontale principium divinitatis : alioqui etiam Filius, cui convenit eadem ratio principii spirativi, esset fontale principium ejusdem divinitatis.

Adde, quod licet daremur, rationem fontalis principii sic comparari cum peculiaribus illis rationibus principii existentibus in Patre, non ideo ratio illa constitueret specialem notionem. Quia ratio sic communis non ponit in numero cum rationibus particularibus, nec est idonea ad constituendam specialem notionem, ut ex dictis in hoc dubio n. 37 patet.

56. Quoad secundam vero partem, nimirum, quod non comparetur cum eis eo modo quo ratio aliqua integrata ex aliquibus rationibus confertur cum singulis earum, eo sane proportionali modo, quo homo integratus ex suis partibus integralibus comparatur cum illis, etiam constat idem antecedens. Tum, quia (ut ex dicendis § sequenti patebit) hoc quod est, esse fontale principium *quod* divinitatis, non competit Patri ratione spirationis activæ, sed ratione Paternitatis præcise. Tum etiam, quia esto daremus, prædictam rationem principii *quod* convenire Patri ratione utriusque relationis et prædictum principium dicere eas simul sumptas, non inde haberetur, quod fontale principium divinitatis diceret in Patre aliquam specialem notionem, sed solum quod diceret duas notiones, Paternitatis et spirationis. Quandoquidem hæ duæ consideratæ secundum id, quod ex vi suarum linearum afferunt, haberent constituere fontale principium *quod* divinitatis : ita ut Paternitas, v. g. absque virtuali distinctione haberet in eo casu constituere adæquate Patrem in *esse* Patris et inadæquate in ratione principii fontalis quoad id, quod est proprium hujus principii. Et similiter spiratio esset ratio formalis adæquata constituendi illum in ratione spirantis quoad id, quod est proprium ejus : et inadæquata respectu constituendi ipsum, modo insinuato, in ratione principii fontalis *quod* quoad id, quod est proprium illius. Constat autem notiones non multiplicari penes munera inadæquata unius et ejusdem relationis, aut proprietatis ex parte solius modi concipiendi diversa.

Quoad ultimam vero partem, nempe, 57.
quod nequeat hæc ratio fontalis principii comparari cum rationibus peculiaribus principii per generationem, et spirationem existentibus in Patre, tanquam aliqua ratio atoma ex æquo condistincta contra prædictas duas rationes principii, et eo modo, quo una ratio atoma, et omnino singularis comparatur cum aliis rationibus atomis, et singularibus, sic ostenditur. Quia tunc talis ratio fontalis principii *quod* nec diceret in recto aliquid absolutum, alioqui non constitueret specialem notionem : et similiter nec tribueret rationem principii *quod* ad intra, quia hæc ratio dicit oppositionem, et distinctionem cum eo quod dimanat *ut quod* a tali principio : nec tandem posset esse aliquid relativum distinctum ex æquo a Paternitate et spiratione : quoniam si illud relativum esset quid reale, et specifice atome distinctum virtualiter a Paternitate, et spiratione, tunc dabuntur quinque relationes reales in divinis : quod est contra communem Theologorum sententiam : si vero talis relatio sit rationis,

tunc, cum relatio rationis formaliter sumpta nequeat esse constitutiva divinæ personæ, aut tribuere ei rationem fontalis principii quæ vere et realiter convenit Patri, oportet, ut prædicta relatio habeat fundamentum in Patre, et quod ratione talis fundamenti specifice, et atome distincti a Paternitate et Filiatione hoc tribuat. Et ita cum hoc fundamentum nequeat esse aliquid absolutum propter rationem nuper dictam, oportebit, ut sit aliquid relativum distinctum virtualiter, et specifice a Paternitate, et spiratione. Sicque sequetur inconveniens nuper adductum, nimirum, quod dabuntur quinque relationes reales in divinis.

58. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam ratio fontalis principii solum potest dicere rationem principii omnium processionum divinarum, et insuper quod tale principium non sit ab alio, prout non esse ab alio dicit in recto solam negationem essendi ab alio, vel talem modum essendi, ex quo sequatur prædicta negatio : sed ob has positivas rationes nequit constituere in recto specialem notionem : ergo solum constituet illam in recto ratione prædictæ negationis. Major est perspicua. Quia quod non est principium omnium processionum divinarum, nequit esse fontale principium divinitatis. Et deinde, quod est ab alio, eo ipso non est principium omnium processionum : siquidem non est principium suæ processionis et per consequens non est fontale principium divinitatis, sed hoc illi principio competit, quod est principium primæ processionis, ac proinde et aliarum subsequentium. Et ita ad rationem fontalis principii desiderabitur, tum illud prius, nempe, esse principium omnium processionum divinarum, tum etiam, quod non sit ab alio : cumque non esse ab alio solum possit dicere in recto, vel puram carentiam non essendi ab alio, vel habere talem modum essendi, ex quo sequatur prædicta carentia, inde est, ut ultra illud prius dicat unum ex his duobus.

Minor vero quoad primam partem, nempe, quod non constituat specialem notionem, ex eo quod sit principium omnium processionum, satis constat ex dictis. Quoniam ratio hæc solum dicit utramque rationem principii *quod* spirativi et generativi simul sumptam : ideoque nuper numero 55 dicebamus, prædictam rationem principii non esse essentialiter superiorem ad peculiares rationes principii existentis in Deo : et ita non constituet ratione hujus specialem notionem distinctam ab eis.

Quoad secundam vero partem, nimirum, non posse in recto constituere prædictam notionem specialem, ex eo quod dicat talem modum essendi, ex quo sequatur prædicta negatio, etiam liquet. Tum, quia ille modus essendi non distinguitur a Paternitate, nisi tantum ex parte nostri modi concipiendi : quia Paternitas ex vi suæ lineæ habet talem modum essendi, ex quo sequatur prædicta negatio, ut ex dicendis n. 64 patebit. Tum etiam quia illud positivum debet esse relativum reale, siquidem debet esse ratio propria : et non est in Patre ibi aliud positivum reale relativum, nisi Paternitas et spiratio : ideoque non erit, quomodo ratione hujus positivi constituat specialem notionem.

Confirmatur secundo. Quoniam si semel innascibilitas, hoc ipso quod in recto solum diceret negationem, non potest dicere aliquid pertinens ad dignitatem, ut indicat Gabriel Vasquez : neque etiam illa relatio rationis formaliter sumpta poterit dicere aliquid spectans ad dignitatem : siquidem relatio rationis non dicit ex se aliquid majoris dignitatis, quam realis negatio : ergo eo ipso nequibit ratione prædictæ relationis constituere specialem notionem, imo neque etiam alicujus alterius positivi, propter rationes dictas. 59. Confirmatur secundo.

Nec ea, quæ pro se adducit Vasquez, ei favent. Nam in primis testimonium D. Thomæ ei non opitulatur. Quia sicut cum diffinitur punctum per hoc, quod sit, *cujus pars non est*, tunc aliud est diffinitum et significatum immediatum, ac directum hujus diffinitionis; aliud vero diffinitum remotum. Quoniam diffinitum et significatum immediatum, ac directum nihil aliud est, quam illud concretum accidentale, quod in recto dicit carentiam partium et in obliquo entitatem puncti : at vero diffinitum remotum est ipsa entitas puncti. Ita dum quasi diffinimus Patrem, ut innascibilem, per hoc quod *non sit ab alio*, tunc immediatum et directum quasi diffinitum et significatum est concretum illud adjectivum, quod in recto dicit carentiam prædictam, et in obliquo Paternitatem : at vero remotum est ipse Pater. 60. Explicatur testim. D.Thom. pro prædicta solut. adductum.

Unde, sicut ex eo quod punctum diffiniatur per esse id, *cujus pars non est*, non sequitur, quod ratio illius, ut est diffinitum et significatum immediatum, ac directum, sit in recto aliquid positivum ; sed solum quod

quod ratio illius, ut est diffinitum remotum, dicat aliquid positivum, et quod hæc ratio non est quid distinctum a propria ratione positiva puncti, nec aliter, quam ea ipsum notificat : secus vero prædictum diffinitum et significatum immediatum : sic similiter, ex eo quod Pater, ut innascibilis, quasi diffiniatur per hoc quod *non sit ab alio*, non infertur, quod ut est quasi diffinitum et significatum directum et immediatum, ac proinde ut dicit *esse* innascibile, dicat aliquid positivum in recto; sed solum quod ut est quasi diffinitum remotum, consistat in illo positivo importato per esse Patrem, et quod hoc positivum nihil sit aliud, quam ipsissima ratio Patris : et ideo ex vi hujus diffiniti remoti non aliter notificatur, quam notificetur per esse Patrem, secus vero per prædictum significatum, et diffinitum immediatum et directum, nempe, per esse innascibile : ac proinde innascibilitas, ut dicit prædictam carentiam, erit specialis notio.

61. Occurritur ad testim. Patrum. Et deinde alia testimonia Patrum ei non favent. Quia per modum illum existendi, vel subsistendi tantum intelligunt conditionem illam propriam subsistentiæ Patris, consistentem in illa negatione essendi ab alio : et propterea dicunt, quod hoc nomen *ingenitum* potius importat, quid Pater non sit, quam quid sit.

Solvitur ratio prædictæ solutionis. Nec tandem rationes, quas idem Vasquez adducit, illi sufficienter favent. Non quidem prima. Nam concesso antecedenti. neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est. Quod esse in se, seu (quod in idem quoad præsens redit) esse per se dicit in Patre, ut tali, subsistentiam ejus relativam, cui correspondet terminus positivus, nempe Filius : at vero innascibilitas quæ etiam est propria Patris, non habet aliquem terminum positivum, quem respiciat : et propterea non potest consistere in aliquo proprio Patris, quod sit relativum : ac proinde solum consistet in aliquo proprio Patris, quod sit negativum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem concedatur major. et negetur minor intellecta de esse a se quoad id, quod immediate, et in recto significat, et quoad omne id, per quod constituit in recto specialem notionem. Quia secundum hanc rationem solum dicit aliquid negativum; quamvis hoc negativum denotet eamdem dignitatem personalem, quam Filius; non quidem, quia illam ex vi sui significati directi ponat; sed quia ex vi sua est proprietas negativa personæ : ac proinde innuit hoc modo dignitatem personalem, et non qualemcumque, sed eamdem dignitatem, quam innuit Filius : quia hæc sumitur ex dignitate naturæ intellectualis.

Ad secundam respondetur, quod esse a se formaliter, aut in recto, non dicit habere sufficientiam subsistendi sine alio, sed dicit hoc, quod est, non esse ab alio, seu esse sine alio, a quo procedat.

§ VIII.

Duplex alia solutio præcedentis objectionis, et impugnatio utriusque.

Secundo respondet Aureolus, quod licet *ingenitum*, aut *innascibilitas* dicat aliquid negativum in recto : supponit tamen, vel connotat aliquid positivum ex vi sua, nempe essentiam divinam, tanquam proprium fundamentum ipsius : et propterea dicit aliquid pertinens ad dignitatem. 62. Alia responsio Aureoli ad prædictam objectionem.

Potestque hæc solutio confirmari. Tum ex eo, quod essentia divina per se, et ab intrinseco, ac intra propriam lineam habet, quod non sit ab alio, sed a se : et ita erit proprium et peculiare fundamentum innascibilitatis, quæ dicit negationem essendi ab alio. Tum etiam, quia sicut licet esse quid creatum dicat relationem ad Deum, ut docet D. Thomas infra q. 45 art. 3, attamen teste eodem S. Doctore q. sequenti art. 4 ad 3, esse increatum non dicit relationem, sed essentiam, et essentia est proprium fundamentum hujus negationis : sic esse productum, v. g. in Filio, dicit quid pertinens ad ordinem originis : et tamen esse innascibile, et omnino improductum non spectabit ad lineam originis, sed ad lineam essentiæ : et per consequens essentia erit proprium fundamentum illius negationis. Confirm. D.Thom.

Cæterum hæc solutio est contra D. Thomam in 1 dist. 28 quæst. 1 art. 2 in corpore et ad 2, necnon quæst. 40 art. 2 ad 2 ubi inquit, ut supra notavimus, quod remota Paternitate, non manet in Patre ratio *ingeniti*. Si autem hoc, quod est esse *ingenitum*, fundaretur in sola essentia tanquam in fundamento proprio ipsius, tunc adhuc remota Paternitate, remaneret ratio *ingeniti*. 63. Impugnatur ex D. Thoma hæc responsio.

Deinde eadem solutio potest impugnari ex eo, quod negationes convenientes ratione essentiæ, tanquam proprii fundamenti illarum, conveniunt omnibus perso- Exploditur deinde.

nis : siquidem in omnibus illis manet proprium earum fundamentum, nempe essentia. Constat autem, hanc negationem *ingeniti*, seu *innascibilis* in concreto sumptam solum convenire Patri : ergo signum est, quod proprium et peculiare fundamentum ipsius non est solum essentia.

Satisfit fundamento Aureoli. Nec ea, quæ in favorem solutionis Aureoli adducta sunt, ei favent. Non quidem primum. Quia etsi essentia divina non sit per generationem producta, per eam tamen, et per spirationem communicatur : innascibilitas autem dicit carentiam omnis processionis quovis modo, ac proinde carentiam communicationis passivæ per generationem. Neque etiam secundum. Nam esse creatum in creaturis solum dicit relationem ad Deum, ut ad causam : et ita esse increatum non negat relationem divinarum personarum inter se, sed solum relationem earum ad principium extrinsecum habens veram rationem causæ, sive producens eas ex nihilo : et ista negatio convenit divinis personis, et essentiæ. Esse vero productum est commune omni producto, sive per generationem, sive creationem, sive quovis alio modo : et ideo esse omnino improductum non tantum negat relationem ad principium extrinsecum jam dictum, sed etiam relationem realem personarum procedentium ad intra : et ita dicet aliquid negativum relativum, quod sit proprium Patris.

64. Tertia solutio ad eamdem objectionem. Tertio respondent alii admittendo etiam, quod significatum directum *ingeniti*, sive *innascibilis*, sive in abstracto, sive in concreto sumpti, est aliquid negativum : attamen fundamentum proprium, quod supponit et connotat, non est sola Paternitas, sive Pater, sed Paternitas, simul cum spiratione activa.

Rejicitur. Cæterum hæc solutio non omnino placet. Quoniam sola Paternitas constituit sufficiens fundamentum prædictæ negationis. Tum, quia, sola Paternitas constituit suppositum, quod est sufficiens principium *quod* primæ processionis, antequam non sit alia : ergo etiam constituit sufficiens fundamentum innascibilis ut talis, prout dicit aliquid negativum. Antecedens videtur perspicuum. Quoniam Paternitas constituit sufficiens principium *quod* generationis, quæ vi suæ lineæ est prima processio, ante quam neque est, neque potest esse alia in divinis. Consequentia vero etiam constat. Nam ratio illa positiva a qua habet Pater esse ante omnem originem, est sufficiens fundamentum ad tribuendum illi, quod non sit ab alio : alioqui non tribueret illi, quod haberet *esse* ante omnem originem : ergo si Paternitas constituit Patrem in ratione principii primæ processionis, antequam non sit alia, constituit etiam illum in ratione fundamenti sufficientis prædictæ negationis tribuentis illi, quod non sit ab alio.

Tum etiam. Nam plenitudo principii, ut includens rationem principii generativi et spirativi, non tribuit Patri, quod sit innascibilis, seu quod fundet prædictam negationem : ergo hoc habet a sola Paternitate. Consequentia liquet. Antecedens autem probatur. Quia ratio principii spirativi convenit Filio : cui tamen nulla ratione convenit esse innascibilem, sed potius oppositum. Et licet Pater per impossibile non esset principium Spiritus Sancti per spirationem, nihilominus non ob id esset ab alio : quoniam potius (adhuc in eo eventu) non esset aliqua persona a qua procederet : et per consequens esset innascibilis.

Confirmatur. Quia in illo priori, in quo intelligimus Patrem, ut principium Filii per generationem, præintelligimus, aut intelligimus, illum esse innascibilem : ergo ratio Paternitatis constituit sufficiens fundamentum innascibilitatis Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quoniam in illo priori intelligimus, Patrem habere suum *esse* personale : at non intelligimus, habere illud ab alio : ergo intelligimus, aut præintelligimus habere illud a se, seu non habere prædictum *esse* ab alio. 65. Confirmatur.

Potestque id magis explicari ex eo, quod habere *esse* a se, vel ab alio, debet vel includi in quovis priori, in quo intelligimus, principium influere positive in aliquid, vel debet aliquo modo præintelligi ad illud. Et propterea licet forma substantialis in illo priori, in quo causat, non intelligatur habere *esse* ab alio, quia illud prius tantum est prius causalitatis formalis, et in prædicto priori non curatur, an habeat prædictum *esse* ab alio, quamvis revera sic illud habeat, sed solum de causa et causalitate formali nihilominus, facta collatione inter hanc causalitatem et prioritatem, et inter hoc, quod est esse ab alio, prius est, quod sit ab alio quam quod causet, priusque debet juxta naturas rerum concipi illud, quam istud. Ergo etiam in illo priori, in quo intelligimus Patrem, aut principium Filii, intelligimus, aut debemus præintelligere illum, Elucidatur amplius.

illum, ut habentem *esse*, vel a se vel ab alio, si rem juxta suam naturam concipiamus : ergo cum non possimus concipere illum, ut habentem *esse* ab alio, debemus concipere ipsum, ut habentem *esse* a se, seu (quod in idem, quoad præsens redit) ut non habentem *esse* ab alio. Et ita, licet tunc sistamus in cognitione Patris, ut est principium generandi et non procedamus ad concipiendum ipsum, ut est principium Spiritus Sancti, poterimus concipere illum ut innascibilem, et ut sufficiens fundamentum innascibilitatis.

§ IX.

Vera solutio quartæ objectionis et confirmationis illius.

66. Vera objectionis enodatio. Vera igitur solutio quartæ objectionis est, innascibilitatem in recto sumptam tantum pertinere ad ordinem originis negative : ac proinde in recto tantum dicere aliquid negativum, connotando tamen Paternitatem. Hinc tamen non sequitur, non pertinere, aut non dicere, vel non ponere dignitatem personalem. Quia non asserimus, prædictam negationem pertinere ad dignitatem personalem, aut eam dicere, vel ponere, quia ipsa secundum id, quod dicit in recto, ponat aliquid positivum ; sed quia est negatio talis conditionis, ut afferat pro fundamento prædictam dignitatem personalem, seu prædictam personam Patris, et insuper secundum id negativum, quod affert in recto, illam specialiter innuit : et ita hoc etiam modo dicit, et ponit hanc dignitatem, quatenus dicit aliquid negativum pertinens ad personam, et eam pro fundamento afferens. Nam sicut Pater habet aliquam proprietatem positivam, ita et negativam consistentem in remotione, et illum peculiariter denotantem. Unde, sicut illa pertinet ad Patrem, et est ejus notio, ponendo in recto aliquid : ita et ista removendo in recto, et eo ipso ponendo in sensu dicto dignitatem personalem.

D. Thom. Quæ solutio desumpta est ex D. Thoma, tum art. 4 hujus quæstionis in Solutione ad 1, tum etiam in 1 dist. 28 quæst. 1 art. 1 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod aliqua dictio dicitur ponere aliquid dupliciter. Vel ita quod illud, quod ponit, sit de intellectu ejus, sicut aliquid essentiæ ipsius, ut homo ponit animal. Vel quia præsupponit illud, quasi in quo fundatur, quamvis non sit de essentia ejus, sicut omne accidens ponit substantiam. Dico ergo, quod hoc nomen ingenitus non ponit aliquid, quod constituat intellectum ipsius ; quia hoc non posset esse, nisi poneret aliquam rationem principii, vel in communi, vel in speciali : quia nihil aliud notionale potest Patri convenire, et quocumque modo dicatur, non ponet in numerum innascibilitas cum Paternitate, quia commune non ponit in numero cum proprio. Sed tamen ponit aliquid, quod præsupponit, in quo fundatur. Et ex hoc est, quod quidam dixerunt, quod ingenitus aliquid ponit : et quidam, quod nihil. Sed quamvis nihil ponat, quod sit de intellectu ejus constitutive, non tamen sequitur, quod non possit esse notio : quia illud, cujus ratio consistit in remotione, optime per negationem certificatur, sicut cæcitas et hujusmodi. Et hujusmodi est ratio primi, vel ejus, quod est non de principio esse : quia primum est ante quod nihil.*

Ad confirmationem respondetur, prædictam carentiam innascibilitatis, prout est notio Patris, non esse per modum puræ negationis, prout pura negatio non determinat sibi aliquod speciale fundamentum : sed est per modum negationis determinantis sibi prædictum fundamentum, seu determinatæ ad aliquod (ut sic dicamus) subjectum : et ideo non importat aliquo modo privationem, quamvis talis carentia solum secundum quid, non tamen simpliciter et absolute loquendo habeat rationem privationis ; sed potius sit simpliciter negatio, et secundum quid privatio. Hinc tamen non fit, dicere aliquam imperfectionem : quia ad hanc aliqualem privationem non est necessarium, quod id, quod habet illam, sit in potentia ad habitum, seu formam, quæ per talem privationem removetur, sed sufficit, quod id, quod habet talem privationem, non habeat prædictam formam, et hæc nata sit ab aliquo sui generis, aut quasi generis haberi, ut in præsenti contingit. 67. Diluitur confirmatio.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 distinctione 28 quæstione 1 articulo 1 ad 2, his verbis : *Dicendum, quod ingenitus non importat negationem absolutam ; sed aliquo modo privationem. Omnis enim negatio, quæ est in aliquo subjecto determinato, potest dici privatio. Unde in 8 Metaphysicæ dicitur, quod privatio est negatio in subjecto, vel in substantia. Unde dico, quod hæc negatio, quam importat ingenitus, intelligitur ut fundata in ratione principii, secundum quod est notio Patris : et hoc modo non convenit neque essentiæ, neque Spiritui Sancto, qui-* D.Thom.

bus non competit esse principium per originem alicujus divinæ personæ : neque iterum Filio, cui convenit affirmatio opposita. Sed ex hoc non sequitur, quod in Patre sit aliqua imperfectio. Quamvis enim privatio semper sit ejus, quod natum est haberi : tamen hoc contingit tripliciter, ut dicit Philosophus 3 Metaphysicæ. Vel quando aliquid non habet, quod natum est haberi a quocumque, quamvis ipsum non sit natum habere sicut pes non dicitur habere visum. Vel quando non habet illud, quod natum est haberi a suo genere, quamvis non ab ipso, nec ab aliquo suæ speciei, sicut talpa non habet visum. Vel quando non habet illud, quod natum est habere, et quando, et ubi, et secundum alias conditiones, et sic proprie dicitur privatio et imperfectionem importat : et hoc modo nihil privative in Deo dicitur, sed aliis primis modis potest dici. Sed quantum ad primum modum potest ingenitum dici de essentia, et de Spiritu Sancto, ut supra accepit Hieronymus. Sed quantum ad secundum modum dicitur tantum de Patre : quia ipse est principium notionaliter, et non habet generationem passivam, quam habet Filius, qui etiam notionaliter principium est.

§ X.

Objectio ultima contra rationem D. Thomæ, et primam ejus confirmationem.

68. Quinta objectio. Objicies quinto contra id, quod dicitur in ratione D. Thomæ, et prima ejus confirmatione, nimirum, innascibilitatem esse negationem magis contractam, et convenire paucioribus, nempe, soli supposito naturæ intellectualis, seu soli personæ : ex eo quod dicit carentiam habitus universalioris, nempe, cujusvis generis processionis ab alio, secus vero *non spiratum* : quia dicit carentiam habitus minus universalis, nempe, procedendi ab alio per spirationem. Quoniam vel loquimur de carentia omnis processionis, prout dicit puram et nudam carentiam absolute sumptam ? et hoc non, tum propter dicta n. 66, tum etiam, quoniam sic convenit tam enti, quam non enti, quod hoc ipso, quod non ens, non habet procedere ab alio per aliquam realem processionem. Vel fit sermo de prædicta carentia, ut est determinata ad aliquod quasi subjectum reale, et ut præsupponit fundamentum itidem reale ad se ipsam ? et sic tam innascibilitas, quam *non esse spiratum* conveniunt soli supposito naturæ intellectualis : siquidem *non esse spiratum*, ut fundatum in Filiatione divina, et ut quasi determinat hanc (ut sic loquamur) materiam, non potest non competere personæ divinæ, et dignitatem personalem innuere : sicut etiam innascibilitas sic sumpta debet prædictam dignitatem personalem significare. Ergo quod innascibilitas conveniat soli personæ, non provenit ex eo, quod neget, vel non neget habitum universaliorem, sed ex eo quod dicat negationem istam, ut fundatam in personalitate divina : et per consequens, si ob istam rationem innascibilitas est notio, etiam *non esse spiratum* erit peculiaris notio in Filio.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam ex hoc quod innascibilitas removeat habitum universaliorem, secus vero *non esse spiratum*, nequit colligi illam priorem negationem esse specialiorem, hanc vero universaliorem, quin potius oppositum colligendum erat : siquidem carentiæ specificantur per habitus : et ita carentiæ removentes habitus universaliores erunt magis universales, sicut e contra carentia habitus specialioris erit carentia specialior.

Secundo. Confirmatur secundo. Quoniam innascibilitas, ut est notio Patris, idem est ac *non esse genitum*, aut *non Filius*, ut ex Augustino docet Angelicus Doctor quæstione sequenti art. 4 : ergo non removet habitum, aut formam universalissimam, scilicet, omnem processionem ab alio, sed tantum specialem modum procedendi, nempe, per generationem : ergo ex hoc capite innascibilitas non erit carentia specialior, quam *non esse spiratum* : siquidem etiam hæc carentia solum removet specialem modum procedendi, nempe, per spirationem.

§ XI.

Solutio ultimæ objectionis.

Respondetur, admittendo secundam partem dilemmatis, nempe, hic fieri sermonem de innascibilitate, non ut habet rationem negationis absolutæ, sed ut determinatæ ad aliquod (ut sic dicamus) speciale subjectum, et præsupponentis determinatum fundamentum, nempe, Paternitatem, ut constat ex dictis num. 66, ita tamen, quod ly *ut determinatæ*, non in sensu reduplicativo, sed specificativo, aut denotante conditionem requisitam sumatur. Cæterum cum hoc stat differentia assignata in ratione, et prima confirmatione D. Thomæ, scilicet, 70. Occurritur objectioni.

scilicet, innascibilitatem peculiariter denotare dignitatem personalem, et esse negationem specialiorem propriam alicujus personæ intellectualis : cum tamen *non esse spiratum* hoc non habeat. Quia innascibilitas semel determinata ex se habet in recto esse negationem specialiorem, et convenire soli supposito intellectualis naturæ, seu soli personæ divinæ, nempe Patri ; licet requirat per modum connotati, et fundamenti præsuppositi, ac in obliquo importati Paternitatem : at vero *non esse spiratum* determinatum ad Filium, et præsupponendo Filiationem tanquam fundamentum hujus negationis, non habet secundum id, quod dicit in recto, ex se denotare dignitatem personalem, et esse specialem negationem determinatam ad suppositum intellectuale, sed id tantum habet ratione ejus, quod dicit in obliquo, nempe fundamenti ac subjecti, aut quasi subjecti. Et ita, licet fundamentum prædictum concurrat minus principaliter ad hoc, ut carentia illa *non spirati*, seu importata in hoc, quod est *non esse spiratum*, tribuat personæ divinæ, v. g. Filio suum quasi effectum formalem negativum consistentem in hoc, quod est *non esse spiratum* : attamen quoad hoc, quod est denotare dignitatem personalem, et esse determinatam ad solum suppositum naturæ intellectualis, non concurrit prædictum connotatum, et obliquum per modum influentis minus principaliter, ac proinde per modum puri, et nudi connotati præsupponentis aliquid in recto, quod principalius influat, sed per modum recti, et principalioris rationis quoad prædictum aut quasi effectum desideratæ.

71. Ratio autem hujus discriminis facile redditur ex dictis, in prima confirmatione rationis divi Thomæ numero 53 adducta. Quoniam si universaliter loquamur, ea sola carentia habet ex se, et in recto, ac principaliter denotare dignitatem personalem, et connotando aliquid positivum proprium suppositi naturæ intellectualis esse specialissimam negationem propriam ejusdem suppositi intellectualis, quæ ex se habet negare rationem universalissimam, secus vero ea negatio, quæ prædictam rationem non negat. Quare, cum innascibilitas neget universalissimam rationem, nempe, omnem rationem procedendi ab alio, secus vero *non esse spiratum*, consequens est, ut illa secundum id, quod habet ex se in recto, connotando tamen prædictum obliquum, sit negatio specialissima propria suppositi naturæ intellectualis, imo non qualiscumque, sed suppositi perfectissimæ naturæ intellectualis, nempe divinæ, secus vero *non esse spiratum* : et propterea hæc posterior negatio solum habet denotare dignitatem personalem ratione sui obliqui, et in sensu explicato.

Possuntque hæc omnia explicari duplici exemplo, quorum primum deserviet ad explicandum modum, quo innascibilitas denotat dignitatem personalem ; secundum vero ad declarandum, quomodo *non esse spiratum*, in Filio denotet dignitatem personalem ejusdem personæ Filii. Primum igitur exemplum est generationis passivæ Filii, quæ (ut ex dictis in hoc tractatu disputat. 1 constat) est valde probabile, quod consistit in ipsa relatione Filiationis per modum viæ significatæ : quæ quidem secundum hoc munus, et conceptum expressum generationis passivæ ex parte solius nostri modi concipiendi distinctum a conceptu expresso, quo Filiatio refertur ad Patrem, dicit expresse se ipsam, ut est veluti via, et generatio passiva Filii, connotat tamen in obliquo munus referendi jam dictum ejusdem Filiationis, et adhuc secundum priorem illum conceptum expressum generationis passivæ habet in recto et ratione sui distingui realiter per modum quasi viæ a Patre, licet hoc non competat illi, nisi connotando illud aliud munus, quo Filiatio respicit eumdem Patrem. Ita ergo similiter (proportione tamen servata) philosophandum est in innascibilitate quoad effectum denotandi dignitatem personalem, sicut in generatione passiva quoad effectum, seu vim, quam habet ad hoc, ut distinguatur realiter secundum prædictum munus expressum generationis passivæ a Paternitate, philosophati sumus. 72. Illustratur exemplis.

Secundum vero exemplum est potentiæ generativæ, quæ licet sub hoc conceptu expresso dicat in obliquo Paternitatem, ita ut ad prædictum conceptum concurrat divina natura in recto, et Paternitas in obliquo, et per consequens eodem modo influat quoad tribuendum Patri, quod sit potens generare Filium : attamen ad conceptum ejusdem, ut exprimit esse quid realiter distinctum a Filio, non influit in recto, et principalius divina natura, sed id habet potentia generativa ratione prædicti connotati, et obliqui : et ideo id ipsum, quod comparatur respectu prioris effectus per modum connotati, et minus principaliter

influentis, habet se respectu hujus quasi effectus, et conceptus expressi per modum concurrentis principalius, et in recto. Sic ergo (proportione et discrimine statim explicando servatis) in carentia *non spirati*, quæ convenit Filio, philosophandum est. Nam licet quoad hoc, quod est, tribuere Filio, considerato secundum quod convenit cum aliis rebus non spiratis, quod ipse non sit spiratus, concurrat in recto ratione sui, et quoad eumdem effectum connotet Filium sic sumptum : attamen quoad alium quasi effectum denotandi dignitatem personalem Filii, non concurrit in recto secundum id, quod ex se habet, sed secundum id, quod ei accrescit ex fundamento, nempe ex Filiatione et ratione illius : ita ut hoc ipsum habeat a prædicto fundamento, tanquam a ratione principaliori, et principalius influente, et propterea non habet constituere specialem notionem : quia ad hoc desiderabatur, ut prædicta carentia ex se, et secundum id, quod habet in recto, et non ratione Filiationis principaliter ad id influentis, denotaret dignitatem personalem.

73. Replica. Unde hinc manet soluta objectio, quæ alias non parum premeret, nempe, non posse cohærere inter se, quod *non esse spiratum* ex se, et secundum id, quod habet in recto, tribuat Filio suum effectum formalem, et quod non connotet eumdem Filium : ergo nec etiam poterit cohærere cum istis, quod ex se, ac secundum id, quod dicit in recto, non dicat dignitatem personalem Filii : quia quodvis rectum denotat, et dicit suum connotatum : sicut etiam ob hanc rationem innascibilitas habet in recto denotare dignitatem personalem.

Corruit ex dictis. Respondetur enim ex dictis, quod *non esse spiratum* non connotat Filium ut talem, potius quam aliquid aliud, nec est rectum respectu illius determinate sumpti, potius quam respectu alterius, nisi ut est negatio determinata, ly *ut* sumpto reduplicative : ita ut ex determinatione, quam habet a fundamento, et ratione illius habeat postmodum tribuere Filio ut tali, potius quam alteri, suum quasi effectum negativum : et ita prædictum fundamentum concurrit per modum rationis formalissimæ ad determinandam prædictam negationem ad hoc, ut habeat rationem recti in ordine ad tribuendum suum effectum negativum Filio ut tali, potius quam alteri : ac proinde ratione hujus determinationis connotat Filium secundum rationem Filii consideratum, potius quam aliquid aliud.

Et ratio est. Quia cum prædicta negatio ex se non neget universalissimam rationem, non habet ex se præcise id, quod est proprium negationis negantis prædictam rationem, nempe, quod sit propria suppositi intellectualis : et ideo oportet, ut id ei aliunde proveniat, nempe, a prædicta determinatione proveniente ex parte fundamenti : siquidem non apparet aliud, unde id ei competat. Cæterum licet innascibilitas non nisi determinata ad personam Patris, ac proinde connotando illam, habeat denotare dignitatem personalem : non tamen hoc præcise habet, quatenus est determinata, ly *quatenus* reduplicative, sed ad summum specificative, aut per modum conditionis accepto : et ita semel supposita hac determinatione, ipsa ex se, et secundum id, quod ex se habet in recto, habet esse negationem specialissimam, et convenientem soli personæ Patris : ex eo quod ipsa ex se, et secundum quod habet ex se in recto ex propriis meritis, supposita tamen prædicta determinatione, habet, adhuc tunc, negare universalissimam formam, nempe, omnem modum procedendi ab alio, ac proinde esse specialissimam negationem denotantem suppositum naturæ intellectualis, nempe divinæ, eique tantummodo convenientem : et ideo ex hoc capite potest esse peculiaris notio prædicti suppositi. 74.

Adde primo, quod etsi hic fiat sermo de his negationibus determinatis ad aliquod fundamentum, et illud præsupponentibus : attamen innascibilitas determinata ad aliquod ens reale, quodcumque illud sit, denotat dignitatem personalem Patris : quia nullum potest esse ens reale, cui conveniat innascibilitas, seu *esse* omnino improductum, nisi Pater : nec potest fundari in ente reali, quin fundetur in Paternitate. At *non esse spiratum* determinatum ad ens reale positivum non denotat dignitatem personalem, sed potest convenire aliis a persona Filii. Hoc autem satis indicat, quod innascibilitas habet aliquid peculiare secundum id, quod habet in recto, ratione cujus peculiariter denotet dignitatem personalem, quod non habet *non esse spiratum* : siquidem innascibilitas ubicumque determinetur ad ens reale, denotat prædictam dignitatem Patris æterni; secus vero *non esse spiratum*. 75. Diluci datur solutio

Adde secundo, posse etiam aliter responderi ad hanc quintam objectionem, dicendo, quod adhuc dato carentiam spirationis, ut determinatam ad Filium, ly *ut* sumpto Alit occur tur

sumpto specificative tantummodo, denotare dignitatem personalem : nihilominus non ob id prædicta negatio erit specialis notio, quia non denotat dignitatem personalem aliqua speciali ratione, qua non denotetur per Filiationem, ut constat ex iis, quæ num. 48 diximus, ubi rationem hujus reddidimus.

§ XII.

Enodatio utriusque confirmationis hujus ultimæ objectionis.

76. Respondetur ad priorem confirmat. Ad primam confirmationem negandum est antecedens. Quoniam hoc ipso, quod aliqua negatio removeat habitum universaliorem, debet habere oppositum prædicti habitus : ac proinde debet esse specialissima carentia. Unde rationes motus, et peccati sunt rationes satis universales continentes sub se plures species : et nihilominus esse immobile, quod importat privationem omnis motus, est unica ratio individualis soli Deo competens : et innocentia, ut dicit immunitatem ab omni peccato perpetrato, est unius speciei atomæ. Ita ergo pari ratione, licet ratio processionis sit generica, aut quasi generica, sub eaque plures, et diversæ in specie processiones contineantur : attamen omnimoda negatio omnis processionis erit unica ratio specialis, imo et specialior, quam aliæ negationes negantes peculiares tantummodo processiones, ut ex D. Thoma in 1 dist. 26 q. 2 art. 3 dicebamus.

77. Ad secundam confirmat. D. Thom. Augustin. Ad secundam confirmationem respondetur, quod innascibilitas potest sumi, vel prout est idem ac *non genitus*, vel *non filius*, ut habet D. Thomas, et Augustinus loco citato in hac confirmatione ; vel prout est idem, ac *non procedens* ullo genere processionis : ita tamen, ut secundum utramque rationem ly *non genitus* determinetur ad principium *quod* ad intra (ut notavit D. Thomas quæstione sequenti art. 4 ad 2) D. Thom. Dicimus ergo, quod si *non genitus* hoc modo sumatur, convenit soli Patri : siquidem nullum est principium *quod* ad intra non genitum, præter Patrem. Hinc tamen non sequitur (ut per hoc obiter tacita objectio solvatur) innascibilitatem, ut dicit *non esse genitum* determinatum ad principium *quod* ad intra, et ut dicit carentiam omnis processionis, esse distinctas notiones : quia illa carentia *non geniti*, licet ex parte nostri modi concipiendi tantum exprimat unum munus, quod tribuit Patri, nempe *non esse genitum*, attamen ex parte rei conceptæ illa ipsissima carentia, quæ præstat hoc munus, præstat etiam quod nulla ratione Pater procedat ab alio : et propterea est ex parte rei conceptæ idem prorsus cum carentia omnimodæ processionis : ideoque nequit constituere specialem notionem distinctam ab innascibilitate; neque e contra innascibilitas constituit aliam notionem præter eam, quam constituit *esse ingenitum*, modo dicto. Sicut quia, in Paternitate est idem ex parte rei conceptæ munus referendi, et constituendi (modo infra explicando) Patrem : idcirco hæc duo munera non constituunt distinctas notiones, sed unam et eamdem.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 dist. 28 q. 1 art. 1 ad 4 his verbis : *Dicendum, quod in hoc, quod dicitur ingenitus, removetur a Patre esse ab alio simpliciter, et non solum secundum aliquem determinatum modum.* In quibus verbis loquitur Angelicus Præceptor de eo, quod ly *ingenitus* ex parte rei conceptæ dicit, licet ex parte modi concipiendi, et ut exprimit præcise hoc, quod est *esse ingenitum* non removeat expresse omnem modum procedendi ab alio. Hoc autem magis explicat dicens : *Quare autem nominetur per negationem specialis processionis, scilicet generationis, potest assignari duplex causa. Una est : Quia processio Spiritus Sancti secundum ordinem naturæ præsupponit generationem Filii. Et ideo, quia negato priori, removetur posterius, ad remotionem generationis a principio fontali sequitur processionis remotio per modum amoris. Secunda est : Quia per hoc, quod dicitur ingenitus, secundum quod est notio Patris, tollitur omnis modus consequendi generationem : hoc enim convenit Patri, in quantum est principium generationis, ut nulla modo generationem consequatur. Generationem autem consequitur aliquid secundum intellectum tripliciter. Vel sicut genitum, ut filius : vel sicut per generationem acceptum, ut essentia divina : vel sicut a generato procedens, ut Spiritus Sanctus, unde nulli horum convenit ingenitus secundum prædictum modum, etc.* Ubi, ut constat, satis D. Thomas expressit, quomodo *esse ingenitum*, ut est notio Patris, includat negationem essendi omnino ab alio : siquidem personæ divinæ, cui competit negatio generationis omnibus illis modis debet competere omnimoda carentia totius realis processionis ab altero : licet prædicta 78. D. Thom.

carentia, ut secundum communem modum concipiendi concipitur, et significatur, scilicet, sub hoc munere, et nomine *ingeniti*, non dicat expresse carentiam totius processionis, sed tantum processionis per generationem per modum geniti.

QUÆSTIO XXXIII

De persona Patris.

PROŒMIUM

Consequenter considerandum est de personis in speciali. Et primo circa personam Patris.

ARTICULUS I.

Ulrum compe'at Patri esse principi.m?

Infra q. 36 art. 4 et 1 dist. 29 art. 2 et Opusc. 1 c. 2 et po. q. 10 art. 1, 8 et 10.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Pater non possit dici principium Filii, vel Spiritus Sancti. Principium enim, et causa idem sunt secundum Philosophum *. Sed non dicimus Patrem esse causam Filii. Ergo non debet dici, quod sit ejus principium.

2. Præterea, Principium dicitur respectu principiati. Si igitur Pater est principium Filii, sequitur, Filium esse principiatum : et per consequens esse creatum. Quod videtur esse erroneum.

3. Præterea, nomen principii a prioritate sumitur. Sed in divinis non est prius et posterius, ut Athanasius * dicit. Ergo in divinis non debemus uti nomine principii.

* Ex lib. 4 Metap. tex. 3 tom. 3.

Sed contra est, quod dicit Augustinus in 4 de Trinitate * : Pater est principium totius Deitatis.

* In suo Symbolo fidei.

Respondeo dicendum, quod hoc nomen principium nihil aliud significat, quam id à quo aliquid procedit. Omne enim, a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium, et e converso. Cum ergo Pater sit, a quo procedit alius, sequitur, quod Pater est principium.

* Lib. 4 de Trin. c. 20 inclinando ad fin. tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Græci utuntur in divinis indifferenter nomine causæ, sicut et nomine principii. Sed Latini Doctores non utuntur nomine causæ, sed solum nomine principii. Cujus ratio est. Quia principium communius est, quam causa, sicut causa communius, quam elementum : primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquod nomen est communius, tanto convenientius assumitur in divinis, ut supra dictum est * : quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ. Unde hoc nomen causa videtur importare diversitatem substantiæ, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam, et id, cujus est causa, secundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his, quæ nullam hujusmodi differentiam habet, sed solum secundum quemdam ordinem, sicut cum dicimus, punctum esse principium lineæ, vel etiam cum dicimus, frontem lineæ esse principium lineæ.

* Q. 13 art. 11.

Ad secundum dicendum, quod apud Græcos invenitur de Filio, vel de Spiritu Sancto dici, quod principientur. Sed hoc non est in usu Doctorum nostrorum. Quia licet attribuamus Patri aliquid authoritatis ratione principii : nihil tamen ad subjectionem, vel minorationem quocumque modo pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto, ut vitetur omnis erroris occasio. Secundum quem modum, Hilarius dicit * de Trinitate. Donantis authoritate Pater major est; sed minor non est Filius, cui unum esse donatur.

* Lib. 9 de Trin. inter medium et finem lib.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc nomen principium, quantum ad id, a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum : non tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est, quod significat nomen, et a quo nomen imponitur, ut supra dictum est *.

* Q. 13 art. 8.

Conclusio est affirmativa.

Notationes circa hunc articulum.

Pro hujus articuli intelligentia notandum est primo, Patrem in Scripturis sacris principii nomine insigniri, uti Joannis 1 : *In principio erat Verbum*, idest in Patre : et Psalmo 109 : *Tecum principium, etc.* Quæ testimonia licet alias sustinere possint explicationes, in sensu tamen a nobis insinuato debere intelligi, affirmant D. Thomas, Augustinus tractatu 1 in Johannem et Psalmo 109 et N. Cyrillus lib. 1 in Johannem cap. 1 et 2, pluresque alii ex sanctis Patribus.

Joan. 1 Psal. 10 D. Thom. Augustin. N. Cyrill.

Secundo notandum est, quod licet hoc nomen *principium*, etiam si absolute sumatur, Patri competat, ut jam diximus : tamen aliquid addendum est, ut ei sit proprium, scilicet, quod sit principium Filii : quia etiam Filius principium creaturarum in Scripturis nuncupatur. Ita Augustinus 1 de Genesi ad litteram cap. 5 et ibidem in Imperfecto c. 3 et Interlinealis : et ita alii explicant illud Genesis 1 : *In principio creavit Deus cælum et terram*, idest in Filio. Cui etiam consentit modus ille loquendi Christi Domini Joannis 8 cum inquit : *Ego principium, qui et loquor vobis*, ut expendunt Ambrosius lib. 3 de Fide c. 4 et Augustinus lib. 5 de Trinitate c. 13. Quare passim a sanctis Patribus Pater nuncupatur principium cum addito, nimirum principium Filii, vel principium totius Deitatis. Ita cum appellat Augustinus lib.

August. Glossa Genesis 1. Joannis 8. Ambros. Augus

Dionysius. Conc. Toletanum VI et XI. lib. 4 de Trinitate c. 20 et D. Dionys. c. 3 de divin. nominibus, et Concilium Toletanum VI et XI in confessione fidei. Quod non sic debet intelligi, quasi Pater producat Deitatem : Deitas enim producibilitatis est incapax : sed quia quidquid ad intra communicatur, ejus communicationis est fons, et origo Pater æternus, quatenus est principium omnium personarum ad intra procedentium. Sic Magister Magister. in 1 dist. 29 prædictorum Patrum locutionem exposuit. Non dissimiliter interpretanda est similis alia locutio in Concilio Conc. Vormat. Vormatiensi reperta, ubi Pater totius Trinitatis appellatur principium, ubi tantummodo denotatur, Patrem esse principium personarum omnium, quæ ab alio originem trahunt.

ARTICULUS II.

Utrum hoc nomen pater *sit nomen proprie divinæ personæ?*

Infra q. 40 art. 2 cor. et 3 q. 60 art. 7 ad 2 et 4 dist. 3 art. 2 q. 1 ad 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen pater non sit proprie nomen divinæ personæ. Hoc enim nomen pater significat relationem. Persona autem est substantia individua. Non ergo hoc nomen est proprie nomen significativum personæ.

2. Præterea, generans communius est, quam pater. Nam omnis pater est generans : sed non e converso. Sed nomen communius magis proprie dicitur in divinis, ut dictum * est. Ergo magis proprium nomen est personæ divinæ generans, et genitor, quam pater.

* Q. 13 art. 11.

3. Præterea, nihil, quod secundum metaphoram dicitur, potest esse nomen proprium alicujus. Sed verbum metaphorice apud nos dicitur genitum, vel proles, et per consequens ille, cujus est verbum metaphorice dicitur pater. Non ergo principium Verbi in divinis potest proprie dici pater.

4. Præterea, omne, quod dicitur in divinis, perprius dicitur de Deo, quam de creaturis. Sed generatio perprius videtur dici de creaturis, quam de Deo : verior enim ibi videtur esse generatio, ubi aliquid procedit ab alio distinctum, non secundum relationem tantum, sed etiam secundum essentiam. Ergo nomen patris, quod a generatione sumitur non videtur esse proprium alicujus divinæ personæ.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm : Ipse invocabit me. Pater meus es tu.

Respondeo dicendum, quod nomen proprium cujuslibet personæ significat id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. Sicut enim de ratione hominis est anima, et corpus : ita de intellectu hujus hominis est hæc anima, et hoc corpus, ut dicitur in * 7 Metaphysicæ. His autem hic homo ab omnibus aliis distinguitur. Id autem, per quod distinguitur persona Patris ab omnibus aliis, est paternitas. Unde proprium nomen personæ Patris est hoc nomen pater, quod significat paternitatem.

* Lib. 7 Metap. tex. 31 et 35 tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod apud nos relatio non est subsistens persona : et ideo hoc nomen pater apud nos non significat personam, sed relationem personæ. Non autem est ita in divinis, ut quidam falso opinati sunt : Nam relatio, quam significat hoc nomen pater, est subsistens persona. Unde supra dictum * est, quod hoc nomen persona in divinis significat relationem, ut subsistentem in divina natura.

* Q. 29 art. 4.

Ad secundum dicendum, quod secundum Philosophum in 2 * de Anima, denominatio rei maxime debet fieri a perfectione, et fine. Generatio autem significat ut in fieri : sed paternitas significat complementum generationis : et ideo potius est nomen divinæ personæ pater, quam generans, vel genitor.

* Lib. 2 tex. 41 tom. 1.

Ad tertium dicendum, quod verbum non est quid subsistens in natura humana. Unde non proprie potest dici genitum, vel filius. Sed verbum divinum est aliquid subsistens in natura divina : unde proprie, et non metaphorice dicitur filius et ejus principium pater.

Ad quartum dicendum, quod nomen generationis et paternitatis, sicut et alia nomina, quæ proprie dicuntur in divinis, per prius dicuntur de Deo; quam de creaturis, quantum ad rem significatam, licet non quantum ad modum significandi. Unde et Apostolus dicit ad Ephesios 3 . Flecto genua mea ad patrem Domini mei Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Quod sic apparet. Manifestum est enim, quod generatio accipit speciem a termino, qui est forma generati. Et quanto hic fuerit propinquior; tanto verior, et perfectior est generatio : sicut generatio univoca est perfectior, quam non univoca : nam de ratione generantis est, quod generet sibi simile secundum formam. Unde hoc ipsum, quod in generatione divina est eadem numero forma generantis, et geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantum, ostendit, quod generatio, et per consequens paternitas, per prius sit in Deo, quam in creaturis. Unde hoc ipso, quod in divinis est distinctio geniti a generante secundum relationem tantum, ad veritatem divinæ generationis et paternitatis pertinet.

Conclusio est affirmativa.

Hæc conclusio intelligenda est de Patre, non ut hoc nomen significat patrem respectu creaturarum ad extra, juxta illud orationis dominicæ, *Pater noster, qui es in cœlis*, sed de Patre ad intra respectu Filii connaturalis et coæterni. Quia Pater priori modo sumptus non est quid proprium alicujus personæ, sed commune tribus; secus vero posteriori modo, secundum quem significat de formali proprietatem constitutivam et distinctivam Patris æterni. Matth. 6

Nec necesse erit circa hunc, et præcedentem articulum peculiarem disputationem excitare. Tum, quia de his, quæ in eis tanguntur, non pauca q. 27 diximus. Tum etiam, quia circa hæc iterum infra q. 40 sermo redibit, dum explicuerimus, quodnam sit distinctivum et constitutivum divinarum personarum, ac proinde et Patris.

ARTICULUS III.

Utrum hoc nomen pater *dicatur in divinis perprius, secundum quod personaliter sumitur?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen pater non dicatur in divinis perprius, secundum quod personaliter sumitur. Commune enim secundum intellectum est prius proprio. Sed hoc nomen pater, secundum quod personaliter sumitur, est proprium personæ Patris : secundum vero quod, sumitur essentialiter, est commune toti Trinitati : nam toti Trinitati dicimus, Pater noster. Ergo per prius dicitur pater essentialiter sumptum, quam personaliter. 1 dist. 2.

2. Præterea, in his, quæ sunt ejusdem rationis, non est prædicatio per prius et posterius. Sed paternitas et filiatio secundum unam rationem videntur dici, secundum quod persona divina est Pater Filii, et secundum quod tota Trinitas est Pater noster, vel creaturæ : cum secundum * Basilium, accipere sit commune creaturæ et Filio. Ergo non perprius dicitur pater in divinis, secundum quod sumitur essentialiter, quam secundum quod sumitur personaliter.

* Tom. 1 in homil. de Fide, quæ est 15 circ. med.

3. Præterea, inter ea, quæ non dicuntur secundum rationem unam, non potest esse comparatio. Sed Filius comparatur creaturæ in ratione filiationis, vel generationis, secundum illud Coloss. 1 . Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Ergo non per prius dicitur in divinis paternitas personaliter sumpta, quam essentialiter, sed secundum rationem eamdem.

Sed contra est, quod æternum prius est temporali. Ab æterno autem Deus est Pater Filii : ex tempore autem pater est creaturæ. Ergo perprius dicitur paternitas in Deo respectu Filii, quam respectu creaturæ.

Respondeo dicendum, quod perprius dicitur nomen de illo, in quo salvatur tota ratio nominis perfecte, quam de illo, in quo salvatur secundum aliquid. De hoc enim dicitur quasi per similitudinem ad id, in quo perfecte salvatur : quia omnia imperfecta sumuntur a perfectis. Et inde est, quod hoc nomen leo perprius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis salvatur, quod proprie dicitur leo, quam de aliquo homine, in quo invenitur aliquid de ratione leonis, utputa audacia, vel fortitudo, vel aliquid hujusmodi : de hoc enim per similitudinem dicitur. Manifestum est autem ex præmissis * quod perfecta ratio paternitatis, et filiationis invenitur in Deo Patre, et Deo Filio : quia Patris, et Filii una est natura, et gloria. Sed in creatura filiatio invenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem, cum non sit una natura creatoris, et creaturæ; sed secundum aliqualem similitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicujus creaturæ pater, propter similitudinem vestigii tantum, utpote irrationalium creaturarum, secundum illud Job 38 : Quis est pluviæ pater? aut quis genuit stillas roris? Alicujus vero creaturæ, scilicet rationalis, secundum similitudinem imaginis, secundum illud Deuteronomii 32 : Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te? Aliquorum vero est pater secundum similitudinem gratiæ, qui etiam dicuntur filii adoptivi, secundum quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum, secundum illud Romanorum 8 : Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes. Aliquorum vero secundum similitudinem gloriæ, prout jam gloriæ hæreditatem possident, secundum illud Romanorum 5 : Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Sic igitur patet, quod perprius paternitas dicitur in divinis, secundum quod importatur respectus personæ ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam.

* Q. 17 art. 2 et q. 28 artic. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria : quia includuntur in intellectu propriorum, sed non e converso : in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non convertitur. Sed communia, quæ important respectum ad creaturam, per posterius dicuntur, quam propria, quæ important respectus personales : quia persona procedens in divinis procedit ut principium productionis creaturarum. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice, quam artificiatum, quod producitur ad similitudinem verbi concepti in mente : ita per prius procedit Filius a Patre, quam creatura, de qua nomen filiationis dicitur, secundum quod aliquid participat de similitudine Filii, vel Patris, ut patet per illud, quod dicitur Romanorum 8 : Quos præscivit, et prædestinavit fieri conformes imaginis Filii ejus.

Ad secundum dicendum, quod accipere dicitur esse commune creaturæ, et Filio, non secundum univocationem, sed secundum similitudinem quamdam remotam, ratione cujus dicitur primogenitus creaturæ : unde in authoritate inducta subditur : Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : postquam dixerat, conformes fieri aliquos imaginis Filii Dei. Sed Filius Dei naturaliter habet quoddam singulare præ aliis, scilicet, habere per naturam id, quod accipit, ut idem Basilius * dicit : et secundum hoc dicitur unigenitus, ut patet Joannis 1 : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit. Et per hoc patet solutio ad tertium.

* Loco citato in argum.

Conclusio : Pater per prius dicitur in divinis, secundum quod per prædictum nomen importatur respectus personæ ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam.

ARTICULUS IV.

1 dist. 13 art. 4 et d. 26 q. 1 art. 1 et Opusc. 1 c. 9.

Utrum esse ingenitum sit Patri proprium?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod esse ingenitum non sit Patri proprium. Omnis enim proprietas ponit aliquid in eo, cujus est proprietas. Sed ingenitus nihil ponit in Patre; sed removet tantum. Ergo non significat proprietatem Patris.

2. Præterea, ingenitum aut dicitur privative, aut negative? Si negative, tunc quidquid non est genitum, potest dici ingenitum. Sed Spiritus Sanctus non est genitus, neque etiam essentia divina. Ergo ingenitum etiam eis convenit : et sic non est proprium Patri. Si autem privative sumatur, cum omnis privatio significet imperfectionem in privato, sequitur, quod persona Patris sit imperfecta : quod est impossibile.

3. Præterea, ingenitus in divinis non significat relationem : quia non dicitur relative : significat ergo substantiam. Ingenitus igitur, et genitus secundum substantiam differunt. Filius autem, qui est genitus, non differt a Patre secundum substantiam. Pater ergo non debet dici ingenitus.

4. Præterea, proprium est, quod uni soli convenit. Sed cum sint plures ab alio procedentes in divinis, nihil videtur prohibere, quin etiam sint plures ab alio non existentes. Non igitur est proprium Patri esse ingenitum.

5. Præterea, sicut Pater est principium personæ genitæ : ita et personæ procedentis. Si ergo propter oppositionem, quam habet ad personam genitam, proprium Patris ponitur esse, quod sit ingenitus : etiam proprium ejus debet poni, quod sit improcessibilis.

Sed contra est, quod dicit Hilarius de Trinitate *. Est unus ab uno, scilicet, ab ingenito genitus, proprietate videlicet in unoquoque, et innascibilitatis, et originis.

* Lib. 4 de Trinit. non multum remote a fine libri.

Respondeo dicendum, quod sicut in creaturis invenitur principium primum, et principium secundum : ita in personis divinis, in quibus non est prius, et posterius, invenitur principium non de principio, quod est Pater et principium a principio, quod est Filius. In rebus autem creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter. Uno quidem modo, in quantum est principium primum, per hoc quod habet relationem ad ea, quæ ab ipso sunt. Alio modo, in quantum est primum principium, per hoc quod non est ab alio. Sic igitur et Pater innotescit quidem Paternitate, et commune spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes. In quantum autem est principium non de principio, innotescit per hoc, quod non est ab alio : quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen ingenitus.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam dicunt, quod innascibilitas, quam significat hoc nomen ingenitus, secundum quod est proprietas Patris, non dicitur tantum negative; sed importat, vel utrumque simul, scilicet, quod Pater a nullo est, et quod est principium aliorum; vel importat universalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum. Quia sic innascibilitas non esset alia proprietas a Paternitate, et spiratione; sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi : nam fontalitas, et authoritas nihil aliud significant in divinis, quam principium originis. Et ideo dicendum est secundum Augustinum 5 de Trinitate * quod ingenitus negationem generationis passive importat. Dicit enim, quod tantum valet, quod dicitur ingenitus, quantum valet, quod dicitur non filius. Nec propter hoc sequitur, quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris. Quia prima et simplicia per negationes notificantur : sicut dicimus, punctum esse, cujus pars non est.

* Lib. 5 de Trinit. c. 7 in princ. tom. 3.

Ad secundum dicendum, quod ingenitum, quandoque sumitur negative tantum : et secundum hoc Hieronymus * dicit, Spiritum Sanctum esse ingenitum, id est non genitum. Alio modo potest dici ingenitum aliquo modo privative; non tamen aliquam imperfectionem importat. Multipliciter enim dicitur privatio. Uno modo, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab alio, etiamsi ipsum non sit natum habere illud, sicut si lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quam quædam res natæ sunt habere. Alio modo dicitur privatio, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab aliquo sui generis, sicut si talpa dicatur cæca. Tertio modo, quando ipsum non habet, quod natum est habere : et hoc modo privatio imperfectionem importat. Sic autem ingenitum non dicitur privative de Patre, sed secundo modo : prout scilicet aliquod suppositum divinæ naturæ non est genitum; cujus tamen naturæ aliquod suppositum est genitum. Sed secundum hanc rationem etiam de Spiritu Sancto potest dici ingenitum. Unde ad hoc, quod sit proprium soli Patri, oportet ulterius in nomine ingeniti intelligere, quod conveniat alicui personæ divinæ, quæ sit principium alterius personæ : ut sic intelligatur importare negationem in genere principii personaliter dictum in divinis. Vel ut intelligatur in nomine ingeniti, quod omnino non sit ab alio; et non solum quod non

* Citatur in magist. sentent. dist. 13 parag. f.

non sit ab alio per generationem : sic enim nec Spiritui Sancto convenit esse ingenitum, qui est ab alio per processionem, et persona subsistens : nec etiam divinæ essentiæ, de qua potest dici, quod est in Filio, vel in Spiritu Sancto ab alio, scilicet a Patre.

* Lib. 1 de Fide orthod. cap. 9. Ad tertium dicendum, quod secundum Damascenum * ingenitum uno modo significat idem, quod increatum : et sic secundum substantiam dicitur : per hoc enim differt substantia creata ab increata. Alio modo significat id, quod non est genitum : et sic relative dicitur eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis, sicut non homo ad genus substantiæ, et non album ad genus qualitatis. Unde, cum genitum in divinis relationem importet, ingenitum etiam ad relationem pertinet. Et sic non sequitur, quod Pater ingenitus distinguatur a Filio genito secundum substantiam, sed solum secundum relationem, in quantum scilicet relatio Filii negatur de Patre.

* Lib. de Synodis post medium illius per 6 pag. et est diffinitio 26. Ad quartum dicendum, quod sicut in quolibet genere oportet ponere unum principium : ita in divina natura, oportet ponere principium, quod non sit ab alio, quod ingenitum dicitur. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, et duas naturas divinas. Unde Hilarius dicit in lib. de Synodis * : Cum unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt. Et hoc præcipue, quia si essent duo innascibiles, unus eorum non esset ab alio : et sic non distinguerentur oppositione relativa. Oporteret igitur, quod distinguerentur diversitate naturæ.

Ad quintum dicendum, quod proprietas Patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem nativitatis Filii, quam per remotionem processionis Spiritus Sancti. Tum, quia processio Spiritus Sancti non habet nomen speciale, ut supra dictum est *. Tum, quia etiam ordine naturæ præsupponit generationem Filii. Unde remoto a Patre, quod non sit genitus, cum tamen sit principium generationis, sequitur consequenter, quod non sit procedens processione Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus non est generationis principium, sed a genito procedens. * Q. 27 art. 4.

Conclusio est affirmativa.

Circa quam nihil occurrit notandum, suppositis illis, quæ quæstione præcedenti dubio ultimo ad explicationem hujus, et aliarum notionum late diximus.

QUÆSTIO XXXIV

De persona Filii.

PROŒMIUM

Deinde considerandum est de persona Filii. Attribuuntur autem tria nomina Filio, scilicet, filius, verbum, et imago. Sed ratio filii ex ratione patris consideratur. Unde restat considerandum de verbo, et imagine.

ARTICULUS I.

1 2 q. 93 artic. 1 ad 2 et Ver. q. 4 artic. 2 et 4 et opusc. 1 c. 11.

Utrum verbum in divinis sit nomen personale?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod verbum in divinis non sit nomen personale. Nomina enim personalia proprie dicuntur in divinis, ut pater et filius. Sed verbum metaphorice dicitur in divinis, ut Origenes dicit super Joannem *. Ergo verbum non est personale in divinis.

* In Evang. Joan. c. 1 super illud : In principio erat Verbum.

2. Præterea, secundum Augustinum in lib. de Trinitate *, verbum est notitia cum amore. Et secundum Anselmum in Monolog. * : Dicere summo spiritu nihil aliud est, quam cogitando intueri. Sed notitia, et cogitatio, et intuitus in divinis essentialiter dicuntur. Ergo verbum non dicitur personaliter in divinis.

* Lib. 9 de Trin. c. 10 circa finem.

3. Præterea de ratione verbi est, quod dicatur. Sed secundum Anselmum * sicut Pater est intelligens, et Filius est intelligens, et Spiritus Sanctus est intelligens : ita Pater est dicens, Filius est dicens, et Spiritus Sanctus est dicens : et similiter quilibet eorum dicitur. Ergo nomen verbi essentialiter dicitur in divinis, et non personaliter.

* Ex cap. 31, 32 et 33 Monolog.

4. Præterea, nulla persona divina est facta. Sed Verbum Dei est aliquid factum. Dicitur enim in Psalmo 148 : Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Ergo verbum non est nomen personale in divinis.

* In Monol. cap. 8.

Sed contra est, quod dicit Augustinus in 7 de Trinitate * sicut Filius refertur ad Patrem, ita et verbum ad id, cujus est verbum. Sed Filius est nomen personale, quia relative dicitur. Ergo et verbum.

* Lib. 7 de Trin. cap. 1 paulo post princ. tomo 3.

Respondeo dicendum, quod nomen verbi in divinis, si proprie sumatur, est nomen personale, et nullo modo essentiale.

Ad cujus evidentiam sciendum est, quod verbum tripliciter quidem in nobis proprie dicitur, quarto autem modo dicitur improprie, sive figurative. Manifestius autem, et communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur, quod quidem ab interiori procedit quantum ad duo, quæ in verbo exteriori inveniuntur, scilicet, vox ipsa, et significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum secundum Philosophorum in lib. 1. Periher. * : Et iterum, vox ex significatione, vel imaginatione procedit, ut in libro de Anima * dicitur. Vox autem, quæ non est significativa, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quia significat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur. Secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa. Tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum dicitur. Et hos tres modos verbi ponit Damascenus * in 1 lib. cap. 17 dicens, quod verbum dicitur naturalis intellectus motus, secundum quem movetur, et intelligit, et cogitat velut lux, et splendor, quantum ad primum. Rursus verbum est, quod non verbo profertur, sed in corde pronuntiatur, quantum ad tertium. Rursus, etiam verbum est Angelus, id est nuntius intelligentiæ, quantum ad secundum. Dicitur autem figurative quarto modo verbum id, quod verbo significatur, vel efficitur, sicut consuevimus dicere : Hoc est verbum, quod dixi tibi, vel quod mandavit Rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simpliciter enuntiantis, vel etiam imperantis. Dicitur autem proprie verbum in Deo, secundum quod verbum significat conceptum intellectus. Unde Augustinus dicit in 15 de Trinitate *. Quisquis potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione involvantur, jam potest videre aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est : In principio erat Verbum. Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet, quod ab alio procedat, scilicet a notitia concipientis. Unde verbum, secundum quod proprie dicitur in divinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in divinis, eo quod personæ divinæ distinguuntur secundum originem, ut dictum * est. Unde oportet, quod nomen verbi, secundum quod proprie in divinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum.

* Lib. 1 Periher. in princ. tom. 1.
* Lib. 2 de Anima tex. 90 tom. 2.
* Lib. 1 Orthod. Fid. cap. 17.
* Lib. 15 de Trin. c. 10 a medio tom. 3.
* Q. 27 art. 3, 4 et 5.

Ad primum ergo dicendum, quod Ariani, quorum fons

Origenes invenitur, posuerunt Filium alium a Patre esse in diversitate substantiæ. Unde conati sunt, cum Filius Dei verbum dicitur, astruere, non esse proprie dictum : ne sub ratione verbi procedentis cogerentur fateri, Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam verbum interius sic a dicente procedit, quod in ipso manet. Sed necesse est, si ponitur Verbum Dei metaphorice dictum, quod ponatur Verbum Dei proprie dictum. Non enim potest aliquid metaphorice verbum dici, nisi ratione manifestationis. Quia vel manifestat sicut verbum, vel est verbo manifestatum. Si autem est manifestatum verbo, oportet ponere verbum, quo manifestetur. Si autem dicitur verbum, quia exterius manifestat ea quæ exterius manifestantur, non dicuntur verba, nisi in quantum significant interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora signa manifestat. Etsi ergo verbum aliquando dicatur metaphorice in divinis, tamen oportet ponere verbum proprie dictum, quod personaliter dicatur.

Ad secundum dicendum, quod nihil eorum, quæ ad intellectum pertinent, personaliter dicitur in divinis, nisi solum verbum. Solum enim verbum significat aliquid ab alio emanans. Id enim, quod intellectus in concipiendo format, est verbum. Intellectus autem ipse, secundum quod est per speciem intelligibilem in actu, consideratur absolute. Et similiter intelligere, quod ita se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu : non enim intelligere significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem. Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu; sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Unde et Augustinus * dicit, quod verbum est sapientia genita. Quod nihil aliud est, quam ipsa conceptio sapientis : quæ etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per eumdem modum potest intelligi, quod dicere Deo sit cogitando intueri, in quantum scilicet intuitu cogitationis divinæ concipitur Verbum Dei. Cogitationis tamen nomen Dei Verbo proprie non convenit Dicit enim Augustinus * 15 de Trinitate. Ita dicitur illud Verbum Dei, ut cogitatio non dicatur : ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod non accipiat formam, ut verbum sit eamque dimittere possit, atque informiter quodammodo volutari. Cogitatio enim proprie inquisitione veritatis consistit, quæ in Deo locum non habet. Cum vero intellectus jam ad formam veritatis pertingit, non cogitat; sed perfecte veritatem contemplatur. Unde Anselmus improprie accipit cogitationem pro contemplatione.

* Lib. 7 de Trin. cap. 2, non longe a princ. tom. 3.
* Lib. 15 de Trin. c. 16 in princ.

Ad tertium dicendum, quod sicut proprie loquendo verbum dicitur personaliter in divinis, et non essentialiter : ita et dicere. Unde, sicut verbum non est commune Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : ita non est verum, quod Pater et Filius, et Spiritus Sanctus sint unus dicens. Unde Augustinus dicit * 7 de Trinitate. Illo coæterno Verbo non singulus intelligitur in divinis. Sed dici, convenit cuilibet personæ : dicitur enim non solum verbum, sed res, quæ verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo uni soli personæ in divinis convenit dici, eo modo, quo dicitur verbum. Eo vero modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ convenit dici. Pater enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum : ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura : sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit. Anselmus vero improprie accepit dicere pro intelligere. Quæ tamen differunt. Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur : sed solum informatio quædam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem : quia in Deo est omnino idem intellectus, et intellectum, ut supra * ostensum est. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum. Nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum. Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona, quæ profert verbum, est dicens in divinis : cum tamen singula personarum sit intelligens, et intellecta, et per consequens verbo dicta.

* Lib. 7 de Trinit. c. 1, circa princ.
* Q. 14 artic. 2 et 4.

Ad quartum dicendum, quod verbum sumitur ibi figurative prout significatum, vel effectus verbi dicitur verbum. Sic enim creaturæ dicuntur facere Verbum Dei. in quantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex Verbo concepto divinæ sapientiæ : sicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit opus, ad quod ex verbo Regis instigatur.

Conclusio . Hoc nomen *verbum*, si proprie sumatur in divinis, est nomen personale, et nullo modo essentiale.

ARTICULUS II.

Utrum verbum sit proprium nomen Filii?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod verbum non sit proprium nomen Filii. Filius enim est persona subsistens in divinis. Sed verbum non significat rem subsistentem, ut in nobis patet. Ergo verbum non potest esse proprium nomen personæ Filii.

1 dist. 27 q. 2 art. 2 q. 2 et ver. q. 4 art. 3 opusc. 1 cap. 11.

2. Præterea, verbum prolatione quadam procedit a dicente. Si ergo Filius est proprie verbum, non procedit a Patre, nisi per modum prolationis. Quod est hæresis Valentini, ut patet per Augustinum in * lib. de Hæresibus.

* Lib. 1 de hæresibus cap. 11 tom. 6.

3. Præterea, omne nomen proprium alicujus personæ significat proprietatem aliquam ejus. Si igitur verbum sit proprium nomen Fili, significabit aliquam proprietatem ejus : et sic erunt plures proprietates in divinis, quam supra enumeratæ sunt.

4. Præterea, quicumque intelligit, intelligendo concipit verbum. Sed Filius intelligit. Ergo Filii est aliquod verbum. Et sic non est proprium Filii est verbum.

5. Præterea, Hebræ. 1 dicitur de Filio : Portans omnia verbo virtutis suæ. Ex quo Basilius * accipit, quod Spiritus Sanctus sit verbum Filii. Non est ergo proprium Filii esse verbum.

* Lib. 5 contra Eunomium c. 11.

Sed contra est, quod Augustinus dicit * 6 de Trinitate : Verbum solus Filius accipitur.

Respondeo dicendum, quod verbum proprie dictum in divinis personaliter accipitur, et est proprium nomen personæ Filii. Significat enim quamdam emanationem intellectus. Persona autem, quæ procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius, et hujusmodi processio dicitur generatio, ut supra * ostensum est. Unde relinquitur, quod solus Filius proprie dicatur verbum in divinis.

* Lib. 6 de Trin. c. 2, in fine, tom. 3.
* Q. 27 artic. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod in nobis non est idem esse, et intelligere. Unde illud, quod habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram. Sed esse Dei est ipsum ejus intelligere. Unde Verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus ejus; sed pertinet ad ipsam naturam ejus; et ideo oportet, quod sit aliquid subsistens : quia quidquid est in natura Dei, subsistit. Et ideo Damascenus dicit *, quod Verbum Dei est substantiale, et in hypostasi ens : reliqua vero verba, scilicet nostra, virtutes sunt animæ.

* Lib. 1. Orthod. fid. c. 13, non procul a fine.

Ad secundum dicendum, quod non propter hoc error Valentini est damnatus, quia Filium dixit prolatione natum, ut Arriani calumniabantur, sicut Hilarius refert * 6 de Trinitate; sed propter varium modum prolationis, quem posuit, sicut patet per Augustinum * in lib. de Hæresibus.

* Lib. 6 de Trinit. non remote a principio.
* Loco in argum. citato.

Ad tertium dicendum, quod in nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filii. Unde dicit Augustinus : Eo dicitur Verbum, quo Filius. Ipsa enim nativitas Filii, quæ est proprietas personalis ejus, diversis nominibus significatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diversimode perfectionem ejus. Nam, ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius : ut ostendatur coæternus, dicitur splendor : ut ostendatur omnino similis, dicitur imago : ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod omnia ista designarentur.

Ad quartum dicendum, quod eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis *, ut dictum est. Est autem Filius Deus genitus; non tamen generans Deus. Unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens : prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino , sed relatione sola distinguitur a principio Verbi.

* Q. 1 artic. 2 et 4.

Ad quintum dicendum, quod cum de Filio dicitur : Portans omnia verbo virtutis suæ, verbum figurate accipitur pro effectu Verbi. Unde * Glossa ibi dicit, quod verbum sumitur pro imperio : in quantum scilicet ex effectu virtutis Verbi est, quod res conserventur in esse, sicut ex effectu virtutis Verbi est, quod res producantur in esse. Quod vero Basilius interpretatur verbum pro Spiritu Sancto, improprie, et figurate locutus est, prout verbum alicujus

* Gloss inter in ibid.

alicujus dici potest omne illud, quod est manifestativum ejus : ut sic ea ratione dicatur Spiritus Sanctus verbum Filii, quia manifestat Filium.

Conclusio est affirmativa.

Notationes circa hos duos articulos.

1. Quamvis circa duos articulos præcedentes posset disputatio excitari ad examinandam utramque eorum conclusionem, necnon et illa, quæ circa *dicere*, et *intelligere* divinum, et creatum D. Thomas artic. 1 hujus quæstionis docuit : nihilominus, quia suppositis illis, quæ circa quæstionem 27 disputat. 1 dubio 2 et 3 ac 4 necnon disput. 2 per totam et maxime dubio ultimo ejusdem, necnon et illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disput. dubio penultimo et ultimo diximus, satis utriusque intelligentia constat : idcirco ab aliqua disputatione quoad hoc in præsenti excitanda, abstinemus.

D.Thom.

Animadversio prima pro duobus artic. præcedentibus.

Solum autem aliqua circa utrumque articulum adnotabimus, ex quibus non parum res hæc breviter illustrabitur. Notandum igitur in primis est ex D. Thoma in 1 Sententiarum dist. 27 q. 2 art. 2 et de Veritate q. 4 art. 2 quod verbo proprie dicto conveniunt quatuor conditiones. Prima est, ut sit aliquid expressum a notitia mentis. Secunda, quæ ex præcedenti sequitur, ut dicat relationem realem originis ad dicentem. Tertia, quod sit manifestativum rei intellectæ. Quarta, quod sit objectum intellectum ad intra. Cumque hæc omnia in divinis soli Verbo divino competant, ut patet ex illis, quæ disputat. 2 hujus tractatus diximus, consequens est, ut hoc nomen verbum in divinis proprie sumptum sit personale, sitque nomen proprium Filii, quippe qui est idem formalissime, ac verbum.

D.Thom.

2. Animadversio secunda.

Secundo notandum est, quod licet verbum proprie dictum hæc quatuor importet : nihilominus verbum communiter dictum non petit omnia ista, ut absolute et simpliciter ei convenientia ; sed tantum exigit duo ultima, ut simpliciter et duo priora ut et secundum quod, id est, secundum rationem, ei competentia. Et ita essentia divina licet non habeat rationem verbi proprie dicti, ac proinde sic sumpto verbo non dicatur prædictum verbum essentialiter, sed personaliter tantummodo : attamen eadem essentia habet rationem verbi communiter dicti respectu divini intellectus et visionis beatificæ : et propterea unitur hoc modo cum intellectibus beatorum, ut ex D. Thoma tomo 1 tractatu 2 disp. 2, dubio 1 et dubio 9 et 10 diximus.

Et ratio est. Quia prædictæ essentiæ conveniunt duæ illæ posteriores conditiones simpliciter, nempe, quod per modum objecti sit manifestativa rei intellectæ et sit objectum ad intra intellectum ; quamvis solum secundum nostrum modum concipiendi intelligatur dimanare secundum hæc duo munera a se ipsa, ut habet rationem naturæ divinæ : ac proinde verbum communiter dictum habet dici essentialiter.

3. D.Thom.

Quæ doctrina desumitur ex D. Thoma in 1 dist. 27 quæst. 2 art. 2, ubi postquam dixit, quod sicut amor diversimode sumptus dicitur essentialiter et personaliter, ita et verbum diversimode acceptum utroque modo dicitur, statim reddit rationem hujus sequentibus verbis : *Cum enim verbum sit similitudo ipsius rei intellectæ, prout est concepta in intellectu et ordinata ad manifestationem, vel ad se, vel ad alterum, ista species in divinis potest accipi dupliciter. Vel secundum quod dicit id, quo aliquid formaliter in divinis intelligitur* (intellige, tanquam objecto ad intra) *et sic cum ipsa essentia per se intelligatur et manifestetur, ipsa essentia erit verbum. Et sic verbum et intellectus et res, cujus est verbum, non differunt nisi secundum rationem : sicut in divinis differunt quo intelligitur et quod intelligitur et quod intelligit. Vel secundum quod species intellecta nominat aliquid distinctum realiter ab eo, cujus similitudinem gerit : et sic verbum dicitur personaliter et convenit Filio, in quo manifestatur Pater, sicut principium manifestatur in eo, quod est a principio per modum intellectus procedens. Sed tamen in usu Sanctorum et communiter loquentium est, quod hoc nomen verbum relationem realiter distinguentem importat, etc.*

Quod etiam docuit et magis explicuit idem Angelicus Doctor de veritate q. 4 art. 2, ubi sic inquit : *Verbum intellectus in nobis duo habet de sua ratione, scilicet, quod est intellectum et quod est ab alio expressum. Si ergo secundum utriusque similitudinem verbum dicatur in divinis, tunc non solum importabitur per Verbum divinum processus rationis, sed etiam rei. Si autem secundum similitudinem alterius tantum, scilicet, quod est intellectum : sic hoc nomen verbum in divinis non importabit processum realem, sed rationis tantum, sicut et hoc nomen intellectum. Sed hoc non erit secun-*

dum propriam verbi acceptionem : quia si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicujus auferatur, jam non erit propria acceptio. Unde si verbum proprie accipiatur in divinis, non dicitur nisi personaliter : si autem accipiatur communiter, poterit etiam dici essentialiter. Sed tamen quia nominibus utendum est, plures utuntur : quia secundum Philosophum usus maxime est æmulandus in significationibus nominum ; et quia omnes Sancti communiter utuntur nomine verbi, prout personaliter dicitur : ideo hoc magis dicendum est quod scilicet personaliter dicatur. Unde sanctum Doctorem sequuntur Capreolus in 1 dist. 27 q. 2 art. 1, concl. 4, Ferrara 1 contra Gentes cap. 53, Silvester super hunc articulum, Bergomensis in tabula aurea dubio 1160 et 1161, Nazarius in præsenti controversia 2, et alii.

Capreol. Ferrara. Silvester. Bergomens. Nazar.

ARTICULUS III.

Utrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturam?

1 dist. 27 q. 2 art. 2 et ver. q. 4 art. 5 et Quolib. 4 q. 4 art. 1 ad 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in nomine verbi non importetur respectus ad creaturam. Omne enim nomen connotans effectum in creatura essentialiter in divinis dicitur. Sed verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter, * ut dictum est. Ergo verbum non importat respectum ad creaturam.

* Art. 1 hujus quæst.

2. Præterea, quæ important respectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, ut Dominus et creator. Sed verbum dicitur de Deo ab æterno. Ergo non importat respectum ad creaturam.

3. Præterea, verbum importat respectum ad id, a quo procedit. Si ergo importat respectum ad creaturam, sequitur, quod procedat a creatura.

4. Præterea, ideæ sunt plures secundum diversos respectus ad creaturas. Si igitur verbum importat respectum ad creaturas, sequitur, quod in Deo non sit unum verbum tantum, sed plura.

5. Præterea, si verbum importat respectum ad creaturam, hoc non est, nisi in quantum creaturæ cognoscuntur a Deo. Sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia. Ergo in verbo importabitur respectus ad non entia, quod videtur falsum.

* Lib. 83 quæst. q. 63 tom. 4.

Sed contra est, quod dicit August. in * lib. 83 quæst. quod in nomine verbi significatur non solum respectus ad Patrem, sed etiam ad illa, quæ per verbum facta sunt operativa potentia.

Respondeo dicendum, quod id verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum verbum ejus est expressivum, non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva, et factiva, ita Verbum Dei ejus, quod in Deo Patre est, est expressivum tantum, creaturarum vero est expressivum et operativum. Et propter hoc dicitur in Psalmo 32 : Dixit et facta sunt : quia importatur in verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit.

Ad primum ergo dicendum, quod in nomine personæ includitur etiam natura oblique. Nam persona est rationalis naturæ individua substantia. In nomine igitur personæ divinæ quantum ad relationem personalem non importatur respectus ad creaturam; sed importatur in eo, quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet in quantum includitur in significatione ejus essentia, quod importetur respectus ad creaturam. Sicut enim proprium est Filio, quod sit Filius : ita proprium est ei, quod sit genitus Deus, vel genitus creator. Et per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine verbi.

Ad secundum dicendum, quod cum relationes consequantur actiones, quædam nomina important relationem Dei ad creaturam, quæ consequitur actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, sicut creare et gubernare : et talia dicuntur de Deo ex tempore. Quædam vero relatio est quæ consequitur actionem non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, ut scire et velle : et talia non dicuntur de Deo ex tempore. Et hujusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine verbi. Nec est verum, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas, omnia dicantur ex tempore; sed sola illa nomina, quæ important relationem consequentem actionem Dei exteriorem effectum transeuntem, ex tempore dicuntur.

Ad tertium dicendum, quod creaturæ non cognoscuntur a Deo per scientiam a creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Unde non oportet, quod a creaturis procedat Verbum, licet Verbum sit expressivum creaturarum.

Ad quartum dicendum, quod nomen ideæ principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam. Et ideo pluraliter dicitur in divinis, neque est personale. Sed nomen verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem et ex consequenti ad creaturas : in quantum Deus intelligendo se intelligit omnem creaturam. Et propter hoc in divinis est unicum tantum verbum et personaliter dictum.

Ad quintum dicendum, quod eo modo, quo scientia Dei est non entium et Verbum Dei est non entium : quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quam in scientia Dei *, ut Augustinus dicit : Sed tamen Verbum est entium, ut expressivum et factivum ; non entium autem, ut expressivum et manifestativum.

* Lib. 15 de Trinit. c. 14 partum a princip. tom. 3.

Conclusio : Verbum divinum importat respectum ad id, quod in Deo Patre est, ut expressivum tantum et ad creaturas ut expressivum et factivum.

DISPUTATIO XII.

De objecto, ex cujus cognitione Verbum divinum procedit.

1. Angel. Præcept.

Quia secundum doctrinam Angelici Præceptoris in hoc art. 3, Verbum divinum dicit ordinem manifestativi, sive realem, sive rationis, tam respectu Dei Patris et eorum quæ in illo sunt, cum quibusque divina essentia identificatur, quam respectu creaturarum, ideo interpretes divi Thomæ solent in præsenti disputationem excitare, an ex cognitione horum omnium, ad quæ dicit prædictum ordinem manifestativi, debeat Verbum divinum procedere? Et propterea nos eamdem disputationem una cum illis excitandam duximus.

DUBIUM I.

Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo?

2. Quia in Deo formaliter et necessario reperiuntur, tum essentia divina, tum attributa, tum relationes personarum et proprietates earum : idcirco de omnibus istis titulus

titulus hujus dubii intelligendus est. Præmisimus autem primo loco dubium hoc duobus aliis in hac disputatione excitandis : quia ea, quæ sunt formaliter in Deo, priora et principaliora sunt, et propterea primus eis locus debebatur.

§ I.

Vera Angelici Doctoris sententia.

3. Assertio. D.Thom. Dicendum ergo est, Verbum divinum procedere ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo. Ita D. Thomas in præsenti, ubi colligit, Verbum in Deo esse expressivum, non solum Patris, sed etiam creaturarum, quia Deus uno actu se, et omnia intelligit. Ubi satis significat, cognitionem, qua Deus se intelligit, non solum quoad essentiam, et attributa, sed etiam quoad personas, requiri, et præsupponi per se ad productionem Verbi : quia alioqui ex cognitione horum non posset inferri, Verbum esse repræsentativum istorum omnium : siquidem ex cognitione præsupposita ad verbum solum colligitur verbum esse manifestativum eorum, ex quorum cognitione prædictum verbum procedit. Quo etiam discursu utitur q. 4 de Verit. art. 4 et Quodlibeto 4 q. 4 art. 6.

Idem etiam aperte docuit art. 1 hujus quæstionis ad 3 his verbis : *Eo modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ convenit dici. Pater enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum sanctum, et omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum : ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, et etiam omnis creatura.* In quibus verbis non solum usus est Angelicus Præceptor eodem discursu ad ostendendum, quomodo tota Trinitas, cunctæque creaturæ habeant dici Verbo divino, quia nimirum hæc omnia cognoscuntur per eam intellectionem, quæ ad ejusdem Verbi productionem præsupponitur ; sed etiam expresse docuit, Patrem intelligendo se, Filium, et Spiritum sanctum concipere Verbum.

4. Hæc etiam tendunt duo alia testimonia D. Thomæ, quorum primum habetur 2. 2 q. 2 art. 8 ad 3, ubi sic inquit : *Summa bonitas Dei secundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate personarum : sed secundum quod intelligitur in se ipsa, prout videtur a beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum.* Nam si cognitio divinæ essentiæ, quæ præsupponitur ad productionem Verbi, ex quaque necessario debet procedere, non potest, si est cognitio ejusdem essentiæ prout in se ipsa, terminari ad prædictam essentiam, quin terminetur ad personas : planum erit juxta mentem Angelici Doctoris, quod cognitio divinæ essentiæ, ex qua procedit Verbum, debet esse, non solum ipsius essentiæ, et per consequens attributorum, sed etiam omnium divinarum personarum.

Secundum vero testimonium huic simile habetur 3 p. q. 3 art. 3 his verbis : *Intellectus dupliciter se habet ad divina. Uno modo, ut cognoscat Deum sicuti est : et sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, et quod aliud remaneat : quia totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum. Quarum tamen una tollitur sublata alia : quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul.*

Idem etiam aperte colligitur ex eodem Angelico Doctore in hac 1 p. q. 12 art. 7 ad 2, et ex Nazianzeno Oratione 9, Augustino super Psalmum 85, necnon tract. 70 in Joannem, ex Athanasio de Decretis Nicænæ Synodi, in medio, ex Basilio homilia ad illud *In principio erat Verbum*, N. Cyrillo Alexandrino in Dialogo de Trinitate libro 2 inter medium et finem, Fulgentio lib. 3 ad Monymum cap. 7, et Anselmo in Monologio c. 31. Angel. Doctor. Nazianz. August. Athan. Basilius. N. Cyrill. Fulgent. Anselm.

Unde sententiam hanc tuentur Cajetanus, Bannez, Zumel, Nazarius, Ripa in hoc articulo, Suarez libro 9 de Trinitate cap. 4, Arrubal in hac 1 parte disp. 124 cap. 2 et 3, Valentia in præsenti disputatione 2 quæst. 8 puncto 2 Canariensis supra ad art. 5 q. 27, Granado in præsenti tract. 9 disp. 5 sectione 5, N. Cornejo tomo 1 in primam partem tract. 3 disp. 2 dub. 5. 5. Cajetan. Bannez. Zumel. Nazarius. Ripa. Suarez. Arrubal. Valent. Canariens. Granad. N. Cornejo.

§ II.

Ratio fundamentalis pro D. Thomæ sententia ex eodem Angelico Doctore desumpta.

Licet autem D. Thomæ sententia posset suaderi duplici ratione ex eodem sanctissimo Præceptore deprompta, quam tomo 1 tract. 2 disp. 7 a n. 13 usque ad n. 22 late prosecuti sumus, ubi etiam solutiones, quas eisdem rationibus adversarii tradunt, adduximus et impugnavimus : nihilominus quia Angelicus Præceptor in 6. Angel. Præcept.

hoc articulo, et in aliis locis nuper citatis optimam, eamque satis efficacem rationem tradidit : idcirco assertionem nostram et Angelici Doctoris sententiam sequenti ratione ex D. Thoma locis citatis deprompta et ad hanc formam redacta suademus.

Ratio fundamentalis. Etenim Verbum divinum procedit ex cognitione Paterna : ergo procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo. Antecedens est perspicuum : et deinde sequitur ex illis, quæ disput. I. hujus tractatus dubio 3 late duximus, ubi ostendimus, Verbum divinum procedere ex cognitione divina Patris, quæ connotando Paternitatem est dictio et productio ejusdem Verbi et ipsamet vis productiva illius. Consequentia vero probatur. Quoniam cognitio illa indivisibiliter et necessario terminatur ad omnia prædicta, ita ut eadem indivisibilis cognitio una et eodem simplicissimo intuitu ad omnia hæc indispensabiliter feratur : ergo si Verbum divinum procedit ex cognitione Paterna, procedet utique ex cognitione omnium prædictorum, quæ in Deo formaliter et necessario inveniuntur.

7. Confirmatur primo. Confirmatur primo ratione, quam idem Angelicus Præceptor innuit. Quoniam planum est, Verbum divinum, quippe quod est intellectualis quædam proles, procedere ex cognitione divinæ essentiæ, quæ præsupponitur ad productionem Verbi : at non est cur non procedat ex prædicta cognitione secundum omne id, ad quod talis cognitio se extendit, nempe, secundum quod extenditur ad cuncta, quæ sunt formaliter et necessario in Deo : ergo procedit ex illa secundum prædictam amplitudinem. Major cum consequentia est aperta. Minor vero etiam constat. Quoniam neque ex parte divinæ essentiæ, neque ex parte ipsius Verbi potest reddi ratio, propter quam Verbum debeat ex cognitione aliquorum ex his, non vero omnium procedere : siquidem cognitio illa ex se indivisibiliter et necessario ad omnia prædicta terminatur, quippe quæ est cognitio quidditativa et intuitiva Dei terminata ad divinam essentiam, ut est in se : et similiter Verbum eodem indivisibili modo cuncta hæc repræsentat, ergo, etc.

8. Confirmatur secundo. D.Thom. Confirmatur secundo ratione desumpta ex D. Thoma supra q. 14 art. 4 et q. 27 art. 2 et aliis locis tomo 1 tract. 3 disp. 4 n. 45 relatis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam intellectio, ex qua procedit Verbum divinum, debet esse intellectio illa essentialis et primordialis, in qua consistit ipsa natura divina : sed hæc est cognitio terminata ad omnia, quæ formaliter et necessario reperiuntur in divinis : ergo, etc. Major videtur perspicua. Quia Verbum divinum debet procedere ex cognitione, per quam ei ex vi processionis communicetur divina natura : alioqui processio ejus non esset generatio. Constat autem, divinam naturam non posse Verbo communicari ex vi processionis, nisi per intellectionem illam, in qua prædicta natura consistit : ex eo quod in processionibus divinis, quippe perfectissime univocis, communicatur termino producto id ipsum, quod habet rationem principii *quo* per modum actus purissimi respectu talis processionis, ut patet in processione Spiritus sancti, in qua ipsamet voluntas divina per modum actus purissimi, seu ut est ipsa actualis volitio, habet (modo quæst. 27 art. 2 et 4, explicato) rationem principii *quo* productivi, et actualis productionis secundum id, quod in recto talis productio importat, necnon et termini per se primo ei communicati. Et ita hoc ipso, quod Verbo ex vi processionis communicetur natura divina consistens in *intelligere* essentiali et primordiali, oportet, ut principium *quo*, et generatio activa, ex qua Verbum et passiva ejus generatio procedit, sint secundum id, quod in recto important, ipsamet natura divina, ipsumque *intelligere* essentiale et primordiale.

Minor vero etiam liquet. Tum, quoniam intellectio illa primordialis, in qua divina natura consistit, debet esse intellectio summe perfecta : non esset autem sic, si non terminaretur saltem ad ea, quæ sunt formaliter et necessario in Deo. Tum etiam, quia ex eo quod *intelligere* Dei, prout constituit speciale attributum, nempe, scientiæ summe perfectæ intra suam lineam, est perfectissimum intra prædictam lineam, idcirco debet terminari ad omne scibile et ex vi illius attinguntur omnia, quæ formaliter et necessario sunt in Deo : ergo cum intellectio primordialis, in qua consistit natura divina, non sit minus perfecta, quam attributum scientiæ, sed potius, si considerentur secundum id quod exprimunt, tunc intellectio essentialis et primordialis sit longe perfectior : consequens erit, ut etiam ipsa terminetur ad omne intelligibile, quod necessario et formaliter est in Deo.

§ III.

§ III.

Solutio Scoti, et impugnatio illius.

Occurrit Scotus. Ad hanc rationem Angelici Præceptoris potest occurri ex Scoto, quod etsi intellectio Paterna in eodem instanti reali æternitatis terminetur ad omnia prædicta : non tamen pro omni signo rationis. Et ita in illo signo, in quo datur cognitio Patris, ex qua procedit Verbum divinum, non terminatur prædicta cognitio nisi ad solam essentiam.

9. Roboratur ratione. Potestque reddi hujus ratio ex doctrina ejusdem Scoti. Quia nimirum in illo signo nondum Filius est productus : ex eo quod in prædicto signo intelligitur Pater, ut prior ordine originis, quam Filius : sicut in illo signo, in quo essentia est prior prioritate virtuali, sive secundum rationem, quam Paternitas ex ea per virtualem dimanationem dimanans, non intelligitur paternitas ut actu dimanata. Et ideo cognitio Paterna non potest terminari ad Filium pro illo signo : ac proinde nec ad ipsam personam Patris ut talis : siquidem nequit intelligi non intellecto Filio. Quod si in illo signo intelligitur Filius, quia pro tali signo non est productus, potiori ratione non intelligetur Spiritus Sanctus, cujus processio præsupponit processionem Filii. Quæ solutio, proportione servata, potest applicari ad confirmationes ex D. Thoma adductas.

10. Enervatur solutio. Cæterum hæc solutio non infringit vim rationis D. Thomæ, aut confirmationem ejus. Quoniam quod Pater sit prior ordine originis, quam Filius et Spiritus Sanctus, aut quod divina essentia sit secundum rationem prior, quam Paternitas, non tollit, quominus sint simul in eodem instanti, sive in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem ; sed solum, quod etsi omnia ista debeant simul cognosci per cognitionem Paternam attingentem res, prout ipsæ petunt attingi, nihilominus Pater cognoscatur ut id, a quo Filius realiter procedit : Filius vero, et Spiritus Sanctus in illo eodem signo, *in quo* rationis intelligantur ut procedentes. Filius quidem a solo Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio : ac tandem Paternitas quodammodo intelligatur a divina essentia secundum rationem nostram dimanare. Ergo ex eo, quod inter Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum sit ordo realis originis, aut inter essentiam et Paternitatem aliquis ordo originis, aut resultantiæ secundum rationem nostram, non potest colligi, quod in aliquo signo rationis *in quo* terminetur intellectio Paterna ad divinam essentiam, et non ad personas, aut quod terminetur ad unam, vel duas, et non ad omnes.

Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Tum, quia quod inter divinas personas sit ordo originis, sicut non tollit ab illis, quod sint formaliter relativæ; ita nec quod sint simul natura, et cognitione : ac proinde nec quod in eodem signo, in quo (adhuc secundum rationem) intelligitur una, debeat intelligi alia : siquidem hæc est proprietas relativorum. Et similiter quemadmodum quod Paternitas dimanet secundum rationem nostram ab essentia, non aufert ab ea, quod de intrinseco ejus conceptu sit, ut semper, et in omni signo *in quo* dimanet per dimanationem virtualem ab ea : ex eo quod divina essentia per modum actus purissimi est fons virtualis illius, atque adeo nunquam intelligitur cum fundamento in re, ut fons præcise in actu primo ejus, sed ut fons, a quo in actu secundo (modo dicto) semper fluit : sic prædicta dimanatio secundum rationem, sive virtualis non potest tollere a prædicta Paternitate, quod per intellectionem Paternam per quam attinguntur res, prout ipsæ exigunt, nequeat attingi essentia divina in aliquo signo *in quo* secundum rationem, quin in eodem signo *in quo* attingatur ipsa Paternitas. Siquidem fons actualis, et actualiter influens pro omni signo *in quo* nequit intelligi, si prout est in se concipiatur, nisi intelligatur id, quod actu fluit ab illo. Maxime, quia cum prædicta Paternitas præexistat in Patre et sit specialis modus, aut quasi modus divinæ essentiæ, ratione cujus ipsa habet specialem modum subsistendi in se ipsa, nequit cognitio Paterna terminari tunc ad essentiam, prout est in se ipsa, quin terminetur ad Paternitatem. Sicut cognitio Angelica nequiret terminari ad essentiam propriam, prout est in se ipsa, nisi attingeret proprium modum subsistendi, secundum quem est in se ipsa.

Tum etiam (per quod præcedens probatio confirmatur, et explicatur). 12. Quoniam ordo originis, et prioritas secundum illum desumitur ex diverso capite, ac ordo instantium, et signorum *in quo*, adhuc secun-

dum rationem. Nam prioritas ordinis originis tantum attenditur penes hoc, quod ille, qui dicitur esse prior, sit talis conditionis, ut ab illo sit alius : at prioritas *in quo*, si sit realis, petit, quod unum sit sine alio in aliquo instanti reali ; si vero sit rationis, aut in aliquo signo tantum rationis, exigit, quod licet utrumque sit simul in eodem instanti reali, nihilominus id, quod dicitur esse prius in signo *in quo* rationis, non debet esse necessario, et essentialiter connexum cum eo, respectu cujus sic dicitur esse prius. Nam si fuerint essentialiter connexa, ita ut de ratione unius sit, quod alius ab eo actualiter fluat, non poterit unum eorum esse prius alio in aliquo signo *in quo*, etiam rationis, ut patet in creaturis, v. g. in materia prima considerata, ut actu causante formam : nam secundum istam considerationem nequit assignari aliquod signum, in quo, adhuc secundum rationem, sit sine forma : quia nequit intelligi materia, ut actu causans formam sine ipsa forma.

Quare, cum de conceptu quidditativo divinæ essentiæ sit, ut sit fons actualissimus, unde per virtualem dimanationem fluat Paternitas : et similiter ad conceptum quidditativum potentiæ generativæ Patris, v. g. pertineat, quod sit ipsa actualis generatio Verbi, ex eo quod est potentia generativa per modum actus purissimi : consequens est, ut prædicta prioritas ordinis originis non tollat, quominus essentia divina et personæ sint omnino simul et in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem.

Tum denique, quia quævis prioritas tantum excludit simultatem ei oppositam : at prioritas originis personarum tantum consistit in hoc, quod una sit ab alia : ergo tantum excludit simultatem oppositam, nempe, quod una non sit ab alia, non vero quod una sit, quando est alia, dummodo adhuc tunc una sit ab alia.

13. Confirmatur primo. Confirmatur. Quia divinæ personæ et earum processiones, non obstante quod inter illas sit prædictus ordo originis, mensurantur æternitate tanquam mensura propria earum : sicut quidquid est formaliter et necessario in Deo, debet eadem æternitate mensurari : ergo prædictæ personæ et earum processiones nequeunt in aliquo signo *in quo*, adhuc secundum rationem, fundatam tamen in rebus (de qua in præsenti loquimur) esse posteriores, quam divina essentia, aut una, quam alia, sed omnia hæc debent esse simul in quovis ex prædictis signis *in quo*.

Patet consequentia. Tum, quia sicut æternitas, ex eo quod est duratio, qua nulla major excogitari potest cum fundamento in re, extenditur ad ambiendam omnem durationem et omnia signa illarum fundata in rebus : ita id, quod mensuratur æternitate tanquam propria mensura, hoc ipsum habet : ac proinde nulla erit duratio, nullumque signum rationis fundatum in rebus, in quo non sit, aut in quo intelligatur non esse : alioqui in illo signo solum intelligeretur ut possibile et ut futurum : et per consequens nequiret mensurari æternitate ut mensura propria, de cujus ratione est, ut id, quod per illam mensuratur, habeat omnimodam immutabilitatem in essendo, taliter ut non transeat, adhuc secundum rationem cum fundamento in re, de futuritione in præsentialitatem; sed semper et in omni signo sit præsens et existens, hoc ipso quod in aliquo signo mensuretur æternitate ut propria mensura.

Tum etiam. Quia sicut id, quod est immensum, debet, quantum est ex se, esse præsens omnibus et quibuscumque locis et indivisibilibus eorum, quovis modo cum fundamento in re consideratis : ita quod est æternum æternitate increata, tanquam mensura propria, non potest non esse actu præsens saltem quantum est de se, cujus alteri rei duranti pro quavis duratione, sive vera, sive imaginaria, et quovis signo ejus. Siquidem duratio increata et id, quod per illam tanquam per mensuram sibi propriam durat, non est minus infinitum in ratione durationis, sive rei durantis, quam immensitas intra suam lineam. Et ideo, sicut propter rationem infinitatis in ratione immensi non potest non Deus, quantum est de se, esse præsens omni loco et omni indivisibili illius : ita id, quod fuerit infinitum in ratione durationis, vel per illam tanquam per mensuram propriam duraverit, debebit actu esse præsens omni alii durationi et durationis signo, aut rei in illo duranti : et per consequens nequibit dari aliquo signum, in quo non sit præsens, aut in quo sit futurum : quia quod futurum est non potest secundum hæc rationem esse actu præsens cujus alii durationi et durationis signo. Circa hæc tamen videantur illa, quæ in 1 tomo tract. 3 disp. 7 a n. 49 usque ad num. 68 diximus, ubi plures objectiones contra hæc pugnantes adduximus et dissolvimus. 14.

Confirmatur

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ordo originis, sive realis, sive virtualis, et per naturalem dimanationem (qualis est ille, qui reperitur inter essentiam Dei, et relationem Paternitatis) non tollit, quominus Verbum debeat procedere ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ : ergo nec quod in quovis signo, in quo intelligitur essentia, intelligantur etiam omnes personæ. Antecedens patet. Quoniam prædictus ordo non tollit, quominus Verbum sit perfectissimum verbum omnium excogitabilium : ergo nec quod procedat per perfectissimam cognitionem, quæ excogitari potest, nempe, per cognitionem primordialem, et comprehensivam Dei. Consequentia vero satis liquet. Quoniam nequit dari cognitio comprehensiva Dei, quæ non terminetur ad omnia, quæ necessario et formaliter sunt in Deo, qualia sunt attributa et personæ.

15. Effugium. Unde nihil obest id, quod ex sententia Scoti poterat ad hanc confirmationem responderi, scilicet, cognitionem illam tantum esse comprehensivam Dei secundum ea, quæ in illo signo ei conveniunt, et hæc tantum esse divinam essentiam, et ad summum attributa.

Præcluditur. Nam præterquam quod id est satis ex dictis pugnatum, siquidem jam ostendimus, quod quidquid competit Deo, debet esse in illo eodem signo *in quo* adhuc secundum rationem, et insuper quod de ratione Verbi perfectissimi omnium excogitabilium est, ut procedat per cognitionem comprehensivam, et perfectissimam inter omnes excogitabiles : potest adhuc prædicta responsio falsitatis argui. Ex eo quod, si semel Deus comprehensive attingit, quidquid in eo signo rationis intelligitur esse juxta sententiam Scoti, nempe divinam essentiam, oportet, ut attingat, eam esse fœcundam per intellectum, et voluntatem per modum actus purissimi, vel saltem habere, quidquid in *esse* entis desideratur in recto ad hoc, ut sic fœcunda sit : ergo oportebit, ut cognoscat per cognitionem illam comprehensivam terminum proprium fœcunditatis per intellectum, nempe Filium, et terminum proprium fœcunditatis per voluntatem, scilicet Spiritum sanctum.

16. Additamentum. Quibus omnibus pro majori impugnatione præcipuæ solutionis ex Scoto desumptæ accedit id, quod supra tetigimus, scilicet repugnare, quod cognitio Paterna, ex qua Verbum procedit, non terminetur ad ipsum Patrem tanquam ad objectum cognitum. Quoniam cum Verbum ex vi suæ processionis procedat intellectuali modo; et ut imago Patris, non potest non procedere ex cognitione ejusdem Patris : siquidem imago alicujus intellectuali modo procedens non potest non procedere ex cognitione ejus, cujus est imago. Et propterea Patres communiter docent, quod sicut Spiritus sanctus, quia procedit per voluntatem a Patre et Filio, habet procedere ex amore, quo uterque ad invicem se diligit : ita quia Verbum procedit ex Paterna cognitione, debet ex notitia ejusdem Patris procedere : id enim proportio, quæ inter utramque processionem est, videtur exigere. Quod si cognitio Patris tanquam objecti necessario desideratur ad processionem Filii, non potest non eodem modo desiderari cognitio Filii : cum nequeat intelligi Pater, non intellecto Filio, imo et cognitio etiam Spiritus sancti, tum propter illa, quæ in 1 tomo tract. 2 disp. 7 n. 14 diximus : tum etiam propter ea, quæ in hoc dubio num. sequenti dicemus.

§ IV.

Alia solutio Gabrielis Vasquez, et prior ejus eversio.

Ex quibus omnibus manet etiam impugnata alia solutio, quam tradit Vasquez loco infra referendo ad rationem D. Thomæ, et ejus confirmationes, nempe, ex eis solum probari, quod per cognitionem illam Paternam cognoscuntur omnia prædicta concomitanter, ac proinde ita ut hoc proveniat ex aliis capitibus, non vero ex hoc præciso capite processionis Verbi. Quia cognitio illa, prout terminatur ad essentiam, et personas Patris, et Filii, est per se requisita ad productionem Verbi, non autem prout terminatur ad personam Spiritus sancti : sic enim pure concomitanter se habet ad prædictam processionem. Et ita licet per impossibile Spiritus sanctus non esset, aut non cognosceretur per illam cognitionem Paternam, adhuc daretur generatio Verbi. 17. Alia evasio P. Vasquez.

Ex dictis igitur solutio ista manet impugnata. Quoniam hoc ipso, quod Verbum per se et formaliter, et non solum concomitanter procedat ex cognitione Patris et Filii tanquam objecti cogniti, oportet (juxta ea, quæ nuper dicebamus) ut procedat per se et formaliter ex comprehensiva cognitione ejusdem Patris et Filii : ergo etiam debet per se et formaliter procedere ex co- Confutatur.

gnitione Spiritus sancti tanquam objecti cogniti. Antecedens videtur perspicuum. Nam cum Verbum divinum (ut nunc asserebamus) per se et formaliter habeat esse verbum perfectissimum, quo nullum aliud perfectius excogitari possit, oportet, ut hoc ipso, quod per se procedat ex cognitione Patris et Filii tanquam objecti cogniti, habeat per se procedere ex cognitione perfectissima, qua nulla perfectior valeat excogitari, ac proinde ex cognitione comprehensiva eorum : siquidem cognitio non pertingens ad hoc, ut sit eorum comprehensiva, nequit esse omnium perfectissima.

Consequentia vero etiam liquet. Quoniam ad comprehensivam cognitionem Patris et Filii per se et formaliter desideratur, ut cognoscantur quoad omnia, quæ in ipsis formaliter reperiuntur qualia sunt potentia spirativa, necnon et relatio spirationis : ergo cum hæc nequeant cognosci, non cognito Spiritu sancto, sed ex vi cognitionis illorum sequatur cognitio hujus, oportebit, ut etiam cognitio Spiritus sancti per se et formaliter desideretur ad productionem Filii.

18. Effugium. Nec obest evasio, quam adhibet idem Vasquez ad hoc, ut vim hujus impugnationis infringat, nimirum, Verbum divinum per se et formaliter procedere ex cognitione comprehensiva Patris et Filii, non quantum ad omnia, quæ de ipsis cognosci possunt sed præcise quantum ad ea, quæ habent rationem principii per modum objecti respectu productionis Verbi : inter hæc autem non connumeratur potentia spirativa, spiratio, aut Spiritus sanctus. Cæterum cum hoc etiam stare, quod concomitanter procedat ex cognitione comprehensiva eorum quantum ad omnia alia, quæ in ipsis formaliter reperiuntur : et per consequens ex cognitione potentiæ spirativæ, spirationis, et Spiritus sancti.

Præcluditur. Non igitur hoc obest. Quoniam etsi verum sit, processionem Verbi per se et formaliter solum procedere ex cognitione comprehensiva Dei, quoad ea, quæ per modum objecti cogniti per se requiruntur ad prædictam processionem : falsum tamen est, cognitionem omnium, quæ per se et formaliter requiruntur ad comprehensionem adæquatam Dei, non requiri etiam per se et formaliter ad processionem ejusdem Verbi. Et ratio videtur aperta ex his, quæ in ultima confirmatione rationis D. Thomæ dicebamus, in hunc tamen modum expensis. Nam Verbum divinum ex vi suæ processionis petit, ut communicetur ei natura Dei secundum omnia, quæ pertinent ad lineam prædictæ naturæ : alioqui ex vi processionis non esset Filius : sicut in humanis non posset procedere ut filius ille, qui non peteret, ut ex vi processionis communicarentur ipsi ea, quæ spectant ad lineam essentiæ et naturæ hominis ut talis. Ergo etiam per se et formaliter petit, quod procedat ex cognitione adæquate comprehensiva divinæ essentiæ : ergo eodem modo exiget, quod procedat ex comprehensione adæquata Patris et Filii : ac proinde omnium, quæ ad divinam essentiam et ad has personas necessario pertinent. Hæc ultima consequentia ex duabus prioribus aperte liquet. Siquidem idem est procedere ex comprehensione omnium necessario pertinentium ad aliquam rem et procedere ex cognitione adæquate comprehensiva ejusdem rei.

Secunda vero consequentia ex prima satis deducitur. Quoniam comprehensio 19. adæquata divinæ essentiæ per se et formaliter, ac per locum intrinsecum est comprehensio adæquata personarum : et ita quidquid petit prædictam comprehensionem essentiæ, exigit etiam comprehensionem earumdem personarum. Prima vero consequentia ex antecedenti aperte colligitur. Quoniam *intelligere* essentiale et primordiale, in quo consistit divina natura, debet intra suam lineam et ex vi ejusdem esse adæquate comprehensivum divinæ essentiæ. Tum, quia prædictum *intelligere* est intra propriam lineam perfectissimum omnium excogitabilium : non esset autem sic perfectissimum, si non esset comprehensivum divinæ essentiæ ex vi suæ lineæ.

Tum etiam. Quia, ut supra innuebamus, attributum scientiæ, quod non exprimit tantam perfectionem in ratione intellectionis, quantam *intelligere* essentiale primordiale, non esset infinitum intra suam lineam, nisi intra eamdem comprehenderet divinam essentiam, ut patet ex illis, quæ in 1 tomo tract. 3 disp. 1 n. 81 et disput. 4 n. 21 usque ad 27 diximus, ubi etiam explicuimus diversum modum comprehensionis adæquatæ, quo *intelligere* primordiale et scientificum comprehendunt divinam essentiam adæquate, idest, quoad omnia quæ dicit.

Tum denique. Quia prædictum *intelligere* primordiale est ejusdem omnino immaterialitatis cum divina essentia : ex eo quod est (ut sic dicamus) ipsissima Dei natura et essentia, ut constat ex illis quæ loco citato

tato disput. 4 num. 43 et deinceps asseruimus. Constat autem, quod *intelligere* conveniens in eodem gradu immaterialitatis cum aliquo objecto est ex vi suæ lineæ comprehensivum illius. Quia cum intellectualitas et intelligibilitas sumantur ex immaterialitate, ut patet ex illis, quæ in eodem 1 tomo et tractatu disput. 1 num. 19 et deinceps diximus, non potest non illud *intelligere* esse tantum in ratione intellectionis, quantum est suum objectum, nempe divina essentia, in ratione objecti intelligibilis : et per consequens non potest non intra suam lineam esse comprehensivum illius : imo nulla alia intellectio, adhuc divina potest esse comprehensiva Dei, nisi includat per modum transcendentis *intelligere* primordiale et ita conveniat cum eadem essentia in gradu immaterialitatis, ut constat ex illis, quæ in tomo, tractatu et disputatione nuper citatis a n. 25 usque ad n. 44 diximus.

20. Confirmatur primo. — Confirmatur primo. Quoniam hoc ipso, quod Verbum divinum ex vi suæ processionis exigat communicari sibi naturam divinam integre, seu secundum omnia illa, quæ pertinent ad conceptum et lineam naturæ, etiam exiget ex vi ejusdem processionis, communicari sibi eamdem naturam, secundum quod habet integre rationem speciei, et objecti intelligibilis, necnon et objecti intellecti : qnoniam omnia ista spectant ad lineam prædictæ naturæ, ut patet ex illis, quæ in eodem tomo, tractatu et disputatione nuper citatis num. 17 et sequentibus diximus, necnon ex illis, quæ tractatu 2 disputatione 2 num. 65 et 70, ac 222 et deinceps, ac tandem tractatu 4 disputatione 2 num. 34 et sequentibus diximus. Ergo etiam postulabit ex vi ejusdem processionis, quod communicetur ei ex vi illius, quod sit repræsentativum omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo ; imo et aliorum, quæ ad adæquatam comprehensionem ejusdem Dei desiderantur : siquidem totum hoc pertinet ad lineam divinæ essentiæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, et objecti intellecti. Et per consequens etiam exiget ex vi ejusdem processionis, quod procedat ex cognitione Paterna, ut terminata ad omnia ista : quandoquidem exigit, ut quidquid ei communicatur ex vi suæ processionis, communicetur intellectuali modo, idest, per intellectionem omnium eorum, quorum cognitio et repræsentatio ipsi communicantur.

21. Confirmatur secundo. — Confirmatur secundo. Quoniam nequit Verbum ex vi suæ processionis petere, quod integre natura divina consistens in *intelligere* primordiali, qui postulet, ut communicetur illi, ut sit comprehensivum ejusdem essentiæ et naturæ per comprehensionem simpliciter talem, seu adæquaquatam. Quia quoties petitur ex vi alicujus processionis, quod communicetur aliqua natura intellectualis, petitur etiam, quod communicetur vis comprehensiva illius habenti talem naturam : ita quidem, ut si illa natura fuerit secundum sua essentialia et pro omni statu naturali considerata intellectiva sui, tunc eodem modo communicetur illi vis comprehensiva, ut in omnibus Angelis constat : si vero non pro omni statu, sed pro aliquo fuerit eodem modo comprehensiva sui, ut in anima nostra cernitur, tunc in eodem modo communicetur ipsi vis comprehensiva sui. Et ita, cum Verbo divino ex vi suæ processionis communicetur natura divina, debebit ei communicari ex vi ejusdem processionis, ac proinde tanquam quid petitum ab ipso, quod sit comprehensivum adæquate ejusdem naturæ divinæ : et per consequens hæc eadem comprehensio debuit præesse in intellectu Paterno ad processionem Verbi, ut quid petitum ab ipsa : siquidem ipsum, quod ex vi processionis communicetur Verbo, exigit ex vi illius, ut præeat in intellectu Paterno, per quem Verbum producitur.

22. Confirmatur tertio. — Confirmatur tandem. Nam hoc ipso, quod processio Spiritus sancti in ratione impulsus et amoris sit perfectissima, debet ei ex vi ejusdem processionis communicari amor summe perfectus, et veluti comprehensivus (ut sic dicamus) divinæ bonitatis in ratione objecti diligibilis : et ideo petit ad sui processionem, quod procedat in Patre et Filio amor ita perfectus, et eodem modo (ut sic dicamus) in ratione amoris comprehensivus divinæ bonitatis. Ergo eadem ratione hoc ipso, quod processio Verbi sit perfectissima in ratione processionis Verbi, debet ei communicari ex vi ejusdem processionis perfectissima repræsentatio, et cognitio divinæ essentiæ, et quæ sit adæquate comprehensiva illius, et hæc eadem repræsentatio, et cognitio debebit præsupponi ad processionem ejusdem Verbi.

§ V.

Alia et alia impugnatio ejusdem solutionis a Vasquez traditæ.

23. Refellitur deinde eadem evasio. Deinde eadem solutio Gabrielis Vasquez potest impugnari destruendo ejus fundamentum, nempe, quod si Spiritus sanctus per impossibile non esset, aut ejus cognitio non præcederet in intellectu Paterno, nihilominus daretur generatio Verbi : et ita per se, seu per locum intrinsecum prædicta cognitio non desideratur. Nam contra hoc est. Quod id per se, et per locum intrinsecum desideratur ad processionem Verbi, ex cujus ablatione tolleretur prædicta processio, aut quod Verbum esset ejusdem rationis, ac modo : at si Spiritus sanctus per impossibile non esset, aut ejus cognitio non præcederet in Patre, tunc saltem Verbum non procederet eodem modo ac nunc : ergo, etc. Consequentia cum majori est perspicua.

Minor autem probatur. Tum, quia in eo eventu non communicaretur ei cognitio Spiritus sancti ex vi suæ processionis : siquidem principium ejus, nempe Pater, ut est principium illius, non haberet prædictam cognitionem, quippe non requisitam juxta hanc solutionem, ad talem processionem : cum tamen nunc ei ex vi prædictæ processionis talis cognitio communicetur : cum quidquid habet Filius, habeat a Patre, ut Filius ejus, ac proinde ex vi suæ generationis.

Tum etiam. Quia in prædicta hypothesi non communicaretur eidem Filio potentia spirativa, aut ipsa relatio spirationis, quæ nunc ei communicatur. Nam implicante Spiritu sancto, implicarent hæc. Sicut etiam, si non præsupponeretur in Patre cognitio istorum, quæ sine notitia Spiritus sancti haberi nequit, consequens esset, ut neque ista communicarentur Filio ex vi suæ processionis, seu per suam processionem formaliter : quandoquidem Pater non nisi intellectuali modo hæc omnia communicat.

24. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Nam vel Verbum procedit a Patre per unam et eamdem indivisibilem processionem? vel per duas saltem virtualiter distinctas? Si primum : ergo quidquid habet Verbum, qualia sunt, quæ modo enumeravimus, communicatur ei ex vi illius indivisibilis processionis : et per consequens in Patre per se requiritur cognitio prædictorum, ut ostensum est. Secundum autem dici nequit. Quoniam alias darentur in divinis sex relationes reales, nempe, quatuor ab omnibus receptæ, et aliæ duæ fundatæ in illa altera processione virtualiter distincta, qua Verbum iterum quoad aliqua sui, verbi gratia, quoad cognitionem Spiritus sancti, et virtutem spirativam, aut relationem spirationis a Patre procederet, quod tamen, ut constat, est contra communem Theologorum sententiam.

25. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam vel Verbum habet aliquid, v. g. relationem spirationis, quæ non sit ei communicata a Patre ex vi processionis, sed tantum concomitanter; vel non? Primum dici nequit. Tum, quia alioqui Verbum ex vi suæ processionis non procederet ut persona, formaliter et proxime distincta ab omni alia persona : siquidem solum distinguitur formaliter et proxime per relationem spirationis, per quam eodem modo opponitur cum Spiritu sancto. Hoc autem esset ponere satis imperfectionis in generatione Verbi : siquidem generatio illa, quæ ex vi sua non pertingit ad producendam rem genitam cum sua subsistentia, sive personalitate ita plene (ut sic dicamus) completa, quod formaliter et proxime sit distincta a quavis alia persona, vel supposito, non est generatio perfecta, nec plene suo muneri satisfacit.

Tum etiam. Quia ea, quæ communicantur alicui personæ concomitanter tantummodo, et non ex vi processionis, debent convenire omnibus, et singulis personis : et ideo natura divina, quæ solum concomitanter, sive identice communicatur Spiritui sancto per suam processionem, debet convenire singulis personis divinis. Constat autem, relationem spirationis activæ non convenire Spiritui sancto, sicut nec potentiam spirativam ut talem : ac proinde Filio non communicabitur prædicta relatio solummodo concomitanter, sed per se, et ex vi processionis. Si autem secundum dicatur, nempe, Filium non habere prædictam relationem spirationis, aut quidpiam aliud, nisi ex vi suæ processionis, habebimus intentum. Nam, juxta sæpius dicta, cognitio omnium, quæ ex vi processionis communicantur Verbo, debet per se, et per locum intrinsecum prærequiri in Patre, ex eo quod non nisi cognoscendo producit Verbum : ne per intellectum producat, aut communicet aliquid nesciendo et ignorando,

rando, quid sit illud; quod producit, aut communicat.

26. Ultimo impugnatur. Ultimo, et principaliter impugnatur prædictum fundamentum solutionis traditæ a Vasquez. Quoniam si semel per locum intrinsecum non desideratur cognitio Spiritus sancti ad cognitionem Verbi, nec etiam desiderabitur cognitio Patris et ejusdem Verbi : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Minor admittitur a Vasquez, et constat etiam ex dictis. Major autem probatur. Quia quod cognitio Patris extendatur ad cognitionem Spiritus sancti, vel addit in illa cognitione aliquid perfectionis; vel non? Si primum : ergo eo ipso Verbum debet procedere ex prædicta cognitione, ut terminata ad Spiritum sanctum : alioqui prædictum Verbum non procedet ut summe perfectum : quippe non procedens ex perfectissima cognitione, seu (quod in idem quoad præsens redit) ex cognitione habente omnem modum perfectionis spectantem ad suam lineam. Si autem secundum asseratur : eadem ratione prædicta cognitio ut terminatur ad Patrem, et Verbum, nihil addet perfectionis supra se ipsam, ut terminatur præcise ad essentiam divinam in eadem intellectione consistentem : ergo prædicta intellectio, ut terminatur ad has duas personas, non desiderabitur per se, et per locum intrinsecum ad processionem Verbi : quandoquidem ad istam satis est cognitio omnibus modis perfecta, et hæc sine cognitione Patris et Verbi, haberi potest.

Evasio. Nec satis erit, si dixeris, Verbum non ideo procedere ex cognitione Patris, et sui, quia talis cognitio, ut terminata ad has personas, addat, vel non addat aliquam perfectionem; sed quia necessario debet procedere per modum imaginis Patris intellectuali modo productæ, atque adeo debebant tam Pater, quam Filius cognosci : siquidem imago intellectuali modo producta petit cognitionem ejus, cujus est imago, necnon et ipsius imaginis.

Exploditur. Non itaque hoc satis erit. Quoniam si ex eo, quod est imago intellectualis Patris, debet præcedere cognitio Patris et prædictæ imaginis, eadem ratione debebit per se præcedere cognitio Spiritus sancti. Quia etsi Verbum non sit illius imago, attamen id, cujus est imago, nempe Pater debet repræsentari, ut habens connexionem cum Spiritu sancto, tanquam principium spirans, cum termino spirato. Et ideo si per impossibile Pater non esset sic spirator, non esset genitor, aut productor prædictæ imaginis : quia infœcunditas per voluntatem arguit infœcunditatem per intellectum et fœcunditas voluntatis ab intrinseco petit fœcunditatem intellectus, propter naturalem sympathiam et consonantiam intellectus et voluntatis.

§ VI.

Prima opinio opposita, primum ejus fundamentum, una cum enodatione illius.

27. Prior opinio. Contra nostram tamen (vel, ut melius dicamus, D. Thomæ) sententiam duæ quoad præsens attinet extant opiniones oppositæ. Prima, quam (ut colligit Cajetanus) docuit Scotus in 1 dist. 2 q. 1 et in 2 dist. 1 q. 1 et Quodlibet. 14 est, Verbum tantum procedere ex cognitione divinæ essentiæ, non vero ex cognitione personarum. Et licet solutio fundamentorum, quæ pro se adducit, facile ex dictis colligatur : nihilominus majoris claritatis gratia in præsenti adducentur. Scotus.

Primum fundamentum. Probatur ergo primo. Quoniam cognitio divina, seu *intelligere* primordiale Dei prius in quodam signo rationis terminatur ad essentiam, deinde in alio ad personas, ac tandem in alio ad creaturas : sed in illo priori signo terminatur ad productionem Verbi divini : ergo prædictum Verbum solum procedit ex cognitione eorum, quæ sunt in prædicto signo, in eoque attinguntur, nempe, ex cognitione solius essentiæ. Major videtur perspicua. Quoniam illud *intelligere* terminatur ad divinam essentiam ratione sui : quippe quæ est objectum formale et primarium divini intellectus, juxta ea, quæ in 1 tomo tractatu 3 disputat. 3 num. 17 diximus : ad personas autem non nisi ratione essentiæ : sicut etiam ad creaturas ideo terminatur, quia habet terminari ad personas : ex eo quod istæ sunt objectum secundarium conjunctius et intimius, quam creaturæ, ut ex dictis loco nuper citato n. 34 et 35 constat. Minor etiam constare videtur. Quoniam cum essentia divina in illo priori dicat essentiam infinitam et summe perfectam est satis, ut cognitio terminata ad illam in eo signo sit producto verbi infiniti et summe perfecti.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia illa cognitio in eo signo, idest, prout præcise terminatur ad essentiam, est cognitio primordialis Dei et in eodem signo est in Patre : ergo in prædicto signo erit fœcunda et produ-

cens Verbum divinum. Patet consequentia. Quoniam cognitio primordialis et existens in Patre est fœcunda et productiva verbi ad intra : atque adeo Verbi divini.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ab eo, tanquam ab objecto cognito per se (ut sic dicamus) pendet processio Verbi divini, a quo quasi pendet intellectio Paterna, mediante qua producitur : at intellectio Paterna non habet quasi pendere, nisi solummodo ab essentia divina : ergo ab ea tantum quasi pendebit processio Verbi, ut ab objecto cognito : ac proinde ex ejus tantummodo cognitione procedet. Major cum utraque consequentia videtur satis constare. Minor vero probatur. Quoniam intellectio Paterna terminatur ad solam divinam essentiam, tanquam ad objectum formale et adæquatum : intellectio autem quæcumque, sicut a solo objecto primario et adæquato per se specificatur, ita ab eo tantummodo quasi pendet.

28. Occurritur argumento. Respondetur ex dictis, quod etsi *intelligere* primordiale prius prioritate *a quo*, et modo alibi tacto, terminetur ad essentiam divinam; non tamen prius prioritate *in quo* secundum durationem realem, aut secundum aliquod signum rationis habens fundamentum in re, ut num. 10 explicuimus : et ideo cognitio illa non potest sistere in divina essentia, sed debent necessario terminari ad essentiam, et personas. Quia ad intellectionem comprehensivam, qualis est prædictum *intelligere* requisitum ad productionem Verbi, petitur, ut terminetur ad omnia necessaria, quæ in illo signo *in quo* in Deo existunt.

Ad priorem confirm. Ex quo ad primam confirmationem respondetur, quod *intelligere* præcise terminatum ad essentiam, idest, terminatum prius ad illam in aliquo signo *in quo*, neque est *intelligere* divinum, nec primordiale : quia ad conceptum quidditativum intellectionis primordialis pertinet, quod non terminetur præcise ad essentiam, idest, ita ut in aliquo signo *in quo*, sive reali, sive rationis cum fundamento in re, percipiatur per illud essentia, non perceptis personis : ex eo quod tale *intelligere* debet esse *intelligere* constituens divinam naturam, et comprehensivum. Constat autem ex dictis, quod huic *intelligere* repugnat terminari prædicto modo ad essentiam.

29. Ad secundam confirm. prima solutio. Ad secundam confirmationem dicendum est quod ad hoc, ut Verbum procedat ex cognitione alicujus objecti secundarii, et per consequens objectum illud concurrat per modum objecti cogniti ad eam, non est necesse, quod cognitio illa pendeat, aut quasi pendeat ab eodem objecto, sed satis erit, quod quasi pendeat a suo objecto primario, et hoc sit talis conditionis, quatenus ab illa cognitione attingitur, quod non possit non esse ratio actualissima attingendi objectum secundarium : quia tunc cognitio attingens objectum primarium non potest non extendi ad secundarium : et id, quod procedit ex prædicta cognitione, non potest non ex cognitione, tam objecti primarii, quam secundarii procedere. Quare, cum cognitio, ex qua procedit Verbum divinum, quasi pendeat ab essentia divina, non qualitercumque, sed ut est actualis ratio attingendi objectum secundarium, nempe personas, ob rationes assignatas : inde est, ut illa cognitio debeat, tam ad essentiam divinam, quam ad personas terminari : et quod id, quod procedit ex prædicta cognitione, procedat ex eadem, ut ad utrumque terminatur.

Secunda solutio. Vel secundo potest responderi, sive magis explicari hoc ipsum dicendo, quod ad hoc, ut ex cognitione alicujus objecti procedat Verbum, satis est, quod objectum illud, vel sit primarium, a quo proinde prædicta cognitio quasi dependeat, vel quod sit objectum secundarium indispensabiliter nexum cum primario. Constat autem, quod personæ saltem sunt objectum secundarium intellectionis essentialis connexæ necessario cum divina essentia, ut est objectum primarium. Quia, ut sæpius diximus, repugnat, essentiam divinam attingi quidditative, et prout est in se, et quod non attingantur personalitates, in quibus subsistit. Et multo magis repugnat, attingi comprehensive prædictam essentiam, his non attactis : et per consequens est inter essentiam, et personas indispensabilis nexus in ratione objecti primarii, et secundarii respectu divinæ intellectionis. Circa hæc tamen videantur illa, quæ in 1 tomo tract. 2 disp. 7 n. 21 diximus.

§ VII.

Aliud fundamentum ejusdem primæ sententiæ, et duplex solutio ab aliquibus tradita.

Secundum fundamentum ejusdem sententiæ est. Quoniam personæ divinæ in eo primo signo, in quo divina intellectio terminatur ad essentiam, nec possunt cognosci per cognitionem abstractivam, neque per intuitivam : 30. Secundum argumentum.

intuitivam : ergo per nullam. Consequentia videtur legitima. Quia omnis cognitio debet esse, vel abstractiva, vel intuitiva : ex eo quod debet terminari ad rem, vel ut abstrahentem ab existentia, vel ut habentem illam; et si priori modo terminetur ad eam, est notitia abstractiva; si vero posteriori, est intuitiva.

Antecedens autem quoad primam partem constare videtur. Quandoquidem cognitio abstractiva in Deo est cognitio simplicis intelligentiæ, et hæc tantum terminatur ad creaturas : ex eo quod hæ solummodo possunt abstrahere ab existentia, non vero illa, quæ sunt formaliter in Deo, qualia sunt personæ, quæ, hoc ipso quod sint Deus, nequeunt abstrahere ab existentia : quia de ratione ejus, quod est Deus, debet esse, quod sit sua existentia. Quoad secundam vero partem idem antecedens probatur. Quoniam alioqui prædictæ personæ v. g. Filius supponeretur, et non supponeretur productus ad talem cognitionem. Supponeretur quidem productus : quia id, quod attingitur per notitiam intuitivam in aliquo signo, debet esse in eodem existens : et id, quod est existens, præsupponit productionem sui. Non supponeretur autem productus : nam cum producatur per illam cognitionem, et talis cognitio sit prior origine, quam processio, seu productio passiva Filii, consequens est, quod non præsupponatur productus.

31. Ad hoc argumentum facile, et breviter posset occurri ex dictis in hoc dubio. Nihilominus, quia ei variæ solutiones adhibentur, et ex impugnationibus earum magis decisio hujus dubii ex D. Thoma adducta elucidabitur, placuit prius has solutiones referre, et impugnare, ac deinde veram ejus responsionem deductam ex illis, quæ jam diximus breviter tradere.

Prima aliquorum responsio.

Prima igitur solutio, qua aliqui huic argumento occurrunt, est, personas divinas in eo primo signo, quo divinum *intelligere* terminatur ad essentiam, cognosci per notitiam abstractivam : neque hoc esse inconveniens : quia licet in aliquo instanti reali esse aliquid sine existentia denotet imperfectionem propriam creaturæ : non tamen quod pro aliquo signo rationis *in quo* abstrahat a prædicta existentia, dummodo in omni instanti reali debeat illam necessario habere : quia hoc ipso, quod in omni instanti reali sit, necessario sua existentia non erit quid creatum, sed quid increatum, et Deus.

Impugnatur. D.Thom.

Cæterum hæc solutio non parum efficaciter potest impugnari ratione, quam insinuat D. Thomas locis citatis tomo 1 hujus nostri Cursus Theologici tractatu 3 disput 8 num. 100, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam quod intellectio aliqua terminetur ad aliquod objectum per intellectionem abstractivam, dicit aliquam imperfectionem, vel in ipso intelligente, vel in objecto intellecto : at in intellectione illa primordiali, per quam procedit Verbum divinum, quæque terminatur ad essentiam divinam et personas, nulla potest inveniri imperfectio, vel in prædicta intellectione, vel in essentia divina, aut personis divinis tunc intellectis : ergo nequit prædicta intellectio terminari ad aliquod ex istis objectis per notitiam abstractivam. Minor et consequentia sunt satis perspicuæ.

Major probatur, et explicatur. Nam ad cognitionem abstractivam requiritur, quod terminetur ad aliquod objectum, non prout præsens in eadem duratione, in qua est cognitio; sed, vel ut possibile, vel ut futurum pro aliquo instanti reali; vel saltem ut futurum pro aliquo signo rationis, cum fundamento tamen in re. Hoc autem potest ortum ducere vel ex defectu luminis intellectus, aut intellectionis : ex eo quod licet objectum sit præsens in eadem duratione cum eo, nihilominus ipse non habet sufficientem vim, aut illa cognitio non est sufficientis virtutis ad attingendum ipsum, prout in se est, seu ut est actu existens : vel ex defectu ipsius objecti, quia nimirum prædictum objectum in illo instanti, in quo est cognitio, est tantum possibile, aut tantummodo futurum : aut tandem licet in illo instanti reali sit existens, nihilominus in illo signo *in quo* rationis cum fundamento in re nondum est existens, qua ratione cognitio creaturarum præcise possibilium in Deo est abstractiva : quia licet ex parte luminis intellectus divini non proveniat, quod cognitio illa non sit intuitiva, attamen objectum illud, ut præcise est possibile, non est capax prædictæ notitiæ, ex eo quod non est secundum istam rationem existens. 32.

Minor vero constat. Quia cognitio illa primordialis nequit ex defectu luminis, aut ex defectu sui non terminari ad objectum illud, nempe, ad essentiam, et personas, ut existentia, et prout in se sunt, ut ex terminis ipsis constat. Neque ex defectu objecti. Quia cum sit de ratione divinæ essentiæ, quod sit sua existentia, non minus quam quod sit Deitas, et similiter cum sit de 33.

conceptu personarum, quod sint personæ subsistentes in natura divina, oportet, ut semper, et in omni signo *in quo* includant id, quod est essentiale Deitati, nempe, quod in omni signo *in quo* sint suum *existere*. Maxime, quia id, quod concipitur in aliquo signo *in quo* rationis cum fundamento in re sub non esse existentiæ, concipitur cum eodem fundamento quodammodo sub nihilitate : hoc autem non parum indicat imperfectionis. Sicut etiam id, quod concipitur cum fundamento in re in aliquo signo *in quo* rationis sine suo *esse*, nequit mensurari æternitate, ut propria illius mensura, propter rationem n. 10 traditam : id autem, quod nequit mensurari æternitate, ut mensura propria, non parum imperfectionis dicit, nec est omnino immutabile, ita ut cum fundamento in re nequeat concipi, ut transiens de futuro in præsens : quod etiam satis imperfectionis innuit.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam intellectio illa primordialis, per quam producitur Verbum, non potest non esse intuitiva Deitatis : ergo nec poterit non esse intuitiva personarum. Antecedens videtur perspicuum. Quoniam cum Deitas in illo signo priori, in quo est prædicta intellectio primordialis, sit existens, et sufficienter unita divino intellectui ad hoc, ut constituat ipsum in actu in ordine ad videndam ipsam, ut est existens, nequibit intellectio illa divinæ essentiæ non terminari ad eamdem ut existentem : et per consequens talis intellectio, ut ad ipsam terminata, erit intuitiva. Consequentia vero probatur. Quoniam hoc ipso, quod illa intellectio, ut terminata ad essentiam, debeat esse intuitiva, oportet, ut secundum hanc rationem terminetur ad eamdem essentiam, prout est in se ipsa, et per consequens, quod terminetur ad illam, prout est in tribus personalitatibus : siquidem essentia, prout est in se ipsa, dicit essentiam, prout subsistit in suis propriis personalitatibus : et videri, prout est in se ipsa, dicit, illam videri, prout sic subsistit. Sicut si Petrus v. g. videatur intuitive, prout est in se ipso, nequit sic videri, nisi videatur, ut subsistens per suam propriam personalitatem : et si peteret tres personalitates, in quibus simul subsisteret, nequiret videri, prout est in se ipso, nisi videretur, ut in prædictis personalitatibus.

31. Secunda solutio. Secunda solutio, quæ huic secundo fundamento pro sententia Scoti adducto adhibetur, est, quod revera divinæ personæ cognoscuntur tunc intuitive. Quia licet in illo signo rationis non sint : nihilominus in eodem signo sunt omnino determinatæ ad existendum cum omnibus conditionibus existentiæ : et propterea in illo eodem signo attinguntur per notitiam intuitivam. Ratio autem, ob quam in illo signo sunt determinatæ ad existendum, est : Quia illa cognitio in illo eodem signo est actualis productio et expressio Verbi : hoc autem ipso, quod detur actualis productio et expressio prædicta, jam intelligitur poni omnimoda determinatio ad Verbum, et ea posita, ponitur etiam radicalis determinatio ad *esse* Spiritus sancti.

Cæterum hæc solutio etiam displicet : non quidem in hoc, quod dicit, nempe, prædictam notitiam esse intuitivam ; sed in ratione, quam reddit ad hoc, ut sit intuitiva. Quoniam ad notitiam intuitivam plane requiritur, quod terminetur ad rem, ut est extra suas causas, atque adeo ut est existens in se ipsa : ergo non sufficit, quod terminetur ad eamdem, ut habet *esse* in determinatione suarum (ut sic dicamus) causarum, aut quasi causarum. Patet consequentia. Tum, quia quod habet *esse* in determinatione suarum quasi causarum, non habet *esse* in se, neque extra causas, sed habet *esse* præcise in illis. Tum etiam, quia ad notitiam intuitivam non sufficit terminari ad futurum ea formalissima ratione, qua est futurum : siquidem sub hoc formalissimo conceptu præscindit ab existentia. Constat autem, in idem redire, quod aliquid tantum habeat *esse* in determinatione suarum causarum, et quod præcise habeat *esse* futurum. Rejicitur.

Confirmatur. Quoniam cognitio, qua Astrologus attingit eclipsim futuram in determinatione suarum causarum, est (juxta communem Philosophorum sententiam) abstractiva : ex eo quod terminatur ad prædictam eclipsim, ut futuram, ac proinde ut abstrahentem ab existentia : ergo eadem ratione si in illo signo attinguntur personæ divinæ per illam intellectionem, non prout in se ipsis sunt, sed in determinatione suarum quasi causarum, attingentur præcise ut futuræ : et ita non attingentur per notitiam intuitivam, sed abstractivam. 35. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Nam etsi personæ divinæ, v. g. Verbum, in illo eodem instanti reali sit existens, et in altero signo *in quo* rationis (juxta hunc dicendi modum) statim subsequendo, et eodem instanti mensurato intelligatur existens : attamen si præcise consideretur, ut præit seipsum, ut Confirmatur secundo.

ut habet *esse* in dicto signo sequenti, tunc convenit ei diversus status, ac dum est in sequenti signo : ergo cum ista diversitas desumatur ex eo, quod in uno abstrahit ab existentia, nempe in primo, et in altero eam dicit, scilicet in secundo, et hæ sint propriæ rationes objectivæ notitiæ intuitivæ et abstractivæ, ut communiter Philosophi docent, oportet, ut in primo signo, in quo est determinatum ad essendum, et nondum est, non debeat cognosci intuitive, sed abstractive.

§ VIII.

Duplex alia præcedentis argumenti responsio adducitur, et rejicitur.

36. Tertia solutio. Tertia solutio, quæ eidem argumento traditur, est, notitiam illam, ex qua procedit Verbum, esse quidem intuitivam : quia, ut in sequenti signo intelligitur esse terminata, attingit objectum ut existens. Nam cognitio illa terminatur per Verbum productum, et ut intelligitur terminata Verbo producto, intelligitur Verbum esse existens : et sic poterit esse intuitiva.

Rejicitur. Verum hæc solutio non evacuat vim argumenti. Quoniam etsi ex ea salvetur, prædictam intellectionem, ut est terminata in posteriori signo per Verbum productum, habere esse intuitivam respectu Verbi : non tamen quod in illo signo, in quo attingitur idem Verbum, ut est producibile et non productum, sit intuitiva, aut quod in prædicto signo, in quo intelligitur esse terminata Verbo, sit intuitiva Spiritus sancti; sed necessario debet in istis signis esse abstractiva : ac proinde debent juxta eam admitti in suo objecto illæ imperfectiones, quas n. 32 diximus debere esse in objecto cognitionis abstractivæ Dei : ergo, etc.

Antecedens videtur perspicuum. Quia juxta solutionem hanc admittuntur diversa signa *in quo* rationis, in quorum aliquo, vel aliquibus intelligatur, Verbum, aut Spiritum sanctum non esse productum, sed producibilia, nempe in illis, in quibus prædicta cognitio non intelligitur terminata Verbo producto : at illo signo, in quo attingit Verbum ut producibile non intelligitur terminata Verbo producto : ergo in eo signo non intelligetur Verbum existens : et ita in eo nequibit intuitive attingi. Sicut etiam, quia in eo signo, in quo intelligitur terminata Verbo producto, non intelligitur productus Spiritus sanctus, sed in eo signo intelligitur Verbum prius ordine originis, quam Spiritus sanctus et iste posterior origine Verbo, et ista prioritas arguit, juxta hunc dicendi modum, signum rationis, in quo unum intelligitur esse sine alio : idcirco in illo eodem signo, etiam dum prædicta intellectio intelligitur esse terminata per Verbum productum, non erit intuitiva pro illo signo Spiritus sancti, sed solum abstractiva : quippe cum pro illo signo Spiritus sanctus abstrahat ab existentia.

37. Deinde refutatur. Deinde contra eamdem solutionem urget. Quod etsi illa intellectio primordialis, ut est dictio et productio Verbi divini, non intelligatur esse terminata, nisi intelligatur terminari per Verbum productum : attamen, ut est contemplatio sui objecti, seu secundum quod dicit illam intellectionem ut constitutivam naturæ Dei, non eget Verbo, ut intelligatur esse terminata, sed intelligitur terminata per divinam essentiam, ut est objectum intellectum per illam, et unitur cum divino intellectu, non solum in ratione objecti, et speciei intelligibilis, sed etiam in ratione objecti intellecti : ergo in eo signo non erit unde, etiam sit terminata, sit juxta hunc dicendi modum intuitiva personæ Verbi. Consequentia patet. Quia adhuc dum intelligitur terminata, nondum Verbum in eo signo est productum : et per consequens neque existens, nec potens terminare notitiam intuitivam.

Antecedens autem probatur ex discrimine, quod intercedit inter intellectionem creatam et increatam : quod illa producit verbum ex indigentia : quia nimirum indiget eo, ut termino, et objecto intrinseco, in quo contempletur objectum, quodque reddat et constituat objectum in *esse* intellecti : cum tamen divina et increata intellectio non producat illud ex indigentia, sed ex fœcunditate : et ita intelligitur esse terminata, ut est contemplatio objecti, ratione sui, et non ratione personæ Verbi. Sicut et propter hanc rationem Verbum non habet, ut divinam essentiam reddat et constituat intellectam; sed ipsa per se unitur in ratione objecti intellecti. Quæ omnia in 1 tomo tract. 2 disp. 2 dub. 9 et 10 latius diximus.

38. Quarta responsio. Quarta solutio, quæ eidem argumento pro Scoto adducto traditur, est, prædictam cognitionem, ex qua procedit Verbum, esse quidem absolute, et in re ipsa intui-

tivam. Quia cognitionem esse intuitivam, vel abstractivam, non sunt conditiones notitiæ, ut producentis verbum. Et ideo Verbum non procedere ex illa cognitione, ut est intuitiva, aut abstractiva. Potestque hoc explicari exemplo actus scientifici, ut intensi, vel ut producentis habitum scientiæ. Quia etsi prædictus actus debeat esse absolute, et in re ipsa vel intuitivus, vel abstractivus : attamen, ut est intensus, aut ut est productio habitus, neque est notitia intuitiva, neque abstractiva. Sic ergo in præsenti respectu illius cognitionis, ex qua procedit Verbum, dicendum est. Quia illa, secundum quod ex illa passive procedit Verbum, consideratur, ut est productio ; sicut actus scientificus, ut ex illo procedit habitus, concipitur, ut producens illum.

Refellitur. Sed neque hæc solutio placet. Quia non inquirimus, nec difficultas argumenti procedit, an illa cognitio, et *intelligere*, ut præcise exprimit esse productionem Verbi, exprimat rationem notitiæ intuitivæ, vel abstractivæ, sed an illamet productio, quatenus dicit, vel involvit cognitionem, et perceptionem objecti intellecti, extendatur ad Spiritum sanctum, et ad Verbum per notitiam intuitivam, vel abstractivam? et certum debet esse (juxta illa, quæ in hoc tract. disp. 1 a n. 73 usque ad n. 79 diximus) debere ibidem dari notitiam, vel intuitivam, vel abstractivam personarum, si semel personæ tunc attinguntur, ut debere atttingi probavimus.

39. Et ratio est aperta ex dictis loco citato. Quia dictio et productio Verbi dicit in recto divinum *intelligere*, in quo consistit natura Dei. Quare, cum sit proprium cujuslibet productionis consistentis in recto in intellectione, quod quatenus intellectio est, terminetur ad objectum intellectum, vel abstrahendo ab existentia, vel ut est existens, consequens est, prædictum *intelligere*, quod est productio Verbi, habere ut est sub conceptu intellectionis, et est id, quod in recto importatur a *dicere*, quod terminetur ad essentiam, et personas, quæ sunt objecta illius, vel ut abstrahunt ab existentia, vel ut illam dicunt : ac proinde, vel per notitiam intuitivam, vel abstractivam.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam etsi de ratione cognitionis producentis Verbum non sit, quod, ut exprimit se ipsam præcise quoad munus producentis, sit clara, et non obscura : nihilominus, quia ista est perfectio propria, et conditio cognitionis, idcirco illi cognitioni, quæ est productio Verbi divini non debet in illo signo in quo præsupponitur ad Verbum, deesse talis perfectio. Quia in prædicta productione includitur per modum recti intellectio perfectissima, et per consequens debet habere hanc conditionem perfectissimæ intellectionis : ergo cum esse cognitionem intuitivam, vel abstractivam, sint etiam conditiones intellectionis, oportet, ut in illa productione, in qua includitur per modum recti, quod sit intellectio perfectissima, non desit, quod, ut est rectum prædictæ productionis, et ut præsupponitur verbo ordine originis, sit intuitiva : cum opposita ratio, nimirum, quod sit abstractiva, dicat imperfectionem in objecto sic cognito, ut ostensum est.

Neque id, quod de scientia actuali, ut intensa, aut quatenus producente habitum scientificum adducitur in favorem hujus solutionis, est contra nos. Quoniam scientia, ut intensa, dicit se ipsam in ordine ad subjectum : quia intensio fit per majorem radicationem in eodem subjecto, juxta illa, quæ N. Complutenses in lib. de Generat. disp. 4 n. 122 late docent. Et similiter eadem scientia actualis, ut producens habitum scientificum, exprimit ordinem ad habitum, ut ad effectum, et terminum productum. At cum his stat, ut eadem scientia, adhuc ut intensa, et producens habitum, ly *ut* specificative sumpto, debeat in illo priori, in quo præsupponitur ad habitum, et ut est id, quod modificatur per illam intensionem, esse in ordine ad suum objectum scitum vel intuitiva, vel abstractiva. Et ita illamet productio Verbi divini debet in illo signo, in quo intelligitur, præcedere illud, et simul est intellectio producens ipsum, habere rationem notitiæ intuitivæ, vel abstractivæ. 40.

§ IX.

Vera præcedentis argumenti solutio traditur.

Quare his rejectis solutionibus, respondetur ex jam dictis ad hoc secundum argumentum n. 30 adductum, quod illa notitia, et intellectio, ex qua procedit Verbum, est intuitiva. Quia etsi Verbum v. g. sit ordine originis posterius, quam prædicta intellectio, et productio : nihilominus prioritas aut posterioritas ista originis non est prioritas aut posterioritas *in quo*, adhuc Vera argumenti enodatio.

hunc secundum rationem cum fundamento in re, sed solum prioritas, aut posterioritas *a quo* : ita ut si illud objectum cognoscendum est, prout est in se ipso, et ut tale objectum tunc petit, qualiter per divinam illam intellectionem debet attingi, non possit cognosci, quod essentia sit sine personis, aut una persona sine alia, sed quod in quovis signo rationis *in quo*, cum fundamento in re debeant omnia hæc esse; licet Paternitas sit semper virtualiter dimanans ab essentia, et Filius a Patre genitus, ac tandem Spiritus sanctus ab utroque procedens. Et propterea possunt omnia hæc in quovis signo intuitive attingi. Quoniam juxta doctrinam traditam duæ tantum conditiones requiruntur ad notitiam intuitivam, scilicet, quod ex parte intellectus detur sufficiens repræsentativum, nempe sufficiens species intelligibilis repræsentans objectum, sicut requiritur ad cognoscendum illud, ut præsens secundum existentiam : et deinde ex parte objecti, quod sit præsens, etiam quoad existentiam, illi cognitioni secundum durationem, ita ut in eodem instanti, et in eodem signo *in quo* utrumque sit, si in eodem instanti, et in eodem signo *in quo* secundum rationem debet dari notitia intuitiva ejusdem. Constat autem, utramque rationem in præsenti inveniri : siquidem essentia divina, quæ habet rationem speciei intelligibilis respectu cognitionis personarum, repræsentat illas ex parte sua, sicut requiritur ad hoc, ut cognoscantur ut præsentes secundum existentiam ; et ipsæ personæ in quovis instanti reali, et insuper in quovis signo *in quo* rationis, fundato tamen in rebus, sunt existentes, ut explicatum est.

§ X.

Alia sententia assertioni nostræ opposita, primum ejus fundamentum cum responsione ad illud.

12. Placitum P. Vasquez. Alia sententia contra Angelici Præceptoris, nostramque assertionem pugnans est, quæ traditur a Vasquez in præsenti disput. 142 c. 4 ubi inquit, quod licet Verbum divinum per se procedat ex cognitione divinæ essentiæ, attributorum, et personæ Patris, ac ejusdem Verbi, non tamen ex cognitione Spiritus sancti : quamvis aliis ex aliis capitibus cognitio Spiritus sancti concomitanter se habeat ad illam processionem ; non tamen ut petita per se et per locum intrinsecum ad prædictam processionem Verbi.

Probatur primo. Quoniam ablato Spiritu sancto (per considerationem nostram et suppositionem impossibilem) ab intellectu Patris, adhuc maneret Verbum productum : ergo signum est, cognitionem illius in intellectu Patris, non requiri per se et per locum intrinsecum ad processionem ejus. Consequentia est perspicua. Siquidem ea, quæ per se, et per locum intrinsecum ad aliquid requiruntur, sunt talis conditionis, ut eis ablatis per considerationem nostram non remaneat illud, ad quod per se requiruntur. Antecedens autem probatur. Quia si per impossibile Spiritus sanctus non procederet a Filio, adhuc Filius retineret veram et perfectam rationem Verbi Paterni : siquidem spiratio activa non constituit illum in *esse* personali, neque est quid per se desideratum ad hoc, ut veram et perfectam personæ divinæ rationem sortiatur. Ergo eadem ratione, quamvis Spiritus sanctus non esset in intellectu Patris tanquam objectum cognitionis illius, produceretur Filius in esse Verbi divini. Quia quod Spiritus sanctus necessario debeat præesse in intellectu Paterno ad processionem Verbi, solum potest oriri ex eo, quod Verbo debet indispensabiliter, et per locum intrinsecum communicari spiratio activa Spiritus sancti per illam cognitionem, ac proinde tam spiratio illa, quam ipse Spiritus sanctus spiratus debent præesse in intellectu Paterno. Primum fundamentum.

Confirmatur primo. Quoniam licet ad productionem intellectualem unius correlativi per se requiratur aliud, et cognitio illius : non tamen cognitio aliorum, quæ non sunt correlativa, sicut nec productio eorum ad id desideratur : ergo licet ad productionem intellectualem Verbi divini, quæ fit per intellectionem et cognitionem illius, desideretur Pater, et cognitio ejusdem : non tamen Spiritus sanctus, aut illius cognitio. Siquidem Pater et Filius habent se per modum correlativorum ; secus vero Filius, ut Filius, collatus cum Spiritu sancto. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quia Pater non habet prius hanc cognitionem Spiritus sancti, quam Verbum ipsum : ergo Verbum non procedet ex hoc cognitione Spiritus sancti. Consequentia patet. Quia cognitio, ex qua per se procedit Verbum, debet prius esse in Patre, quam in Verbo. 43. Confirmatur secundo.

Antecedens autem etiam constat. Quoniam Pater prius est Pater, quam spirator et consequenter Filius etiam prius est Verbum, et Filius, quam Pater spirator, quia simul spirant : et ideo Filius non accipit spirationem per processionem a Patre; sed in eo simul cum Patre resultat in eo signo, in quo producunt Spiritum Sanctum. Ergo eadem ratione cognitio ipsius Spiritus Sancti, et activæ spirationis, quæ simul sunt, non antecedet in Patre, priusquam in Verbo.

Confirmatur tertio. Confirmatur tandem. Quia ex vi generationis et per locum intrinsecum solum communicatur Verbo natura divina, proprietas personalis Filii, necnon et ea, quæ se habent ad instar passionum respectu divinæ essentiæ, ut in aliis generationibus creatis contingit, in quibus per se et per locum intrinsecum solum communicatur natura, verbi gratia humana, personalitas illius, una cum sua existentia, ac tandem proprietates a natura humana consecutæ : et ideo quopiam alio ablato, remanebit integra generatio hominis. Ergo Verbo divino ex vi suæ generationis et per locum intrinsecum non communicabitur spiratio activa, quæ non solum non constituit illum in *esse* personali, verum nec se habet ad instar passionis respectu naturæ divinæ : siquidem prædicta natura communicatur Spiritui Sancto sine illa. Ergo neque etiam cognitio ejus, aut Spiritus Sancti per se requiretur ad processionem Verbi. Patet hæc ultima consequentia. Quoniam si cognitio horum per se desideratur ad prædictam processionem, non posset hoc aliunde oriri, nisi quia ex vi processionis debere communicari Verbo spiratio activa Spiritus Sancti.

44. Corruit fundamentum. Respondetur, quod si per considerationem nostram pure præcisivam auferretur ab intellectu Patris Spiritus Sanctus, tunc remaneret Verbum productum. Quia per hoc, quod per prædictam considerationem tollatur ab intellectu Patris Spiritus Sanctus, tantum significatur, quod nos possumus concipere, Verbum esse productum a Patre, non attendendo et concipiendo expresse, an sit productum per hanc, vel illam cognitionem, vel hujus, aut illius objecti, etc. Quod quidem, planum est, posse in nobis contingere : quia ea, quæ sunt indispensabiliter adunata in divinis, possumus per nostros conceptus pure præcisivos ita concipere, ut concipiamus expresse unum, non conceptis expresse aliis. Ex quo non sequitur, quod ea, quæ sic præcisive concipiuntur, non debeant esse adunata in divinis, aut non requiri omnia illa ad aliquem effectum, aut quasi effectum præstandum. Et ita ex hoc, quod sic præcisive auferendo ab intellectu Patris Spiritum Sanctum tanquam objectum cognitum adhuc remaneret Verbum productum, non sequitur, productionem illius non petere per se et ab intrinseco cognitionem Spiritus Sancti in intellectu Paterno, sed solum quod tunc tantummodo concipimus Verbum productum, non considerando, quonam modo Verbum illud processerit et an ex horum, vel illorum, aut tandem omnium, quæ sunt in Deo, notitia per se procedere habuerit.

Cæterum si per considerationem nostram, non pure præcisivam, sed divisivam, vel negativam auferatur ab intellectu Patris Spiritus Sanctus, tunc, vel non remanebit Verbum productum, quia ut docuit D. Thomas infra quæst. 36 art. 2 ad 5, de ratione Verbi est, quod sit fœcundum in ordine ad productionem amoris; vel non remanebit eodem modo et ejusdem quasi speciei, ac nunc est, ut ex dictis patet : et ita eo ipso non communicaretur illi vis ad spirandum Spiritum Sanctum, nec spiratio activa, quæ quidem est talis conditionis, ut licet non constituat Filium in *esse* personali, nihilominus si ipsa deesset eidem Filio, eo ipso colligeremus, Filiationem constituentem illum in primo *esse* personali non esse ejusdem rationis ac modo, nec Filium habere eam fœcunditatem radicalem, quam modo habet : ac proinde fore diversæ speciei, aut quasi speciei, ac modo est. D.Thom.

Ad primam confirmationem respondetur, quod quando relativum dicit aliquid subsistens in perfectissima natura, nempe divina, petitque produci intellectuali modo, qualiter in Verbo divino contingit, tunc petit etiam produci per cognitionem perfectissimam, et comprehensivam sui, et correlativi, ad quod refertur, necnon divinæ essentiæ, in qua subsistit. Hæc autem cognitio ita perfecta per se exigit cognitionem potentiæ spirativæ, necnon et spirationis activæ, ut n. 18 ostendimus. 45. Ad primam confirmat.

Ad secundam confirmationem respondetur, etiam ipsam relationem spirationis activæ communicari Verbo divino ex vi suæ processionis. Nam licet Pater, et Filius simul, id est, in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem, habeant prædictam relationem : Ad secundam.

relationem : nihilominus aliter et aliter quoad modum habendi illam a se, vel ab alio. Nam Filius habet a Patre actum spirandi, sicut et habet ab illo volitionem, per quam spirat : et ideo etiam debet habere a Patre ipsam relationem spirationis activæ, quæ, modo alibi dicendo, quasi fundatur in actu spirandi : siquidem communicans actionem, in qua fundatur, aut quasi fundatur aliqua relatio, communicat etiam ipsam relationem. Cæterum Pater sicut non habet actum spirandi a Filio, licet non spiret sine eodem Filio, sic non habet relationem spirationis activæ a Filio, sed a se : quamvis non haberet ipsam, nisi Filius eam haberet communicatam, modo dicto, ab eodem Patre.

Ad tertium. Ad tertiam confirmationem respondetur, quod sicut in humanis producitur ex vi generationis, tam natura humana, quam persona : et si aliquid se haberet per modum quasi passionis respectu personalitatis, aut esset talis conditionis, quod conveniret indispensabiliter alicui personæ humanæ, tunc illud ipsum communicaretur ex vi generationis : maxime, si per locum intrinsecum sequeretur, tollendam esse personam illam humanam, aut non fore ejusdem rationis, ac modo est, si tolleretur illud, quod ad ipsam sic consequitur : ita in divinis communicabitur ex vi generationis id, quod per se convenit personæ Filii, nempe spiratio activa : siquidem est talis conditionis, ut ea sublata, sequatur per locum intrinsecum, tollendam esse, seu, ut melius loquamur, prius sublatam esse personam Filii, aut non esse ejusdem rationis, ac modo est.

§ XI.

Aliud fundamentum pro sententia Vasquez, et responsio ad illud.

46. Ultimum fundamentum. Ultimum fundamentum pro sententia Vasquez est. Quoniam si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti per se, et per locum intrinsecum, tunc Verbum esset similitudo Spiritus Sancti, imago, et proles illius : hoc autem dici non potest, ut communiter docere videntur Theologi : ergo, etc. Sequela probatur. Nam Verbum est similitudo, imago, et proles objecti, ex cujus cognitione procedit : ergo si Verbum in divinis procedit per se ex cognitione Spiritus Sancti, erit similitudo, imago, et proles illius.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam ad hoc, ut verbum sit similitudo, imago, et proles alicujus, non requiritur, quod ab illo in *esse* entitativo considerato procedat ; sed solum quod procedat ex cognitione illius, sitque ab eo tanquam ab objecto cognito : ergo si Verbum procedit ab Spiritu Sancto tanquam ab objecto cognito, et ex cognitione illius, non erit cur non sit imago, et proles ipsius. Antecedens probatur ex eo, quod contingit in imaginibus artificialibus, quæ, ex eo quod procedunt ex cognitione suorum objectorum, habent procedere ex eisdem objectis cognitis, et eo ipso esse similitudines, imagines, et proles eorumdem objectorum.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ad hoc, ut aliquid procedat per modum imaginis alterius, satis est, quod distinguatur realiter ab illo, et quod procedat ab eo, ut similitudo illius : sed si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti, dabitur in Verbo utraque ista conditio respectu Spiritus Sancti : ergo procedet ut imago illius. Major videtur certa, et communiter recepta a Theologis. Et ita, quia Verbum procedit cum prædictis duabus conditionibus a Patre, idcirco procedit ut imago Patris. Sicut etiam, licet Verbum procedat ex cognitione sui, ac proinde a se tanquam ab objecto cognito, nihilominus quia non distinguitur realiter a se ipso, ideo non procedit ut imago sui. Minor autem quoad distinctionem Spiritus Sancti a Verbo, et e contra certa est secundum fidem. Quoad aliam vero partem, nimirum, quod in eo eventu procedat ut similitudo illius, etiam constat ex dictis : siquidem verbum procedit ut similitudo ejus objecti, ex cujus cognitione producitur.

47. Enodatio ultimi argumenti quoad primam partem ejus. Respondetur, quod quantum attinet ad similitudinem, et loquendo de Spiritu Sancto, non solum secundum id, quod habet ex vi processionis, sed secundum ea, quæ ei communicantur identice, tunc, si proprie et in rigore fiat sermo, posset dici, quod Verbum est similitudo illius : quatenus per hoc significatur, quod habet eamdem naturam cum illo, et personaliter ab eo distinguitur : nam ad similitudinem prædictam requiritur, et videtur sufficere identitas in natura, et distinctio realis inter utrumque. Cæterum, quia similitudo solet sumi frequenter pro imagine, et Filius non est imago Spiritus Sancti, ideo caute, et cum distinctione debemus modo isto loquendi uti.

Responsio aliorum quoad alias duas partes. Verum quoad duo alia, quæ in hoc argumento tanguntur, an nimirum hoc ipso, quod Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, sit proles, et imago illius, et Spiritus Sanctus sit verum principium ejusdem verbi? respondent aliqui ex Junioribus, quod hoc ipso, quod Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, non potest non Spiritus Sanctus esse verum principium illius in *esse* intelligibili, seu in *esse* objecti cogniti : ac proinde Verbum debet in hoc ordine procedere ab illo, imo et prædictum Verbum in *esse* cognito est quodammodo principium sui in *esse* rei. Et ita, licet unum et idem non possit, ut habet *esse* intelligibiliter, procedere a se in *esse* intelligibili; bene tamen, ut habet *esse* in *esse* rei, potest procedere a semetipso, ut cognito, seu ut habet *esse* intelligibiliter. Sicut etiam, licet id, quod procedit in *esse* rei ab alio, qualiter Spiritus Sanctus procedit a Verbo, nequeat in *esse* rei sumptum esse principium ejusdem Verbi : non tamen inconvenit, quod sumptum in *esse* objecti cogniti sit principium ejusdem Verbi, a quo in esse rei procedit. Quia hoc ipso, quod Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, non potest non Spiritus Sanctus per modum objecti cogniti esse principium verbi : siquidem eo ipso repræsentatio ipsius et hoc, quod est, prædictum Spiritum Sanctum esse repræsentatum, et cognitum, per se desiderabitur ad processionem ejusdem Verbi : et hoc ipsum satis est ad hoc, ut Verbum procedat ab Spiritu Sancto, ut habet esse objectum cognitum, seu ut habet *esse* in ordine intelligibili. Hinc tamen non fit, Verbum esse prolem, seu filium, aut imaginem Spiritus Sancti : quia ad hoc desiderabatur, quod Spiritus Sanctus esset principium illius per modum principii in *esse* rei ; non vero solum in *esse* objecti cogniti influentis.

18. Rejicitur hæc solutio. Cæterum hæc solatio pluribus ex gravioribus Thomistis displicet et merito. Tum, quia esse principium Verbi non convenit objecto cognito, præcise quia objectum cognitum est, sed ut est ratio cognoscendi seu ut habet rationem objecti motivi : at licet Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, et Spiritus Sanctus habeat ibidem rationem objecti cogniti, non tamen objecti cogniti, quod sit ratio cognoscendi, seu objectum motivum respectu illius cognitionis : ergo Spiritus Sanctus non erit ulla ratione principium Verbi. Major videtur certa. Quoniam etsi objectum pure terminativum alicujus cognitionis, sit objectum cognitum : nihilominus non ideo est principium verbi : quia non concurrit per modum objecti motivi, seu rationis cognoscendi et producendi prædictum verbum : ex eo quod concurrere per modum principii respectu verbi, denotat rationem principii activi et solum objectum motivum habet hoc modo concurrere. Ideoque licet creaturæ sint objectum terminativum divinæ cognitionis, necnon et omnipotentiæ : non tamen sunt principium, a quo Verbum divinum, aut omnipotentia procedit; sed tantum se habent per modum objecti pure terminativi et secundarii.

Minor autem etiam liquet. Quia sola essentia divina habet rationem speciei intelligibilis respectu productionis Verbi et cognitionis divinæ, ut constat ex illis, quæ in 1 tom. tractatu 3 disputat. 3 num. 17 usque ad 13 et num. 32 diximus : sicut et sola ipsa est objectum formale adæquatum divini intellectus, ut ex dictis loco modo citato patet. Et ideo ipsa sola est ratio cognoscendi, ipsaque sola se habet per modum objecti motivi, respectu intellectus Dei.

Confirmatur. Nam personæ divinæ, ut habent rationem objecti cogniti, nec concurrunt per modum principii *quo*, nec per modum principii *quod* respectu productionis Verbi : ergo nulla ratione id habent, si in *esse* objecti considerentur. Consequentia videtur perspicua. Quoniam solum aliquo ex duobus modis enumeratis poterant esse principium prædictæ productionis. Antecedens autem quoad primam partem patet. Quoniam id quod concurrit per modum principii *quo*, habet se per modum rationis agendi et formæ intelligibilis. Constat autem, quod personæ divinæ secundum suas personalitates non se habent per modum rationis agendi et formæ intelligibilis ; sed id solum convenit divinæ essentiæ : quippe quæ sola ipsa convenit in gradu immaterialitatis cum *intelligere* Dei primordiali, scilicet in hoc, quod sit suum *esse* absque distinctione virtuali, ut loco nuper relato prosecuti sumus. 19. Confirmatur.

Quoad secundam vero partem idem antecedens probatur. Quoniam objectum cognitum ut tale, etiamsi sit objectum motivum, non concurrit ad productionem verbi per modum principii *quod*, sed solum per modum principii *quo* : quia præcise concurrit ad talem productionem per modum formæ intelligibilis. Propter quod, adhuc

adhuc ipsa essentia divina per modum objecti considerata, tantum influit ad prædictam productionem, ut principium *quo* : et solus Pater, ut est intelligens, ac proinde non ut est objectum cognitum, concurrit per modum principii *quod*.

50. Neque id, quod pro se adducit hæc solutio, quam impugnamus, ei favet. Quoniam aliud est, cognitionem, et repræsentationem Spiritus Sancti per se requiri ad productionem Verbi perseitate principii; aliud vero, an ipsum objectum cognitum, nempe Spiritus Sanctus, per se concurrat in ratione principii ad prædictam productionem. Nam primum est verum : ex eo quod illa cognitio, ut est in Patre, est ipsamet potentia generativa, ac generatio Verbi. Secundum autem est falsum. Quia esse objectum præcise terminativum, sive secundarium alicujus cognitionis, qualiter personæ divinæ per suas personalitates terminant illam cognitionem, non dicit aliquam rationem causæ, vel principii, sed solam rationem termini, sive objecti; ut condistinctam a ratione principii, ut constat ex iis, quæ de creaturis possibilibus collatis cum prædicta cognitione, et productione, aut cum divina omnipotentia, dicebamus : siquidem istæ nulla ratione sunt principium omnipotentiæ, aut productionis Verbi, sed solum se habent per modum termini, seu objecti terminativi : alioqui Verbum, aut omnipotentia haberent suum *esse*, suamque perfectionem ab illis : quia commune est cuivis rei procedenti ab aliquo principio secundum suum *esse*, et perfectionem, quod habeat illud ab eo.

51. Vera argumenti responsio. Unde aliter respondetur ex dictis, negando, quod hoc ipso, quod Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, debeat Spiritus Sanctus habere aliquam rationem principii productivi respectu illius. Non quidem principii *quod* : quia hujusmodi principium non est id, quod se habet per modum objecti cogniti, sed quod concurrit per modum intelligentis : ideoque soli Patri, ut cognoscenti, et dicenti, non vero ut objecto cognito, prædicta ratio principii *quod* competit. Neque etiam principii *quo* : quia tunc solummodo objectum alicujus cognitionis habet rationem principii productivi *quo*, quando vel per se ipsum unitur cum intellectu in ratione objecti motivi, seu speciei intelligibilis, et modo statim magis explicando, aut quando unitur per speciem per se primo repræsentantem illud, licet non ab eo immissam, aut per speciem intelligibilem ab eo per se primo immissam ad sui cognitionem, illudque per se primo repræsentantem; vel tandem ab eo habet aliquam virtutem ad eliciendam cognitionem. Quare, cum Pater æternus nihil istorum accipiat ab Spiritu Sancto, inde est, quod licet ei conveniat ratio objecti cogniti per se requisiti ad talem productionem, nihilominus non habeat, quod sit principium *quo* ejusdem productionis.

Dilucidatur amplius. Adde, et explicabitur magis hoc ipsum. Quod ut aliquid influat per modum principii realis, et realiter distincti in productionem passivam Verbi, qualiter requiritur ad hoc, ut Verbum sit imago, et proles prædicti principii, oportet, ut ille influxus præstetur, vel in esse rei, quo pacto solum cognoscens, et dicens illum præstat, ac proinde solus ipse influit per modum principii *quod*, vel quod præstetur intelligibiliter, qua ratione sola species intelligibilis, et non qualiscumque, sed quæ realiter sit distincta a verbo, illum præstat. Quare, cum Spiritus Sanctus nulla ratione concurrat ad productionem Verbi per modum dicentis, aut intelligentis, atque adeo neque in *esse* rei, et per modum principii *quod*, nec intelligibiliter per speciem realiter distinctam a Verbo : inde est, ut non possit per modum principii realis Verbi ad ejus productionem concurrere; licet ejus cognitio per se requiratur ad talem productionem.

52. Ad primam confirmationem. Ex quo ad primam confirmationem respondetur, imagines artificiales non ex ea præcisa ratione, quod procedant ex cognitione suorum objectorum, et objecta habeant rationem objecti terminativi illarum, esse, et procedere ut imagines eorumdem objectorum : sed quia objecta imprimunt speciem sui, speciemque realiter distinctam ab objectis, ratione cujus objecta realiter, et per modum principii influunt in illas.

Accedit, quod prædicta objecta habent se per modum causæ exemplaris respectu prædictarum imaginum, et ab illis realiter distinctæ. Constat autem ex dictis, neque Spiritum Sanctum imprimere intellectui Paterno speciem intelligibilem, neque esse causam exemplarem productionis Verbi.

53. Ad secundam. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ad hoc, ut verbum sit imago, et proles alterius, requiritur, ut sit similitudo expressa ab illo : ita quidem, quod ad hoc, ut sit imago respectu illius, ut exprimen-

tis *ut quod*, procedat ab illo ut a dicente: ut autem sit imago alicujus, ut principii *quo*, procedat ex cognitione illius, concurrente ipso per modum objectivi, aut imprimentis speciem, vel virtutem intelligendi realiter distinctam a verbo. Nullum autem istorum invenitur in Spiritu Sancto respectu productionis Verbi: et ideo ex hoc, quod procedat ex cognitione illius, non sequitur fore imaginem, et prolem ipsius, nec esse similitudinem ejus, qualiter ad rationem imaginis requiritur.

DUBIUM II.

Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione creaturarum possibilium?

54. Postquam explicuimus, an Verbum procedat ex cognitione eorum, quæ sunt formaliter et necessario in Deo, statim pulsat animum inquirere, an etiam procedat ex intellectione illorum, quæ necessario, et eminenter in Deo continentur, qualia sunt creaturæ possibiles: et ideo ad hoc explicandum præsens dubium excitamus.

§ I.

Ex mente Angelici Præceptoris et aliorum Patrum dubium deciditur.

55. Conclusio. Probatur ex D. Thoma. Dicendum ergo est, Verbum divinum procedere ex cognitione omnium possibilium. Ita D. Thomas artic. 1 hujus quæstionis in solutione ad 3, ubi ut explicaret, qualiter non solum Verbo divino, sed etiam aliis personis divinis conveniat dici, supponit, duobus modis alicui competere hoc, quod est passive dici. Primo quidem tanquam verbo dicto, et producto per ipsum actum dicendi. Et secundo tanquam rei, quæ verbo intelligitur, vel significatur, seu manifestatur per illud. Quo supposito asserit, quod dici priori modo convenit in divinis soli Verbo; posteriori autem, non soli Verbo, sed etiam aliis personis divinis, necnon et creaturis. Cujus rationem reddit his verbis: *Pater enim intelligendo se, et Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia, quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum: ut sic tota Trinitas verbo dicatur, et etiam omnis creatura.* Ubi (ut constat ex illa causali, *Pater enim intelligendo se, etc.*) ratio, propter quam juxta Angelici Doctoris mentem omnia prædicta habent passive dici, est, quia Pater intelligendo cuncta ista producit suum Verbum: ac proinde Verbum procedet ex cognitione horum omnium: siquidem verbum debet procedere ex cognitione illorum, quæ est ratio, propter quam tam prædictum verbum, quam alia, quæ verbo necessario dicuntur, habent dici.

56. Evasio P. Vasquez. Nec obest id, quod respondet Gabriel Vasquez infra referendus, nempe, D. Thomam solum velle, quod Verbum, procedat concomitanter, vel consequenter ex cognitione horum omnium: quatenus, etsi Pater dum producit Verbum, habeat simul cognitionem creaturarum possibilium ex aliis capitibus petitam: non tamen talis cognitio per se pertinet ad Verbi productionem, nec per locum intrinsecum ad eamdem requiritur. Hoc autem colligit Vasquez ex eo, quod nomen *creaturæ*, absque limitatione positum, ambit creaturas, non solum possibiles, sed etiam futuras: maxime, cum omnes istæ intelligantur per illam scientiam, de qua D. Thomas in hoc testimonio sermonem texuit, et habeant dici, atque significari Verbo. Et tamen juxta ejusdem Angelici Præceptoris mentem certum est, cognitionem creaturarum, ut futurarum, non desiderari per se, nec per locum intrinsecum peti ad Verbi productionem.

Explodi-tur primo. Non itaque hoc obest. Quoniam hæc explicatio non est consona contextui. Tum, quia D. Thomas eodem modo asserit, Patrem intelligendo se et Filium, et Spiritum Sanctum, ac creaturas concipere Verbum: igitur sicut respectu Patris loquitur de cognitione per se desiderata ad productionem Verbi, ita etiam respectu cæterarum personarum, et creaturarum.

Secundo. Tum etiam. Quia ut ostendat, qualiter cuncta hæc habeant dici in Verbo concepto a Patre intelligendo illa, adducit sequens exemplum, nempe, quod sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit ipsum lapidem: ita etiam Verbo, quod concipit Pater intelligendo cuncta prædicta, dicit omnia illa. Quare, quemadmodum intellectio lapidis in hoc exemplo per se desideratur ad productionem verbi repræsentatis eumdem lapidem; sic in præsenti intellectio totius objecti jam dicti per se desiderabitur ad productionem Verbi divini.

Tertio. Tum denique. Quia ideo Angelicus Præceptor, ut explicet, cur omnia prædicta dicantur a Patre producendo Verbum, tradit rationem ex eo, quod intelligendo omnia illa

illa concipit verbum, quia nimirum cognitio horum omnium per se desideratur ad hoc, ut cognitio illa, ex qua procedit Verbum, sit omnium perfectissima, et comprehensiva Dei : siquidem hæc sola desideratur ad hoc, ut totum illud objectum necessario dicatur. Quare, cum certum sit apud D. Thomam, Verbum procedere ex cognitione perfectissima, et comprehensiva Dei, tanquam ex cognitione per se, et per locum intrinsecum requisita : certum etiam erit, debere procedere ex intellectione omnium prædictorum, tanquam ex cognitione per se desiderata ad prædictam productionem. Quod etiam ex statim dicendis amplius patebit.

57. Nec id, quod pro se adducit Vasquez in sua solutione, ei favet. Nam etsi nomine *creaturæ* absolute sumptæ possit intelligi creatura, prout ambit, tam creaturas possibiles, quam futuras : nihilominus ex contextu sancti Doctoris satis denotatur, ipsum non loqui, nisi tantum de creaturis possibilibus. Tum, quia (ut modo dicebamus) tantum per se petitur juxta doctrinam D. Thomæ ad productionem Verbi ea cognitio Dei, quæ sit omnium perfectissima, et comprehensiva : constat autem quod ad comprehensionem Dei per se desideratur cognitio creaturarum possibilium; non tamen earumdem, ut futurarum. Tum etiam, quia sicut productio Verbi præsupponitur, nostro modo intelligendi, ad determinationem liberam divinæ voluntatis, qua creaturæ habent esse futuræ, et per consequens ad easdem ut futuras : et Angelicus Præceptor loquitur de hac productione, quatenus sic præsupposita ad prædictam determinationem, et futuritionem : ita etiam sermonem facit de eisdem creaturis secundum *esse*, quod habent antecedenter ad liberam determinationem divinæ voluntatis circa earum futuritionem : atque adeo loquitur de illis secundum *esse* tantum possibile consideratis.

Suadetur iterum assertione ex D. Thoma. Eamdem assertionem nostram docuit D. Thomas in hoc articulo, ubi ex eo ostendit, Verbum divinum dicere respectum ad creaturas, quia verbum mente conceptum habet repræsentare omnia illa, quæ actu intelliguntur. Et ita, cum Deus unico actu se, et omnia intelligat, oportet, ut Verbum ejus, non solum repræsentet Patrem, sed etiam omnem creaturam. Quæ ratio supponit per se, et per locum intrinsecum desiderari ad productionem verbi cognitionem omnium eorum objectorum, quæ per se, sive necessario habent repræsentari per prædictum verbum : quia alioqui ex cognitione aliquorum objectorum non posset inferri, verbum, quod ei adæquate correspondet, esse repræsentativum per se, sive necessario eorumdem objectorum : siquidem ea solum repræsentantur necessario per illud, ex quorum cognitione necessario procedit. Quod etiam docuit idem D. Thomas q. 4 de Veritate art. 4. D.Thom.

58. Effugium P. Vasquez. Nec obstat solutio, qua Vasquez huic testimonio occurrit, dicens, Verbum ex relatione rationis ad creaturas habere esse earum verbum, illasque repræsentare, ac proinde consequenter hoc ei convenire : et ita sine prædicto ordine esse in se ipso substantialiter perfectum : propter quod etiam cognitio, quatenus terminatur ad creaturas, non requiritur per locum intrinsecum ad ejus productionem. Nec aliud velle Angelicum Præceptorem : siquidem sermonem facit de omnibus creaturis, sive possibilibus, sive futuris, et de his posterioribus satis constat, quod apud ipsum earum cognitio non est per se desiderata ad productionem Verbi.

Præcluditur. Non igitur hoc obstat. Tum, quia etiam in hoc testimonio loquitur D. Thomas de cognitione perfectissima, et comprehensiva Dei, quæ eademmet per unicum simplicissimum actum ad Deum, et ad creaturas possibiles omnimoda necessitate terminatur. Tum etiam, quia, ut in simili circa præcedens testimonium dicebamus, eodem modo loquitur de cognitione terminata ad Patrem et ad creaturas. Tum denique, quia etsi relatio rationis fundamentaliter sumpta, quæ est ratio repræsentativi, non conveniat Verbo æque primo, ac relatio realis ad personam producentem : nihilominus falsum est, competere ei consequenter, ita ut seclusa per intellectum maneat Verbum in se ipso substantialiter perfectum. Nam prædicta relatio repræsentativi fundamentaliter sumpta est de intrinseca ratione Verbi : et ideo Verbum si non haberet repræsentare creaturas possibiles non esset substantialiter perfectum, nec haberet rationem Verbi infinite perfecti : quippe quod non adæquaretur cum cognitione comprehensiva Dei, ut ex statim dicendis magis constabit.

Probatur etiam ex Augustino. Eamdem etiam sententiam tradidit Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 14 dicens, Verbum Dei esse de scientia Dei, et nihil esse in scientia Patris, quod non sit in Verbo. Quare, cum in scientia Patris con-

tineatur cognitio, non solum eorum, quæ sunt formaliter in Deo, verum etiam rerum possibilium, consequens est, ut procedat etiam ex cognitione istarum. Et ibidem inquit : *Non enim Pater se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso.* Et infra : *Novit itaque omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio, sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de iis omnibus, quæ sunt in ipso.*

59. Occurrit Vasquez. Unde nihil obest id, quod respondet Vasquez, nempe, Augustinum non velle, quod in Verbo contineantur omnia, quæ continentur in scientia Patris, ita ut hoc competat illi formaliter ex vi processionis ; sed solum materialiter, et concomitanter ; alioqui etiam ex vi suæ productionis postularet procedere ex cognitione creaturarum existentium : quia etiam istæ in scientia Patris continentur, imo scientia istarum communicatur ei a Patre.

Refutatur. Ex verbis igitur Augustini constat, nihil obesse hanc solutionem ex Vasquez adductam. Tum propter sæpius dicta. Quia etiam juxta mentem Augustini Verbum ex vi suæ processionis formaliter debet procedere ex perfectissima, et comprehensiva cognitione Dei, ad quam cognitio omnium possibilium necessario desideratur. Tum etiam, quia id, quod de creaturis futuris pro se adducit, ei non favet. Quoniam Augustinus loquitur de scientia Patris, ut Patris, dum dicit, Verbum esse de scientia Dei, seu (quod in idem quoad præsens redit) de *intelligere* Dei : et propterea addidit, nihil esse in scientia Patris, quod non sit in Verbo : constat autem, quod in scientia Patris, ut Patris, continentur res possibiles ut tales, non vero ut futuræ. Quoniam per scientiam Patris, ut Patris, vult denotare Augustinus scientiam Patris, ut præintelligitur ad productionem Verbi : res autem possibiles sunt in scientia Patris, ut præintelligitur ad productionem prædictam, non autem res futuræ ut tales : quia hæ non habent esse futuræ, nisi ex vi decreti habiti a tota Trinitate.

60. Neque id, quod pro se iterum adducit Vasquez de scientia, sive intellectione creaturarum existentium communicata Verbo a Patre, ei favet. Tum propter dicta circa testimonia adducta ex D. Thoma. Tum etiam, quia aliud est dicere : *Filius habet scientiam, sive cognitionem creaturarum a Patre* : aliud vero : *Filius est productus de scientia, sive cognitione earumdem creaturarum.* Etsi ergo primum verificetur, tam de scientia possibilium, quam existentium, ut ex dictis in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 n. 87 diximus, et dubio sequenti amplius dicemus, non tamen secundum. Quia etsi Filius sit de cognitione creaturarum possibilium : non tamen existentium. Et ratio est. Nam per hoc, quod dicitur, verbum esse de cognitione alicujus, significatur, quod illud sit cognoscibile nostro modo intelligendi prius prioritate aliqua, quam producatur Verbum : at creaturæ secundum esse possibile sunt cognoscibiles prius prioritate aliqua, quam sit productio ejusdem Verbi, ut ex statim dicendis n. 68 patebit ; non tamen ut sunt existentes in aliqua differentia temporis : quia ut sic solum sunt cognoscibiles post decretum liberum, quod in Deo præsupponit productionem ad intra.

Eamdem etiam sententiam docuit Anselmus in Monologio a cap. 28 usque ad 44 ubi ostendit, Deum unico Verbo suo omnia dicere ; nempe, tam se ipsum, quam omnia, quæ sunt formaliter in eo, necnon et omnes creaturas, et hoc esse verum, et perfectissimum Verbum prædictorum objectorum. Quare, cum Verbo divino ex sua ratione Verbi competat repræsentare omnes creaturas possibiles, et quod in eo omnes illæ dicantur, oportet, quod ex vi sua habeat produci ex cognitione earum. Probatur ex Anselmo.

61. Responsio P. Vasquez. Nec obest id, quod respondet Vasquez, nimirum, Anselmum loqui de creaturis, secundum quod sunt in Deo ; non vero de illis secundum *esse*, quod in se ipsis possibiliter habent. Non itaque hoc obest. Quia (ut communiter docent Theologi cum Augustino) creaturæ, prout sunt in Deo secundum *esse*, quod in eo habent, sunt ipsa creatrix essentia : ergo nomine *creaturæ* non intellexit Anselmus creaturas secundum *esse*, quod habent in Deo, et sunt formaliter ipse Deus : siquidem nomine *creaturæ* absolute sumptæ non intelligitur ipse Deus, nisi aliud ex contextu constet, ut hic non constare planum est : siquidem ipse Anselmus loco citato cap. 29 de illis creaturis, de quibus asserit, eas dici in Verbo, sentit, eas esse ad imitationem Dei : constat autem, hoc non verificari de creaturis, prout sunt ipsa essentia Dei, cum essentia Dei non sit ad imitationem sui : sed de eisdem creaturis secundum esse, quod possibiliter habent extra Deum. Tum etiam, quia Anselmus distinguit in prædictis locis inter Deum, et creaturas : constat Refellitur. Anselm.

stat autem ex dictis, creaturas, prout sunt ipsa creatrix essentia, non ponere in numero, nec distingui a Deo; bene tamen secundum proprium *esse* possibile earum.

Bonav. Richard. Gabriel. Alexand. Cajetan. Zumel. Nazar. Bannez. Ripa. Ferrara. Canariens. Valent. Molina. Granado. Suarez. N. Cornejo. Ruiz de Montoya.

Tandem hanc eamdem sententiam sequuntur Bonaventura in 1 distinct. 27 in 2 parte distinctionis quæst. 2, Richardus in eadem distinctione artic. 2 quæst. 3, Gabriel ibidem quæst. 3, Alexander 1 part. quæst. 62 membro 1 artic. 4, Cajetanus, Zumel, Nazarius, Bannez, Ripa in præsenti, Ferrara 4 contra Gentes cap. 13, Canariensis supra quæst. 27 artic. 5 disputatione unica post medium, et versus finem, Valentia 1 part. disput. 2 de Trinitate quæst. 8 puncto 2, Molina in præsenti disput. 1, Granado tractatu 9 disputat. 6, Suarez lib. 9 de Trinitate cap. 6, noster Cornejo tom. 1 in 1 partem tractatu 3 disputat. 2 dubio 5, Ruiz de Montoya tomo de Trinitate disputat. 63 sectione 1, et alii plures.

§ II.

Ratio fundamentalis pro assertione ex Angelico Doctore desumpta.

62. Ratio fundamentalis.

Ratio autem fundamentalis nostræ assertionis tacta est dubio præcedenti, et in testimoniis in hoc adductis ex D. Thoma, necnon in illis, quæ ex eodem statim adducemus, potestque sub hac forma proponi. Quoniam Verbum debet per se procedere ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ : ergo debet etiam per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium. Antecedens constat ex dictis dubio præcedenti, breviterque potest suaderi probatione desumpta ex D. Thoma (D.Thom.), partim in hoc articulo, partim quæst. 14 hujus 1 part. art. 3. Tum, quia cum Verbum divinum sit per se, et ex vi sua perfectissimum omnium excogitabilium, debet per se, et ex vi sua procedere ex cognitione omnium perfectissima, qualis est cognitio comprehensiva divinæ essentiæ.

Tum etiam. Quia Verbum divinum per se, et ex vi sua petit procedere ex cognitione, quæ sit tanta in ratione cognitionis, quanta divina essentia in ratione objecti cognoscibilis : ex eo quod petit procedere, tanquam per principium *quo*, per *intelligere* primordiale, in quo consistit ipsa natura et essentia Dei. Et ideo, sicut ipsa essentia et natura Dei consistens in illo *intelligere* est tanta in ratione intellectionis, quanta in ratione objecti intelligibilis : sic et intellectio, ex qua tanquam ex principio *quo* procedit Verbum; debet hoc ipsum habere, et per consequens debet esse comprehensiva : siquidem ratio comprehensivæ cognitionis Dei in hac adæquatione consistit, ut constat ex illis, quæ in 1 tom. tractatu 2 disput. 6 num. 13 et sequentibus diximus.

63. D.Thom.

Consequentia vero probatur. Tum probatione quadam desumpta ex D. Thoma supra q. 12 art. 8 quamque nos ibidem disput. 6 nuper citata prosecuti sumus. Nam ideo intellectus creatus nequit videndo Deum cognoscere omnes suos effectus, et omnes rationes, et modos eorumdem effectuum, et per consequens omnes creaturas possibiles, quia prædicta cognitio est comprehensiva Dei : ex eo quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures ejus effectus in ipsa videntur : et propterea si videntur omnes, etiam ipsa videtur perfectissime, et quantum cognoscibilis est : quod est cognosci comprehensive. Ergo hoc ipso, quod Verbum per se, et ex vi sua petat procedere ex comprehensiva cognitione Dei, petet etiam, ex vi sua, et per se procedere ex cognitione Dei, quæ sit etiam cognitio creaturarum possibilium.

Angelic. Præcept.

Tum etiam probatione alia desumpta ex eodem Angelico Præceptore supra quæst. 14 artic. 5, ubi probat, Deum per suam cognitionem attingere omnes creaturas possibiles, quia alioqui cognitio illa non esset comprehensiva ipsius Dei, redditque hujus rationem ex eo, quod per illam cognitionem non attingeret cuncta, ad quæ virtus productiva, quæ ei competit, in quantum est prima causa, potest extendi : et virtus productiva alicui competens nequit perfecte per cognitionem attingi, nisi per eamdem cognitionem attingantur cuncta, ad quæ extendi queit : ergo non potest cohærere, quod Verbum per se, et ex vi sua petat prædictam cognitionem comprehensivam, et quod eodem modo non exigat cognitionem creaturarum possibilium. Quam probationem adducit etiam idem S. Doctor (Idem S. Doctor.) art. 6 ejusdem quæstionis, in quo ostendit, Deum per suam cognitionem attingere omnia alia a se propria cognitione, seu (quod in idem quoad præsens redit) secundum proprias eorum rationes et naturas : quia nequit se ipsum perfecte sua cognitione attingere, nisi eodem modo attingat modos peculiares, et diversos, secundum quos infinita Dei perfectio potest ab aliis participari : et per consequens nisi cognoscat

omnes creaturas possibiles, a quibus his diversis modis et rationibus participabilis est.

Tum denique probatione alia insinuata ab eodem Angelico Doctore supra q. 14 art. 4 quamque ad probationem antecedentis hujus rationis adduximus, nempe, Verbum ex vi sua, et per locum intrinsecum debere procedere tanquam a principio *quo* ab intellectione Dei, in qua consistit ejus natura, ut etiam in hoc tractatu disputatione 2 num. 39 diximus. Constat autem, intellectionem illam per se, et per locum intrinsecum dicere intellectionem tantæ perfectionis, ut indispensabiliter extendatur ad attingendum omnia, quæ necessario sunt in Deo formaliter, vel eminenter, qualia sunt creaturæ possibiles.

64. Confirm. 1. Dionys. D.Thom. Confirmatur, et explicatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore supra q. 14 art. 6 et aliis locis, et ex Dionysio cap. 5 de Divinis nominibus relato a D. Thoma in hac 1 p. q. 4 artic. 2, quæ, discurrendo per aliqua, quæ reperiuntur in Deo, potest ad hanc formam reduci. Quoniam Deus est ipsum *esse* per essentiam, ipsumque *esse* per se subsistens : ac proinde debet esse ens formaliter et simpliciter infinitum, et eo ipso continere omnes perfectiones cunctarum rerum, non solum quoad id, quod est ipsis commune, sed etiam quoad id, quod est cuilibet proprium : siquidem singulæ creaturæ quoad id, quod est eis proprium, et per quod ab aliis differunt, debent dicere aliquam perfectionem, ut docet Angelicus Præceptor quæst. 14 artic. 6 et quælibet perfectio debet in ente simpliciter, et omnibus modis infinito, qualis est Deus, reperiri. Et similiter Deus ratione suæ essentiæ eminentissimæ est causa effectiva, saltem radicalis, omnium creaturarum possibilium quoad perfectiones proprias et peculiares singularum, estque causa exemplaris earumdem quoad omnia prædicta : ex eo quod ratione suæ summæ perfectionis non potest dari aliquid perfectionis, sive commune omnibus creaturis, sive proprium singularum, quod non sit exemplatum ab ipso. Et tandem omnipotentia Dei, misericordia, et justitia illius extenduntur ad omnes creaturas . ex eo quod objectum omnipotentiæ est omne factibile; et justitia, ac misericordia inveniuntur in omnibus operibus Dei, ut ostendit D. Thomas supra q. 21 art. 4. Sed sic est, quod ista, quæ recensuimus, nequeunt comprehensivæ attingi a Deo, nisi cognoscantur omnes creaturæ possibiles : ergo hoc ipso, quod Verbum per se, et per locum intrinsecum petat, quod procedat ex cognitione comprehensiva Dei, ut ostensum est, oportet, ut procedat etiam eodem modo ex cognitione omnium creaturarum possibilium.

Angel. Præcept. D.Thom.

Consequentia cum majori videtur satis perspicua. Minor autem quoad primam partem virtualiter in ea contentam, nempe, quod non potest comprehensive cognosci Deus, ut est ens per essentiam, continens formaliter, vel eminenter omnes modos entis etiam quoad peculiares eorum rationes, nisi cognoscantur ipsi modi, probatur. Quia sicut non potest comprehensiva cognitione attingi natura caloris, nisi cognoscantur omnes gradus, secundum quos potest participari : ita neque ipsum *esse* per essentiam continens formaliter, vel eminenter omnes modos essendi, adhuc secundum peculiares rationes eorum, nisi cognoscantur omnes isti modi, quibus participabile est.

Quoad secundam vero, et tertiam partem, imo et quoad priorem modo probatam, sic suadetur eadem minor. Quoniam nisi cognoscerentur omnes creaturæ possibiles ex vi illius cognitionis, nec cognosceretur divina essentia, ut est causa prima radicalis effectiva, nec omnipotentia, justitia, et misericordia, aut ipsemet Deus, ut est omnibus modis infinitus, ita ut omnia ista comprehensive attingerentur, quantum cognoscibilia sunt. Siquidem cum omnia prædicta contineant perfectiones proprias singularum creaturarum, cognoscibilia sunt comprehensive, ut continent eas : et nisi prædictæ perfectiones ibidem contentæ cognoscantur, nequeunt omnia jam dicta, quæ in Deo reperiuntur, aut aliquid eorum comprehensive cognosci, quantum cognoscibilia sunt, ut continent prædictas perfectiones proprias creaturarum. 65.

Confirmatur secundo. Quia Verbum divinum ex vi suæ processionis substantialis, et ut per illam producitur in sua proprietate personali, et substantiali, non potest non procedere ut infinite perfectum in ratione Verbi, ut jam diximus, et ex se satis constare videtur. Quia ut sic procedit ut verus Filius Dei, et Deus de Deo, ejusdemque substantiæ, et perfectionis cum Patre: ergo ut sic ex vi suæ processionis procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Patet consequentia. Quia si ut sic non procederet ex cognitione illarum, non esset Confirm. 2.

esset tunc ex vi suæ processionis infinite perfectum : siquidem verbum, quod est repræsentativum omnium, quæ sunt formaliter, non vero eorum, quæ sunt eminenter in Deo, non est infinite perfectum : sicut nec cognitio attingens tantummodo, quæ sunt formaliter in illo, non vero omnia, quæ eminenter in eo continentur, potest esse infinite perfecta. Constat autem, quod si in illo priori, in quo substantialiter generatur in *esse* Filii, non procedit per se ex cognitione omnium creaturarum, tunc tantum repræsentaret ea, ex quorum cognitione procederet, nempe, solum essentiam Dei, et ea, quæ formaliter et necessario sunt in illo; non vero ea, quæ eminenter in eo continentur, nempe creaturas possibiles.

§ III.

Evasio prior, qua aliqui rationi D. Thomæ occurrunt, et præclusio illius.

66. Prior evasio. Nec obest, si occurras primo cum aliquibus, quod ex vi hujus rationis D. Thomæ non sequitur, Verbum per se procedere ex cognitione omnium creaturarum possibilium in particulari sumptarum; sed solum ex cognitione creaturæ possibilis ut sic. Quia ad comprehensionem alicujus potentiæ, aut virtutis non est necesse cognoscere in particulari objecta, aut effectus, ad quos extenditur, sed satis erit cognoscere ista secundum rationem communem, in qua conveniunt. Et propterea ad comprehensionem potentiæ visivæ satis est cognoscere objectum visibile ut sic; nec oportet descendere ad cognitionem omnium visibilium in particulari. Et similiter ad comprehensionem potentiæ intellectivæ creatæ satis est cognoscere intelligibile ut sic; et non desideratur cognitio omnium intelligibilium in particulari.

Evertitur. Non igitur hoc obest. Tum, quia per hanc evasionem non satisfit primæ, et secundæ confirmationi rationis Angelici Præceptoris, ut intuenti patebit. Tum etiam, quia si semel verum est, non requiri ad comprehensionem potentiæ visivæ verbi gratia, cognoscere omnia visibilia in particulari, hoc ideo continget, quia ipsa ex se, et ex propriis meritis non est visiva eorum in particulari, nisi determinetur per peculiares species visibiles sic illa repræsentantes : et propterea prædicta potentia non continet aliquam visionem in particulari, et secundum propriam specificationem consideratam, nisi fœcundetur per speciem illius objecti. Ergo cum divina essentia, et ejus omnipotentia contineant creaturas in particulari secundum omnes modos unicuique proprios, secundum quos ad invicem, et a Deo peculiariter distinguuntur, oportet, ut ad comprehensionem divinæ essentiæ, et omnipotentiæ (quod idem de aliis in prima confirmatione recensitis dicimus) desideretur cognitio omnium possibilium, non solum secundum rationem generalem possibilis ut sic, sed etiam secundum speciales eorum rationes : alioqui enim, ut dicebamus, non cognoscerentur divina essentia, et omnipotentia, quantum cognoscibiles sunt : siquidem non solum sunt cognoscibiles, secundum quod continent creaturas secundum communem rationem possibilium, sed etiam secundum quod continent eas quoad peculiares earum rationes in particulari.

Confirmatur. Quia etsi visio procedat a visu, et ab specie visibili : attamen, ut est visio hujus objecti, potius quam alterius, verbi gratiam albi, attribuitur objecto visibili ratione speciei repræsentativæ illius, et ut est visio, attribuitur visui. Econtra vero productio cujusvis creaturæ possibilis, tam quoad rationem communem, quam quoad rationes particulares debet attribui omnipotentiæ : eo quod ratione suæ summæ eminentiæ habet ex vi sua vim ad attingendum et producendum creaturas secundum omnes suas rationes. Ergo adhuc dato, quod visus potest comprehendi, licet non cognoscantur ejus objecta quoad particulares rationes, sed solum quoad communem rationem visibilis, ex eo quod attingere sic illa, attribuitur ipsi visui secundum se sumpto : nihilominus hoc non posset dici de omnipotentia, cui debet attribui, quod sit ex vi sua productiva cujusvis factibilis quoad omnes rationes in eo inventas. Confirm. 1.

67. Confirm. 2. Confirmatur. Quoniam sicut res se habet ad *esse*, ita ad *cognosci* : ergo sicut omnipotentia non esset integre talis nisi per suam virtutem connaturalem posset extendi ad quamvis creaturam secundum suas peculiares rationes consideratam : ita nec integre cognoscetur secundum hanc virtutem connaturalem, atque adeo neque comprehensive, nisi cognoscatur, ut potens extendi ad producendum quodvis factibile secundum suas peculiares rationes consideratum.

§ IV.

Solutio duplex Gabrielis Vasquez et Arrubalis, ac impugnatio ejus.

68. Secunda solutio. Vasquez. Arrubal. Neque etiam obstat alia solutio, quæ ex doctrina Gabrielis Vasquez disput. 143 n. 33 et Arrubalis disput. 12 num. 30 potest tradi, nimirum, Deum non cognoscere suam omnipotentiam ad modum, quo nos concipimus illam, nempe, ut attributum relatum ad creaturas possibiles; sed concipere illam, ut est entitas, et perfectio quædam pure absoluta ab omni extrinseco : atque ita ex vi cognitionis suæ omnipotentiæ nullam cognoscere creaturam : et per consequens etiamsi Verbum per se procedat ex cognitione comprehensiva Dei, et suæ omnipotentiæ, non ob id debet procedere ex cognitione creaturarum possibilium.

Enervatur. Non igitur hoc obstat. Nam cum omnipotentia Dei habeat re ipsa virtutem ad producendas creaturas (quamvis non sit relata ad illas) vel Deus cognoscendo illam attingit esse, in ea talem virtutem; vel id non attingit? Hoc secundum nequit admitti. Tum, quia cognitio, qua Deus se ipsum cognosceret, non esset comprehensiva : siquidem non attingeret suam omnipotentiam quoad id, quod ei vere competit, scilicet, esse virtutem ad producendas omnes et singulas creaturas. Tum etiam (id, quod ex præcedenti sequitur) quia alias Deus ignoraret aliquam veritatem, etiam ex illis, quæ ad ipsum, et ad suas formales perfectiones, et attributa pertinent, qualis est ista, de qua est sermo. Tum denique, quia ex opposito fieret, Deum non cognoscere ipsam suam omnipotentiam, ut talis est. Siquidem omnipotentia in suo formali et essentiali conceptu dicit vim productivam cujusvis rei possibilis : et ideo si Deus non cognosceret, se habere hanc virtutem, neque etiam attingeret, se esse omnipotentem.

Si autem primum dicatur, nempe, Deum per cognitionem comprehensivam sui attingere suam omnipotentiam, ut habentem virtutem productivam creaturarum secundum omnes earum rationes, tunc, etiamsi non cognoscat, eam dicere relationem transcendentalem ad creaturas, ut revera illam non dicit, nihilominus non potest non cognoscere prædictas creaturas quoad omnes earum rationes. Quandoquidem sicut aperte repugnat cognoscere virtutem ad producendum hominem secundum propriam hominis rationem, et non cognoscere eumdem hominem, ut homo est : ita etiam repugnabit, comprehensive attingere virtutem divinæ omnipotentiæ ad producendum omnes creaturas possibiles secundum proprias et peculiares singularum rationes, et non cognoscere illas secundum easdem rationes.

Confirmatur primo. Quoniam ad hoc, ut unum non possit cognosci comprehensive sine alio, non est necessarium, ut dicat relationem ad illud ; sed satis erit, si sit necessario et indispensabiliter connexum cum eo : quia, ut nuper dicebamus, sicut res se habet ad *esse*, ita et ad *cognosci*, saltem comprehensivum. Sed licet omnipotentia non dicat relationem ad creaturas possibiles, est tamen necessario et indispensabiliter connexa cum illis : ergo nequibit comprehensive attingi, nisi prædictæ creaturæ cognoscantur. Consequentia cum majori videtur perspicua. Minor autem etiam constat. Quoniam si per impossibile creaturæ possibiles non essent, tunc nec esset in Deo omnipotentia, non quidem ex indigentia et dependentia, quam omnipotentia habet ab illis, sed ex summa eminentia illius, quæ tanta est, ut non possit non inferre creaturarum possibilitatem : et ideo implicaret concipere in Deo virtutem ad producendum creaturas, si ipsæ creaturæ implicarent. Hoc autem satis indicat intimam et indispensabilem connexionem inter omnipotentiam, et creaturas possibiles. 69. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo ratione desumpta ex D. Thoma in hoc articulo. Quoniam Verbum divinum per se, et per locum intrinsecum petit, quod procedat ut Verbum tantum expressivum respectu Patris, et expressivum, et factivum simul respectu creaturarum. Siquidem hoc desideratur ad perfectissimam rationem verbi, quod, hoc ipso quod perfectissimum, debet esse simul speculativum, et practicum ex vi suæ lineæ : sicut hoc ipso, quod scientia in Deo sit perfectissima, debet ex vi suæ lineæ, et cum primo intelligitur dimanare virtualiter a divina essentia, esse simul speculativa, et practica. Ergo prædictum Verbum ex vi suæ processionis, et cum primo intelligitur generari a Patre cum sua proprietate personali, debet procedere ex cognitione comprehensiva Dei, quæ extendatur, non solum ad ea, quæ sunt formaliter necessario in Deo, sed etiam ad illa, quæ sunt eminenter in ipso, nempe, ad creaturas possibiles. 70. Confirmatur secundo D.Thom

Patet

Patet consequentia. Quia Verbum non habet esse Verbum (ut sic dicamus) practicum, seu (quod in idem quoad præsens redit) factivum alicujus, nisi respectu creaturarum : ergo sicut hoc ipso, quod ex vi suæ processionis, et ut constituitur in sua proprietate personali, procedat ut Verbum speculativum Patris, debet procedere ex cognitione speculativa illius : ita hoc ipso, quod procedat ex vi ejusdem processionis ut Verbum practicum, seu factivum creaturarum, debet ex vi ejusdem processionis procedere ex cognitione practica earumdem creaturarum, id est, præscribente modum, quo possunt fieri : alioqui non esset Verbum practicum ex vi suæ processionis, et per consequens perfectissimum. Imo etiam debet procedere ex cognitione speculativa earumdem creaturarum : siquidem est etiam Verbum expressivum, sive speculativum respectu earum.

72. Tertium effugium. Nec etiam refert alia solutio huic affinis, quam tradunt idem Vasquez, et Arrubal, nimirum, non ideo cognitionem Dei esse comprehensivam, quia terminatur ad creaturas possibiles; sed potius quia est comprehensiva, terminari ad illas. Et ideo in illo signo, in quo intelligitur comprehensiva, posse esse rationem producendi Verbum divinum, et hoc per se, et per locum intrinsecum solum procedere ex eadem cognitione, ut in illo signo comprehensiva.

Præcluditur. Non igitur hoc refert. Nam etsi illa causalis sit vera, nempe, quod ideo se extendit cognitio Dei ad creaturas possibiles, quia est comprehensiva essentiæ, non infertur, quod in aliquo signo sit comprehensiva, et quod in eo non extendatur ad creaturas, aut quod Verbum per se petat illam cognitionem ut comprehensivam, et non ut extenditur ad creaturas. Sicut licet hæc causalis sit vera, nimirum, quia cognitio est circa tale objectum, est tale speciei : attamen non est assignari aliquod signum, in quo cognitio sit de tali objecto, et non sit talis speciei, aut quod in ordine ad aliquem effectum per se petatur illa cognitio, ut versatur circa tale objectum, et non ut est talis speciei.

Et ratio est eadem utrobique. Quoniam ex parte rei concepta idem prorsus est, cognitionem aliquam versari circa tale objectum, nempe formale, de quo in præsenti loquimur, et esse talis speciei. Et similiter idem etiam omnino est, cognitionem Dei esse comprehensivam, et attingere quidquid in eo est formaliter, et eminenter quales sunt creaturæ possibiles. Et ideo solum ex parte nostri modi concipiendi potest unum horum esse ratio alterius, eo sane proportionali modo, quo dicimus, hominem, quia homo, esse animal rationale; et animal rationale, quia tale, esse hominem.

Confirmatur. Confirmatur, et explicatur hoc ipsum. Quoniam hoc, quod est, cognitionem Dei quidditative terminari ad omnia, quæ sunt formaliter et necessario in Deo, et ad omnia, quæ in illo sunt eminenter, nempe, ad omnes creaturas possibiles, habet se per modum quasi diffinitionis quidditativæ respectu cognitionis comprehensivæ Dei : ergo nequit per se, et per locum intrinsecum desiderari ad productionem Verbi cognitio, quia comprehensiva Dei, et non desiderari eadem, quia terminata ad omnia objecta prædicta.

Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem constat ex dictis. Quoniam quidditativa quasi diffinitio cognitionis comprehensivæ est, quod sit tanta in ratione cognitionis, quantum est objectum in ratione cognoscibilis, seu quod tantum extendatur, quantum extenditur ipsum objectum. Quare cum objectum solummodo extendatur ad ea, quæ sunt in ipso, vel formaliter, vel eminenter, oportet, ut hoc, quod est, cognitionem aliquam attingere quidditative aliquod objectum quoad omnia, quæ sunt in ipso formaliter et eminenter, sit quidditativa, quasi diffinitio cognitionis comprehensivæ illius.

Deinde. Quia adhuc admisso in sensu causali nuper explicato, quod cognitio Dei, quia comprehensiva, extenditur ad omnia, quæ sunt formaliter et necessario, necnon et eminenter in Deo, debet etiam admitti in eodem sensu causali hæc propositio, nimirum, quod cognitio Dei, quia extenditur ad creaturas et ad alia objecta modo dicta, est comprehensiva : ergo hoc ipso, quod per locum intrinsecum desideretur ad productionem Verbi cognitio, quia comprehensiva, debet etiam desiderari eodem modo cognitio prædicta, ut terminata ad omnia ista objecta. 73. Alia via refutatur evasio.

Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur ex nuper dictis. Quoniam aliquam cognitionem esse comprehensivam Dei stat in hoc, quod sit perfecta adæquatio inter objectum et ipsam cognitionem, ita ut nec amplius, nec minus sit cognoscibile in illo, quam quod cognoscitur tali cognitione et e contra. Hujus autem adæquationis inter hæc duo

extrema, ex parte saltem nostri modi concipiendi distincta, potest assignari ratio ex parte utriusque extremi : sicut si dicamus, esse adæquationem inter mensuram et mensuratum, quia neutrum continet plus, minusve, quam alterum.

74. Urgetur amplius. Adde quod hæc ratio melius assignatur ex parte objecti, nempe Dei, quam ex parte cognitionis. Et ita melius dicimus, cognitionem esse comprehensivam essentiæ, quia se extendit ad cognoscendum totum, quod est in essentia, sive formaliter et necessario, sive eminenter, atque adeo ad cognoscendas creaturas possibiles ibidem eminenter contentas. Maxime, quia sicut melius redditur ratio hominis ex diffinitione ad diffinitum, quam e converso : et propterea melius dicimus, aliquid esse hominem, quia est animal rationale, quam e converso : ita melior reddetur ratio in præsenti, si dicatur, cognitionem aliquam esse comprehensivam, quia terminatur ad totum, quod est cognoscibile in Deo, sive formaliter, sive eminenter, quam e converso. Siquidem cognitio comprehensiva Dei optime quasi diffinitur quidditative per hoc, quod sit tanta in ratione cognitionis, quantus est Deus in ratione cognoscibilis, seu per hoc, quod terminetur ad omnia, quæ sunt in Deo, sive formaliter, sive eminenter : ex eo quod Deus non est amplius cognoscibilis, præterquam quoad ista, nec adæquate est cognoscibilis, aut cognoscitur, nisi quoad omnia hæc attingatur.

§ V.

Posterior adversariorum responsio, et ejus eversio.

75. Posterior solutio. Ex quo etiam fit, nihil referre responsionem aliam, quæ præcedentibus est satis affinis, sive major earum explicatio, nimirum, ad cognitionem comprehensivam Dei non requiri, quod ipsamet formalissime sumpta extendatur ad creaturas ; sed satis esse, quod inferat aliam cognitionem aliquo modo distinctam, per quam attingantur. Quia ratio comprehensivæ cognitionis Dei debet esse respectu objecti primarii, non vero respectu objecti secundarii, quales sunt creaturæ possibiles. Et ita in illo priori, in quo intelligitur cognitio illa terminari ad essentiam Dei, antequam terminetur ad creaturas, est sufficiens principium *quo*, unde procedat Verbum divinum.

Refellitur. Ex dictis igitur hæc responsio manet satis impugnata. Siquidem jam ostendimus, ad cognitionem comprehensivam Dei requiri, ut extendatur ad attingendum omnia, quæ quovis modo sunt necessario in illo : alioqui non esset omnimoda adæquatio inter illam cognitionem, et ejus objectum, et per consequens neque esset comprenhensiva. Unde non recte adversarii distinguunt ibi duos actus intellectus, quorum primus terminetur præcise ad essentiam, ut ad objectum primarium ; secundus vero ad creaturas. Nam præterquam quod prædicta distinctio virtualis horum actuum non debet admitti : ex eo quoad actus non multiplicantur penes objecta materialia, et secundaria, sed penes primaria, et formalia : nihilominus adhuc admissa prædicta multiplicitate actuum, non posset Verbum divinum procedere ex vi solius prioris actus terminati præcise ad essentiam. Quia actus ille præcise sumptus non esset comprehensivus divinæ essentiæ : siquidem, ut sæpius diximus, non esset tantus in ratione cognitionis, quanta est divina essentia in ratione objecti cognoscibilis : ex eo quod non extenderetur ad cognoscendas creaturas possibiles contentas eminenter in essentia divina, secundum quam rationem ipsa essentia divina est cognoscibilis : ac proinde Verbum divinum petens procedere ex vi sua ex cognitione comprehensiva, et non ex alia minori, nequiret ex vi illius prioris actus procedere.

Deinde eadem responsio impugnari potest. Tum quia etiam persona Patris est objectum secundarium cognitionis Paternæ, ex qua Verbum procedit : siquidem cognitio illa est tantæ immaterialitatis, ut pertingat ad hoc, quod sit suum *esse* absque distinctione virtuali : et ita petit, ut suum objectum formale, et primarium sit in eodem materialitatis gradu cum prædicta cognitione ; ac per consequens, quod tale objectum sit sola divina essentia, cui solummodo tanta immaterialitas competit. Propter quod in 1 tomo tract. 3 disputat. 3 dub. 2 latius diximus, divinam essentiam esse objectum formale adæquatum respectu intellectus Dei. Ergo sicut non obstante, quod persona Patris ratione suæ personalitatis sit objectum secundarium cognitionis, ex quo procedit Verbum, nihilominus Verbum procedit ex cognitione : illius ita etiam non obstante, quod creaturæ sint objectum secundarium ejusdem cognitionis, poterit Verbum procedere ex cognitione earumdem. 76. Impugnatur amplius primo.

Tum

Secundo. Tum etiam. Quia quoties objectum primarium habet connexionem necessariam et indispensabilem cum secundario, ut in præsenti contingit, nequit comprehensive attingi primarium, quin per illammet cognitionem cognoscatur secundarium. Et ita hoc ipso, quod Verbum ex vi suæ processionis, ut constituitur in sua proprietate personali, per se petat cognitionem comprehensivam, petet utique eam, ut extenditur tam ad objectum primarium, quam ad secundarium : sicut propter hanc rationem processio Verbi petit hanc eamdem cognitionem, ut extenditur ad personam Patris, non obstante, quod personalitas ejus sit objectum secundarium ejusdem cognitionis.

Tertio. Tum denique. Quoniam quod creaturæ sint objectum secundarium collatæ cum divina essentia, ad summum probat, quod prius prioritate aliqua *a quo* attingatur essentia, quam ipsæ : quatenus per hoc significatur, quod essentia divina, ut cognita, est ratio cognoscendi creaturas ; non vero, quod prius sit in aliquo signo *in quo*, aut *a quo* simpliciter priori productio Verbi, quam cognitio creaturarum possibilium. Sicut quod personalitas Patris sit objectum secundarium ejusdem cognitionis, solum probat, eam cognosci posterius posterioritate nuper insinuata, quam essentia Dei ; non vero, quod prius in aliquo ex prædictis signis sit processio Verbi, quam cognitio Paternitatis : nam potius e contra res se habent : siquidem ex cognitione illius procedit etiam Verbum, ut dubio præcedenti ostendimus.

77. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam in illo priori, quod præsupponitur ad productionem Verbi habent creaturæ possibiles, quod sint cognoscibiles a Deo, imo et quod sint cognitæ ab ipso, non obstante, quod sint objectum secundarium divinæ intellectionis : ergo hoc non obstante, Verbum procedet ex cognitione illarum. Consequentia ex dictis videtur perspicua. Nam cum Verbum ex vi suæ processionis, et ut constituitur in sua proprietate personali, sit perfectissimum in ratione Verbi, oportet, ut per se procedat ex cognitione omnis intelligibilis, quod in illo priori ante sui productionem habet verum *esse* intelligibile.

Probatur antecedens primo. Antecedens autem probatur tripliciter. Primo quidem. Quoniam hoc, quod est, essentiam divinam repræsentare creaturas possibiles, et intellectionem Dei terminari ad illas, est prædicatum essentiale et necessarium in Deo : ergo debet præsupponi ad notionalia : et per consequens ad productionem ad intra personarum : siquidem essentialia debent præsupponi ad notionalia. Et ita in illo priori, quod præsupponitur ad productionem Verbi, habebunt creaturæ possibiles hoc, quod est, esse intelligibiles, et intellectas a Deo.

Secundo vero suadetur idem antecedens. Secundo. Quia creaturæ habent esse possibiles ex divina essentia, et omnipotentia : constat autem, hæc omnia præsupponi ad productionem Verbi : atque adeo et intelligibilitatem earumdem. Sicut quia prædictæ creaturæ sunt futuræ ex vi decreti efficacis de earum futuritione, idcirco hoc ipso, quod Deus habeat prædictum decretum, et divina essentia sit determinata per illud, habent prædictæ creaturæ *esse* futurum, et eo ipso ratione illius decreti, et post ipsum esse intelligibiles, et intellectas a Deo.

Tertio tandem probatur idem antecedens. 78. Tertio. Quoniam creaturæ possibiles in illo signo habent ratione divinæ essentiæ constituere intellectum Dei in actu primo in ordine ad intellectionem earum : ex eo quod ratione ejusdem essentiæ sunt in illo signo objectum præsens, et proportionatum intellectus Paterni ; neque in alio signo post productionem Verbi objectum istud est magis, aut aliter præsens, vel proportionatum intellectui Patris, quam in primo : siquidem in sequenti signo essentia, et omnipotentia Dei non magis continet eminenter creaturas, quam in primo. Ergo in illo priori signo erunt actu intelligibiles a Patre : cum hoc ipso, quod aliquod objectum constituat in actu primo intellectum, et sit præsens, ac proportionatum ipsi, habeat prædictum objectum esse intelligibile ab eodem intellectu. Ergo etiam in eodem signo erunt intellectæ ab intellectu Dei : quandoquidem in divinis in eodem signo dantur actus primus, et secundus, quoties pertinent ad eamdem lineam, et solum distinguuntur ex parte nostri modi concipiendi, ut in præsenti contingit, ubi sicut vis ad intelligendum, et ipsa intellectio primordialis solum distinguuntur ex parte nostri modi concipiendi, ut constat ex dictis in 1 tomo tract. 3 disp. 4 n. 43 et deinceps : ita etiam *esse* intelligibile, et *esse* intellectum eis correspondens, ut etiam ex illis, quæ in eodem tract. disput. 3 n. 18 et sequentibus asseruimus, liquet.

Confirmatur secundo. Quoniam in illo 79. Confirmatur secundo.

primo signo rationis, in quo substantialiter generatur Verbum in sua proprietate personali, et procedit ex cognitione divinæ essentiæ, communicatur ei perfecte eadem essentia cum omni perfectione, quam habet Pater : ergo communicatur illi, ut in illo priori est ratio, quare creaturæ possibiles sunt intelligibiles et ut est ratio, quare intelligantur : ergo Verbum procedet ex cognitione earumdem creaturarum. Hæc ultima consequentia ex priori et ex nuper dictis constat. Siquidem verbum, quippe perfectissimum, debet procedere ex cognitione omnium, quæ in illo priori præsupponuntur intelligibilia.

Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam Pater in illo priori habet essentiam divinam, ut est ratio, quare creaturæ possibiles sint intelligibiles et intelligantur a Deo : siquidem habet illam, ut continentem eminenter illas, ut perfectissime penetratam per intellectionem essentialem et primordialem et essentia divina sic continens creaturas, sicque penetrata, est ratio, quare creaturæ possibiles sint intelligibiles et intellectæ a Patre : ergo Pater in illo priori communicabit Verbo suam essentiam secundum hanc rationem sumptam. Antecedens autem probatur. Quia in illo priori signo Pater generat Verbum, ut Filium sibi consubstantialem et per omnia æqualem : quandoquidem ex vi prædictæ generationis est Deus : et ideo communicat ei omnem perfectionem, quam
Joan. 11. ipse habet, juxta illud Joannis 11 : *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo*, id est, generando dedit mihi Pater omnem suam per-
August. fectionem, ut explicat Augustinus lib. 3 contra Maximinum cap. 12.

Accedit pro majori impugnatione harum omnium solutionum, quod nullâ ex illis infringitur vis nostræ secundæ confirmationis, quam ad roborandam rationem D. Thomæ num. 65 adduximus, ut intuenti patebit.

§ VI.

Opposita sententia, duo priora ejus fundamenta, una cum responsionibus ad illa.

80. Opposita sententia. Scotus. Vasquez. Pesantius. Arrubal.

Oppositam tamen sententiam, nempe, Verbum non procedere per se ex cognitione creaturarum possibilium, tuentur Scotus locis dubio præcedenti n. 27 relatis, Vasquez disput. 143 cap. 3, Pesantius hic disput. 2, et Arrubal disp. 125 cap. 5.

Primum fundamentum. D.Thom.

Probatur primo ex D. Thoma quæst. 4 de Veritate art. 5 in corpore, ubi ita concludit : *Quia Pater principaliter dicit se generando verbum suum, et ex consequenti creaturas, ideo principaliter et quasi per se Verbum refertur ad Patrem : sed ex consequenti et quasi per accidens refertur ad creaturam : accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.* In quo testimonio duo sunt expendenda. Primum est, verba illa : *Accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.* Nam si Verbum per se et per locum intrinsecum procederet ex cognitione creaturarum, non accideret illi, ut per ipsum creaturæ dicerentur, sed hoc eidem per se conveniret.

Secundum est, ut notavit Arrubal, par- Arrubal. ticula illa : *sed ex consequenti, et quasi per accidens refertur ad creaturam, etc.* quam quidem non ideo apposuit Angelicus Doctor, quia Verbum ita repræsentet creaturas possibiles, ut possit illas non repræsentare, siquidem eas necessario, non vero contingenter repræsentat; sed quia ita eas necessario repræsentat, ut licet creaturæ, data hypothesi impossibili, non essent possibiles, adhuc Verbum non esset impossibile : ideo consulto modificavit particulam *per accidens*, addendo particulam *quasi*, ut nec omnino necessario, nec omnino per accidens convenire Verbo intelligatur, quod sit Verbum creaturarum, ac proinde, quod non procedat per se et per locum intrinsecum ex earum cognitione : alioqui nullo modo per accidens, sed omnino per se, omninoque necessario esset earum Verbum.

Confirmatur primo. Nam in solutione 81. ad secundum ejusdem articuli inquit An- Confirmatur primo. gelicus Doctor, Verbum esse de creatura, Angelic. non vero a creatura. Et in solutione ad 7 Doctor. articuli præcedentis sic ait : *Dicendum, quod verbum est alicujus multipliciter. Uno modo, ut dicentis : et sic procedit ab eo, cujus est verbum. Alio modo, ut manifestati per verbum : et sic non oportet, quod procedat ab eo, cujus est, nisi quando scientia, ex qua procedit, est causata a rebus : quod in Deo non accidit.* At si Verbum procederet ex cognitione creaturarum possibilium, tunc procederet ab illis, tanquam ab objecto cognito et manifestato : siquidem id, quod procedit ex cognitione alicujus objecti, procedit etiam ab ipso objecto, ut habet *esse* intelligibiliter in intellectu et ut ibidem manifestatur.

Confirmatur secundo. Angel. Doctor.

Confirmatur secundo ex eodem Angelico Doctore art. 5 ejusdem quæstionis 4 de

de Veritate in solutione ad 7 ubi cum prius sibi sic objecisset : *Tota relatio Filii terminatur ad Patrem : non est enim Filius, nisi Patris. Ergo similiter tota relatio Verbi. Ergo Verbum non importat relationem ad creaturam.* Sic respondet : *Dicendum, quod Filius importat relationem tantum alicujus ad principium a quo oritur. Sed Verbum importat relationem et ad principium, a quo dicitur et ad id, quod est quasi terminus, scilicet id quod secundum Verbum manifestatur : quodquidem principaliter est Pater, sed ex consequenti est creatura, quæ nullo modo potest esse divinæ personæ principium. Et ideo Filius nullo modo importat respectum ad creaturam sicut Verbum.* Si autem Verbum, quod est idem absque aliqua distinctione virtuali ac Filius, procederet per se et per locum intrinsecum ex cognitione creaturarum possibilium, tunc (præter quam quod, ut nuper dicebamus, procederet aliquo modo ab illis, ut a principio, saltem per modum objecti cogniti) etiam Filius sub ratione Filii diceret respectum ad creaturas, ex quarum cognitione procederet, quem hîc D. Thomas negat : et tandem creaturæ possibiles non ex consequenti respicerentur a Verbo : quippe quod in prima sui generatione ab earum cognitione haberet procedere.

Confirm. ultimo. Anselm. Confirmatur tandem auctoritate Anselmi in Monologio c. 31 et 32, ubi ait, Verbum divinum non esse verbum creaturarum. Esset autem verbum earum, easque repræsentaret, si procederet ex earum cognitione : quandoquidem omne verbum repræsentat objectum, ex cujus cognitione procedit, estque illius verbum.

82. Dissolvitur argumentum. Respondetur, Angelicum Doctorem in primo testimonio nulla ratione velle, quod Verbum divinum sit accidentarie verbum creaturarum, quasi posset esse, aut non esse verbum illarum ; sed ait, quod ex consequenti, et quasi per accidens ad creaturas referatur : quia non repræsentat illas ratione earumdem creaturarum, sed ratione divinæ essentiæ prius repræsentatæ. Sicut etiam hoc eodem modo creaturæ possibiles per Verbum dicuntur, et propterea dicuntur ex consequenti : quatenus dicuntur posterius posterioritate *a quo* quam divina essentia, quæ prius dicitur. Et similiter dicuntur, et repræsentantur quasi per accidens, id est per aliud : quoniam id, quod convenit secundario, et per aliud, dicitur etiam per accidens, aut quasi per accidens convenire. Hinc tamen non fit, Verbum non procedere per se ex cognitione creaturarum possibilium. Quoniam ad hoc, ut per se, et per locum intrinsecum procedat ex tali cognitione, sat est, quod etsi creaturæ non sint objectum primarium illius cognitionis, sed attingantur ratione divinæ essentiæ, et secundario in collatione ad illam : nihilominus propter necessariam connexionem, quam essentia divina in ratione objecti primarii habet cum creaturis, ut sunt objectum secundarium, nequeat perfecte attingi prædicta essentia, ac proinde nec comprehensive cognosci, nisi cognoscendo ipsam, ut continentem prædictas creaturas, et per consequens nisi cognoscendo etiam easdem creaturas. Quod quidem in præsenti contingit. Quia, ut sæpe diximus, ratio comprehensivæ cognitionis Dei stat in hoc, quod per eam attingatur, quidquid sive formaliter et necessario, sive eminenter in ipso continetur. Unde falsum est id, quod pro expensione hujus testimonii adductum est secundo loco ex Arrubal. Quia, ut ex dictis constat, et ex statim dicendis amplius patebit, non ideo adducit S. Doctor particulam illam *quasi per accidens*, ut denotaret, Verbum non procedere ex cognitione creaturarum possibilium, atque adeo eisdem implicantibus fore ejusdem rationis ; sed prædictam particulam S. Doctor adducit propter rationem jam dictam.

Ad primam confirmationem quoad utrumque testimonium constat ex illis, quæ dubio præcedenti num. 51 diximus. Nam in his testimoniis non vult S. Doctor negare, quod Verbum procedat ex cognitione creaturarum ; sed solum quod non procedat ex ipsis creaturis : et ita licet repræsentet illas (quod aliquando significatur per hoc, quod asseratur, Verbum esse de creatura) non tamen tunc, ut loquitur D. Thomas, est a creatura, id est, non procedit ab illa ut a principio, adhuc in *esse* intelligibili sumpta. Quia, ut loco citato notavimus, cum objectum, non ut habet *esse* in se, sed in specie, sit principium verbi, tunc solum habebit rationem talis principii cum fuerit in specie realiter distincta a verbo, per quam illud producat : cumque, ut etiam de Spiritu Sancto dicebamus, creaturæ non sint cognitæ in specie distincta a verbo, per quam illud producant, ideo non sunt principium illius. Diluitur prima confirmatio.

83. Ad secundam confirmat. Ex quo etiam ad secundam confirmationem satis constat. Ad id autem, quod in

testimonio ibidem adducto in calce illius dicitur, nempe, quod Filius nullo modo dicit relationem ad creaturam, satis patet ex illis, quæ in hoc tractatu disputatione 2 numero 123 diximus, ubi explicuimus, quomodo etsi ex parte rei conceptæ sit eadem prorsus ratio Filii, et Verbi absque aliqua distinctione virtuali; nihilominus distinguuntur ex parte nostri modi concipiendi : et Filius, ut sic inadæquate conceptus, secundum ea, quæ sibi intelligimus correspondere, ut distincto a se ipso, ut exprimit rationem Verbi non dicit expresse ordinem ad creaturas, seu fundamentum prædicti ordinis : secus tamen, ut concipitur sub conceptu expresso Verbi secundum omne id, quod importat, ut distincto ex parte nostri modi concipiendi a se ipso, ut exprimit rationem Filii : quamvis si ex parte rei conceptæ loquamur, tam Filius, quam Verbum dicant respectum jam explicatum ad creaturas : siquidem hæ duæ rationes non distinguuntur in divinis, adhuc virtualiter.

Ad ultimam prior solut. Anselm. Ad ultimam confirmationem respondetur primo, quod illa verba, prout ibi recensentur, non sunt formaliter in Anselmo; licet in cap. 32 ejusdem habeatur hæc propositio : *Verbum autem quo summa sapientia creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ :* quæ intelligitur, vel de verbo proprio creaturæ, id est producto ab illa, vel de verbo, quod saltem in ratione verbi, licet non secundum substantiam, sit distinctum a verbo summæ sapientiæ, ut constat ex cap. 31 ejusdem Anselmi. Et ita non negat, summam sapientiam dicere creaturam verbo ejusdem summæ sapientiæ, quod quidem unum et idem in ratione verbi sit primario verbum ejus, et secundario verbum creaturarum : propter quod statim conclusit idem Anselmus, summam sapientiam verbo suo dicere se, et creaturam : atque adeo verbum suum esse etiam verbum creaturæ, ut dictæ in se ipso.

Posterior enodatio. D. Thom. Secundo respondetur cum D. Thoma quæst. 4 de Veritate art. 5 ad 2, ubi cum in argumento adduxisset hoc testimonium Anselmi, inquit, quod Anselmus solum vult negare quod Verbum divinum sit verbum creaturarum, vel sit de creaturis, tanquam a principio : hoc autem satis constat esse verum quantumvis Verbum procedat ex cognitione earumdem creaturarum.

84. Secundum fundamentum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam ad hoc, ut amor, ex quo procedit Spiritus Sanctus, sit summe perfectus, non est necessarium, quod extendatur ad creaturas possibiles : atque adeo nec Spiritus Sanctus procedit ex amore creaturarum possibilium, ut constat ex illis, quæ in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 num. 9 et sequentibus diximus : ergo nec ad hoc, ut cognitio, ex qua procedit Verbum, sit summe perfecta, desiderabitur, ut extendatur ad possibilia : ac proinde nec Verbum ex cognitione possibilium procedet. Patet consequentia. Tum ex paritate rationis. Tum etiam, quia amor, quo Deus vult bonitatem suam, quoque producitur Spiritus Sanctus, ita est perfectus, et (ut sic dicamus) comprehensivus divinæ bonitatis, sicut cognitio, per quam procedit Verbum, est comprehensiva divinæ intelligibilitatis : quandoquidem sicut cognitio ipsa est tanta in ratione cognitionis, quantus Deus in ratione intelligibilis : sic amor ille est tantus in ratione amoris, quanta divina bonitas in ratione amabilis. Ergo si hoc non obstante, non est necessarium ad hoc, ut amor ille sit tantus, quod extendatur ad ea, quæ eminenter sunt in Deo, scilicet ad creaturas possibiles, ac proinde neque est necessarium, ut Spiritus Sanctus procedens ex illo amore procedat ex amore possibilium : sic neque erit necessarium ad hoc, ut cognitio, per quam procedit Verbum, sit tanta, quod extendatur ad possibilia : et per consequens quod Verbum ex cognitione possibilium procedat.

Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam, propter illa, quæ loco citato latius diximus. Potestque ex ibidem dictis ratio disparitatis breviter assignari. Nam creaturæ, ut distinctæ a Deo, seu secundum se sumptæ, non habent aliquam bonitatem, seu amabilitatem secundum se, id est, in *esse* creaturarum, quatenus præcise sunt possibiles, aut continentur in Deo, sed ad hoc requiritur ulterius, quod sint existentes in aliqua differentia temporis. Ex eo quod sicut voluntas amans fertur ad res secundum se sumptas, prout sunt in se ipsis : ita secundum se sumptæ, solum prout sunt in se ipsis, seu ut in aliqua differentia temporis in se ipsis existunt, habent aliquam amabilitatem. 85. Evertitur.

Cæterum creaturæ, præcise ut possibiles et ut contentæ in Deo tanquam in specie intelligibili repræsentante eas, modo alibi tacto, habent sufficientem intelligibilitatem quoad prædictum *esse* possibile secundum se sumptum : ex eo quod ad intelligibilitatem non requiritur, quod in aliqua

aliqua differentia temporis habeant *esse* in se ipsis; sed satis est, quod habeant illud in specie repræsentativa talis objecti. Quia sicut voluntas fertur in res, prout sunt in se ipsis, id est, prout in aliqua differentia temporis existunt in se : ita intellectus terminatur ad sua objecta trahendo illa ad se, id est, habendo illa in specie intelligibili repræsentativa eorumdem. Et propterea licet voluntas Dei nequeat amare creaturas ut possibiles, præcise secundum *esse* possibile, quod in *esse* creaturarum dicunt, ac proinde neque Spiritus Sanctus possit procedere ex earum amore : nihilominus divinis intellectus poterit cognoscere easdem creaturas quoad *esse* possibile, quod in *esse* creaturarum dicunt et Verbum divinum poterit ex earum cognitione procedere, ut dictum est.

§ VII.

Duo alia fundamenta ejusdem sententiæ et enodatio eorum.

86. Tertium argumentum. Tertio probatur prædicta sententia. Quoniam Verbum debet procedere ex cognitione, qua Pater est beatus : Pater autem non est beatus per suam cognitionem, ut terminatur ad creaturas possibiles, sed præcise prout terminatur ad divinam essentiam, prout est in se : ergo Verbum non procedet ex cognitione Patris, prout terminatur ad creaturas possibiles. Consequentia est legitima. Minor vero etiam liquet. Quoniam sola divina essentia, prout est in se ipsa (quippe quæ sola est infinite perfecta et infinite actualis potest esse objectum beatitudinis Paternæ, seu beatitudo objectiva illius; non vero creaturæ possibiles : quippe quæ dicunt essentias finitas et limitatas, ac proinde insufficientes ad hoc, ut sint beatitudo objectiva Patris : ergo Pater non erit beatus ex sua cognitione terminata ad creaturas possibiles; sed præcise prout terminatur ad divinam essentiam.

Major autem etiam constat. Tum, quia Pater est beatus per cognitionem primordialem, in qua consistit ejus natura : siquidem per suam essentiam et naturam habet esse beatus : at prædicta cognitio est illa, per quam procedit Verbum. Tum etiam, quia Pater est beatus per cognitionem perfectissimam, quam habet : et hæc eadem est, ex qua Verbum procedit : ergo Verbum procedet ex cognitione, qua Pater est beatus.

Confirmatur. Confirmatur Nam beati possunt non videre creaturas possibiles in divina essentia, si habeant adeo exiguum lumen gloriæ, ut licet per illud videant essentiam divinam, prout est in se, nihilominus non possint illam penetrare et per consequens nec cognoscere creaturas possibiles in sinibus divinæ potentiæ latitantes, ut ex dictis in 1 tomo tractatu 2 disput. 7 diximus : at hoc non obstante erunt beati, quippe qui viderent Deum, prout est in se : ergo ad cognitionem beatam non requiritur per se cognitio creaturarum possibilium : et per consequens si Verbum procedit ex cognitione beata Patris, non erit necessarium, quod per se procedat ex eadem cognitione, ut terminata ad creaturas possibiles.

87. Occurritur ad tertium. Respondetur concedendo majorem et distinguendo minorem. *Per suam cognitionem, ut terminatur ad creaturas possibiles*, præcise quia terminatur ad illas, concedenda est. Quia terminatur ad illas, ut cognitas in divina essentia prius cognita et quia terminando se ad illas et non aliter potest divina essentia perfecte et comprehensive attingi, neganda est. Quoniam sicut Pater est beatus, non per quamcumque cognitionem sui, sed per cognitionem comprehensivam : ita quidquid requiritur ad prædictam comprehensionem et ex ratione, qua ad illam desideratur, debet etiam requiri ad beatitudinem Patris.

Ad probationem autem ejusdem minoris constat ex modo dictis. Nam etsi ad beatitudinem Patris requiratur cognitio illius, tam ut terminatur ad essentiam divinam, quam ut terminatur ad creaturas possibiles : aliter tamen et aliter. Nam cognitio essentiæ divinæ requiritur, tanquam cognitio beatitudinis objectivæ Patris : cognitio vero creaturarum possibilium desideratur, non tanquam cognitio objecti, quod sit ipsa beatitudo objectiva Patris, sed tanquam cognitio alicujus, cum quo habet connexionem ipsa essentia divina, quæ est beatitudo objectiva, quodque est talis conditionis, ut cognitio illa Patris nequeat esse perfectissima, nec perfectissime attingere divinam essentiam, quæ est beatitudo objectiva, nisi terminetur ad essentiam divinam quoad omnem cognoscibilitatem, quam habet, idest, tam secundum id, quod formaliter et necessario habet, quam secundum id quod emi-

nenter continet, scilicet, creaturas possibiles : ac proinde nisi ad easdem creaturas terminetur. Constat autem, quod ad hoc, ut aliquid desideretur ad beatitudinem Patris hoc posteriori modo, nihil obest, quod dicat essentiam finitam et limitatam; quin potius prædicta finitas et limitatio desideratur. Sicut etiam ad hoc, ut aliquid desideretur ad beatitudinem priori modo, requiritur, quod dicat infinitam intelligibilitatem.

88. Ad confirmationem. Ad confirmationem concedatur major intellecta de visione Dei terminata ad creaturas possibiles in particulari : ita tamen, ut illa cognitio attingat creaturas possibiles in communi, ne divina potentia maneat beatis ignota : et per consequens ne prædicta cognitio non sit visio Dei per essentiam, seu quidditativa : siquidem ad hanc necessario desideratur cognitio omnium, quæ sunt formaliter in Deo, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 7 num. 3 et sequentibus diximus. Et eodem modo admittatur minor sed distinguatur primum consequens et concedatur consequentia de formali beatitudine creata : negetur tamen de formali beatitudine increata, qualis est beatitudo Patris. Et deinde neganda est consequentia. Quoniam sicut beatitudo creata, quæ convenit beatis in patria, habet necessario terminari ad creaturas possibiles in communi sumptas : ex eo quod visio Dei et omnipotentiæ ipsius habet necessariam connexionem cum cognitione earum sic sumptarum : et ideo si beati producerunt verbum repræsentativum Dei, prout est in se, tunc tale verbum procederet ex cognitione earumdem creaturarum possibilium, modo dicto sumptarum : ita quia cognitio comprehensiva, seu beata Patris habet necessariam connexionem cum cognitione omnium creaturarum possibilium, adhuc in particulari : non quidem quia detur ibidem duplex cognitio, ut jam diximus; sed quia prædicta cognitio comprehensiva sita est in hoc, quod se extendat ad essentiam cum omnibus, quæ sunt in ea formaliter et necessario, necnon et ad omnia ea, quæ in illa eminenter et necessario continentur, nempe ad creaturas possibiles in particulari sumptas, idcirco Verbum, quod procedit in divinis ex cognitione comprehensiva et beata Patris, debet per se procedere ex cognitione omnium creaturarum possibilium.

89. Quarto suadetur prædicta sententia. Quoniam si Verbum per se procederet ex cognitione creaturarum possibilium, haberet ex vi suæ proprietatis personalis dicere ordinem ad illas : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Sequela probatur. Nam omne verbum ex vi eorum, quæ sunt sibi propria, dicit ordinem ad id, ex cujus cognitione procedit. Falsitas autem minoris suadetur. Ex eo quod Verbum ratione suæ proprietatis personalis, quæ est Filiatio, solummodo respicit Patrem : ad creaturas vero solum dicit ordinem, in quantum includit essentiam, quæ est communis omnibus personis divinis. Quartum fundamentum.

Respondetur cum D. Augustino 15 de Trinitate c. 14 et D. Thoma in hoc articulo ad 1 et in 1 ad Annibaldum dist. 27 q. 2 art. 1 ad 4 et de Veritate q. 4 art. 5, quod etsi Verbum divinum habeat ab essentia, tanquam a ratione formali, repræsentare creaturas possibiles et per consequens dicere relationem rationis fundamentaliter sumptam ad easdem : nihilominus quia hoc ipsum convenit ipsi ratione suæ proprietatis personalis tanquam conditionis, ex eo quod ex vi illius petitur, quod ex vi suæ processionis communicetur ipsi essentia divina, ut est repræsentativa earumdem creaturarum et ut fundat prædictum ordinem : idcirco eidem Verbo dicitur convenire ex vi suæ proprietatis personalis, idest, ex vi illius tanquam conditionis, quod dicat relationem rationis fundamentaliter sumptam ad creaturas. Corruit. August. D. Thom

Quare prædicta relatio dicitur etiam convenire eidem ex vi suæ processionis. Et ita, licet aliæ personæ, ut v. g. Spiritus sanctus dicat etiam similem relationem rationis ad creaturas ratione essentiæ, quatenus ratione illius repræsentat illas : attamen quia non competit ei essentia ratione suæ proprietatis personalis tanquam conditionis eo modo, quo convenit Verbo, idest, ex vi suæ processionis : siquidem Spiritus sanctus ratione suæ proprietatis personalis non petit, quod ex vi suæ processionis communicetur ei essentia divina : propterea dicitur esse proprium ejusdem Verbi repræsentare creaturas et dicere ordinem rationis ad easdem.

§ VIII.

Fundamentum ultimum ejusdem sententiæ oppositæ, una cum suis confirmationibus.

90. Ultimum fundamentum. Ultimo probatur eadem sententia. Quia essentia divina non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus : ergo potest perfecte et comprehensive attingi, quin illa cognitio comprehensiva formaliter sumpta attingat creaturas possibiles : ergo Verbum non procedet per se et per locum intrinsecum ex cognitione creaturarum possibilium. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Siquidem, ut ex dictis constat, verbum per se tantum procedit ex cognitione comprehensiva Dei, ut tali. Prima vero ex antecedenti etiam liquet. Quoniam, ut ex dictis patet, ideo cognitio comprehensiva Dei, ut talis, terminatur necessario ad creaturas possibiles, quia divina essentia habet necessariam connexionem cum ipsis.

Antecedens autem probatur. Tum, quoniam essentia Dei est multo magis necessaria, quam creaturæ possibiles : quandoquidem quidquid convenit Deo et creaturis, convenit longe excellentius illi quam istis : ergo divina essentia non habet necessariam connexionem cum prædictis creaturis : quia id, quod habet necessariam connexionem cum alio, non habet majorem necessitatem in essendo quam illud ; sed eo per possibile, vel impossibile deficiente, debet etiam id, quod est necessario cum eo connexum, deficere. Tum etiam, quia si per impossibile non essent creaturæ, tunc non sequeretur per se et per locum intrinsecum, Deum, aut ejus omnipotentiam non esse : cum tamen si per impossibile Deus non esset, sequeretur per locum intrinsecum, creaturas non esse possibiles.

91. Confirmatur primo. Arrubal. Confirmatur primo ex Arrubal. Nam cognitio creaturarum possibilium reperta in Deo non est ita necessaria, sicut Verbum divinum : ergo Verbum non potest per se procedere ex cognitione illarum. Consequentia patet. Quia principium *quo* alicujus, qualis esset prædicta cognitio respectu Verbi, si ex ea per se procederet, debet habere tantam necessitatem, quantam terminus productus : ex eo quod quidquid necessitatis est in illo, communicatur ei per prædictum principium. Antecedens autem probatur. Quoniam talis cognitio nequit habere majorem necessitatem, quam suum objectum, nempe creaturæ possibiles : istæ autem non habent tantam necessitatem, quantam Verbum divinum : ergo nec cognitio, quam Deus habet earum.

Confirmatur secundo. Quoniam si essentia divina haberet aliquam connexionem necessariam cum creaturis possibilibus, tunc diceret ordinem realem ad illas : hoc autem implicat : ergo et quod habeat necessariam connexionem cum eisdem : et per consequens quod Verbum per se procedat ex cognitione illarum. Utraque consequentia ex se et ex jam dictis constat. Minor autem probatur. Quia omnis relatio realis indiget suo termino et specificatur ab illo : nihil autem est in divinis, quod indigeat creaturis, aut specificetur ab illis. Minor vero suadetur. Ex eo quod id, quod est necessario connexum cum alio, sicut nequit intelligi sine illo, dicit ordinem realem ad ipsum. Et propterea potentia visiva, quia est necessario connexa cum suo objecto, dicit ordinem realem ad illud. Confirmatur secundo.

92. Confirmatur tertio. Confirmatur tertio. Quoniam Verbum divinum, ut productum, est magis connexum cum divina essentia, quam ipsæ creaturæ : ergo cognitio divina, cujus objectum est ipsa essentia, immediatiori gaudet habitudine ad Verbum secundum *esse* productum, quam ad creaturas : ac proinde Verbum non procedet per se ex cognitione illarum. Antecedens videtur certum. Quoniam verbum secundum *esse* productum est formaliter in Deo et pertinet ad divinam naturam per modum propriæ et connaturalis personalitatis illius : non tamen creaturæ. Et ita illud, ut productum, erit magis connexum cum essentia. Prima vero consequentia ex antecedenti liquet. Quia secundarium objectum sic se habet ad actualem cognitionem intellectus et cognitio ad illud, sicut se habet ad formale et primarium ejus objectum : siquidem non nisi ratione istius attingitur. Et ita si Verbum, ut productum, connectitur immediatiori ordine cum primario objecto intellectus divini, nempe essentia, quam creaturæ, oportet, ut immediatiorem ordinem, ut jam productum, habeat ad cognitionem Dei, quam creaturæ : et quod prædicta cognitio dicat immediatiorem ordinem ad illud, quam ad istas. Secunda vero consequentia ex hac priori patet. Nam ex ea sequitur, Verbum productum prius terminare cognitionem divinam, quam creaturæ cognoscantur : et ideo

nequit ex cognitioni illarum per se procedere.

93. Confirm. ultim. Confirmatur tandem. Quoniam si per impossibile creaturæ non essent possibiles, tunc non ideo sequeretur per locum intrinsecum, Verbum divinum non esse processurum ex cognitione divinæ essentiæ, aut processurum diversæ rationis, ac modo procedit : ergo nunc non procedet per se et per locum intrinsecum ex cognitione earumdem creaturarum possibilium. Consequentia est satis perspicua. Quoniam si Verbum procederet per se ex prædicta cognitione, tunc ablatis creaturis possibilibus atque adeo sublata etiam prædicta cognitione, vel non procederet Verbum divinum ; vel procederet diversæ rationis, ac modo procedit : siquidem sublato eo, quod per se petitur ad productionem alicujus rei, ut talis, oportet, vel quod omnino auferatur productio talis rei, vel quod res illa diversæ rationis producatur. Propter quod, quia sublata per impossibile persona Verbi, tollitur Spiritus sancti processio, deducimus, personam Verbi per se peti ad processionem Spiritus sancti. Sicut e contra, quia ablata per impossibile Trinitate personarum et remanente unica persona, adhuc creaturæ haberent produci, inferimus, quod Trinitas personarum non desideratur per se ad productionem creaturarum.

94. Probatur antecedens primo. Antecedens probatur. Tum, quia ut Deus habeat esse in se primum ens et summe perfectum, non indiget aliqua re extra se possibili : alioqui esset suarum creaturarum indigus : at eo ipso, quod Deus habeat rationem primi entis et summe perfecti, potens est generare Verbum ; et non utcumque, sed eodem modo et ejusdem rationis, ac nunc illud generat : quippe quod esset primum Verbum, summeque perfectum, ac proinde ejusdem rationis, ac modo est : ergo adhuc implicantibus omnibus creaturis, Verbum procederet, ut ejusdem rationis, ac modo procedit.

Secundo. Tum etiam. Quia adhuc admissa impossibilitate omnium creaturarum, esset Deus ita omnipotens, ac modo est. Quoniam non est omnipotens modo, quia possit creaturas producere ; sed ex eo quod est ens ita perfectum, ut possit facere, quidquid non involveret contradictionem : et propterea non tollitur, nec patitur diminutionem ejus potentia ex eo, quod nequeat facere impossibilia, qualia tunc essent creaturæ possibiles. Sicut etiam non est modo summe sciens, quia cognoscat cunctas creaturas ; sed quia cognoscit, quidquid cognoscibile est. Ergo nihil esset adhuc in eo eventu, unde colligeretur, vel Verbum non processurum diversæ rationis, ac modo. Siquidem remanente Deo ita perfecto, omnipotente et sciente, ac nunc; non est unde Verbum non procedat, aut procedat diversæ rationis, ac modo procedit.

Tum deinde. Quia hoc, quod est essentiam divinam repræsentare creaturas possibiles, non dicit in ea aliquam perfectionem : sicut neque quod repræsentet futuras. Et ideo ejus repræsentatio maneret ita perfecta et ejusdem rationis, licet non repræsentaret creaturas futuras, quas modo repræsentat. Ergo etiamsi non essent possibiles creaturæ, Verbum procederet eodem modo. Quia manente eadem repræsentatione essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, debet produci idem Verbum. Tertio.

Tum denique. Quia si tantum esset impossibilis una, aut altera creatura, v. g. formica, non idcirco esset dicendum, quod Verbum procederet diversæ rationis, ac nunc. Quia impossibile videtur, quod ex sola implicatione formicæ mutaretur Deus, aut ejus omnipotentia : et per consequens verbum ex horum cognitione procedens. Ergo neque etiamsi omnes creaturæ implicarent, Verbum tunc procedens esset diversum, aut desineret procedere a Patre. Siquidem si Verbum, implicantibus omnibus creaturis, non procederet vel procederet diversæ rationis, etiam implicante una, aut altera creatura, v. g. formica, procederet, ut aliqualiter diversæ rationis, idest ex cognitione omnium creaturarum, præterquam formicæ et ut dicens ordinem ad illas, præterquam ad eamdem formicam : cum tamen modo per se procedat, juxta oppositam sententiam, ex cognitione prædictæ formicæ et per se dicat ordinem ad illam. Ultim.

§ IX.

Duplex aliquorum solutio præcedentis argumenti et utriusque impugnatio.

Ad hoc argumentum respondet Suarez lib. 6 de Trinit. c. 6 n. 18 et 19, ita esse necessariam possibilitatem creaturarum, ac Deum esse. Et ita ex hoc capite nihil obesse, quominus Verbum procedat ex cognitione 95. Solut. P. Suarez.

cognitione creaturarum possibilium. Ratio autem, ob quam putat, æqualem esse hanc necessitatem respectu Dei, et creaturarum possibilium, est : Quia vel creaturæ habent hanc possibilitatem ex Dei omnipotentia, vel ex se ipsis absque dependentia aliqua a Deo? Si primum dicatur, tunc ita erit necessaria possibilitas creaturarum, ac Deum esse : siquidem ita est necessaria Dei omnipotentia, ac Deum esse : et hoc ipso quod sit Dei omnipotentia, non potest non eadem necessitate, qua est, denominare extrinsece creaturas possibiles, ac proinde tribuere eis esse possibiles : quod quidem per hanc extrinsecam denominationem a divina potentia, et non aliter eis ab illa communicatur. Si autem creaturæ ex se ipsis, seu ex intrinseca non repugnantia et connexione terminorum hoc habent, tunc potiori ratione erunt ita necessariæ, ac quod Deus sit. Quoniam tota ratio omnimodæ necessitatis, qua Deus est, oritur ex hoc, quod ex se ipso et non dependenter ab alio tanquam a causa est. Et ita si possibilitas creaturarum convenit eis ex se ipsis, et independenter ab alio tanquam a causa, tunc conveniet eis prædicta possibilitas ita necessario, ac Deo convenit suum *esse*.

96. Rejicitur. D.Thom. Cæterum hæc solutio non omnino satisfacit. Et ideo potest impugnari ratione desumta ex D. Thoma infra q. 46 art. 1 ad 1. Quoniam possibilitas creaturarum non sumitur præcise ex Dei omnipotentia ; sed etiam ex habitudine, seu connexione terminorum, qui sibi invicem non repugnent : sed major est habitudo hæc, seu connexio terminorum inter Deum et suum *esse* quam inter creaturas, et suum *esse* possibile : ergo magis necessarium est, Deum esse, quam prædicta creaturas esse possibiles. Consequentia videtur legitima.

Minor autem probatur. Tum, quia Deus dicit habitudinem ad suum *esse*, et est connexus cum illo, tanquam cum aliquo, quod est de ejus intrinseca ratione et conceptu quidditativo, ut constat ex illis, quæ in primo tomo tractatu tertio disputatione quarta dubio quarto late diximus. Creaturæ vero possibiles tantum dicunt habitudinem ad suum *esse*, seu tantum sunt connexæ cum illo possibiliter, tanquam cum aliquo, quod est extra earum essentiam : quoniam *esse* existentiæ (de quo loquimur) in creaturis est extra essentiam illarum, et distinguitur realiter ab N. Compl. illis, ut constat ex iis, quæ nostri Complutenses ex divo Thoma docuerunt in suis libris Physicorum disput. 3 num. 64.

Tum etiam propter illa, quæ nuper dicebamus. Quia necessitas essendi dicit latitudinem gradualem, aut quasi gradualem. Et propterea videmus, quod aliqua sunt magis necessaria, quam alia : sicut magis necessarium est, hominem esse rationalem, quam esse risibilem, et esse risibilem, quam esse architectum. Ea autem, quæ dicunt latitudinem istam debent perfectius convenire Deo, quam creaturis. Quia in illo debent habere omnem excogitabilem perfectionem, quæ ipsis convenire potest : ne in istis detur aliquod prædicatum æquale, et æqualiter conveniens Deo, et creaturis : quod pugnat cum rationibus entium per essentiam et per participationem.

Tum denique. Quia etsi ad possibilita- 97. tem creaturarum completam desideretur habitudo prædicta terminorum, necnon et divinum *esse*, et omnipotentia, ut docet divus Thomas loco nuper citato, nihilomi- D.Thom. nus hæc duo ita inter se comparantur, ut *esse* Dei, et ejus omnipotentia sit ratio a priori, vel causa habitudinis, seu connexionis terminorum ; non vero e contra : et ideo hæc causalis est vera : *Quia Deus est omnipotens habetque virtutem ad producendam formicam, ideo formica est possibilis* : e contra vero hæc causalis est falsa, *Quia formica est possibilis, idcirco Deus potest illam facere*, si ly *quia* dicat rationem a priori, et non solam conditionem illatam ex vi divini *esse*, et suæ omnipotentiæ, ut numero 101 dicemus. Constat autem, quod quoties aliquid convenit necessario duobus, et uni ratione sui, et alii ratione alterius, tunc perfectius, et magis necessario convenit illi, cui ratione sui convenit, quam ei, cui ratione illius prioris competit, ut patet in homine, cui necessario competit rationalitas, et risibilitas : et nihilominus quoniam non est necessario rationalis, quia risibilis, ly *quia* dicente causam, aut rationem a priori, propterea magis necessario homo est rationalis, quam risibilis. Ergo hoc ipso, quod possibilitas creaturarum conveniat necessario creaturis, quia Deus est, et est omnipotens, ly *quia* dicente causam, sive rationem a priori, debet Deo convenire magis necessario suum *esse* suaque omnipotentia, quam creaturis sua possibilitas, juxta illud axioma Aristotelicum : Aristot. *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

98. Major vero ejusdem primi syllogismi hujus impugnationis quoad ultimam ejus partem (cæteræ enim illius partes sunt satis perspicuæ) probatur. Quoniam divina omnipotentia nequit denominare extrinsece chimæram, ac proinde nec facere illam, ex defectu connexionis terminorum, seu ex repugnantia eorumdem terminorum inter se : ergo signum est, requiri ad possibilitatem creaturarum connexionem prædictam terminorum, seu non repugnantiam eorumdem inter se; licet talis non repugnantia oriatur, tanquam ex ratione à priori, ex divina ommnipotentia, quæ sicut ob specialem rationem suam continet virtualiter omne factibile, ita habet inferre (modo tamen loco citato jam explicato) omnem non repugnantiam terminorum inter se in illis, in quibus reperitur.

99. Aliorum responsio. Secundo respondent alii, quod licet non sit æque necessarium, Deum, et creaturas esse possibiles necessitate ab intrinseco : est tamen æque necessarium necessitate ab extrinseco : quatenus per optimam illationem æque bene sequitur, quod si Deus est omnipotens, etiam creaturæ sunt possibiles : et similiter si istæ sunt possibiles, optime etiam sequitur, Deum esse omnipotentem. Et hoc satis est ad hoc, ut ratione istius connexionis, et æqualis necessitatis sint Deus una cum sua omnipotentia, et creaturæ possibiles inter se connexæ extrinsece, et ad hoc, ut Deus, suaque omnipotentia nequeant comprehensive cognosci, non cognitis creaturis possibilibus : et per consequens ad hoc, ut Verbum procedens per se ex cognitione comprehensiva Dei, procedat etiam per se ex cognitione creaturarum.

Non satisfacit. Cæterum neque hæc solutio est omnino sufficiens. Nam necessitas illationis et consequentiæ rationalis fundatur in necessaria connexione antecedentis, et consequentis : ergo hoc ipso, quod non sit æque necessarium in se, seu (quod in idem quoad præsens redit) necessitate intrinseca, creaturas esse possibiles, et Deum, ejusque omnipotentiam esse, non erit æque necessarium quoad illationem; siquidem quantitas necessitatis quoad illationem fundatur in quantitate necessitatis in se. Et ita cum ex creaturis colligitur possibilitas Dei et omnipotentiæ illius, et rursus ex omnipotentia possibilitas creaturarum, tunc, si in priori illatione antecedens est minus necessarium, et in posteriori habet esse magis necessarium, oportebit, ut illatio Dei ex creaturis sit minus necessaria, quam illatio creaturarum ex Deo. Sicut quia minus necessarium est, hominem esse risibilem, quam esse rationalem, idcirco illatio rationalis ex risibili est minus necessaria, quam illatio risibilis ex rationali.

§ X.

Vera argumenti ultimi, et confirmationum illius solutio.

Quare melius solvetur prædictum argumentum, si supponatur id, quod jam tetigimus, quodque amplius explicuimus in 1 tomo tractatu 2 disput. 7 num. 75 et tractatu 4 disput. 5 num. 31, nempe, quod licet creaturis omnibus implicantibus, Deus non esset omnipotens, sicut modo est, nec creaturæ essent possibiles, si Deus non esset omnipotens, ac proinde sit connexio necessaria inter prædicta extrema : nihilominus aliter, et aliter hæc duo inter se comparantur. Nam ablatio creaturarum non est ratio à priori ablationis Dei; sed potius e contra. Quia sicut ex omnipotentia Dei earumdem possibilitas a priori infertur : quandoquidem non sunt factibiles, nisi ab ente per essentiam, et ut participationes illius, ac proinde ipsum ens per essentiam præsupponunt : ita ex eo, quod tollatur divina omnipotentia, infertur a priori, auferri creaturarum possibilitatem : at ex eo, quod creaturæ possibiles auferantur, solum sequitur a posteriori, ablatum jam esse Deum; vel (ut clarius dicamus) devenimus ratione connexionis jam insinuatæ, in cognitionem hujus, quod est, Deum prius fuisse ablatum. Quemadmodum si a nostro hemisphærio auferatur lux solaris, tolletur etiam sol, non quidem, quia ex eo quod auferatur lux, tollitur; sed quia si lux abest, sequitur, solem jam prius abfuisse. 100. Animadversio pro vera argumenti enodatione.

Hinc ergo ad ultimum negandum est antecedens, si intelligatur de necessaria connexione jam explicata cum creaturis possibilibus. Et ad primam probationem concedendum est antecedens, sed neganda est consequentia. Quoniam ad hoc, ut res aliqua habeat necessariam connexionem cum aliquo, tanquam cum simpliciter posteriori, et illato ex ea, ita ut ex ejus ablatione non sequatur aliquomodo a priori, rem inferentem illud defecturam, sed potius sit signum, quod eo per se impossibile ablato, jam res illa prior fuit ablata, non requiritur 101. Hinc diluitur argumentum.

requiritur quod habeat tantam necessitatem, quantam ea res, quæ est ratio a priori illius, quamque per ablationem illius, non sequitur, esse posterius auferendam, sed prius fuisse ablatam.

Et ratio est aperta. Quoniam quæ sic sunt connexa, debent ita inter se comparari, ut unum sit ratio necessitatis alterius; non tamen e contra, et per consequens, ut unum sit magis necessarium, quam istot. aliud, juxta illud axioma Aristetelicum jam dictum, *Propter quod unumquodque tale, et illud magis* : imo et prædicta duo quoad præsens sic debent inter se conferri, quod unum habeat eum excessum in necessitate essendi, qui requiritur ad hoc, ut sit ratio totius necessitatis per participationem talis. Ad hunc autem modum inferendi omnem necessitatem per participationem talem, id est, omnem necessitatem, quæ est in possibilitate creaturarum quæ solæ sunt per participationem necessariæ, requiritur tanta necessitas, ut sit necessitas per essentiam. Sicut ad modúm necessitatis creaturarum illatæ ex hac priori necessitate petitur necessitas per participationem, quæ est longe minor, quam necessitas per essentiam. Per quæ ad secundam probationem ejusdem antecedentis satis patet.

102. dvitur rima nfirm. Ad primam confirmationem patet ex dictis, quomodo etsi creaturæ possibiles non sint ita necessariæ quoad suam possibilitatem, ac Deus, et Verbum illius : nihilominus cognitio divina illarum, ex qua Verbum procedit, est æque necessaria, ac Deus, et Verbum. Et ideo ex hac parte nihil obest, quominus etsi Verbum divinum non procedat ex prædictis creaturis, ut ex principio *quo* : nihilominus possit, et debeat ex earum cognitione procedere. Et ad probationem, qua intenditur, non habere eumdem necessitatis gradum, quem Verbum, satis etiam ex dictis liquet, quomodo prædicta cognita habeat majorem necessitatem, quam suum objectum materiale, nempe creaturæ : ex eo quod prædicta cognitio est ratio a priori, et causa modo tacto possibilitatis creaturarum, ut in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 num. 32 tetigimus.

iluitur cunda. Ad secundam confirmationem jam præbuimus responsum in eodem primo tomo tractatu 2 disput. 7 num. 74, ubi diximus quod licet plura, quæ sunt necessario connexa cum aliis, debeant dicere habitudinem ad illa, et specificari ab eis, ut contingit in exemplo in hac confirmatione proposito; non tamen id est universaliter necessarium. Et ita objecta scientiarum, quatenus talia, sunt necessario connexa cum suis scientiis : et nihilominus non dicunt relationem realem ad illas, sive prædicamentalem, sive transcendentalem, ut communiter docent Dialectici, et Metaphysici. Unde, licet essentia, et omnipotentia divina sint necessario connexæ cum creaturis possibilibus : non tamen hinc fit, dicere realiter habitudinem ad illas, vel ad eisdem specificari : quia ratione suæ eminentiæ sunt omnino liberæ et absolutæ ab omni respectu, et habitudine reali per se terminata ad creaturas.

Ad tertiam confirmationem respondetur, quod antecedens illius debet intelligi (ad hoc ut sit ad rem) de essentia divina, non utcumque sumpta, sed ut comprehensive attingibili. Sic autem intellectum distinguendum est, et concedendum de creaturis ratione sui præcise sumptis : negandum vero de eisdem ratione ejusdem essentiæ. Nam licet creatūræ ipsæ secundum se, et ratione sui non sint magis, et immediatius connexæ cum divina essentia, quam Verbum, ut productum : attamen ipsa essentia, ut fundat prædictos respectus ad creaturas, seu ut illas continet, est magis secum (ut sic dicamus) connexa, quam Verbum, ut productum : et ita eo ipso nequibit comprehensive attingi, ut sæpius diximus, nisi eædem creaturæ per prædictam cognitionem perprius attingantur, quam sit productio Verbi. Ad tertiam.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, eam probare, creaturas secundum se, et ratione sui non esse magis, et intimius connexas cum divina essentia, quam Verbum, ut productum : non tamen quod divina essentia, ut fundat prædictos respectus, non sit immediatius secum connexa, quam Verbum, ut productum : ac proinde nec probat, quod Verbum, ut productum, sit immediatius connexum cum divina essentia, ut comprehensive attingibili, quam creaturæ, ut sunt termini illius respectus fundamentalis, ut explicatum est. Unde ad probationem primæ consequentiæ, quatenus ad oppositum hujus deservire poterat; dicendum est, quod secundarium objectum sic se habet ad actualem cognitionem comprehensivam, sicut se habet ad primarium, ut comprehensibile. Et secundum istam rationem creaturæ, ut attingibiles per intellectum divinum, immediatius conjungun- 103.

tur cum divina essentia, ut comprehensive attingibili, quam productio Verbi : siquidem hoc ex cognitione comprehensiva debet per se procedere : et talis cognitio non est comprehensiva, nisi terminetur ad ea, quæ formaliter necessario, necnon et eminenter in Deo reperiuntur.

Dilucidatur hæc solutio. Adde, quod sicut divina cognitio, ut est cognitio essentialis, est prius se ipsa, ut est productio notionalis : ita immediatiorem ordinem (fundamentalem tamen jam explicatum) dicit ad ea, cum quibus est connexa in ratione prædictæ cognitionis, quam ad illa, cum quibus est connexa, ut est productio notionalis. Et ideo prius nectitur cum Verbo, ut est objectum cognoscibile, et cum creaturis possibilibus (quia omnia ista sunt connotatum ejusdem, ut cognitionis essentialis) quam nectatur cum Verbo producto. et producendo illud : et per consequens Pater prius intelliget omnia ista, quam producat Verbum : cum Verbum procedat ex prædicta intellectione essentiali, prout in Patre.

104. Solutio ad ultimam confirmationem. Ad ultimam confirmatiônem negandum est antecedens. Quoniam si per impossibile creaturæ non essent possibiles, tunc Deus non esset omnipotens, ut ex dictis constat : et per consequens Verbum non procederet ex cognitione omnipotentiæ, nec procederet ejusdem rationis ac modo.

Ad primam ejus probationem. Et ad primam probationem antecedentis dicendum est, quod etsi ut Deus sit primum ens, et summe perfectum, non indigeat proprie loquendo aliqua re extra se possibili, non tamen esset primum ens, et summe perfectum, si creaturæ non essent possibiles : quia hoc non provenit ex indigentia, quam divinum *esse* habeat creaturarum, sed ex summa ipsius perfectione, quæ tanta est, ut non possit non ratione illius inferre possibilitatem creaturarum : et ideo ex sublatione possibilitatis earum sequitur a posteriori, quod Deus non esset ita perfectus, ac modo est, vel (ut melius dicamus) sequitur, prius fuisse sublatam summam perfectionem Dei, ut nunc est.

105. Ad secundam. Ad secundam vero probationem negandum est antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod etsi Deus sit omnipotens, ex eo quod est ens ita perfectum, ut possit facere quidquid non involverit contradictionem : non tamen hinc fit, ejus omnipotentiam non tolli ex eo, quod nequiret facere aliquam suam creaturam, si omnes illæ essent impossibiles : siquidem in hoc, quod est, Deum esse ens ita perfectum, ut possit facere quidquid non implicaverit, involvitur necessario, quod dentur creaturæ non implicantes. Et ratio videtur aperta. Quoniam ut Deus sit omnipotens, requiritur, quod sit ens ita perfectum, ut reipsa et de facto contineat eminenter creaturas possibiles; et non sufficit, quod sit ita perfectum, ut contineret eas, data aliqua hypothesi : hoc enim non esset habere actu et reipsa omnipotentiam; sed quod actu careat ea et quod haberet eam in illa hypothesi. Constat autem, quod ut Deus actu et reipsa contineat creaturas, requiritur, quod illæ sint possibiles, seu quod non implicent contradictionem. Per quod etiam ad id, quod de divina scientia dicitur satis constat. Nam ad hoc, ut sit Deus summe sciens, ut modo est, desideratur, quod ejus cognitio terminetur ad creaturas possibiles et quod istæ non implicent, ut ex ratione nuper facta, proportionabiliter tamen quoad hoc applicata, patet.

Ad tertiam. Ad tertiam autem probationem dicendum est, quod etsi divinam essentiam repræsentare creaturas possibiles, non addat in ea aliquam perfectionem supra id, quod habet, ut est adæquate repræsentativa sui ipsius, ut radicaliter omnipotentis, necnon et suæ omnipotentiæ : nihilominus requiritur ad hoc, ut prædicta essentia sit adæquate repræsentativa sui et suæ omnipotentiæ, quod repræsentatio extendatur ad creaturas possibiles. Sicut etiam cognitio terminata ad divinam essentiam et ejus omnipotentiam non esset comprehensiva, si non extenderetur simul ad id, quod est formaliter et necessario in Deo et ad id, quod virtualiter in illo continetur, nempe ad creaturas possibiles. Ad illud autem, quod de creaturis futuris in eadem probatione additur, constabit, esse disparem rationem quoad hoc inter eas et inter creaturas possibiles, ex illis, quæ dubio sequenti dicemus.

Ad ultimam probationem respondetur, esse satis probabile, quod implicante una, vel altera creatura, v. g. formica, tunc Verbum non procederet ejusdem rationis, ac modo : quia eo ipso divina omnipotentia non esset ejusdem rationis, ac modo est. Non quidem, quia prædicta omnipotentia specificetur a creaturis factibilibus; sed quia a posteriori id colligeremus ex eo, quod nunc terminatur ad cumulum omnium creaturarum possibilium, ut coalescit ex omnibus et singulis creaturis, quæ modo non implicant, et tunc 106. Ad ultimam prior solutio

terminaretur

terminaretur ad cumulum creaturarum consurgentem ex creaturis nunc non implicantibus. Cumque hi cumuli essent distincti, optime colligeretur a posteriori, omnipotentiam, quæ modo est et tunc esset, non fore ejusdem rationis.

Diximus, *a posteriori*. Quia ut in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 n. 32 diximus, possibiles non sunt objectum formale, sed materiale divinæ omnipotentiæ, sed e contra. Et ideo ex variatione possibilitatis earum, vel omnimoda, vel aliquali, solum a posteriori sequitur, variandam esse omnipotentiam. Unde omnipotentia tunc a priori variatur ex objecto formali ipsius, nempe divina essentia. Quia hæc, ut est ratio non facta, nec factibilis, bene tamen faciendi creaturas, specificat omnipotentiam et nunc inspicitur ab omnipotentia, ut est ratio faciendi cumulum modo non implicantem et non alium; tunc autem inspiceretur, ut esset ratio faciendi cumulum tunc implicantem et non alterum.

7. sic- or da- o. Adde, probabile esse, tam in eo eventu, quam in alio, in quo aliquid modo implicans per impossibile non implicaret, tunc Verbum divinum processurum eodem modo, ac nunc : ac proinde omnipotentiam fore ejusdem rationis, ac modo est. Quia objectum per se materiale, juxta hunc modum dicendi, divinæ omnipotentiæ non est cumulus possibilitatis creaturarum, ut resultat ex his specie et numero creaturis possibilibus et non ex aliis, ut juxta priorem dicendi modum dici debet; sed est cumulus creaturarum possibilium, quæcumque illæ fuerint et in quocumque numero sint. Constat autem, quod divina omnipotentia non debet variari, adhuc a posteriori, ex objecto materiali, quod non sit per se tale; sed solum ex objecto materiali per se tali.

§ XI.

Objectio notanda contra ea, quæ in vera solutione hujus ultimi argumenti et ejus confirmationum diximus, necnon et enodatio illius.

8. ect o tra ma a- cta. Nec obest, si contra omnia fere, quæ in solutione hujus ultimi argumenti diximus, objicias, quod ad hoc, ut detur meritum v. g. infinitum, non requiritur, quod detur, aut sit dabile præmium infinitum, non obstante, quod prædictum præmium est id, quod per modum effectus correspondet illi merito : ut constat in merito Christi Domini infinito; cui tamen nec correspondet, nec correspondere potuit gloria infinita; licet sit meritorium illius. Et similiter satisfactio Christi habuit vim ad satisfaciendum pro infinitis peccatis infinitorum hominum, si essent possibiles : et tamen nec infinita peccata secundum numerum, nec infiniti homines sunt possibiles. Ergo eadem ratione, licet implicarent creaturæ possibiles, posset esse omnipotentia factiva illarum : et licet hæ, aut illæ creaturæ implicarent, haberet nihilominus vim ad eas producendas. Patet consequentia. Quia ad hoc tantum desideratur, quod quantum est ex se, habeat vim factivam illarum, si ipsæ non implicarent. Sicut ad meritum et satisfactionem Christi Domini, quæ sint infinita, sat est, quod opera illius sint tantæ efficacitatis et eminentiæ, ut quantum est ex se, mererentur gloriam infinitam et satisfacerent pro infinitis peccatis infinitorum hominum, si omnia ista non implicarent.

Confirmatur. Nam, ut docent nostri Complutenses in libris Physicorum disput. 29. num. 22 et 35, si Deus crearet, ut potest, Angelum ab æterno cum gratia sanctificante et cum actu charitatis, tunc Angelus ille ratione prædicti actus haberet proportionem ex se sufficientem ad merendam infinitam gloriam, si esset possibilis. Quia quo magis durat actus meritorius duratione correspondente partibus aliquotis alicujus temporis, eo habet proportionem ad merendum majorem gloriam. Et ideo cum ille actus duraret ab æterno, ac proinde per infinitum tempus imaginarium et correspondens infinitis partibus aliquotis illius, deberet ex se habere proportionem ad merendam infinitam gloriam, si esset possibilis, licet de facto talis gloria implicet, ut iidem Complutenses in libris Physicorum disput. 18 num. 67 tradunt. Ergo eadem ratione potest concedi, dari in Deo proportionem quantum est ex se sufficientem ad producendas creaturas possibiles, si possibiles essent; etiamsi illæ implicent : et per consequens dandam in eo omnipotentiam, non solum simpliciter talem, sed eo modo, ac nunc datur, etiamsi creaturæ omnes, vel aliquæ implicarent : siquidem omnipotentia in hac proportione ex se sufficienti ad eas producendas sita est.

Confirmatur. N. Compl.

Iidem Compl.

169. Enodatur objectio primo. Respondetur enim primo, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et

ratio disparitatis est. Quoniam ad hoc, ut aliquid per modum infiniti meriti causet præmium, aut sit causativum illius, non requiritur, quod præmium illud sit in *esse* rei infinitum, sed satis est, quod modus merendi illud sit talis, ut requiratur ad illum infinitas in ipso merito : ac proinde satis etiam est, quod in esse termini, et effectus causati sit infinitum : ex eo quod modus merendi infinitus in illud, quatenus habet rationem termini, et effectus, refundatur. Et hac ratione meritum Christi Domini est infinitum : quia etsi non correspondeat ei præmium infinitum in esse rei, scilicet infinita gloria, modus tamen merendi eamdem gloriam, nempe, merendi illam ex propriis et non ex gratis acceptis ab alio, nempe a præmiante, petit (quoad præsens) meritum infinitum : quia petit meritum proveniens a persona Dei : ex eo quod omne aliud meritum gloriæ debet provenire a gratia sanctificante gratis collata a præmiante cuivis alteri personæ merenti. Et similiter satisfactio Christi pro quovis peccato mortali est infinita ex modo satisfaciendi, scilicet ex perfecta justitia, etiamsi daretur, peccatum mortale non esse in ratione offensæ simpliciter, et intrinsece infinitum.

Cæterum omnipotentia nequit esse factiva creaturarum (in quo ejus ratio consistit) si semel implicent creaturæ, et ideo nec omnipotentia est talis, quia quantum est ex se, est factiva creaturarum, si non implicent : nec meritum illud Christi Domini est infinitum, quia est ex se meritum infinitæ gloriæ, si esset possibilis, sed hoc est infinitum, propter rationem dictam, et illa est omnipotentia, et factiva creaturarum, quia ex se infert earum possibilitatem, actuque continet eminenter ipsa, non vero aliunde. Potestque hoc explicari exemplo creationis, quæ est actio infinitæ virtutis, licet effectus ejus in esse rei sit finitus : quia modus producendi illum ex nihilo petit tantam, et non minorem virtutem : et propterea effectus ille in *esse* effectus et termini dicitur esse infinitus.

110. Diluitur secundo. N. Compl. Secundo respondetur cum nostris Complutensibus in libris Physicorum disputatione in hac objectione citata num. 36 et disputatione 18 num. 22 quod ad hoc, ut meritum Christi Domini sit infinitum in actu, et categorematice, adhuc respectu gloriæ, non est necessarium, esse possibilem gloriam actu, et categorematice infinitam secundum intensionem, sed satis est, quod sit possibilis gloria infinita secundum intensionem in potentia, et syncategorematice : ita ut licet intensio gloriæ, quæ de facto ceciderit sub merito quæque de facto detur, sit finita : nihilominus quavis de facto data, quæ sit finita secundum intensionem possit dari alia, et alia major usque in infinitum : et quod in merito illo non desideretur additio ad hoc, ut tota hæc gloria syncategorematice infinita possit cadere sub illo. Quia virtus, quæ immutata permanens potest esse causa intensioris, et intensioris effectus usque in infinitum, ita ut licet effectus ejus, qui actu aliquando extiterint, sint finiti secundum intensionem, nihilominus alii, et alii in potentia infiniti secundum intensionem restent ab illa producendi, debet esse actu infinita secundum intensionem : ex eo quod tota hæc intensio infinita in potentia debet ab ea actu præhaberi, alioqui non posset immutata permanens, et absque additione aliqua esse causa illorum effectuum infinitorum in potentia secundum intensionem. Et ita meritum Christi non est infinitum, quia ex se habet virtutem ad producendam gloriam infinitam in actu secundum intensionem, si esset possibilis; sed quia actus illius immutati permanentes, et absque additione novæ condignitatis habent vim ad causandam gloriam infinitam in potentia secundum intensionem, et gloria sic infinita est possibilis. Unde hinc nihil habetur contra id, quod de omnipotentia dicebamus. Quia hæc non est talis nunc, quia possit facere effectum infinitum in actu in *esse* physico; sed quia immutata permanens, potest facere infinitum in potentia, seu creaturas infinitas in potentia, et se in perfectione essentiali in infinitum excedentes.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod dictum illud nostrorum Complutensium in n. 35 ab eis adductum, innititur in his, quæ num. 36 eosdem addere diximus, nempe, sufficere ad infinitatem in actu alicujus virtutis operativæ, quod correspondeant illi effectus infiniti syncategorematice, ita ut effectus de facto producti tantum sint finiti; licet prædicta virtus possit perfectiorem, et perfectiorem effectum usque in infinitum infinitate syncategorematica producere. Hoc autem semel supposito, ac proinde actum illum charitatis Angeli ab æterno Deum diligentis fore infiniti meriti ex capite modo dicto, bene sequitur juxta modum illum probabilem, quem n. 107 adduximus, quod 111. Solvit confir matio

quod si per impossibile gloria infinita in actu nunc implicans haberet non implicare, tunc actus meritorius prædicti Angeli, qui esset infinitus in ratione meriti respectu gloriæ infinitæ in potentia ei communicabilis, haberet ex se proportionem sufficientem ad illam merendam.

Adde posse etiam dici, quod nostri Complutenses loquuntur juxta probabilem opinionem adversariorum : et statim in numero sequenti tradentes aliam solutionem, loquuntur juxta propriam mentem suam, et nostram. Et ideo potius pro nobis, quam contra nos sunt.

DUBIUM III.

Utrum Verbum divinum procedat ex cognitione creaturarum futurarum?

12. Quia futuritio creaturarum est post possibilitatem earum, idcirco discusso jam, an Verbum ex cognitione creaturarum, ut possibilium, procedat, superest statim inquirere, an etiam ex cognitione earumdem, ut futurarum, habeat procedere. Titulus autem hujus dubii intelligitur, sicut et titulus dubii præcedentis, an nimirum sicut Verbum, ut constitutum ex sua essentia, attributis, et proprietate personali, non solum procedit ex cognitione Trinitatis, sed etiam creaturarum possibilium, ac proinde horum cognitio per se requiritur, et præcedit ad productionem passivam illius sic constituti ; ita idem Verbum, quatenus procedit sic constitutum, debeat etiam ex cognitione futurorum procedere : et per consequens istorum cognitio per se requiratur, et præcedat ad eamdem productionem Verbi modo dicto sumpti?

Non fuit autem necessarium omnia hæc in titulo adjicere : sed solum absolute inquirere, an Verbum procedat et cognitione creaturarum futurarum? Quia ut absolute dicatur procedere ex prædicta cognitione, requiritur, ut modo explicato procedat ex illa : sicut quia sic procedit ex cognitione possibilium, asseritur, absolute procedere ex ipsa.

§ I.

Ex Angelico Doctore difficultas dubii expenditur.

1. Dicendum ergo est, Verbum divinum non procedere ex cognitione rerum futurarum. Assertionem hanc tuetur Angelicus Præceptor locis dubio præcedenti num. 55 relatis, ut ibidem expendimus. Idem etiam docent Patres in eodem dubio adducti, et peculiariter Anselmus in Monolog. c. 30, ubi proponens quæstionem, an esset verbum divinum, si nihil unquam per illud fieret? dicit : *Sive igitur Deus cogitetur, nulla alia existenti essentia, sive aliis existentibus, necesse est, Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Et c. 31 sub initio ait : *Si nil unquam aliud esset, nisi summus ille spiritus : ratio tamen cogit, Verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse.* In quibus verbis satis denotat Anselmus, Verbum divinum ex necessitate, et per se non postulare creaturas futuras, nec cognitionem earum ad sui productionem. Quam sententiam tuentur Cajetanus in præsenti, ubi hoc supponit tanquam exploratum, Bannez, Nazarius, et Ripa ibidem, Molina in posteriori parte suæ conclusionis, Vasquez disputat. 143 in initio illius, Suarez lib. 9 de Trinitate c. 7, Arrubal. disput. 125 c. 2, Granado tom. 3 in primam partem tract. 9 disp. 7, et omnes fere alii Theologi. Cajetan. Bannez. Nazar. Ripa. Molina. Vasquez. Suarez. Arrubal. Granado.

Ratio fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis in præcedenti dubio, quamque ibidem latius prosecuti sumus, et potest quoad præsens ad sequentem formam reduci. Quoniam Verbum divinum solum requirit ad sui processionem cognitionem perfectissimam Patris, qualis est comprehensiva, quoad id, quod ad eam per se, sive necessario necessitate absolute et simpliciter tali desideratur : sed ad hanc perfectissimam et comprehensivam cognitionem, quæ est in Patre, non desideratur per se et necessario, necessitate prædicta, cognitio creaturarum futurarum, ergo nec etiam ad processionem Verbi hæc eadem cognitio prædictarum creaturarum desiderabitur : et per consequens, Verbum ex hac cognitione non procedet. Utraque consequentia ex præmissis aperte deducitur. Major vero ex dictis dubio præcedenti constat. 114. Ratio fundamentalis.

Minor autem etiam liquet. Quoniam alias si Deus decrevisset nullam creaturam producere, in quo eventu nulla creatura esset futura, ac proinde non esset in Deo cognitio creaturarum futurarum, tunc non posset se ipsum comprehendere : quod tamen (ut constat) est aperte falsum : siquidem quod cognitio Dei sit sui comprehensiva sicut nec pendet, nec est quid connexum

cum decreto libero de productione creaturarum, sic nec cum futuritione earum inde proveniente, nec cum scientia earumdem, ut sunt futuræ, quæ illarum futuritionem indispensabiliter exigit.

115. Evasio. Ruiz de Montoya. Nec obest, si occurras ex Ruiz de Montoya in præsenti disputatione 63 sect. 4, quod etsi ad cognitionem comprehensivam Dei absolute et simpliciter non requiratur cognitio creaturarum futurarum, bene tamen ex suppositione, quod sint futuræ : et ideo ex suppositione hujus futuritionis Verbum per se procedere ex cognitione illarum.

Exploditur. Non igitur hoc obest. Quoniam etsi ad cognitionem comprehensivam Dei desideretur esse tantæ perfectionis, ut facta suppositione contingenti futuritionis creaturarum, debeat necessario necessitate ex suppositione extendi ad easdem creaturas, ne inde colligatur, non habuisse sufficientem vim, et perfectionem ad attingendum Deum, et creaturas possibiles in eo virtualiter contentas : non tamen hinc habetur, quod prædicta cognitio comprehensiva debeat necessario, necessitate simpliciter tali, terminari ad easdem creaturas : nec hinc necessario simpliciter colligitur, illam cognitionem non fore tantæ perfectionis, quantæ modo est, si non extenderetur ad prædictas creaturas futuras. Ergo adhuc facta prædicta suppositione, Verbum non procedet ex cognitione earumdem creaturarum futurarum.

116. Antecedens quoad primam partem, nempe, quod hinc non habeatur, prædictam cognitionem comprehensivam debere necessaria necessitate simpliciter terminari ad easdem creaturas, est satis perspicuum. Quoniam cognitio nequit, necessitate simpliciter tali, et omnino indefectibili, terminari ad aliquod objectum, si prædictum objectum non habeat quoad suum *esse* eamdem necessitatem. Et propterea, juxta communem Theologorum sententiam, scientia visionis Dei respectu creaturarum, ut est sub hoc conceptu, et terminatione ad illas, tantum est necessaria necessitate ex suppositione, quia prædictæ creaturæ tantum habent esse futurum necessitate ex suppositione.

117. Quoad secundum vero partem nempe, non colligi necessario necessitate simpliciter, illam cognitionem non esse tantæ perfectionis, quantæ modo est, si non extenderetur ad prædictas creaturas futuras, etiam constat. Nam cognitio omnino necessaria, et habens perfectionem itidem necessariam, non potest necessario necessitate simpliciter exigere ad sui consistentiam, et perfectionem, quod extendatur ad aliquid, quod absolute et simpliciter potest non esse : alioqui illa perfectio, quippe pendens, aut quasi pendens ab aliqua suppositione absolute et simpliciter libera, non posset esse omnino necessaria.

Consequentia vero probatur. Quoniam productio passiva omnino necessaria, et Verbi omnimodam necessitatem habentis non potest per se procedere ex cognitione non omnino necessaria, et non habente tantam necessitatem, quantam ipsa productio passiva, et verbum productum, nec potest ad sui productionem exigere cognitionem, ut terminatam ad aliquod objectum, non habentem tantam necessitatem quoad terminationem ad prædictum objectum, quanta requiritur, ut colligatur necessario necessitate simpliciter, prædictam cognitionem non esse tantæ perfectionis, ac antea, si non extenderetur ad tale objectum. Siquidem productio passiva omnino necessario procedens ex aliqua cognitione debet solum procedere, ut nuper innuebamus, ex cognitione omnino necessaria quoad omnia, quæ ad talem productionem influunt : ac proinde ex cognitione connexa necessario cum omnibus influentibus, aut requisitis ad eamdem productionem : et per consequens solum procedet ex cognitione talis conditionis, ut ex ablatione cujusvis ex requisitis aut influentibus sequatur necessario necessitate simpliciter variatio talis cognitionis quoad suum *esse* et perfectionem. Et ita Verbum divinum non procedet ex cognitione comprehensiva, secundum id quod de facto ex aliqua suppositione accidentali ei quasi conjungitur, sed ex eo, quod per se, et in omni eventu exigit ad hoc, ut sit comprehensiva.

Confirmatur. Quia repugnat, conclusionem omnino necessariam, ut talem, deduci per se ex aliquo principio non omnino necessario, sed simpliciter contingenti, et solum ex suppositione necessario : ergo eadem ratione repugnabit, productionem passivam Verbi divini, et Verbum ipsum, quæ sunt quid omnino necessarium, per se procedere ex cognitione creaturarum futurarum quæ non omnino est necessaria, quæque quoad prædictam terminationem, et ut est sub hoc conceptu, est simpliciter contingens, et solum ex suppositione est necessaria. 11[illegible] Con[illegible]ma pri[illegible]

Patet

Patet consequentia. Quia utrobique est eadem ratio, nempe, quod non potest esse major necessitas in conclusione, aut in productione passiva, et termino producto per illam, quam sit in suo principio *quo* : siquidem tota neeessitas illorum ex eo derivatur. Unde hoc ipso, quod aliqua conclusio procedat ex duplici principio, seu præmissa, quarum una sit necessaria, alia vero contingens, non potest illatio illius conclusionis, nec conclusio ipsa esse omnino necessaria : quia omnia hæc sequuntur debiliorem partem : ac proinde eadem ratione productio passiva alicujus termini, et terminus ipse procedentes ex duplici ratione, alia omnino necessaria, alia tantum necessaria ex suppositione, non possent habere omnimodam necessitatem. Quia malum ex quocumque defectu : et defectus in aliquo principio per se requisito, et cum tali defectu concurrente, debet relucere in termino producto, et productione passiva illius.

19. nfirmatur undo. Confirmatur secundo. Quoniam cum dicitur verbum procedere ex cognitione alicujus objecti, tunc particula *ex* denotat, cognitionem prædicti objecti esse principium *quo* verbi, vel originem, et viam activam, per quam procedit ; vel tandem juxta nostram sententiam disp. 1 hujus tractatus num. 73 explicatam, esse quoad præsens principium *quo*, et simul ipsam originem et viam activam verbi. Et ita formaliter indicat, principium *quo* illius generationis, et generationem ipsam intrinsece et quidditative esse cognitionem talis objecti, et hanc, connotando tamen Paternitatem, esse viam, et originem ad Verbum. Ergo contradictionem involvet, posse, et debere necessario permanere hanc eamdem originem, si semel non permaneat, aut non permanere simpliciter possit cognitio talis objecti, in qua formaliter sita est, aut quam formaliter includit. Ergo cum prædicta generatio Verbi possit, et debeat necessario permanere, consequens est, ut formaliter sumpta, non includat cognitionem rerum futurarum, adhuc facta suppositione futuritionis : ac proinde nec Verbum, adhuc ex suppositione futuritionis illarum, ex prædicta cognitione procedat : siquidem prædicta cognitio habet rationem cognitionis liberæ.

20. nfirmatur rtio. Confirmatur tertio. Quoniam divina voluntas, ex suppositione quod creaturæ sint futuræ, non immutatur, aut aliter se habet ac se haberet, ex suppositione quod non essent futuræ : alioqui prædicta voluntas variaretur per hoc, quod creaturæ essent, vel non essent futuræ : at divina voluntate in his eventibus invariata manente, debent etiam eodem modo manere intellectus Dei, et Verbum per illum productum, adhuc factis prædictis suppositionibus : quia propter naturalem sympathiam, et summam colligationem voluntatis, et intellectus Dei, nec non et Verbi per illum producti, nequit aliqua variatio intrinseca esse in aliquo istorum, quin alia intrinsece etiam varientur : ergo Verbum, adhuc facta prædicta suppositione futuritionis creaturarum, nequibit ex earum cognitione per se procedere. Patet consequentia. Quoniam si ex prædicta cognitione tunc per se procederet, non procederet, nec esse ejusdem rationis facta prædicta suppositione futuritionis creaturarum et non facta illa : siquidem peteret tunc aliquid ex parte principii sui esse, quod tamen, non facta illa suppositione, non peteret.

Præterea contra eamdem solutionem urget ratio alia, quæ ut melius intelligatur, supponendum est, quod etsi actus liberi Dei, et cognitio libera creaturarum futurarum, nec non et earum futuritio sint in eodem signo, in quo est divina essentia, cæteræque aliæ perfectiones ipsius : nihilominus Verbum, et illius productio habent intimiorem conjunctionem cum divina essentia, quam prædicta decreta, et futuritio creaturarum, nec non et cognitio earum. Sicut licet intellectus, et voluntas Dei sint in eodem signo rationis *in quo* : attamen intellectus est intimius conjunctus cum Deo quam voluntas. Et propterea voluntas intelligitur virtualiter dimanare a Deo ratione intellectus, non tamen e contra. Animadversio pro majori solutionis eversione.

Hinc ergo sequens ratio deducitur. Nam id, quod intimius et immediatius conjungitur cum Deo, non oritur ab illo ratione ejus, quod non ita intime, et immediate cum eo est conjunctum ; quamvis fiat suppositio existentiæ illius, et utrumque sit in eodem signo *in quo*, ut ex terminis ipsis constare videtur, nec non ex exemplo intellectus, et voluntatis nuper adducto. Ergo licet decreta libera Dei, et futuritio creaturarum, nec non et cognitio Dei respectu horum sint in eodem signo *in quo* rationis una cum Verbo divino, et productione passiva illius : nihilominus, adhuc facta prædicta suppositione horum omnium, Verbum non procedet ex cognitione illorum. Patet consequentia. Quoniam intimius con- 121. Ex hac animadversione amplius impugnatur.

jungitur cum Deo id, quod necessario convenit illi quam id, quod contingenter, et libere cum ipso nectitur, qualia sunt decreta libera, nec non et cognitio creaturarum futurarum. Quam rationem in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 num. 84 tetigimus et explicuimus.

Nec id, quod pro sua solutione adducit Montoya, ei favet. Quoniam, ut ex dictis patet, Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Dei secundum id, quod omnino necessario, et in omni eventu illi competit, non vero secundum id, quod non competit illi cum hac necessitate, et sine quo absolute et simpliciter ejus ratio salvari queit. Quare, cum hoc, quod est, comprehensivam cognitionem Dei extendi ad creaturas futuras ex suppositione illarum, non conveniat illi secundum omnimodam necessitatem, sed ex suppositione futuritionis earum, et cognitio illa comprehensiva maneret eodem modo, etiamsi non daretur talis suppositio : idcirco Verbum, quod est omnimode necessarium, nequit procedere ex cognitione comprehensiva, ut terminatur ad res futuras facta prædicta suppositione.

122. NOTA. Ex quibus omnibus fit, Verbum divinum non procedere per se ex scientia media futurorum conditionatorum; ut communiter contra Valentiam et alios docent discipuli D. Thomæ. Hoc autem non solum est verum, quia prædicta scientia media nulla ratione est in divinis admittenda, ut in 1 tomo tractatu 3 a disputatione 7 usque ad disputationem 12 inclusive latissime ostendimus, sed etiam, quia adhuc prædicta scientia gratis permissa, non posset stare omnimoda necessitas in essendo Verbi divini, et productionis ejus, si ex prædicta scientia procederet. Nam talis scientia ut terminata ad futura conditionata, v. g. ad hoc futurum, *si Judas in tali occasione, et cum talibus circumstantiis vocaretur a Deo, consensisset vocationi, et salvaretur*, potuit absolute non esse in Deo : siquidem adhuc dato, quod per hanc scientiam prævideretur, illum consensurum, nihilominus ille consensus prævidetur ut liber, atque adeo ut potens non esse : et per consequens scientia, qua prævidetur ut futurus potuit, quatenus ad illum terminatur, non esse in Deo. Et ideo sicut necessitas omnimoda Verbi divini nequit stare cum hoc, quod est, procedere ex scientia visionis futurorum absolutorum : quia hæc potuit, ut terminatur ad ista futura, non esse in Deo, ac proinde comprehensio divinæ essentiæ potuit manere eodem modo, etiamsi prædicta futura non essent : sic ob eamdem rationem necessitas ejusdem Verbi nequit stare cum hoc, quod est, illud ex prædicta scientia media futurorum conditionatorum procedere.

§ II.

Opposita sententia, ejus fundamenta, et illorum solutio.

Oppositam tamen sententiam, nempe, 12
Verbum per se procedere ex cognitione creaturarum futurarum, saltem ex suppositione futuritionis earum, docuit Valentia 1 part. disput. 2 quæst. 7 puncto 2, quem sequitur Montoya disput. 63 sectione 4. Et licet ejus fundamenta ex dictis facile corruant : nihilominus majoris claritatis gratia sigillatim in præsenti ea adducemus et solvemus.

Probatur ergo primo prædicta sententia ex Augustino 15 de Trinitate cap. 13 et 14 ubi inquit, quod Pater æternus Verbum non integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, vel amplius esset in Verbo, quam in se ipso. Quare, cum in scientia Patris contineatur visio, et repræsentatio creaturarum futurarum hoc ipso, quod supponantur futuræ, oportet, ut hæc eadem contineatur in Verbo ad hoc, ut integre, perfecteque dicatur : et ita etiam oportebit, Verbum procedere ex prædicta visione, et repræsentatione hoc ipso quod creaturæ supponantur futuræ : siquidem procedit ex cognitione eorum, quorum cognitio debet ei communicari, ad hoc ut integre, perfecteque dicatur.

Confirmatur. Nam lib. 83 quæstionum quæst. 63 inquit idem Augustinus, Verbum dicere respectum ad creaturas, ut faciendas : ideoque Joannis 1 Filium Dei appellari Verbum, et non rationem : quia verbum dicit respectum ad res faciendas. Constat autem, Verbum per se procedere ex cognitione eorum, ad quæ dicit respectum.

Confirmatur secundo. Quoniam Verbum ex vi suæ processionis repræsentat creaturas futuras, et est id, in quo prædictæ creaturæ dicuntur : ergo per se procedit ex earum cognitione. Antecedens constat. Quia Verbum de facto habet repræsentare prædictas creaturas, et esse id, in quo dicuntur : at Verbum nihil habet nisi id, quod habet

habet per suam processionem, et ex vi illius : sicut in humanis filius nihil habet in instanti generationis, nisi id, quod habet per prædictam generationem. Consequentia vero probatur. Quoniam Verbum non repræsentat ex vi processionis, nisi illa, quorum cognitio desideratur ad suam productionem. Unde, quia ex vi processionis repræsentat possibilia, ideo per se ad sui productionem requirit eorum cognitionem.

21. curritur argumentum t ad iorem onfirmat. Respondetur ad hoc argumentum, et ad primam ejus confirmationem, concedendo, quod sicut in scientia Patris continetur visio creaturarum futurarum ita etiam in Verbo : et similiter quod Verbum dicat respectum rationis ad creaturas futuras. Attamen hinc non fit, Verbum procedere ex cognitione futurorum. Quia verbum non procedit per se, adhuc facta quavis suppositione, nisi ex cognitione illorum, quorum cognitio est omnino necessaria in Patre, et non solum ex necessitate suppositionis : sicut etiam solum procedit ex cognitione eorum, ad quæ necessario necessitate omnimoda, et non ex sola suppositione fundat respectum rationis, ut § præcedenti ostensum est.

25. Ad dum. Ad secundam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod etsi Verbum omnia, quæ habet, habeat per suam processionem, non tamen ex vi illius : sicut licet Spiritus Sanctus habeat omnia sua a Patre et Filio, atque adeo per suam processionem : non tamen ex vi processionis. Quia ad hoc, ut Verbum et Spiritus Sanctus habeant aliquid ex vi suæ processionis, desideratur, ut habeant illud ex vi eorum, quæ sunt propria lineæ illius processionis, et semper ac indefectibiliter illi competunt. At Spiritus Sanctus non est Deus ex vi eorum, quæ petit linea voluntatis, per quam procedit, sed quia talis processio identificatur cum natura divina : et per consequens secundum id, quod habet identice. Et Verbum ex vi eorum, quæ ipsi communicantur per suam processionem secundum propria, et omnino intrinseca suæ lineæ, non habet indispensabiliter repræsentare futura, sed ad hoc requiritur, quod fiat suppositio futuritionis, et decreti liberi accidentaliter (ut sic dicamus) advenientis. Et ita, sicut hæc potuerunt (modo alibi dicto) non esse : sic et repræsentatio Verbi, prout terminata ad futura.

Cæterum ad hoc, ut alicui personæ divinæ communicetur aliquid per suam processionem, satis est, quod communicetur per illam ; sive hoc fiat per ea, quæ processio prædicta habet identice, sive ut modificata quovis alio adjuncto non per se requisito ad talem processionem, aut præsupponendo illud : et sive id fiat per prædictam processionem secundum id, quod petit ad producendam personam, ut constitutam in sua ratione formali, et proprietate personali, aut secundum quod præsupponit prædictam personam jam productam quoad suam rationem formalem, et proprietatem personalem, et communicat illi aliquid per accidens, (ut sic dicamus) adveniens, idest, aliquid libere ei conveniens, ut in præsenti contingit. Unde Verbum nequibit ex cognitione futurorum per se, seu eo modo, quem in explicatione tituli explicuimus, procedere. Quia solum sic procedit ex cognitione eorum, quorum repræsentatio ex vi suæ processionis ei competit.

Secundo probatur eadem sententia. Quia cognitio creaturarum possibilium per se requiritur ad productionem Verbi : ergo etiam creaturarum existentium, ex suppositione quod sint futuræ. Antecedens patet ex dictis dubio præcedenti. Consequentia vero probatur. Tum, quia non minus perfecta, et efficax est dictio creaturarum existentium, quam possibilium : ergo non minus producetur per illam Verbum divinum. Tum etiam, quia cognitio illa creaturarum possibilium idcirco per se requiritur ad productionem Verbi divini, quia essentia divina, quæ præsupponitur per modum principii *quo*, habetque rationem speciei intelligibilis est in eo signo *in quo* repræsentativa prædictarum creaturarum possibilium, et in eodem signo *in quo* ipsæ præsupponuntur cognoscibiles : at eadem essentia eodem modo habet ratione suæ infinitatis vim sufficientem ad repræsentandas creaturas futuras, et ipsæ in eo signo, in quo sunt cognoscibiles, quatenus possibiles, habent etiam esse cognoscibiles, ut futuræ : siquidem decretum, per quod sunt futuræ, mensuratur æternitate : et ita est in omni signo, in quo datur possibilitas earum. 126. Secundum fundamentum.

Confirmatur. Quoniam juxta ea, quæ in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 num. 84 et deinceps diximus, Verbo divino communicatur a Patre cognitio futurorum, et non censetur finita, seu completa omnino ejus generatio, usque dum prædicta cognitio ei communicetur, nec non et decretum de eorum futuritione : ergo Verbum per se Confirmatur.

procedet ex cognitione, qua Pater cognoscit prædicta futura. Patet consequentia. Quoniam per se procedit ex cognitione eorum quorum cognitio ei communicatur, ita ut non sit finita, seu completa illius generatio, nisi talis cognitio ei communicetur.

127. Satisfit argumento. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad primam probationem dicendum est, quod dictio creaturarum existentium quoad id, quod perfectionis importat, est infinite efficax, estque productio Verbi divini. Cæterum, per hoc perfectionis, quod affert, est productio illius quoad id, quod Verbum necessario habet : sicut et ipsa perfectio dictionis est omnino necessaria. Unde secundum id, quod addit supra se ipsam, ut sic producentem Verbum, nihil addit perfectionis, sed tantum terminationem liberam ad creaturas futuras : et secundum hanc supponit jam Verbum productum, et Pater per eam solum communicat Verbo aliquid (ut sic dicamus) quasi accidentale et non addens novam perfectionem, scilicet, quod ejus repræsentatio terminetur absque additione alicujus realitatis, aut formalitatis ad creaturas futuras : ut ita sit proportio inter cognitionem hanc sic sumptam, et id, quod in Verbo ei correspondet. Ac proinde quemadmodum ipsa cognitio est libera, et supponit omnia necessaria Dei : ita per eam non communicetur Verbo aliquid omnino necessarium : et per consequens nec ejus natura, aut proprietas personalis; sed hæc præsupponuntur producta ante prædictam cognitionem, ut extensam ad futura : et solum per eam communicetur terminatio libera, idest, dependens a libero Dei decreto, seu quod ejus repræsentatio ita terminetur ad futura, ut potuerit ad ea non terminari.

128. Solvitur in forma. Unde ad formam hujus probationis distinguatur antecedens. Et si intelligatur de efficacia illius dictionis quoad communicandum Verbo aliquid libere ei conveniens, et supponens ipsum jam productum, et constitutum in sua natura, et proprietate personali, concedi poterit. Quia sicut dictio Deitatis personarum, et creaturarum possibilium est infinite efficax ad producendum Verbum tribuens illi, quod sit constitutum in sua essentia, et proprietate personali : ita dictio Paterna futurorum, secundum omnia, quæ affert, sumpta, est efficax ad communicandum Verbo jam producto, et constituto quoad prædicta, aliquid per accidens (ut sic dicamus) ei conveniens, et quod potuit non esse in illo, nempe, quod ejus repræsentatio infinita extendatur ad repræsentanda futura. Si vero intelligatur idem antecedens de efficacitate ad producendum Verbum, et communicandum illi, quod sit constitutum in sua essentia, et proprietate personali, negari debet, propter sæpius dicta.

Ad secundam vero probationem ejusdem antecedentis dicendum est, ex ea solum sequi, quod productio Verbi divini solum concomitanter sit ex cognitione creaturarum futurarum. Quia quod in eodem signo *in quo*, adhuc rationis sit cognitio futurorum una cum productione Verbi, quatenus terminatur ad producendum illud, ut constitutum ex sua essentia, attributis, et proprietate personali, solum probat, quod processionem Verbi modo dicto sumptam concomitetur illa cognitio : cum tamen ad hoc, quod per se esset ex illa, desideratur, ut essentia divina, quatenus gerit rationem speciei intelligibilis, necessario omnino repræsentaret prædicta futura, et ipsa etiam futura omnino necessario essent futura, et non solum ex suppositione divini decreti : ac tandem quod divina cognitio secundum omnimodam necessitatem, et non solum secundum necessitatem ex suppositione jam dicta, ad illam terminaretur. Sicut quia creaturæ possibiles, ut tales habent hæc, quæ eisdem, ut futuris, deesse dicimus : idcirco Verbum per se ex earum cognitione procedit.

Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo Verbo non communicetur cognitio futurorum a Patre ex vi processionis : ac proinde nec secundum id, quod habet illa processio indispensabiliter, seu secundum quod terminatur ad producendum illud, ut constitutum ex sua essentia, attributis, et proprietate personali, secundum quam rationem hic de processione Verbi loquimur, ut in explicatione tituli hujus dubii dicebamus. Sed solum communicatur ei per eamdem processionem secundum id, quod ei competit, quasi per accidens (ut sic dicamus) et ex suppositione divini decreti habiti a Patre de futuritione creaturarum post productionem Verbi, ut constituti ex omnibus prædictis per se ei convenientibus. Unde, licet productio Verbi non censeatur (ut sic dicamus) finita seu expleta, usquedum hæc cognitio futurorum ei competat, si loquamur de illa productione, tam secundum ea, quæ per se, quam secundum illa, quæ (ut sic loquimur) per accidens ei competunt 129. A confirmatione.

petunt in quo sensu de illa loco citato in hac confirmatione locuti sumus : censetur tamen finita quod ea, quæ illi conveniunt per se, et ut producit Verbum constitutum ex sua essentia, attributis, et proprietate personali : et propterea Verbum, quatenus sic constitutum, non procedit ex cognitione creaturarum futurarum, licet procedat secundum hanc rationem ex cognitione earumdem, ut possibilium, sed ad summum post productionem sui, ut sic constituti, procedit ex prædicta cognitione quoad id quod eidem Verbo per accidens (ut sic dicamus) competit, scilicet, quoad illa terminationem suæ scientiæ, et repræsentationis ad easdem creaturas ut futuras.

30. Objectio. Nec obest, si objicias, quod illa terminatio ad futura nihil addit supra cognitionem Dei, ut terminatam ad creaturas possibiles, quatenus tales : siquidem quidquid est in Deo, est omnino necessarium et indefectibile : ex eo quod quidquid est in eo, est Deus. Ergo nequit intelligi, quod Deus Pater prius habeat cognitionem terminatam ad creaturas possibiles, quam producat Verbum constitutum ex omnibus, quæ per se ei competunt, et postea habeat decretum de futuritione creaturarum, et cognoscat illas, ut futuras, hancque cognitionem tribuat, et communicet Filio. Nam ad hoc videbatur desiderari, quod illa cognitio futurorum aliquid adderet supra cognitionem possibilium : ut ita in uno signo esset id, quod est proprium talis cognitionis, ut terminatæ ad possibilia et in alio id, quod est proprium ipsius, ut extensæ ad futura : alioqui non esset cur in omni signo, in quo est cognitio possibilium, non sit cognitio futurorum; aut cur quod procedit ex illa, non procedat ex ista, quæ est omnino eadem cum illa.

31. Respondetur enim, quod sicut amor necessarius, quo Deus se diligit, et liber, quo amat creaturas, habent inter se hunc ordinem : siquidem Deus ex amore necessario sui diligit libere creaturas, ut in 2 tomo tractatu 4 disputatione 3 num. 26 et deinceps, et disputatione 7 num. 61 et sequentibus explicuimus : et propterea prius est prioritate *a quo* productio Spiritus Sancti procedentis ex amore illo, prout terminato ad Deum quam sit amor creaturarum : et nihilominus amor necessarius Dei, et amor liber creaturarum sunt omnino idem absque distinctione virtuali, et iste nihil addit reale in Deo supra illum. Ita in præsenti de cognitione omnino necessaria, et libera, seu supponente liberum decretum philosophandum est. Et propterea, non solum in Patre ante hanc cognitionem futurorum præcedit prioritate, et præcedentia *a quo* cognitio necessaria sui, et aliarum personarum, nec non et creaturarum possibilium, et consequenter ipsa productio necessaria Verbi; sed etiam in Patre, et Filio, in illo quidem ut in persona improducta, in isto vero ut in persona jam quoad ea, quæ per se ei competunt, producta, supponitur amor, quo se diligunt, et productio Spiritus Sancti ad amorem creaturarum futurarum, et cognitionem earum. Quia amor ille est prior amore libero creaturarum : et amor liber præcedit etiam futuritionem creaturarum, siquidem est causa futuritionis earum : ac proinde nequit esse cognitio futurorum supponens hunc liberum amorem, usquedum sint omnia prædicta. Quomodo autem hæc inter se cohærere possint, non obstante, quod nec decretum liberum addat aliquid existens in Deo supra actum necessarium, quo Deus suam bonitatem necessario diligit, nec cognitio futurorum supra cognitionem Dei, et possibilium, satis fuse in 1 tomo tractatu 4 disput. 7 a num. 45 usque ad num. 72 ex mente D. Thomæ explicuimus.

QUÆSTIO XXXV

De Imagine.

PROOEMIUM

Deinde quæritur de Imagine.

ARTICULUS I.

Utrum imago in divinis dicatur personaliter.

Infra q. 93 art. 5 ad 4 et 1 dist. 18 q. 2 art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod imago non dicatur personaliter in divinis. Dicit enim Augustinus in lib. * de fide ad Petrum. Una est sanctæ Trinitatis divinitas, et imago, ad quam factus est homo. Igitur imago dicitur essentialiter et non personaliter.

* Cap. 1 a medio tom. 3.

2. Præterea, Hilarius dicit in * lib. de Synod. quod imago est ejus rei, ad quam imaginatur, species indifferens. Sed species, sive forma in divinis dicitur essentialiter : ergo et imago.

* Non multum remote a princ. lib. est pagina 6 a principio.

3. Præterea, imago ab imitando dicitur, in quo importatur prius, et posterius. Sed in divinis personis nihil est prius, et posterius. Ergo imago non potest esse nomen personale in divinis.

Sed contra est, quod dicit Augustinus * : Quid est absurdius, quam imaginem ad se dici? Ergo imago in divinis relative dicitur. Et sic est nomen personale.

* Lib. 7 de Trinit. c. 1 a medio tomo 3.

Respondeo dicendum, quod de ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis; sed similitudo, quæ est in specie rei, vel saltem aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim, quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversæ figuræ, non autem diversi colores. Unde si de pingatur color alicujus rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit, vel figuræ; sed requiritur ad rationem imaginis origo : quia, ut Augustinus dicit in * lib. 83 quæstionum, unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ad hoc ergo, quod vere aliquid sit imago, requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei. Ea vero, quæ processionem, sive originem important in divinis, sunt personalia. Unde hoc nomen imago est nomen personale.

* Q. 73 et 74 tom. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod imago proprie dicitur, quod procedit ad similitudinem alterius. Illud autem, ad cujus similitudinem aliquid procedit, proprie dicitur exemplar, improprie vero imago. Sic tamen * Augustinus utitur nomine imaginis, cum dicit, divinitatem sanctæ Trinitatis esse imaginem, ad quam factus est homo.

Loco in argum. citato.

Ad secundum dicendum, quod species (prout ponitur ab Hilario * in diffinitione imaginis) importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo imago dicitur esse species alicujus, sicuti, quod assimilatur alicui, dicitur forma ejus, in quantum habet formam illi similem.

Loco similiter in argum. citato.

Ad tertium dicendum, quod imitatio in divinis personis non significat posteritatem, sed solam assimilationem.

Conclusio est affirmativa.

1 dist. 18 q. 1 art. 3 et dist. 31 q. 3 art. 1 cor. et Heb. 1 l. 2.

ARTICULUS II.

Utrum nomen imaginis sit proprium Filii.

Ad secundum sic proceditur : Videtur, quod nomen imaginis non sit proprium Filii. Quia, ut dicit * Damascenus, Spiritus Sanctus est imago Filii. Non est ergo proprium Filii.

* Lib. 1 orth. Fid. c. 18.

2. Præterea, de ratione imaginis est similitudo cum expressione (ut Augustinus dicit in * lib. 83 quæstionum). Sed hoc convenit Spiritui Sancto : procedit enim ab alio secundum modum similitudinis. Ergo Spiritus Sanctus est imago. Et ita non est proprium Filii, quod sit imago.

* Lib. 83 q. 73 in Fi... et 74 prin... tom.

3. Præterea, homo etiam dicitur imago Dei, secundum illud primæ ad Corinth. 2 : Vir non debet velare caput suum : quoniam imago, et gloria Dei est; ergo non est proprium Filio.

Sed contra est, quod Augustinus dicit * 7 de Trinitate, quod solus Filius est imago Patris.

* Lib... et 7 Trin... c. ... tom.

Respondeo dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt, Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et Filii, sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in Canonica Scriptura nisi de Filio. Dicitur enim Colos. 1 : Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ. Et ad Hebræos 1 : Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. Hujus autem rationem assignant quidam ex hoc, quod Filius convenit cum Patre, non solum in natura, sed etiam in notione principii : Spiritus autem Sanctus non convenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere. Quia sicut secundum relationes non attenditur in divinis, neque æqualitas, neque inæqualitas (ut Augustinus * dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis. Unde alii dicunt, quod Spiritus Sanctus non potest dici imago filii, quia imaginis non est imago. Neque etiam imago Patris : quia etiam imago refertur immediate ad id, cujus est imago : Spiritus Sanctus autem refertur ad Patrem per Filium. Neque etiam est imago Patris et Filii : qui sic esset una imago duorum : quod videtur impossibile. Unde relinquitur, quod Spiritus Sanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est. Quia Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, ut infra * dicetur. Unde nihil prohibet sic Patris et Filii (in quantum sunt unum) esse unam imaginem : cum etiam homo totius Trinitatis sit una imago.

* Lib... de T... c. 4 fin. lib. ... 6 a ... tom

* Q... art.

Et ideo aliter dicendum est, quod sicut Spiritus Sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus : ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago. Quia Filius procedit ut verbum, de cujus ratione est similitudo speciei ad id, a quo procedit : non autem de ratione amoris; quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus Sanctus, in quantum est amor divinus.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus, et alii Doctores Græcorum communiter utuntur nomine imaginis pro perfecta similitudine.

Ad secundum dicendum, quod licet Spiritus Sanctus sit similis Patri et Filio : non tamen sequitur, quod sit imago, ratione * jam dicta.

In c... ar...

Ad tertium dicendum, quod imago alicujus dupliciter in aliquo invenitur. Uno modo, in re ejusdem naturæ secundum speciem, ut imago Regis invenitur in filio suo. Alio modo, in re alterius naturæ, sicut imago Regis invenitur in denario. Primo autem modo Filius est imago Patris. Secundo autem modo dicitur homo imago Dei. Et ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem : per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed de Filio Dei non potest dici, quod sit ad imaginem : quia est perfecta Patris imago.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO

DISPUTATIO XIII.

De imagine in divinis reperta.

Inter illa, quæ sunt propria Filii, ratio imaginis connumeratur. Et ideo postquam de eo, ut explicatur nomine Filii, et Verbi, in præcedentibus egimus, restat, ut de ratione imaginis ei convenientis, antequam accedamus ad ea, quæ sunt propria Spiritus Sancti, disputationem texamus.

DUBIUM I.

Utrum ratio imaginis proprie et formaliter in divinis reperiatur? et an essentialiter, an vero solum personaliter sic sumpta dicatur?

Merito utrumque in titulo conjungimus: quia, ut ex dicendis in hoc dubio patebit, unum sine alio exacte explicari nequit.

§ I.

Vera D. Thomæ, et aliorum Patrum sententia.

Dicendum ergo est, in divinis proprie et formaliter reperiri rationem imaginis : et hanc sic sumptam dici ibidem personaliter. Assertio hæc quoad primam partem habetur ex illo ad Coloss. 1 ubi de Filio dicitur : *Qui est imago Dei invisibilis*. Et ad Hebræos 1 et secundæ Corinth. 4. Quæ loca proprie et formaliter sunt intelligenda : siquidem ex eo, quod sic intelligantur nullum sequitur absurdum, ut ex statim dicendis patebit. Unde hoc ipsum tuentur sancti Patres, ut Athanasius libro 2 contra Arrianos, ubi Verbum divinum appellat *splendorem*, *characterem* et *imaginem patris*, Hilarius libro 2 de Trinitate non longe ab initio vocans Filium *imaginem invisibilis Dei*. Quo etiam loquendi modo utuntur Cyrillus N. Alexandrinus lib. 1 Thesauri cap. 1, Augustinus 7 de Trinitate capit. 1, Nazianzenus Oratione 3 de Theologia et Oratione in Christi Nativitate, Damascenus lib. 1 fidei capit. 9, Anselmus in Monologio c. 37, D. Thomas in præsenti et ad Hebræos 1 lectione 2 in fine, nec non in 1 dist. 28 q. 2 art. 3 et ad Annibaldum in eadem dist. et q. art. 1 et communiter Theologi contra Durandum. Sicut etiam quoad secundam partem tuentur eandem assertionem omnes Scholastici communiter, et etiam ipse Durandus.

3. Animadversio. Ut autem rationem fundamentalem ex Angelico Doctore, nec non ex Augustino libro 83 quæstionum q. 74 libro 5 super Deuteronomium q. 4 et lib. imperfecto de Genesi ad litteram capit. 16 tradamus, notandum est ex eodem Augustino, et ex Angelico Doctore in hoc articulo, et infra q. 9 3art. 1 et 2, tres conditiones desiderari ad rationem imaginis proprie et formaliter sumptam. **Prima conditio ad rationem imaginis.** Prima est, quod sit similitudo ejus, cujus dicitur imago. Quam conditionem deduxit Angelicus Præceptor ex ipsa imaginis etymologia. Dicitur enim imago, quæ agitur ad imitationem alterius, seu (ut loquitur in 1 dist. 58 q. 2 art. 1) *Dicitur imago quasi imitago*. Constat autem, quod id, quod agitur ad imitationem alterius debet esse simile illi : alioqui ad imitationem illius non ageretur.

Secunda. Secunda conditio est, quod hæc similitudo non sit qualiscunque, seu in quacumque re, sed in ipsa specie et natura rei, vel in signo speciei, quale est in rebus corporeis figura. Cujus conditionis rationem tradit D. Thomas locis citatis. Ex eo quod similitudo in gradu præcise generico, aut in aliquo accidenti communi, non est satis ad rationem imaginis : et propterea vermiculi producti ab homine non sunt imago illius; licet conveniant cum illo, et sint similes ipsi in gradu generico animalis. Et eadem ratione, quamvis ad imitationem alicujus hominis albi producatur in pariete aliquod album, non idcirco erit imago prædicti hominis : quia hoc quod est esse album comparatur cum illo per modum accidentis communis.

Tertia. Tertia conditio est, quo hæc similitudo in specie, vel signo speciei ducat ortum et originem ab eo, cujus est imago, tanquam a principio ejusdem similitudinis, et imaginis. Quam conditionem probat Angelicus Doctor, esse omnino necessariam ad rationem imaginis proprie et formaliter sumptam, tum authoritate Augustini locis nuper relatis. Tum etiam, quia propter defectum hujus conditionis unum ovum (ut docet idem Augustinus) quantumcumque sit simile alteri, non dicitur proprie et formaliter esse imaginem alterius : ex eo quod unum secundum hanc rationem similitudinis non est productum ab alio. Unde ex omnibus his conditionibus desumitur integra diffinitio imaginis proprie

et formaliter acceptæ quam Augustinus locis citatis tradit, nempe, quod imago *est similitudo in specie, vel in signo speciei, producta ab alio, cujus est similitudo.*

4. Quam diffinitionem, et ejus sufficientiam possumus explicare, discurrendo per omnium imaginum genera apud nos reperta, quæ ad tria reducuntur, nempe, ad genus imaginum artificialium, intentionalium, et naturalium. Et ita videmus, quod si pictor v. g. depingat tabella figuram Petri ad ipsius imitationem, tunc eo ipso illa figura est imago artificialis Petri : quia est ei similis in delineamentis, seu in figura externa , quæ est maxime proprium signum Petri : et quia ipse Petrus tanquam exemplar est causa prædictæ figuræ quoad similitudinem, quam habet cum illo. Et similiter hoc ipso, quod producatur per intellectum verbum repræsentativum hominis, tunc tale verbum dicitur esse imago intentionalis illius : quia est illi simile in natura ; licet ex parte modi habendi illam sit dissimile, ut constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disp. 2 num. 133 et tractatu 3 disput. 2 num. 14 diximus : et quia quoad hanc similitudinem producitur ab specie intelligibili hominis, ut gerentis vicem ejusdem hominis. Et tandem hoc ipso quod in humanis producatur filius, habet rationem imaginis naturalis respectu patris : eo quod est similis illi in natura : hæc similitudo in ea communicatur ei a suo patre.

5. Ex dictis expenditur ratio Aug. et D.Thom. Hinc ergo sequens ratio Augustini, et divi Thomæ quoad utramque partem assertionis deducitur. Quoniam omnes istæ conditiones requisitæ ad rationem imaginis proprie et formaliter acceptæ et in illius diffinitione contentæ reperiuntur formaliter in divinis : et non conveniunt essentiæ ; bene tamen alicui ex personis divinis : ergo ratio imaginis proprie et formaliter sumtæ reperitur formaliter in divinis : ibique, non essentialiter, sed personaliter dicetur. Major est perspicua. Quia Verbum in divinis est simile Patri in sua natura : et hanc similitudinem habet ex vi processionis per quam procedit ab eodem Patre.

Ex quo etiam minor quoad secundam partem satis liquet. Et quoad primam, nempe, omnes has conditiones non convenire essentiæ divinæ præcise sumptæ, etiam liquet. Quia ea, quæ important ordinem originis unius ab alio, non competunt divinæ essentiæ præcise sumptæ : ex eo quod ipsa, et quidquid essentiale est in divinis, non habet produci et procedere ab alio, sed solum id competit personis : ne sicut ob hanc processionem, et productionem una persona distinguitur realiter ab alia, ita ob eamdem rationem reperiatur distincta essentia in una, et alia ex personis divinis. Ex quibus etiam consequentia primi syllogismi ita perspicue deducitur, ut probatione non indigeat.

Confirmatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore. Quoniam imago duplicem relationem secum affert. Aliam quidem producti ad producentem : aliam vero similitudinis ad prototypum in eo, in quo conveniunt : scilicet in natura, saltem specifica, vel signo illius. Ex quibus illa prior debet esse realis, hæc vero posterior rationis quoties ratio fundandi illam est omnino eadem in imagine, et in eo, cujus est imago : secus vero, quando talis ratio est realiter distincta. Et propterea relatio similitudinis, seu convenientiæ in natura, quam habent Pater et Filius in humanis, est realis : quia ratio fundandi illam convenientiam est humanitas, quæ est realiter numerice distincta in utroque extremo. E contra vero relatio similitudinis, quam dicit verbum mentis, ut verbum v. g. Petri, ad eumdem Petrum repræsentatum per illud, est (ut multi satis probabiliter volunt) relatio rationis : quia eadem numero natura, sub diverso tamen modo essendi, est in utroque. At utraque ex his relationibus invenitur in divinis : et utraque nequit convenire divinæ essentiæ, aut attributis essentialibus : quia (ut jam diximus) ea, quæ originem important, sunt personalia : ergo ratio imaginis, quæ solummodo affert has duas relationes, invenietur formaliter in divinis, ibique, non essentialiter, sed personaliter dicetur. 6. Confi[rmatu]r ... Ang[elici] Doct[oris]

§ II.

Objectiones contra dicta, et earum solutio.

Sed objicies primo cum Durando in 1 dist. 28 q. 3 n. 5 falsum esse, rationem imaginis proprie et formaliter sumptæ reperiri in divinis. Quia una persona divina non est proprie similis alteri, nec secundum relationem originis, ut ex se constat, nec secundum essentiam. Tum, quia secundum hanc habent unitatem, seu identitatem omnimodam, non vero distinctionem : cum tamen ad similitudinem requiratur distinctio : 7. Pr[ima] obje[ctio] Dur[andi]

distinctio : ergo, etc. Tum etiam, quia similitudo ista, si quæ esset, dicit tantum relationem rationis : et ita hinc solum haberetur, esse in Deo imaginem, quæ solum secundum rationem nostram, non vero realiter esset imago.

Confirm. Confirmabis. Quoniam, vel ratio imaginis includit in suo conceptu formalem similitudinem, quæ est relatio æquiparantiæ; vel tantum fundamentalem, quæ est unitas naturæ? Si primam, tunc imago formaliter non erit relatio disquiparantiæ : et consequenter denominabit utrumque extremum, non diverso, sed eodem modo convenietque pluribus personis divinis. Sicut quia in humanis relatio similitudinis non est disquiparantiæ, sed æquiparantiæ, idcirco denominat utrumque extremum, non diverso, sed eodem modo, competitque pluribus, nempe utrique extremo. Hoc autem admitti nequit in divinis, ubi, ut dubio sequenti dicemus, soli Verbo convenit ratio imaginis proprie et formaliter sumptæ. Si autem secundum asseratur, tunc ratio imaginis erit quid absolutum et essentiale ; siquidem unitas in natura divina est prædicatum absolutum et essentiale, sicut et ipsa natura : ac proinde non erit nomen personale. Cujus oppositum ex D. Thoma in assertione diximus.

8. Occurritur objectioni. Respondetur negando antecedens quoad secundam illius partem. Et ad primam probationem dicendum est, ad similitudinem requiri, et sufficere unitatem cum distinctione : ita quidem, ut similia habeant in aliquo esse idem, et in aliquo distincta, ut in divinis personis cernitur, quæ in natura sunt idem, et in personis distinctæ.

Ad secundam vero probationem dicendum est, non sumi in præsenti similitudinem pro relatione similitudinis formalissime sumpta, quæ est inter divinas personas, quæ quidem est relatio rationis, ex eo quod ratio fundandi illam, scilicet natura divina, est eadem, adhuc numerice, in omnibus personis divinis, nec secundum se, nec secundum aliquem modum proprium suæ lineæ, sed solum ratione personarum, et quoad eas distinguitur : sed accipi pro similitudine fundamentali, quæ in divinis est quid reale, dicens in recto identitatem jam dictam in natura, et distinctionem in personis in obliquo.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, quod etsi imago in divinis includat in suo conceptu similitudinem hanc fundamentalem : attamen formalior ejus conceptus non est prædicta similitudo, sed ordo originis ad suum principium, ut ex alibi dictis, et statim dicendis magis patebit. Et ideo non est quid absolutum secundum id, quod formalissime dicit, sed quid relativum.

Secundo objicies, falsum esse rationem imaginis dici personaliter, et non essentialiter. Nam teste Cyrillo 5 de Trinitate circa principium, exemplar, et imago in divinis sunt idem : sed esse exemplar creaturarum dicitur essentialiter in Deo : ergo et esse imaginem. 9. Secunda objectio. N. Cyrill.

Confirmabis. Quia esse imaginem in creatis v. g. in artificialibus, non est quid relativum sed absolutum : siquidem imago ista ponitur in prædicamento qualitatis : ergo neque etiam in divinis : et per consequens neque imago ibidem dicetur personaliter. Patet utraque consequentia. Nam ea, quæ sunt in divinis, debemus intelligere ad instar eorum, quæ sunt in humanis. Et ita, si ratio imaginis in humanis est quid absolutum, id etiam habebit in divinis. Cumque ea, quæ sunt absoluta in Deo, non sint personalia, sed essentialia, neque etiam ratio imaginis dicetur personaliter, sed essentialiter. Confirmat.

Respondetur ex D. Thoma in 1 dist. 28 quæst. 2 art. 2 quod imago aliquando sumitur large, prout est idem ac exemplar : aliquando vero stricte, et proprie, pro similitudine producta ab eo cujus est illa similitudo. Quando ergo asseritur, exemplar, et imaginem esse idem, sumitur imago large, atque adeo quoad præsens non proprie. 10. Fit obviam objectioni. D.Thom.

Ad confirmationem concedatur antecedens, et negetur utraque consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod etsi divina debeamus intelligere ad instar eorum, quæ reperiuntur, et eis correspondent in humanis, debent tamen secludi imperfectiones : quæ non excluderentur in præsenti, si imago esset quid absolutum in Deo : alioqui daretur ibidem distinctio in absolutis : siquidem de ratione imaginis est esse productam : et res absoluta producta ab alio in *esse* naturali et entitativo debet realiter distingui ab eo in natura, saltem individuali. Unde, sicut propter hanc rationem persona in divinis est quid relativum, ne persona procedens, et ea, a qua procedit, distinguantur realiter in prædicatis absolutis, non obstante, quod in humanis personæ sunt quid absolutum quoad suas personalitates : ita in præsenti eodem modo philosophari debet. Solvitur confirmatio.

11. Tertia objectio. Tertio objicies falsum etiam esse, desiderari ad rationem imaginis, quod procedat ab eo, cujus est imago. Nam Filius in divinis est imago Deitatis : et tamen non est expressa seu producta ab illa : alioqui esset inter utrumque realis distinctio : ergo, Conc. Const. v. etc. Major habetur in Concilio v Constantinopolitano, ubi dicitur, *Verbum esse imaginem Deitatis*. Nyssenus. Et Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi, narrans instructionem, quam ille accepit a Beata Virgine et Johanne Baptista, inter cætera ait accepisse, quod Filius est imago Deitatis. Ad Hebr. 1. Et ad Hebræos 1 asseritur, quod est figura D.Thom. substantiæ Dei, idest, essentiæ, ut exponit D. Thomas ibidem.

Enodatur. Respondetur, rationem imaginis in his locis sumi, non proprie, et stricte, sed large, prout dicit idem, ac id, quod est re- Glossa. præsentativum alterius. Et propterea Glossa interlinealis Sapientiæ 7 ait, quod Filius est imago bonitatis Dei, quia est repræsentatio illius. Unde, licet ad hoc ut aliquid sit imago alterius, desideretur, quod sit expressum, et productum ab illo : non tamen ad hoc, ut sit repræsentativum illius. Sicut etiam, licet id, quod est imago, referatur realiter ad id, cujus est imago, proindeque realiter ab eo distinguatur : non tamen refertur realiter ad objectum repræsentatum qua ratione illud repræsentat. Propter quod, licet Verbum in divinis referatur realiter ad Patrem, ut ad principium productivum ipsius : non tamen secundum quod est repræsentativum illius, aut Spiritus Sancti, seu, ut est eis lem simile, dicit relationem realem, sed rationis ad eos.

12. Ad Hebr. 1. Adde pro majori solutione testimonii ex epistola ad Hebræos 1, tum id, quod in hoc eodem tractatu diximus, quod ibi nomen *substantiæ* accipitur pro *persona*. Et ita sen- D.Thom. sus est, quod est figura, seu imago personæ Patris. Dicitur autem a D. Thoma, esse imaginem essentiæ Patris : quia est figura, et imago Patris, non ratione personalitatis, sed essentiæ. Unde in Græco habetur, quod *est figura hypostasis ejus*, idest personæ. Tum etiam, quod cum Filius dicitur *figura substantiæ ejus*, idem est, ac quod dicatur, Cajetan. *figura consubstantialis illius*. Ita Cajetanus, S. Amb. et D. Ambrosius ibidem.

DUBIUM II.

Utrum imaginis ratio solum conveniat Verbo in divinis, an vero etiam Spiritui Sancto?

Quia ea, quæ sunt personalia, possunt, 13. vel convenire pluribus personis, qualiter ratio spirationis activæ convenit Patri, et Filio, vel uni tantum, quo pacto spirationis passivæ ratio soli Spiritui Sancto competit : idcirco postquam explicuimus, imaginem in divinis dici personaliter, restat, ut inquiramus, an soli Verbo, an etiam Spiritui Sancto conveniat? Nam de Patre perspicuum est, non posse ei rationem imaginis competere : siquidem ratio imaginis, ut jam diximus, debet dicere relationem producti ad producentem : et Pater, quippe innascibilis, et improductus, nequit prædictam relationem dicere.

§ I.

Resolutio dubii ex mente D. Thomæ et Patrum.

Dicendum ergo est, solum Verbum, seu 14. Filium, non vero Spiritum Sanctum, esse Assertio imaginem in divinis. Assertio hæc satis colligitur ex illo ad Colossenses 1 dubio Ad Colos. 1. præcedenti relato : *Qui est imago Dei invisibilis : primogenitus omnis creaturæ*. Et ad Ad Hebr. 1. Hebræos 1 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus :* nec non ex aliis locis, in quibus solus Filius nuncupatur *signaculum*, ut Canticorum 8 : *Pone me, ut* Cantic. 8. *signaculum super cor tuum*. Et Joan. 6 : Joannis 6. *Hunc enim Pater signavit Deus* Quibus testimoniis Nazianzenus Oratione 3 de Theo- Nazianz. logia, et Oratione de Christi Nativitate, Athanasius in Evangelio de Deipara pro- Athanas. bant, proprium Christi esse, quatenus est Filius Dei, quod sit imago, et signaculum : ac proinde quod hoc non conveniat Spiritui Sancto. Quod etiam colligit ex duobus prioribus testimoniis Angelicus Doctor ar- Ang. D. ticulo 2 hujus quæstionis dicens : *Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in canonica scriptura, nisi de Filio. Dicitur enim Colossens. 1 : Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ.* Et ad Hebræos 1 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

Deinde hanc eamdem assertionem docue- 15. runt Basilius homilia ad 1 caput Joannis : Basil. *In*

In principio erat Verbum, post medium, ubi reddit rationem, propter quam Filius sit Verbum : *Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem.* Si autem Spiritus Sanctus apud Basilium esset imago, esset etiam apud eumdem Verbum : quod, ut constat, est contra fidem. [Athanas.] Athanasius episto'a de Decretis Nicænæ Synodi his verbis : *Quod si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaveris.* Si autem solus Filius non esset imago, non eo ipso, quod nominaretur imago, indicaretur Filius. Et libro 4 contra Arrianos : *Nam quominus ille solus sit imago vera, et genuinus Patris sui, nihil inde obstaculi nascitur, quod et nos ad imaginem Dei creati recitemur, et quod gloria, et imago Dei nuncupati sumus : cum id non nostra indole fiat, sed ob imaginem Dei, et veram ejus gloriam in nobis habitantem : quæ quidem ipsa est ratio, sive Verbum Dei, quod nostri gratia postmodum caro factum est.* [Hilarius.] Hilarius 7 de Trinitate, [August.] Augustinus in libro de Decem chordis capite 8 ubi inquit : *Imago Regis est in extranea natura, sicut in nummo : sed in natura conformi, sicut in Filio.* Ex quibus [D. Thom.] verbis sic subsumit D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 28 q. 2 ar. 2 in argum. *Sed contra : Spiritus Sanctus neque habet naturam extraneam a Patre, neque est Filius. Ergo nomen imaginis ei non competit.*

[Ambros.] [Cyrill.] [Richardus.] Et hoc ipsum tenent Ambrosius ad Hebræos c. 1, N. Cyrillus 1 Thesauri c. 1, Richardus de Sancto Victore lib. 6 de Trinit. c. 11, et tandem omnes Patres Latini, omnesque fere Latini Scholastici, quorum auctoritas in præsenti materia una cum auctoritate negativa Scripturæ supra relata, idest, quod Scriptura nunquam Spiritum Sanctum imaginem nominat, est magni ponderis. Nam etsi prædicta auctoritas negativa præcise sumpta non soleat esse tanti roboris ad rem aliquam confirmandam : bene tamen in præsenti, et supposito consensu Patrum. Unde Angelicus Præceptor loco nuper citato ad Annibaldum sic in- [D. Thom.] quit : *Secundum Dionysium, et Damascenum nihil de illa sancta Trinitate dicendum est, nisi quod nobis per auctoritatem sacræ Scripturæ divinitus est expressum. Sed in sacra Scriptura Spiritus Sanctus imago non dicitur, sed solus Filius, ut patet Coloss. 1 : Qui cum sit imago Dei invisibilis. Ergo Spiritus Sanctus non debet dici imago.*

16. Prior assertionis ratio. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis est duplex, et utraque ad aliud intentum adducta est a nobis supra disputatione 3 dubio 2 numero 49. Potestque prior ex illis quoad præsens sic formari et applicari. Quoniam id, quod habet rationem imaginis consubstantialis et naturalis, qualis debet esse imago reperta in divinis, debet procedere per modum naturæ, idest, debet procedere per primam processionem : quia per hanc solam communicatur natura : et ideo id, quod per illam procedit et ipsa processio dicuntur esse per modum naturæ, ut in eadem disput. num. 50 explicuimus ; non vero debet procedere per modum voluntatis, idest, per modum procedentis per processionem secundam, necessario præsupponentem aliam priorem (ut ibidem numero 51 declaravimus et rationem reddidimus). Sed Verbum in divinis procedit per modum naturæ, seu per primam processionem repertam in divinis, et Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, seu per secundam processionem in Deo inventam : ergo solummodo Verbum erit imago in divinis, non vero Spiritus Sanctus. Minor et consequentia sunt satis perspicuæ.

Major vero etiam constat. Quoniam imagini consubstantiali et naturali debet per suam processionem formaliter sumptam communicari natura ejus, cujus est imago, ut in humanis cernitur : certum est autem, in divinis eam solam processionem formaliter sumptam communicare naturam divinam, quæ est per modum naturæ, seu quæ est prima processio, ut disputatione citata numer. 50 diximus : ergo id, quod habet rationem imaginis in divinis, debet procedere per modum naturæ, idest, per primam processionem; non vero per modum voluntatis, seu per secundam processionem præsupponentem illam priorem. Quam rationem adduxit D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 28 [D. Thom.] quæst. 2 art. 2 his verbis : *Imago attenditur secundum speciem rei, vel secundum ea quæ speciem designant, sicut est figura. Filius autem procedit per modum naturæ : per quem modum apud nos invenitur aliquid procedere in similitudinem speciei. Spiritus autem Sanctus procedit per modum voluntatis : per quem modum nihil procedit apud nos in similitudinem speciei. Et ideo Filio competit nomen imaginis, non autem Spiritui Sancto. Nam nomina a nobis imponuntur secundum ea, quæ apud nos sunt.*

Secunda et fundamentalis ratio ejusdem assertionis, quæ est major confirmatio et explicatio præcedentis, ex eaque deduci- 17. Secunda ratio.

D.Thom. tur, allata est a divo Thoma in præsenti articulo 2, et potest sub hac forma proponi. Quoniam licet Spiritui Sancto communicetur re ipsa natura divina: nihilominus, quia ex vi suæ processionis non procedit per modum similitudinis, sed per modum amoris, idcirco neque est Filius, neque verbum Patris: ergo eadem ratione non erit imago, quamvis re ipsa et ex aliis capitibus habeat communicatam naturam divinam. Patet consequentia. Quia non minus requiritur ad rationem imaginis similitudo in natura, et quod id, quod est imago, procedat per modum similis in eadem natura, quam ad rationem Verbi, vel Filii: ergo si ad rationem Verbi, vel Filii non sufficit in divinis, quod habeat utcumque naturam divinam, sed quod habeat illam procedendo per modum similis et non solum per modum amoris, cujus processio identice solummodo et ex aliis capitibus habet communicare naturam divinam, nec etiam hoc sufficiet ad rationem imaginis: et per consequens Spiritus Sanctus sic per modum amoris procedens non erit imago.

D.Thom. Quam rationem adduxit etiam idem Angelicus Doctor, tum articul. 2 hujus quæstionis, cujus verba, quia satis perspicue explicant rem hanc, placuit hic referre, licet litteram articuli paulo ante adduxerimus, ait enim: *Sicut Spiritus Sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus: ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago. Quia Filius procedit ut verbum, de cujus ratione est similitudo speciei ad id, a quo procedit; non autem de ratione amoris: quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus Sanctus, in quantum est amor divinus.*

Tum etiam in 1 distinct. 28 quæst. 2 art. 3, ubi sic ait: *Quamvis Spiritus Sanctus sua processione accipiat naturam; quia tamen sua processio non est per modum naturæ, non dicitur, nec est generatio: quia generatio est processio per modum naturæ: et per consequens non dicitur filius. Ita etiam dico, quod Filius ex ratione processionis suæ habet, quod sit imago, et in quantum procedit ut Filius, quia filius dicitur ex hoc, quod habet naturam patris: et in quantum procedit ut verbum, quia verbum, ut dictum est, est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ. Sed Spiritus Sanctus non habet hoc ex ratione suæ processionis: quia procedit ut amor. Et ideo, sicut non dicitur filius quamvis accipiat sua processione naturam Patris: ita nec imago, quamvis habeat similitudinem ad Patrem.* Ubi (ut vides) id, in quo sanctus Doctor nititur ad denegandam Spiritui Sancto rationem imaginis: et concedendam Filio, est: quia hic, quippe Filius, et Verbum Patris procedit per modum similis ex vi suæ processionis; secus vero ille.

§ II.

Duæ solutiones ad utramque rationem D. Thomæ, et eversio earum.

Ad utramque ex his rationibus duplici via potest responderi. Prima quidem. Falso supponi in eis, quod ad rationem imaginis desideretur, adhuc in divinis, quod communicetur ei natura per processionem per modum naturæ, idest, per primam processionem, aut quod ex vi processionis procedat per modum similis; sed satis erit, quod reipsa communicetur ei natura per talem processionem, sive illa sit prima, sive non: aut quod communicetur ei similitudo, sive hoc fiat ex vi processionis, sive aliunde. Potestque hæc solutio juvari exemplo imaginis artificialis, cui aliquando casu, et præter intentionem artificis, atque adeo non ex vi processionis, solet communicari ratio similitudinis ejus, cujus est imago: et tamen non ob id desinit esse imago. 18. Occurritur primo ad hanc rationem.

Hæc tamen solutio insufficiens est. Tum propter illa, quæ disputatione 2 dubio 2 et dubio 3 diximus. Tum etiam, quoniam in humanis imago naturalis non utcumque est similis suo principio, nec utcumque debet habere naturam communicatam ab eo, cujus est imago; sed ita ut habeat illam communicatam per processionem (saltem in intentione, et quantum est ex vi inclinationis naturalis) primam, et ex vi suæ processionis: ergo etiam in divinis. Patet consequentia. Tum, quia divina debemus intelligere ad instar humanorum, quoties aliqua ratio repugnantiæ non apparet, ut in præsenti contingit. Tum etiam, quia procedere simile non utcumque, sed ex vi processionis, et per processionem ex se communicativam prædictæ similitudinis, qualis est processio prima jam dicta, est habere non utcumque, et in *esse* rei solummodo, sed etiam in ratione termini formalis hanc similitudinem: ergo si imago naturalis in humanis ratione suæ perfectionis in ratione imaginis pertingit ad utrumque genus similitudinis, non est cur imagini in divinis infinite perfectiori in 19. Impugnatur.

in ratione, talis denegetur, quod utrumque similitudinis genus habeat.

Tum denique. Quia quod naturalis imago in humanis non procedat per primam processionem, quæ tam in intentione, quam in executione sit per se loquendo, et quantum est ex vi inclinationis naturalis prima, est ob duplicem imperfectionem, quam jam adjicimus, in modo generandi agentis corporei inclusam. Quare, cum omnis imperfectio sit releganda a divinis : et id, quod per se petitur ad processionem, sit ibi concedendum : consequens est, ut processio, per quam communicatur ratio imaginis in divinis, debeat esse processio prima, tam in intentione, quam in executione : ac proinde ibidem imago debeat ex vi suæ processionis procedere ut similis ; siquidem, ut ex dictis patet, quod petit procedere per processionem omnibus modis primam in divinis, petit ex vi suæ processionis procedere simile.

20. Antecedens autem patet exemplo filii inter nos, qui hoc ipso, quod sit filius procedere similis per processionem primam, non quidem in executione (ex eo quod pater per se loquendo non habet initio suæ processionis omnem perfectionem requisitam ad generandum, et ideo indiget nutriri, et augeri : et quia ob imperfectum modum operandi creaturæ corporeæ debet ante illam generationem præcedere alteratio, ut terminata ad dispositiones requisitas ad eamdem generationem, et modo a nostris

N. Compl. Complutensibus in lib. Physicorum disputatione 10 numer. 67 et sequentibus, et in libro de Generatione disputatione 2 num. 15 et sequentibus explicato), sed primam in intentione : eo quod naturalissimum opus viventis est generare sibi simile, ut ex Aristotele, et D. Thoma explicant, et reddunt ejus optimam rationem nostri Complutenses in lib. de Anima disput. 8 a num. 19 usque ad 31. Et similiter idem filius in humanis ex vi suæ generationis substantialis est similis suo patri : et ideo similitudo, quam habet ratione imaginis, convenit ei ex vi suæ processionis.

Confirmatur. Confirmatur. Tum, quia imagines intentionales in creatis habent, quod ex vi suæ processionis procedant similes suo principio, saltem quoties sunt illius imagines adæquatæ : et hoc etiam competit imaginibus artificialibus, ut talibus, adhuc quando casu, et præter intentionem artificis procedunt similes. Ergo cum hoc reperiatur etiam in imaginibus naturalibus creatis, ut nuper dicebamus, signum erit, id desiderari ad rationem imaginis : et per consequens idem reperiendum erit in divinis. Utraque consequentia videtur legitima.

Antecedens autem quoad imagines intentionales constat ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disputat. 2 num. 133 et sequentibus et tractatu 3 disputat. 2 numer. 14 et deinceps diximus, et ex illis, quæ N. Complutenses in lib. de Anima disputat. 18 num. 40 docuerunt. Quoad imagines vero artificiales, adhuc quando videbantur non evadere similes suo principio ex vi suæ processionis, nempe, quando præter intentionem artificis exeunt similes, etiam patet. Nam licet tunc hujusmodi imago, comparata in ratione effectus voluntarii et moralis ad artificem, sit per accidens similis, atque adeo non ex vi processionis illius, ut moralis et voluntariæ : attamen collata in ratione effectus artificialis ad suum principium, scilicet, ad intellectum artificis determinatum per tale exemplar, non per accidens, sed per se et ex vi suæ processionis procedit similis illi : et ideo non minus, nec aliter intellectus artificis sic determinatus influit ex vi hujus principii, nec minus, nec aliter ipsa pendet ab hoc principio quoad id, quod prædicta imago in ratione effectus et imaginis artificialis secundum propria suæ lineæ habet, quam si non casu, sed ex intentione artificis fiat. Ac proinde, cum hæc comparatio sit per se et in ratione imaginis artificialis, ut talis ; illa vero prior comparatio sit per accidens : et extra lineam intraneam imaginis artificialis, ut talis, consequens est, ut nihil desit prædictæ imagini, adhuc tunc, quominus in ratione imaginis artificialis habeat ex vi suæ processionis, quod procedat ut similis suo principio.

Per quod ad id. quod in confirmationem hujus solutionis, quam impugnamus, adducebatur, satis constat. Unde imago artificialis, hoc ipso quod talis nunquam est præter intentionem operis, seu artificiosæ actionis, per quam procedit; licet aliquando sit præter intentionem operantis. Ad hoc autem, ut ex vi processionis exeat similis, satis est, quod nunquam præter intentionem operis, sed ex vi illius communicetur ei illa similitudo.

Tandem prædicta solutio potest impugnari et simul reddi ratio eorum, quæ diximus. Quoniam hoc ipso, quod ad rationem imaginis in illius diffinitione petatur, 22. Refellitur secundo.

quod sit similitudo producta, debet hoc ipsum per se ei convenire : tum, quia id ex se videtur patere : tum etiam, quia id, quod petitur ad rationem alicujus, debet ei per se competere. At hoc ipso, quod per se ei conveniat esse similitudinem productam, debet etiam ei competere, quod similitudo illa sit terminus per se illius productionis, per quam producitur : alioqui non esset per se similitudo producta, sed tantum per accidens ei conveniret, quod esset producta in ratione similis : ergo eo ipso debet imago ex vi processionis evadere similis. Patet consequentia. Quoniam id, quod est per se terminus alicujus processionis, debet ex vi ejusdem processionis, rei per illam processionem productæ communicari : sicut e contra id, quod est terminus per accidens illius, non communicatur ex vi ejusdem processionis.

23. Confirmatur primo. Confirmatur et explicatur. Nam ex eo, quod generatio viventium diffiniatur per hoc, quod sit : *origo viventis a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ*, colligimus, hanc similitudinem debere esse terminum per se et formalem prædictæ generationis : ex eo quod actiones diffinitæ per suos terminos, non diffiniuntur nisi per terminos formales. Et similiter inde etiam inferimus, talem similitudinem debere communicari ex vi processionis ; et non sufficere, quod aliunde per accidens, aut materialiter, sive identice communicetur. Ideoque Spiritui sancto denegamus rationem geniti, quia ejus productioni non convenit, quod terminetur, ut ad terminum formalem, ad similitudinem et identitatem in natura; sed tantum (ut sic loquamur) veluti per accidens materialiter et identice evadit similis. At etiam productio imaginis, ut talis, diffinitur per hoc, quod sit productio similis in specie, aut signo speciei, procedens ab eo, cujus est similitudo. Ergo hinc etiam colligemus, quod terminus formalis hujus productionis est prædicta similitudo, et quod ista ex vi processionis ei communicatur.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam ex eo, quod imago diffinitur per hoc, quod sit *producta ab eo, cujus est similitudo*, deducimus, non fore imaginem, nisi per se, et ex vi sua, et suæ processionis conveniret illi esse productam, non ab alio, quam ab eo, cui est similis : ergo etiam hoc ipso, quod diffiniatur per hoc, quod non sit utcumque producta, sed in ratione similitudinis, oportet ut sit in ratione similitudinis terminus formalis suæ productionis, et quod esse similitudinem competat ei ex vi processionis.

24. Secunda evasio Richardi. Secundo respondent alii, ut Richardus de Sancto-Victore lib. 6 de Trinitate cap. 11 et cap. 19 ad utramque rationem D. Thomæ, non ideo Verbum esse imaginem aut Spiritum sanctum non habere rationem imaginis, quia illud producatur per modum naturæ, aut evadat simile ex vi processionis, secus vero Spiritus sanctus ; sed quia ad rationem imaginis desideratur, quod evadat similis in aliqua ratione principii : cumque id competat Verbo, non vero Spiritui sancto, qui non est principium alterius personæ, sicut Pater, et Filius sunt principium ejusdem Spiritus sancti : idcirco Verbum est imago, non vero Spiritus sanctus.

Exploditur D. Tho. Cæterum hæc solutio non placet Angelico Doctori, tum in art. 2 hujus quæstionis, tum etiam in 1 ad Annibaldum dist. 28 quæst. 2 art. 2 his verbis : *Sed hæc ratio non videtur consona dictis Augustini, qui vult, quod secundum relationem originis non attendatur similitudo, neque æqualitas, in quibus ratio consistit imaginis.* Quam impugnationem adduxit etiam idem Angelicus Doctor Opusculo 1 contra errores Græcorum, cap. 10, ubi sic habet : *Neque obstat ad rationem imaginis, quod Spiritus sanctus non convenit cum Patre in aliqua personali proprietate : quia similitudo, et æqualitas personarum divinarum non attenditur secundum proprietates personales, sed secundum attributa essentialia. Neque enim inæqualitas, et dissimilitudo secundum personalium proprietatum differentiam in divinis dici debet, sicut Augustinus dicit in lib. contra Maximinum. Cum enim dicitur Filius a Patre genitus, non ostenditur inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ.*

2[illegible] Dei[illegible] conf[illegible] tu[illegible] Deinde eadem solutio potest impugnari. Quoniam si Spiritus sanctus ea præcisa ratione non est imago, quia etsi habeat ex vi processionis naturam divinam, sitque similis in ea suo principio, non tamen evadit similis in aliqua notione principii, tunc eadem ratione Verbum non esset perfectissima, et exactissima imago Patris : quia non est similis illi quantum ad notionem principii, seu proprietatem personalem communicandi naturam duabus personis : ac proinde nec quantum ad hoc, quod est, esse fontale divinitatis principium, nec quantum ad esse totale principium

pium alicujus personæ divinæ sine concursu alterius personæ.

§ III.

Alia duplex solutio ad utramque D. Thomæ rationem, et utriusque impugnatio.

26. 'ertia ·lutio. ıpert. Tertio occurri potest ad utramque rationem ex doctrina Ruperti lib. 2 de Trinitate cap. 2 et aliorum, Spiritum sanctum non ideo non esse imaginem, quia ex vi processionis non communicetur ei divina natura, aut quia procedat per voluntatem ; sed quia ad rationem imaginis requiritur, ut non sit similitudo duorum, sed unius tantummodo : solus autem Filius est similitudo unius, nempe Patris : cum tamen Spiritus sanctus sit similitudo duorum.

·æclu- itur. · Thom. Cæterum hanc solutionem refutat D. Thomas in præsenti art. 2 et in 1 ad Annibaldum dist. 28 q. 2 art. 2, ubi eam refert, illamque impugnat his verbis : *Secunda ratio est. Quod imago quælibet ducit in unum. Spiritus autem Sanctus duceret in plures, videlicet in Patrem et Filium, si imago diceretur. Sed hoc non videtur prohibere. Num Pater et Filius sunt unum Spiritus sancti principium.*

27. ucida- tur. Confirmatur, et explicatur. Quoniam adhuc dato, imaginem debere esse similitudinem unius : nihilominus nihil prohibet, eam, ratione similitudinis, quam habet, ducere in cognitionem plurium, dummodo ducat in cognitionem eorum, quatenus sunt unum. Et ideo homo, ut factus a tota Trinitate, dicitur imago, saltem imperfecta, illius : quia licet ratione similitudinis ducat in cognitionem plurium ; non tamen sub ratione plurium, sed sub ratione unius, id est, ut habent eamdem naturam, eam- demque omnipotentiam et virtutem agendi ad extra. Ergo cum Spiritus sanctus, ut productus a Patre et Filio, duceret ratione similitudinis ei communicatæ ex vi processionis (ut in hac solutione intenditur) in cognitionem Patris et Filii, non ut sunt plures, sed ut sunt unum in virtute spirandi, consequens erit, ut nihil ei ad rationem imaginis desit.

Adde non esse cur ad rationem imaginis desideretur, quod sit tantummodo similitudo unius. Nam hoc ipso, quod aliquid procederet a pluribus causis, ut habent distinctas virtutes operandi et evaderet simile illis in specie, aut signo speciei quoad ea, in quibus distincta sunt, non poterit reddi ratio, cur non sit imago eorum, ut plura in se sunt : sicut si evadat simile illis in eo tantummodo, in quo sunt unum, non erit assignabilis ratio, propter quam non sit imago eorum, ut unum sunt.

Ultimo responderi potest ex doctrina Gabrielis Vasquez in præsenti disp. 145 c. 4 et 5, et Torres supra q. 27 art. 2 in 4 p. Commentarii, non idcirco Verbum esse imaginem, secus vero Spiritum sanctum, quia illud procedat per modum naturæ, aut ex vi processionis ei communicetur divina natura, non vero Spiritui sancto ; sed hoc aliunde petendum esse, nempe, ex diffinitione imaginis. Quia juxta eam imago non est quæcumque similitudo, sed ea tantum, quæ est producta et expressa ad repræsentandum rem, cujus est imago, id est, quæ eo fine producta est ab arte, vel natura, ut repræsentet principium, a quo procedit. Tunc autem hæc similitudo producitur ad repræsentandum, cum ipsa habet secundum se, et secundum suam naturam repræsentare alicui utenti cognitione. Et quia Verbum habet, tanquam terminus intellectionis Paternæ, repræsentare Patri ea, quorum est similitudo : inde est, ut Verbum sit imago Patris. E contra vero Spiritus sanctus, licet ex vi processionis sit similitudo, nihilominus non dicitur imago : quia non habet repræsentare alicui intelligenti ea, quorum est similitudo. Nam in primis non repræsentat ea Patri et Filio : siquidem neuter intelligit se Spiritu sancto, tanquam termino, aut tanquam forma. Nec etiam repræsentat sibi ipsi, nisi quatenus intellectione essentiali, quæ est sua essentia, cognoscit se, et alias personas in se ipso : quod potius est cognoscere in essentia. Nec tandem repræsentat alicui intellectui creato : non quidem viatori, ut ex se patet : neque videnti Deum, quia intellectus videns Deum, non videt unam personam, quatenus in alia repræsentatur, sed æque primo et immediate omnes personas intuetur. 28. Ultima solutio. Vasquez. Torres.

Cæterum hæc solutio et ratio disparitatis multis a nobis impugnata est supra disp. 3 n. 101 quæ omnino videnda sunt : et nihilominus potest ulterius breviter impugnari. Quia in ea supponitur, quod cognitio divina solum utitur unico medio ad cognoscendas res, nempe (quoad præsens attinet) termino intellectionis : ac 29 Impugnatur.

proinde, quia Spiritus sanctus non est intellectionis terminus, ideo neque est similitudo repræsentans alicui utenti cognitione. Contra hoc tamen urget. Quod sicut Pater æternus, v. g. cognoscit se, et omnia alia in sua essentia et in Verbo, necnon et peculiariter creaturas in ideis earum : ita in Spiritu sancto habente eamdem naturam cum Patre poterit se, et omnia alia cognoscere; licet non cognoscat hæc in illo, tanquam in termino producto per intellectionem, aut tanquam forma intelligendi seu intellectione ipsa; sed tanquam objecto, aut termino producto per voluntatem, habente ex vi suæ processionis summam similitudinem cum suo principio. Et ideo, nisi Spiritui sancto denegetur, quod ex vi suæ processionis evadat similis suo principio, ut in rationibus D. Thomæ ei denegatur, non est cur non habeat veram rationem imaginis, sicut eam habet Filius.

30. Confirmatur primo. Confirmatur. Quia repugnat, cognosci aliquid simile, in quantum est alteri simile et non cognoscere per illud alterum simile : sed Pater æternus, imo et quilibet beatus cognoscit Spiritum sanctum, in quantum est similis Patri et Filio : quia alioqui non cognoscerent illum quidditative, neque quoad omnia, quæ ei formaliter competunt : ergo tam Pater, v. g. quam omnes beati cognoscent per Spiritum sanctum Patrem et Filium : et per consequens nisi Spiritui sancto obstet quod non habet hanc similitudinem ex vi suæ processionis, ut Angelicus Præceptor vult, erit utique vera imago Patris et Filii, a quibus producitur.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Nam quilibet beatus hoc ipso, quod videat Verbum, videt Patrem in ipso : quia Verbum est omnino simile illi : ergo cum etiam Spiritus sanctus sit omnino similis Patri et Filio, non erit ex hoc capite, unde non sit similitudo repræsentans alicui utenti cognitione : ac proinde unde non sit imago. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem, quamvis negetur a Patre Vasquez, videtur satis colligi ex illo Joan. 14 : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* Vasquez. Joan. 14.

31. Confirm. ult. Confirmatur tandem. Nam hoc ipso, quod Spiritui sancto ex vi suæ processionis communicetur natura divina, oportet, ut sua proprietas personalis, adhuc ex vi suæ processionis, petat eamdem naturam, sicut proprietas personalis Verbi eam exigit : ergo etiam oportebit, quod tam ratione naturæ ex vi processionis illi communicatæ, quam ratione suæ proprietatis personalis repræsentet suum principium quoad naturam, quam habet : et per consequens, quod sit similitudo repræsentans alicui utenti cognitione. Antecedens videtur certum. Nam ideo Verbum ratione proprietatis personalis petit, adhuc ex vi suæ processionis, naturam Dei : quia ex vi suæ processionis communicatur illi prædicta natura.

Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Nam id, quod habet eamdem naturam cum suo principio, et habet proprietatem personalem petentem illam ex vi suæ processionis, non potest non repræsentare ratione utriusque suum principium. Et ideo Verbum sic repræsentat illud, nempe ratione naturæ, et ratione proprietatis personalis : quatenus hoc ipso, quod ex vi suæ processionis exigat naturam, est ex hoc capite ex vi sua ducens in cognitionem ejusdem naturæ. Secunda vero consequentia ex hac priori satis patet.

Adde quod hoc ipso, quod Spiritui sancto communicetur ex vi processionis divina natura, conveniunt ei omnes particulæ diffinitionis imaginis, quæ ab Augustino, et Angelico Doctore, et ab Scholasticis recipitur, ut intuenti patebit. Et ita non erit cur eidem ratio imaginis non conveniat. August. Angel. Doctor.

§ IV.

Posterior enodatio utriusque rationis Angelici Præceptoris, et ejus eversio.

Ultimo, et acutius posset occurri utrique rationi D. Thomæ, quod ex vi earum nullatenus probatur intentum. Quoniam, ut ex diffinitione imaginis dubio præcedenti adducta constat, ad illam non desideratur similitudo ex vi processionis in specie, vel in natura, sed sufficit similitudo in signo speciei communicata ex vi processionis. Constat autem, Spiritui sancto communicari ex vi processionis signum speciei, sive naturæ divinæ, nempe, amorem infinitum, et divinum elicitive, et objective, idest, qui sit a Deo, et tendat in Deum, quique sit purus actus intra lineam amoris. Et ideo, licet ex vi processionis non communicetur ei natura divina, ac proinde nec procedat per modum naturæ, sed per modum voluntatis, poterit rationem imaginis habere. 32. Posterior enodatio rationis D. Thomæ.

Cæterum

Eliditur. Cæterum hæc solutio (licet acuta) non infringit vires utriusque rationis D. Thomæ. Quoniam Spiritui sancto, vel non debet convenire ratio imaginis, vel si quæ ei competit, debet esse imaginis perfectæ, et consubstantialis dicentis similitudinem in natura ex vi processionis : et per consequens debet procedere per modum naturæ, et non per modum voluntatis. Ergo hoc ipso, quod ex vi utriusque rationis ex D. Thoma adductæ habeatur, Spiritum sanctum non habere ex vi suæ processionis similitudinem in natura divina, nec procedere per modum naturæ, sed per modum voluntatis, habebitur etiam, nullo modo esse imaginem.

33. Antecedens probatur. Quoniam quidquid convenit alicui ex personis divinis, debet esse summe perfectum intra suam lineam : quia linea illa ibidem pertingit ad omnem excogitabilem perfectionem, quæ ei convenire potest. Consequentia vero probatur. Tum, quia imago, quæ tantum est similis suo principio ex vi processionis quoad signum speciei, et naturæ, non vero in natura ipsa, est imago, vel accidentalis, vel imperfecta et deficiens, et quantum est ex vi sua, et suæ processionis non habens naturam prototypi, sed potens, seu non repugnans ei, ut sit aliena, et extranea natura, ut in imaginibus artificialibus, quæ solum sunt similes in externa figura, cernitur. Tum etiam, quia tres tantum gradus imaginis solent numerari, nempe, imaginis habentis præcise similitudinem ex vi processionis in signo speciei, et imaginis habentis similitudinem in natura, cum distinctione tamen numerica in illa, vel in modo habendi eam, ut in filio naturali, et in imaginibus intentionalibus, quæ non sub modo essendi naturali, sed intentionali habent eamdem naturam, cernitur, et tandem imaginis habentis eamdem omnino numericam naturam. Sed secundus gradus imaginis, licet sit perfectior primo, relegatur a Deo, quia non est summe perfectus : ergo potiori ratione ille prior relegabitur.

34. D.Thom. Quam impugnationem desumpsimus ex Angelico Præceptore in 1 Sententiarum dist. 28 quæst. 2 art. 1 ad 3 ubi sic ait : *Dicendum, quod unumquodque, quantum attingit ad rationem imaginis, tantum attingit ad rationem indifferentiæ : secundum enim quod differt, non est imago. Invenitur tamen quidam gradus perfectionis imaginis. Dicitur enim quandoque imago alterius, in quo invenitur aliquid simile qualitati alterius, quæ designat, et exprimit naturam ipsius, quamvis illa natura in ea non inveniatur, sicut lapis dicitur esse imago hominis, in quantum habet similem figuram, cui non subsistit natura illa, cujus est signum : et sic imago Dei est in creatura, sicut imago Regis in denario, ut dicit Augustinus. Et hic est imperfectus modus imaginis. Sed perfectior ratio invenitur, quando illi qualitati, quæ designat naturam substantiæ, est de natura in specie : sicut est imago hominis patris in filio suo, quia habet similitudinem in figura, et in natura, quam figura significat. Sed perfectissima ratio imaginis est, quando eamdem numero formam, et naturam invenimus in imitatione cum eo, quem imitatur : et sic est Filius perfectissima imago Patris : quia omnia attributa divina, quæ sunt per modum qualitatis significata, simul cum ipsa natura sunt in Filio, non solum secundum speciem, sed secundum unitatem in numero.*

Nec obest si dicas, sufficere ad rationem imaginis perfectæ, quod sit similis in signo speciei ex vi processionis, et quod licet non ex vi processionis, absolute tamen, sive reipsa habeat similitudinem in natura : hæc autem duo, planum est, convenire Spiritui sancto. Non itaque hoc obest. Quoniam si ad rationem imaginis perfectæ desideratur similitudo in specie, seu natura, et non solum similitudo in signo speciei, oportet, ut sicut similitudo in signo speciei debet ei convenire ex vi processionis, sic etiam similitudo in specie. Si namque similitudo illa minor debet convenire ex vi processionis, ut constituat imaginem imperfectam, non est cur similitudo ista major, et constituens imaginem perfectam, non debeat etiam esse ex vi ejusdem processionis. 35. Effugium. Præcluditur.

Unde nihil obest, si urgeas, quod Spiritui sancto competit ex vi processionis, quod sit similitudo præcise in signo speciei : et tamen non ob id est imperfecte similis : quia satis est, ut habeat aliunde esse etiam similem in natura : ergo licet tantum sit similis ex vi processionis in prædicto signo, non ob id erit imperfecta imago, dummodo aliunde sit similis in natura : quandoquidem non magis videtur exigi ad perfectam imaginem, quam ad perfectam similitudinem. Objectio.

Ex dictis igitur patet hoc non obesse. Quoniam ad similitudinem per accidens se habet processio. Et ita, quod est simile in Enodatur.

signis speciei, necnon et specie ipsa, sive habeat ex vi processionis utrumque, sive nihil horum duorum, sive tantum unum, et non aliud, est perfecte, et eodem modo simile, si loquamur præcise de eo, quod similitudo importat : et propterea unum ovum est simile alteri, quamvis unum non procedat ab altero. Et tandem eodem modo essent similia, etiamsi non ex vi processionis ab aliquo alio, sed per accidens, et aliunde convenirent in natura. At ad rationem imaginis per se petitur processio in similitudine, ut ex diffinitione constat : et ideo ad perfectam imaginem, ad quam desideratur perfecta similitudo, nempe in natura, etiam requiritur, quod ex vi processionis prædicta natura communicetur.

36. D.Thom. Quæ doctrina desumpta est ex D. Thoma in 1 dist. 28 quæst. 2 art. 2 ubi cum proposuisset similem objectionem ad probandum, Spiritum sanctum esse imaginem, respondet in hæc verba in solutione ad 4 : *Dicendum, quod quamvis nomen imaginis sit impositum ab æqualitate, et similitudine : tamen est impositum ad significandum rem, cui ex modo suæ productionis competit similitudo, et æqualitas. Et ideo non oportet, quod dicatur absolute similis, et æqualis, nisi ex modo suæ processionis hoc habeat, quod etiam imago proprie, et absolute dicatur.* In quibus verbis, ut constat, fatetur D. Thomas, Spiritum sanctum esse similem : et nihilominus ait, quod non oportet ex eo, quod sit absolute similis Patri, et Filio, quod habeat rationem imaginis : quia ad rationem imaginis non sat est similitudo, sed requiritur similitudo ex vi processionis : atque adeo supponit, ad similitudinem per accidens esse, quod convenientia, v. g. in natura, sit ex vi processionis; secus autem ad imaginem.

§ V.

Opposita sententia, ejus fundamenta una cum responsionibus ad illa.

37. Opposita sententia. Oppositam tamen sententiam, nempe, rationem imaginis non convenire soli Filio, sed etiam Spiritui sancto, tuebantur (præter Hæreticos asserentes, eumdem Spiritum sanctum esse verbum, et Filium : et consequenter illum etiam esse imaginem) Doctores Græci, et pro eadem refertur Aureolus a Capreolo in 1 dist. 27 quæstion. 2 circa sextam conclusionem. Potestque probari primo ex illo ad Romanos 8, ubi dicitur : *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Et primæ ad Corint. 15 : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* In quibus verbis denotari, Spiritum sanctum esse imaginem Filii, affirmant Basilius 5 contra Eunom. c. 6 et 8, Cyrillus 11 in Joan. c. 25 et lib. 13 Thesauri c. 1, Athanasius epist. 2 ad Serapionem Episcop. *De Sancto spiritu.*

(Aureolus. Primum fundamentum. Ad Rom. 8. — 1 ad Cor. 15. — Basilius. Cyrill. Athan.)

Respondetur, hæc testimonia Pauli esse intelligenda per constructionem intransitivam, idest, non de imagine, quæ sit alia a Verbo, sed de imagine, quæ sit ipsum Verbum. Quam explicationem tradunt plures ex Patribus, ut Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus ibidem, Augustinus lib. 14 de Trinitate cap. 18 et lib. 22 de Civit. Dei c. 12 et 16, Cyrillus 9 in Joan. c. ult. Vel dicatur, prædicta testimonia intelligenda esse, sicut intelligendi sunt Patres Græci in hoc argumento relati, qui, dum Spiritum sanctum vocant imaginem, loquuntur de imagine large, quantum ad rationem similitudinis perfectæ communicatæ ab alio, sive hæc communicetur ex vi processionis, sive non : non vero de imagine proprie, et quantum ad rationem completam imaginis, idest, prout ex vi suæ processionis habet hanc similitudinem.

(Occurritur. — Ambros. Chrysost. Hieron. August. N. Cyrill.)

38. D.Thom. Quam solutionem desumpsimus ex D. Thoma in præsenti, et Opusculo 1 c. 10 ubi cum hoc argumentum sibi opposuisset, respondet in hæc verba : *Quia præsumptuosum est, tantorum Doctorum tam expressis authoritatibus contraire, possumus quidem dicere, Spiritum sanctum esse imaginem Patris, et Filii ; ita quod per imaginem nihil aliud intelligatur, quam existens ab alio, et ejus similitudinem gerens. Si autem per imaginem intelligatur aliquid existens ab altero, ex ipsa sua originis ratione habens, quod similitudinem gerat ejus, a quo existit, in quantum est ab altero* (quæ sola acceptio est acceptio propria imaginis, ut in art. 2 hujus quæstionis se explicat Angelicus Præceptor) *ut filius genitus, vel ut verbum conceptum, sic solus Filius dicitur imago. De ratione enim filii est, quod similitudinem patris habeat in quacumque natura. Et similiter de ratione verbi est, quod sit similitudo ejus, quod verbo exprimitur, cujuscumque sit verbum. Sed non est de ratione Spiritus, vel amoris, quod sit similitudo ejus, cujus est, in omnibus, sed hoc in Spiritu Dei verificatur propter divinæ essentiæ unitatem, et simplicitatem, ex qua oportet, quod quidquid est in Deo, sit Deus.*

Secundo

39. Secundum argumentum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam Spiritus sanctus est infinite similior suo principio, nempe Patri et Filio, quam homo suo primo principio, nimirum Deo : sed homo ratione similitudinis imperfectæ, quam habet cum Deo participatæ ab ipso, dicitur imago illius : ergo potiori ratione Spiritus sanctus ratione similitudinis communicatæ ei a suo principio, scilicet a Patre et Filio, erit imago eorumdem.

Dissolvitur. Respondetur, hominem esse artificiatum quoddam comparatum cum Deo : quia procedit ab illo media arte, et idea, quam Deus de illo habet : proprium est autem arte facti procedere ex vi suæ processionis simile ideæ artificis, quæ est principium formale et effectivum respectu illius, ut ex N. Compl. Angelico Præceptore docent N. Complutenses in lib. Physicorum disp. 9 n. 32, et ideo non mirum, quod homo sic similis evadens ex vi suæ processionis dicatur esse imago Dei : quamvis quia hæc similitudo est deficiens et imperfecta, idcirco soleat dici, quod est imago, et ad imaginem Dei, Genes. 1. uxta illud Genes. 1 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* : quia, ut hic explicat Angelicus Doctor, per hunc Angel. Doctor modum loquendi denotatur imperfectio, quam in ratione imaginis habet, quatenus per illum motus quidam tendentis in perfectionem designatur.

Cæterum etsi Spiritus sanctus re ipsa, et de facto sit infinite similis suo principio quoad omnia, quæ in eo sunt, cum quibusque non habet oppositionem relativam : nihilominus non habet prædictam similitudinem ex vi processionis, sed ex aliis capitibus, ut in hoc dubio, et latius disput. 3 hujus tractatus per totam explicuimus. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma 1 ad Anni- D.Thom. baldum dist. 28 q. 2 art. 2 ad 3 ubi cum proposuisset hoc idem argumentum sic respondet : *Dicendum, quod in artificiato invenitur species artis etiam apud nos : non autem in amore artificis. Et ideo creatura, in quantum habet speciem artis æternæ, qua est Filius Dei, dicitur imago, et ad imaginem : non autem Spiritus sanctus, qui est amor.*

QUÆSTIO XXXVI

De persona Spiritus Sancti.

PROŒMIUM

Post considerationem prædictam, considerandum est de his quæ pertinent ad personam Spiritus sancti : qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor, et donum Dei.

ARTICULUS I.

22 q. 141 art. 1 cor. et 1 dist. 10 art. Et 4 cont. gent. c. 19 fin. et mal. q. 3 art. 14 cor. et opusc. 3 c. 46 et 47. * Lib. 8 de Trin. circa med. lib. * Declinando ad finem lib.

Utrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium nomen alicujus divinæ personæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen Spiritus sanctus non sit proprium nomen alicujus divinæ personæ. Nullum enim nomen commune tribus personis est proprium alicujus personæ. Sed hoc nomen Spiritus sanctus est commune tribus personis. Ostendit enim Hilarius * 8 de Trinitate, in Spiritu Dei aliquando significari Patrem, ut cum dicitur : Spiritus Domini super me. Aliquando significari Filium, ut cum dicit Filius : In Spiritu Dei ejicio dæmonia, naturæ suæ potestate ejicere se dæmonia demonstrans. Aliquando de Spiritu sancto, ut ibi : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Ergo hoc nomen Spiritus sanctus non est proprium alicujus divinæ personæ.

2. Præterea, nomina divinarum personarum ad aliquid dicuntur, ut Boetius dicit in * lib. de Trinitate. Sed hoc nomen Spiritus sanctus non dicitur ad aliquid. Ergo hoc nomen non est proprium divinæ personæ.

3. Præterea, quia Filius est nomen alicujus divinæ personæ, non potest dici filius hujus vel illius. Dicitur autem spiritus hujus, vel illius hominis. Ut enim habetur Num. 11 : Dixit Dominus ad Moysem : De Spiritu tuo accipiam, tradamque eis : et 4 Regum 2 : Requievit spiritus Eliæ super Elisæum. Ergo Spiritus sanctus non videtur esse proprium nomen alicujus divinæ personæ.

Sed contra est, quod dicitur 1 Joannis ultimo : Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus. Ut autem Augustinus dicit * 7 de Trinitate, cum quæritur quid tres? Dicimus, tres personæ. Ergo Spiritus sanctus est nomen divinæ personæ. * Cap. 4 et sequent. tom. 3.

Respondeo dicendum, quod cum sint duæ processiones in divinis, altera earum, quæ est per modum amoris, non habet proprium nomen, ut supra dictum est *. Unde et relationes, quæ secundum hujusmodi processionem accipiuntur, innominatæ sunt, ut etiam supra dictum est *. Propter quod et nomen personæ hoc modo procedentis eadem ratione non habet proprium nomen : sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex usu loquentium ad significandum prædictas relationes, cum nominamus eas nomine processionis, et spirationis, quæ secundum proprietatem significationis magis videntur significare actus notionales, quam relationes : ita ad significandum divi- * Q. 27 art. 4 ad 3. * Q. 26 art. 4.

nam personam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum est ex usu Scripturæ hoc nomen Spiritus sanctus. Et hujus quidem convenientiæ ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex ipsa communitate ejus, quod dicitur Spiritus sanctus. Ut enim Augustinus dicit * 15 de Trinitate : Quia Spiritus sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. Nam et Pater est Spiritus, Filius est Spiritus : et Pater est sanctus, et Filius est sanctus. Secundo vero ex ipsa significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem, et motionem significare videtur. Nam flatum, et ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moveat et impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus sanctus nominatur.

* Lib. 5 de Trin. c. 11 a medio et lib. 15 c. 19 circa fin. tom. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc, quod dico, Spiritus sanctus, prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati : quia nomine Spiritus significatur immaterialitas divinæ substantiæ. Spiritus enim corporeus invisibilis est, et parum habet de materia. Unde omnibus substantiis immaterialibus, et invisibilibus hoc nomen attribuimus. Per hoc vero, quod dicitur Sanctus, significatur puritas divinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc, quod dico, Spiritus sanctus, in vi unius dictionis, sic ex usu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam unam trium personarum, scilicet, quæ procedit per modum amoris, ratione jam dicta *.

* In corp. art.

Ad secundum dicendum, quod licet hoc, quod dico, Spiritus sanctus, relative non dicatur : tamen pro relativo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab aliis distinctam. Potest tamen intelligi in nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus.

Ad tertium dicendum, quod in nomine filii intelligitur sola relatio ejus, qui est a principio ad principium : sed in nomine patris intelligitur relatio principii : et similiter in nomine spiritus, prout importat quamdam vim motivam. Nulli autem creaturæ competit esse principium respectu alicujus divinæ personæ, sed e converso. Et ideo potest dici pater noster, et spiritus noster; non tamen potest dici Filius noster.

Prima conclusio : Si hoc nomen Spiritus sanctus, sumatur in vi duarum dictionum, neque ex significatione nominis, neque ex consuetudine est nomen proprium alicujus personæ divinæ, sed commune toti Tinitati.

Secunda conclusio : Si prædictum nomen sumatur in vi unius dictionis, tum licet ex vi suæ significationis non sit nomen proprium alicujus personæ : nihilominus ex usu Scripturæ, et Ecclesiæ accommodatum est ut sit proprium nomen ejus personæ divinæ, quæ procedit per modum amoris.

Circa hunc articulum nihil peculiariter occurrit notandum aut dicendum, suppositis his, quæ in hoc eodem tractatu disputatione 1, 2 et 3 latius diximus, circa processionem Verbi, et Spiritus sancti : ubi pluribus ostendimus, Spiritum sanctum esse verum Deum, et unam ex personis divinis : ex quibus, et ex his, quæ ibi docet D. Thomas, satis impugnati manent plures, diversi errores, qui circa hoc exorti sunt.

4 dist. 11 art. 1. Et p. q. 10 art. 4 et opusc. 1 c. 49, 50 et 51 et opusc. 3 c. 49 et 4 conc. c. 24 et 25.

ARTICULUS II.

Utrum Spiritus sanctus procedat a Filio?

Ad secundum sic proceditur : Videtur, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio. Quia secundum Dionysium * : Non est audendum dicere aliquid de substantiali divinitate, præter ea, quæ divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa. Sed in Scriptura sacra non exprimitur, quod Spiritus sanctus a Filio procedat, sed solum quod procedat a Patre ut patet Joannis 15 : Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

* Cap. 1 de div. nom. parum a princip.

2. Præterea, in Symbolo * Constantinopolitanæ Synodi sic legitur : Credimus in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, et Filio adorandum, et glorificandum. Nullo igitur modo debuit addi in Symbolo nostro, quod Spiritus sanctus procedat a Filio : sed videntur esse anathematis rei qui hoc addiderunt.

* In 1 Constantinop. canone 7, tomo 1 Conc.

3. Præterea, Damascenus * dicit : Spiritum sanctum ex Patre dicimus, et Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus : Spiritum vero Filii nominamus. Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

* Lib. 1 orth. Fidei c. 11 non procul a fine.

4. Præterea, nihil procedit ab eo in quo quiescit. Sed Spiritus sanctus quiescit in Filio. Dicitur enim in legenda Beati Andreæ : Pax vobis, et universis, qui credunt in unum Deum Patrem, et unum Filium ejus unicum, Dominum nostrum Jesum Christum, et in unum Spiritum sanctum procedentem ex Patre, in Filio permanentem. Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

5 Præterea, filius procedit ut verbum. Sed spiritus noster in nobis non videtur procedere a verbo nostro. Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

6. Præterea, Spiritus sanctus perfecte procedit a Patre. Ergo superfluum est dicere, quod procedit a Filio.

7 Præterea, in perpetuis non differunt esse, et posse (ut dicitur in * 3 Physicorum) et multo minus in divinis. Sed Spiritus sanctus potest distingui a Filio, etiamsi ab eo non procedat. Dicit enim Anselmus * in lib. de Processione Spiritus sancti. Habent utique a Patre esse Filius, et Spiritus sanctus, sed diverso modo : quia alter nascendo, et alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem. Et postea subdit : * Nam si per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi. Ergo Spiritus sanctus distinguitur a Filio, ab eo non existens.

* Lib. 3 Phys. tex. 32 tom. 2. * Non procul a princ. lib. et per totum lib. * Eodem loco nunc dicto.

Sed contra est, quod dicit Athanasius * Spiritus sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

* In Symbolo suo fidei.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, Spiritum sanctum a Filio esse. Si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Quod ex supra * dictis patet. Non enim est possibile dicere quod secundum aliquid absolutum divinæ personæ ab invicem distinguantur : quia sequeretur, quod non esset trium una essentia : quidquid enim in divinis absolute dicitur, ad unitatem essentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quod solum relationibus divinæ personæ ab invicem distinguantur. Relationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundum quod sunt oppositæ. Quod ex hoc patet. Quia Pater habet duas relationes, quarum una refertur ad Filium, et alia ad Spiritum sanctum : quæ tamen, quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, sed ad unam personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio et Spiritu sancto non esset invenire nisi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illæ relationes non essent ad invicem oppositæ : sicut neque duæ relationes, quibus Pater refertur ad illos. Unde, sicut persona Patris est una : ita sequeretur quod persona Filii, et Spiritus sancti esset una, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo, quod Filius, et Spiritus Sanctus ab invicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in divinis aliæ relationes oppositæ, nisi relationes originis, ut * supra probatum est. Oppositæ autem relationes originis accipiuntur secundum principium, et secundum quod est a principio. Relinquitur ergo, quod necesse est dicere, vel Filium esse a Spiritu sancto (quod nullus dicit) vel Spiritum Sanctum esse a Filio : quod nos confitemur. Et huic quidem consonat ratio processionis utriusque. Dictum enim est supra * quod Filius procedit per modum intellectus, ut verbum; Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis, ut amor. Necesse est autem, quod amor a verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus. Unde et secundum hoc manifestum est, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nusquam enim hoc invenimus, quod ab uno procedant plura absque ordine, nisi in illis solum, quæ materialiter differunt. Sicut unus faber producit multos cultellos, materialiter ab invicem distinctos, nullum ordinem habentes ad invicem.

* Q. 27 art. 3 et q. 30 art. 2. * Q. 28 art. 4. * Q. 27 art. 2 et 4 q. 28 art. 4.

invicem. Sed in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper invenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Unde etiam in ordine creaturarum productarum decor divinæ sapientiæ manifestatur. Si ergo ab una persona Patris procedunt duæ personæ, scilicet Filius, et Spiritus Sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem. Nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturæ, quo alius est ex alio. Non est igitur possibile dicere, quod Filius, et Spiritus Sanctus sic procedant a Patre, quod neuter eorum procedat ab alio; nisi quis poneret in eis materialem dictinctionem : quod est impossibile. Unde etiam ipsi Græci processionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, et esse a Patre per Filium. Et quidam eorum dicuntur concedere, quod sit a Filio, vel profluat ab eo : non tamen, quod procedat : quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex protervia esse. Quia si quis recte consideret, inveniet, processionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcumque pertinent, communissimum esse. Utimur enim eo ad designandum qualemcumque originem : sicut quod linea procedit a puncto, radius a sole, rivus a fonte : et similiter in quibuscumque aliis. Unde ex quocumque alio ad originem pertinente potest concludi, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio.

Ad primum ergo dicendum, quod de Deo dicere non debemus, quod in sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum. Licet autem per verba non inveniatur in sacra Scriptura, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio : invenitur tamen quantum ad sensum, et præcipue ubi dicit Filius, Joannis 16 de Spiritu Sancto loquens : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Regulariter etiam in sacra Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater, et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matthæi 11 dicit : *Nemo novit Filium nisi Pater,* non excluditur, quin Filius se ipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius : quia quantum ad hoc, quod est, esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater, et Filius; sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, et ille Filius.

Ad secundum dicendum, quod in quolibet Concilio institutum fuit Symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in Concilio damnabatur. Unde sequens Concilium non faciebat aliud Symbolum, quam primum : sed id, quod implicite continebatur in primo Symbolo, per aliqua addita explanabatur contra hæreses insurgentes. Unde in determinatione * Chalcedonensis Synodi dicitur, quod illi, qui fuerunt congregati in Concilio Constantinopolitano, doctrinam de Spiritu Sancto tradiderunt : non quod minus esset in præcedentibus, qui apud Nicæam congregati sunt, inferentes; sed intellectum eorum adversus Hæreticos declarantes. Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum Sanctum non procedere a Filio, non fuit necessarium, quod hoc explicite poneretur. Sed postea insurgente errore quorumdam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato expressum fuit authoritate Romani Pontificis : cujus authoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, et confirmabantur. Continebatur tamen implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus Sanctus a Patre procedere.

* Dum ponitur Symbolum illius, circa med. habetur, tomo 1 Concil. quæ sunt Coloniæ impressa anno 1530.

Ad tertium dicendum, quod Spiritum Sanctum non procedere a Filio, primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quodam Symbolo Nestorianorum damnato in Ephesina Synodo. Et hunc errorem secutus fuit Theodoricus Nestorianus, et plures post ipsum, inter quos fuit etiam Damascenus. Unde in hoc ejus sententiæ non est standum. Quamvis a quibusdam dicatur, quod Damascenus *, sicut non confitetur, Spiritum Sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum.

* Damasc. in histor. duorum melit.

Ad quartum dicendum, quod per hoc, quod Spiritus Sanctus dicitur quiescere, vel manere in Filio, non excluditur, quin ab eo procedat. Quia et Filius in Patre manere dicitur : cum tamen a Patre procedat. Dicitur etiam Spiritus Sanctus in Filio quiescere, vel sicut amor amantis quiescit in amato, vel quantum ad humanam naturam Christi, propter id, quod scriptum est Joannis 1 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat.*

Ad quintum dicendum, quod Verbum in divinis, non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis, a quo non procedit Spiritus : quia sic tantum metaphorice diceretur : sed secundum similitudinem verbi mentalis, a quo amor procedit.

Ad sextum dicendum, quod per hoc, quod Spiritus Sanctus perfecte procedit a Patre, non solum non superfluum est dicere, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio, sed omnino necessarium : quia una virtus est Patris, et Filii : et quidquid est a Patre, necesse est esse a Filio, nisi proprietati Filiationis repugnet. Non enim Filius est a se ipso, licet sit a Patre.

Ad septimum dicendum, quod Spiritus Sanctus distinguitur personaliter a Filio in hoc, quod origo unius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentia originis est per hoc, quod Filius est solum a Patre, Spiritus Sanctus vero a Patre, et Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur, sicut supra * ostensum est.

* In corp. art. et q. 27.

Prima conclusio : Necesse est dicere, quod Spiritus Sanctus a Filio procedit.

Secunda conclusio : Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab eo personaliter.

DISPUTATIO XIV.

De principio, a quo procedit Spiritus Sanctus.

Postquam peculiariter egimus de persona 1.
Verbi, et de principio, a quo procedit; statim pulsat animum discutere de persona Spiritus sancti, et de principio, a quo habet procedere : et ideo ad hoc examinandum præsentem disputationem una cum D. Thoma excitamus.

DUBIUM I.

Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio?

Consulto non inquirimus, an Spiritus 2.
sanctus procedat a Patre : quia hoc, ut certum supponitur ex Scriptura, ut Joannis 15 : *Spiritus veritatis qui a Patre procedit :* nec de eo dubitaverunt unquam Hæretici, qui confitentur mysterium Trinitatis. Et ita tota hujus dubii difficultas ad Filium devolvitur, an nimirum ab eo procedat Spiritus sanctus? De quo etiam in Ecclesia Latina nunquam est dubitatum; sed ab omnibus pars affirmativa est recepta : et non utcumque, sed ut certa secundum fidem : et solum a Græcis partem negativam defendentibus est hoc in controversiam vocatum. Et ideo ut magis pateant ea, quæ contra Græcos Latini adducebant, et duæ posteriores rationes, quas in artic. 2 hujus quæstionis adducit D. Thomas, maneant explicatæ : propterea dubium hoc proponimus, illudque non nimis diffuse decidemus, ut qui plura de hoc videre desideraverit, recurrat ad Concilium Florentinum, in quo fuse de hac re fuit disputatum. Nam usque ad Sessionem 18 multa dicun-

Joan. 15. D.Thom. Conc. Florentin.

tur de additione illius particulæ *filioque*, facta in Symbolo Nicæno, et ab illa Sessione est late pro utraque parte de ipso dogmate, scilicet, de processione Spiritus sancti a Patre, et Filio disputatum. Et tandem in litteris sanctæ unionis, quæ habentur in fine ultimæ Sessionis, diffinitur, quid in hoc tenendum sit. Quæ quidem magis explicata refert Besarion Cardinalis in oratione, quæ inscribitur *dogmatica*, vel *pro unione*, et habetur in fine ejusdem Concilii. Videantur etiam Armacanus lib. 6 de quæstionibus Armenorum, Bellarminus tomo 1 lib. 2 de Christo a cap. 20 usque in finem, Valentia lib. 2 de Trinitate capit. 6, Suarez lib. 10 de Trinitate cap. 1, Vasquez disputat. 146, Ruiz de Montoya in præsenti disput. 67.

Symbol. Nicæn. — Besarion Cardinal. — Armac. — Bellarm. — Valent. — Suarez. — Vasquez. — Ruiz de Montoya.

§ I.

Sententiæ Catholicæ.

3. Conclusio de fide. Dicendum ergo est, Spiritum Sanctum procedere a Filio. Assertio hæc est de fide. Nam in primis continetur in omnibus illis Scripturæ locis, in quibus habetur, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, ut ad Romanos 8 : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ad Galatas 4 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba, Pater.* Ex quibus locis Augustinus tract. 91 in Joannem probat, Spiritum sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio procedere. Nam sicut Christus Dominus est Filius Patris, et Spiritus sanctus est Spiritus Patris, quia habent ab eo procedere, ut constat ex illo Matthæi 10 : *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; et Joannis 15 : *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* : ita etiam Spiritus sanctus erit Spiritus Christi, seu Filii, quia procedit ab eo.

Ad Romanos 8. — Ad Galatas 4. — August. — Matthæi 10. — Joan. 15.

Quam expositionem tradunt etiam plures Patres, et Concilia, inter quæ Nicænum lib. 2 versus finem § *Cum sit copiosa*, his verbis : *Et Spiritus sancti ex eodem Patre procedentis, qui et proprius est Filii, ut ait Paulus : Qui Spiritum Christi non habet hic non est ejus.* Concilium Alexandrinum, et simul cum eo Cyrillus in epistola ad Nestorium inquiens : *Spiritus veritatis nominatur. Christus autem veritas est, sed perinde ab illo, atque a Deo Patre procedit.* Athanasius tomo 4 epistola ad Serapionem : *De Sancto spiritu*, Cyrillus lib. 13 Thesauri cap. 3 in hæc verba : *Ostendens, Spiritum sanctum ex substantia Patris, et Filii esse : Spiritus, inquit, ipsa veritas est.*

Conc. Nicænum. — Conc. Alexandrinum. — Athan. — Cyrillus.

4. D.Thom. Quæ testimonia latius explicat, et ad hoc intentum inducit D. Thomas quæst. 10 de Potentia artic. 4 his verbis : *Restat ostendere per auctoritates sacræ Scripturæ, quod Spiritus sanctus sit a Filio. Habetur enim in pluribus sacræ Scripturæ locis, quod Spiritus sanctus sit Filii : sicut Roman. 8 : Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et Galat. 4 : Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Et Actorum 16 : Tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu, etc. Aut ergo dicitur esse absolute ejus, aut dicitur esse ejus, ut spiritus ejus? Si autem absolute, tunc oportet, quod sit aliqua auctoritas Filii respectu Spiritus sancti. Apud nos enim potest dici aliquis esse alterius secundum quid, qui non habet auctoritatem respectu ipsius : sicut cum dicitur, Petrus est socius Joannis. Sed non potest dici, Petrus esse Joannis absolute, nisi sit quædam possessio ejus : sicut servus hoc ipsum, quod est, dicitur esse domini. In divinis autem non potest esse aliquid serviens vel subjectum ; sed intelligitur ibi auctoritas secundum solam originem. Oportebit ergo, quod Spiritus sanctus habeat originem a Filio. Et idem sequitur, si dicatur Spiritus sanctus esse Filii, ut spiritus ejus : quia spiritus, secundum quod est nomen personale, importat relationem originis ad spirantem, sicut Filius ad generantem.*

5. Effugium. Nec refert, si dicas, Spiritum sanctum dici Spiritum Christi secundum humanitatem, quia ipsum secundum hanc rationem sumptum replebat, in ipsoque quievit. Non itaque hoc refert. Quoniam evasionem hanc optime impugnat D. Thomas, tum loco citato ex quæstione de Potentia his verbis : *Non enim potest intelligi, quod Spiritus sanctus sit Spiritus Christi solum secundum humanitatem, quasi ipsum replens : quia Spiritus sanctus est alicujus hominis, ut habentis, non autem, ut dantis. Filii autem est Spiritus sanctus, ut dantis ipsum, secundum illud 1 Joannis 4 : In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis : quia de spiritu suo dedit nobis. Et Actorum 5 dicitur, quod dedit Spiritum sanctum obedientibus sibi. Oportet ergo, quod dicatur esse Spiritus sanctus Filii, in quantum est divina persona* : ac proinde intelligitur ibi auctoritas secundum solam originem.

Præcluditur. D.Thom.

6. Tum etiam Opusculo 1 contra errores Græcorum cap. 32, ubi postquam evasionem hanc, quam impugnamus, retulit his verbis :

verbis : *Potest autem aliquis dicere, quod sit Spiritus Christi, quasi in homine Christo plenarie inhabitans secundum illud Lucæ* 4 : *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* Sic eam Angelicus Præceptor impugnat : *Hæc autem responsio sustineri non potest, ut scilicet hac tantum ratione Spiritus sanctus, Spiritus Christi dicatur. Invenitur enim a Doctoribus Græcorum, quod Spiritus sanctus sit naturalis Spiritus Filii. Dicit enim Anathasius sermone* 3. *Nicæn. Concilii : Sicut in Christo vivit nostra natura Deifice, et ipse in ea regnat : ita et nos in suo naturali Spiritu simus, vivamus, et regnemus. Idem in epistola ad Serapionem : Accepistis spiritum adoptionis, id est, naturalem spiritum de natura Filii naturalis. Et Cyrillus dicit super Joannem : Existit siquidem Filius in proprio genitore habens in se ipsum gignentem se : et sic Patris Spiritus veraciter, et naturaliter Filii videtur, et est spiritus. Spiritus autem non est naturalis Christo secundum humanitatem : quia non pertinet ad naturam humanitatis, sed gratis a Deo in natura humanitatis effunditur. Non ergo potest propter hoc dici Spiritus Filii quia Christum excellenter replevit secundum humanitatem. Item Athanasius dicit in sermone de Incarnatione Verbi, quod ipse Christus mittebat spiritum e sursum, sicut Deus Filius, et ipse deorsum accipiebat spiritum, ut homo. Ex ipso ergo in ipsum habitat de Deitate ejus, et humanitate ejusdem. Non solum ergo Spiritus sanctus est Spiritus Christi quia humanitatem ejus replevit; sed magis, quia est ex divinitate ipsius.*

Iterum probatur ex Scriptura.

Eadem etiam veritas continetur in illis Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur, Spiritum sanctum mitti a Filio, ut est illud : *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* (Joan. 16.) Et illud : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, etc.* (Joan. 15.) Quæ testimonia ad præsens intentum eodem modo, ac præcedentia, inducit idem Angelicus Præceptor loco nuper citato ex q. 10 de Potentia his verbis : (D. Thom.) *Similiter etiam invenitur in scripturis, quod Filius mittit Spiritum sanctum, sicut supra dictum est. Semper autem mittens videtur habere auctoritatem supra missum. Auctoritas autem in divinis, ut dictum est, non est nisi secundum originem. Unde sequitur, quod Spiritus sanctus originem habeat a Filio.*

7. Evasio.

Nec refert, si occurras ex Græcis, quod Spiritus sanctus dicitur mitti a Filio, non quantum ad personam ipsam ejusdem Spiritus sancti, sed quantum ad charismata, et dona, quæ nobis tribuit Filius. Qua etiam ratione dicebant iidem Græci in Concilio Florentino Sessione 23 ante unionem, (Conc. Florentinum.) quod Spiritus sanctus dicitur *scaturire, hauriri, profundi a Filio :* non tamen *procedere.* Quoniam per priora illa verba tantum denotatur effusio donorum ejusdem Spiritus sancti.

Exploditur.

Nam contra hoc est, quod Filius secundum utramque rationem, dicitur mittere Spiritum sanctum ad nos, ut constat ex illo Pauli ad Romanos 5 : (Ad Romanos 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quæ verba duo denotant. Primum, infusionem charitatis, cum qua infunduntur cætera dona Spiritus Sancti. Secundum vero, quod Spiritus Sanctus datus sit nobis, ac proinde Spiritus Sancti persona data est nobis, et missa. Cumque ista datio, et missio sit a Filio, oportebit, ut ab eo procedat persona Spiritus Sancti.

Accedit primo, quod cum Pater dicitur misisse Filium suum in hunc mundum, intelligitur missio ipsius personæ Filii et non solum donatio sapientiæ, et aliorum donorum quæ illi tribuuntur : ergo eadem ratione cum Scriptura dicat, Filium mittere Spiritum Sanctum a Patre, intelligetur, quod ipsa persona Spiritus Sancti mittatur.

Accedit secundo, quod si mittere Spiritum Sanctum solum esset tribuere nobis charismata illius, tunc etiam Filius diceretur mittere Patrem : siquidem etiam dedit nobis omne datum optimum, et omne donum perfectum, quod tribuitur Patri, et ideo dicitur descendere a Patre luminum.

8. Occurrunt Græci.

Neque etiam obest, si dicas ex eisdem Græcis, quod etiam Filius dicitur mitti ab Spiritu Sancto, ut Isaiæ 61 : (Isaïæ 61.) *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annunciandum mansuetis misit me*, et tamen Filius non procedit ab illo. Non itaque refert. (Contra.) Nam Filius, in quantum factus est homo, dicitur mitti ab Spiritu Sancto ad prædicandum : non tamen mittitur, in quantum Deus, sumpta missione secundam primam ejus translationem ex creaturis ad divina, nisi a Patre. Unde Filius Dei a solo Patre fuit sic missus ad incarnandum ; sed postquam incarnatus est, mittitur a Patre, et ab Spiritu Sancto, necnon a se ipso ad prædicandum, quatenus actiones humanitatis Christi a tota Trinitate dirigebantur. Cum ergo Spiritus Sanc-

tus mittatur a Filio, et non in natura assumpta hypostatice, quippe qui nullam sibi sic univit; dicetur mitti in natura divina : et per consequens, ut subsistens in natura divina, procedet a Filio.

9. Roboratur. hæc impugnatio. Adde (et explicabitur magis hoc ipsum) quod Christus, adhuc ut persona divina, mittitur ab Spiritu Sancto per missionem secundum secundariam ejus translationem a creaturis ad divina, de qua infra disputatione ultima hujus tractatus, num. 24 sermo fit. Nos autem non colligimus processionem Spiritus Sancti a Filio ex missione qualicumque, sed ex missione secundum primariam ejus translationem ex creaturis ad divina, quam loco citato late explicabimus, quæque importat in divinis, quod missus mittatur de essentia mittentis; juxta illud, quod de se ipso collato cum Spiritu Sancto dicit Christus Dominus, nempe:
Joan. 16. *De meo accipiet*, ut statim videbimus. Et sic testimonia, quæ de missione Spiritus Sancti a Filio loquuntur, debent de hoc genere missionis secundum primariam ejus translationem intelligi, sicque intellecta satis intentum suadent.

Amplius probatur assertio. Joan. 16. D. Thom. Unde hoc ipsum habetur in illo Joannis 16 : *Ille me clarificabit : quia de meo accipiet*. Quod testimonium explicat D. Thomas loco nuper relato ex quæst. de Potentia his verbis : *Expressius autem est, quod habetur Joannis 16 ex persona Filii, de Spiritu sancto dicentis : Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Constat autem, quod non accipit a Filio Spiritus sanctus, quasi prius non habens : quia sic esset mutabilis, et indigentis naturæ. Constat ergo, quod ab æterno accepit a Filio : nec potuit accipere aliquid, quod non sit ejus essentia ab æterno. Ergo accepit Spiritus sanctus essentiam de Filio.*

10. Occurres. Euthym. Theophil. Nec obest, si dicas cum Euthymio, et Theophilacto, illam particulam, *de meo*, significare idem, ac *de meo thesauro*, scilicet Patre, a quo etiam Filius accepit essen-
Contra. tiam. Non itaque hoc obest. Nam hanc expositionem optime refutat ipse Christus
Joan. 16. Dominus verbis sequentibus dicens : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet*. Hinc enim constat, quod cum Christus Dominus dixit : *De meo accipiet*, non intellexit Patrem, ut distinctum a Filio : quia secundum hanc rationem non est verum dicere, quod omnia, quæ habet Pater, sunt Filii. Si ergo Spiritus Sanctus de his, quæ communia sunt Patri et Filio, accipit essentiam, sequitur, spirationem Spiritus Sancti communem esse Patri et Filio : atque adeo Patrem et Filium esse unum principium ejusdem Spiritus Sancti.

Quam probationem tetigit etiam Angelicus Præceptor loco citato dicens : *Rationem autem, quare de Filio acceperit Spiritus sanctus, ipsemet Filius subjunxit dicens : Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quod de meo accipiet. Quasi diceret : Quia eadem est essentia Patris, et mea, non potest Spiritus sanctus esse de essentia Patris, quin sit de mea essentia* ; ac proinde, quia omnia, quæ sunt Patris, sunt Filii (intellige, præter hoc, quod est esse Patrem), ideo spiratio Spiritus Sancti communis erit Patri et Filio. D. Thom.

Eamdem etiam impugnationem dilucide adduxit idem D. Thomas Opusculo 1 contra errores Græcorum cap. 32, ubi postquam retulit hanc evasionem, quam impugnamus, statim ex verbis, quæ addidit Christus Dominus, nempe : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt : Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*, sic arguit : *Sed ex hac Domini expositione de necessitate concluditur, quod Spiritus sanctus a Filio accipiat. Si enim omnia, quæ sunt Patris, sunt etiam Filii, oportet, quod authoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus sancti, sit etiam Filii. Sicut ergo Spiritus sanctus accipit de eo, quod est Patris, a Patre ; ita accipit de eo, quod est Filii, a Filio. Hinc est quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem : De sua propria essentia Spiritum sanctum existentem Deum de se essentialiter suis Apostolis, et suæ sponsæ Ecclesiæ demonstrando Christus affirmavit, sic dicens, De meo accipiet, idest, de mea essentia habet, ut sit Deus, sic a me habet esse, et loqui. Item Athanasius in sermone Nicæni Concilii : Spiritus sanctus quidquid habet, habet a Verbo Dei.* 11. Joan. 16.

Nec solum Angelicus Præceptor, sed etiam plures alii ex Patribus hanc eamdem probationem ex hoc testimonio deducunt. Hi sunt Athanasius lib. 3 contra Arrianos, et in epist. 1 ad Serapionem Episc. et Dialogo 1 contra Macedon. Nazianzenus Oratione 49 et 50 de fide, Epiphanius in Anchorato columna 7 et hæresi 76 et 62 et 69, Didymus lib. 2 de Spiritu Sancto, N. Cyrillus Alexandrinus lib. 13 Thesauri cap. 3 et 4 et lib. 6 Dialog. de Trinit. col. 5 et 6 lib. 11 in Joannem c. 2 et cum eo Synodus Alexandrina in epistola ad Nestorium, quæ, ut statim dicemus, exstat in Concilio 12. D. Thom. Athan. Nazianz. Epiphan. Didymus. Cyrillus Alexand. Synodus Alexand.

Ambros. Concilio Ephesino, Ambrosius de fide ad Gratianum et in Symbolo Apost. cap. 1 et 3, Hilarius lib. 8 de Trinitate, Augustinus tractatu 99 in Joannem et tractatu 121, Leo Magnus sermone 1 in Pentecosten cap. 3, Anselmus in libro de Processione Spiritus Sancti cap. 7 et 8, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 16 et 17.

Hilarius. August. Leo Mag. Anselm. Cyrillus Hierosol.

Et quod magis est, quodque prædicta omnia amplius confirmat, hæc eadem probatio adducitur ab Eugenio IV in fine Concilii Florentini in litteris sanctæ unionis his verbis : *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est.*

Eugenius IV.

13. Et tandem hæc eadem veritas traditur in illis Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur, Filium per Spiritum sanctum operari, quæ quidem affert, et inducit ad præsens institutum D. Thomas loco nuper relato ex quæst. 10 de Potentia his verbis : *Traditur etiam in sacra Scriptura quod Filius per Spiritum operatur sicut habetur Romanorum* 15 : *Per me efficit Christus, scilicet miracula et alia bona, dicit Apostolus, in Spiritu sancto, id est, per Spiritum sanctum. Et Hebræorum* 9 *dicitur, quod per Spiritum sanctum obtulit semetipsum. Quandocumque autem aliquis per aliquem dicitur operari, oportet, quod vel operans det virtutem operativam ei, per quem operatur : sicut Rex dicitur operari per Præpositum, vel Ballivum : vel e converso, sicut cum dicitur Ballivus operari per Regem. Oportet ergo, si Filius operatur per Spiritum sanctum, quod vel Spiritus sanctus det virtutem operativam Filio, vel Filius Spiritui sancto : et ita quod unus alteri det essentiam, cum virtus operativa utriusque non sit aliud quam ejus essentia. Constat autem, quod Spiritus sanctus non dat essentiam Filio : cum Filius non sit Filius, nisi Patris. Relinquitur ergo, quod Spiritus sanctus sit a Filio.*

D.Thom.

Symbolum Athan. Præterea eadem veritas diffinita est in Symbolo Athanasii : *Spiritus sanctus a Patre et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in septima Synodo generali Actione 7 in Symbolo fidei dicitur : *In Spiritum sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.*

14. Concilium Nicænum. Nec obstat, quod Græci Schismatici negent, in codicibus Græcis septimæ Synodi generalis haberi illam particulam : *Filioque procedit.* Quia hos optime redarguit Andreas Doctor Latinus in Concilio Florentino Sessione 5, ubi adductus fuit vetustissimus codex Græcorum Synodi septimæ generalis, in cujus Actione septima legitur, *Filioque procedit.* Accedit etiam diffinitio Concilii Florentini Sessione 24, ubi post multas longissimasque disputationes Latinorum cum Græcis de hac re habitas, tandem diffinitum est ab Eugenio IV in litteris unionis, Spiritum sanctum a Patre et Filio, ut ab uno principio procedere. Cui diffinitioni subscripserunt omnes Patres tam Græci, quam Latini in eadem Sessione.

Concil. generale VII Florent.

§ II.

Pro eadem Catholica veritate prior D. Thomæ ratio.

Ad explicandam autem, et suadendam hanc eamdem veritatem Catholicam adducit Angelicus Doctor in præsenti, et in aliis locis statim referendis triplicem rationem. Quia vero priorem ex illis dubio sequenti latius examinabimus : idcirco in præsenti duas posteriores ejusdem S. Doctoris rationes tantummodo adducemus, quarum prior potest ad hanc formam reduci. Quoniam Verbum, seu Filius in divinis procedit per modum intellectus ut verbum, et Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis, ut amor : ergo Spiritus sanctus procedit a Filio, seu Verbo. Antecedens constat ex illis, quæ late quæst. 27 diximus Consequentia vero probatur. Nam proprium est amoris, seu ejus, quod per modum amoris procedit, quod procedat a verbo : ex eo quod nihil amare possumus, nisi id, quod verbo concipimus. 15.

Prior ratio ex D. Thoma desumpta.

Quam rationem adduxit etiam S. Doctor. Tum 4 contra Gentes cap. 24 his verbis : *Ex hoc ipso, quod dicitur, quod Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis, et Filius per modum intellectus, sequitur, quod Spiritus sanctus sit a Filio. Nam amor procedit a verbo : eo quod nihil amare possumus, nisi verbo cordis illud concipiamus.* 16.

D.Thom.

Tum etiam Opusculo 2 cap. 49 ubi sic ait : *Secundum autem quod intellectus actu intelligit, est in ipso id, quod intelligitur. Hoc igitur, quod est, intellectum esse in intelligente, procedit ex virtute intellectiva intellectus, et hoc est verbum ipsius ut supra dictum est. Similiter etiam id, quod amatur est in amante, secundum quod amatur actu. Quod autem aliquid actu ametur, procedit ex virtute amativa amantis, et ex bono amabili,*

actu intellecto. Hoc igitur, quod est, amatum esse in amante, ex duobus procedit, scilicet, ex principio amativo, et ex intelligibili apprehenso, quod est verbum conceptum de amabili. Cum igitur in Deo se ipsum intelligente, et amante, verbum sit Filius : is autem cujus est verbum sit verbi Pater, necesse est, quod Spiritus sanctus, qui pertinet ad amorem, secundum quod Deus in se ipso est, ut amatum in amante, ex Patre procedat, et Filio. Unde et in Symbolo dicitur : Qui ex Patre, Filioque procedit.

§ III.

Solutio duplex rationis D. Thomæ, et utriusque inpugnatio.

17. Prior solutio rationis. Rada. Nec obest, si dicas primo cum Rada, quod ex hac ratione non colligitur intentum, quia principium, in quo innititur, nempe, amorem procedere a verbo, est falsum : siquidem ad amorem satis est ex parte intellectus cognitio, et perceptio rei amatæ. Potestque hæc solutio confirmari D.Thom. ex doctrina D. Thomæ, quam late tomo 1 tract. 2 disp. 2 num. 206 explicuimus, nempe, beatos per visionem beatificam non formare verbum : et nihilominus producunt amorem ex sola visione beata, sine interventu verbi. Tum etiam, quia cum per intellectionem essentialem, et per divinam essentiam, ut unitam in ratione objecti intellecti cum intellectu Dei, repræsentetur sufficientissime divina bonitas voluntati ipsius Dei, non est cur desideretur influxus Verbi.

Refutatur primo. Nam contra hoc est. Primo, quod ad amorem non solum desideratur cognitio objecti amati, sed etiam quod ipsum objectum amatum sit in intellectu ratione verbi proprie talis, vel alicujus, quod habeat rationem verbi communiter dicti, et ratione cujus objectum uniatur cum intellectu per modum objecti intellecti, sive per modum termini intellectionis : ergo sicut cognitio per se influit in amorem, ita etiam quoties datur verbum proprie dictum præsuppositum ad eumdem amorem, influet per se in illum. Et similiter quando deest verbum proprie dictum, et solum datur verbum communiter sumptum, tunc verbum istud habebit etiam per se influere in prædictum amorem. Et tandem quando ratione fœcunditatis inventum fuerit utrumque verbum, ut in divinis cernitur, tunc utrumque etiam per se influet.

Antecedens videtur perspicuum. Quia nequit dari cognitio, quæ quidem per se requiritur ad amorem, nisi objectum, quod est amandum, sit unitum cum intellectu in ratione objecti, et termini intellectionis, vel per verbum proprie, vel communiter dictum, ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 num. 231 diximus. Consequentia vero probatur. Tum, quia id, per quod objectum amatum est intra intellectum, non potest non influere per se in amorem prædicti objecti. Constat autem, quod per omnia ista verba objectum amatum est intra intellectum. Tum etiam, quia quod per se desideratur ad omnem, et quamvis cognitionem, petitur etiam, et modo sibi proportionato influit cum illa in id, in quod ipsa cognitio, ut talis, influit. 18.

Eliditur secundo. Deinde. Nam in amorem beatificum per se influit, tum visio beatifica, tum etiam essentia divina, ut unita cum intellectu beato in ratione objecti intellecti, seu in ratione verbi communiter dicti, et supplentis defectum verbi creati, cui propter suam finitatem repugnat repræsentare Deum, prout est in se. Ergo si beati formarent verbum, tunc etiam verbum istud per se influeret in eumdem amorem. Ergo in divinis ubi datur illud proprie dictum, per se influeret in amorem, nempe in Spiritum sanctum.

19. Antecedens quoad primam partem, nempe, quoad visionem beatificam, non indiget probatione. Quoad secundam vero, nimirum, quoad essentiam divinam, ut habentem rationem verbi communiter dicti, etiam constat. Tum, quia nec visio beatifica, nec aliquid aliud creatum est similitudo divinæ essentiæ, prout est in se, ne aliqua creatura sit ipse Deus in *esse* intelligibili, et ita in hoc aperta involvatur contradictio. Nam, ut latius diximus in 1 tomo tractatu 2 disput. 2 n. 133. quod est similitudo in *esse* intelligibili alicujus, est ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum illo : et implicat, aliquid creatum esse ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum Deo, ut ibidem num. 136 ostendimus : ergo divina essentia, ut unita cum intellectu beato in ratione objecti intellecti, et supplentis defectum verbi creati, debet per se influere in amorem beatificum : siquidem in istum per se influit, vel similitudo objecti intellecti, ratione cujus objectum terminet actu intellectionem, quæque in præsenti, ut modo dicebamus, repugnat; vel ipsum objectum, nempe, quoad præsens ipsa divina essentia,

essentia, ut secundum suam substantiam unitur cum intellectu in ratione objecti actu terminantis intellectionem.

Tum etiam. Quia ob naturalem sympathiam et colligationem, quæ est inter intellectum, et voluntatem, et inter objectum hujus, et illius, oportet, ut tot modis objectum intellectus concurrat ad amorem, quot est intra eumdem intellectum, ad hoc ut possit dari intellectio ipsius influens in eumdem amorem : ergo cum ad intellectionem objecti debeat objectum esse intra intellectum, tam in ratione objecti motivi, quam objecti terminantis intellectionem, ut tomo 1 tractatu 2 disput. 2 num. 231 nuper citato diximus, non poterit non secundum utramque rationem in amorem influere : ac proinde quoad amorem beatificum non poterit non essentia divina, ut unita cum intellectu beato in ratione objecti intellecti, per se influere : siquidem non per aliquam similitudinem creatam, sed solum per se ipsam potest esse intra intellectum beatum, seu unita cum illo in ratione objecti intellecti.

20. Ex quo etiam prima consequentia liquet. Quoniam si essentia divina, ut supplens defectum verbi creati ibidem, ac proinde ut gerens id, quod præstaturum erat verbum creatum (si ibi non implicaret) influit per se in amorem istum, non est cur verbum creatum repræsentativum Dei, prout est in se (si non implicaret) non influeret in eumdem amorem.

Secunda vero consequentia ex priori etiam constat. Tum, quia non est cur Verbo increato repræsentanti divinam essentiam, prout est in se, denegetur id, quod concederetur verbo creato eodem modo repræsentativo ejusdem essentiæ, si daretur. Maxime (id, quod notatu dignum est, per quodque apparens evasio, quæ hic adhiberi poterat, impugnatur.) Quia quod divina essentia uniatur cum intellectu Dei in ratione objecti intellecti in ordine ad amorem notionalem, nempe Spiritum sanctum, nihil potest obesse ad hoc, ut Verbum divinum influat per se in eumdem amorem : quia sicut prædicta unio divinæ essentiæ non tollit, quominus producatur Verbum ex fœcunditate ; licet tollat, quod producatur ex indigentia : ita licet auferat influxum Verbi in prædictum amorem ex indigentia provenientem ; non tamen influxum, qui ex fœcunditate proveniat.

21. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam in divinis datur, tum amor essentialis ; tum amor notionalis, scilicet Spiritus sanctus : ergo sicut verbum essentialiter, et communiter dictum per se influit in amorem essentialem : ita etiam verbum proprie nuncupatum, quod est verbum notionale, influet simul cum priori illo verbo in eumdem amorem notionalem. Patet consequentia. Quia cum in amorem per se influat aliquod verbum (ut nuper dicebamus) oportet, ut in amorem essentialem per se habeat influere verbum essentiale, quod est verbum communiter dictum ; et in notionalem verbum notionale, propter proportionem, quæ inter ista debet intercedere. Cumque essentialia simul (modo sibi debito) debeant per se influere una cum notionalibus, inde est, ut verbum notionale in divinis per se influat simul cum verbo essentiali, seu verbo, non quidem proprie, sed communiter dicto.

Confirmatur, et explicatur secundo elucidando rationem D. Thomæ ex Opusculo 2 nuper propositam. Nam quod amatum sit in amante (quod fit per amorem productum, seu amoris terminum) provenit etiam ex virtute intellectus, et ex bono intelligibiliter apprehenso, seu intelligibiliter intra intellectum existente : ergo cum in divinis sit duplex amor, bisque mediante illo amatum sit in amante, nempe, mediante amore essentiali, et notionali, oportebit, ut bis etiam idem objectum alias amatum sit in intellectu, semel quidem in verbo essentiali et communiter dicto, semel vero in verbo notionali : ut ita bis, et proportionate ad quemlibet ex his amoribus possit influere, et esse ratio hujus, quod est, amatum esse bis in amante. Confirmatur secundo.

Unde nihil obsunt duo illa, quæ pro hac solutione adducebantur. Non quidem primum illud de visione beatifica. Tum, quia, ut dicebamus ibidem, non datur verbum proprie dictum, sed aliquid supplens ejus vices per se influens in amorem beatificum ; ac proinde aliquid denotans, quod si prædictum verbum ibidem non implicaret, tunc revera in illum influeret. Tum etiam, quia in beatis non est duplex amor, alius correspondens amori essentiali, alius notionali reperto in divinis : et ideo non oportet, ut detur ibidem duplex verbum, ex quibus primum influat in priorem amorem, nempe verbum essentiale, et communiter dictum, et secundum, nimirum notionale, in amorem posteriorem una cum verbo illo priori. 22.

Et similiter nihil obest id, quod secundo loco pro eadem solutione adducitur, scili- 23.

cet, per intellectionem essentialem et per divinam essentiam, ut unitam in ratione objecti intellecti, sufficientissime repræsentari divinam bonitatem : ac proinde ex hac ratione D. Thomæ non probari necessitatem influxus Verbi divini. Nam ad hoc constat ex dictis, quomodo ex eo solummodo sequatur, non requiri influxum verbi proprie dicti ex indigentia, sed solum ex fœcunditate, seu propter fœcunditatem ejusdem verbi. Et quomodo sicut verbum hoc in divinis non producitur ex indigentia, sed ex fœcunditate : ita non ex indigentia sed ex fœcunditate et ratione fœcunditatis, quam affert, debet per se influere in amorem et habere omnia illa, quæ non pugnant cum verbo producto ex fœcunditate; licet non debeant ipsi ea competere, quæ sunt propria verbi ex necessitate et indigentia producti, qualia sunt, quod objectum per se primo intellectum non sit ex se sufficiens ad hoc, ut per se uniatur cum intellectu in ratione objecti cogniti, sed solum ratione verbi id habeat : ac proinde quod ipsum verbum solummodo, non vero ipsum objectum intellectum per se et ratione sui habeat influere ad intra in eumdem amorem.

24. Secunda evasio. Ex quibus omnibus etiam fit, nihil obesse solutionem aliam rationis D. Thomæ, nempe, ex ea non haberi, quod Verbum in divinis influat active in amorem, qui quidem influxus est proprius illius, ut ex fide constat. Quoniam non est proprium verbi influere active in amorem, ut in verbo creato constat; sed ad summum per modum formæ, aut quasi formæ determinantis ad speciem actus.

Enervatur. Ex dictis igitur hæc solutio evanescit. Quoniam si semel verbum ex ratione verbi habet per se influere in amorem, seu in amoris et dilectionis terminum, oportet, ut in divinis hic influxus sit juxta naturam Verbi divini et in creatis juxta naturam verbi creati : ac proinde etiam oportebit, quod in divinis sit influxus, tum formæ, aut quasi formæ, tum etiam activus : quia hoc petit summa perfectio Verbi divini et amoris notionalis, nempe Spiritus sancti. Tum, quia cum Verbum divinum sit summe in actu et ut tale influat, oportet, ut etiam influat active. Nam hic modus est etiam proprius rei influentis, quatenus est summe in actu. Tum etiam, quia, ut in sequenti dubio dicemus, non alia ratione Verbum et amor notionalis per modum termini, scilicet Spiritus sanctus, possunt distingui per distinctionem, quæ non sit involuta cum imperfectionibus, nisi per hoc, quod unus, nempe amor notionalis, opponatur realiter alteri, nempe verbo : at oppositio in divinis nequit esse nisi per relationes originis, quibus una persona refertur ad aliam, ut id, quod ab ea active procedit et rursus alia ad istam, ut id, a quo procedit.

§ IV.

Posterior solutio rationis D. Thomæ et ejus eversio.

Ex quibus etiam sequitur, nihil referre evasionem aliam, nempe, quod etsi ex hac ratione Angelici Doctoris ad summum sequatur, Verbum influere in amorem per modum formæ, aut quasi formæ, et insuper per modum principii activi *quo* : non tamen per modum principii activi *quod* et per voluntatem : quod in hac ratione D. Thomæ intenditur. Nam sicut in creaturis totus verbi influxus in amorem (qui, ut in hac ratione dicitur, oritur ex nexu amoris cum cognitione et verbo) tantum est influxus in genere causæ formalis et ad summum efficientis, per modum tamen principii *quo*, et nulla ratione extenditur ad hoc ut sit influxus per voluntatem : ita etiam in divinis ex vi nexus, qui est inter amorem et verbum, solum sequetur, quod influat per modum formæ, aut quasi formæ et per modum principii *quo*, seclusis imperfectionibus; non tamen per voluntatem. Et ratio videtur eadem utrobique. Quoniam nexus, qui est inter amorem et verbum, solum est nexus inter illa, tanquam inter terminum intrinsecum intellectionis et amorem inde secutum : at terminus intrinsecus intellectionis, ut talis, tantum influit per modum termini et objecti; non vero per voluntatem, seu volendo. 25. Ultima solutio.

Ex dictis itaque hæc evasio corruit. Quoniam si semel requiritur, ut nuper asserebamus, ad distinctionem realem Verbi divini ab amore per modum termini, nempe ab Spiritu sancto, quod prædictus amor procedat active ab illo, ut dubio sequenti latius ostendemus, oportet, ut non solum procedat ab illo, ut a forma, aut quasi forma, vel ut principio *quo* activo, sed insuper desideratur, quod procedat ab ipso, ut a principio *quod* etiam activo. Quoniam id, quod in divinis influit per modum principii *quo*, aut per modum formæ, Refellitur primo.

formæ, aut quasi formæ, non est necesse, ut saltem secundum id, quod in recto importat, distinguatur realiter ab eo, in quod influit, ut de essentia divina sic influente in productionem Filii, et Spiritus sancti constat : ergo cum Verbum divinum secundum id, quod in recto affert, distinguatur realiter ab Spiritu sancto, oportebit, ut si semel requiritur ad hanc distinctionem, quod Spiritus sanctus procedat active a Verbo, debeat etiam desiderari, quod procedat active ab eo, ut a principio *quod*, atque adeo per voluntatem : quia amor non procedit active, ut a principio *quod*, nisi ab illo, qui per voluntatem illum producit.

26. Impugnatur secundo. Deinde contra eamdem evasionem urget, quod hoc ipso, quod in creaturis verbum influat in amorem per modum formæ, et (ut plures dicunt) per modum principii activi *quo*, oportet, ut in divinis altiori modo et per modum principii activi *quod*, ac tandem per voluntatem influat. Hoc autem sequenti ratione ostenditur. Nam Verbum divinum hoc ipso, quod sit perfectissimum in ratione Verbi, debet esse ejusdem naturæ cum suo objecto, nempe cum Deo et divina essentia, non solum in *esse* intelligibili, sed etiam in *esse* entitativo et naturali : ac proinde debet esse ejusdem prorsus naturæ cum Patre : ergo debet habere eum influxum in amorem notionalem, nempe Spiritum sanctum, qui competit Patri, nempe, quod influat *ut quod* in illum et quod hic influxus sit per voluntatem.

Patet consequentia. Quoniam verbum et amor ita inter se ex generali ratione verbi et amoris comparantur, ut prius sit productio verbi, quod est terminus intellectionis, quam productio amoris habentis rationem termini voluntatis : ergo hoc ipso, quod verbum perfectissimum, quale est divinum, debeat accipere a Patre eamdem prorsus naturam, tam in *esse* intelligibili, quam naturali, accipiet etiam, ut eodem modo, nempe per modum principii *quod* et per voluntatem sit principium Spiritus sancti, sicut Pater. Non secus, ac quia creaturæ sunt post productionem ejusdem Verbi et Spiritus sancti, et unaquæque ex his personis, sive ex vi processionis, ut Verbum, sive per processionem quoad identica sumptam, accipit divinam naturam : idcirco unaquæque ex illis est eodem modo productiva creaturarum, ac Pater, nempe per intellectum et voluntatem.

Confirmatur et explicatur primo. Quoniam hoc ipso, quod Verbum divinum procedat, ut perfectissimum et ut ejusdem naturæ cum Patre, oportet, ut non distinguatur ab illo, nisi in hoc, quod Pater sit Pater et Verbum sit Verbum et Filius, et per consequens quod cætera alia sint utrique communia : at hoc, quod est, esse principium *quod* Spiritus sancti per voluntatem, non est in Patre idem prorsus absque distinctione virtuali, ac esse Patrem : siquidem esse Patrem habet per ordinem ad Filium præcise ; secus vero esse principium Spiritus sancti. Et similiter in Filio esse principium Spiritus sancti non debet esse idem formalissime, ac esse Filium, propter eamdem proportionalem rationem, quam de Patre modo reddebamus. Ergo hoc ipso, quod Verbum procedat per modum verbi perfectissimi et ejusdem prorsus naturæ cum Patre, debet esse quid utrique commune, quod sit principium *quod* et per voluntatem respectu Spiritus sancti. 27. Elucidatur amplius.

Quam probationem adduxit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 34 ratione 6 his verbis : *Adhuc. Pater et Filius, quantum ad unitatem essentiæ non differunt, nisi in hoc, quod hic est Pater et hic est Filius. Quidquid igitur præter hoc est, commune est Patri, et Filio. Esse autem principium Spiritus sancti, est præter rationem Paternitatis et Filiationis : nam alia relatio est, qua Pater est Pater et qua Pater est principium Spiritus Sancti, ut supra dictum est. Esse igitur principium Spiritus sancti est commune Patri, et Filio.* D.Thom.

Confirmatur et explicatur secundo. Quoniam hoc ipso, quod Verbum procedat per modum perfectissimi verbi, debet illi convenire, quidquid ejus summæ perfectioni non repugnat : at cum summa perfectione Verbi divini non pugnat, quod sit principium Spiritus sancti *ut quod*, et per voluntatem : ergo hoc ipso, quod sit perfectissimum verbum, debet hoc habere. Minor probatur. Quia non pugnat cum summa ejus perfectione, ut est Deus : alioqui id etiam repugnaret Patri, qui est verus Deus. Nec ut est Verbum, seu Filius : nam per hoc, quod sit Filius, seu Verbum, tantum habet procedere a Patre per suam propriam processionem ; non autem per processionem, quæ est propria Spiritus sancti. Ergo cum non sit inconveniens, quod id, quod procedit per unam processionem, sit principium alterius, non erit cur 28. Ulterius confirmatur.

repugnet Filio, qui procedit per intellectum, quod ab eo etiam procedat Spiritus sanctus procedens per aliam processionem, nempe per voluntatem. Maxime, quia cum intellectus et voluntas sint inter se subordinatæ, sicut non repugnat, quod voluntas quodammodo dimanet mediante intellectu : ita neque quod id, quod procedit vere et realiter per voluntatem, procedat ab eo, quod vere et realiter procedit per intellectum.

D.Thom. Quam probationem adduxit etiam idem Angelicus Præceptor loco proxime citato ex 4 contra Gentes ratione 7 his verbis : *Amplius. Quidquid non est contra rationem alicujus, non est impossibile ei convenire, nisi forte per accidens. Esse autem principium Spiritus sancti* (intellige, *ut quod* et per voluntatem) *non est contra rationem Filii, neque in quantum est Deus, quia Pater, qui est Deus, est principium Spiritus sancti : neque in quantum est Filius, eo quod alia est processio Spiritus sancti et alia Filii. Non est autem repugnans, id, quod est a principio secundum unam processionem, esse principium processionis alterius. Relinquitur igitur, quod non sit impossibile, Filium esse principium Spiritus sancti : quod autem non est impossibile, potest esse : in divinis autem non differt esse et posse. Ergo Filius est principium Spiritus sancti.*

29. Enucleatur ratio præcedens D. Thomæ. Unde vis rationis D. Thomæ procedens ex generali ratione nexus, qui est inter amorem et verbum productum per cognitionem proponentem voluntati bonitatem objecti, ad hoc ut prorumpat in amorem, consistit in hoc, quod amor debet procedere a verbo juxta naturam verbi et amoris : et ita in creatis, ubi verbum et amor sunt imperfectionibus involuta, amor procedit a verbo processione involuta cum imperfectionibus : at in divinis, ubi omnes imperfectiones semovendæ sunt et verbum est summe perfectum, debet amor procedere ab illo, non solum ut a forma, aut quasi forma, vel ut a principio activo *quo* præcise (ut multi id verbo creato concedunt) et per consequens non solum debet procedere ab eo, tanquam a termino intrinseco intellectionis; sed etiam tanquam a principio activo *quod*. Quia ad rationem verbi perfectissimi requiritur, tum, ut solum relative distinguatur ab amore : atque adeo, ut solum habeat distingui ab eo per hoc, quod amor procedat ab illo active, ut a principio *quod* : tum etiam, quod sit ejusdem naturæ in *esse* intelligibili et naturali cum Patre, præsupponaturque ad amorem : ac proinde, quod sit principium amoris, sicut Pater : habeatque cum illo omnia quæ Pater, solumque desit illi, quod sit Pater.

30. Dilucidantur hæc omnia. Quæ omnia possunt confirmari et explicari sequenti discursu aliquantulum fuso : quia res, de qua agitur, id exposcit. Etenim licet Pater æternus habeat omnia requisita ad se et suam essentiam perfectissime et comprehensive intelligendam, ac proinde non producat Verbum ex indigentia et necessitate illius, sed ex fœcunditate : nihilominus, ut num. 23 tetigimus, hoc ipso, quod sic illud producat, habet prædictum Verbum omnia munera respectu intellectus Paterni, quæ non pugnant cum natura verbi producti ex fœcunditate. Et ideo, licet non tribuat essentiæ Patris id, quod verbum productum ex indigentia tribuit suo objecto, nempe, quod præcise ratione verbi et non ratione sui sit objectum intellectum, ut constat ex iis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disput. 2 num. 222 diximus; sed potius Verbum habeat esse intellectum ratione essentiæ divinæ, ut objecti per se primo intellecti, ut patet ex illis, quæ in eodem tractatu et disputatione num. 246 necnon in tractatu 3 disput. 3 num. 17 asseruimus : attamen Pater in suo Verbo, ut in objecto cognito et termino sui intellectus, cognoscit etiam omne cognoscibile : et divina essentia, ut est in Verbo, habet se per modum formæ objectivæ, tribuens, quantum est ex se, Patri, quod sit objectum intellectum : ita ut si Pater ratione ejusdem essentiæ secundum se sumptæ et adhuc, ut est in eo tanquam propria essentia ejus, non haberet ratione illius esse objectum intellectum, tunc hoc ipsum ei communicaretur ratione ejusdem essentiæ, ut existentis in Verbo : ac proinde Pater veluti bis habet esse objectum intellectum : semel quidem ratione essentiæ, ut est in illo tanquam essentia ipsius ; semel autem, ratione ejusdem essentiæ, ut constituentis Verbum in *esse* objecti intellecti et quatenus sic illud constituendo constituit etiam iterum Patrem in ratione intellecti : ex eo quod Pater in Verbo sic constituto se et omnia sua intelligit. Ac tandem, quia tale verbum producitur ex fœcunditate et eo ipso est ejusdem naturæ, non solum in *esse* intelligibili, sed etiam in *esse* naturali et entitativo cum Patre, ut tomo 1 tractatu 2 disput. 2 num. 244 explicuimus : idcirco prædictum verbum non solum

solum est objectum intellectum, sed etiam intelligit *ut quod*, non minus quam Pater; licet non producat verbum, quia invenit illud jam productum et in divinis tantum potest esse unicum verbum.

31. Si igitur Verbum in divinis respectu intellectus Paterni habet ratione essentiæ, ut in eo existentis, hæc munera : non est cur etiam respectu amoris non influat, tum per modum formæ, aut quasi formæ objectivæ residentis in intellectu Paterno, et in genere quasi causæ formalis concurrentis (non quidem ex indigentia Patris, sed ex fœcunditate Verbi, et ex superabundantia rationum, quæ sunt in Patre ad influendum in amorem) siquidem id, quod se habet (modo dicto) tanquam forma, aut quasi forma respectu intellectus, et intellectionis proponentis objectum amandum, debet eodem modo influere in amorem. Tum etiam per modum principii activi *quo* respectu ejusdem intellectus. Nam id, quod se habet per modum formæ, aut quasi formæ objectivæ, et actualissimæ respectu intellectus, non est cur hoc modo non influat; si semel verum est id, quod in hac solutione admittitur, nempe, in creaturis verbum habens se per modum formæ objectivæ, et quæ sit talis in ordine intelligibili, debere influere per modum principii activi *quo* in amorem. Ac tandem, cum prædictum Verbum accipiat eamdem naturam cum Patre in *esse* intelligibili, et naturali, et amor sit post ipsum Verbum, non erit cur, sicut accipit ipsum *intelligere* primordiale, in quo consistit natura Patris, non accipiat, quod una cum Patre sit per voluntatem principium *quod* respectu amoris notionalis, nempe Spiritus sancti : sicut ob hanc rationem accipit, quod una cum eodem Patre sit principium creaturarum eo modo, quo ipse Pater.

Diximus, *Verbum hæc habere ratione essentiæ divinæ in eo existentis*. Ut denotemus, quod Verbum ratione suæ proprietatis personalis non habet formalissime reddere essentiam divinam, aut Patrem intellectum, sed quod ipsa essentia divina connotando, quod sit in eodem Verbo, præstat hoc munus, sicut et in Patre, connotando, quod sit in illo tanquam essentia ipsius, habet etiam illum constituere in ratione intelligentis, et objecti intellecti, seu terminantis intellectionem.

§ V.

Alia Angelici Præceptoris ratio pro eadem veritate.

Secundo probatur eadem assertio ratione alia D. Thomæ in præsenti, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam etsi in rebus, quæ solum materialiter differunt, possint plura procedere ab uno absque aliquo ordine : et propterea idem artifex producit plures cultellos materialiter solum distinctos, et nullum habentes ordinem ad invicem : nihilominus in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper invenitur in multitudine productorum aliquis ordo, ut constat ex iis, quæ videmus in productione creaturarum formaliter distinctarum, in quibus aliquis ordo reperitur : et propterea universum hoc in ordine quodam situm esse dicitur, et in hoc ordine decor divinæ sapientiæ maxime manifestatur. Ergo ab uno et eodem Patre æterno non procedent Filius, et Spiritus sanctus absque aliquo ordine inter se : siquidem Filius et Spiritus sanctus non distinguuntur distinctione materiali. Ergo inter eos oportet esse ordinem originis. Nam in divinis non est alius ordo præter istum ; ex eo quod cæteri alii ordines imperfectionem aliquam claudunt, ut ex se, et ex illis, quæ in hoc tractatu disput. 1 num. 14 diximus, constat. 32. Secunda ratio. D.Thom.

Nec obest, si dicas cum Cajetano in præsenti, falsum esse antecedens hujus rationis. Tum, quia adhuc in rebus immaterialibus possunt ab uno plura procedere absque aliquo ordine, ut patet in pluribus intellectionibus ab uno et eodem Gabrielis intellectu procedentibus. Tum etiam, quia Deus posset omnia immediate producere absque eo, quod ex creaturis una procederet ab alia. Potestque hoc ipsum confirmari ex eo, quod substantiæ immateriales procedunt a Deo immediate : et tamen inter se non habent ordinem processionis unius ab altera. 33. Effugium. Cajetan.

Non itaque hoc obest. Nam, ut optime docuit idem Cajetanus, adhuc res immateriales, quæ solo numero, ac proinde differentia petita ex parte subjecti differunt, dicuntur materialiter differre : et ita duæ intellectiones Gabrielis sic distinctæ habent sola materiali distinctione differre : et per consequens non mirum quod possint procedere ab uno sine ordine inter se. Constat autem, in divinis non posse hanc distinc- Præcluditur. Idem Cajetan.

tionem inveniri; ac proinde nec posse dari plures personas non habentes inter se ordinem. Per quod ad primam instantiam satis patet. Et similiter nec obest secunda. Quia, ut idem Cajetanus notavit, in his, quæ materiali distinctione præcise non differunt, licet possit non inveniri ordo causalitatis; attamen debet aliquis ordo inveniri. Et propterea in Angelis, et in aliis differentia formali, seu specie distinctis invenitur ordo excessus secundum perfectionem. Cumque hic nequeat reperiri inter divinas personas, alioqui persona, quæ excederetur ab alia in perfectione, esset imperfecta, restat, ut inter eas solus ordo originis liber ab imperfectionibus inveniatur.

34. D. Thom. Quæ probatio, et impugnatio desumpta est ex D. Thoma 4 contra Gentes cap. 24, his verbis: *Si quis diversas species rerum consideret, in eis quidem ordo ostenditur, prout viventia sunt supra non viventia, et animalia supra plantas, et homo super alia animalia: cum in singulis horum diversi gradus inveniantur secundum diversas species. Unde et Plato species rerum dixit esse numeros, qui specie variantur per additionem, vel subtractionem unitatis. Unde in substantiis immaterialibus non potest esse distinctio, nisi secundum ordinem. In divinis autem personis, quæ sunt omnino immateriales, non potest esse alius ordo, nisi originis. Non igitur sunt duæ personæ ab una procedentes, nisi una earum procedat ab altera: et sic oportet, Spiritum sanctum procedere a Filio.*

35. Nec solum loco citato, sed etiam q. 10 de Potentia art. 5 adhuc uberius, et magis explicatam proposuit Angelicus Doctor hanc impugnationem verbis sequentibus: *In rebus enim materialibus, in quibus possibile est fieri multiplicationem per divisionem materiæ, et quantitatis, ut dictum est, possibile est duo individua unius speciei ex æquo se habere, sicut et duæ partes quantitatis ex æquo se habent. Ubi autem invenitur prima differentia secundum formam, ibi impossibile est, quod aliqua duo se habeant ex æquo. Ut enim Philosophus dicit octavo Metaphysicæ, formæ rerum sunt sicut numeri, in quibus variantur species per unitatis additionem, vel subtractionem: et formales rerum differentiæ consistunt in quodam perfectionis ordine: nam planta specie differt a lapide in hoc, quod superaddit vitam: animal vero brutum a planta in hoc, quod superaddit sensum: homo vero a bruto in hoc, quod superaddit rationem. Et ideo in rebus immaterialibus* (intellige substantialibus), *in quibus non potest esse multiplicatio secundum divisionem materiæ, impossibile est, quod sit pluralitas, nisi cum ordine quodam. In substantiis quidem immaterialibus creatis est ordo perfectionis, secundum quod unus Angelus est perfectioris naturæ, quam alius. Et quia quidam Philosophi crediderunt, quod omnis natura imperfecta crearetur a perfectiori: ideo dixerunt, quod in substantiis separatis non potest esse multiplicatio, nisi per causam, et causatum. Quod tamen recta fides non tenet: quia credimus, ex ordine divinæ sapientiæ differentes ordines substantiarum immaterialium productos esse. Cum autem in divinis non possit esse ordo perfectionis, ut Arriani posuerunt, dicentes, Patrem Filio esse majorem, et utrumque Spiritu sancto, relinquitur, quod pluralitas in divinis personis esse non potest, nec intelligi, nisi secundum ordinem originis solum, ut scilicet Filius sit a Patre et Spiritus sanctus a Filio. Si enim Spiritus sanctus non esset a Filio, ex æquo respiceret Patrem quantum ad originem. Unde, vel non essent duæ personæ, vel esset ordo inter eos perfectionis secundum Arrianos; vel esset inter eos materialis divisio, quod est impossibile.*

Confirmatur. Quoniam hoc ipso, quod Spiritus sanctus, et Filius non procederet a Patre cum hoc ordine, ita nimirum, ut Filius productus a Patre produceret Spiritum sanctum, oporteret, distingui inter se ex eo, quod haberent diversas naturas: ergo hoc ipso, quod procedant per modum plurium, habentium tamen eamdem prorsus naturam, necesse erit, eos procedere cum prædicto ordine. Antecedens probatur. Nam ex eo quod darentur in divinis duo ingeniti, id est duo, qui non essent ab alio, deberent dari plures Dii: atque adeo plures habentes diversam naturam divinam. Quia hoc ipso, quod non multiplicarentur per originis ordinem, oporteret, fieri hanc multiplicationem per ordinem naturarum: atque adeo per distinctionem essentialem earumdem, et ordinem perfectionis inter utramque. Ergo eadem ratione, si Spiritus sanctus, et Filius non haberent inter se ordinem originis, et per consequens Filius, qui prius procedit, non esset principium Spiritus sancti, tunc Filius, seu Verbum, et Spiritus sanctus distinguerentur secundum naturas, et ordinem perfectionis earum. Quia quod uterque a Patre præcise procederet, sicut non tribueret eis, quod unus, nempe Spiritus sanctus, procederet 36. Confirmatur.

deret a Verbo : ita neque quod non distinguerentur secundum ordinem naturarum, qui consistit in distinctione essentiali earum, et excessum unius supra aliam.

Quam confirmationem, seu explicationem præcedentis impugnationis adduxit D.Thom. idem Angelicus Præceptor in eadem quæst. 10 de Potentia artic. 5 nuper citato, ubi post verba modo relata sic addit : *Et hanc rationem sequens Hilarius in lib. de Synodis dicit, quod ponere in divinis duos ingenitos, id est non ab aliquo existentes, est ponere duos Deos. Quia si non sit multiplicatio per originis ordinem, oportet, sit per ordinem naturarum. Et ideo eadem est ratio, si inter Filium et Spiritum sanctum originis ordo non ponatur.*

§ VI.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et responsionibus ad illa.

37. Contraria sententia. Suarez. Theodor. Contrariam tamen sententiam tutati sunt Græci : et (ut notavit Suarez lib. 10 de Trinit. cap. 1 num. 2) primus, apud quem legitur hic error, est Theodoretus in Contradictione anathematis 9 Cyrilli, ubi inquit : *Si Spiritum sanctum ex Filio essentiam habere dicas, tanquam impium aspernabimur. Credimus enim Filio dicenti : Spiritus, qui ex Patre procedit.* Quem etiam errorem amplexati sunt eo tempore Nestoriani, quibus tunc Theodoretus favit, ut Concil. Ephes. colligitur ex Concilio Ephesino tomo 2 Quinta Synodus gen. cap. 31 et ex v Synodo Collatione 4 in fine.

Primum fundamentum. Probatur primo. Quoniam de divinis personis non licet nobis aliquid asserere, nisi id, quod in sacris litteris non est expressum : sed in sacris litteris non est expressum, quod Spiritus sanctus procedat a Filio ; sed quod procedit a Patre, juxta il- Joan. 4. lud Joannis 4 : *Spiritus, qui a Patre procedit :* ergo ita, et non aliter est sentiendum.

D.Thom. Cyrillus Jeros. Quod argumentum proposuit D. Thomas in præsenti, et illud innuit Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 16, ubi sic ait : *Dicemus itaque nos de Spiritu sancto ea tantum, quæ scripta sunt. Si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiose. Ipse Spiritus sanctus locutus est scripturas : ipse etiam de se ipso dixit, quantum voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo, quæcumque dixit : nam quæ ille non dixit, nos non audeamus.* Quare, cum loco citato ex Joanne tantum dixerit : *Spiritus, qui a Patre procedit*, videtur, ibidem virtute excludi processionem illius a Filio.

Confirmatur primo. Nam in Symbolis, 38. Confirmatur primo. quæ in antiquis Conciliis facta, vel recepta sunt, incipiendo a Concilio Nicæno I usque ad sextum generale, non dicitur, Spiritum sanctum procedere a Filio, sed a Patre : ergo ita tenendum est. Patet consequentia. Quia non est credendum, Ecclesiam tanto tempore ignorasse veritatem in re tam gravi, aut illam non tradidisse fidelibus. Antecedens vero probatur. Quia in Symbolo Nicæno nihil dicitur de processione Spiritus sancti. In primo vero Concilio Primum Concilium Constantinop. Constantinopolitano, ubi Symbolum Nicænum recipitur, et magis explicatur, solum additur : *Et in Spiritum sanctum a Patre procedentem.* Idemque in aliis Conciliis generalibus habetur.

Confirmatur secundo. Quia in prima Sy- Confirmatur secundo. Concilium Ephes. nodo Ephesina Canone 7 et in eadem Synodo tom. 2 cap. 33 prohibemur sub anathemate, profiteri, scribere, aut exponere alteram fidem, præter eam, quæ tradita est in Synodo Nicæna : in hac autem Synodo approbata, et exposita in sex Conciliis generalibus, non dicitur, quod Spiritus sanctus sit procedens a Filio, sed solum asseritur, quod procedit a Patre : non ergo nos possumus addere illum etiam a Filio procedere.

Respondetur cum D. Thoma in præsenti 39. Satis fit argumento. distinguendo majorem. *Nisi id quod in sacris litteris est expressum*, formaliter et expresse, neganda est : virtualiter et implicite, sive in sensu verborum, licet non expressis verbis, concedenda est. At veritas hæc processionis Spiritus sancti a Patre, et Filio continetur in sensu verborum Scripturæ, et adhuc in testimonio illo in hoc argumento adducto : quia juxta regulam generalem communiter receptam, quidquid in sacris litteris dicitur de Patre, debet etiam intelligi de Filio, etiamsi apponatur dictio exclusiva *solum;* nisi in illis, in quibus Pater et Filius relative opponuntur.

Unde D. Thomas 4 contra Gentes cap. D.Thom. 25, postquam proposuit hoc idem argumentum, sic respondet ad illud : *Sed hoc omnino frivolum est. Nam propter unitatem essentiæ, quod in Scripturis de una persona dicitur et de alia oportet intelligi, nisi repugnet proprietati personali ipsius ; etiamsi dictio exclusiva adderetur. Licet enim dicatur Matthæi 11 quod nemo novit Filium nisi Pater : non tamen a cognitione Filii, vel ipse Filius, vel Spiritus sanctus excluditur. Unde etiam si diceretur in Evangelio, quod*

Spiritus sanctus non procedit, nisi a Patre, non per hoc removeretur, quin procederet a Filio : cum hoc proprietati Filii non repugnet, ut ostensum est. Nec est mirum, si Dominus Spiritum sanctum a Patre procedere dixit, de se mentione non facta : quia omnia ad Patrem referre solet, a quo habet, quidquid habet. Sicut cum dixit Joannis 7 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me Patris. Et multa hujusmodi in verbis Domini inveniuntur ad commendandam in Patre authoritatem principii. Nec tamen in authoritate præmissa omnino obtinuit, se esse Spiritus sancti principium, cum dixit eum Spiritum veritatis : se autem prius dixerat veritatem.*

40. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod adhuc admisso antecedenti (de quo statim) neganda est consequentia. Quoniam non ideo illa Concilia non fecerunt hujus veritatis expressis verbis mentionem, quia illam ignorarunt, aut eam fidelibus occultare voluerint; sed quia hæc controversia tunc non discutiebatur et ad confutandas hæreses eo tempore exortas, de quibusque in his Conciliis agebatur, sufficiens visum est, eo modo loquendi uti, quo Scriptura utebatur.

Solvitur aliter. Suarez. Concilium Ephes. Conc. Alexand. Cyrillus Alexand. Adde ex Suarez loco citato numero 8 non deesse graves Doctores asserentes, virtute saltem hanc veritatem esse traditam in Concilio Ephesino et sequentibus. Nam Concilium Alexandrinum cum Cyrillo epistola 10 verbis satis expressis hanc docuit veritatem. Nam inter alia, cum de Filio loqueretur, dicit : *Ab eo emittitur spiritus*. In Concilio autem Ephesino (ut constat ex 2 tomo cap. 5 et 15) et postea in v Synodo generali Actione 17 approbantur et recipiuntur ut Catholicæ omnes epistolæ Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, inter quas habetur prædicta epistola 10. Eamdem approbationem in sui defensionem attulit idem Cyrillus in lib. Apologetico ad Theodosium, qui etiam refertur in 5 tomo Concilii Ephesini cap. 2. Denique in Concilio Chalcedonensi (ut refertur in Synodo v supra citata Collatione 6) fatentur Patres, se credere juxta epistolas Cyrilli approbatas in Concilio Ephesino, quarum una est illa decima.

(Synodus v et vi. — Idem Cyrillus. — Conc. Calcedon.)

41. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis ibi feriri excommunicatione eos, qui alteram fidem ab ea, quæ in Nicæna Synodo habetur, tradunt : non tamen illos, qui fidem ibidem traditam et ea, quæ in illa implicite continentur, explicant. Constat autem ex his, quæ diximus, contineri implicite in fide tradita in prædicta Synodo, quod Spiritus sanctus procedat etiam a Filio : siquidem quoad hoc non opponuntur; sed solum in hoc, quod unus sit Pater, et alius Filius : et cuncta, in quibus non opponuntur, debent esse illis communia.

Secundo respondetur, quod ad summum prædictum anathema erit contra illos, qui privata authoritate aliquid de prædicta fide in eo Concilio contenta exponunt : non tamen contra eos, qui authoritate publica Pontificis id faciunt : siquidem prædictum Concilium non potuit restringere authoritatem, quam habet Pontifex ad res fidei explicandas. Constat autem ex Angelico Doctore loco citato ex 4 contra Gentes, authoritate Romani Pontificis fuisse explicatum, quod dum in Nicæna Synodo dicitur, Spiritum Sanctum procedere a Patre, intelligitur, quod ita procedat ab eo, ut simul etiam procedat a Filio. Et tandem in Concilio Florentino loco citato id est expresse diffinitum. Secundo solvitur eadem confirmat. — Angel. Doctor. — Nicæna Synod. — Conc. Florentin.

42. Secundum fundamentum. Dionys. Basil. Nazianz. Secundo probatur eadem sententia ex aliquibus testimoniis Patrum. Nam Dionysius de Divinis nominibus cap. 2 ait, solum Patrem esse fontem Divinitatis. Et Basilius epistola 38 inquit : *Filium secundum propriam notionem nullam habere communionem cum Patre*. Nazianzenus Oratione 24 inquit, filium habere omnia, quæ Pater, *excepta causalitate*, id est productione. Si autem Spiritus sanctus procederet a Filio, tunc Filius esset etiam fons Divinitatis : siquidem communicaret illam Spiritui sancto, et secundum propriam notionem haberet communionem cum Patre : quatenus tam Pater, quam Filius convenirent in hoc, quod uterque esset principium Spiritus sancti. Et tandem Filius haberet etiam causalitatem, id est, quod produceret Spiritum sanctum.

Diluitur. Respondetur, Dionysium tantum velle, quod solus Pater ita sit principium communicandi Divinitatem, ut non sit de alio principio : quia ratio fontis proprie et in rigore loquendo id exposcit. Quare, si per fontem Divinitatis tantum intelligatur, quod sit principium alicujus personæ divinæ, tunc etiam Filio convenit esse Divinitatis fontem : et ita illa particula *solum* adducta a Dionysio, non excludit Filium ab hoc, quod sit etiam fons Divinitatis, ut constat ex regula in præsenti ad 1 tradita a D. Thoma : quia, ut dicebamus, in hoc non D.Thom.

non opponuntur Filius et Spiritus sanctus : et juxta regulam prædictam dictio exclusiva in divinis non excludit alias personas, nisi in his, in quibus habent oppositionem.

Ad testimonium autem Basilii dicendum est, solum velle, quod secundum notionem propriam Filii, id est, illi soli convenientem, nempe secundum Filiationem, ut talem non sit communio inter Patrem et Filium : quia in ea opponuntur. Et tandem Nazianzenus loquitur de productione ipsius Filii : ita ut sit sensus, Patri et Filio esse omnia communia, præter ipsam productionem Filii, seu præter hoc, quod est, esse principium primæ processionis, quæ reperitur in divinis : ex eo quod Filius est prima persona, quæ ibidem procedit.

43. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem sententia. Quia ex ea sequerentur plura absurda. Primum. Quod Spiritus sanctus non produceretur sufficienter a Patre. Secundum. Quod Pater et Filius essent duo principia Spiritus sancti. Tertium, quodque ex præcedenti deducitur. Spiritum sanctum non fore omnino simplicem. Hæc autem admitti nequeunt : ergo, etc. Sequela quoad primum absurdum patet. Quia si sufficienter produceretur a Patre, superflueret, quod Filius in talem productionem influeret. Et ita hoc ipso, quod non superfluat, quia nihil superfluum est in divinis, sed Spiritus sanctus procedat etiam a Filio, signum erit, illum non produci sufficienter a Patre.

Quoad secundum vero etiam constat. Quia produceretur a Patre et Filio : et unusquisque ex illis esset principium integrum talis productionis. Quoad ultimum vero liquet. Quia quod a pluribus realiter distinctis producitur, accipit ab uno aliquid et ab altero aliquam aliam rationem : at ubi est alia et alia ratio, non est simplicitas. Minor vero quoad primam partem ex se est perspicua. Quoad secundam constabit ex dicendis articulo 4. Quoad ultimam vero probatur. Quoniam id, quod est Deus, quale Spiritus sanctus, debet esse summe simplex.

44. Enodatur. Respondetur, negando sequelam quoad omnia absurda in ea contenta. Et ad probationem primi absurdi dicendum est, quod ex hoc, quod Spiritus sanctus sufficienter producatur a Patre, sequeretur superfluere influxum Filii, si Filius per aliam virtutem influeret : non tamen si per eamdemmet : eo quod eademmet virtus productiva Spiritus sancti, quæ est in Patre, est in Filio, ratione cujus non potest non simul cum eodem Patre in productionem Spiritus sancti influere. Sicut ex hoc, quod creaturæ sufficienter producantur a Patre, non infertur, superfluere influxum Filii, aut Spiritus sancti : quoniam non influunt per distinctam virtutem, sed per eamdemmet, quæ est in tribus personis : et ideo non possunt non omnes illæ influere.

Ad probationem vero secundi absurdi patet ex modo dictis, quomodo Pater et Filius non sint duo principia Spiritus sancti : quia influunt per eamdem prorsus virtutem et influxum : sicut ob hanc rationem Trinitas non est tria principia creaturarum. Ad probationem tandem tertii absurdi constat etiam ex dictis. Quoniam id, quod est simplicissimum, potest ad minus oriri a pluribus ; dummodo per unam et eamdem simplicissimam virtutem et influxum influant.

Ultimo probatur eadem sententia. Quoniam Pater prius ordine originis producit Spiritum sanctum, quam sit Filius : ergo Filius nequit influere in productionem Spiritus sancti. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Quia prius ordine originis, quam Filius sit, debet Pater habere vim spirativam respectu Spiritus sancti : ergo et actu spirare illum : siquidem hæc virtus præsupposita debet esse per modum actus purissimi : atque adeo per modum virtutis, non solum spirativæ in actu primo, sed etiam spirantis actu prædictum Spiritum sanctum. 45. Ultimum.

Respondetur, quod hoc argumentum, si aliquid probaret, convinceret etiam, prius prioritate *in quo* produci Filium, quam sit productio Spiritus sanctus. Quia priusquam sit productio Spiritus sancti, quæ est per voluntatem, habet Pater vim ad generandum Filium, qui procedit per intellectum : et ea, quæ spectant ad intellectum, sunt priora illis, quæ procedunt per voluntatem : sicut et intellectus est virtualiter prior voluntate. Fit obviam primo.

Deinde addimus, negandum esse antecedens hujus argumenti. Et ad probationem dicendum est, quod per hoc, quod Pater prius ordine originis habeat virtutem spirativam, quam Filius, aut spiret secundum eumdem ordinem originis prius, non significatur, dari aliquod instans reale, aut rationis *in quo*, ratione cujus verificetur, quod Pater spirat et non Filius : sed tantum, quod etsi uterque in omni signo *in quo* sive reali, sive rationis, cum fundamento tamen in re spiret ; attamen Pater Occurritur aliter.

non habet a Filio, quod spiret; licet Filius hoc a Patre habeat.

DUBIUM II.

In quibus sensibus, et qua utilitate a Theologis inquiratur, an si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo?

46. Consulto in titulo non inquiritur de re ipsa secundum se, id est, an Spiritus sanctus, et Filius realiter inter se distinguerentur, data hypothesi impossibili, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio? Sed in quibus sensibus id inquiratur a Theologis, et qua utilitate? Quia de illo priori in sequenti dubio latius est agendum : et hoc posterius eget peculiari explicatione, ut id, quod in sequenti dubio dicemus, melius capiatur, et ut intelligatur, quæ sit mens D. Thomæ in sequenti dubio, et quæ tituli ejusdem dubii vera intelligentia. Et licet ea, quæ tam in hoc, quam in dubio sequenti dicenda sunt, possent in uno et eodem dubio conjungi, majoris tamen claritatis gratia, et ne dubium unicum satis prolixum texeremus, idcirco segregatim hæc duo discutere, et examinare placuit.

§ I.

Explicatio tituli.

47. Explicatur titulus. Pro tituli ergo intelligentia notandum est, illum in duplici sensu posse intelligi. Primus est ille, qui in expressis verbis illius continetur, scilicet, an si Spiritus sanctus non procederet a Filio (ut putabant Græci) tunc distingueretur realiter ab illo, non determinando an Filius in eo eventu, et suppositione maneret cum eadem proprietate personali, et similiter Spiritus sanctus cum ea personali proprietate, qua unusquisque modo gaudet, necne? Secundus est. An facta hac suppositione, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, et quod nihilominus Filius, et Spiritus sanctus manerent cum eisdem proprietatibus personalibus, ita ut ille maneret Filius, et genitus, iste vero spiratus, tunc realiter inter se distinguerentur?

Inter hos autem duos sensus reperitur, ut ex terminis ipsis constat, aliquid, in quo conveniunt, et aliquid, in quo discriminantur. Conveniunt quidem in hoc, quod in utroque sensu supponitur aliqua conditio, sive suppositio impossibilis, scilicet, Spiritum sanctum non procedere a Filio. Discriminantur autem. Nam in primo ultra illam non supponitur aliqua alia suppositio itidem impossibilis; bene tamen in secundo, scilicet, quod adhuc tunc manerent Filius, et Spiritus sanctus cum eisdem proprietatibus personalibus. Nam hæc suppositio involvit, attentis omnibus, contradictionem et conditionalem quamdam impossibilem, ut ex statim dicendis patebit.

Unde juxta priorem sensum in titulo inquiritur, an dato, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc realiter distinguerentur, sive hæc distinctio esset per hoc, quod manerent cum eisdem proprietatibus personalibus, sive non? ac proinde, an talis distinctio esset per Filiationem, et Processionem passivam; an vero per aliquid aliud? Juxta posteriorem vero, an data prædicta hypothesi, et insuper quod remanerent cum eisdem proprietatibus personalibus, tunc realiter distinguerentur per illas? ac proinde constituerent duas personas realiter distinctas? an vero non distinguerentur realiter; sed constituerent unicam tantummodo personam quæ duabus relationibus referretur ad Patrem?

§ II.

Assertio duplex juxta mentem Angelici Præceptoris.

Dicendum est primo in utroque sensu nuper recensito inquiri a Theologis, an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo? Assertio hæc quoad primum sensum ex se constat, et communiter recipitur a Theologis. Nam saltem in eo dubium hoc agitatur, ut contra Græcos colligatur, Spiritum sanctum procedere a Filio : quia ipsi suppositionem illam, quam nos judicamus impossibilem, sentiebant esse possibilem, et de facto dari : et ea admissa, volebant Patres convincere illos : ex eo quod in eo eventu non poterant Filius et Spiritus sanctus realiter distingui : ut ita ipsi, qui hanc distinctionem admittebant in divinis, cogerentur fateri, Spiritum sanctum procedere a Filio. 48. Prima conclusio.

Et similiter quoad secundum sensum etiam liquet : et sane id juxta mentem Angelici Præceptoris. Quoniam cum S. Doctor in hoc art. et 4 contra Gentes cap. 24 asseruisset, quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter D.Thom.

liter ab illo, non reddit pro ratione hujus, quod in eo eventu non essent in illis relationes Filiationis, et spirationis passivæ : sed quia istæ relationes tunc non essent, nec manerent inter se oppositæ secundum originem, ut exponunt in prædictis locis Cajetanus, et Ferrara : atque adeo supponit, quod manerent prædictæ relationes ; licet non constituerent tunc personas oppositas, seu distinctas realiter ; sed una et eadem persona per illas referretur ad Patrem. Et ita, cum in hac responsione D. Thomæ supponatur in eo eventu Filium manere Filium, et Spiritum sanctum manere etiam Spiritum sanctum, et per consequens cum suis proprietatibus personalibus : merito titulus directe respondens huic responsioni intelligitur hoc secundo sensu, nempe, an dato quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, et simul supposito, quod uterque maneret cum sua proprietate personali, vel Filiationis, vel Processionis, sive spirationis passivæ, tunc Spiritus sanctus, et Filius distinguerentur realiter, et prædictæ proprietates constituerent distinctas realiter personas? an vero nonnisi tantum unicam, quæ duabus relationibus referretur ad Patrem?

Cajetanus. Ferrara.

49. Assertio secunda. Dicendum est secundo, dubium hoc sic excitatum esse satis utile. Assertio hæc ex præcedenti videtur satis deduci, solumque eget explicatione. Potest autem declarari. Tum, quia (ut initio dubii sequentis tangemus) ex decisione hujus dubii pendet vis, et efficacia rationis D. Thomæ ad probandum, Spiritum sanctum procedere a Filio, Tum etiam (id, quod ex præcedenti sequitur) quia si semel data hac suppositione impossibili Spiritus sanctus non distingueretur a Filio, tunc optime colligeremus inde, rationem adæquatam distinctionis Filii ab Spiritu sancto esse spirationem activam. Sicut etiam, si data prædicta suppositionne, nempe, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, adhuc distingueretur realiter ab illo, tunc per optimam consequentiam inde inferremus, spirationem activam non esse adæquatam rationem distinctionis Filii ab Spiritu sancto, siquidem ea sublata, adhuc remanerent realiter distincti ; sed aliquam aliam realitatem esse rationem distinctionis realis inter illos. Ita quidem, ut in priori sensu, in quo diximus, titulum dubii hujus intelligi, colligatur, aliquam aliam realitatem, præter spirationem activam, esse rationem prædictæ distinctionis, non determinando, an talis ratio sit Filiatio, aut aliqua alia proprietas : quia juxta hunc sensum abstrahitur ab hoc, quod est, an tunc remanerent Filius et Spiritus sanctus cum proprietatibus personalibus Filiationis, et Processionis, quas modo habent. In posteriori vero sensu, idest data hypothesi, quod Fillius non spiraret Spiritum sanctum, et nihilominus ambo manerent cum sua proprietate personali, et realiter inter se distincti, tunc optime etiam inferatur, Filiationem esse rationem distinctionis Filii ab Spiritu sancto ; et Processionem rationem distinctionis Spiritus sancti a Filio : siquidem tunc non esset aliquid, per quod realiter distinguerentur, nisi per has suas proprietates personales Filiationis et Processionis.

Unde sicut satis utiliter disputatur, an, 50.
si Deus non esset immutabilis, esset æternus? et an, si tollerentur a Deo relationes, adhuc manerent personæ? quia etsi utraque suppositio sit impossibilis, nihilominus inde per legitimam consequentiam colligimus, an immutabilitas sit, vel non sit ratio æternitatis, et an relationes sint, vel non sint rationes adæquate constitutivæ personarum. Nam si sublata per impossibile immutabilitate, et relationibus prædictis, adhuc tunc Deus remaneret æternus, essentque personæ in divinis, optime inde deducitur, neque immutabilitatem omnimodam (de qua loquimur) esse radicem æternitatis, neque relationes esse rationes adæquate constitutivas personarum ; secus vero, si illa, et his sublatis, nec remaneret æternitas, nec personæ. Ita, quia datis suppositionibus impossibilibus (de quibus in hoc dubio) colligitur per legitimam consequentiam, quænam sit ratio distinctionis realis inter Filium, et Spiritum sanctum, ut jam explicuimus : idcirco præsens dubium de hoc agens est valde utile : et universaliter loquendo quævis quæstio procedens ex aliqua suppositione impossibili, qua data, inveniamus per legitimam consequentiam, quænam sit ratio formalis, aut radix alicujus effectus, est satis utilis.

§ III.

Objectio prior contra dicta in priori assertione.

Verum Franciscus Suarez lib. 10 de 51.
Trinitate cap. 2 num. 10, existimat, non posse ulla ratione titulum hujus dubii intel- Placitum P. Suarez.

ligi in posteriori sensu : ita nimirum, ut supponatur duplex illa conditio, et suppositio impossibilis, scilicet, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, et quod nihilominus manerent cum suis proprietatibus personalibus, quas modo habent, nempe, cum Filiatione, et Processione.

Probatur primo. Hoc autem sic probat. Nam si semel supponatur, Spiritum sanctum non procedere a Filio, consequenter etiam debet supponi, non manere hunc numero Spiritum sanctum, aut hunc numero Filium : ergo titulus hujus dubii non potest intelligi, ita ut supponatur, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, et quod simul maneant proprietates personales, quæ modo sunt constitutivæ eorum, nempe, Filiatio, et Processio. Consequentia videtur perspicua. Quia non potest simul supponi, quod maneant, et non maneant prædictæ relationes constitutivæ Filii, et Spiritus sancti : ac proinde quod maneant, et non maneant hic numero Filius, et hic numero Spiritus sanctus.

52. Antecedens quoad priorem partem, nempe, quod supponatur non remanere eumdem Spiritum sanctum, probatur. Tum, quia hæc numero Processio, quæ nunc est constitutiva Spiritus sancti, per se respicit, tanquam adæquatum terminum, Patrem, et Filium : ergo non potest hæc numero relatio Processionis esse, vel intelligi in rerum natura, quin respiciat utramque personam, tanquam adæquatum terminum suum : nam habitudo simplicissimæ relationis nequit tolli, vel minui, manente eadem simplicissima relatione. Ergo hoc ipso, quod supponatur, Spiritum sanctum non procedere a Filio, supponitur, non manere hunc Spiritum sanctum. Tum etiam, quia hæc numero relatio Processionis per se est a Patre, et Filio, ita ut utraque relatio sit necessaria conditio ex parte principii hujus personæ Spiritus sancti : sed si Spiritus sanctus non procederet a Filio, jam Filiatio non esset conditio necessaria : ergo nec relatio Processionis terminaretur ad eamdem numero personam, ad quam nunc terminatur : ac proinde supponitur ibi, quod non esset eadem numero relatio Processionis, nec maneret constitutus per illam idem numero Spiritus sanctus, qui nunc est.

Quoad secundam vero partem scilicet, supponi etiam data illa hypothesi, non remansurum tunc eumdem Filium, etiam liquet. Tum, quia hæc Filiatio, quæ nunc constituit Filium, est sufficiens ratio terminandi habitudinem relationis Processionis, quam habet Spiritus sanctus ad ipsum : cum Spiritus sanctus procedat a Filio, ut constituto Filiatione : sed si supponitur Spiritus sanctus a Filio non procedere, non esset sufficiens ratio terminandi prædictam relationem Processionis, ut ex se constat : ergo ibidem etiam supponitur, quod non remanebit eadem numero relatio Filiationis : ac proinde, nec idem numero Filius. Tum etiam, quia Filiatio, quæ nunc datur, talis est, quod voluntas divina, quatenus conjuncta illi, sit fœcunda, et habeat rationem spirativæ virtutis, seu conditionem requisitam in principio *quod* ad spirandum : sed data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, non erit Filiatio talis virtutis : ergo non manebit eadem numero Filiatio, et idem Filius : ac proinde data prædicta hypothesi, hoc ibidem supponitur.

Confirmatur tota hæc objectio. Nam suppositio, qua supponitur, Spiritum sanctum non procedere a Filio, supponit etiam, quod non maneat eadem habitudo, quæ nunc est inter Processionem, et Filiationem, tanquam inter relationem, et terminum formalem ipsius : at hæc habitudo est de intrinseco conceptu harum numero relationum : ergo prædicta suppositio necessario destruit has relationes : ac proinde non potest simul cum hac suppositione cohærere, et supponi, quod tales relationes maneant. 53. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Nam Deus non potest intelligi æternus, quin intelligatur immutabilis, et quin ejus æternitas oriatur ab immutabilitate : ergo nec Spiritus sanctus poterit intelligi Spiritus sanctus, quin oriatur a Filio. Quia sicut immutabilitas est propria ratio, unde oritur æternitas : ita Filius, et Verbum est id, unde debet oriri amor. Confirmatur secundo.

§ IV.

Elucidantur ea, quæ in prima assertione, et in explicatione tituli diximus, ut inde clarior primæ objectionis enodatio colligatur.

Objectionem hanc consulto proposuimus : quia ejus occasione plene decisio hujus dubii capietur, et omnia, quæ in hac disputatione tradenda sunt, melius intelligentur. Ad eam igitur ut respondeamus, oportet 54. Elucidatur exemplo titulus dubii.

oportet recolere, et elucidare paulisper ea, quæ nuper in explicatione tituli diximus. Hoc autem nulla alia ratione melius præstabimus, quam adducendo sequens exemplum. Etenim aliud est, an dato quod secundum rem separentur ab individuo Trinitatis tres personalitates divinæ, tunc remaneret secundum rem hic numero Deus, seu hoc numero individuum Trinitatis, et istud esset idemmet principium productivum creaturarum : aliud vero, an possit hic numero Deus concipi, non conceptis tribus personalitatibus divinis, et hic numero Deus sic conceptus intelligeretur esse idemmet principium productivum creaturarum : ac proinde dato, quod sic secundum rem contingeret, sicut nostris conceptibus concipitur : et per consequens admisso, quod secundum rem separarentur tres personalitates ab hoc numero Deo : et simul admisso, quod in eo eventu, maneret hic numero Deus secundum rationem inadæquatam sui, idest, non prout est ratio a priori exigens tres personalitates divinas, ut proprietates personales indispensabiliter sibi actu annexas, sed secundum quod præcise exprimit *intelligere* Dei primordiale per se subsistens : tunc remaneret etiam idem numero principium productivum creaturarum?

55. Etsi ergo separatis secundum rem tribus personalitatibus divinis, non remaneat secundum rem hic numero Deus, neque hoc numero principium creaturarum : quia quidquid est in Deo, est ita de necessitate Dei, quod sine illo, nec hic numero Deus, nec hoc numero principium productivum creaturarum possit esse : ideoque, si præcise fiat hæc suppositio, ut a nobis descripta est, tunc ibidem virtualiter supponatur, quod in prædicto eventu omnia, quæ sunt in Deo, reipsa evanescent : et per consequens non possit tunc inquiri, an secundum rem remaneat idem numero principium productivum creaturarum, ne simul opposita ibidem supponantur : nihilominus bene potest concipi hic numero Deus, non conceptis tribus personalitatibus : et similiter intelligi potest hoc numero principium productivum creaturarum, saltem secundum suam rationem inadæquatam, non intellectis prædictis personalitatibus, et inquiri an si res ita evenirent, sicut conceptibus nostris separantibus, et distinguentibus ea, quæ inter se adunata sunt, concipiuntur : ac proinde dato, quod secundum rem separarentur ab hoc numero Deo tres personalitates divinæ, et quod adhuc in eo eventu maneret per impossibile hic numero Deus, saltem secundum rationem inadæquatam jam insinuatam, tunc remaneret idem numero principium productivum creaturarum?

Ita ergo in præsenti (proportione servata) philosophandum est. Nam aliud est, an dato, quod Spiritus sanctus secundum rem non procedat a Filio : ac proinde dato, quod secundum rem separaretur ab eo activa spiratio ejusdem Spiritus sancti : tunc relatio personalis Filiationis maneret secundum rem? aliud vero, an dato, quod Spiritus sanctus non intelligeretur procedere a Filio, et per consequens non conciperetur esse in eo spiratio activa, tunc intelligeretur manere relatio personalis Filiationis, saltem secundum suam rationem inadæquatam, sufficientem tamen ad hoc, ut conciperetur retinere formalissimam rationem Filiationis, prout præcise exprimit ordinem ad Patrem? et an, sicut potest concipi, Spiritum sanctum non procedere a Filio, et per consequens non intelligi in Filio spiratio activa, et nihilominus concipi quod modo dicta maneret in Filio Filiatio : sic, si per impossibile omnia hæc darentur secundum rem, et non solum secundum nostrum modum concipiendi, scilicet, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, et per consequens secundum rem tolleretur ab illo relatio spirationis activæ; et quod nihilominus maneret secundum rem in eo relatio Filiationis secundum rationem inadæquatam nuper explicatam, et similiter maneret adhuc tunc per impossibile in Spiritu sancto relatio processionis, seu spirationis passivæ secundum suam rationem inadæquatam, sufficientem tamen ad hoc, ut retineret formalissimam rationem spirati in ordine ad primam personam Trinitatis : tunc his impossibilibus suppositionibus datis, haberent Filius, et Spiritus sanctus realiter distingui ratione prædictarum proprietatum personalium, ut secundum prædictas rationes inadæquatas manentium? 56. Applicatur exemplum ad intentum.

57. Etsi ergo dato, quod Spiritus sanctus non procedat secundum rem a Filio, ac proinde et separari secundum rem ab illo relationem spirationis activæ, tunc non maneret secundum rem Filiatio divina : quia omnia divina sunt ita inter se connexa secundum rem, ut quidquid secundum rem invenitur in divinis, requiratur eodem modo, nempe secundum rem, ad hoc

ut natura Dei et quævis alia in Deo reperta maneant : et per consequens si præcise supponatur, quod aliquid a Deo re ipsa separetur, nequibit Deus, aut aliquid ejus secundum rem remanere ; sed ibidem virtualiter supponitur, quod secundum rem peribunt cuncta divina, sive id contingat per locum intrinsecum, vel extrinsecum, vel quovis alio modo : ideoque dato, quod secundum rem separaretur a Filio spiratio activa, non potest simul inquiri, an tunc Filius, et Spiritus sanctus distinguerentur realiter per Filiationem et Processionem : quia in priori suppositione facta modo explicato supponitur, Filiationem et Processionem prædictam non manere secundum rem.

Attamen bene potest concipi Filiatio, non concipiendo spirationem activam : et per consequens nec intelligendo, quod Spiritus sanctus procedat a Filio : et nihilominus concipi Filiatio secundum suam inadæquatam rationem, secundum quam præcise exprimit hoc, quod est, respicere Patrem. Et ita si supponatur suppositio quædam impossibilis, nempe, quod sicut contingit in nostris conceptibus, ita eveniret secundum rem : ac proinde quod secundum rem Spiritus sanctus non procederet a Filio et simul maneret Filiatio secundum suam rationem inadæquatam jam explicatam, et similiter processio, seu spiratio passiva, secundum quod respicit præcise primam personam Trinitatis, ut spirantem : tunc optime poterit inquiri, an rebus ita manentibus, Filius, et Spiritus sanctus, ut constituti per has proprietates personales sic reipsa inventas, sicut per nostros conceptus sic illas concipimus, haberent realiter per illas distingui, necne?

§ V.

Diluitur prior objectio.

58. Ex dictis dissolvitur argumentum. Hinc ergo ad primam objectionem distinguendum est antecedens : *Consequenter etiam debet supponi, non manere hunc numero Spiritum sanctum, aut hunc numero Filium*, quoad rationes suas adæquatas et completas, concedendum est : siquidem tunc Spiritus, v. g. non remaneret cum ordine originis passivæ ad Filium, nec Filius cum ordine ad Spiritum sanctum, ut ad id, quod ab eo procedit : nec Filiatio haberet munus illud, quod modo habet, nempe, radicis, aut quasi radicis, modo tamen infra explicando, relationis spirationis activæ, quo modo gaudet : nec ista a Filiatione, aut Processione exigerentur, aut implicite dicerentur. Si vero antecedens intelligatur quoad rationes inadæquatas, negandum est in sensu explicato. Et eodem proportionali modo debet distingui consequens, et juxta distinctionem datam concedi, vel negari consequentia.

Deinde ad probationem priorem antecedentis quoad primam ejus partem respondetur, distinguendo eodem proportionali modo antecedens : *Hæc numero Processio, quæ nunc est constitutiva Spiritus sancti, per se respicit tanquam adæquatum terminum Patrem, et Filium :* si prædicta Processio consideretur secundum suam adæquatam rationem, concedatur. Si vero secundum inadæquatam, negetur, juxta sensum explicatum. Et eodem proportionali modo distinguatur consequens. Nec obest id, quod ibidem additur, nempe, habitudinem simplicissimæ relationis nec tolli, nec minui posse, manente eadem simplicissima relatione. Quia hoc ad summum est verum de ablatione, vel diminutione secundum rem, non vero secundum nostrum modum concipiendi, quatenus concipitur quoad unum munus ejusdem simplicissimæ relationis, non concepto alio : ac proinde hæc simplicitas sicut non obstat his distinctis muneribus, ex parte saltem nostri modi concipiendi distinctis : ita nec obest ad hoc, ut inquiri possit, an si illa relatio processionis maneret secundum rem quoad unum munus, et rationem inadæquatam, nempe, ut respicit primam personam Trinitatis, non vero quoad aliud, quo respicit Filium, tunc talis processio ratione ejus, quod in ea remaneret, distingueret realiter Spiritum sanctum ab eodem Filio? 59.

Potestque hoc explicari aliquali exemplo, eoque satis probabili, relationis paternitatis creatæ. Nam pater, qui antea dicebat relationem ad duos filios, si eorum alter pereat, tunc refertur ad unum tantum : et tamen in eo eventu remanet eadem numero paternitatis relatio, quæ antea ex parte termini respiciebat duo supposita sub relatione filiationis ; et nunc solum respicit unicum solummodo : ac proinde manet quoad munus respiciendi actu, et in exercitio unicum filium ; non vero quoad munus respiciendi etiam in exercitio utrumque : ex eo quod deest connotatum quoddam indispensabile ad prædictum exercitium, nempe, existentia alterius 60. Illustratur exemplo.

rius filii, qui supponitur periisse. Ita ergo in præsenti (proportione tamen servata, et modo explicato) philosophandum est. Quamvis inter exemplum adductum, et rem, de qua agimus, sit etiam sua disparitas, ut intuenti patebit.

Ex quo ad secundam probationem pro eadem prima parte antecedentis constat. Nam ex ea ad summum convincitur, hanc numero Processionem esse a Patre et Filio secundum suam rationem adæquatam; non tamen secundum inadæquatam. Et ita si concipiatur, secundum quod præcise exprimit ordinem ad primam personam Trinitatis, non concipitur, ut est eademmet adæquate, sed inadæquate. Et si per impossibile sic secundum rem daretur, tunc remaneret eadem inadæquate, non vero adæquate.

61. Ad primam vero probationem ejusdem antecedentis pro secunda illius parte patet ex dictis, hanc numero Filiationem nunc constituentem Filium esse sufficientem rationem terminandi habitudinem relationis Processionis, quam habet Spiritus sanctus ad ipsum, si sumatur secundam suam rationem adæquatam : secus vero, si accipiatur secundum rationem inadæquatam, nimirum, prout præcise exprimit ordinem ad Patrem, et esse terminum habitudinis Patris ad ipsum : sic enim, licet nunc implicite dicat rationem aliam inadæquatam, secundum quam modo insinuato habet quodammodo terminare relationem Processionis Spiritus sancti ad ipsum : attamen si præcise consideretur quoad hanc rationem inadæquatam respiciendi Patrem secundum id, quod præcise exprimit, tantum habet terminare habitudinem Patris ad ipsum, et respicere eumdem Patrem. Unde, cum dicitur Spiritum sanctum procedere a Filio, ut constituto Filiatione, debet ad summum intelligi de Filiatione secundum suam rationem adæquatam. Et ita, si Spiritus sanctus non concipiatur procedens a Filio, adhuc intelligeretur Filiatio secundum prædictam rationem inadæquatam : et, ut nuper tangebamus, si per impossibile sic secundum rem remaneret secunda persona Trinitatis, sicut inadæquate illam concipimus, remaneret secundum rationem Filiationis inadæquatam secundum quam exprimit ordinem ad Patrem, et ejus relationem terminat. Per quæ etiam ad secundam probationem, et utramque confirmationem patet : solum enim probant, Filiationem secundum rationem adæquatam esse conditionem ex parte principii *quod* ad spirandum, et habere ordinem ibidem dictum cum Processione : non vero, quod id ei competat secundum omnem ejus rationem inadæquatam, et secundum id, quod exprimit secundum omnem, et quamvis ex suis rationibus inadæquate.

Secundo respondetur ad totam hanc objectionem, sive magis explicatur præcedens solutio, negando antecedens. Et ad primam probationem pro priori parte antecedentis dicendum est, Spiritum sanctum per suam relationem spirationis passivæ non ideo respicere Patrem et Filium, quia utraque persona ex parte virtutis spirativæ in omni eventu, et data quavis hypothesi impossibili, requiratur ad productionem illius ; sed quia ambæ desiderantur ex parte ipsius Spiritus sancti, ut modo est, et similiter ex parte etiam virtutis spirativæ, non utcumque, et in omni eventu consideratæ ; sed quia modo prædicta virtus spirativa, quæ est in Patre, est etiam in Filio, et ideo nequit Pater spirare, quin Filius spiret, et e converso. Unde si Spiritus sanctus sumatur formalissime secundum id præcise, quod petit data quacumque hypothesi, ad hoc ut sit terminus productus per voluntatem Dei, et ad intra manens, non curando de aliis, quæ ei adjunguntur, secundum quam rationem consideratur formalissime in ratione amoris divini, tunc si per impossibile produceretur a solo Patre, adhuc intelligeretur manere idem Spiritus sanctus formalissime, et in dicto sensu sumptus, et eadem numero Processio in eodem sensu accepta, quæ formaliter respiceret hoc principium spirans, quod salvaretur in Patre. 62. Secunda enodatio ejusdem argumenti.

Potestque hoc explicari exemplo creaturarum, quarum productio non potest esse, quin sit a tota Trinitate : et nihilominus quia repugnantia ista productionis illarum, ab una tantummodo persona non provenit ex parte ipsarum creaturarum, aut ex parte virtutis productivæ earum ; sed quia alias vis productiva earumdem est eademmet est numero in omnibus personis Trinitatis, ac proinde nequit una ex illis producere creaturas, quin omnes simul illas producant : idcirco, licet per impossibile, et modo supra explicato daretur, creaturam aliquam produci a solo individuo Trinitatis, scilicet, de hoc numero Deo, ut præintellecto personis, aut ab unica tantummodo persona, nihilominus conciperemus manere eamdem numero creaturam, ac nunc, dum producitur a tota Trinitate : quia ipsa per se, et ex Dilucidatur exemplo.

parte sua solum petit hunc numero Deum, qui salvaretur in unica tantummodo persona. Sic ergo quoad præsens, debita tamen proportione servata, philosophandum est.

63. Ad secundam vero probationem pro eadem prima parte antecedentis negandum est, utramque relationem Paternitatis et Filiationis esse conditionem necessariam ex Parte virtutis spirativæ in ordine ad spirationem Spiritus sancti formalissime et in sensu nuper explicato sumpti, licet aliunde nunc nequeat spirari, nisi Pater et Filius illum spirent. Et ratio est. Quoniam virtus spirativa quoad omnia, quæ petit ad spirationem Spiritus sancti formalissime et in sensu dicto sumpti, est perfecte in Patre et similiter prædicta virtus residet perfecte in Filio : cum tamen in Patre non sit formaliter Filiatio tribuens illi, quod sit Filius; nec sit in Filio Paternitas præstans ipsi, quod sit Pater : ideoque, si utraque relatio esset conditio necessaria ad spirandum ex parte virtutis spirativæ formalissime, nec in Patre sigillatim, nec in Filio etiam sigillatim esset perfecte virtus spirativa. Quare conditio necessaria ex parte virtutis spirativæ, ut talis, petita, est ipsa relatio spiratoris, ut quæst. 40 art. 5 dicemus : et hæc, quantum est ex parte ejus, quod petit vis spirativa, salvaretur in Patre, licet daremus, Filium non spirare.

64. Ad primam autem probationem pro secunda parte antecedentis dicendum est, Filiationem formaliter sumptam non esse formalissimam rationem terminandi relationem processionis passivæ formalissime et in sensu dicto sumptam. Nam prædicta Filiatio formaliter terminat relationem Paternitatis, ut talis : et ita nequit esse formalissimus terminus relationis spirationis passivæ : quia una et eadem relatio nequit esse formalissimus terminus duarum relationum totalium specie, aut quasi specie distinctarum.

Additamentum. Adde, quod licet hæc propositio : *Spiritus sanctus formalissime sumptus procedit a Filio, ut constituto per Filiationem*, sit vera in sensu specificativo; non tamen in reduplicativo : seu (quod in idem quoad præsens redit) licet sit vera, quatenus denotat, quod procedit ab illo quia eadem virtus spirativa est in utroque; non tamen quia id petatur ex parte virtutis spirativæ, aut ex parte Spiritus sancti sumpti præcise et in ratione termini intrinseci producti per voluntatem Dei.

Ex quibus ad secundam probationem pro eadem secunda parte antecedentis negandum est, voluntatem divinam reddi fœcundam ad spirandum Spiritum sanctum formalissime acceptum ex conjunctione ad Filiationem, aut ex conjunctione ad Paternitatem; sed ex conjunctione ad spirationem activam, saltem tanquam ad conditionem necessario requisitam ad hanc fœcunditatem.

Ad primam confirmationem respondetur, negando assumptum, sive suppositum majoris propositionis. Quia nunc inter Filiationem et Processionem non est habitudo, tanquam inter terminum formalem et relationem ejus : quia Filiatio non est terminus formalis Processionis, sed materialis et petitus, non ex vi ipsius Processionis formalissime et in sensu jam explicato acceptæ; sed quia alias debet necessario ibidem intervenire : ex eo quod eademmet virtus spirativa est simul in Patre et Filio. Et ideo, si per impossibile Spiritus sanctus non procederet a Filio, salvaretur terminus formalis per se inspectus a relatione Processionis formalissime considerata : sicut etiam per locum intrinsecum salvaretur, in eodem sensu principium et virtus spirativa, una cum conditione requisita ad spirandum, scilicet, divina voluntas connexa cum relatione spirationis activæ. Per quæ etiam patet ad secundam confirmationem. 65. Ad confirmationem.

§ VI.

Alia objectio contra posteriorem assertionem, cum responsione ad illam.

Secundo contra posteriorem assertionem objicit Godofredus quodlib. 7 q. 4 ut refertur in margine Scoti in 1 dist. 11 q. 2 § *Hic dicitur*, et Aureolus eadem dist. q. unica, dubium hoc in nullo sensu posse utiliter disputari. Quoniam illud nequit admissa aliqua suppositione utiliter discuti, qua data, non potest magis una pars ejus, quod inquiritur, quam alia contradictorie opposita decidi. Quoniam utilis de aliquo disputatio eo tendit, ut una pars contradictionis, potius quam alia, inde eligatur : at omnis disputatio procedens ex aliqua hypothesi impossibili, qualis est præsens, est talis conditionis, ut in ea non possit una pars, potius quam alia opposita, contradictorie inferri : quia juxta commune axioma, 66. Alia objectio contra secundam assertionem. Godofred. Scotus. Aureolus.

axioma, ex impossibili sequitur quodlibet : ergo præsens disputatio et dubium, in quovis sensu intelligatur, inutiliter discutitur.

Diluitur primo. Respondetur, quod si titulus hujus dubii intelligatur in posteriori sensu, nempe, facta illa duplici suppositione impossibili, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio et quod Filius maneret in ratione Filii secundum rationem inadæquatam jam dictam, tunc persistendo in prædicta suppositione, ac proinde negatis omnibus, quæ illam destruunt, non sequeretur juxta nostram sententiam utraque pars contradictionis, sed tantum unica, nimirum, Filium et Spiritum sanctum non distinguendos esse realiter : et ita necesse non erit, quod ex quovis impossibili, factis quibusvis suppositionibus, sequatur quodlibet. Sicut etiam, si titulus præsentis dubii intelligatur in priori sensu, nempe, an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc haberet aliquid, per quod realiter distingueretur, sive illud esset Filiatio, sive quidpiam aliud, tunc, persistendo in prædicta suppositione, atque adeo negatis omnibus eam destruentibus, tantum sequeretur una pars contradictionis, nempe, non fore aliquid, per quod realiter distingueretur, ut ex dicendis in sequenti dubio a n. 77 usque ad n. 90 patebit.

67. Aliter occurritur. Adde tamen, quod etsi juxta D. Thomæ et nostram sententiam et modo dicto tantum sequatur ex prædictis suppositionibus una pars contradictionis : attamen juxta sententiam Scoti et aliorum asserentium, datis prædictis suppositionibus distinguendum esse Filium realiter a Spiritu sancto, quia ejus Filiatio est propria et formalis ratio talis distinctionis : tunc sequeretur pars affirmativa per locum intrinsecum ; et negativa per locum extrinsecum. Cæterum, ut utiliter disputetur aliqua quæstio, satis est, quod non sequatur utraque pars contradictionis per locum intrinsecum, sed tantum unica, licet alia colligatur per locum extrinsecum : quia eo ipso scitur, quænam sit propria et formalis ratio alicujus effectus, aut quasi effectus

68. Elucidatur amplius hæc responsio. Potestque hoc (quia ad plura alia conducit) explicari ex eo, quod tunc sequitur aliquid per locum intrinsecum ex aliqua suppositione, quando sequitur ex ea tanquam ex propria ratione formali, aut tanquam ex ratione a priori, aut causa ejus, quod infertur, et ab illo petita (quod est idem, ac colligi per locum intrinsecum a priori) vel tanquam ex proprio effectu arguente, et denotante id, quod infertur, tanquam causam, vel rationem formalem ejus, sive rationem a priori talis effectus ab eodem petitam. Tunc autem sequitur aliquid per locum extrinsecum ex aliqua suppositione, quando non sequitur modo dicto ex illa : ut in hac suppositione, *si Deus non esset Trinus, aut non esset communicabilis tribus personis, sed tantum uni, posset producere creaturas* : tunc est valde probabile, quod per locum intrinsecum tantum sequitur pars affirmativa. Quia in hac suppositione supponitur, manere Deitatem cum sua omnipotentia : et hæc, ubicumque sit, est ex se sufficiens ratio, et causa productiva creaturarum : attamen per locum extrinsecum sequitur altera pars contradictionis, nempe, non posse producere creaturas : ex eo quod divina natura nequit communicari ad extra, non communicata prius ad intra. Licet quia hoc oritur ex aliis capitibus, non vero quia creaturæ exigant, tanquam causam sui, Trinitatem, ac proinde nec hanc communicationem ad intra, nec quia vis communicativa ad extra, quam Deus habet ex vi sua, et ut correspondet creaturis, ut petentibus illam, id exposcat : idcirco hæc pars negativa contradictionis, nempe, Deum non posse tunc producere creaturas, non sequitur per locum intrinsecum, sed solum per locum extrinsecum.

Sic igitur in præsenti, data illa suppositione, quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, debet sequi juxta sententiam (ut dicebamus) Scoti per locum intrinsecum, esse distinguendum realiter ab eodem Filio : quia juxta mentem illius sequitur ex propria causa, aut quasi causa, sive ratione formali illius quasi effectus, nempe ex Filiatione, quæ est propria ratio distinguendi Filium a Patre. At pars negativa solum sequeretur per locum extrinsecum : quatenus ex aliis capitibus evanescerent Filius et Spiritus Sanctus, et eo ipso non posset stare distinctio realis inter utrumque. Quoniam prædicta distinctio supponit existentiam utriusque : et ea sublata aufertur prædicta distinctio, et ideo adhuc in prædicta sententia esset utilis hæc quæstio. Quoniam hoc ipso, quod per locum intrinsecum tantum sequatur, Filium, et Spiritum Sanctum esse distinguendos, scitur, quod propria et adæquata ratio formalis distinctionis inter utrumque non est spiratio activa ; sed quod hæc potest oriri a Filiatione, et Processione : imo quod prædicta distinctio, ut est distinctio realis

personalis, idest, distinctio realis proveniens ab aliquo constituente personam Filii, et Spiritus Sancti, provenit a Filiatione et a Processione.

69. Illustratur ulterius. Adde, quod cum dicitur, ex impossibili sequi quodlibet, idest, utraque pars contradictionis, tunc hoc solummodo est universaliter verum quoad id, quod in prædicta hypothesi supponitur, non tamen hoc impossibili supposito oportet, ut semper, quidquid inde infertur, ita colligatur ex prædicta hypothesi, ut oppositum ejus possit etiam colligi, sed aliquando utraque pars condictionis poterit inferri, ut si dicatur : *Si homo esset rationalis et hinnibilis, non distingueretur specie ab equo :* nam tunc, quia hinnibilis, non distingueretur, quia vero rationalis, distingueretur. Aliquando vero non, ut si asseratur : *Si Deus non esset immutabilis, non esset æternus.* Nam licet in illa hypothesi includatur, fore, et non fore Deum immutabilem : non fore quidem, quia id supponitur ; fore autem, quia Deus : attamen hoc semel supposito, non sequitur, non fore simul æternum, et non æternum, sed solum non fore æternum.

Unde regula generalis ad hoc dignoscendum est, an in hypothesi illa includantur termini talis conditionis, qui ex sola explicatione eorum afferant utramque ex illis consequentiis illatam, vel non. Si enim hos terminos attulerint, tunc ex vi hypothesis sequetur universaliter quodlibet. Si autem illos non attulerint, non erit, saltem universaliter, necessarium, quod sequatur quodlibet, ut in exemplo nuper allato, et in hypothesi, de qua est in præsenti disputatio, cernitur. Unde, licet quæstio procedens ex hac hypothesi impossibili utiliter disputetur, et ideo utiliter quæritur : *An si Deus non esset immutabilis, esset æternus :* non tamen, *An si homo esset hinnibilis, et rationalis, distingueretur specie ab equo.*

70. Respondetur secundo ad totam objectionem. Secundo respondetur ad totam hanc objectionem, tunc saltem propositionem aliquam procedentem ex hypothesi impossibili utiliter disputari, quando habet aliquam categoricam æquipollentem, et absolutam, quæ utiliter disputetur, et propterea hæc propositio : *Si homo haberet alas, posset volare*, utiliter disputatur : quia habet hanc categoricam : *Omne quod habet alas, potest volare ;* et hæc utiliter discutitur neque ex ea, neque ex propositione, cui æquipollet, procedente ex hypothesi saltem naturaliter impossibili sequitur utraque pars contradictionis. Constat autem, hanc propositionem continentem hypothesim impossibilem, scilicet : *Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, Filius distingueretur realiter ab illo,* æquivalere huic : *Filiatio est ratio distinguendi realiter Filium ab Spiritu sancto,* et hæc utiliter est disputabilis.

DUBIUM III.

Utrum si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo.

71. Semel explicato, in quibus sensibus, et qua utilitate inquiratur, an data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo, merito de re ipsa præsens dubium excitamus, inquirentes an data prædicta suppositione, intercederet realis distinctio inter Filium, et Spiritum Sanctum? ut ita primam et potissimam rationem, quam Angelicus Præceptor in hoc articulo adduxit ad probandam processionem Spiritus sancti a Filio examinemus. Quia tota vis prædictæ rationis consistit in hoc, quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab illo : ac proinde, cum necessarium sit juxta fidem, Spiritum sanctum, et Filium distingui realiter, oportebit, illum a Filio procedere. Unde ex iis, quæ in hoc dubio, et in dubio 1 hujus disputationis diximus, ubi secundam, et tertiam rationem hujus articuli discussimus, manebunt explicatæ omnes rationes, quas Angelicus Præceptor ad probandam processionem Spiritus sancti a Filio in præsenti adduxit.

§ I.

Mens D. Thomæ.

Dicendum ergo est, quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc non distingueretur realiter ab illo. Assertio hæc videtur non parum efficaciter colligi ex Concilio Toletano XI in professione fidei, ubi de personis divinis sic dicitur : *Hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Quibus verbis significatur, nulla alia ratione esse numerum, aut distinctionem inter personas divinas, nisi quatenus ad invicem sunt. Constat autem, quod per esse ad invicem denotatur, respicere se ad invicem, sive referri ad se mutuo, 72. Assertio et prima ejus probatio Concil. Tolet. XI

mutuo, quod est habere inter se oppositionem relativam. Et ita si Spiritus sanctus et Filius non habent inter se oppositionem relativam producentis et producti (quæ sola in divinis reperiri potest, ut ex supra dictis et dicendis in hoc dubio amplius patebit) non erit unde realiter distinguantur.

73. Effugium Scotistarum. Unde nihil obest id, quod quidam recentiores Scotistæ respondent, nempe, quod per esse ad invicem relationes, solum denotatur, eas esse relativas, hoc est, non absolutas: et non determinate esse correlativas, sive relative oppositas : ita ut sensus Concilii sit, personas divinas distingui proprietatibus relativis et non absolutis. Hoc autem reperiretur, etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Filio : quia tunc distinguerentur Filiatione et Processione, quæ essent proprietates relativæ, licet non relative oppositæ.

Præcluditur. Non igitur hoc obest. Tum, quia idem Concilium ut explicaret, qua ratione personæ divinæ non sint ad se, sed ad invicem, sic ait : *Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est : et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter et Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur.*

Tum etiam. Quia juxta communem usum Theologorum et Philosophorum cum de relativis in communi dicitur, esse ad aliud, intelligitur respicere aliud tanquam terminum : ergo eadem ratione, cum de aliquibus relativis in particulari asseritur, quod sint ad invicem, ut in hoc testimonio Concilii Toletani de relationibus divinis id dicitur, sensus erit, quod respiciant se ad invicem tanquam terminum.

Tum denique. Quia alioqui improprie, imo et falso asseruisset Concilium, quod personæ divinæ sunt ad invicem : siquidem relativa se mutuo non respicientia, nequeunt dici esse ad invicem : et in præsenti neutrum ex relativis, de quibus loquimur, nempe Filius et Spiritus sanctus, esset ad alterum : cum neque Filius ad Spiritum sanctum, neque Spiritus sanctus ad Filium esset.

74. Probatur etiam ex Conc. Florentino. Eadem etiam veritas videtur desumi ex Concilio Florentino Sessione 18 quod quamvis quoad hoc juxta translationem Bartholomæi Abrahami, quæ reperitur in editione Conciliorum Laurentii Surii, aliquantulum perturbatum legatur : attamen ex Græcis de verbo ad verbum expressum sic habet : *Secundum omnes Doctores, tam Græcos, quam Latinos, sola differentia processionum, quæ principalius dicitur, multiplicat personas in divinis.* Et ut explicet, quænam sit hæc differentia processionum, protinus addit Concilium : *Ad quam sola duo accommodantur, qui ab alio est et a quo est.* Et paulo inferius : *Nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in divinis, nisi per hoc, quod persona aliqua est ab altera.* Quæ verba (id, quod non parum animadvertendum est, ut per illa assertio nostra magis corroborata maneat) adduxit Concilium ad hoc, ut per illa confirmaret hanc veritatem, nimirum, Spiritum sanctum a Filio procedere, ex eo quod ea, quæ in divinis sunt realiter distincta, non distinguuntur sic, nisi sola differentia processionum : et hæc consistit in hoc, quod reperiatur ibidem duo, scilicet, *a quo alius et qui ab alio*, idest, quod comparentur per modum personæ procedentis et ejus, a quo talis persona procedit. Et ideo Concilium concludit, nullam rationem distinctionis esse in divinis inter personas, nisi per hoc quod persona aliqua est ab altera. Et ita, cum in casu, de quo loquimur, excludatur omnino hoc, quod est, unam personam esse, aut procedere ab alia, etiam excluditur tota ratio distinctionis inter illas.

75. Suadetur ex Patribus. Boetius. Eamdem etiam assertionem tuentur Boetius in lib. de Trinitate, ubi inquit, quod in divinis sola relatio multiplicat Trinitatem. Constat autem, quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non esset aliqua relatio inter illos (id, quod ex dicendis num. 78 amplius patebit) et ita non distinguerentur realiter ad invicem. Anselm. Anselmus in lib. de Processione Spiritus sancti c. 2 ubi inquit, quod Pater et Filius in omnibus unum sunt, nisi in iis, in quibus distinguit eos relationis oppositio, et hoc propter essentiæ unitatem. Quare, cum etiam sit una essentia Filii, et Spiritus sancti, erunt in omnibus unum, in quibus non distinxerit eos relationis oppositio. Et ideo, cum nullo modo distingueret eos prædicta relationis oppositio, si Spiritus sanctus non esset a Filio, consequens erit, ut non sit aliquid in eo eventu, unde realiter distinguantur.

Idem Anselm. Item idem Anselmus in eodem lib. c. 3 ubi sic ait : *Sic ergo hujus unitatis et hujus relationis se contemperant consequentiæ, ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis : nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur : quatenus neque unitas amittat aliquando*

suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat, quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis. In quibus verbis, ut constat, continetur axioma illud nuper dictum et tritum apud Theologos, nempe : *In divinis omnia esse unum ubi non obviat relationis oppositio.* Nam hoc idem est, ac dicere, quod unitas non amittit suam consequentiam (idest id, quod ex illa necessario consequitur, seu provenit, nempe, facere unum) ubi non obviat relationis oppositio.

76. Gregor. Nyssen. Idem etiam desumitur ex Gregorio Nysseno lib. ad Ablabium, ubi de divinis personis sic loquitur : *Eam, quæ circa causam et causatum* (idest, circa principium et ejus, quod est a principio) *consideratur, differentiam non negamus : per quod solum discerni unum ab altero deprehendimus, nimirum, eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa.* Idem docuerunt (Dionysius.) Dionysius Areopagita lib. de Divinis nominibus cap. 2 ubi *discretiones benignissimas personarum* (sic loquitur ille) *Deitatis processus* appellat, (Athan.) Athanasius lib. 1 de Unica Deitate Trinitatis, (Basilius.) Basilius 3 contra Eunomium in principio, (Cyrill. Alex.) Cyrillus Alexandrinus lib. 7 Thesauri c. 1, (August.) Augustinus sæpe, (D.Thom.) D. Thomas in hoc art. 2 et 4, contra Gentes cap. 24 et quæst. 10 de Potentia art. 5 necnon in 1 distinct. 11 quæst. 1 articul. 1 et Opusculo 1 cap. 49, 50 et 51 et Opusculo 3 cap. 49.

(Alexand. Albertus. Bonavent. Durand. Ægidius. Herbeus. Argent. Capreol. Ferrara. Cajetanus. Canariens. Molina. Nazar. Bannez. Zumel. Ripa. Arrubal. Granad. Vasquez. Montoya. Bellarmin. Suarez.) Et tandem hanc eamdem sententiam sequuntur plures, et gravissimi Theologi, ut Alexander 1 p. q. 43 membro 4, Albertus similiter 1 p. quæst. 31 membro 3, Bonaventura in 1 dist. 11 art. 1 q. 1, Durandus eadem dist. q. 2, Ægidius art. 1 q. 3, Herbeus q. 1, Argentina eadem dist. 11, Capreolus q. 1 art. 1 sub initio, Ferrara 4 contra Gentes c. 24, Cajetanus, Canariensis, et Molina, et similiter Nazarius, Bannez, Zumel, Ripa, Arrubal, Granado, Vasquez, Ruiz de Montoya in præsenti, Bellarminus tomo 1 lib. 2 de Christo cap. 26, Suarez lib. 10 de Trinitate c. 2, et alii quamplures.

§ II.

Ratio fundamentalis ex Angelico Doctore desumpta.

77. Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducitur a D. Thoma locis citatis, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam in divinis solum potest esse realis distinctio per relationes oppositas, seu per relativam oppositionem : sed si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non essent in eis relationes oppositæ seu non esset inter illos relativa oppositio : ergo non esset, unde realiter distinguerentur; sed sicut idemmet Pater in divinis est generans Filium, et spirans Spiritum sanctum, ita etiam eadem persona Filii esset simul genita et spirata : ac proinde esset simul Filius, et Spiritus sanctus.

Major quoad primam partem, nempe, quod in divinis distinctio realis solum potest esse per relationes, videtur perspicua. Quoniam id, quod est absolutum in Deo, dicit essentiam divinam, et attributa. Et ita, si personæ distinguerentur realiter per aliquid absolutum, non essent omnino unum et idem in essentia, et attributis; sed in istis esset realis distinctio inter prædictas personas. Quoad secundam vero partem, nempe, quod hæc realis distinctio non proveniat a relationibus quibuscumque, sed a relationibus oppositis, seu a relativa oppositione, probatur. Quoniam in Patre dantur duæ relationes reales, nimirum, Paternitas, et spiratio activa : et nihilominus, quia istæ non sunt relative oppositæ, idcirco nec distinguuntur realiter in Patre, nec dividunt, aut quasi dividunt ipsum realiter in duas personas; sed unus et idem Pater absque distinctione reali sui est simul Pater, et spirans : ergo relationes, quæ in divinis sunt ratio distinctionis realis, et divisionis, aut quasi divisionis in plures personas, non sunt relationes qualescumque, sed relationes oppositæ : seu (quod in idem quoad præsens redit) id, quod est ratio prædictæ distinctionis, tantum potest esse relativa oppositio.

Minor autem etiam constat. Quoniam 78.
in divinis tantum invenitur oppositio relativa originis, seu fundata, aut quasi fundata in processione unius personæ ab alia : ergo cum inter Filium, et Spiritum sanctum non possit esse oppositio relativa originis, seu fundata in processione, ex eo quod Filius procedat ab Spiritu sancto : siquidem iste procedit ut amor, ille vero ut verbum, et amor procedit a verbo, non tamen e contra : consequens erit, quod si Spiritus sanctus non procedit a Filio, non sit inter illos aliqua oppositio relativa. Consequentia autem primi et principalis syllogismi hujus rationis ex utraque præmissa aperte sequitur, ideoque non indiget peculiari probatione.

Quam

Quam rationem paucis adduxit idem Angelicus Præceptor in 1 ad Annibaldum distinct. 1 q. unica art. 1 his verbis : *Nam cum tres personæ sint unius essentiæ, non potest esse personarum distinctio, nisi secundum relationes originis, prout una persona est ab alia. Spiritus autem sanctus a Filio non distinguitur per hoc, quod est a Patre. Si ergo non distinguitur ab eo per hoc, quod unus eorum est ab alio, nulla erit distinctio inter eos. Non autem Filius est a Spiritu sancto : quia ex hoc, quod Filius est, solum a Patre est. Restat ergo, ut Spiritus sanctus sit a Filio.*

§ III.

Evasio Scoti proponitur, et duo priores illius defectus aperiuntur.

79. Evasio Scoti. Nec obest, si occurras cum Scoto, et ejus sequacibus locis infra num. 102 referendis, quod etsi quævis distinctio realis in divinis debeat esse per relationes, non tamen oportet, quod sit per relationes oppositas, seu per oppositionem relativam; quia satis est, prædictas relationes esse realiter disparatas, et incompossibiles, ad hoc ut distinguant realiter personas in divinis, ut contingeret, adhuc data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio : siquidem adhuc tunc Filiatio, et Processio fundarentur in duobus modis totalibus accipiendi naturam divinam, nempe, per intellectum, et voluntatem, habentibus conditiones inter se incompossibiles : ac proinde peterent produci, et de facto producerentur per duas productiones totales. Quod quidem uni et eidem personæ convenire nequit.

80. Occurritur ad argumentum in forma. Unde ad formam rationis D. Thomæ respondet, negando majorem, nempe, in divinis solum posse esse realem distinctionem per oppositionem relativam, si oppositio relativa proprie sumatur. Et ad probationem ejus pro secunda parte, quæ sola pugnat contra hanc solutionem, respondetur ex doctrina ejusdem Scoti, concedendo majorem, et minorem, et negando consequentiam universaliter intellectam : quia est dispar ratio inter Paternitatem, et spirationem activam, ratione quarum Pater est principium Filii, et Spiritus sancti, et inter Filiationem, et Processionem, ratione quarum Filius generatur, et Spiritus sanctus spiratur. Ex eo quod non oportet, esse tantam distinctionem quoad supposita in principio producente distinctis productionibus, sicut in termino producto per distinctas productiones : quia non est impossibile, idem suppositum esse principium productionum distinctarum, et totalium, et habere in se relationes, quæ ad easdem productiones consequuntur : cum tamen sit impossibile, idem suppositum produci distinctis, et totalibus productionibus, aut accipere relationes, quæ resultant ex hujusmodi productionibus passivis. Et propterea, adhuc in creatis, idem homo producit hominem productione naturali, et opus artificiale productione artificiali : cum tamen nequeat idem suppositum utraque productione produci. Quare, licet eadem persona Patris producat generando Filium, et spirando Spiritum Sanctum, ac proinde habeat relationes genitoris, et spiratoris, non infertur, eamdem personam fore (data illa hypothesi, de qua in præsenti) producendam generatione, et spiratione, et habituram in se relationes Filii, et procedentis.

Potestque juvari hæc solutio ex discrimine, quod intercedit inter spirationem activam, et processionem, seu spirationem passivam. Nam relatio spirationis active sumpta non constituit personam, et ideo potest addi personæ per Paternitatem constitutæ : at relatio spirationis passivæ, seu Processionis est constitutiva personæ : et ita nequit dari, vel advenire personæ jam constitutæ ; sed debet aliam realiter personam constituere. Roboratur hæc solutio.

Cæterum hæc solutio in multis deficit. Primo quidem. Quia juxta illam non ita bene salvatur id, quod ex Conciliis Toletano et Florentino num. 72 et 74, retulimus, scilicet, distinctionem realem in divinis esse per relationes, quatenus ad invicem sunt, quod est oriri ab illis, quatenus se mutuo respiciunt et opponuntur relative, ut ibidem expendimus. 81. Impugnatur primo.

Confirmatur. Quoniam si quis assereret, Filium et Spiritum sanctum de facto distingui realiter per aliud, quam per relationes oppositas, seu oppositionem relativam, aperte contradiceret prædictis Conciliis : siquidem in eis, maxime vero in Florentino, asseritur, quod nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in divinis, nisi per hoc, quod una persona est ab altera, et per consequens nisi per hoc, quod opponantur relative : ergo non ita consone ad prædicta Concilia potest affirmari, quod in prædicta hypothesi Filius per relationem Filiationis, disparate se habentem ad Pro- Confirmatur.

cessionem, haberet sufficientem rationem distinctionis realis ab Spiritu sancto. Patet consequentia. Quia quod in prædicto eventu esset ratio distinctionis inter Filium, et Spiritum sanctum, convenit ipsis de facto : ergo si data prædicta hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, esset unde distinguerentur realiter, nempe per relationes illas disparatas, colligeretur inde, quod de facto sit alia ratio distinctionis inter Filium et Spiritum sanctum, præter oppositionem relativam, aut secundum originem : quod tamen Concilia negare videntur.

82. Refellitur secundo. Deficit secundo. Quoniam hoc ipso, quod relationes Filiationis et Processionis non sint inter se realiter oppositæ, sed non habeant relativam oppositionem, non erunt incompossibiles in eodem supposito : ergo male in hac solutione asseritur, quod data illa hypothesi, nempe, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc haberent relationes, licet non relative oppositas, bene tamen incompossibiles, quibus realiter distinguerentur. Consequentia est perspicua.

Antecedens autem probatur. Quoniam ea, quæ in creaturis dispersa sunt, realiterque distinguuntur, si ad Deum transferantur, debent ratione summæ simplicitatis et infinitatis divinæ esse unum et idem realiter; quantumvis inter se disparata sint, nisi habeant ad invicem realem oppositionem. Et propterea, licet in creaturis misericordia et justitia sint formæ satis diversæ et disparatæ, realiterque distinctæ : nihilominus, quia non habent inter se oppositionem ex genere suo, sed ad summum quando inveniuntur limatato modo, idcirco in divinis sunt unum et idem absque distinctione reali. Et similiter, quamvis *dicere* et *spirare* in creaturis sint realiter distincta : attamen ex defectu oppositionis, quam ex genere suo non dicunt, sed tantum ratione limitationis, cum qua in creaturis involuta sunt, idcirco hæc duo in divinis non distinguuntur realiter. Et tandem (id, quod adhuc magis est) quia relatio in divinis, quæ est opposita suo correlativo, non opponitur divinæ essentiæ : propterea, licet in creaturis ratione limitationis, quam habet, distinguatur realiter ab essentia rei, quam afficit : nihilominus in divinis, ubi deputata est ab imperfectionibus limitationis, ac proinde compositionis, non distinguitur realiter a divina essentia : et per consequens nec est incompossibilis cum illa. Ergo hoc ipso, quod aliquæ relationes in divinis non sint relative oppositæ, sed disparatæ, non erunt inter se incompossibiles in uno et eodem supposito : imo nec realiter inter se distinguentur; sed ratione summæ simplicitatis et infinitatis Dei inter se identificabuntur.

Desumiturque hæc impugnatio ex D. Thoma q. 10 de Potentia art. 5 ubi ut ostenderet, solam oppositionem relativam posse esse rationem distinguendi realiter divinas personas, sic inquit : *Cum personæ distinguantur in divinis, oportet, quod hoc sit per aliquam oppositionem relativam : quia alia oppositio in divinis esse non potest. Et hoc satis manifeste apparet. Nam quantumcumque aliqua dividantur secundum rationem diversam, sicut essentialia attributa, non distinguunt personas : quia ad invicem non opponuntur. Sic etiam plures notiones inveniuntur in una persona divina, propter hoc quod oppositionem ad invicem non habent : sicut in Patre, scilicet innascibilitas, Paternitas et spiratio activa. Ibi enim primo invenitur distinctio, ubi primo occurrit oppositio relativa, sicut in hoc, quod est, esse Patrem et Filium. Ubi ergo non est oppositio relativa in divinis, non potest esse realis distinctio, quæ est distinctio personalis.* 83. Illustratur testimonio D. Thomæ.

Confirmatur primo. Quoniam hoc ipso, quod relationes Filiationis et Processionis non sint inter se oppositæ, tunc, vel Filius et Spiritus sanctus non erunt ejusdem prorsus naturæ; vel prædictæ relationes inter se identificabuntur : ergo eo ipso non erunt inter se incompossibiles. Consequentia est perspicua. Quia quæ ad invicem identificantur in una et eadem persona, non sunt inter se incompossibilia. Antecedens autem probatur. Quoniam quæ sunt ejusdem prorsus naturæ, identificant sibi omnia, quæ cum ipsis non habent oppositionem. Nam sicut petunt eamdem numero naturam, ita omnes modos, aut quasi modos illius naturæ, qui cum eisdem oppositionem non habuerint. 84. Confirmatur primo.

Quam confirmationem tetigit D. Thomas locis citatis. Nam in eis ex identitate in eadem prorsus natura colligit, non posse personas divinas distingui, nisi ratione oppositionis relativæ : ac proinde non esse relationes divinas incompossibiles, nisi ratione ejusdem oppositionis. Ac tandem innuit, quod si alia ratione distinguerentur et per consequens alia ratione essent incompossibiles, non essent prædictæ personæ ejusdem prorsus naturæ numericæ. D.Thom.

Confirmatur

85. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Nam licet daremus, quod ea, quæ materialiter solummodo distinguuntur intra eamdem speciem, possent distingui realiter et esse incompossibilia absque eo quod haberent realem oppositionem inter se : quia hæc divisio et distinctio fit per divisionem quantitatis, modo tamen in 1 tomo tract. 1 disp. 1 n. 116 tacto : attamen ea, quæ distinguuntur formaliter, non sunt inter se distincta et incompossibilia, nisi ratione alicujus oppositionis. Et ita, quæ habent unam naturam, saltem genericam, et distinguuntur formaliter, nequeunt sic distingui ; nisi ratione differentiarum contrahentium et determinantium genus. Ergo cum personæ divinæ non distinguantur materialiter, sed formaliter et communicent in una natura, non solum generica, sed etiam numerica, oportet ut id, per quod distinguuntur et sunt incompossibiles, sit aliquid, ratione cujus habeant inter se oppositionem et quod sublata hac oppositione et per consequens oppositione relativa, quæ sola in divinis dari potest, ut dictum est, auferatur etiam incompossibilitas.

86. D.Thom. Quam confirmationem adduxit D. Thomas quæst. 10 jam citata de Potentia art. 5 his verbis : *Distinctio aliquorum ab invicem non proprie potest esse, nisi vel propter divisionem materialem, seu quantitativam, vel propter divisionem formalem. Distinctio autem secundum materialem et quantitativam divisionem, invenitur in corporalibus rebus etc. Hunc autem modum distinctionis omnino oportet a divinis removeri : cum in eo non sit materia, nec quantitas corporalis. Distinctio autem aliquorum habentium unam naturam, saltem generis, per divisionem formalem esse non potest, nisi ratione alicujus oppositionis. Unde invenimus, quod cujuslibet generis differentiæ sunt oppositæ. Et ideo in natura divina non potest esse, nec intelligi aliqua distinctio, cum sit una, non solum genere, sed numero, nisi per aliquam oppositionem. Unde, cum personæ distinguuntur in divinis, oportet, quod hoc sit per aliquam oppositionem relativam : quia alia oppositio in divinis esse non potest.* In qua ratione, ut vides, Angelicus Præceptor probat, non posse in divinis esse realem distinctionem inter personas, nisi ratione oppositionis : ac proinde Processionem et Filiationem non esse incompossibiles in una et eadem persona, nisi ex eo quod est oppositio inter illas.

87. Ex quibus omnibus fit, nihil referre id, quod respondet Rada, nempe, quod etsi concedatur, ut revera debet concedi, requiri ad incompossibilitatem Filiationis et Processionis in una et eadem persona et per consequens ad distinctionem realem inter Filium et Spiritum sanctum, quod sit aliqua oppositio inter prædictas relationes : nihilominus non ob id desinent esse incompossibiles in una et eadem persona et constituere duas realiter distinctas. Quia licet in prædicto eventu non haberent oppositionem relativam : esset tamen in eis oppositio secundum affirmationem et negationem : et ita Filiatio realiter esset Filiatio et non Processio ; e contra vero Processio esset realiter Processio et non Filiatio. Alia evasio. Rada.

Corruit ex dictis. Ex dictis igitur constat, solutionem hanc nihil referre. Quoniam in divinis non opponuntur realiter secundum affirmationem et negationem, nisi ea, quæ habent aliquam aliam realem oppositionem. Quoniam quod una ratio non pertingat ad hoc, ut sit realiter alia, ac proinde quod opponantur secundum affirmationem et negationem, non potest oriri, nisi vel ex eo, quod ratio illa sit limitata et per consequens ratione suæ limitationis et coarctationis nequit pertingere ad hoc, ut sit realiter idem quod alia ; vel ex eo, quod habet aliquam aliam oppositionem realem, ad quam subsequatur hæc oppositio secundum affirmationem, vel negationem. Ergo cum in divinis nulla sit coarctatio et limitatio, ut nuper dicebamus, oportet, ut oppositio secundum affirmationem et negationem, atque adeo incompossibilitas hinc subsecuta, oriatur ex aliqua alia oppositione reali. Ergo cum non possit in Deo reperiri alia positiva oppositio præter oppositionem relativam, consequens est, ut hac negata inter Filiationem et Processionem, debeat negari incompossibilitas realis inter eas in una et eadem persona : et ita non distinguentur realiter per modum duarum relationum personalium constituentium duas personas.

Confirmatur et explicatur ratione D. Thomæ loco nuper citato ex quæst. 10 de Potentia, ubi postquam retulit hanc eamdem solutionem his verbis : *Nec potest dici, quod ad talem distinctionem faciendam sufficiat oppositio affirmationis et negationis :* sic contra illam arguit : *Quia talis oppositio sequitur distinctionem, non autem distinctionem causat : cum existens ab altero distinguatur per aliquid sibi inhærens substantialiter vel accidentaliter. Quod autem hoc* 88. Elucidatur ex D.Thom.

non sic hoc, sequitur ex hoc, quod distincta sint. Similiter etiam patet, quod veritas cujuslibet negativæ in existentibus supra veritatem affirmativæ fundatur : sicut veritas hujus negativæ, Æthiops non est albus, fundatur supra veritatem hujus affirmativæ, Æthiops est niger. Et ideo oportet, omnem differentiam, quæ est per oppositionem affirmationis et negationis, reduci in differentiam alicujus affirmativæ oppositionis. Unde non potest esse prima distinctionis ratio inter Filium et Spiritum sanctum ex hoc, quod Filius est genitus, non spiratus; Spiritus sanctus spiratus, non genitus; nisi præintelligatur distinctio inter generationem et spirationem et inter Filium et Spiritum sanctum per aliquam oppositionem duarum affirmationum. Ubi, ut constat, satis eleganter probat Angelicus Præceptor, primam incompossibilitatem duarum relationum in una et eadem persona divina non posse oriri ex oppositione secundum affirmationem et negationem, sed ex aliqua alia reali et affirmativa oppositione ex parte utriusque extremi, quæ, ut ex dictis constat, nequit esse alia præter relativam.

89. Alia solutio. Ex quibus etiam fit, manere impugnatam solutionem aliquorum Scotistarum dicentium, in divinis, præter oppositionem relativam, dari aliam oppositionem contrariam, aut quasi contrariam provenientem a relationibus, non quatenus sunt oppositæ relative seu ut se mutuo respiciunt; sed quatenus sunt disparatæ et habent se per modum duarum specierum, aut quasi specierum contrariarum participantium differentias quasi specifice diversas sub eodem quasi genere et hanc oppositionem sufficere ad prædictam incompossibilitatem.

Refutatur primo. Ex dictis igitur constat, solutionem hanc manere impugnatam. Tum, quia jam vidimus, quomodo sola oppositio contraria, aut quasi contraria, proveniens ex disparatis differentiis, aut quasi differentiis, possit ratione limitationis et coarctationis repertæ in creaturis causare ibidem incompossibilitatem, non tamen in divinis, ubi omnis limitatio releganda est. Et ideo ibidem misericordia et justitia, etc. quæ dicunt rationes disparatas et constitutas per rationes quasi differentiales contentas sub eodem quasi genere inter se identificantur et sunt compossibiles : et similiter Paternitas et spiratio activa.

90. Secundo. Tum etiam. Quia quod relationes divinæ distinguant realiter personas inter se, debet provenire ab ipsis relationibus formalissime sumptis et secundum oppositionem, quæ solis ipsis competit : et ideo ob hanc rationem tribuitur solis relationibus, quod constituant et distinguant personas. At distingui personas per relationes, ut sunt formæ quædam disparatæ, non est distingui per illas secundum oppositionem. quæ solis ipsis competit : cum hoc sit commune quid relationibus et aliis formis absolutis. Ergo signum est, Filiationem et Processionem, quatenus sunt præcise formæ disparatæ, non esse distinctivas personarum et incompossibiles in una et eadem persona : ac proinde nec habere inter se oppositionem contrariam proprie sumptam, seu sufficientem ad inducendam incompossibilitatem sui in una et eadem persona.

Tum deinde. Quia si quæ formæ disparatæ possent in divinis esse ratio hujus contrarietatis inducentis prædictam incompossibilitatem, maxime illæ, quæ pertinent ad ordines, quæ ex genere suo sunt primo diversi, qualia sunt, ratio entis absoluti et relativi : siquidem isti sunt magis disparati : et per consequens species sub illo contentæ hoc ipsum habebunt : cum tamen (ut nuper advertimus) ista duo in divinis ob defectum oppositionis relativæ inter se non sint incompossibilia, ac proinde nec habeant prædictam contrarietatem : quia eam divina infinitas tollit. Tertio.

Tum denique. Quia, ut bene notavit D. Thomas 4 contra Gentes cap. 24 sicut pura oppositio contradictoria non invenitur in divinis, ex eo quod est inter ens et non ens; nec etiam privativa, quia sic distinguuntur perfecta ab imperfectis : ita nec contraria, quoniam quæ sic distincta sunt, habent diversas formas : ut enim Philosophi docent, contrarietas est differentia secundum formam : imo est differentia secundum formam limitatam, ut nuper dicebamus : hæc autem differentia in divinis reperiri nequit. Maxime quia contrarietas et incompossibilitas secundum eam semper dicit duas formas, quarum una realiter excedatur ab alia, ut inductive constat : hæ autem formæ repugnant in divinis. propter summam omnium divinorum realem æqualitatem in perfectione. Quarto. D.Thom.

§ IV.

Alii duo defectus evasionis Scoti deteguntur.

91. Ex quibus etiam fit, deficere tertio solutionem

tionem Scoti in hoc, quod ad salvandam distinctionem realem inter Filium et Spiritum sanctum data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, ac proinde ad salvandam incompossibilitatem realem in una et eadem persona inter Filiationem et Processionem, recurrit ad duas productiones totales, per quas in prædicto eventu producerentur : et cum istæ non possint convenire uni et eidem personæ, oportebit, Spiritum sanctum et relationem ejus personalem, nempe Processionem, necnon et Filium et ejus Filiationem producta per has duas productiones totales esse incompossibilia in una et eadem persona, exigereque duas personas realiter distinctas.

Aperitur alius defectus prædictæ solutionis Scoti. Hic autem apertum committi defectum, ex dictis patet. Quoniam si Filiatio et Processio non sunt inter se realiter distinctæ, nec incompossibiles in una et eadem persona, hoc ipso quod non habeant realem oppositionem, atque adeo relativam, quæ sola in divinis reperiri potest, ut ex dictis constat, oportet, ut neque etiam generatio et processio sint duæ realiter processiones totales et inter se incompossibiles, nisi habeant inter se realem oppositionem et per consequens relativam, quatenus persona genita est principium processionis.

92. Et ratio videtur aperta. Quoniam si infinitas divinarum personarum petit, ut unaquæque identificet secum, quidquid non habuerit realem oppositionem cum illa, consequens erit, ut hoc ipso, quod in eo eventu generatio et processio non habeant realem oppositionem, siquidem tunc Spiritus sanctus non procederet a Filio, nequeant prædictæ productiones esse duæ productiones totales inter se incompossibiles.

Elucidatur amplius. Potestque hoc amplius declarari ex eo, quod contingeret in prædicto eventu et nunc de facto contingit in generatione activa Filii et spiratione itidem activa Spiritus sancti, quæ manent in Patre et non sunt in eo incompossibiles, nec realiter distinctæ : ex eo quod non habent inter se oppositionem : et infinitas divinarum personarum exigit, ut quidquid non fuerit realiter oppositum cum aliqua personæ divina, non habeat incompossibilitatam cum ea, aut distinctionem ab illa.

93. D. Thom. Unde Angelicus Præceptor quæst. 10 jam citata de Potentia art. 5 in solutione ad 1 cum sibi in initio articuli objecisset, quod Filius, et Spiritus Sanctus in hypothesi, de qua loquimur, producerentur per diversas productiones totales, quia ille esset genitus, et iste spiratus, sic respondet : *Dicendum, quod Spiritus sanctus distinguitur substantialiter a Filio in hoc, quod origo unius differt ab origine alterius : sed ipsa differentia originis est per hoc, quod Filius est a Patre solo, Spiritus autem sanctus a Patre, et Filio.* Idque confirmat auctoritate Richardi de Sancto Victore : et ita prosequitur his verbis : *Quod patet per Richardum de Sancto Victore, qui in 2 de Trinitate dicit : Notandum, quod hujus modi differentia proprietatum in solo consistit numero producentium. Nam prima earum habet esse a nulla alia, altera ab una sola tertia vero a gemina.* Quod etiam magis explicuit in eodem articulo in solutione ad 3 ubi sic inquit : *Dicendum, quod bene sequitur, si sunt duo modo originis in divinis, quod sunt duæ personæ procedentes. Sed duo modi originis esse non possunt nisi per hoc, quod Spiritus sanctus procedit a Filio.* Ubi, ut vides, nequeunt esse duæ realiter ac incompossibiles productiones generatio, et processio, nisi Spiritus sanctus procedat a Filio : ac proinde, nisi sit realis oppositio inter Filium, et Spiritum Sanctum.

Confirmatur. Nam hoc ipso, quod inter has processiones non sit distinctio penes oppositionem relativam jam insinuatam, oportet, ut vel in divinis admittatur realis compositio, quod infinitati, et simplicitati Dei repugnat; vel quod Spiritus sanctus non sit distinctus nisi tantum secundum rationem a Filio : atque adeo eorum processiones non nisi secundum rationem distinguentur. Utraque consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia si prædictæ processiones non distinguuntur oppositione relativa, distinguuntur utique per oppositionem in absolutis : siquidem etiam processiones sunt infinitæ : et ita non sunt incompossibiles respectu ejusdem personæ, nisi habeant oppositionem : et propterea si non opponuntur per oppositionem relativam, opponentur per oppositionem propriam rebus absolutis. Ergo eo ipso dicent rationes absolutas limitatas : quia oppositio in absolutis dicit limitationem : ideoque modo in divinis, ubi nulla est limitatio, non est oppositio inter rationes absolutas. Ergo eo ipso Filius, et Spiritus sanctus essent personæ compositæ. Siquidem personæ constantes ex ratione absoluta finita et limitata debent etiam 94. Confirmatur primo.

constare ex personalitate itidem limitata, talesque personæ debent esse compositæ. Et ita, vel Filius, et Spiritus sanctus non distinguerentur, nisi secundum rationem; vel si distinguerentur, et non secundum oppositionem relativam processionum, deberet in illis compositio realis admitti.

D.Thom. Quam rationem adduxit D. Thomas in 1 dist. 11 q. art. 1 vbi postquam probavit, non posse stare distinctionem realem inter Filium, et Spiritum sanctum, si iste non procedit a Filio, atque adeo nisi detur relativa oppositio inter Filium, et Spiritum sanctum, sic inquit : *Nec hoc remoto posset dici, quod distinguerentur personaliter Filius, et Spiritus sanctus per diversum modum procedendi a Patre : ut quod Filius procederet per modum naturæ et Spiritus sanctus per modum voluntatis. Ille enim modus diversus, aut diceret diversitatem per oppositionem relationis : et sic rediret idem, quod prius,* nempe Spiritum sanctum non distingui a Filio, nisi per oppositionem relativam, seu (quod in idem quoad præsens redit) per hoc, quod sit ab illo : *Aut diceret diversitatem in absolutis : et tunc, vel realem diversitatem, et sic esset compositio in Deo, vel diversitatem rationum, et sic non posset esse inter Filium, et Spiritum sanctum, nisi diversitas rationis.*

95. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam facta collatione inter processiones, et personas procedentes, tunc, si de ratione a priori loquamur, non ideo personæ sunt incompossibiles, et realiter distinctæ, quia processiones habent inter se realem incompossibilitatem, et distinctionem; sed potius e contra. Sicut etiam in creatis non ideo personæ productæ sunt incompossibiles, quia fiunt incompossibilibus productionibus, sed potius e converso. At in divinis Filius, et Spiritus sanctus nequeunt esse incompossibiles in una et eadem persona, ac proinde realiter distincti per modum personæ, et personæ, nisi ratione oppositionis relativæ : ergo si non sic opponuntur, nec etiam eorum processiones erunt realiter incompossibiles; e contra vero si habent hanc oppositionem, tunc etiam eorum processiones illam ratione eorumdem habebunt.

Major, et consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Quoniam prima incompossibilitas, primaque distinctio realis, quæ reperitur in divinis, est ea, qua Pater distinguitur ab utraque persona ab eo procedente, considerata secundum communem rationem procedentis ab ipso : et hæc est per oppositionem relativam, quæ explicatur per hæc duo, nempe, *qui ab alio*, et *qui a nullo*. Ergo si unum ex his extremis, nempe *qui ab alio*, subdividatur, et in extremis hujus subdivisionis debeat poni secunda incompossibilitas, secundaque distinctio realis reperta inter illa, oportet, ut hæc subdivisio, et distinctio fiat per hoc, quod una ex prædictis personis procedentibus sit ab altera, nempe Spiritus sanctus a Filio : ac proinde per hoc, quod habeant inter se realem oppositionem relativam, quæ explicetur sic : *Ex personis, quæ sunt ab alio, una, nempe Filius, est, a qua altera, alia vero, nempe Spiritus sanctus, est, quæ ab alio, scilicet a Filio.*

Patet utraque consequentia. Quia alioqui non fieret hæc subdivisio, nec distinctio inter personas procedentes per differentias proprias sui generis, sed per extraneas, et accidentales. Nam sicut prima divisio, et distinctio per differentias intraneas, quæ versatur inter Patrem, et utramque personam procedentem, consideratam secundum communem rationem procedentis ab ipso, debuit esse per oppositionem relativam cum eodem : ita subdivisio, et distinctio, qua personæ procedentes ab invicem distinguuntur, debet ad hoc, ut sit per differentias intraneas, dari per oppositionem relativam, quæ sit inter illas : ex eo quod una earum, nempe Spiritus sanctus, procedit ab altera, scilicet a Filio. Ideoque, si non sic fieret hæc subdivisio, non esset legitima; sed inepta ad explicandam distinctionem per se versantem inter membra divisa : sicut si quis divideret animal in rationale, et irrationale, et rursus subdivideret irrationale in album et nigrum, tunc talis subdivisio non esset recta, nec apta ad explicandam distinctionem per se inter irrationalia, seu species per se contentas sub irrationali ut sic. 96.

Quam confirmationem adduxit D. Thomas, tum 4 contra Gentes cap. 24, tum etiam q. citata de Potentia art. 5 his verbis : *Secundum Augustinum in lib. de Trinitate, in divinis, quod dicitur absolute, est commune tribus personis. Unde relinquitur, quod divinarum personarum distinctio esse non possit, nisi secundum id, quod ad aliquid dicitur : hæc enim duo prædicamenta sunt in divinis. Prima autem distinctio, quæ in divinis secundum relationem invenitur, est per hæc duo, a qua alius, et quod a nullo. Si autem alterum eorum sub distinguendum est, scilicet, quod est ab alio, oportet, quod subdistinguatur* 97.

subdistinguatur per ea, quæ sunt ejusdem rationis. Ut enim Philosophus docet 8 Metaphysicæ, siquis in subdividendo utatur his, quæ sunt per accidens, et non per se, non rectum divisionis ordinem sequitur : sicut si diceretur, animalium, aliud est rationale, aliud irrationale : irrationalium vero, aliud album, aliud nigrum, non esset recta divisio. Quia cum ex his, quæ sunt per accidens, non fiat unum simpliciter, ultima species ex differentiis multis constituta non esset unum simpliciter. Oportet ergo, si in divinis, qui est ab alio, distinguatur, vel subdividatur, quod hoc sit per differentias ejusdem rationis : ut videlicet, eorum, quæ sunt ab alio, unus eorum ab eorum altero sit. Et hoc importat differentia processionum, quæ significatur, cum dicitur, quod unus procedit per generationem, alius per spirationem. Unde Richardus 5 de Trinitate hoc modo distinguit procedentem ab alio, quod unus habeat alium de se procedentem, alius vero non.

98. Confirmatur ult. Confirmatur tandem. Quoniam cum dicitur, Filium, et Spiritum sanctum esse personas, incompossibiles, quia fiunt incompossibilibus processionibus ; vel ly *quia* dicit tantummodo signum incompossibilitatis personarum, non vero rationem illius ; vel dicit rationem prædictæ incompossibilitatis : ita ut relationes non sint incompossibiles ratione sui, sed ratione processionum? Si primum dicatur, tunc Filius, et Spiritus sanctus non erunt incompossibiles in una et eadem persona, nisi quia opponuntur relative, ut ostensum est. Secundum autem dici nequit. Quia productiones in prædicto eventu non distinguerentur realiter, nec ratione principiorum, scilicet intellectus, et voluntatis, quæ in Deo sola ratione distinguuntur ; nec ratione terminorum.

Tum, quia daretur circulus, nempe, quod personæ distinguerentur ratione processionum incompossibilium in eadem persona ; et processiones ratione terminorum, nempe personarum procedentium. Tum etiam, quia in terminis productis nulla esset in eo casu oppositio. Quia non relativa, ut constat. Neque contraria : quia hæc est inter res absolutas, et quarum una exceditur in perfectione ab altera. Neque contradictoria, aut privativa, ut de se constat, et patebit amplius ex iis quæ infra quæst. 40 dicemus, dum ostenderimus, quod omnes aliæ oppositiones, præter relativam, repugnant divinis personis.

99. Ex quibus omnibus fit, deficere quarto prædictam evasionem Scoti ex eo, quod ex uno capite admittit (ut revera admittere debet) Paternitatem, et spirationem activam non esse incompossibiles in una et eadem persona, sed cum illa saltem entitative identificari ; et ex alio asserit, Filiationem, et Processionem, adhuc dato, quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, esse incompossibiles in una et eadem persona, atque adeo constituere duas personas realiter distinctas : ex eo quod unicum et idem principium potest esse ratio diversarum productionum totalium ; non tamen unicus terminus potest per illas produci. Proditur alius defectus ejusdem solutionis.

Esse autem in hoc planum defectum, facile constat. Tum quidem ex dictis. Quia in Patre principium spirativum, et generativum non sunt unum et idem formalissime principium, sed duo virtualiter distincta, et ad distinctas lineas spectantia : et relatio Paternitatis, ac spirationis activæ habent etiam diversas rationes, constituuntque distinctas lineas : et ita illa est incommunicabilis, secus vero ista : et per consequens, quantum est ex vi hujus capitis, constituerent distincta realiter principia, nisi ratio simplicitatis, et infinitatis divinæ obstaret. Ergo eadem ratione, licet generatio, et spiratio passivæ, et ratio geniti ac spirati constituant diversos terminos formales, et spectantes ad distinctas lineas : nihilominus hoc ipso, quod non habeant inter se oppositionem, obstabit infinitas, et simplicitas divinæ personæ, ne sint inter se realiter distinctæ, et incompossibiles, sicut obstat in principio generativo et spirativo ex defectu oppositionis, quamvis, ut dicebamus prædictum principium, ut spirativum, et generativum, spectet ad duas lineas virtualiter distinctas, ac inter se disparatas, sicut et terminus genitus, et spiratus illas tunc constituerent. Expenditur hic defectus primo.

Tum etiam. Quia, ut nuper dicebamus, productiones activæ Filii, et Spiritus sancti habent, quod non sint incompossibiles in una et eadem persona Patris ob defectum oppositionis relativæ inter se : ergo ob eumdum defectum oppositionis non erunt incompossibiles in una et eadem persona generatio, et spiratio passive sumptæ. Siquidem cuivis productioni activæ potest correspondere productio passiva eidem proportionata et habens tantam latitudinem et universalitatem, quantam productio activa : ac proinde, sicut productio activa potest simul esse generatio, et spiratio realiter absque distinctione reali, et sola dis- 100. Secundo.

tinctione rationis ibidem interveniente : ita etiam una et eadem realiter productio passiva, cum distinctione tamen rationis, poterit habere simul rationem generationis et spirationis passivæ : et per consequens una et eadem persona secundum rem, distincta tamen secundum rationem, poterit esse simul spirata, et genita, simulque Filius, et Spiritus sanctus.

Ultimo. Tum denique. Quoniam etsi in creatis, ubi potest esse distinctio ratione limitationis, et non solum ratione oppositionis relativæ, possit realiter multiplicari effectus, et terminus productus per multiplicationem realem secundum speciem, quando quivis, ex effectibus productis est ita limitatus, ut non adæquet (modo alibi tacto) virtutem productivam residentem in suo principio : si tamen desit hæc limitatio, et effectus adæquent totam virtutem sui principii, tunc non erit major distinctio in effectibus, quam in principio : alioqui non adæquarent totam vim et virtutem sui principii. Ergo cum in divinis desit limitatio, et per consequens termini producti debeant adæquare totam vim et virtutem sui principii productivi, nisi aliunde obstet realis oppositio inter terminos productos, oportet, ut hac sublata, non sit major distinctio, nec incompossibilitas in terminis productis, quam in suis principiis. Et ita, si principia, a quibus oriuntur, non sunt incompossibilia, sed sunt unum et idem realiter propter defectum realis oppositionis, et solum distinguuntur virtualiter, consequens erit, ut etiam termini producti sint etiam compossibiles in una et eadem persona, sintque unum et idem realiter, quamvis virtualiter distinguantur.

101. Ex quo etiam fit, nihil obesse id, quod in fine solutionis Scoti ad eam juvandam addidimus, nempe, spirationem activam in Patre non constituere personam, et ideo posse illi addi, et hoc per solam additionem virtualem, propter divinam simplicitatem, et infinitatem : at processionem constituere personam, et ita non posse personæ constitutæ advenire ; sed constituere alteram.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Quoniam etsi nunc, dum obstat relationis oppositio reperta inter Filium et Spiritum sanctum, habeat Processio, seu relatio spirationis passivæ constituere personam et non advenire personæ constitutæ : non tamen in eventu, in quo Spiritus sanctus non procederet a Filio. Quia in tali eventu deesset oppositio inter utrumque, ac proinde realis distinctio personalis, quæ ex sola oppositione desumitur : et ita eadem persona esset genita et procedens, seu spirata, ut ex dictis constat.

§ V.

Opposita sententia, duo priora illius fundamenta, eorumque solutiones.

Oppositam tamen sententiam, nempe, quod etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Filio, nihilominus distingueretur realiter ab illo, tuentur Scotus in 1 distinct. 2 quæst 7 § *Ad secundam quæstionem* et distinct. 11 quæst. 2, Aureolus distinct. 11 quæst. 2 art. 3, qui refertur apud Capreolum in 1 dist. 11 q. unica impugnatione rationum D. Thomæ pro conclusione, O'Kam distinct. 11 quæst. 2, Gabriel quæst. 2 art. 2, Gregorius art. 1, Dionysius Carthusianus quæst. 2, Henricus Quodlibeto 5 q. 9, et plures alii ex Scotistis. 102. Opposita sententia. Scotus. Aureol. Capreol. O'Kam. Gabriel Gregor. Carthus Henricus.

Probatur primo aliquibus testimoniis sanctorum Patrum. Nam in primis Anselmus in epistola de Processione Spiritus sancti contra Græcos, § *Credunt quidem*, sic ait : *Filius autem, ut interim aliam causam dicam, quia nondum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit et procedat.* (Non enim non illo tempore manifeste constabat ex diffinitione Ecclesiæ, Spiritum sanctum a Filio procedere) *ideò non est Spiritus sanctus, neque Spiritus sanctus est Filius : quia Filius nascendo habet esse de Patre*; *Spiritus sanctus vero non nascendo, sed procedendo.* Et § *Nunc quærendum est*, ita inquit : *Habent utique a Patre esse Filius et Spiritus sanctus, sed diverso modo : quia alter procedendo, ut alii sint ab invicem per hoc, quod dictum est.* Et paulo inferius, cum dixisset, esse discrimen inter Filium et Spiritum sanctum, quia Filius nascitur et Spiritus sanctus procedit, sic ait : *Nam etsi per aliud non essent plures Filius et Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi.* Primum fundamentum ex Patribus. Anselm

Et similiter Augustinus tom. 3 lib. 5 de Trinitate cap. 14 inquirens, cur Spiritus sanctus non sit Filius, cum de ipso dicatur in Evangelio exire a Patre? sic ait : *Exit, non quomodo natus, sed quomodo datus ; et ideo non dicitur Filius quia nec natus est, sicut unigenitus.* Et idem Augustinus, sive potius Fulgentius in appendice ad tomum 3 lib. de fide ad Petrum cap. 1 in fine ita inquit : *Quia igitur aliud est* Augus Fulgen

est genuisse, quam natum esse; aliudque est procedere quam genuisse, vel natum esse : manifestum est, quia alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Et idem dicit Damascenus lib. 1 de fide cap. 2, 10 et 11. Damasc.

103. Solutio ad testimonio Anselm. Respondetur, quod Anselmus non protulit illa verba, ut veritatis diffinitionem, sed potius ut disputativam suppositionem, id est, admittendo et supponendo illud, quod hi, cum quibus in eo capite agebat, concedebant, ut inde colligeret id, quod intendebat, nimirum, Filium et Spiritum sanctum realiter inter se distingui. Unde in prædicto capite ex iis, in quibus tam Græci, quam Latini conveniebant, nimirum, Spiritum sanctum et Filium procedere, per processiones realiter distinctas, nempe, generationem et processionem, non curando ex quo capite hæc distinctio realis processionum proveniret, quia hoc non erat necesse explicare, quia (ut dicebamus) id aperte et absolute concedebatur, tam a Græcis, qnam a Latinis, optime intulit Anselmus, Filium et Spiritum sanctum realiter inter se distingui : quippe qui per duas processiones realiter et specie distinctas dicebantur procedere. Et ita mens Anselmi in prædictis verbis tantum erat, explicare ea, in quibus Græci cum Latinis conveniebant, nempe, distinctionem realem processionum divinarum et distinctionem itidem realem personarum per eas procedentium. Non autem volebat in eo capite explicare id, in quo Latini a Græcis discriminabantur, nimirum, an Spiritus sanctus procederet etiam a Filio; ac proinde ejus processio originatur a generatione Filii et an hic ordo originis esset ratio adæquata distinctionis realis inter illos? Quamvis postea c. 3 et 4, ex concessis a Græcis, scilicet, processiones Filii et Spiritus sancti et personas eorum esse realiter distinctas, colligat idem Anselmus id, de quo antea cap. 1 non curaverat, nempe radicem, unde prædicta distinctio realis oriebatur : et ita concludit, eam esse quod processio Spiritus sancti sit a Filio : ac proinde, quod eo ipso, quod Græci concedant, has personas diversimode realiter procedere, deberent necessario sequi sententiam Latinorum dicentium, Spiritum sanctum a Filio procedere. Quia etsi verum sit, colligi distinctionem realem personarum ex distinctione reali processionum : non tamen istæ essent distinctæ, nisi esset ordo realis originis inter eas, id est, nisi Filius natus esset principium Spiritus sancti procedentis.

Quæ solutio desumpta est ex D. Thoma, tum in artic. 2 hujus quæstionis, tum etiam quæst. 10 de Potentia artic. 5 ad 2 his verbis : *Dicendum, quod id, quod dicit Anselmus, quod Filius, et Spiritus sanctus per hoc solum ad invicem distinguuntur, quod diverso modo procedunt, est omnino verum. Sed, sicut ostensum est, diverso modo procedere non possent, nisi Spiritus sanctus a Filio esset. Unde remoto, quod Spiritus sanctus non sit a Filio, omnino distinctio Spiritus sancti removeretur a Filio. Est autem intentio Anselmi in lib. de Processione Spiritus sancti prius ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus, Spiritum sanctum a Filio esse ; qui tamen Spiritum sanctum a Filio dicunt distingui. Unde verba prædicta Anselmi inducta sunt magis, ut disputativa supposito, quam veritatis diffinitio.* 104. D.Thom.

Per quod etiam ad alia testimonia ex aliis Patribus desumpta satis constat. Quia solum intendunt, colligi distinctionem realem divinarum personarum ex distinctione reali processionum, per quas procedunt : cum quo tamen stat, quod prædictæ processiones non distinguerentur realiter, nisi esset realis ordo originis inter Filium, et Spiritum sanctum : ex eo quod oppositio sola relativa originis potest esse ratio distinctionis realis in divinis, ut probatum est. Ex dictis patet ad alia testimonia.

Secundo probatur eadem sententia, et simul confirmatur præcedens argumentum. Quoniam etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Filio, nihilominus uterque procederet a Patre per duas processiones totales, et habentes conditiones inter se repugnantes : ergo eo ipso distinguerentur realiter. Consequentia patet, tum, quia una et eadem realiter persona nequit procedere per duas processiones totales, et habentes conditiones inter se repugnantes : tum etiam, quia alioqui per se quasi penderet ab unaquaque ex his processionibus, cum unaquæque sit productio totalis illius : et non haberet quasi per se pendere ab illa, ex eo quod posset produci ab alia ex his actionibus totalibus. 105. Secundum fundamentum.

Antecedens autem probatur. Nam una ex his processionibus esset generatio, et productio Filii, alia vero esset spiratio, et productio amoris : constat autem, has processiones quippe pertinentes ad duas lineas totales, nempe intellectus, et voluntatis, esse totales, et unam earum esse productionem amoris, et non generationem,

nempe illam, quæ est per voluntatem : ex eo quod processio per voluntatem non est processio, secundum quam communicatur natura; sed hoc solum convenit processioni per intellectum : ac proinde prædictæ processiones, et erunt totales, et habebunt conditiones sibi repugnantes.

106. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Nam quævis harum productionum habet ex vi sua, et ex propria ratione formali, quod per eam producatur relatio subsistens, et incommunicabilis : ergo in eo eventu producerentur per illas duæ relationes subsistentes, et incommunicabiles : ergo et duæ personæ realiter distinctæ. Hæc ultima consequentia ex priori liquet. Quoniam in divinis omnes relationes subsistentes, et incommunicabiles sunt constitutivæ personarum : et repugnat duas personalitates integras et completas, quales sunt prædictæ relationes, constituere unicam tantummodo personam.

Prima vero consequentia ex antecedenti deducitur. Quoniam in eo eventu istæ productiones retinerent easdem rationes formales, quas modo retinent : siquidem una esset generatio, et alia processio, sicut nunc. Antecedens autem probatur. Quoniam generatio habet ex vi sua, quod per eam producatur Filiatio : et processio, quod per illam attingatur relatio processionis : constat autem, quamlibet ex his relationibus esse relationem subsistentem, et incommunicabilem : ac proinde quævis harum productionum erit ex vi sua productio relationis subsistentis, et incommunicabilis.

107. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam istæ processiones, adhuc data prædicta hypothesi non solum essent processiones totales, et attingentes duas relationes subsistentes, et incommunicabiles. sed etiam haberent inter se ordinem originis; quamvis Spiritus sanctus non procederet a Filio siquidem una ex his processionibus esset per intellectum, et alia per voluntatem : et processio per intellectum suapte natura antecedit origine processionem per voluntatem. Ergo non erit cur prædictæ processiones non terminarentur ad duas personas realiter distinctas. Patet consequentia. Quia processiones totales, et attingentes res subsistentes, ac tandem habentes inter se ordinem originis non possunt non esse productiones personarum realiter distinctarum.

108. Respondetur, quod in prædicto eventu Spiritus sanctus, et Filius procederent per processiones totales, et virtualiter solummodo, non vero realiter distinctas : et ita prædictæ processiones non haberent conditiones inter se repugnantes, seu incompossibiles in una et eadem realiter processione. Ac proinde, licet una ex illis, ut virtualiter distincta ab altera, non haberet formalissime conditiones alterius : attamen una, et eadem realiter processio esset identice generatio Filii, et productio amoris. Cæterum modo generatio, et processio prædictæ debent esse realiter distinctæ. Quia modo generatio, et processio opponuntur relative, et tunc non haberent prædictam oppositionem; ex eo quod una non originaretur realiter ab alia : et ita identificarentur inter se. Sicut propter hanc rationem misericordia, et justitia habent inter se identificari : et productiones activæ Filii, et Spiritus sancti residentes in Patre sunt duæ productiones totales virtualiter distinctæ : cum tamen in una et eadem realiter actione, ob defectum oppositionis, identificentur. Unde per prædictas processiones passivas Filii, et Spiritus sancti in eo eventu identificatas non procederent duæ personæ realiter distinctæ ; sed una et eadem realiter, quæ duabus relationibus virtualiter tantummodo distinctis, et unica realiter identice referretur ad eumdem Patrem. Diluitur argumentum.

Ex quo ad primam confirmationem concedendum est antecedens et prima consequentia, si consequens intelligatur de duabus relationibus subsistentibus et incommunicabilibus, virtualiter tantummodo distinctis. Et deinde neganda est secunda consequentia : cujus probatio nullam habet vim. Quoniam etsi per duas personalitates realiter distinctas debeant duæ personæ realiter distinctæ constitui : non tamen per unicam realiter personalitatem et virtualiter duplicem : per hanc enim solum constituetur unica persona realiter et duæ virtualiter. Et ratio horum omnium est illa, quam sæpius tetigimus, scilicet, tunc nec productiones istas, nec relationes, aut personas per eas productas fore adæquate et complete easdem, ac modo sunt, ex defectu oppositionis relativæ inter illas in eo eventu; quam tamen modo habent. Ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quomodo in eo eventu tantum haberent generatio et spiratio passiva ordinem originis virtualem, non tamen realem : ex eo quod persona procedens non esset a persona genita. Ad secundam.

§ VI.

§ VI.

Contrariæ sententiæ tertium fundamentum et ejus solutio.

109. Tertium fundamentum. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam si propter aliquam rationem data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab illo, maxime propter illam, quam tradit divus Thomas, nempe, non posse in divinis esse distinctionem realem, nisi per oppositionem realem relativam originis : at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Minor probatur, *Prima probatio minoris.* Tum, quia si per impossibile Spiritus sanctus non procederet a Patre, nihilominus distingueretur realiter ab illo, ut communiter tradunt Theologi : et tamen tunc non esset inter eos oppositio realis relativa originis : ergo eadem ratione, licet Spiritus sanctus non procedat a Filio, inter eosque non sit oppositio realis relativa, distinguentur inter se realiter, ut ex paritate rationis constare videtur.

Secunda. Tum etiam. Quia relatio Paternitatis et relatio Processionis distinguuntur secundum se, inter se realiter et similiter Filiatio et prædicta Processio : cum tamen inter se et ratione sui non habeant oppositionem realem relativam.

Tertia. Tum denique. Quia ad distinctionem realem personarum satis est, quod personalitates, quibus constituuntur, sint disparatæ et incompossibiles : quod tamen in prædicto eventu personalitas Filii et Spiritus sancti, seu Filiatio et Processio haberent. Quoniam nec possent esse compossibiles in una persona : ex eo quod constituerent illam per compositionem et omnis compositio in Deo repugnat. Nec per simplicitatem : quoniam ea, quæ ex genere suo afferunt entitatem distinctam, qualia sunt Filiatio et Processio, non possunt ita inter se adunari, ut sint una et eadem simplicissima entitas. Maxime, quia de ratione personalitatis est ut non communicetur alteri, ut personæ; licet possit communicari alteri ut naturæ. Si autem istæ duæ personalitates constituerent unam et eamdem personam realiter, ac proinde una esset realiter alia, tunc una alteri communicaretur, unaque alteri suum præberet effectum, seu quasi effectum formalem : siquidem unio per identitatem est major et intimior unio, per informationem, seu quasi informationem : et ideo, sicut si uniretur una ex his personalitatibus cum altera per informationem, aut quasi informationem, tunc una præberet alteri suum quasi effectum formalem : ita hoc ipsum potiori ratione haberent, si una cum altera identificaretur.

110. *Occurritur.* Respondetur, concedendo majorem et negando minorem. Et ad primam probationem concedatur major et distinguatur minor : et si intelligatur de oppositione reali relativa mediata, negari debet : secus vero, si intelligatur de oppositione reali relativa immediata et ideo negari debet consequentia : quia Filius, dato, quod ab eo non procederet Spiritus sanctus, non opponeretur realiter relative immediate, aut mediate cum illo. Itaque dato, quod Spiritus sanctus non procederet a Patre, sed a solo Filio, tunc, quia Filius non posset non procedere a Patre, alioqui non esset Filius, idcirco Spiritus sanctus, adhuc in eo eventu, licet non procederet immediate a Patre, nihilominus haberet procedere ab illo mediate, quatenus procederet a Filio procedente a Patre : ac proinde Spiritus sanctus et Pater opponerentur oppositione reali relativa mediata : et hoc satis esset ad realem distinctionem inter utrumque, ut communiter tradunt Theologi. Et ratio ipsa id suadere videtur. Quoniam alioqui Spiritus sanctus procederet a Filio in genere principii activi : et rursus idem Filius procederet in eodem genere ab Spiritu sancto, si semel Pater et Spiritus sanctus non distinguerentur realiter. Constat autem, in eodem genere principii, nempe activi, non posse esse hanc mutuam quasi causalitatem inter duo. Cæterum, cum data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, non esset inter Filium et Spiritum sanctum relativa oppositio, sive mediata, sive immediata, inde esset, ut nulla ratione distinguerentur inter se realiter.

111. *Replica Rada.* Unde nihil obest, si urgeas cum Rada, quod hæc mediata oppositio per accidens se habet ad distinguendum Patrem ab Spiritu sancto : siquidem tunc Pater respectu prædictæ productionis per accidens se haberet, sicut in humanis avus respectu nepotis : siquidem ipso avo non existente, nihilominus produceretur. Ergo aliquid aliud assignandum est tanquam ratio per hujus distinctionis, præter oppositionem prædictam mediatam. Ergo cum hoc nihil aliud esse posset, nisi quod Paternitas et Processio essent personalitates disparatæ, sicut modo, consequens est, ut etiam Fi-

lius et Spiritus sanctus distinguerentur realiter; quamvis Spiritus sanctus non procederet a Filio : quippe qui semper haberent personalitates inter se disparatas.

Solutio. Respondetur enim negando antecedens. Nam hoc ipso, quod esset mediata oppositio inter Patrem et Spiritum sanctum, ex eo quod Filius procederet a Patre oporteret, ut hæc mediata oppositio ita requireretur, sicut desideraretur oppositio immediata Filii ad Patrem, ac proinde processio immediata ejusdem Filii a Patre : cumque Filius per se haberet immediatam oppositionem cum Patre, nec posset aliunde habere suum *esse,* nisi ab illo, consequens est, ut etiam per se requiratur ad productionem Spiritus sancti illa oppositio mediata cum Patre, seu quod mediate a Patre procederet. Sicut in humanis, si hic numero Petrus, filius Pauli, non posset procedere, nisi a Paulo, et Paulus nequiret habere *esse,* nisi a Francisco ejus avo, tunc per se, licet mediate, procederet Petrus ab eodem Francisco, per seque esset ejus nepos : quia licet Franciscus non influeret actu et immediate in productionem Petri : per se tamen desideraretur influxus ejus in Paulum patrem Petri, tribuendo ei *esse* et virtutem operativam : Sic ergo in præsenti proportione servata philosophandum est. Tunc tamen saltem aliunde sequeretur, quod Pater et Filius non essent ejusdem numero consubstantialis naturæ, sed solum specificæ : et ideo nec haberent divinam naturam, sed naturam finitam et limitatam. Quoniam hoc ipso, quod supponantur esse ejusdem numero naturæ, debet operatio immediata unius esse operatio immediata alterius respectu omnium, ad quæ præsupponuntur : et eo ipso, quod hoc non habeant, non sunt ejusdem numero naturæ; sed ad summum ejusdem secundum speciem tantummodo : et per consequens haberent naturam finitam et limitatam, imo et materialem : ex eo quod distinctio numerica secundum naturam deberet procedere a materia.

112. Ad secundam probationem. Ad secundam vero probationem ejusdem minoris respondetur, Paternitatem, et spirationem passivam, seu Processionem opponi modo relative radicaliter, et (ut nuper dicebamus) opponerentur oppositione mediata, etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Patre, sed a solo Filio : sicut etiam nunc Filiatio, et Processio habent oppositionem radicalem relativam, ut statim dicemus : et ita non mirum, quod realiter distinguuntur ratione prædictæ oppositionis. Cæterum cum hæc oppositio Filiationis, et Processionis deesset, si Spiritus sanctus non procederet a Filio : inde est, ut etiam deesset distinctio realis inter utrumque.

Adde, quod ad realem distinctionem inter personas divinas satis est, quod subsint oppositioni relativæ : ex eo quod eis insint, aut quasi insint relationes formaliter relative oppositæ : nam eo ipso prædictæ personæ debebunt realiter inter se distingui, et hæc distinctio proveniet formaliter ab oppositione relativa. Sed hæc statim amplius explicabuntur.

Ad tertiam vero probationem negetur minor. Et ad probationem ejus dicendum est, prædictas personalitates fore compossibiles; non quidem quia constituerent unam personam per realem compositionem, sed per simplicitatem realem, includentem tamen virtualem distinctionem duarum personalitatum. Quia licet modo Processio, et Filiatio sint ex genere suo entitates realiter distinctæ, propter oppositionem realem, quam nunc habent : tunc tamen non essent entitas, et entitas realiter distinctæ; sed una realiter identice entitas cum virtuali distinctione tantummodo inter ipsas, propter defectum realis oppositionis, qui tunc esset. 113. Ad tertiam.

Ad id autem, quod in hac ultima probatione adducitur, dicendum est, quod adhuc tunc una ex his personalitatibus, ut virtualiter distincta ab altera, non tribueret suum quasi effectum formalem illi, secundum quod virtualiter ab ea distinguitur, sed solum illum tribueret naturæ divinæ. Sicut modo personalitates realiter distinctæ terminant divinam naturam, eique suum quasi effectum formalem tribuunt : non tamen una terminat alteram. Nec oppositum hujus suadet id, quod ibidem adducitur. Nam sicut identitas realis inter misericordiam, et justitiam divinam, non est ratio sufficiens ad hoc, ut misericordia, ut virtualiter distincta a justitia, sit formalissime loquendo ipsa justitia; sed solum ad hoc ut entitas illa, in qua adunantur, et identificantur hæ duæ virtutes, sit simul misericordia, et justitia : ita similiter, quod hæ duæ personalitates, nempe Filiatio, et Processio passiva virtualiter inter se distinguantur, et in una et eadem realiter personalitate identificentur, non suadet, unam, ut virtualiter distinctam ab alia, communicandam esse ad invicem, præstaturamque unam alteri, ut sic distinctæ, 114.

tinctæ, suum quasi effectum formalem; sed solum, quod illa et eadem unica realiter personalitas, in qua realiter identificantur, habet simul propria Filiationis, et Processionis, et quod hæc eadem unica realiter personalitas, et quævis ex his personalitatibus, ut virtualiter distinctis, communicaretur divinæ naturæ : non secus, proportione tamen servata, ac modo tres personalitates divinæ communicantur divinæ naturæ, cum illa quæ identificantur; non tamen una alteri.

Unde, etsi identitas inter aliqua magis conducat ab aliam, quam unio per informationem : non tamen quoad hoc, quod est, unum extremum identificatum cum altero in aliqua una entitate tribuere illi, ut virtualiter distincto, suum quasi effectum formalem. Et ratio disparitatis tacta jam est, nempe, quod unio per identitatem solum exigit, quod illa entitas, in qua extrema virtualiter distincta identificantur, habeat formaliter propria utriusque : cum tamen unio per informationem ordinetur ad hoc, ut forma sic alicui formaliter unita tribuat illi suum effectum formalem.

115. Illustrantur omnia dicta in hac solutione. Adde pro majori hujus et aliorum, quæ in hoc argumento tacta sunt, solutione, esse satis probabile, quod in eo eventu, in quo Spiritus sanctus non procederet a Filio, ac proinde non distingueretur realiter ab illo, tunc relatio spirationis passivæ, seu Processio non esset personalitas, ut virtualiter distincta a Filiatione; sed tantum quasi affectio quædam, nostro modo intelligendi adveniens personæ Filii : ut de spiratione activa in Patre, et Filio de facto reperta dici solet. Et propterea, licet ibi esset quodammodo duplex persona secundum rationem : non tamen duplex personalitas etiam secundum rationem : sed dicetur duplex persona, quatenus eadem Filii personalitas subsisteret, tum in natura divina per generationem sibi communicata, tum etiam in amore itidem divino, qui per voluntatem, et processionem communicaretur. Ad eum sane proportionalem modum, quo eadem persona Filii, subsistens modo in natura divina, et humanitate assumpta, potest quodammodo dici duplex persona secundum rationem, nempe divina, et humana; non quidem quia sit ibidem duplex personalitas, sed quia eademmet personalitas Verbi subsistit in utraque natura, dicitque duplicem secundum rationem respectum ad eas.

Unde, sicut cum producitur Verbum, ut subsistens natura divina, dicitur absolute et simpliciter produci in ratione personæ : cum vero prædictum Verbum assumpsit naturam humanam, non dicitur produci simpliciter in ratione personæ, sed cum addito, nempe, in ratione personæ humanæ; seu quod idemmet Verbum factum sit homo : ita in prædicto eventu, in quo, si Spiritus sanctus non procederet a Filio, esset idem realiter cum illo; tunc, cum produceretur per generationem in ratione Filii, diceretur produci simpliciter in ratione personæ; secus vero, cum produceretur in ratione amoris procedentis per voluntatem : tunc enim produceretur in ratione personæ simpliciter, sed tantum in ratione personæ cum addito, nempe, personæ spiratæ : ex eo quod eademmet personalitas, quæ antea intelligebatur subsistere in natura divina, intelligitur quasi extendi ad hoc, ut subsistat in termino illo per voluntatem producto.

§ VII.

Ultimum fundamentum adversariorum et duplex aliorum responsio, ejusque impugnatio.

Ultimum fundamentum oppositæ sententiæ est. Quod licet Spiritus sanctus non procederet a Filio, nihilominus Filius maneret in ratione Filii, et Spiritus sanctus in ratione Spiritus sancti : ergo eo ipso realiter inter se distinguerentur. Antecedens videtur perspicuum. Tum, quia adhuc in eo eventu Filius procederet per generationem a Patre, atque adeo esset Filius : et Spiritus sanctus procederet per voluntatem ab eodem Patre solummodo, ac proinde esset Spiritus sanctus seu (quod idem est) amor spiratus, aut procedens per voluntatem. Tum etiam, quia spiratio activa intelligitur esse quasi proprietas quædam Filii : et ita, etiamsi intelligeretur sine illa, posset concipi in ratione Filii : sicut separata ab homine risibilitate, maneret in ratione hominis : ex eo quod risibilitas tantum est proprietas illius. Et deinde, licet Spiritus sanctus a Filio non procederet, dum tamen haberet procedere ab aliquo, vere haberet procedere : et consequenter conveniret ei relatio Processionis. 116. Ultimum fundamentum.

Consequentia vero videtur aperte sequi ex antecedenti. Quoniam nunc de facto Processio est sufficiens ratio distinctionis 117.

realis ex parte Spiritus sancti a Filio : siquidem Spiritus sanctus non habet aliud, per quod realiter distinguatur a Filio, nisi tantum relationem Processionis, ut ex se constat. Et similiter Filiatio est etiam sufficiens ratio de facto ad distinctionem realem ex parte Filii ab Spiritu sancto. Tum, quia Filiatio constituit personam illi in *esse* talis personæ : ergo in *esse* personæ distinctæ a quavis alia persona, quæ non constituitur in ratione personæ per Filiationem : quandoquidem idem est constitutivum in ratione personæ, aut in quavis alia ratione et distinctivum realiter ab aliis non constitutis per prædictum constitutivum. Tum etiam, quia Filiatio, hoc ipso quod constituat Filium in *esse* personæ, constituet illum, ut omnino incommunicabilem alteri personæ, et ita constituet ipsum, ut incommunicabilem omnino personæ Spiritus sancti : ac proinde, ut realiter distinctum ab illo. Ergo etiam in prædicto eventu, in quo Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc Filiatio et Processio essent sufficientes rationes distinctionis realis Filii et Spiritus sancti : quandoquidem illa maneret in ratione Filiationis et ista in ratione Processionis. Et ita, sicut modo, quia manent sub istis rationibus, sunt sufficientes ad distinguendum illos realiter, sic et tunc hoc ipsum haberent.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam Filiatio nunc constituit personam Filii in ratione unius personæ : ergo in ratione indistinctæ in se, et distinctæ a qualibet alia : siquidem universaliter loquendo de ratione unius est, quod sit indistinctum in se, et distinctum a quolibet alio : et per consequens id, quod constituit aliquid in ratione unius, constituet illud in ratione indistincti in se, et distincti realiter a quolibet alio non constituto per illud in ratione unius.

118. Solutio Vasquez. Ad hoc argumentum respondet Vasquez loco infra referendo, principium illud, nempe, constitutivum alicujus esse distinctivum ejus a quolibet alio, esse verum, ubi constitutio est realis; non vero, ubi constitutio est rationis, qualis est in divinis personis.

Impugnat Suarez. Hanc tamen responsionem impugnat Suarez lib. 7 de Trinitate cap. 4 num. 5 dicens, eam solum esse inventam ad fugiendam vim argumenti; non autem ei satisfacere. Quia in primis nulla ratio redditur talis distinctionis. Principium autem illud, nempe, quod idem est constitutivum, et distinctivum, eamdem vim habet in constitutione rationis; tum, quia id patet in constitutione speciei per suam differentiam : nam per illam distinguitur una species ab omni alia, cum qua habet genericam convenientiam : tum etiam, quia in tali constitutione forma constituens dat unitatem.

Accedit præterea. Quia licet hæc constitutio sit rationis quantum ad modum, quo a nobis concipitur : tamen in re illi correspondet aliquid æquivalens reali constitutioni : et ideo rei sic constitutæ conveniunt omnia, quæ per realem constitutionem convenire possunt, seclusis imperfectionibus. Quod autem forma constituens etiam distinguat, non involvit imperfectionem; imo spectare videtur ad plenam et perfectam constitutionem (ut magis statim declarabitur). Ergo illa distinctio non enervat vim rationis. Quod etiam sic explicatur. Nam si Filiatio v. g. esset ex natura rei actu distincta ab essentia, realiter constitueret personam : et consequenter illam distingueret ab omni alia, ut in hac solutione, quam impugnamus, admittitur : sed nunc Filiatio absque distinctione actuali non minus perfecte et complete constituit personam Filii, quam si esset distincta ab essentia : ergo non minus reddit personam Filii incommunicabilem quoad id, quod est de ratione personæ : ergo non minus distinguit illam a quacumque alia. 119.

Cæterum hæc impugnatio a Suarez adducta partim nobis placet, partim vero displicet. Placet quidem, quatenus ex ea colligitur, nihil obesse ad hoc, ut idem sit constitutivum, et distinctivum, quod constitutio illa sit realis, vel rationis, id est per aliquid realiter distinctum a re constituta, vel per aliquid solum ratione diversum ab illa : ac proinde etiam placet quoad hoc, quod est, per eam sufficienter impugnari solutionem traditam a Vasquez, innitentem in hoc, quod idem est distinctivum, et constitutivum in rebus realiter, non vero secundum rationem per prædictum constitutivum constitutis. 120. Non omnino placet hæc impugnatio. Vasquez.

Partim autem displicet prædicta impugnatio, quatenus per eam denotatur, quod in quavis re idem est constitutivum, et distinctivum. Nam, ut num. 124 dicemus, licet in rebus absolutis idem sit constitutivum, et distinctivum formaliter tale alicujus a quovis alio non constituto per prædictum constitutivum : non tamen in

in relativis, ut relative constitutis, et distinctis. Et ideo prædictam impugnationem a Suarez adductam solum approbamus absolute et simpliciter quoad constitutiva, et distinctiva rerum absolutarum, et quoad id, quod nuper dicebamus, nempe, nihil obesse, quod constitutio sit realis, vel rationis ad hoc, ut idem sit constitutivum, et distinctivum : ac proinde quoad hoc, quod est, non occurri ex hoc capite sufficienter argumento Scoti. Non autem eam absolute et simpliciter veram judicamus quoad constitutivum, et distinctivum relativorum, ut talium, de quibus in præsenti est difficultas.

121. Respondet secundo. Suarez. Secundo respondet idem Suarez loco citato num. 9 et aliis locis, quod tam in relativis, quam in quibusvis aliis idem est constitutivum, et distinctivum a quovis alio : et nihilominus nunc Filiationem constituere, et distinguere realiter Filium ab Spiritu sancto, non tamen data illa hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio. Quia in prædicta hypothesi eadem realiter et identice Filiatio constitueret Filium, et Spiritum sanctum, et ideo non distingueret realiter Filium ab eodem Spiritu sancto, sed tantum ab aliis : at nunc Filiatio solum constituit realiter Filium, non vero Spiritum sanctum : et ideo distinguit illum ab eodem Spiritu sancto.

Rationem autem hujus discriminis, inquit, esse. Quoniam nunc est oppositio realis inter Filium, et Spiritum sanctum : non quidem, quia Filius sit correlativum relationis constitutivæ Spiritus sancti ; sed quia Filius, sicut etiam et Pater, sunt termini formales relationis constituentis Spiritum sanctum : ex eo quod Spiritus sanctus ab utroque per se nunc procedit : oppositio autem relativa non solum est inter correlativa, sed etiam inter relationem, et terminum formalem ipsius, ut constat in relatione creata, quæ terminatur formaliter, non ad aliquid relativum, sed ad aliquid absolutum, et nihilominus prædicta relatio realiter opponitur cum hoc termino formali. Cæterum data hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc non opponeretur illi, tanquam termino formali relationis constitutivæ ejusdem Spiritus sancti : et ita hæ duæ relationes non distinguerentur realiter, sed eadem realiter Filiatio esset identice Processio, ac proinde constitutiva Filii, et Spiritus sancti, et distinctiva solummodo eorum a quolibet alio.

122. Non satisfacit. Verum hæc solutio licet aliquid contineat veritatis ; non tamen ex omni capite est vera. Nam in primis falsum est, ut nuper innuimus, et statim magis explicabimus, quod in relativis sit necessarium, ut constitutivum, et distinctivum formale distinctione relativa, ut tali, sit unum et idem. Deinde falsum etiam est, tum, quod oppositio relativa sit inter alia, præterquam inter correlativa, ut ex statim dicendis patebit : tum etiam, relationem, adhuc creatam, habere pro termino, ad quem referatur, aliquid absolutum, ut constat ex illis, quæ N. Complutenses in sua Logica disputat. 14 num. 65 docent : tum denique, Processionem terminari formaliter ad Paternitatem, et Filiationem. Quoniam, ut in hoc dubio, et infra etiam disputatione sequenti dicemus, terminus formalis Processionis, seu spirationis passivæ tantum est spiratio activa, non vero Paternitas, et Filiatio : quia istæ tantum sunt terminus materialis. Et propterea Pater, et Filius habent unicam dumtaxat rationem formalem terminandi relationem Processionis : quia terminant per eamdem formaliter spirationem activam. N. Compl.

§ VIII.

Alia satis probabilis responsio ad idem fundamentum Scoti.

123. Congruentior argumenti enodatio. Quare melius (et sane satis probabiliter) potest occurri prædicto argumento, si dicatur, Filium, et Spiritum sanctum non mansuros in eo eventu ejusdem omnino rationis adæquatæ, ac nunc, sed solum ejusdem rationis inadæquatæ, et modo supra insinuato. Siquidem modo Filius, ut talis, est radicaliter spirativus, seu continet radicaliter relationem spirationis activæ, et Spiritus sanctus dicit ordinem ad Filium, ut ad id, a quo procedit, et modo infra explicando : cum tamen data prædicta hypothesi, non reperirentur ista in Filio, aut Spiritu sancto.

Ex quo fit, Filium, ut talem, seu Filiationem ipsam posse considerari, vel secundum se, et secundum id, quod formaliter tantummodo dicit, et exprimit, nimirum, secundum quod habet formaliter respicere Patrem, hocque exprimit ; vel secundum quod virtualiter quodammodo, ac radicaliter præhabet, et continet spirationem activam. Si ergo Filiatio secundum priorem considerationem tantummodo suma-

tur, tunc solum constituit Filium in ordine ad Patrem, solumque distinguit ipsum distinctione formaliter relativa, et personali ab eodem Patre ; non vero ab Spiritu sancto, tam nunc, quam data hypothesi, quod Spiritus sanctus a Filio non procederet. Si autem Filiatio secundum posteriorem rationem accipiatur habebit nunc radicaliter relative opponi Spiritui sancto, et eo ipso distinctione reali formaliter tali, ac personali distingui ab ipso. Quia ad distinctionem formaliter talem, et personalem satis est oppositio realis radicalis relativa : ex eo quod prædicta distinctio oritur a quavis oppositione reali relativa : qua una persona opponitur alteri. At data prædicta hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc Filiatio non contineret quodammodo virtualiter spirationem activam, neque esset radix illius : ac proinde manerent sine hac oppositione, solumque una quæque ex illis esset inadæquate ejusdem rationis, ac modo, quatenus Filiatio exprimeret ordinem ad Patrem, et Processio ordinem ad spiratorem, sive ad Patrem, ut habentem relationem spirationis. Ideoque Filius, et Spiritus sanctus, quippe non oppositi, neque realiter radicaliter, neque realiter formaliter relative distinguerentur inter se realiter.

124. Nec contra hoc habet vim illud axioma, nempe, quod *idem est constitutivum et distinctivum*. Nam debet intelligi proportionate ad naturam constitutivi : ita ut constitutivum, quod præcise est in ordine ad terminum, tantum distinguat, ut est relativum, ab illo : quod vero est absolutum, et non respicit aliquem terminum, nec habet esse in ordine ad illum, ut in persona absoluta contingit, non magis distinguat secundum istam rationem ab uno, quam ab aliis; sed distinguat ab omnibus non constitutis per suum constitutivum. Per quod etiam patet ad id, quod de Filiatione, ut constituente Filium in ratione personæ incommunicabilis, dicebatur : quoniam constituit illum incommunicabiliter relatione in ordine ad Patrem : et ideo solum distinguit illum ab eodem Patre. Sed hæc amplius in solutione secunda hujus fundamenti elucidabuntur.

Diluitur confirmat. Ex quo ad confirmationem respondetur, Filiationem secundum utramque considerationem sumptam, id est, tam secundum id, quod secundum se, et formaliter dicit, quam secundum id, quod virtualiter, et radicaliter includit, constituere Filium in ratione unius personæ, seu esse rationem proximam unitatis personalis ipsius : ita quidem, quod ab utraque ratione simul sumpta constituatur adæquate in ratione unius personæ relativæ, ut talis, quoad id, quod de facto persona Filii dicit, et ab unaquaque earum inadæquate. Unde secundum priorem considerationem, secundum quam solum respicit Patrem, tantum constituit Filium in ratione unius personæ in ordine ad eumdem Patrem, et tantummodo distinguit illum personaliter relative ab eodem Patre : at vero secundum posteriorem considerationem, secundum quam radicaliter relative est ad Spiritum sanctum, constituit eumdem Filium in ratione ejusdem unius personæ in ordine ad prædictum Spiritum sanctum, et tantummodo personaliter relative distinguit illum ab eodem Spiritu sancto. Quia quod constituit aliquid in ratione unius unitate relativa quoad id positivum, quod affert, tantum constituit illud in ratione indistincti in se relative, et distincti ab alio relative : et per consequens tantum distinguit ipsum a suo correlativo, ut in posteriori solutione ad hoc idem fundamentum Scoti magis explicabitur. At data illa hypothesi, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, tunc solum constitueretur relative in ratione unius in ordine ad Patrem, solumque relative opponeretur Patri. Et cum in divinis sola oppositio relativa sit ratio distinctionis realis, non distinguerentur Filius, et Spiritus sanctus.

Nec obest, si objicias, quod esse radicaliter spirativum, seu (quod in idem quoad præsens redit) continere virtualiter relationem spirationis activæ, non convenit Filio soli, sed etiam Patri : ergo non potest esse ratio distinctionis personalis Filii. Antecedens est certum. Consequentia vero etiam videtur perspicua. Quoniam distinctio personalis, qua una persona distinguitur ab alia, debet esse secundum proprietatem personalem, ac proinde secundum propria illius personæ : non vero secundum communia ipsi, et alteri. 125 Objectio

Respondetur enim primo, quod etsi esse radicaliter spirativum, ut abstrahit a quovis modo radicaliter spirandi, seu præcontinere radicaliter modo isto relationem spirationis activæ, sit quid commune Patri, et Filio, ac proinde non conveniat Filio secundum proprietatem personalem ipsius, ut distinctam a proprietate personali Patris : attamen esse radicaliter spirativum secundum Evacuatio primo.

secundum specialem modum spirandi, scilicet, per modum verbi, et proprium Filii, ita ut non conveniat alicui, præterquam ipsi : et secundum hanc rationem distinguit personam Filii a persona Spiritus sancti : sicut etiam Pater habet esse radicaliter spirativus speciali quadam ratione, nimirum, ut fundat rationem ingeniti.

Quæ solutio habet fundamentum in
D.Thom. doctrina D. Thomæ supra quæst. 34 art. 2 ad 3, estque consona illis, quæ ex eodem in hoc tract. disp. 2 n. 113 diximus, nempe, in Filio esse idem rationem Filii et Verbi : atque adeo ad proprietatem ejus personalem pertinere rationem verbi. Cumque, ut communiter docent Philosophi et Theologi, et Angelicus Præceptor artic. 2 hujus quæstionis, sit proprium verbi mentalis, de quo loquimur, quod pertineat aliquo modo ad rationem principii amoris, consequens est, ut Filius in divinis habeat ob suam specialem rationem, et modo explicato, pertinere peculiariter, scilicet per modum verbi, ad principium Spiritus Sancti : ac proinde quod peculiari ratione sit radicaliter spirativus respectu illius.

126. Nec obest, si urgeas contra hanc solu-
Replica. tionem, quod spiratio passiva, seu relatio Processionis est una et eadem secundum speciem, aut quasi speciem atomam, respicitque Patrem et Filium, ut terminum per se, quatenus tam proxime, quam radicaliter habent *esse* spirativum : ergo respicit illos, ut habent unum et idem *esse* spirativum : siquidem ad unitatem relationis Processionis, sicut et ad cujusvis alterius relationis, requiritur unitas termini per se inspecti. Ergo etiam Pater et Filius tantum habent unum et idem *esse* spirativum, sive proximum, sive radicale, conveniens illis ob aliquam rationem communem eisdem ; non vero competens ipsis ob speciales rationes suas, ac proinde aliquomodo diversum.

Responsio. Non igitur hoc obest. Quoniam ad unitatem specificam, aut quasi specificam et atomam relationis Processionis satis est, saltem ex parte termini, quod terminus formalis sit unicus atome et in *esse* termini ; licet terminus materialis, per se tamen inspectus, non sit unicus, sed plures, dummodo quivis ex illis terminis materialibus sit inadæquatus respectu prædictæ relationis et termini ejus formalis : quia eo ipso non arguetur inde distinctio in ipso termino formali, nec pluralitas specifica, aut quasi specifica atoma in relatione Processionis. Pater igitur et Filius sunt termini materiales, per se tamen inspecti, a relatione Processionis et inadæquati respectu ipsius, necnon et termini formalis, nempe relationis spirationis activæ, quæ Patrem et Filium per modum radicis et termini materialis adæquati et unum quemque ex illis per modum radicis inadæquatæ quoad modum et specialem rationem habendi illam, necnon per modum termini materialis inadæquati exigit : et ita potest manere unitas specifica, aut quasi specifica atoma relationis Processionis cum hoc, quod est, Patrem et Filium diversa ratione et modo jam insinuatis habere *esse* radicaliter spirativum : ita quidem, ut licet hoc sit materiale, per se tamen desideratum in ipsis, ut terminant relationem Processionis : attamen hoc ipsum sit formale in eis, ut unusquisque constituit propriam personam. Et ita per prædictum *esse* radicaliter spirativum per modum verbi poterit et debebit realiter distingui Filius ab Spiritu Sancto, tanquam per proprium distinctivum.

Secundo respondetur ad principalem re- 127. Solvitur secundo objectio.
plicam, quod transeat antecedens et negetur consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod ad distinctionem personalem, qua una persona divina, v. g. Filius, distinguitur præcise ab unica alia dumtaxat persona divina, nempe ab Spiritu Sancto, non vero a Patre, non est necessarium, quod talis distinctio procedat a proprietate personali Filii secundum ea, quæ sunt propria ipsi Filio et non sunt communia ipsi cum Patre ; sed satis erit, quod procedat ex eadem proprietate personali secundum ea quæ sunt incommunicabilia Spiritui Sancto. Nam etsi in personis absolutis per idem distinguatur persona, v. g. Petri, a persona Pauli, per quod distinguitur ab aliis personis humanis, vel a quibusvis aliis personis : non tamen in personis relativis, nempe divinis, in quibus per aliquid distinguitur una persona ab alia determinata, v. g. a persona Spiritus Sancti, per quod non distinguitur a persona Patris, ut jam tetigimus et statim magis explicabimus.

§ IX.

Posterior enodatio ultimi fundamente pro sententia Scoti. 128. Aliter dissolvitur fundamentum Scoti.

Secunda, eaque satis ad mentem Angelici Præceptoris solutio ad ultimum Scoti fun-

damentum convenit cum præcedenti, tum, in prædicta hypothesi Filium et Spiritum Sanctum non mansuros ejusdem omnino rationis, ac modo, ut ibidem explicatum est : tum etiam quoad hoc, quod est personam relativam, v. g. personam Filii, secundum id, quod formaliter dicit et exprimit, non distingui realiter distinctione relativa formaliter tali per Filiationem, nisi tantum a suo correlativo, nempe a Patre. Addit tamen, quod prædicta Filiatio, adhuc ut est virtualiter ipsa spiratio, seu ut radicaliter continet relationem spirationis, ac proinde dicit radicaliter relationem ad Spiritum Sanctum, oppositionemque radicalem relativam cum illo, distinguitur tantum realiter radicaliter ab illo ; non autem distinctione reali formaliter tali, prout distinctio formaliter talis distinguitur a radicali. Et ideo necessario addendam esse relationem spirationis activæ ex parte Filii, tanquam rationem formalem et proximam, a qua habeat, adhuc nunc et de facto, proxime et formaliter distingui ab Spiritu Sancto realiter personaliter. Et ita data illa hypothesi, quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tunc nec radicaliter, nec proxime et formaliter Filius distingueretur realiter personaliter ab Spiritu Sancto.

129. Ratio solutionis pro secunda parte. Ratio autem hujus solutionis quoad priorem partem constat ex nuper dictis. Ratio vero illius quoad secundam partem, nempe, personam Filii inadæquate conceptam, seu secundum id, quod formaliter dicit et exprimit, ut est sub conceptu expresso Filii, non curando de aliis, quæ implicite importat, tantum distingui per Filiationem a suo correlativo, nempe a Patre traditur a Cajetano, et Nazario in præsenti et a Ferrara 4 contra Gentes capit. 24 ex discrimine, quod intercedit inter personam absolutam et relativam, qualis est sola divina. Quod personalitas absoluta rem constituit absolutam, quæ est et dicitur ad se sive secundum se et non in ordine ad aliud : personalitas vero relativa personam constituit relativam, quæ hoc ipsum, quod est, ad alterum est, et dicitur. Et quoniam unumquodque eo modo, quo constituitur in sua ratione entis, constituitur etiam in ratione unius, ac proinde in ratione indistincti in se, et distincti ab alio, oportet, ut id, quod constituit personam absolutam, quæ est ad se, sive secundum se et non in ordine ad aliud, distinguat etiam illam absolute, sive secundum se, ac proinde distinctam ab universis aliis : quod vero constituit personam relativam, quod est ens ad alterum, id est ad terminum, sive correlativum, distinguat illam a termino tantum : alioqui latior esset unitas et distinctio, quam entitas in relativo : quod pugnat cum ratione unitatis, quæ est passio adæquata cujusvis entis. Et ita Filiatio, quippe personalitas relativa, tantum distinguet distinctione reali personali et formaliter tali Filium a Patre, non tamen ab Spiritu Sancto : nisi addatur relatio spirationis activæ, per quam proxime et formaliter illum respicit.

Cajetan.
Nazar.
Ferrara.

Potestque explicari et confirmari ratio tradita pro secunda parte istius solutionis ex eo, quod cum persona absoluta non respiciat peculiariter aliquem terminum, sed sit in ordine ad se, non habet peculiarem aliquam oppositionem versantem inter rem aliquam realiter respicientem et aliam rem realiter inspectam : et ideo, quantum est ex vi hujus capitis, non est in ea specialis ratio propter quam peculiariter distinguatur ab aliqua re, potius quam ab aliis; sed vel ab omnibus, vel a nulla distinguitur : quia eo ipso tantum distinguitur ab illis ex eo, quod affert suum peculiare constitutivum : quod tamen a nulla alia, præterquam ab ipsa, importatur. Cæterum persona relativa, quia habet peculiariter respicere aliquem terminum, quatenus relativa est, ideò ex hoc capite habet peculiarem oppositionem realem cum suo termino et peculiarem rationem, ob quam distinguatur realiter ab illo. Ac tandem, quia ejus natura, ut relativa, est sita in hac oppositione et respectu et non in alio, idcirco, quatenus relativa est, tantum distinguitur ratione relativa a prædicto termino.

Ratio vero ejusdem solutionis quoad posteriorem partem, nempe, quod Filius, ut continens virtualiter et per modum radicis spirationem, non distinguatur distinctione reali personali formaliter et proxime tali, sed distinctione radicali personali, potest reddi ex eo, quod (ut ex dictis constat) in divinis tantum reperitur distinctio realis ratione oppositionis realis : et ideo juxta modum oppositionis realis erit etiam modus distinctionis realis : ac proinde ratione oppositionis realis radicalis et personalis, qua Filius ex vi Filiationis continet radicaliter spirationem et radicaliter opponitur processioni Spiritus Sancti et eidem Spiritui Sancto, solum sequetur, Filium distinguendum esse realiter radicaliter ex hoc capite ab Spiritu Sancto ; non vero

vero distinctione reali formaliter et proxime tali.

Unde contra solutionem hanc sic explicatam et confirmatam non habet vim duplex illa probatio consequentiæ prædicti fundamenti, nempe, quod idem est constitutivum et distinctivum ab omnibus aliis non constitutis per illud. Et similiter quod Filiatio constituens personam Filii nunc, ut incommunicabilem omni alteri personæ, distinguet etiam illam ab omni alia. Nam hoc ex illis, quæ in præcedenti solutione (ad præsens tamen proportione servata applicatis) diximus, satis constat.

§ X

Objectio notanda contra hanc posteriorem solutionem, necnon et contra præcedentem num. 123 *adductam, quatenus cum hac posteriori convenit.*

131. Objectio contra hanc ultimam solutionem Suarez. Vasquez.

Cæterum hæc solutio et ratio præcipua, in qua innititur, necnon et præcedens num. 123 adducta, quatenus cum ista convenit, aliquibus Theologis displicet. Et ideo Suarez lib. 7 de Trinitate capite 4, et Vasquez disputat. 147 capite 5 numero 22 et capite 7 num. 32, et alii contra illam et præcipue contra rationem pro secunda illius parte, objiciunt, quod in creaturis concreta relativa constituuntur in suo *esse* relativo per relationes in ordine ad suum terminum : et nihilominus per illas non solum distinguuntur realiter ab eisdem terminis; sed etiam a quocumque alio non constituto realiter per prædictas relationes : ergo etiam in divinis, licet persona relativa Filii constituatur per Filiationem in ordine ad Patrem tantummodo; distinguetur tamen per prædictam Filiationem distinctione reali personali et formaliter ac proxime tali a quibusvis aliis non constitutis per prædictam Filiationem. Consequentia videtur legitima ex paritate rationis.

Antecedens autem probatur inductive. Nam in primis generalissimum prædicamenti relationis in concreto sumptum constituitur per relationem in communi et per eamdem distinguitur a cæteris generalissimis omnium prædicamentorum; licet non sint correlativa illius, nec respiciantur ab eo, ut termini, cum quibus habeat oppositionem relativam : sicut etiam idem generalissimum in abstracto sumptum constituitur per suum esse *ad*, et per illud distinguitur ab aliis novem prædicamentis eodem modo acceptis, cum quibus (ut modo dicebamus) non comparatur tanquam cum terminis ab eodem inspectis. Et deinde species relationum contentæ sub eodem generalissimo, sive sumantur in abstracto, sive in concreto, ut v. g. pater, habet constitui per paternitatem, qua respicit filium : et tamen per illam non solum distinguitur ab eodem filio, sed etiam ab aliis relativis, ut a simili, ab æquali, etc.

Confirmatur. Quoniam ratio, qua innititur hæc secunda solutio ad hoc, ut persona relativa non distinguatur relative, nisi tantum a suo correlativo, solum convincit, personam relativam distinguendam esse realiter a suo correlativo per ordinem ad illud et a cæteris non per ordinem ad ipsa, sed per ordinem ad prædictum correlativum. Ergo persona relativa Filii distinguetur, adhuc nunc, realiter personaliter a persona Spiritus Sancti, quæ non constituitur per prædictam Filiationem : ac proinde, adhuc in relativis, per id ipsum, per quod constituuntur, distinguentur ab omnibus aliis non constitutis per illud. Utraque consequentia videtur legitima. 132. Confirmatur primo.

Antecedens autem probatur. Quoniam ratio illa consistit in hoc, quod *esse* personæ relativæ situm est in hoc, quod præcise sit in ordine ad suum terminum : et ideo, ne unitas ejus, per quam est indistincta in se; et distincta ab alio, sit latior, quam entitas ejus, tantum debet distingui a suo correlativo. At, ut unitas ista non sit latior, quam entitas, satis esse videtur, quod sicut persona relativa non habet *esse*, nisi per ordinem ad correlativum, per huncque ordinem constituitur, ita non habeat distingui ab aliis, nisi etiam per ordinem ad idem correlativum : ergo, etc.

Confirmatur secundo. Quia persona Filii nunc de facto distinguitur personaliter per suam Filiationem ab omnibus personis creatis, ut ex se constat : et nihilominus non respicit illas, ut correlativas : et tota ratio propter quam per Filiationem distinguitur sic ab illis (ita ut ob id non sit latior ejus unitas personalis, quam ejus entitas itidem personalis et relativa) non est alia, nisi quod sicut distinguitur a Patre per ordinem ad illum, sic distinguitur a creaturis per respectum, quem dicit ad Patrem : ergo, etc. 133. Confirmatur secundo.

Confirmatur tertio. Quia actus et potentiæ, ut v. g. potentia intellectiva, specificantur a suis objectis, habentque suum Tertia.

esse per ordinem ad illa : et nihilominus non distinguuntur per hunc respectum ab eisdem objectis solummodo, sed etiam ab omnibus aliis; licet cum hoc discrimine, quod ab objectis distinguuntur per ordinem ad ipsa, ab aliis vero per ordinem ad prædictum objectum : ergo eodem proportionali modo relativa distinguentur per suum constitutivum, tam a termino, quam ab aliis non constitutis per illud, licet totum suum *esse* habeant per ordinem ad terminum ; et solum erit discrimen in hoc, quod a termino habent distingui respiciendo illum; cum tamen a cæteris non distinguantur per ordinem ad terminum.

134. Ultima. Confirmatur tandem. Quoniam confirmatio, quam adduximus ad probandum, personam relativam tantum distinguendam esse per suum constitutivum a suo termino, et correlativo, ex eo quod, cum peculiariter respiciat illud, adest peculiaris ratio, propter quam ab illo distinguatur, solum convincit, personam relativam distinguendam esse speciali titulo per suum constitutivum a termino correlativo, quia nimirum distinguitur ab illo respiciendo ipsum : non tamen distinguendam esse a solo illo : Quandoquidem, licet non habeat distingui ab aliis eo titulo; potest tamen distingui ab ipsis, non respiciendo ea, sed prædictum correlativum, sicut de actibus, et potentiis respicientibus objecta modo innuebamus, quæ quidem speciali ratione distinguuntur a suis objectis, nempe, quia illa respiciunt per modum objectorum : et nihilominus distinguuntur etiam per suum constitutivum a cæteris aliis; licet non respiciendo ipsa, et sumendo ab eis, sed solum ab eisdem objectis suam unitatem specificam.

§ XI.

Enodatio præcedentis objectionis.

135. Animadversio pro solut. prædictæ objection. Respondetur prænotando, quod relativum duplici distinctione, ex duplicique capite orta distinguitur ab aliis, nempe, distinctione relativa, ut tali, et distinctione disparata. Ex quibus prior illa oritur ex oppositione relativa, hæc vero posterior ex oppositione disparata, quæ ad oppositionem contrariam reducitur.

Inter has autem distinctiones duplex versatur discrimen. Primum quidem. Quod distinctio relativa, ut talis, tantum est a termino, sive correlativo, tum propter dicta : tum etiam, quia sicut oritur ex oppositione relativa, ac proinde ex entitate relativa, ut tali, et ut opposita relative : ita per illam tantum distinguitur a termino, sive correlativo, cum quo tantummodo est prædicta oppositio relativa. At distinctio disparata est ab omnibus aliis non constitutis per illam relationem, sed constitutis per aliquid aliud habens disparatam rationem ab ea, quam habet prædicta relatio : et ideo per hanc distinctionem distinguitur relativum a quibusvis aliis ; imo etiam a termino, a quo distinguebatur distinctione relativa, ut tali. Si tamen prædictus terminus consideretur, non ut est oppositus relative, et per modum termini cum correlativo respiciente ipsum, sed ut habet rationem disparatam ab ea, quæ prædicto correlativo competit, non minus quam cæteræ aliæ res illa gaudent.

Secundum discrimen est. Quod distinctio disparata reperta in relativis, aut in quibusvis aliis semper oritur ex imperfectione, et limitatione, quoties est realis, secus vero distinctio relativa, ut talis, quæ præcise oritur ex oppositione relativa. Et propterea ea, quæ in creaturis solum distinguuntur realiter distinctione disparata, et orta ex oppositione itidem disparata, debent in Deo, ubi omnis finitas et limitatio releganda est, identificari realiter, ut de justitia, et misericordia in creaturis realiter distinctis, necnon et de relatione ipsa paternitatis, v. g. creatæ, collata cum substantia creata, in qua est, supra dicebamus. Nam omnia ista, quia præcise distinguuntur distinctione reali disparata in creaturis, et distinctio ista oritur ex limitatione, ideo in divinis inter se identificantur. E contra vero illa, quæ in eisdem creaturis distinguuntur realiter distinctione relativa, ut tali, ortum ducente ex relativa oppositione, debent etiam in divinis eodem modo distingui ; quia oppositio relativa, absque eo quod involvat imperfectiones limitationis, potest; et debet esse ratio prædictæ distinctionis. Et ita Paternitas in divinis, quæ collata cum essentia præcise distinguitur distinctione disparata, ideoque solum virtualiter est ab ea distincta, debet comparata cum Filiatione distingui realiter ab illa : quia est distincta ab ipsa distinctione relativa, ut tali, et ortum ex oppositione relativa ducente. Et nisi hæc relativa oppositio intercederet inter illas, tunc quantumvis haberent rationes disparatas, 136.

ut

ut revera eas habent, non essent ibidem realiter distinctæ.

137. Ex dictis satisfit objectioni. Hinc ergo ad formam objectionis respondetur, concedendo majorem, et distinguendo minorem. Et si intelligatur de relativis creatis, secundum quod habent distingui distinctione relativa, ut tali, quæ ex oppositione relativa oriatur, neganda est. Si vero intelligatur de eisdem relativis, ut distinguuntur distinctione disparata, et ex oppositione itidem disparata ortum ducente, concedenda est. Et deinde neganda est consequentia. Quia etsi in relativis creatis, quippe limitatis, possit inveniri realis distinctio disparata, qua distinguantur realiter ab omnibus aliis non constitutis per suum esse ad, sed per alia constitutiva disparata, ex eo quod hæc realis distinctio oritur ex limitatione et coarctatione : non tamen in relativis, ac proinde in personis divinis, quæ ob suam infinitatem identificant secum, quidquid in Deo reperitur, non habens relativam oppositionem cum ipsis, licet constituantur per rationes disparatas. Et propterea ibidem tantum potest esse distinctio realis relativa, ut talis, et ex oppositione relativa ortum dicens : ac proinde una persona relativa tantum potest distingui realiter per suum constitutivum ab ea, cum qua habet oppositionem relativam et juxta modum oppositionis, quem cum illa habuerit.

138. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem negandum est antecedens : quia persona relativa non distinguitur distinctione relativa, ut tali, nisi a correlativo. Et ad probationem concedatur major, et negetur minor. Quia persona relativa, ut dicit *esse* relativum, et oppositum relative cum suo termino, secundum quam rationem fundat unitatem, ac proinde distinctionem relativam, ut talem, non comparatur realiter, nisi cum prædicto termino, ut tali. Et ita unitas, atque adeo distinctio ejus, ne sit latior, quam entitas relativa, non potest extendi, nisi ad prædictum terminum, sive correlativum.

Cæterum cum hoc stat, ut sicut relativa creata non ut fundant distinctionem relativam, ut talem, sed ut fundant distinctionem disparatam cum aliis rebus, quodammodo comparantur realiter cum illis, non tanquam cum correlativis, sed tanquam cum extremis disparatis : et propterea ex hoc, quod habeant unitatem, per quam sint indistincta inter se realiter, et distincta disparate a quolibet alio, non infertur, quod habeant unitatem, seu passionem, et proprietatem latiorem, quam sit entitas, a qua veluti dimanant : ita cum jam dictis etiam cohæret, quod persona relativa, et increata, non ut fundat oppositionem relativam cum alia persona, sed ut est ratio oppositionis, et distinctionis disparatæ cum illa, quodammodo comparetur realiter cum ea, non tanquam cum correlativo, ut tali, sed tanquam cum extremo disparato, idest, non habente eamdem, sed disparatam rationem : ac proinde, quod habeat unitatem, per quam sit indistincta in se, et distincta distinctione disparata, et orta ex disparata oppositione cum alia persona, non infert, quod habeat unitatem, et proprietatem latiorem, quam sit entitas, a qua quasi dimanat. Attamen prædicta distinctio, et oppositio in divinis, præcise ratione sui considerata, non erit realis actualis, quia deest ibi limitatio; sed ad summum virtualis : ac per consequens solummodo erit realis actualis, quia conjungitur distinctioni, et oppositioni formaliter relativæ et ratione illius.

Ad secundam confirmationem dicendum est, personam Filii nunc de facto non distingui ab aliis personis creatis per distinctionem relativam, ut talem, et ex oppositione relativa provenientem ; sed tantum distinctione et oppositione disparata. Ad distinctionem autem istam satis est, quod licet persona Filii non respiciat personas creatas, ut terminum, sive ut correlativum : attamen ipsa respiciat Patrem, ut correlativum ; quem tamen personæ creatæ non respiciunt : ac proinde satis est, quod distinguatur ab illis respiciendo proprium correlativum. Cæterum persona Filii non distinguitur realiter ab aliqua alia persona divina, nisi præcise ratione oppositionis, et distinctionis relativæ, ut talis : hæc autem (ut dictum est) non potest esse, nisi præcise a correlativo. 139. Ad secundam.

Ratio autem, ob quam persona relativa Filii potest distingui distinctione disparata, et reali a personis creatis, non vero a cæteris personis divinis nisi distinctione relativa, ut tali, potest reddi ex eo, quod ad distinctionem disparatam, et realem satis est limitatio et finitas in uno ex extremis distinctionis : et ideo distinctio disparata realis entis summe perfecti et infiniti ab aliis rebus imperfectis et finitis, non petit limitationem in ente infinito et summe perfecto ; sed potius oritur ex infinitate, et maxima perfectione ejus, et ex limitatione

et imperfectione entis finiti, et imperfecti. Et ita nihil obest, quominus persona divina, non obstante sua infinitate, distinguatur a personis creatis, ac proinde imperfectis, per distinctionem realem disparatam : obesset tamen valde, quod hæc distinctio realis disparata esset inter personas divinas : siquidem nulla ex eis dicit finitatem et limitationem : et ad prædictam distinctionem disparatam, quæ, ut talis, habeat esse realis; exigitur finitas et limitatio, saltem in aliquo extremo.

140. Ad tertiam. Ad tertiam confirmationem respondetur, quod actus v. g. specificati per habitudinem transcendentalem ad sua objecta distinguuntur distinctione relativa transcendentali præcise ab eisdem objectis, et distinctione disparata ab omnibus aliis : cæterum neutra ex his distinctionibus est realis, nisi ratione limitationis et coarctationis. Et ideo in Deo dantur actus (v. g. volitio, aut intellectio) specificati a suis objectis intra eumdem Deum existentibus, qui tamen non distinguuntur realiter a suis objectis, sed vel solum virtualiter, vel secundum explicitum, et implicitum : sicut etiam non distinguuntur distinctione disparata reali ab aliis existentibus in Deo : ex eo quod ibi nulla est limitatio et coarctatio.

Ad ultimam. Ad ultimam confirmationem negandum est antecedens quoad secundam partem, et intellectum de distinctione relativa, ut tali. Nam, ut jam explicuimus, quod relatio solum sit ad terminum, infert, quod ab eo solummodo relative distinguatur : sicut et hinc infertur, quod illi soli relative opponatur. Ad probationem autem ex dictis ad præcedentem confirmationem satis constat.

§ XII.

Præcedens solutio exemplo, et testimoniis ex D. Thoma desumptis elucidatur.

141. Illustratur tota solutio exemplo D.Thom. Possuntque tota hæc solutio præcedentis objectionis et confirmationum illius, nec non cuncta, quæ in enodatione ultimi fundamenti Scoti diximus, explicari optimo exemplo desumpto ex D. Thoma, et deinde fulciri aliquibus testimoniis ejusdem sancti Doctoris. Nam in primis Angelicus Præceptor Quodlibeto 4 art. 7 ubi inquirit : *Utrum Filius distinguatur Filiatione ab Spiritu Sancto* : rem hanc eleganti exemplo sequentibus verbis explicat : *Dicendum, quod hoc modo se habent proprietates personales in divinis ad distinguendum personas, sicut se habent in rebus naturalibus formæ substantiales ad distinguendas species rerum : sic tamen, quod a creaturis exempla ad Deum assumpta non omnino similia sunt. In rebus autem naturalibus distinguitur aliquid per formam suam ab alio dupliciter. Uno modo, secundum directam oppositionem formæ ad formam : et hoc modo distinguitur unaquæque res naturalis ab omnibus speciebus sui generis, quæ habent formas oppositas, secundum quod genus dividitur oppositis differentiis, sicut sapphirus distinguitur sua forma ab omnibus aliis speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam secundum habere, et non habere : et hoc modo, quod habet aliquam formam naturalem, distinguitur ab omnibus non habentibus formam illam. Sicut sapphirus per suam formam naturalem distinguitur, non solum ab omnibus aliis generibus lapidum, sed a speciebus animalium, et plantarum. Sic ergo dicendum, quod Filius sua Filiatione distinguitur quidem a Patre secundum oppositionem relativam Filiationis ad Paternitatem, sed a Spiritu Sancto distinguitur Filiatione, per hoc quod Spiritus Sanctus non habet Filiationem, quam Filius habet.*

Quare, cum juxta mentem Angelici Doctoris illa distinctio qua Filius, aut quævis alia ratio existens in Deo, distinguitur ab altera penes habere, et non habere præcise, seu penes hoc quod una constituatur per aliquam rationem, per quam tamen alia non constituitur, non sit realis, nisi ubi miscetur oppositio relativa, sed ad summum virtualis, ut constat ex illis, quæ ex eodem S. Doctore n. 81 adduximus : consequens est, ut juxta mentem ipsius, sicut res naturales solum distinguuntur secundum directam oppositionem formæ ad formam ab omnibus speciebus sui generis, et ab aliis per habere, et non habere, et hæc distinctio est realis ratione limitationis ejusdem formæ : ita in divinis Filius v. g. distinguitur a Patre per directam oppositionem relativam, et ab Spiritu Sancto per habere et non habere, ita tamen, ut hæc posterior distinctio præcise ratione sui, et non ut mixta cum oppositione reali, radicali saltem, qua idem Filius distinguitur ab Spiritu Sancto, non sit distinctio realis : sed ablata prædicta oppositione tantum esset formalis, seu virtualis : quia ratione infinitatis personæ Filii exigitur, ut identificet sibi quidquid non habet oppositionem 142.

tionem relativam, sive formalem, sive radicalem (quæ quodammodo est oppositio in directa in genere relativo) cum ipsa. Et ita prædicta infinitas etiam exigit, quod distinctio ista penes habere, et non habere formaliter, et cum præcisione sumpta, tantum sit penes habere, et non habere formaliter, idest, ex vi præcisa, et formali Filiationis secundum id, quod exprimit; non tamen penes habere, et non habere identice. Unde ob hanc rationem idem Angelicus Præceptor adducens hoc exemplum
D.Thom. in Quodlibeto citato, et asserens : *quod hoc modo se habent proprietates personales in divinis ad distinguendum personas, sicut se habent in rebus naturalibus formæ substantiales ad distinguendas species rerum*, statim addit : *Sic tamen, quod a creaturis exempla ad Deum assumpta non omnino similia sunt.*

143. Elucidatur duplici testimonio D. Thomæ. Et deinde hoc ipsum potest elucidari duplici testimonio ejusdem S. Doctoris. Primo quidem desumpto ex quæst. 10 de Potentia articulo 5 ad 13. Nam cum hoc idem ultimum fundamentum, quod pro se adducit Scotus, sic sibi objecisset : *Filiatio est proprietas Filii, constituens personam ipsius : Processio autem est proprietas Spiritus Sancti, ejus personam constituens : Filiatio autem non est Processio, nec ei opponitur relative. Ergo remota omni relatione Spiritus Sancti ad Filium, adhuc remanebunt Filius, et Spiritus Sanctus personæ distinctæ.* Sic respondet : *Ad decimum tertium dicendum, quod licet Filiatio non opponatur relative Processioni : tamen procedens opponitur relative Filio, Et per hoc Processio a Filiatione distinguitur.*

In quibus verbis loquitur Angelicus Doctor de distinctione, et oppositione formaliter et proxime tali, qua persona Filii et Spiritus Sancti realiter distinguuntur : et de ea loquendo, inquit, quod licet Filiatio non opponatur relative Processioni et e contra; secus tamen procedens, idest, licet Filiatio, aut Processio in abstracto et præcise sumptæ non habeant relative formaliter opponi, quia sic Filiatio non dicit relationem spirationis activæ, per quam formaliter relative distinguitur ab Spiritu Sancto : attamen si Processio sumatur in concreto, ac proinde et Filiatio, significenturque nominibus Filii et procedentis, tunc procedens opponitur relative formaliter Filio : quia Filius in concreto, si sumatur absolute et secundum ea, quæ adæquate dicit, debet habere relationem spirationis activæ et ea veluti affici, ab eaque formaliter denominari spirans : et ideo sic opponuntur et distinguuntur distinctione reali relativa formaliter; distinguuntur etiam et opponuntur quodammodo relative formaliter Filiatio et Processio : quatenus Filiatio est forma constituens formaliter personam Filii, et ut illam constituit, habet quodammodo recipere illum quasi effectum formalem provenientem eidem personæ a relatione spirationis activæ.

144. D.Thom. Secundum vero testimonium depromitur ex eodem S. Thoma articulo nuper citato in corpore et 4 contra Gentes cap. 24, ubi loquens de distinctione reali formaliter ac proxime tali, qua personæ divinæ distinguuntur inter se realiter, assignat hanc distinctionem juxta modum oppositionis relativæ, ita ut prædicta distinctio tantum sit a correlativo et ultra se non extendat. Unde loco citato ex 4 contra Gentes sic inquit : *Manifestum est autem, quod Filius et Spiritus Sanctus conveniunt in hoc, quod est, esse ab alio : quia uterque est a Patre. Et secundum hoc Pater convenienter differt ab utroque in quantum est innascibilis. Si igitur Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, oportet, quod hoc sit per differentias, quæ per se dividant hoc, quod est, esse ab alio : quæ quidem non possunt esse, nisi differentia ejusdem generis, scilicet, ad originem pertinentes : et ut unus eorum sit ab alio.*

§ XIII.

Alia objectio contra eamdem posteriorem solutionem ultimi fundamenti Scoti.

Secundo contra eamdem posteriorem solutionem ad ultimum fundamentum Scoti, quam num. 128 adduximus, videtur urgere, quod secunda ejus pars, nimirum, per Filiationem, ut radicaliter continentem spirationem activam, non distingui Filium ab Spritu Sancto distinctione reali formaliter tali, sed solum distinctione reali radicali, videtur falsa. Quoniam quævis oppositio realis relativa, inter aliqua est satis ad distinctionem realem formaliter talem inter illa : sed Filiatio, ut radicaliter continens spirationem activam Spiritus Sancti, opponitur oppositione relativa reali et radicali cum eodem Spiritu Sancto : ergo per illam sic sumptam distinguetur Filius distinctione reali formaliter tali ab illo. Consequentia et minor sunt perspicuæ. Major autem videtur esse certa. Quia illa, quæ 145. Alia objectio contra eamdem solutionem.

quovis modo opponuntur realiter relative, non possunt esse idem per identitatem realem formaliter talem; ergo oportet, ut eo ipso distinguantur realiter per distinctionem realem, quæ sit formaliter talis : siquidem, ut ex terminis ipsis liquet eo modo aliqua debent distingui realiter, quo realiter non identificantur.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam repugnat, quod una persona habeat realiter aliquid, quod non habet alia realiter et quod non distinguatur distinctione reali formaliter tali ab illa : sed Filius, præcise ut constitutus in *esse* personali per Filiationem, ut radicaliter continentem spirationem, habet aliquid realiter, quod realiter non convenit Spiritui Sancto : ergo præcise per illam distinguetur distinctione reali formaliter tali ab eodem Spiritu Sancto.

146. Secundo. Confirmatur secundo. Quia vel per hoc, quod Filius solum distinctione reali radicali distinguatur per Filiationem modo dicto sumptam ab Spiritu Sancto, significatur, quod per illam non distinguitur realiter actualiter ab eo, sed solum esse in Filio debitum ad hoc, ut per relationem spirationis activæ realiter actualiter distinguatur; quamvis ante illam non sit actu distinctus ab eodem Spiritu Sancto? Vel significatur, distingui per eamdem Filiationem distinctione reali actuali ab ipso? Primum dici non potest : tum, quia (ut nuper dicebamus) oppositio relativa realis radicalis, quæ versatur inter Spiritum Sanctum et Filium, ut radicaliter spirativum, nequit dari cum identitate reali inter utrumque; sed necessario petit aliquam distinctionem realem actualem inter ipsos. Tum etiam quia Filius, ut radicaliter spirativus, habet ex hoc præciso capite esse talis conditionis, ut implicet, ipsum realiter identificari cum Spiritu Sancto : ea autem, quæ implicant identificari ex aliquo capite, ex eodem distinguuntur realiter actualiter. Si autem secundum dicatur, non est cur prædicta distinctio realis actualis, non sit formaliter talis : siquidem ea, quæ realiter actualiter distinguuntur, non est cur non distinguantur realiter per distinctionem realem formaliter talem.

Ultimo. Confirmatur tandem. Quoniam repugnat, unam personam distingui ab alia per distinctionem realem personalem formaliter talem et quod hæc distinctio non sit per aliquid pertinens ad conceptum personæ et constitutivum ipsius in ratione personæ : sicut repugnat, aliquid distingui essentialiter ab alio et non distingui per rationem aliquam essentialem : sed Filius distinguitur distinctione reali personali, ac formaliter tali ab Spiritu Sancto : ergo hæc distinctio debet esse per aliquid pertinens ad conceptum intrinsecum personæ, ut talis : ergo non proveniet a relatione spirationis activæ, quippe non pertinente ad constitutivum personæ Filii, sed supponente ipsum in ratione personæ jam constitutum ; sed a Filiatione, ut radicaliter continente prædictam spirationem, utpote a qua sic sumptam constituitur persona Filii adæquate in esse personæ.

Respondetur, negando majorem. Et ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Nec obest probatio illius immediate subsumpta. Nam illa propositio : *Eo modo distinctionis realis distinguuntur aliqua, quo non identificantur realiter*, vera est quoad modum distinctionis, sive realis ex natura rei, sive realis sicut rei a re: non vero quoad modum distinctionis radicalis, sive formaliter talis, ita ut non identificatio formaliter talis debeat provenire præcise a distinctione reali formaliter tali, siquidem ad tollendam quamvis identitatem etiam formaliter talem satis est distinctio realis, sive illa sit distinctio formaliter talis, sive tantum radicalis. 147. Occurritur objectioni.

Potestque hoc explicari exemplo actuum amoris Dei et odii proximi. Nam sicut actus odii destruitur, tam per actum amoris proximi, quam per actum amoris Dei virtualiter continentem amorem proximi : et ideo ex eo, quod destruatur prædictum odium formaliter tale, non sequitur destruendum esse determinate per amorem proximi formaliter talem ; sed sufficit destrui per amorem Dei, qui virtualiter est amor proximi : ac proinde non eo modo, quo perit odium, ponitur ejus oppositum : siquidem perit odium secundum *esse* formale et ponitur amor proximi non formaliter, sed virtualiter talis. Ita ad tollendam identificationem realem inter duo formaliter talia, satis est distinctio et oppositio realis relativa, de qua loquimur ; sive illa sit formaliter, sive radicaliter talis, quia quævis ex illis est incompossibilis cum identitate reali formaliter tali. Et propterea, ex eo quod tollatur identificatio realis formaliter talis inter aliqua, non sequitur, ponendam esse ex vi hujus distinctionem realem formaliter talem inter illa, ita ut quævis distinctio realis inter ipsa debeat esse formaliter talis. Explicatur exempl.

Ad

148. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod ex hoc, quod una persona habeat aliquid reale quod non habet altera, solum sequitur, distinguendas esse realiter juxta oppositionem, quam illud reale quod est in una persona et deest alteri, habet cum illa persona, in qua non est. Quare, cum illud reale Filiationis, quod est in Filio et deest Spiritui Sancto, tantum dicat oppositionem relativum radicalem cum Spiritu Sancto; et si hæc non obesset, Filiatio non deesset Spiritui Sancto, sed cum illo identificaretur : hinc est, ut ex eo, quod Spiritui Sancto desit Filiatio, non colligatur, Filium et Spiritum Sanctum per illam, ut radicaliter continentem spirationem, distinguendos esse distinctione reali formaliter tali; sed solum distinctione reali radicali : quia ad distinctionem realem formaliter, et non solum radicaliter talem, desideratur, quod proveniat ex aliquo dicente oppositionem realem formaliter talem cum re, a qua sic distinguitur.

149. Ad secundam. Ad secundam confirmationem eligenda est secunda pars illius dilemmatis : quia revera distinctio realis radicalis, de qua loquimur et orta ex oppositione relativa reali radicali, est distinctio realis actualis. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod in distinctione reali duo sunt consideranda, nempe, negatio, quam unum extremum dicit identitatis cum altero et positivum inferens hanc negationem. Ex quibus hoc posterius, nempe positivum, est a quo (saltem potissime) sumitur ratio et denominatio distinctionis formalis, vel radicalis. Nam si tale positivum dicat oppositionem aliquam realem formaliter talem cum altero extremo et sufficientem ad distinctionem realem, tunc talis distinctio erit realis et formaliter talis. Si autem prædictum positivum non dixerit hanc oppositionem realem formaliter talem, sed solum radicalem, tunc licet illa distinctio propter realem oppositionem possit esse realis, attamen quia oppositio illa tantum est radicalis, propterea distinctio debet etiam esse radicalis. Sicut etiam hoc, quod est, oppositionem aliquam esse contrariam, aut relativam, sumitur ex positivo extremorum, saltem tanquam a ratione potissima.

150. Ad tertiam. Ad tertiam confirmationem distinguenda est major : *Et quod hæc distinctio non sit per aliquid pertinens ad conceptum personæ et constitutivum ipsius in ratione personæ*, si consideretur in ratione distinctæ, concedenda est. Si consideretur præcise secundum se, prout præit se ipsam, ut distinctam realiter a quovis alio, neganda est in personis relativis et ut realiter relative sic distinctis, propter rationes in hoc dubio adductas. Itaque persona relativa Filii potest considerari, vel ut constituta in suo *esse* personali ; vel ut distincta in illo per distinctionem realem a persona Spiritus Sancti. Et secundum priorem considerationem non pertinet ad conceptum ejus, neque ad suum constitutivum id per quod distinguitur distinctione reali formaliter tali ab Spiritu Sancto : secus tamen si accipiatur secundum posteriorem considerationem, nempe, in ratione personæ distinctæ personaliter ab eodem Spiritu Sancto : sic enim ad ejus conceptum pertinet, id per quod sic distinguitur.

Unde reddere (ut bene notarunt Cajetanus et Nazarius in præsenti) personam distinctam per distinctionem realem personalem formaliter talem, potest provenire, vel ex eo quod id, quod reddit personam distinctam, constituat etiam simul personam, ut in Filiatione distinguente sic Filium a Patre contingit, vel ex eo quod, licet non constituat personam, reddit tamen illam distinctam per prædictam distinctionem, ut in spiratione contingit, quæ reddit personam Filii distinctam per modum personæ ab Spiritu Sancto per distinctionem realem formaliter talem, non tamen constituit ipsam personam. Sicut hoc, quod est, parietem fieri album potest contingere, vel ex eo quod fiat paries et fiat in *esse* albi, vel ex eo quod supponatur in *esse* parietis et fiat in *esse* albi, quia nimirum albedo unitur cum illo et tribuit ei suum effectum formalem. Neque id, quod de differentiis essentialibus ibidem adducitur, aliquid contra nos convincit. Quoniam differentiæ essentiales, ut distinctæ a personalibus, dicunt necessario aliquid absolutum in divinis. Et propterea eædemmet debent esse constitutivæ et distinctivæ per distinctionem formaliter talem a quovis alio, a quo *esse* absolutum in divinis repertum habet realiter distingui. Cajetan. Nazar.

ARTICULUS III.

Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Spiritus Sanctus non procedat a Patre per Filium. Quod enim procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediate. Si igitur Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, non procedit a Patre immediate. Quod videtur inconveniens. 1 dist. 12 art. 3 et opusc. 2 cap. 41 et opusc. 9 cap. 27.

2. Præterea, si Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, non procedit a Filio, nisi propter Patrem. Sed propter quod unumquodque, et illud magis. Ergo magis procedit a Patre, quam a Filio.

3. Præterea, Filius habet esse per generationem. Si igitur Spiritus Sanctus est a Patre per Filium, sequitur, quod prius generetur Filius, et postea procedat Spiritus Sanctus. Et sic processio Spiritus Sancti non est æterna : quod est hæreticum.

4. Præterea, cum aliquis dicitur per aliquem operari, potest e converso dici. Sicut enim dicimus, quod Rex operatur per Ballivum : ita potest dici, quod Ballivus operatur per Regem. Sed nullo modo dicimus, quod Filius spiret Spiritum Sanctum per Patrem. Ergo nullo modo potest dici, quod Pater spiret Spiritum Sanctum per Filium.

* Lib. 12 de Trin. in fine libri.

Sed contra est, quod Hilarius * dicit in lib. de Trinit. : Conserva hanc, oro, fidei meæ religionem, ut semper obtineam Patrem, scilicet te, et Filium tuum una tecum adorem, et Spiritum Sanctum tuum, qui est per unigenitum tuum, promereat.

Respondeo dicendum, quod in omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio, per, designat in causali aliquam causam, seu principium illius actus. Sed cum actio sit media inter faciens et factum, quandoque illud causale, cui adjungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod exit ab agente, et tunc est causa agenti, quod agat; sive sit causa finalis, sive formalis, sive effectiva, sive motiva. Finalis quidem, ut si dicamus, quod artifex operatur per cupiditatem lucri : formalis vero, ut si dicamus, quod operatur per artem suam : motiva vero, si dicamus, quod operatur per imperium alterius. Quandoque vero dictio causalis, cui adjungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod determinatur ad factum : ut cum dicimus, artifex operatur per martellum : non enim significatur, quod martellus sit causa artifici, quod agat; sed quod sit causa artificiato, ut ab artifice procedat, et hoc ipsum habeat ab artifice. Et hoc est, quod quidam dicunt, quod hæc præpositio, per, quandoque notat authoritatem in recto, ut cum dicitur, Rex operatur per Ballivum. Quandoque autem in obliquo, ut cum dicitur, Ballivus operatur per Regem. Quia igitur Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est.

Ad primum ergo dicendum, quod in qualibet actione est duo considerare, scilicet suppositum agens, et virtutem, qua agit : sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre et Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquod medium : quia hæc virtus est una et eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes, sic, cum Spiritus Sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus Sanctus immediate a Patre procedere, in quantum est ab eo; et mediate, in quantum est a Filio : et sic dicitur procedere a Patre per Filium. Sicut etiam Abel processit immediate ab Adam, in quantum Adam fuit pater ejus; et mediate, in quantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam. Licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quod si Filius acciperet a Patre aliam virtutem numero ad spirandum Spiritum Sanctum, sequeretur, quod esset sicut causa secunda, et instrumentalis : et sic magis procederet a Patre, quam a Filio. Sed una et eadem numero virtus spirativa est in Patre et Filio : et ideo æqualiter procedit ab utroque. Licet aliquando dicatur principaliter, vel proprie procedere de Patre propter hoc, quod Filius habet hanc virtutem a Patre.

Ad tertium dicendum, quod sicut generatio Filii est coæterna generanti (unde non prius fuit Pater, quam gigneret Filium) ita processio Spiritus Sancti est coæterna suo principio. Unde non fuit prius Filius genitus, quam Spiritus Sanctus procederet; sed utrumque æternum est.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis dicitur per aliquid operari, non semper recipitur conversio. Non enim dicimus, quod martellus operetur per fabrum. Dicimus autem, quod Ballivus operatur per Regem : quia Ballivi est agere, cum sit Dominus sui actus; martelli autem non est agere, sed solum agi : unde non designatur, nisi ut instrumentum. Dicitur autem Ballivus operari per Regem; quamvis hæc præpositio, per, denotet medium : quia quanto suppositum est prius in agendo, tanto virtus ejus est immediatior effectui, quia virtus causæ primæ conjungit causam secundam suo effectui : unde et prima principia dicuntur immediata in demonstrativis scientiis. Sic igitur, in quantum Ballivus est medius secundum ordinem suppositorum agentium, dicitur Rex operari per Ballivum : secundum ordinem vero virtutum, dicitur Ballivus operari per Regem : quia virtus Regis facit, quod actio Ballivi consequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter Patrem et Filium quantum ad virtutem, sed solum quantum ad supposita : et ideo dicitur quod Pater spirat per Filium, et non e converso.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS IV.

Utrum Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti?

1 dist. art. 2 4 et contr cap. [...] fin. e[t] op. 1 11 fin. opusc. cap. et Jo[an.] 8 lect et l. lectio

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Pater et Filius non sint unum principium Spiritus Sancti. Quia Spiritus Sanctus non videtur a Patre, et Filio procedere, in quantum sunt unum, neque in natura, quia Spiritus Sanctus sic etiam procederet a se ipso, qui est unum cum eis in natura. Neque etiam inquantum sunt unum in aliqua proprietate, quia una proprietas non potest esse duorum suppositorum, ut videtur. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt plures. Non ergo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

2. Præterea, cum dicitur, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non potest ibi designari unitas personalis : quia sic Pater et Filius essent una persona. Neque etiam unitas proprietatis, quia si propter unam proprietatem Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, pari ratione propter duas proprietates Pater videtur esse duo principia Filii et Spiritus Sancti : quod est inconveniens. Non ergo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

3. Præterea, Filius non magis convenit cum Patre, quam Spiritus Sanctus. Sed Spiritus Sanctus, et Pater non sunt unum principium respectu alicujus divinæ personæ. Ergo neque Pater et Filius.

4. Præterea, si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti aut unum, quod est Pater, aut unum quod non est Pater? Sed neutrum est dare. Quia si unum, quod est Pater, sequitur, quod Filius sit Pater. Si unum, quod non est Pater, sequitur, quod Pater non est Pater. Non ergo dicendum est, quod Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

5. Præterea, si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, videtur e converso dicendum, quod unum principium Spiritus Sancti sit Pater et Filius. Sed videtur esse falsa. Quia hoc, quod dico principium, oportet, quod supponat, vel pro persona Patris, vel pro persona Filii : et utroque modo est falsa. Ergo etiam hæc est falsa, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

6. Præterea, unum in substantia facit idem. Si igitur Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, sequitur, quod sint idem principium. Sed hoc a multis negatur. Ergo non est concedendum, quod Pater, et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

7. Præterea, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, quia sunt unum principium creaturæ, dicuntur esse unus creator. Sed Pater et Filius non sunt unus spirator, sed duo spiratores, ut a multis dicitur : quod etiam consonat dictis Hilarii, qui dicit in primo * de Trinitate, quod Spiritus Sanctus a Patre, et Filio authoribus confitendus est. Ergo Pater et Filius non sunt unum principium Spiritus Sancti.

* Li[b.] de T[rin.] no[n] rem[ote] a fi[ne] libr[i].

Sed contra est, quod Augustinus dicit in 5 *. de Trinitate, quod Pater et Filius non sunt duo principia, sed unum principium Spiritus Sancti.

* Lib. [5] de T[rin.] cap. [14] in f[ine] tom. [...]

Respondeo dicendum, quod Pater, et Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc, quod est, esse principium Spiritus Sancti, non opponantur relative, sequitur quod Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Quidam tamen dicunt, hanc esse impropriam, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Quia cum hoc nomen principium singulariter acceptum non significet personam, sed proprietatem, dicunt quod sumitur adjective. Et quia adjectivum non determinatur per adjectivum, non potest convenienter dici, quod Pater, et Filius sint unum principium

principium Spiritus Sancti, nisi unum intelligatur quasi adverbialiter positum, ut sit sensus, sunt unum principium, idest, uno modo. Sed simili ratione posset dici Pater duo principia Filii, et Spiritus Sancti, idest, duobus modis. Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen principium significet proprietatem : tamen significat eam per modum substantiæ, sicut hoc nomen pater, et filius etiam in rebus creatis : unde numerum accipit a forma significata, et alia substantiva. Sicut igitur Pater et Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, ita sunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium.

Ad primum ergo dicendum, quod si attendatur virtus spirativa, Spiritus Sanctus procedit a Patre, et Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, ut infra * dicetur. Neque est inconveniens, unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est una natura. Si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus Sanctus procedit a Patre, et Filio, ut sunt plures, procedit enim ab eis, ut amor unitivus duorum.

* In solutione ad 7 arg. hujus articuli.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, designatur una proprietas, quæ est forma significata per nomen. Non tamen sequitur, quod propter plures proprietates possit dici Pater plura principia : quia implicaretur pluralitas suppositorum.

Ad tertium dicendum, quod secundum relativas proprietates non attenditur in divinis similitudo, vel dissimilitudo secundum essentiam. Unde, sicut Pater non est similior sibi, quam Filio : ita nec Filius similior Patri, quam Spiritus Sanctus.

Ad quartum dicendum, quod hæc duo, scilicet, Pater, et Filius, sunt unum principium, quod est Pater, aut unum principium, quod non est Pater, non sunt contradictorie opposita : unde non est necesse alterum eorum dare. Cum enim dicimus, Pater, et Filius sunt unum principium, non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul. Unde in processu est fallacia figuræ dictionis a confusa suppositione ad determinatam.

Ad quintum dicendum, quod hæc etiam est vera, unum principium Spiritus Sancti est Pater, et Filius : quia hoc, quod dico principium, non supponit pro una persona tantum, sed indistincte pro duabus, ut dictum * est.

* In solutione preced. argum.

Ad sextum dicendum, quod convenienter potest dici, quod Pater et Filius sunt idem principium, secundum quod ly, principium, supponit confuse, et indistincte pro duabus personis simul.

Ad septimum dicendum, quod quidam dicunt, quod Pater, et Filius, licet sint unum principium Spiritus Sancti, sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum, sicut etiam duo spirantes, quia actus referuntur ad supposita. Nec est eadem ratio de hoc nomine creator : quia Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt duæ personæ distinctæ (ut dictum * est), non autem creatura procedit a tribus personis, ut sunt personæ distinctæ, sed ut sunt unum in essentia. Sed videtur melius dicendum, quod quia spirans adjectivum est, spirator vero substantivum, possumus dicere, quod Pater, et Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum ; non autem duo spiratores propter unam spirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum secundum supposita ; substantiva vero a se ipsis, secundum formam significatam. Quod vero Hilarius dicit, quod Spiritus Sanctus est a Patre, et Filio authoribus, exponendum est, quod ponitur substantivum pro adjectivo.

* In solutione ad 1 arg. hujus articuli

Conclusio affirmat.

DISPUTATIO XV.

De Spiritu Sancto quoad modum procedendi a Patre et Filio.

Postquam explicuimus, Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, restat, ut modum quo ab illis habet procedere, declaremus : ut ita ex omni parte ejus processio patefiat. Et ideo ad hoc declarandum præsentem disputationem movemus.

DUBIUM I.

Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium ?

1. Animadversio pro luce tituli. D.Thom.

Pro tituli explicatione notandum est ex D. Thoma artic. 3 hujus quæstionis, quod ly *per* denotat aliquam causalitatem in accusativo casu, super quem cadit. Cæterum hæc causalitas quandoque est respectu actionis ; secundum quod exit ab agente : quatenus id, super quod cadit ly *per*, est causa agenti, ut agat : quo pacto agens dicitur agere per suam formam, quia dat illi in genere causæ formalis, quod agat. Quandoque vero illa causalitas est respectu actionis secundum quod determinatur ad factum : ut cum dicimus, quod artifex operatur per martellum : non enim tunc ly *per* denotat, quod martellus sit causa actionis, secundum quod exit ab artifice, seu quod sit causa artifici, quod agat ; sed solum quod sit causa actionis, prout determinatur ad artificiatum, idest, quod sit causa artificiato, ut ab artifice procedat, et hoc ipsum prædictus martellus habeat ab artifice. In præsenti ergo non inquirimus, an Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, ly *per* denotante causam, aut quasi causam actionis, prout exit ab agente : siquidem certum est, Patrem non habere a Filio virtutem spirandi, aut ipsam spirationem, prout ab eo exit. Sed tantum sciscitamur una cum D. Thoma art. citato, an Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, ly *per* significante causalitatem, aut quasi causalitatem posteriori modo, idest, quod sit quasi causa Spiritui Sancto, ut a Patre procedat, et hoc ipsum habeat Filius ab eodem Patre. D.Thom.

§ I.

Decisio dubii ex mente Angelici Doctoris.

2. Conclusio. D.Thom.

Dicendum ergo est, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. Ita D. Thomas in præsenti, et in 1 dist. 12 art. 3 et Opusculo 1 cap. 41, nec non Opusculo 9 quæst. 27 quem communiter tuentur ejus discipuli, et omnes, vel fere omnes Theologi. Ratio autem hujus assertionis adducitur ab eodem Angelico Doctore art. 3 Ratio.

præsentis quæstionis, potestque ad hanc formam reduci. Nam Filius habet a Patre virtutem spirativam, et quod actu spiret Spiritum Sanctum : ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium. Antecedens patet. Quoniam quidquid est in Filio, debet habere illud communicatum a Patre.

Consequentia vero etiam liquet. Quoniam id, quod producit aliquem terminum per virtutem, et operationem datam, et communicatam ab alio, est causa, aut quasi causa, ratione cujus prædictus terminus actu procedit ab eo, qui talem virtutem, et operationem tribuit : et propterea martellus attingens artificiatum per virtutem, et operationem communicatam ei ab artifice, est causa, ut artificiatum procedat ab eodem artifice : et similiter causa secunda producens aliquem effectum per virtutem, et actionem communicatam ei a causa prima, est causa, ut prædictus effectus procedat a Deo tribuenti illam virtutem et actionem. Ergo hoc ipso quod Filius producat Spiritum Sanctum per virtutem spirativam, et spirationem communicatam ei a Patre, erit quasi causa Spiritui Sancto, ut procedat a Patre : ac proinde Spiritus Sanctus per eumdem Filium procedet a Patre : siquidem, ut in explicatione tituli dicebamus, per hoc, quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, nihil aliud quoad præsens significare volumus.

§ II.

Aliquæ objectiones contra assertionem, et responsio ad illas.

3. Prior objectio. Sed objicies primo, quod si Spiritus Sanctus procederet a Patre per Filium, tunc esset aliquis ordo originis inter Patrem et Filium in actu spirandi : hoc autem videtur inconveniens : ergo etc. Sequela videtur perspicua. Quia in his quæ habet Filius a Patre, est ordo originis inter utrumque : at tota ratio, propter quam in ratione D. Thomæ diximus, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, est, quia habet a Patre, quod spiret Spiritum Sanctum : ergo eo ipso, quod ratione hujus dicatur, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, oportet, ut ibidem includatur, quod sit ordo originis inter utrumque in actu spirandi. Minor autem probatur a Vasquez in annotationibus ad articulum 3 hujus quæstionis. (Vasquez.) Quoniam inter illa, inter quæ est ordo originis, est etiam prioritas naturæ : at licet inter Patrem, et Filium sit prioritas naturæ quoad virtutem spirativam, quia illam prius habet Pater, et deinde Filius : non tamen quoad actum spirandi ; sed hoc ipso, quod a Patre communicetur Filio virtus spirativa, statim simul uterque spirat.

Respondetur concedendo sequelam. Nam, ut sæpe diximus, nihil habet Filius, quod non habeat a Patre : siquidem communicat illi divinam naturam, et quidquid ad eam quoquomodo pertinet. Constat autem, ordinem originis in divinis tantum attendi penes hæc duo, nempe : *a quo alius*, et *qui ab alio* : Et ita si Filius a Patre habet actum spirandi, non potest non esse inter illos ordo originis in prædicto actu, ut est in Filio : quatenus per hoc significatur, quod Filius habet a Patre hunc actum. 4. Solvitur.

Potestque magis declarari, et confirmari, quomodo sit iste ordo originis inter Patrem, et Filium quoad prædictum actum : ex eo quod in divinis non distinguuntur, adhuc virtualiter, virtus spirativa ab ipso actu spirandi, quia pertinent ad eamdem lineam : ac proinde virtus illa debet esse actus purissimus, ipsaque actualis spiratio, ut constat ex illis, quæ in hoc tractatu disput. 1 num. 79 in 1 tomo tract. 4 disp. 2 num. 34 diximus. Ergo hoc ipso, quod a Patre communicetur Filio virtus spirativa, sitque ordo originis inter eos (modo insinuato) in prædicta virtute, oportet, ut communicetur ipsi, ab eodem Patre actus spirandi, adsitque eodem modo inter utrumque ordo originis in illo : siquidem linea virtutis spirativæ non debet communicari Filio truncata, sed integra et omnino perfecta.

Unde neganda est minor hujus objectionis. Et ad probationem, qua convincitur Vasquez ad negandum ordinem originis inter Patrem et Filium in actu spirandi, dicendum est, quod juxta Angelicum Præceptorum infra quæst. 42 art. 3 ad prioritatem naturæ semotam ab imperfectionibus satis est prædictus ordo, qui attenditur penes illa duo jam dicta, scilicet, *a quo alius, et qui ab alio*, quiquidem ordo reperitur inter Patrem et Filium quoad actum spirandi, ut explicatum est. D.Th.

Nec obest id, quod objicit Vasquez loco citato, nempe, quod spirate a se, aut spirate ab alio solum significat ordinem originis in habendo virtutem, non in spirando : Re[...] V[...] q[...]

rando : ex eo quod ipsa spiratio, quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem et spiratum : cum tamen ipsa spiratio simul sit ab utroque eadem virtute fœcundo.

Responsio. Respondetur enim, quod licet ordo originis per se primo competat personis : siquidem persona est, quæ per se primo procedit ab alia et istud significatur per hoc, quod una persona habeat ordinem originis ab alteram : nihilominus, quia una persona procedit ab alia secundum omnia quæ in ea reperiuntur, propterea, non solum persona secundum se, v. g Filius est a persona, nempe a Patre, sed etiam hoc, quod est, Filium esse Deum, sapientem, volentem et spirantem etc. est a Patre acceptum. Unde, sicut non est ordo inter sapientiam Patris et sapientiam Filii secundum se, quia est eadem utriusque sapientia : et tamen est ordo inter Patrem et Filium in habere sapientiam, quia Pater a se, Filius autem a Patre eam habet : ita in ipso actu spirandi secundum se sumpto non est ordo originis inter actum spirandi Patris et Filii : est tamen ordo originis inter Patrem et Filium in hoc, quod est habere illum : ex eo quod Pater habet illum a se et Filius non nisi a Patre.

6. Secunda objectio. Secundo objicies, quod si Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, tunc Pater non produceret immediate Spiritum Sanctum et Filius non attingeret æque principaliter productionem ejusdem Spiritus Sancti, ac Pater : at hoc dici nequit, ut communiter docent Theologi : ergo, etc. Sequela quoad primam partem videtur perspicua. Nam id, quod producit aliquid per alium, producit illud per eum, tanquam per medium : quod autem producit per alium, tanquam per medium, non producit immediate, sed mediante prædicto medio: ergo, etc. Unde propter hoc dixit Damasc. Damascenus lib. 1 de Fide capite 18, Spiritum Sanctum per Filium Patri conjungi ; si autem immediate illum produceret, sicut Filius, tunc Spiritus Sanctus per se ipsum et non per Filium Patri conjungeretur.

Quoad secundam vero partem eadem sequela probatur. Quoniam id, quod tribuit alicui virtutem operandi et operationem ipsam, principalius attingit terminum productum, quam illud, quod per talem virtutem et operationem acceptam operatur, ut patet in causa prima et secunda : ex quibus prima principalius attingit effectum causæ secundæ : quia causa secunda non producit illum, nisi per virtutem et operationem communicatam ei a causa prima : ex eo quod causa prima facit, ut secunda faciat et attingat prædictum effectum.

Respondetur, negando sequelam quoad utramque partem. Et ad probationem primæ partis dicendum est. Patrem quodammodo mediate et simul immediate producere Spiritum Sanctum. Mediate quidem quodammodo : quoniam Filius habet a Patre virtutem spirandi, necnon et spirationem ipsam. Immediate autem : quoniam Filius spirans non spirat per virtutem, aut actum spirandi distinctum ab eo, qui est in Patre, sed per eumdem prorsus. Et ita Pater non potest non spirare Spiritum Sanctum immediate immediatione virtutis et simul etiam immediatione suppositi. Sicut quia eademmet virtus creativa est in Patre et Filio, propterea uterque creat immediatione virtutis et suppositi. Enodatur.

7. D.Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma, tum in hoc articulo in solutione ad 1, tum etiam in 1 ad Annibaldum distinctione 12 art. 3 his verbis : *Dicendum, quod Pater et Filius sunt spiratores Spiritus Sancti per virtutem spirativam, quæ est in utroque. Cum ergo processio Spiritus Sancti comparetur ad virtutem spirativam, immediate ab utroque procedit. Si autem comparetur ad Patrem et Filium, ut sunt spirantes, sic a Patre procedit Spiritus Sanctus quodammodo mediate et quodammodo immediate. Mediate quidem, quantum ad hoc, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio : hoc enim Filius habet a Patre. Immediate autem, in quantum Pater et Filius simul spirant Spiritum Sanctum. Sicut Seth fuit ab Adam et mediate et immediate. Mediate quidem, in quantum Seth fuit ab Eva, quæ fuit ab Adam. Immediate vero, in quantum Eva et Adam simul genuerunt Seth.* Per quod etiam ad id quod ex Damasceno adduximus, satis constat.

Ad probationem vero pro secunda parte ejusdem sequelæ patet ex modo dictis. Quoniam probatio illa convincit intentum, quoties virtus et operatio accepta et communicata ab aliquo est distincta a virtute et operatione ejus, qui talem virtutem, talemque operationem communicat; secus vero, quando uterque per eamdem prorsus virtutem et operationem influunt, et solum est discrimen in hoc, quod unus habet illam a se, alius vero eamdemmet, communicatam tamen ab altero, ut in præsenti contingit. Sicut etiam propter hanc ratio-

nem Spiritus Sanctus non dicitur magis procedere a Patre, quam a Filio, licet pater det Filio, quod ab eo procedat idem Spiritus Sanctus, non tamen e contra. Et propterea Angelicus Præceptor loco nuper citato ad Annibaldum art. 2 hoc ipsum explicans sic inquit : *Quamvis virtutem spirativam Filius habeat a Patre : quia tamen illa una et eadem est in Patre et Filio tota, non magis procedit Spiritus Sanctus a Patre, quam a Filio, nec plenius : sicut Filius non est minus Deus, quam Pater a quo accipit Deitatem, quia unam et æqualem accipit.*

D.Thom.

8. Replica. Nec obest, si urgeas, quod Patri tribuitur authoritas in spirando; secus tamen Filio : ergo Pater eam habet aliquomodo magis principaliter. Consequentia probatur. Quoniam authoritas in spirando aliquam videtur præ se ferre principalitatem quoad prædictum munus spirandi. Antecedens autem admittitur a D. Thoma de Potentia quæst. 10 art. 3 ad 9 et a Glossa supra illud ad Romanos 5 : *Charitas Dei diffusa est etc.* Ubi sic inquit : *In Patre in quantum manet authoritas, in Filio nativitas, in Spiritu Sancto communitas.*

D.Thom. Glossa.

Evanescit. D.Thom. Respondetur enim ex eodem Angelico Præceptore loco relato ad Annibaldum art. 4 his verbis : *Dicendum, quod nomen authoritas apud nos designat primam originem. Ille enim dicitur author alicujus sermonis, qui primo illum invenit. De ratione autem originis duo sunt. Quorum unum est, ut ab ea sit aliquid. Aliud est, ut non sit ab aliquo. Quoniam ergo in divinis personis non sint prius et posterius : tamen secundum prædicta duo nomen authoritatis ibi conceditur. A Patre namque Filius et Spiritus Sanctus habent, quidquid sunt, vel possunt, vel operantur : ipse vero Pater a nullo aliquid habet. Sic ergo in spirando Spiritum Sanctum Patri attribuitur authoritas : quia Filius habet a Patre, quod spiret : Pater autem a nullo.* Ubi, ut vides, authoritas non tribuitur Patri, ex eo quod principalius, aut magis influat respectu Spiritus Sancti; sed ex eo quod spirat a se, Filius autem non nisi ab illo habet spirare.

DUBIUM II.

Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti?

Merito dubium hoc post præcedens excitamus : quia ex illis, quæ in illo diximus, decisio istius colligitur.

§ UNICUS.

Juxta mentem Angelici Præceptoris dubium resolvitur.

Dicendum ergo est, Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti. Assertio hæc habetur in Concilio Florentino Sessione ultima in literis sanctæ unionis, ubi sic dicitur : *Spiritus Sanctus suum esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.* Et Concilium Lugdunense relatum in cap. unico *De summa Trinitate*, lib. 6, eadem fere verba habet : *Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit.* 9. Conclusio Concilium Florentinum. Concilium Lugdunense.

Nec obest, si occurras, in his testimoniis consulto non fuisse absolute dictum, quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti; sed quod Spiritus Sanctus procedit ab illis, tanquam ab uno principio. Quia illud adverbium *tanquam* dicit conditionem diminuentuem rationem unitatis principii et denotat, non proprie, sed cum aliqua improprietate sumendam esse propositionem, cui adjungitur. Quæ responsio innuitur a Durando in 1 dist. 29, quæst. 2, et a Gregorio dist. 12 quæst. 1, et ita dicunt, in rigore Patrem et Filium non esse unicum principium Spiritus Sancti, sed potius duo; licet propter periculum aliter Patres loquantur, ad declarandam unitatem virtutis spirativæ spirationis, et termini spirati. Durandus. Gregorius.

Non itaque hoc obest. Quoniam illa particula *tanquam* non adducitur a Conciliis, ut particula diminuens rationem unitatis principii : sed potius ut explicaretur, quomodo vere et proprie Pater et Filius essent unicum principium Spiritus Sancti. Sicut cum Joannis 1 dicitur : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*, non ponitur illa particula *quasi*, ut diminuens; sed potius ut per eam significetur, Christum Dominum esse vere et proprie Filium naturalem et unigenitum Patris. Quia juxta phrasim Scripturæ, his et similibus particulis solet significari, quod id, cui adjungitur, habet veram et propriam rationem talis. Joannis.

Potestque hoc ipsum magis declarari ex eo, quod in Concilio Florentino ideo diffinitum fuit, Spiritum Sanctum esse a Patre

Patre et Filio, tanquam ab uno principio, quia Græci falso existimabant, nos asserere, esse plura principia, aut quod multis spirationibus procederet Spiritus Sanctus a Patre et Filio : ergo illa particula *tanquam* posita est, non ad diminutionem unitatis significandam, sed ad hanc veritatem explicandam : alioqui non quiesceret animus Græcorum, ut revera quievit, si nos assereremus, non simpliciter et secundum proprietatem sermonis Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti. Unde assertionem nostram communiter tuentur Patres et Scholastici, de qua specialiter videndus est D. Hilarius lib. 4 de Trinitate et D. Augustinus lib. 5 de Trinitate cap. 14 necnon Angelicus Præceptor in 1 dist. 11 quæst. 1 art. 2 et 4.

Hilarius. August. D. Thom.

Prior ratio.

Cujus assertionis duplex, eaque satis fundamentalis ratio adducitur ab Angelico Præceptore art. 4 hujus quæstionis, et earum prima potest ad hanc formam reduci. Quoniam in divinis omnia sunt unum in quibus non obviat relationis oppositio : sed Pater et Filius in hoc, quod est, esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur, sed potius uterque est principium illius, ut constat ex illis, quæ disputatione præcedenti late diximus : ergo sunt unum in ratione principii Spiritus Sancti. Sicut propter hanc eamdem rationem, quia in hoc, quod est, unumquemque ex illis esse Deum, non opponuntur, idcirco sunt unus Deus.

11. Posterior ratio.

Secunda vero ratio ejusdem S. Doctoris potest sub hac forma proponi. Quoniam ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio formæ et suppositi, sive habentis illam ; et non sufficit multiplicatio suppositi, sive habentis prædictam formam. Et propterea (ut nuper dicebamus) Pater et Filius sunt unus Deus : quia licet sint plures personæ, est tamen una numero Deitas in illis et nomen *Deus* est nomen substantivum. Sed *principium Spiritus Sancti* est nomen substantivum, ideoque significat per modum substantiæ : ergo cum forma per illud significata, nempe virtus spirativa, sit unica in Patre et Filio, oportebit, ut Pater et Filius nec sint, nec sint dicendi plura principia Spiritus Sancti, sed habeant esse, et debeant dici absolute et simpliciter loquendo unum principium Spiritus Sancti.

Confirmantur hæ duæ rationes.

Possuntque hæc omnia confirmari. Quoniam si Pater et Filius non essent unum principium Spiritus Sancti, sed plura, tunc nullus eorum sigillatim influeret per modum principii totalis, sed solum per modum principii partialis respectu Spiritus Sancti : quia plura principia ejusdem ordinis (qualia sunt Pater et Filius) non influunt per modum principii totalis, sed partialis : ergo eo ipso unusquisque imperfecte et per virtutem imperfectam et insufficientem influeret. Quoniam quotiescumque duæ causæ, aut quasi causæ partiales et ejusdem ordinis influunt, toties habent influere imperfecte et per virtutem partialem et insufficientem.

Quæ confirmatio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum distinct. 29 quæst. unica artic. 4 his verbis : *Dicendum, quod quandocumque plures aliquid unum operantur ; oportet, quod operatio singulorum sit partialis respectu communis operationis, qua operatum efficitur, si singuli habeant distinctas operationes, sicut patet in trahentibus navem. Conatus enim uniuscujusque est pars totius actionis , quæ ex omnibus actionibus singularibus resultat. Non autem potest dici, quod Pater, et Filius partialiter sint principium Spiritus sancti : quia sic esset uterque insufficiens, et deficientis virtutis. Unde oportet, quod utriusque actus notionalis sit unus numero : et per consequens proprietas , quæ intelligitur illius actus notionalis principium, sit una numero in utroque.* D.Thom.

Nec obest, si objicias primo, quod Hilarius 2 de Trinitate inquit, Patrem, et Filium esse authores Spiritus sancti. Cumque idem sit ratio authoris, et ratio principii, videtur Hilarium admittere, Patrem, et Filium non esse unum, sed duo principia Spiritus sancti. 12. Prior objectio. Hilarius.

Respondetur enim ex D. Thoma in præsenti, Hilarium sumpsisse substantivum pro adjectivo. Unde sensus est, Patrem, et Filium esse spirantes, seu producentes Spiritum sanctum. Qui sensus verissimus est propter pluralitatem suppositorum : quia spirans sumitur adjective, ut D. Thomas loco citato explicuit. Diluitur. D.Thom.

Nec etiam obest, si secundo objicias, quod Basilius epistola 37 ad Gregorium Nyssenum inquit : *Filium nullam prorsus notionem communicare secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto.* Si autem Pater et Filius essent unum principium Spiritus sancti , tunc communicarent in aliqua notione, nempe in hoc, quod est, esse unum principium ejusdem Spiritus sancti. 13. Secunda objectio. Basilius.

Enodatio. Respondetur enim, quod licet esse unum principium Spiritus sancti sit aliquid notionale, utpote non commune omnibus tribus personis, sed tantum duabus : non tamen hoc, quod est, esse sic principium, est ex notionibus convenientibus personis secundum proprietates personales, de quibus loquitur Basilius, ut constat ex illis verbis : *secundum proprietatem suam*. Unde potest esse communis Patri et Filio per identitatem.

Basil.

Tertia. Nec tandem refert, si objicias, quod cum dicitur, Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, non est pro quo supponat illud prædicatum, nempe : *unum principium* : ergo non habebunt rationem unius principii respectu Spiritus sancti, nec prædicta propositio erit vera. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia nec potest supponere pro uno principio, quod sit Pater, alioqui Filius esset Pater : nec pro uno principio, quod sit Filius, alias Pater esset Filius : nec tandem pro uno, quod sit simul Pater, et Filius, alioqui Pater v. g. non posset esse illud unum principium. Non itaque hoc refert. Quoniam ad hanc objectionem satis constabit ex illis, quæ dubio quinto in fine illius dicemus.

Solutio.

DUBIUM III.

Utrum hoc unicum principium Spiritus sancti quoad virtutem spirativam constituatur ex essentia et voluntate, necnon ex relatione spirationis activæ? an vero præcise ex prædicta essentia, et voluntate connotando relationes Paternitatis et Filiationis?

14. Ut magis, et melius cognoscatur quantitas unitatis hujus unici principii Spiritus sancti, et in quo quantum ad virtutem spirativam consistat, oportet explicare, an virtus spirativa prædicti principii constituatur ex essentia et voluntate divina, necnon ex relatione spirationis activæ, ita ut saltem in obliquo prædicta relatio ad ejus constitutionem requiratur ; an vero sufficiat essentia et voluntas divina, connotando, sive afferendo in obliquo relationes Paternitatis, et Filiationis, ita ut relationes istæ aliquomodo requirantur ad rationem virtutis spirativæ. Nam si ad rationem virtutis spirativæ solum desiderantur essentia, et voluntas divina, una cum relatione spirationis, saltem in obliquo importata, tunc tam ex parte recti, quam ex parte obliqui erit omnino unica virtus spirandi. Si autem prædicta relatio non ingreditur, modo dicto, ad constitutionem virtutis spirativæ, sed solæ relationes Paternitatis, et Filiationis ingrediuntur in obliquo ad talem constitutionem, tunc ex parte obliqui (in illo tamen præcise) erit aliqua pluralitas. Quia ex quo capite prædictæ relationes sunt plures, erit ibidem pluralitas : et ex quo capite quævis illarum est connotatum inadæquatum virtutis spirativæ, non tollit quominus prædicta virtus quoad rectum, quod affert, sit unica et eadem.

Consulto autem inquisivimus : *an virtus spirativa constituatur ex essentia et voluntate divina etc.* non vero an ex voluntate divina, et prædicta relatione. Quia loquimur de virtute spirativa, tam radicali quam proxima.

§ I.

Assertio prior ex Angelico Doctore desumpta.

Dicendum ergo est, hoc unicum principium Spiritus sancti, quoad virtutem spirativam, seu quoad principium *quo* spirandi, constitui ex essentia, et voluntate divina, necnon ex relatione spirationis activæ, saltem tanquam ex aliquo obliquo, et per modum connotati importato. Diximus, *saltem tanquam ex aliquo obliquo, etc.* Quia hic non discutimus, an in obliquo, an vero in recto prædicta relatio desideretur ; sed solum, an aliquo modo ad constitutionem virtutis spirativæ requiratur. Quoniam si semel ad ejus constitutionem utcumque petitur, non erit difficile deprehendere ex illis, quæ in hoc tractatu disput. 1 num. 67 diximus, an ad prædictam constitutionem in recto, vel in obliquo, et per modum connotati ingrediatur. 15. Prior assertio.

Assertio hæc est D. Thomæ in 1 distinct. 29 art. 3 ubi cum inquisisset : *Utrum eadem notione Pater, et Filius sint principium?* respondetur : *Dicendum, quod una numero notio est Patris, et Filii, secundum quod principium Spiritus sancti dicuntur.* Et quibusdam interpositis : *Cum igitur communis spiratio nominet specialem rationem principii secundum specialem modum originis, impossibile est, quod sit nisi una numero in Patre et Filio.* In quibus verbis, ut constat, satis denotat Angelicus Præceptor, Probatur ex D. Thom.

ceptor, spirationem activam, prout est notio, et relatio, esse rationem specialem principii, id est, specialiter constitutivam ejusdem principii, et secundum eam Patrem, et Filium dici principium Spiritus sancti : sicut asserimus. Paternitatem esse specialem rationem principii quod est Pater, id est, specialiter constitutivam illius, et secundum eam Patrem dici principium. Ac proinde, sicut propter hanc rationem Paternitas in abstracto, et ut non concipitur subsistens, desideratur ad rationem potentiæ generativæ, et aliquo modo illam in *esse* talis constituit : ita etiam relatio spirationis activæ in abstracto sumpta requiritur ad potentiam spirativam, ut aliquo modo constitutiva illius. Quibus etiam consonat S. Doctor in 1 ad Annibaldum distinctione citata artic. 4.

16. Idem etiam docuit Angelicus Præceptor in 1 distinct. 11 art. 2 et 3, ubi sic inquit : *Pater, et Filius spirant Spiritum sanctum, in quantum sunt unum in potentia spirativa. Potentia autem spirativa dicit aliquid quasi medium inter essentiam, et proprietatem eo quod dicit essentiam sub ratione proprietatis : sic enim actus notionalis ab essentia egreditur, non sicut ab agente, sed sicut ab eo, a quo agitur : generatio enim non egreditur ab essentia, in quantum est essentia, sed in quantum est Paternitas. Et si ista duo, scilicet essentia, et Paternitas, differrent in divinis, egrederetur ab utroque generatio : sed a Paternitate immediate; et ab essentia, sicut a primo principio. Similiter dico, quod spiratio egreditur ab essentia, non sicut a spirante, sed sicut a principio spirationis, in quantum habet rationem alicujus notionis quæ est communis Patri, et Filio, quæ dicitur communis spiratio. Et ita spirativa potentia dicit essentiam sub ratione talis. Et ideo dico, quod procedit Spiritus sanctus a Patre, et Filio, in quantum sunt unum in essentia, et in aliqua notione, scilicet in communi spiratione.*

In quibus verbis satis aperte docet Angelicus Præceptor, quod in Patre et Filio intelligitur notio communis, quæ dicitur communis spiratio, tanquam aliquid concurrens ad constitutionem potentiæ spirativæ una cum essentia, et voluntate divina : non secus, proportione tamen servata, ac in persona Patris intelligimus notionem, sive relationem Paternitatis, saltem secundum aliquam sui rationem sumptam, quæ una cum essentia specialiter, et modo alibi tacto, et infra etiam explicando, constituit potentiam generativam ipsius : alias vana esset comparatio inter Paternitatem, et spirationem, adducta in præsenti a D. Thoma, nec vere ac proprie diceretur spiratio egredi ab essentia, sicut a principio spirationis, in quantum habet rationem alicujus notionis.

Quod etiam docuit Angelicus Præceptor in eadem distinctione ad Annibaldum quæst. unica artic. 3 his verbis : *Respondeo, quod essentia tantum in Patre, et Filio non potest esse spirationis principium, nec solum proprietas relativa. Quia si essentia secundum rationem essentiæ esset principium actus notionalis, essentia distingueretur. Proprietas autem relativa esse non potest principium concreandi divinam naturam, ut dicit Anselmus. Dicendum ergo, quod essentia, quæ est in Patre, et Filio, ratione alicujus notionis, quæ communis est Patri, et Filio, quæ est idem re, quod essentia, et dicitur communis spiratio, est principium spirationis Spiritus sancti. Et hoc est, quod communius dicitur, quod spirant Spiritum sanctum, in quantum sunt unum in potentia spirativa, ut potentia referatur ad essentiam; hoc autem, quod dico, spirativa, ad notionem : potentia enim spirandi, sicut et potentia generandi, dicit essentiam, cum modo tamen existendi hoc, vel illo : et dicit essentiam principaliter in recto, relationem autem in obliquo, ut habetur supra distinctione 7.* 17.

Et in solutione ad 3 ejusdem articuli, ubi cum sibi sic objecisset : *Anselmus dicit, quod ridiculum est dicere, quod propter relationem tota essentia Patris, et Filii sit in Spiritu sancto, et non potius propter essentiam.* Sic respondet : *Ad tertium de Anselmo dicendum, quod non intendit dicere, quod relatione Pater, et Filius non spirent Spiritum sanctum; sed quod non solum, sed essentia sub ratione relationis.* Et ut explicaret, quænam esset hæc relatio, statim addidit in solutione ad alia argumenta, quæ pro contraria parte opposuit, hæc verba : *Ad ea, quæ in contrarium opponuntur, dicendum, quod ipsa unitas essentiæ non est tota causa spirationis, nisi in quantum ipsa est conjuncta cum notione communis spirationis. Hoc vero non est in tertia persona : et ideo non convenit ei actus spirationis.*

Idem etiam docuit sanctissimus Præceptor artic. 4 hujus quæstionis, ubi loquens de hoc unico principio Spiritus sancti, sic inquit : *Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen principium significet pro-* 18.

prietatem : tamen significat eam per modum substantivi : sicut hoc nomen pater, et filius etiam in rebus creatis. Unde numerum accipit a forma significata, sicut et alia substantiva. Sicut igitur Pater, et Filius sunt unus Deus, propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus : ita sunt unum principium Spiritus sancti, propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium. In quibus verbis satis aperte docet, quomodo una et eadem proprietas communis Patri, et Filio concurrat ad constituendum unicam formam, et virtutem, seu potentiam spirativam, quæ (ut constat) hoc ipso quod sit unica, non potest esse alia præter relationem communis spirationis.

Et in solutione ad primum ejusdem articuli inquit, virtutem seu potentiam spirativam dicere essentiam cum proprietate. Et ut explicaret id, quod petebat argumentum, scilicet, quomodo una proprietas possit esse in duobus suppositis, addidit : *Nec est inconveniens, unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est una natura.* Constat autem (ut modo dicebamus), unam proprietatem in duobus suppositis nullam esse aliam, nisi relationem spirationis : ac proinde prædicta relatio una cum essentia, et voluntate divina concurret ad constituendum unicum principium spirativum *quo*, seu unam potentiam spirativam radicalem, et proximam Spiritus sancti, ut in nostra assertione dicitur.

Nazar. Unde hanc sententiam tuentur Nazarius in præsenti, et probatiores discipuli D. Turrian. Thomæ, necnon Turrianus 1 part. quæst. Vasquez. 39 disputat. 34 dubio 2, Vasquez disputa- Granado. tione 149 cap. 4 in fine, Granado tomo 3 in 1 part. tractatu 10 disputat. 6, Ruyz de Montoja. Montoya 1 part. disput. 70 sectione 4, plures alios referens.

§ II.

Ratio fundamentalis pro assertione.

19. Ratio fundamentalis D.Thom. Ratio autem fundamentalis assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, necnon artic. 2 hujus quæstionis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam sicut principium spirativum *ut quod* opponitur, et distinguitur realiter a termino habente *esse* spiratum *ut quod* : ita etiam principium *quo* spirandi secundum id, quod adæquate dicit, debet opponi, et distingui realiter ab eodem termino habente *esse* spiratum *ut quod* : ergo prædictum principium spirativum debet, ultra essentiam, et voluntatem divinam, dicere relationem spirationis activæ, ut ita per eam maneat realiter distinctum a termino spirato *ut quod*. Antecedens videtur certum. Nam sicut principium *quod* influit realiter, et *ut quod* in terminum productum *ut quod* : ita etiam principium *quo* influit etiam realiter in prædictum terminum; licet non per modum principii *quod*, sed *quo* : ergo sicut principium *quod*, quia realiter influit, distinguitur realiter a prædicto termino : ita etiam principium *quo*, ut realiter influens, distinguetur realiter ab eodem termino, si tale principium secundum omnia, quæ ad ipsum desiderantur, sive in recto, sive in obliquo (quo pacto de illo loquimur) consideretur.

Consequentia vero ex antecedenti videtur aperte sequi. Quoniam essentia, et voluntas divina præcise sumptæ, et non ut conjunctæ cum relatione spirationis activæ, non distinguuntur realiter a termino spirato : ergo si prædictum principium spirativum *quo* debet realiter distingui a termino spirato *ut quod*, oportet, ut ultra essentiam, et voluntatem divinam dicat relationem spirationis activæ, ut ita per eam a termino spirato *ut quod* realiter distinguatur.

Nec obest, si occurras cum Suarez, et aliis loco num. 26 referendo, satis esse ad hoc, ut essentia, et voluntas divina constituantur in ratione potentiæ spirativæ, et sic constitutæ distinguantur realiter a termino spirato, quod connotent Paternitatem in Patre, et Filiationem in Filio : quia sicut hæ duæ personæ spirant *ut quod*, et per modum principii *quod*, distinguuntur realiter ab Spiritu sancto : ita essentia, et voluntas divina, ut connotant prædictas relationes, seu conjunctum illud, quod quasi coalescit ex essentia, et voluntate Dei in recto, et ex prædictis relationibus in obliquo, distinguitur realiter ab eodem termino spirato. 20. Evasio. Suarez.

Non igitur hoc obest. Quoniam Pater, et Filius, ut præcise dicunt Paternitatem, et Filiationem quoad id, quod formaliter exprimunt, non distinguuntur realiter ab Spiritu sancto, et ut radicaliter continent relationem spirationis activæ, non habent distingui ab eodem distinctione reali formaliter tali, sed solum realiter radicaliter, ut constat ex illis, quæ disput. 14 a num. 128 usque ad n. 131 diximus : ergo oportet, Infringitur.

tet, ut tam ipsi, quam potentia generativa, seu principium spirandi *ut quo* in eisdem residens importent relationem spirationis activæ, ad hoc ut illi in ratione principii *quod*, et potentia spirativa in ratione principii *quo* omnino proximi constituantur.

Patet consequentia. Quoniam sicut principium radicale *quod*, radicaliter præcontinens relationem spirationis activæ, debet distingui realiter radicaliter a termino spirato; et principium radicale *quo*, correspondens prædicto principio *quod*, debet eadem distinctione, nempe reali radicali, distingui ab eodem termino spirato : ita principium *quod* omnino proximum, et formale spirandi debet distinctione reali formaliter tali, et non solum radicali, distingui a termino spirato. At sola relatio spirationis activæ distinguit distinctione reali formaliter tali Patrem, et Filium, necnon et potentiam proximam spirandi ab Spiritu sancto, ut loco citato late diximus. Ergo oportebit, hanc pertinere, sive in recto, sive in obliquo ad rationem principii *quod*, necnon ad rationem principii *quo* proximi, qualem rationem necessario includit virtus spirativa, dicens tam principium radicale, quam proximum *quo* spirandi, de quo in præsenti loquimur.

21. Confirmatur primo. Confirmatur. Quoniam ordo originis proxime et formaliter talis, atque adeo inferens distinctionem realem proxime et formaliter talem, debet esse inter principium, *quod*, et principium *quo* productivum ex una parte, et terminum productum ex alia : ergo cum prædictum principium adæquate dividatur in principium radicale, et proximum, oportebit, ut prædictus ordo originis formaliter talis, et distinctio realis formaliter talis inde proveniens, sit inter terminum productum, et inter aliquod ex prædictis principiis : ergo cum ad hoc sit magis adaptatum principium productivum proximum, et formale, oportebit, ut saltem inter hoc, et terminum productum sit prædictus ordo originis proxime et formaliter talis : ac proinde principium *quod* et *quo* proxime, et formaliter spirativum debebit afferre ad sui constitutionem prædictum ordinem originis formaliter talem, et inferentem eamdem distinctionem realem formaliter inter ipsum, et terminum spiratum, qui quidem ordo (ut constat) non potest esse alius, quam ordo relationis spirationis activæ ad Spiritum sanctum.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo ex eodem S. Doctore loco citato ex 1 Sententiarum. Quoniam Paternitas in Patre, quia est infinita intra suam lineam, idcirco habet plura munera, et secundum unum præsupponitur generationi, et ingreditur ad constitutionem potentiæ generativæ, ut nostro modo intelligendi præcedit eamdem generationem. Et similiter Filiatio ob eamdem infinitatem exequitur (modo alibi tacto) munera generationis passivæ, et termini producti per prædictam generationem, et secundum priorem considerationem præcedit se ipsam secundum posteriorem : quod idem de relatione spirationis passivæ cum proportione dicimus. Ergo propter eamdem infinitatem relationis spirationis activæ debebit prædicta relatio exercere plura munera correspondentia muneribus spirationis passivæ, et secundum prius eorum concurrere ad constitutionem principii *quo* spirandi, et præsupponi ad actionem spirandi; et secundum posterius, nempe secundum quod exprimit *ad*, subsequi ad eamdem actionem.

Nec obest id, quod respondent adversarii, nimirum, esse disparem rationem inter relationem spirationis activæ ex una parte, et alias relationes divinas ex alia. Nam istæ sunt constitutivæ personarum, et propterea habent præsupponi secundum aliquod sui munus ad actus notionales, et requiri ex parte principii productivi ; secus vero relatio spirationis activæ propter oppositam rationem. 22. Effugium.

Nam contra hoc est. Tum, quod licet relatio spirationis activæ non constituat personam eo modo, quo cæteræ relationes, nimirum, constituendo illam secundum se : constituit tamen illam in ratione distinctæ distinctione reali formaliter tali a persona Spiritus sancti : siquidem, ut disput. præcedenti n. 128 dicebamus, Pater et Filius non sunt personæ distinctæ realiter a persona Spiritus sancti per prædictam distinctionem, nisi per relationem spirationis activæ, ergo hoc satis erit ad hoc, ut habeat plura munera ex parte saltem nostri modi concipiendi distincta, et secundum prius desideretur ad principium *quo* spirandi, et præcedat actionem spirativam ; cum tamen secundum posterius, nempe, ut exprimit *ad* illam subsequatur. Patet consequentia. Quia sicut Pater et Filius, ut sunt principium *quod* spirativum debent præsupponi, ut personæ distinctæ per distinctionem realem formaliter talem a termino spirato : ita id, quod constituit illos in ratione distinctorum per distinctionem Præcluditur.

dictam ab eodem termino spirato, debet præsupponi ad actualem spirationem, et pertinere ad principium *quo* spirandi.

Tum etiam. Nam quod spiratio activa non constituat personam eo modo, quo Pater, et Filius, solum probat, non habere munera propria formæ constitutivæ personæ : non tamen quod non habeat diversa munera, et quod secundum unum pertineat ad principium *quo* spirandi, et concurrat ad ejus constitutionem. Et ratio est. Nam relatio spirationis activæ dicit tantam infinitatem intra suam lineam, quantam cæteræ relationes personales, non unico tantum modo dempto, quod istæ sunt constitutivæ personæ; secus vero illa : ergo est forma ita eminens in aliis, sicut prædictæ relationes : ergo sicut illæ, v. g. Paternitas concurrit ad constituendum principium *quo* generandi, et insuper ad constitutionem personæ, modo jam dicto : ita etiam relatio spirationis activæ concurret ad constitutionem principii *quo* spirandi; licet non constituat personam, sicut Paternitas. Unde ob istam infinitatem conveniunt prædictæ relationi spirationis activæ alia munera distincta a munere constitutionis personæ secundum se. Et ita concurrit ad constituendum personas Patris et Filii, non quidem absolute, et secundum se sumptas, sed præcise in ratione distinctarum per distinctionem realem formaliter talem a persona Spiritus sancti.

§ III.

Assertio alia ex eodem Angelico Præceptore deprompta.

23. Secunda assertio. Dicendum est secundo, solam relationem spirationis activæ, una cum voluntate, et essentia divina tenere se ex parte virtutis, seu principii *quo* spirandi, et ad ejus constitutionem quodammodo ingredi ; secus verò Paternitatem, et Filiationem ; sed has solum constituere principium *quod* adæquatum. Hæc est D. Thomæ locis præcedenti assertione relatis, ubi solum meminit communis spirationis, ut assignaret id, quod una cum essentia, et voluntate Dei quodammodo concurrit ad constitutionem virtutis spirativæ. (D.Thom.)

Idem etiam docet S. Doctor in I ad Annibaldum dist. 11 quæst. unica art. 2 ubi cum inquireret : *Utrum Spiritus sanctus procedat a Patre, et Filio, in quantum sunt unum?* sic respondet : *Actus est alicujus, ut agentis, et alicujus, ut principii actionis Si ergo ly in quantum, replicet conditionem agentis, sic Pater, et Filius, in quantum sunt plures, spirant Spiritum sanctum. Si autem replicet conditionem principii actionis, sic in quantum sunt unum in virtute spirativa, spirant Spiritum sanctum.* Ubi (ut constat) solum tribuit Paternitati, et Filiationi, secundum quas Pater, et Filius plurificantur, quod constituant, sintque ipsa supposita agentia ; non vero quod sint principium, id est, principium *quo* illius actionis, sed hoc ab eis tollit : alioqui sicut quia constituunt, suntque ipsa supposita agentia, idcirco S. Doctor dicit, quod si ly *in quantum replicet conditionem agentis*, tunc Spiritus sanctus procedit ab illis, ut sunt plura : ita si constituerent aliquo modo principium *quo* illius actionis, non posset non Spiritus sanctus procedere etiam quodammodo ab eis, ut plures sunt, seu ab essentia, et voluntate Dei, ut dicit prædictas relationes, ut plures, si ly *in quantum* replicet principium *quo*, seu virtutem spirativam.

Quod quidem adhuc magis explicuit in solutione ad 4 ubi sic inquit : *Dicendum, quod quamvis procedat ab eis, ut plures sunt secundum rationem agentium ; non tamen secundum formam eos plurificantem, scilicet Paternitatem, et Filiationem, in quantum sunt spirationis principium, sed secundum formam unam, in qua conveniunt.* In quibus verbis licet tribuat Paternitati, et Filiationi, quod constituant suppositum agens *ut quod*, ita ut unaquæque constituat suum : attamen relegat ab eis, quod ab ipsis procedat Spiritus sanctus, si consideretur Pater, et Filius, non quoad supposita, quibus convenit agere *ut quod*, sed quoad principium *quo* spirandi, seu virtutem spirativam, quam ibidem contra prædicta supposita condistinguit. Unde assertionem hanc tuentur probatiores discipuli D. Thomæ, et plures, quos assertione præcedenti retulimus.

Prior autem, et fundamentalis ratio hujus assertionis desumitur ex his, quæ assertione præterita adducta sunt, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam essentia, et voluntas divina habent ex se id, quod in recto in *esse* entis desideratur ad hoc, ut sint fœcundæ per modum principii *quo* ad spirandum ; solumque ultra se ipsas veluti egent aliquo in obliquo, ratione cujus principium integrum *quo* spirativum realiter distinguatur a termino spirato : 24. Prior ratio.
ergo

ergo hoc ipso, quod dicant in obliquo relationem spirationis activæ realiter oppositam cum termino spirato, erit prædictum principium *quo* integrum in ratione principii *quo*.

Antecedens videtur certum, tum, quia in creaturis natura intelligens, et voluntas realiter distinctæ a termino spirato sunt sufficiens principium *quo* spirandi : ergo, etc. Tum etiam, quia hoc ipso, quod essentia divina quoad id, quod dicit in recto principium *quo* generandi, sit fœcunda ratione sui, remanet integra quoad prædictum principium, eo ipso quod illi addatur Paternitas realiter opposita Filiationi, ratione cujus integrum principium remanet distinctum a Filio : et ita si quæ sunt alia requisita ad prædictum principium, quæ nequeant præstari a sola essentia, proveniunt a prædicta Paternitate, proportionate tamen ad suam rationem formalem. Ergo eadem ratione hoc ipso, quod essentia, et voluntas divina sint ex se fœcundæ quoad id, quod principium *quo* spirandi in recto in *esse* entis importat, oportebit, ut hoc ipso, quod illis addatur relatio spirationis activæ opposita termino spirato, remaneant integræ in ratione principii *quo* spirativi : siquidem integrum illud principium eo ipso remanebit realiter distinctum a termino spirato, et hoc tantum illi deerat.

25. Secunda ratio. Secunda vero ratio ejusdem assertionis sumitur ex D. Thoma locis in ea citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio, ut sunt unum in virtute spirativa : ergo prædicta virtus spirativa est omnino eadem in utroque, tam secundum id, quod affert in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo, ingrediens aliquo modo ad ejus constitutionem : ergo solum dicet essentiam, et voluntatem Dei, ac relationem spirationis activæ, quæ indivisibilis est in illis; non vero Paternitatem, et Filiationem.

Confirmatur primo. Confirmatur. Quoniam vis spirandi integre est in Patre et similiter in Filio : alioqui non spirarent per virtutem integram : ergo ut spirent per unam et eamdem virtutem integram, oportebit, ut sit in illis una et eadem virtus, tam ex parte recti, quam connotatorum : ergo sola spiratio activa erit connotatum ingrediens ad constitutionem prædictæ virtutis spirativæ, sicut ipsa sola est inter relationes reales communis Patri et Filio.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Nam ex eo quod Pater et Filius influant in Spiritum sanctum per modum principii *quod*, idcirco procedit ab illis Spiritus Sanctus, ut sunt plura supposita; non obstante, quod hæc pluralitas sit materialis, per se tamen desiderata : quia ratio formalis per se inspecta ab Spiritu sancto tantum est ratio suppositi divini non procedentis per voluntatem, in quo utraque persona convenit. Ergo eadem ratione non procedet ab illis, ut sunt omnino unum in virtute spirandi, si semel hæc virtus spirandi constituitur, saltem in obliquo, ex diversis obliquis in quolibet eorum : ergo obliquum illius solum erit communis spiratio, quæ in utroque est ut ita in virtute spirandi sint omnino unum et idem.

§ IV.

Placitum adversariorum, ejus fundamenta, una cum responsionibus ad illa.

Oppositam tamen sententiam, nempe, relationem spirationis activæ non requiri ad potentiam spirativam, ut aliquo modo constitutivam illius, sed prædictam potentiam solum consistere in essentia et voluntate divina, connotanda in Patre Paternitatem et in Filio Filiationem, tuentur Suarez lib. 10 de Trinitate c. 4 et alii. 26 Opposita sententia. Suarez.

Probatur primo testimonio D. Thomæ infra q. 40 art. 4, ubi sic inquit : *Origo active significata prior est secundum intellectum quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis : sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relativam innominatam communem Patri et Filio*. Si autem relatio spirationis activæ ingrederetur aliquo modo ad constitutionem potentiæ spirativæ, tunc sicut potentia spirativa præsupponitur secundum intellectum actui spirandi activæ significato : ita etiam prædicta relatio spirationis activæ præcederet actum spirandi cujus oppositum in verbis relatis docuit sanctus Doctor. Primum fundamentum. D.Thom.

Nec refert, si occurras cum aliquibus, relationem spirationis activæ posse considerari secundum duplex munus. Primo quidem secundum quod se tenet ex parte potentiæ spirativæ et constituit quodammodo, et complet illam saltem per modum connotati et conditionis. Secundo vero, quatenus exercet expresse munus respiciendi suum correlativum. Quare, etsi secundum hoc posterius munus præsupponat 27

actum spirandi active sumptum : non tamen secundum illud prius. Et ita potest et subsequi ad prædictum actum spirandi et simul præcedere illum per modum ingredientis ad constituendam aliquo modo potentiam spirativam.

Non itaque hoc obest. Quoniam D. Thomas ibidem constituit discrimen inter relationes, seu proprietates personales ex una parte et inter relationem, seu proprietatem non personalem ex alia, qualis est relatio spirationis activæ, quod ista non præsupponatur ad originem active, nempe ad actum notionalem spirandi ; secus vero relatio personalis. Et ut statim explicaret, quomodo actus notionalis, ut *generare*, subsequatur ad relationem personalem, nempe Paternitatem et ipsa præeat prædictum actum, distinguit Paternitatem in duplex munus ipsius, nempe, ut exercet expresse munus referendi et ut est constitutiva personæ agentis : et ait, quod secundum primum munus subsequitur ad actum notionalem et secundum posterius præcedit. Ergo ut stet discrimen adductum a D. Thoma inter relationem spirationis activæ et Paternitatem, v. g. ita ut illa non præcedat originem active sumptam, secus vero ista, oportebit ut relatio spirationis activæ non habeat aliquod munus, secundum quod constituat aliquo modo potentiam spirativam, sicut Paternitas habet illud ad constituendam aliquo modo potentiam generativam.

D. Thom. Unde postquam Angelicus Præceptor dixit verba in hac objectione relata, statim, ut explicaret discrimen nunc dictum, addidit : *Sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est relatio et sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem : quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur super actum. Alio modo, secundum quod est constitutiva personæ et sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.*

28. Dissolvitur. Respondetur, admittendo solutionem nuper datam. Et ad impugnationem contra eam dicendum est, mentem S. Doctoris non esse, quod relatio personalis habeat duplex illud munus et quod relationi non personali spirationis activæ non competant alia duo munera, ita ut secundum unum ex illis præcedat et secundum aliud subsequatur ad actum spirandi active sumptum ; sed solum, quod relatio non personalis non præsupponatur ad prædictum actum notionalem, nec requiratur ut principium illius eo modo, quo relatio personalis, v. g. Paternitas requiritur et præsupponitur ad suum actum notionalem active acceptum, scilicet ad *generare*. Nam Paternitas secundum primum illud munus, nempe, ut est forma hypostatica, ita præsupponitur et requiritur ad *generare*, ut sine illa non possit intelligi aliquod principium *quod*, etiam inadæquatum, generandi, seu aliquod principium notionale, quodcumque illud sit respectu prædicti actus ; imo nec potentia generativa sub conceptu adhuc inadæquato et notionali : at relatio spirationis activæ licet præsupponatur ad actum spirandi active sumptum, secundum quod concurrit quodammodo ad constitutionem potentiæ : nihilominus non convenit ei præsupponi et requiri aliquo modo tanquam id, quo non intellecto non concipitur remanere aliquod principium inadæquatum et notionale ejusdem actus spirandi active sumpti : siquidem adhuc non concepta expresse relatione spirationis activæ, possunt concipi Pater et Filius : et hi sic concepti sunt principium notionale *quod* respectu prædicti actus spirandi.

Esse autem hanc mentem Angelici Doctoris potest colligi, tum ex locis in hoc dubio num. 15 relatis, in quibus satis expresse docet, relationem spirationis activæ tenere se ex parte principii spirandi : ac proinde præsupponi ad actum spirandi active sumptum : tum etiam ex contextu eorum, quæ in hoc artic. 4 quæstionis 40 docet. Nam ut in eo explicaret, qua ratione relatio personalis, v. g. Paternitas, præsupponeretur ad originem active sumptam, secus vero relatio non personalis, consulto non conclusit loquens de Paternitate, quod præintelligatur actui notionali tanquam principium illius ; sed quod relatio Paternitatis præintelligitur actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni : ut denotaret, in hoc esse discrimen a se intentum inter Paternitatem et relationem spirationis activæ, quod ista non præsupponitur actui notionali secundum ea, quæ affert ex vi suæ lineæ, tanquam persona agens, secus vero illa : ac proinde, quod relatio Paternitatis ita præsupponitur ad *generare* secundum munus jam dictum, ut sine illa non intelligatur aliquod principium, adhuc inadæquatum *quod*, aut *quo* notionale respectu prædicti actus generandi : cum tamen non concepta 29.

concepta expresse relatione spirationis activæ, intelligatur remanere aliquod principium saltem inadæquatum *quod* notionale respectu actus spirandi active sumpti, nempe Pater et Filius.

30. Secundum fundamentum. Suarez. Secundo probatur eadem sententia a Suarez lib. citato cap. 5. Nam ad potentiam spirativam non est ulla ratione necessaria ex parte illius relatio spirationis activæ, tanquam quid aliquo modo eam constituens : ergo frustra additur ad ejus constitutionis, adhuc tanquam in obliquo ad eam pertinens. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia vel est necessaria ut formaliter complens virtutem spirandi? Et hoc non : quia non complet formaliter virtutem amandi, quæ est virtus spirandi. Vel est necessaria solum ut conditio requisita? Et hoc etiam dici non potest. Quia nec requiritur ad constituendam personam Patris, vel Filii : siquidem utraque persona supponitur jam constituta. Nec etiam ut se mutuo ament : nam ad hoc sufficit infinita voluntas, in qua subsistunt. Nec denique, ut se amando mutuo producere habeant : quia ad hoc etiam satis est, ut in eadem voluntate personaliter subsistant, absque origine per prædictam voluntatem. Nam quidquid ultra requiritur, sive causa, vel ratione dicitur.

Enodatur. Respondetur ex dictis, relationem spirationis activæ requiri in obliquo ad potentiam spirativam. Quia ad ejus constitutionem integram desideratur, quod prædicta potentia distinguatur distinctione reali formaliter tali a termino spirato, nempe ab Spiritu sancto : et hoc provenit illi a relatione spirationis activæ.

31. Tertium argumentum. Tertio probatur prædicta sententia. Quoniam relatio spirationis activæ advenit Patri et Filio jam constitutis, supponitque illos intelligentes et volentes : ergo præsupponit eosdem producentes Spiritum sanctum : et per consequens non requiretur ad rationem potentiæ spirativæ. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quia Spiritus sanctus producitur per voluntatem Patris et Filii et volitionem eorum. Antecedens autem etiam constat. Quoniam prædicta relatio habet se per modum proprietatis respectu Patris et Filii et ita præsupponit illos constitutos et subsistentes in intellectione et volitione divina : atque adeo supponit eosdem intelligentes et volentes.

Confirmatio. Confirmatur. Quoniam relatio spirationis activæ non unitur immediate cum essentia et voluntate divina : ergo ex eis et ex relatione spirationis activæ non consurget potentia spirativa. Patet consequentia. Quia prædicta unio immediata requirebatur ad hoc, ut una cum eadem essentia et voluntate divina ingrederetur aliquo modo ad constitutionem potentiæ spirativæ radicaliter et formaliter talis. Antecedens autem probatur. Quoniam (ut nuper dicebamus) prius consideratione nostra intelligitur advenire Paternitas et Filiatio, quam relatio spirationis activæ : ex eo quod Paternitas et Filiatio sunt relationes pertinentes ad primam originem : cum tamen spiratio activa et passiva sint relationes spectantes ad secundam originem : et ideo illæ debent prius advenire; istæ vero posterius et mediantibus illis.

Respondetur, concedendo antecedens quoad priorem partem, nempe, relationem spirationis activæ advenire Patri et Filio jam constitutis in ratione personarum; licet non ut distinctis per distinctionem realem formaliter talem ab Spiritu sancto. Et deinde neganda est altera pars ejusdem antecedentis, si sensus illius sit, quod prædicta relatio supponit eos intelligentes et volentes per volitionem notionalem quoad omnia, quæ talis volitio importat, sed solum quoad aliqua requisita ad illam, nempe, quoad id, quod in *esse* entis prædicta volitio in recto importat et quoad personas, in quibus debet esse et a quibus petit quasi oriri. Quia ad prædictam volitionem, ut notionalem desideratur ultra prædicta eadem voluntas et volitio Dei, ut sunt sub conceptu potentiæ spirativæ, seu ut dicunt principium *quo* spirandi realiter distinctum per distinctionem realem formaliter talem a termino spirato : et insuper etiam requiritur, ut principium spirativum *ut quod* distinguatur per prædictam distinctionem realem a termino spirato. Constat autem, quod utrobique talis distinctio provenit a relatione spirationis activæ : et ita usquedum hæc intelligatur et volitio Patris ac Filii concipiatur, ut aliquo modo pendens ab eis et a voluntate divina, ut connotantibus prædictam relationem spirationis activæ, non concipitur, ut complete notionalis : atque adeo neque omni ex capite sufficiens ad hoc, ut per illam volitionem procedat Spiritus sanctus. 32. Occurritur argumento.

Explicatur hoc. Etenim Pater et Filius, ut intelligentes et volentes, non præsupponuntur præsuppositione aliqua *in quo*, adhuc 33. Elucidatur.

secundum rationem, ad relationem spirationis activæ : sicut nec volitio illa quoad ea, quæ in *esse* entis dicit in recto, ut ex parte sua constituit potentiam spirativam, supponitur per aliquam prioritatem *in quo* ad eamdem relationem ; sed solum præsuppositione præcise *a quo* in aliquo veluti genere quasi causæ, quæ sit simul cum posterioritate in alio genere. Nam tam Pater et Filius, quam prædicta volitio præsupponuntur veluti in genere causæ efficientis : ex eo quod relatio spirationis activæ quodammodo dimanat a voluntate et volitione divina, tanquam a principio *quo* suæ dimanationis virtualis, necnon et a Patre et Filio ut a principio *quod* ejusdem dimanationis ; quamvis Filius hoc ipsum habeat a Patre. Et similiter tam Pater et Filius, quam prædicta volitio, modo insinuato considerata, sunt priora veluti in genere causæ formalis, quam relatio spirationis activæ : ex eo quod tam volitio, ut concurrit ad constitutionem potentiæ spirativæ, quam Pater et Filius, ut sunt principium *quod* spirandi, non exercent sua munera, nisi connotando et dicendo in obliquo relationem spirationis activæ et in recto suam propriam realitatem. Constat autem, quod id, quod concurrit per modum recti ad aliquod munus exercendum, habet veluti formalizare suum obliquum et eo ipso esse quodammodo prius veluti in genere causæ formalis.

Cæterum quia prædicta relatio spirationis activæ desideratur per modum obliqui et connotati ad potentiam spirativam, necnon et ad principium *quod* spirandi ex eo quod tam principium *quo* integrum, quam principium *quod* debent realiter distingui per distinctionem realem formaliter talem a termino spirato *ut quod* et hæc distinctio provenit a relatione spirationis activæ, ut dictum est : idcirco in aliquo veluti genere causæ intelligitur esse quodammodo prius ipsa relatio spirationis activæ : quæ quidem prioritas reducitur ad prioritatem quasi causæ materialis, propter rationem nuper insinuatam.

34. Solvitur confirm. Ad confirmationem concedendum est antecedens et neganda consequentia. Et ad probationem dicendum est, satis esse ad hoc, ut relatio spirationis activæ requiratur in obliquo ad potentiam spirativam, necnon et ad principium *quod* spirandi, ut uniatur immediate cum Patre, et Filio, tanquam cum subjecto (ut sic dicamus) seu quasi subjecto *quod*, et quod immediate uniatur cum essentia, et voluntate divina, tanquam cum subjecto, aut quasi subjecto *quo* : ac proinde quod in suo veluti genere, nempe in ratione veluti subjecti *quo*, prius intelligantur essentia, et voluntas divina subesse prædictæ relationi, quam Pater et Filius : e contrario vero in suo quasi genere, nempe in ratione veluti subjecti *quod*, prius intelligantur Pater et Filius subesse eidem relationi, quam essentia, et voluntas divina. Et ita eadem relatio, ut intelligitur immediate uniri essentiæ, et voluntati divinæ veluti subjecto *quo*, et ab ea sic connotatur, habet quodammodo ingredi ad constitutionem potentiæ spirativæ. Ut autem intelligitur uniri Patri et Filio immediate, ita ut eorum quilibet habeat veluti rationem quasi subjecti *quod*, et modo infra dicendo, ac proinde ut unitur eis, quatenus non supponentibus aliud quasi subjectum *quod*, seu aliud suppositum, concipitur ut connotatum, et obliquum indispensabile eorum ad spirandum. Quia vero (ut ita objectio, quæ hic fieri poterat, maneat soluta) facta collatione inter hæc duo veluti subjecta prius quodammodo intelligitur esse subjectum, aut quasi subjectum *quo*, quatenus subjectum *quod* habet etiam quodammodo a subjecto *quo* constitui in ratione subjecti *quod* : idcirco prius quodammodo unitur relatio spirationis activæ cum essentia, et voluntate Dei, tanquam cum quasi subjecto *quo*, quam cum Patre, et Filio, tanquam cum quasi subjecto *quod*; licet hæc prioritas non sit omnino libera a posterioritate, et quasi dependentia a subjecto, aut quasi subjecto *quod*. Et ita prius quodammodo intelligitur essentia, et voluntas divina sub conceptu potentiæ spirativæ, quam Pater, et Filius sub conceptu spiratoris : cujus oppositum obstare poterat, ne prædicta relatio esset connotatum ejusdem, concurrens ad integram constitutionem potentiæ spirativæ, ut talis.

DUBIUM IV.

Utrum relatio spirationis activæ, non solum requiratur ad constitutionem potentiæ spirativæ, sed etiam prædicta relatio sit per se subsistens, et sic sumpta spiret ut quod ?

Alii aliis verbis dubium hoc excitant, an nimirum detur aliquod individuum constitutum ex essentia, voluntate divina, et relatione spirationis activæ ; ratione distinctum 35. Explicatio tituli.

tum a Patre et Filio, cui conveniat spirare *ut quod*; imo cui perprius prioritate, seu ordine originis virtualis hoc competat? Quia licet tam constitutum istud, quam Pater, et Filius habeant formaliter spirare : nihilominus ideo Pater et Filius sic spirant, quia illis formaliter communicatur prædictum constitutum, quod est spirator quidam communis communitate rei utrique. Sicut (proportione tamen servata) hic Deus, ut est communis toti Trinitati, et subsistens per subsistentiam absolutam, est formaliter intelligens per intellectionem essentialem constitutivam ipsius, et similiter tres personæ divinæ. Cum tamen hic Deus per se et ratione sui sit intelligens per prædictam intellectionem; personæ vero non nisi ratione hujus Dei, ut dicit individuum Deitatis, quod eis formaliter communicatur.

Cæterum uterque inquirendi modus in idem redit : quatenus si semel relatio spirationis activæ affert propriam subsistententiam relativam, ac proinde subsistit in essentia et voluntate divina, planum est, illam quatenus sic subsistentem esse constitutum quoddam ex eademmet et ex essentia et voluntate divina, distinctum ratione a Patre et Filio, cui conveniat spirare *ut quod*, ut ex se patet : ac proinde cui competat esse spiratorem communem Patri et Filio : siquidem hoc constitutum per se subsistens et spirans *ut quod* esset commune illis communitate rei : et per consequens prædictum constitutum haberet perprius prioritate virtuali relationem spiratoris, quam Pater et Filius : quandoquidem hoc ipso, quod constitutum istud spiraret *ut quod*, tunc Pater et Filius haberent formaliter esse principium spirativum *ut quod*, quia illis formaliter communicatur prædictum constitutum.

36. Consulto autem post duo præcedentia dubia, pertinentia ad unitatem unici principii Spiritus sancti, præsens dubium excitamus. Quoniam hoc etiam ad unitatem ejusdem principii declarandam deservit. Quoniam si datur constitutum quoddam ex essentia et voluntate divina, necnon ex relatione spirationis activæ, quod sit subsistens *ut quod* per propriam subsistentiam relativam, ac proinde prædicta relatio, ut subsistens in essentia et voluntate divina spirat *ut quod*, tunc principium spirativum non solum erit unicum propter unicam virtutem, seu principium *quo* spirandi, sed etiam quia ultra prædictam virtutem datur aliquod principium *quod* spirativum commune communitate rei tam Patri quam Filio. Si autem non datur prædictum constitutum, seu spirator *ut quod*, communis communitate rei tam Patri, quam Filio, tunc Pater et Filius erunt unicum et idem principium *quod* spirandi, quia est in illis eadem virtus spirativa : et ita erunt unus et idem spirator ea præcise ratione, quia nimirum *spirator* est nomen substantivum et ideo requirit ad sui multiplicationem, quod tam supposita, quam virtus multiplicentur : et per consequens tunc non esset prædictum principium *quod* ex tot capitibus unicum et idem, ac esset, si daretur prædictum constitutum per se subsistens et commune communitate rei tam Patri quam Filio.

§ I.

Ex mente Angelici Doctoris difficultas dubii expeditur.

Dicendum ergo est, relationem spirationis activæ non esse per se subsistentem per propriam subsistentiam relativam : ac proinde non esse ex se spirativam *ut quod* seu non dari aliquod constitutum ex essentia et voluntate divina et relatione spirationis activæ, ut afferente propriam subsistentiam, quod sit ratione distinctum a Patre et Filio, cuique competat esse subsistens et spirativum per modum principii *quod*, commune communitate rei tam Patri, quam Filio. Assertio hæc colligitur ex Conciliis Lugdunensi et Florentino dubio præcedenti adductis, quæ quoties explicant, quomodo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, non recurrunt ad unitatem unius subsistentis ratione distincti a Patre et Filio, sed ad unitatem virtutis spirativæ et actualis spirationis. Si autem juxta eorum mentem relatio spirationis activæ esset subsistens *ut quod*, ac proinde daretur prædictum spirativum *ut quod*, profecto recurrerent ad principium istud, ut sic planius et melius ostenderent, quomodo Pater et Filius sint unum principium *quod* Spiritus sancti. 37. Conclusio. Conc. Lug. Conc. Flor.

Eadem etiam assertio colligitur ex D. Thoma art. 4 hujus quæstionis in solutione ad primum, dum ait : *Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa*. Ubi Angelicus Præceptor non meminit alicujus subsistentis communis, sed tantum formæ et suppositorum in illa subsistentium Et in 38. D. Thom.

solutione ad 4 ait : *Hoc, quod dico principium, non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul* : quod etiam repetit ad quintum et sextum. Si autem D. Thomas sentiret, relationem spirationis activæ esse per se subsistentem per propriam subsistentiam relativam, ac proinde quatenus subsistentem in virtute spirativa esse principium spirandi *ut quod* commune Patri et Filio, non dixisset, hoc principium non habere determinatam suppositionem : siquidem determinate supponeret pro prædicto principio *quod*. Et in solutione ad 7 ait, Patrem et Filium esse unum spiratorem propter unam spirationem : eo quod spirator sit nomen substantivum. Si autem *spirator* significaret individuum, seu constitutum prædictum subsistens per propriam subsistentiam relativam, tunc prædictum individuum esset unum et idem in duabus personis divinis et non essent unus spirator solum propter regulam substantivorum, sed propter rem ipsam significatam.

Capreol. Ripa. Cajetanus. Bannez. Zumel. Joann. de Portug. Suarez. Vasquez. Turrian. Montoya. Arrubal. Granad. Unde assertionem hanc tuentur Capreolus in 1 dist. 12 quæst. 1, Ripa referens Cajetanum, necnon et Bannez, ac Zumel in præsenti, Joannes de Portugal episcopus Visensis ex Dominicana familia tomo 1 de Gratia increata lib. 4 c. 56, Suarez lib. 10 de Trinitate c. 4, Vasquez disput. 149 c. 4, Turrianus Complut. 1 p. quæst. 39 disput. 34 dubio 2, Ruiz de Montoya disput. 7 sectione 3 plures alios referens, Arrubal disp. 129 c. 3, Granado tomo 3 in primam partem tractatu 10 disput. 6 et alii plures.

39. Ratio fundamentalis. D. Thom. Ratio autem prior et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex his, quæ docet D. Thomas in 1 dist. 28 quæst. 1 art. 1 et in hac 1 p. quæst. 33 art. 4 ad 1 quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam Pater in divinis non solum est principium spirandi, sed primum : unde et *Anarcos* dicitur, hoc est : *principium principale, sive primum*. Et præterea idem Pater est et vocatur : *principium fontale Deitatis*, ut testatur Augustinus lib. 4 de Trinit. c. 20; Dionysius de Divinis nominibus c. 2 his verbis : *Solus fons supersubstantialis Deitatis Pater*. Quo etiam enim nomine appellat Patrem Concilium Toletanum VI in confessione fidei, et Florentinum in litteris Sanctæ unionis Sessione ultima. Ergo in divinis non est concedendum aliquod constitutum ex essentia et voluntate divina et relatione spirationis activæ, cui competat esse principium spirativum *ut quod* et commune communitate rei tam Patri, quam Filio : seu (quod in idem redit) non est admittendum, relationem spirationis activæ subsistere per propriam subsistentiam relativam et ut sic subsistentem in essentia et voluntate divina, esse principium spirativum *ut quod*. Antecedens communiter recipitur a Theologis et illud satis testimonia in eo contenta confirmant.

(Margin: August. Dionysius. Conc. Tolet. VI. Conc. Flor.)

Consequentia vero probatur. Quia si daretur prædictum constitutum, seu relatio spirationis activæ, ut subsistens per propriam subsistentiam in essentia et voluntate divina, quæ esset spirator *ut quod* communis Patri et Filio, tunc prædictum constitutum esset primum principium spirandi; non vero Pater : siquidem constitutum istud per se et ratione sui esset spirativum *ut quod*; non vero quia hoc illi communicaretur a Patre. E contra vero Pater ideo esset formaliter principium *quod* spirandi, quia ei prædictum constitutum formaliter communicaretur. Et similiter Pater non esset primus fons Divinitatis : quia ad hoc desiderabatur, quod non aliunde, idest, ab hoc communi spiratore haberet, ut esset principium *quod* communicandi Spiritui sancto Divinitatem.

Confirmatur et explicatur primo ratione insinuata a D. Thom. et ab Hilario relato ab eodem Angelico Præceptore in hac 1 p. q. 33 art. 4 ad 4 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in divinis non possunt esse duo prima principia, duoque ingeniti : alioqui darentur plures Dii : ergo nequibit etiam dari aliquis spirator *ut quod* et communis communitate rei Patri et Filio. Patet consequentia. Quia tunc darentur in divinis plures ingeniti et plura prima principia Divinitatis, pluresque Dii : siquidem Pater esset ingenitus et similiter communis hic spirator, quippe qui non procederet ab alio. Et tam Pater, quam communis hic spirator haberent esse primus fons Divinitatis : ille quidem quoad communicationem Divinitatis Filio; iste vero quoad communicationem ejusdem Spiritui sancto. Ac tandem esset etiam ibidem pluralitas Deorum : ex eo quod pluralitas ingenitorum non cohæret cum unitate omnimoda divinæ naturæ, ut in hoc tract. disput. 1 num. 6 diximus. 40. Confirmatur primo. D. Thom. Hilar.

Ex quo etiam confirmatur secundo eadem ratio ex iis, quæ docet idem Angelicus Præceptor q. nuper citata et q. 32 hujus 1 part. Quoniam alioqui innascibilitas Confirmatur secundo. D. Thom.

tas non esset ratio propria Patris, nec notio illius : quandoquidem conveniret alteri a Patre.

41. Adversariorum solutio. Nec obest, si occurras ex doctrina adversariorum, quos n. 44 referemus, communem istum spiratorem non distingui, nisi tantum ratione a Patre : et propterea non tollere ab illo, quod sit primum principium spirandi, vel quod sit fons totius Divinitatis. Sicut etiam quod dentur duo ingeniti ratione distincti, non est aliquod inconveniens, nec inde arguitur pluralitas Deorum, sicut argueretur, si darentur plures ingeniti realiter distincti. Nec tandem ob id aufertur a Patre, quod innascibilitas sit propria notio illius ; dummodo prædictum constitutum, quod est communis spirator, sola ratione distinguatur ab ipso : quia tunc Pater solus quoad omnia, quæ realiter includit, esset realiter innascibilis.

Refutatur primo. Non igitur hæc solutio obest : quippe quæ in multis deficit Nam in primis falsum est, sufficere ad salvandum, quod Pater sit primum principium spirandi, primusque fons totius Divinitatis, illum non distingui realiter, sed sola ratione ab spiratore *ut quod* communi communitate rei tam Patri, quam Filio : tum, quia juxta communem Patrum et Theologorum sententiam proprium est Patris, non quidem identice, sed formaliter sumpti, quod ipse solus sit primum principium *quod* spirandi : et similiter quod sit primus fons totius Divinitatis : ad hoc autem non est satis, quod solum identice sit primum principium spirandi. Tum etiam, quia id, quod formaliter, et ex se est primum principium *quod* dicendi, oportet, ut etiam ex se, et formaliter sit etiam primum principium *quod* spirandi. Nam sicut primum principium *quod* intelligendi est ex se primum principium *quod* volendi : ita etiam primum principium *quod* producendi per intellectum, seu dicendi debet ex se, et formaliter esse primum principium *quod* spirandi, seu producendi per voluntatem : at Pater æternus ex se, et formaliter est primum principium *quod* dicendi : ergo etiam ex se, et formaliter erit primum principium *quod* spirandi, primusque, et unicus fons Divinitatis.

42. Impugnatur deinde. Deinde falsum etiam est, non obesse omnimodæ unitati divinæ naturæ, quod dentur duo ingeniti, duoque prima principia, et fontes Divinitatis virtualiter distincti. Nam contra hoc est, quod ex hujusmodi pluralitate saltem sequitur pluralitas virtualis divinæ naturæ. Quia sicut datis duabus primis proprietatibus realiter distinctis colligitur, dandas esse duas naturas realiter etiam distinctas : et concessis duabus primis potentiis, seu principiis *quo* realiter diversis, infertur pluralitas naturarum realiter etiam diversarum : quandoquidem una realiter natura non habet plures primas proprietates, pluresque primas potentias realiter distinctas : ita datis duabus primis proprietatibus, aut primis potentiis virtualiter distinctis, colligitur pluralitas virtualis naturarum : ex eo quod similiter unica omnimode natura tantum habet unicam primam proprietatem, unicamque primam potentiam ; non vero plures primas proprietates, et potentias. Ergo potiori ratione, ex eo quod dentur plures ingeniti, pluraque principia *quod*, pluresque fontes primi communicandi naturam virtualiter distincti, deducetur, esse ibidem distinctionem virtualem naturarum. Unde optime dixit D. Thomas supra q. 11 art. 3 et 1 contra Gentes c. 42 quod omnis multitudo debet reduci ad unitatem : et ita multitudo terminorum, qui producuntur intra Deum, debent reduci ad unicum et idem primum principium *quod*, habens ex se esse primum fontem, seu primum principium *quod* communicandi Divinitatem. D.Thom.

Tandem falsum est, sufficere identificationem prædicti constituti ex essentia divina, et relatione spirationis activæ, ut afferente propriam subsistentiam cum Patre, ad hoc ut innascibilitas sit propria notio illius : ex eo quod solus Pater secundum omnia, quæ realiter affert, est innascibilis. Nam contra hoc est, quod ratio notionis non competit ex iis, quæ conveniunt identice, sed ex iis, quæ conveniunt formaliter : at Pater in eo eventu, quatenus esset principium *quod* spirandi, non esset innascibilis formaliter, sed solum identice, nempe ex eo, quod identificaretur cum communi spiratore, a quo formaliter haberet spirare *ut quod* : ergo innascibilitas in eo eventu non esset propria notio Patris. Rejicitur tandem.

Secunda vero et principalis ratio ejusdem assertionis desumitur ex eodem Angelico Doctore q. 28 et 29 necnon q. 32 hujus tractatus, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam relatio spirationis activæ non constituit personam : alioqui daretur in divinis quaternitas personarum, quæ 43. Secunda ratio assertio. D.Thom.

communiter a Conciliis, Patribus et Theologis rejicitur, quæque cum doctrina fidei pugnat : ergo prædicta relatio non potest afferre propriam subsistentiam relativam : ac proinde nec ut subsistens per hanc substentiam in essentia, et voluntate divina, erit principium *quod* spirandi. Hæc secunda consequentia ex priori patet. Prior vero ex antecedenti. Quoniam si relatio spirationis activæ afferret propriam subsistentiam relativam, tunc secundum illam esset constitutiva personæ : quia hoc ipso, quod esset subsistentia relativa, et adveniens post relationes Paternitatis, et Filiationis constituentes personas, non esset minus constitutiva personæ, quam prædictæ relationes : ex eo quod, quo aliqua subsistentia est ultimior, eo est magis idonea ad tribuendum id, quod est proprium personæ, scilicet subsistere incommunicabiliter : siquidem eo ipso est potiori ratione ultimus terminus in ratione subsistendi, et ita eo ipso erit in ratione subsistendi incommunicabilis.

§ II.

Opposita sententia, duo priora ejus fundamenta, et responsiones ad illa.

44. Opposita sententia. Oppositam tamen sententiam, nempe, relationem spirationis activæ subsistere *ut quod* per propriam subsistentiam relativam in natura, et voluntate divina, et sic sumptam esse principium spirandi *ut quod :* ac proinde dari in divinis quoddam constitutum ex essentia, et voluntate divina, necnon ex relatione spirationis activæ, ut afferente propriam subsistentiam, cui competat spirare *ut quod*, esseque spiratorem communem communitate rei tam Patri, quam Filio, tuentur Nazarius ad art. 4 hujus quæstionis Controversia 2, Canariensis in eodem articulo in 3 part. Commentarii, Molina disp. 2, Becanus tractatu de Trinitate cap. 6 referens O'Kam et Gabrielem. (Nazar. Canariens. Molin. Becanus. O'Kam. Gabriel.)

(Primum argumentum. D.Thom.) Probatur primo testimonio D. Thomæ in 1 ad Annibaldum dist. 29 quæst. unica art. 4 ad 2 ubi cum inquireret : *Utrum una notione Pater et Filius sint principium Spiritus sancti?* et secundo loco sic sibi objecisset : *In divinis relationes sunt subsistentes. Sed notio, secundum quam Pater et Filius dicuntur principium Spiritus sancti, est quædam relatio. Ergo est persona subsistens. Si ergo est una relatio, qua Pater et Filius ad Spiritum sanctum referuntur, erit una persona subsistens utrique : quod est hæreticum.* Sic respondet : *Ad secundum dicendum, quod sicut Divinitas in divinis non est nisi subsistens : et tamen una Deitas est Patris et Filii, quia sunt duo subsistentes ex alia ratione distincti : similiter et de communi spiratione oportet intelligi.*

In quibus verbis comparat Angelicus Doctor relationem spirationis activæ cum Deitate in hoc, quod sicut Deitas est per se subsistens subsistentia propria : et tamen una Deitas sic subsistens est Patris et Filii, quia in illa non distinguuntur : ex eo quod prædicta subsistentia, aut Deitas, ut subsistens per illam, non dicit omnimodam incommunicabilitatem, ac proinde non constituit personam; sed Pater et Filius suis propriis personalitatibus distinguuntur : ita relatio spirationis activæ est per se subsistens propria subsistentia, atque adeo subsistentia relativa : et tamen una et eadem relatio spirationis activæ per se subsistens est Patris et Filii : quia talis relatio, ut subsistens, non dicit subsistentiam omnino incommunicabilem alteri, ut supposito, sive personæ : et ideo non constituit personam, nec ratione illius Pater et Filius habent unam personam communem; sed semper remanent duo subsistentes ex alia ratione, nempe, in ratione personarum distincti.

Respondetur, Angelicum Præceptorem non comparare relationem spirationis activæ cum Deitate quoad hoc, quod est, subsistere per propriam subsistentiam, sicut Deitas; sed quoad hoc, quod subsistit etiam per prædictam subsistentiam absolutam, quemadmodum et Deitas per illam subsistit; quamvis talis subsistentia non sit propria ejusdem relationis, sed communicata a Deitate : et hoc illi est satis, et requisitum ad hoc, ut cum omnimoda identitate, et unitate absque aliqua distinctione virtuali sit communis Patri et Filio, ut constat ex illis, quæ disp. 9 n. 111 diximus, et ex statim dicendis amplius patebit. Alioqui si Angelicus Præceptor comparasset relationem spirationis activæ cum Deitate quoad utrumque munus, nempe subsistendi, et subsistendi per propriam subsistentiam, ac proinde admitteret communem spiratorem *ut quod* ratione distinctum a Patre et Filio, tolleret a Patre, quod ipse solus esset primus fons Divinitatis, et quod ipse solus esset ingenitus, admitteretque plures innascibiles, pluresque Deos 45. Enodatur.

Deos virtualiter distinctos, et quaternitatem personarum, ut ostensum est.

Præcluditur tacita objectio. Nec ex hoc (ut ita tacita quædam objectio maneat soluta) quod tribuamus relationi spirationis activæ, quod sit subsistens per subsistentiam absolutam, sequitur, spiraturam *ut quod*. Quoniam hæc subsistentia non est satis ad tribuendam rationem principii *quod* notionalis, sed ad prædictam rationem principii desideratur subsistentia notionalis, et relativa. Et propterea solus Pater et Filius sunt principium *quod* spirandi Spiritum sanctum.

46. Secundum fundamentum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam relatio spirationis activæ desiderata ad constitutionem principii *quo* spirandi, ac proinde præcedens (saltem nostro modo intelligendi) secundum hoc munus ad actionem spirativam, est per se subsistens : ergo ipsa erit principium *quod* spirandi, quatenus consideratur in concreto, et per se subsistens. Consequentia ex antecedenti videtur constare. Nam sicut relatio Paternitatis in concreto, seu ut est idem ac Pater, est principium *quod* generandi, quia desideratur ad potentiam generativam, ut non exprimit se ipsam, ut subsistentem ; cum tamen ex se sit subsistens : atque adeo non solum debet desiderari ad constitutionem principii *quo* generandi secundum unum sui munus, sed debet secundum aliud, nempe, ut est per se subsistens, esse ipsum principium *quod* generativum : ita, quia relatio spirationis activæ, ut non concipitur per se subsistens, desideratur ad potentiam spirativam, et eam aliquo modo constituit, idcirco si semel revera est subsistens per propriam subsistentiam relativam, non solum desiderabitur ad rationem principii *quo* spirativi, sed ut concipitur per se subsistens, erit etiam principium spirativum *ut quod*.

Antecedens autem probatur. Tum, quia concreta, et abstracta in divinis non distinguuntur, nisi tantum ex parte nostri modi concipiendi ; non vero ex parte rei conceptæ eo quod forma, aut quasi forma, quæ ex vi suæ lineæ non pertingit ad hoc, ut sit suus quasi effectus formalis, et per consequens ad hoc, ut sit non solum id, quo aliud est tale, sed etiam habet *ut quod* prædictum esse tale, quæque proinde ex vi suæ lineæ non est subsistens, non dicit infinitatem, et summam puritatem intra suam lineam ; sed includit aliquid potentialitatis. Et propterea omnes formæ creatæ sunt realiter finitæ et limitatæ, involvuntque realem potentialitatem : quia ex vi propriæ entitatis tantum sunt id, quo aliud est ; non tamen ex vi illius præcise sunt *ut quod* id ipsum, quod aliis communicant : ac proinde in eis concretum, et abstractum realiter distinguuntur.

Tum etiam. Quia id, quod in genere causæ, aut quasi causæ efficientis non pertingit ad hoc, ut non solum sit ipsa virtus operativa, sed etiam ipsa operatio intra suam lineam, non dicit omnimodam puritatem, et infinitatem debitam intra eamdem lineam : ex eo quod operatio pertinet ad intrinsecum complementum virtutis operativæ, ut aliquid illius lineæ : et ideo virtus non pertingens ex vi suæ lineæ ad hoc, ut sit sua operatio, non est infinite perfecta intra illam lineam. Ergo eadem ratione forma aut quasi forma, quæ non est formaliter, et ex vi suæ lineæ suus effectus, aut quasi effectus formalis, non habebit omnimodam puritatem debitam intra suam lineam, seu erit admixta alicui potentialitati : quia etiam effectus, aut quasi effectus formalis, quippe effectus causæ, aut quasi causæ intrinsecæ, pertinet ad ejus intrinsecum complementum. Ergo forma, quæ non fuerit tam id, quo aliud est, et id, quod est, seu habens, et simul res habita, et per consequens per se subsistens, non dicit omnimodam actualitatem et infinitatem debitam intra suam lineam : si quidem eo ipso non erit suus effectus formalis intra eamdem lineam. Quod tamen, ut modo dicebamus, requiritur ad infinitatem ejus intra suam lineam. 47.

48. Respondetur. Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem respondetur quod in via S. Doctoris probabilius est, non omnia concreta, et abstracta ita inter se identificari, ut adhuc virtualiter non distinguantur ; sed in aliquibus abstractis, et concretis, ut in Deitate, et Deo ob sui majorem excellentiam, et in Paternitate, et Patre, et aliis relationibus personalibus ob specialem rationem, quæ ibidem urget, quamque supra disp. 9 num. 113 adduximus, contingit.

Hinc tamen non fit, prædicta abstracta non identificata absque distinctione virtuali cum suis concretis non dicere infinitam puritatem intra suam lineam. Quia ad hanc satis est, ut unumquodque sit absque distinctione virtuali suus quasi effectus formalis, qui totus, et totaliter intelligitur provenire ab ea veluti in genere causæ for-

malis, et quoad illam præcise rationem, secundum quam concipitur ab ea sic provenire, non vero secundum aliam rationem, secundum quam ab aliis rationibus alterius lineæ intelligitur oriri, et ex eis constitui. At effectus quasi formalis alicujus formæ, aut quasi formæ, qui ab ea totus, et totaliter in suo genere intelligitur provenire, tantum est ipsa, ut dans se formaliter subjecto, aut quasi subjecto, ipsaque ut data; non vero compositum, aut quasi compositum illud, quod ex ipsa sic data, et ex subjecto, aut quasi subjecto coalescit. Et ideo satis est, quod forma sit ipsamet, necnon et unio, aut quasi unio sui cum subjecto, aut quasi subjecto, ut ex parte sui se tenet, ad hoc ut sit suus effectus formalis, qui totus, et totaliter ab ea in genere causæ formalis procedit; non vero est necessarium, ut sit ipsum subjectum, aut quasi subjectum, sive ipsum suppositum, aut subsistens, cui communicatur, et ex quo secundum propria ipsius, et ex forma secundum propria ejusdem quasi coalescit quoddam veluti compositum, ut
N. Compl. optime notarunt N. Complutenses in lib. Physicorum disp. 9 num. 20 ubi distinguunt duplicem effectum formalem formæ creatæ, alium, quem vocant effectum formalem cum præcisione, alium effectum totalem : et illum, dicunt, identificari (modo ibidem explicato) cum forma, esseque (modo ibidem dicto) intrinsecum illi, hunc vero non identificari cum illa, neque esse eidem sic intrinsecum. Et ita satis erit ad infinitatem, et puritatem relationis spirativæ, debitam ei intra suam lineam, quod se ipsa formalissime sit ipsa relatio, et ipsa datio sui tam Patri, quam Filio, ut ab ea intelligitur provenire, et non requiritur, quod sit absque distinctione virtuali ipse spirator relative sumptus. Quoniam spirator sic acceptus dicit illud quasi compositum, seu constitutum, quod quasi resultat ex duabus personis Patris, et Filii et ex prædicta relatione spirationis activæ.

Nec id, quod de formis creatis in eadem probatione adducitur, obest. Quoniam formæ creatæ non sunt finitæ et limitatæ, nisi ex duobus capitibus scilicet, vel quia non sunt suus effectus formalis, totus et totaliter ab eis proveniens nisi interveniente ibidem distinctione ex natura rei, una cum identificatione in eadem entitate; vel quia distinguuntur realiter a subjectis, sive suppositis, quibus communicantur, quæque eas habent : quorum neutrum in relatione spirationis activæ, aut in aliis abstractis divinis contingit : et propterea non sunt formæ, aut quasi formæ limitatæ.

Ad secundam vero probationem respondetur, quod ad hoc, ut aliquid sit infinitum et purissimum intra lineam virtutis operativæ, satis est, quod absque distinctione virtuali sit ipsa actio et operatio, quæ ab ea, ut a virtute proxima operandi, procedit; non vero quod sit absque prædicta distinctione operatio, quæ ab ea, ut a virtute radicali præcise, vel tanquam a principio præcise *quod* procedit. Quia virtus præcise radicalis et quæ simul non est virtus proxima respectu alicujus operationis, non pertinet ad lineam illius operationis, nec talis operatio ad lineam prædictæ virtutis, ut constat in volitione procedente a natura divina ut tali, tanquam a virtute præcise radicali : et ideo neque volitio spectat ad lineam prædictæ naturæ, nec similiter natura ad lineam volitionis : cum tamen volitio et voluntas, quia comparantur per modum operationis et virtutis proximæ illius, idcirco ad eamdem lineam pertineant et eo ipso inter se absque distinctione virtuali identificentur. Et similiter id, quod præcise influit in ordine activo per modum principii *quod*, ita ut absque distinctione virtuali non sit ipsa virtus proxima illius operationis, non est necesse, ad hoc ut habeat infinitam puritatem et actualitatem intra suam lineam, quod sit ipsa operatio absque distinctione virtuali; neque etiam necesse erit, ut tale principium, talisque operatio ad eamdem lineam spectent. 49.

Unde etiam ad infinitatem et omnimodam puritatem alicujus formæ, aut quasi formæ consideratæ veluti in genere causæ formalis sufficiet, ut sit ille effectus quasi formalis, qui ab ea, ut a causa formali proxima, totus et totaliter procedit et quoad illam rationem, secundum quam ab ea procedit. Et ita non erit necessarium, ut sit absque distinctione virtuali id, quod suscipit *ut quod* talem effectum, nempe suppositum, aut res illa subsistens, cui communicatur : neque quod prædictus effectus absque distinctione virtuali identificetur cum forma, a qua radicaliter provenit; nisi quando ob specialem rationem illa linea fuerit talis conditionis, ut debeat tam ipsa forma proxima, quam radicalis, necnon id, in quo veluti suscipitur ille quasi effectus, esse per omnimodam simplicitatem,

simplicitatem, excludentem distinctionem virtualem, unum et idem : quod quidem non contingit, nisi in intellectione primordiali constitutiva Dei, ob rationes disput. 9 n. 108 adductas : necnon et in relationibus personalibus, propter illa, quæ in eadem disputatione n. 17 diximus, non vero in relatione spirationis activæ : ne in divinis dentur duo ingeniti, duoque prima principia *ut quod* virtualiter distincta, pluralitasque virtualis divinarum naturarum, et quaternitas personarum, ut explicatum est.

§ III.

Fundamentum ultimum ejusdem sententiæ et solutio illius.

50. unum nda- atum. Tertio probatur eadem sententia ratione, quæ videtur desumi ex D. Thoma locis supra disp. 9 n. 109 citatis. Quoniam relatio spirationis activæ est una et eadem prorsus absque distinctione virtuali in Patre et Filio : ergo ex vi suæ lineæ est per se subsistens : ergo hoc ipso, quod concurrat ad constitutionem principii *quo* spirandi, secundum quod ipsa concipitur ut subsistens, debebit esse ipsum principium *quod* spirativum, hoc ipso quod sit per se subsistens. Hæc secunda consequentia patet ex priori, ut constat ex iis, quæ in præcedenti argumento num. 46 dicebamus. Prior vero ex antecedenti etiam liquet. Quoniam forma, aut quasi forma, quæ communicatur duobus subjectis, aut quasi subjectis et suppositis et non est per se subsistens, non potest non multiplicari in illis. Ita quidem, ut si subjecta sunt realiter distincta et forma similiter ab eis realiter distinguatur, debeat realiter multiplicari, finiri, ac limitari per illa. Si vero forma, aut quasi forma fuerit ita eminens, ut non distinguatur realiter ab illis, etiamsi ipsa sint, non ratione limitationis, sed oppositionis realiter distincta, sed solum habeat virtualiter ab eis distingui, ac proinde virtuali quasi receptione in eisdem recipi, tunc virtualiter multip'icetur in ipsis et cum fundamento in re ejus amplitudo concipiatur minui et aliquid suæ infinitatis et actualitatis ab illa detrahi. Et propterea essentia divina, quæ communicatur tribus personis divinis, debet quasi suscipi in illis, ut per se subsistens, ne (ut loco citato probavimus) virtualiter in illis multiplicetur. Et similiter hoc ipso, quod humanitatis v. g. suscipiatur per realem susceptionem in diversis realiter suppositis, non potest non realiter in ipsis multiplicari.

Respondetur ex his, quæ ex D. Thoma loco citato diximus. Quod ex vi hujus rationis non sequitur, relationem spirationis activæ esse per se subsistentem per propriam subsistentiam relativam. Quoniam ad hoc, ut salvetur, prædictam relationem absque distinctione et multiplicatione, adhac virtuali, sui esse eamdem prorsus in Patre et Filio, satis est, quod ratione divinæ essentiæ sit subsistens per subsistentiam absolutam ejusdem essentiæ : et quod prius intelligatur subsistens per illam, quam quod concipiatur esse in Patre et Filio : sicut id supra disp. 9 num. 121 de divinis attributis dicebamus, ubi idcirco illa posse eademmet esse in tribus personis absque multiplicatione et distinctione virtuali sui concessimus, quia nimirum prius intelliguntur esse per se subsistentia per subsistentiam absolutam divinæ essentiæ, quam intelligantur communicari personis. Quomodo autem, et qua ratione relatio spirationis activæ prius intelligatur subsistens per subsistentiam absolutam, ac proinde prius concipiatur unita cum prædicta subsistentia et hæc cum illa, quam intelligatur uniri cum personis Patris et Filii ; et e converso Pater et Filius cum prædicta relatione, constat ex illis, quæ dubio præcedenti num. 32 diximus. 51. Evertitur.

Nec obest, si urgeas, quod etsi demus, sufficere ad rationes attributales, quod subsistant per subsistentiam divinæ essentiæ et quod id etiam sit illis satis ad hoc, ut possint absque sui multiplicatione, adhuc virtuali, esse in pluribus personis : nihilominus hoc non sufficiet ad relationem spirationis activæ habentis rationem proprietatis respectu Patris et Filii et distinguentis illos distinctione reali formaliter tali ab Spiritu sancto. 52. Replica.

Et ratio est. Nam sicut proprietas personalis v. g. Paternitas, quæ constituit personam Patris in *esse* personæ et simul distinguit illam per distinctionem realem formaliter talem a persona Filii debet ex vi suæ lineæ habere simul hæc duo, nimirum, quod sit per se subsistens et quod sit incommunicabilis cuivis alteri personæ : ita etiam proprietas, quæ etsi habeat veram rationem proprietatis non tamen proprietatis personalis idest constitutivæ personæ, sed tantum distinctivæ

personarum jam constitutarum ab alia tertia persona, debet habere ex vi suæ lineæ unum ex illis duobus pertinentibus ad proprietatem personalem constituentem simul et distinguentem. Ergo cum prædicta proprietas præcise habens distinguere personas Patris et Filii a persona Spiritus sancti, non possit habere hoc posterius munus ex vi propriæ lineæ, scilicet, quod sit incommunicabilis, siquidem communicatur Patri et Filio eosdemque distinguit per distinctionem realem formaliter talem ab Spiritu sancto, oportet, quod conveniat ei primum illud munus, scilicet, quod ex vi propriæ lineæ sit per se subsistens. Ergo etiam oportebit, ut hoc ipso quod non sit per se subsistens secundum propriam lineam, nequeat esse in utraque persona Patris et Filii absque distinctione et multiplicatione adhuc virtuali sui.

Patet hæc ultima consequentia. Quoniam hoc, quod est, posse unicam et eamdem formam aut quasi formam esse in pluribus suppositis realiter distinctis absque multiplicatione sui, adhuc virtuali, est proprium ejusdem formæ, ut habet omnem excogitabilem infinitatem et amplitudinem debitam intra propriam lineam. Et ideo hoc ipso, quod ad lineam formæ, saltem distinctivæ personæ ab alia persona, spectet, ut habeat propriam subsistentiam ex vi propriæ lineæ, ut probatum est, non poterit prædicta forma ea carens retinere tantam unitatem, amplitudinem et infinitatem, ut absque sui multiplicatione et distinctione, adhuc virtuali, possit esse in pluribus suppositis realiter distinctis.

53. Solutio. Respondetur, sufficere ad proprietatem non constituentem, sed præcise distinguentem personas, quod afferat ex vi suæ lineæ oppositionem realem cum alia tertia persona et quod ratione hujus oppositionis ita conveniat personis, quarum est proprietas, quod nequeat convenire alteri personæ, cum qua opponitur. Unde ultra ea, quæ in hoc argumento enumerantur convenire proprietati personali, restat hoc tertium, saltem expresse enumerandum, nimirum, oppositio, quam habet cum alia persona, a qua realiter distinguitur : et in hac convenit hæc proprietas non personalis cum proprietate personali ; licet proprietas personalis distinguat per distinctionem realem proxime et formaliter talem a persona ei opposita relative tantummodo, ut contingit in Paternitate, quæ sic distinguit præcise Patrem a Filio : cum tamen proprietas non personalis, nempe spiratio, distinguat illos per distinctionem proxime et formaliter talem ab Spiritu sancto.

DUBIUM V.

Utrum Spiritus sanctus per se procedat a duabus personis, ita ut utraque ex parte ejusdem Spiritus sancti et suæ proprietatis personalis exigatur?

54. Postquam explicuimus, non dari aliquod individuum constitutum ex essentia et voluntate divina, necnon relatione spirationis activæ, ut per se subsistenti per propriam subsistentiam relativam, quod ratione distinguatur a Patre et Filio, quodque sit spirator *ut quod* communis utrique personæ, ac proinde solummodo Patrem, ac Filium esse principium spirandi *ut quod* : statim pulsat animum inquirere, an utraque persona ad productionem Spiritus sancti, non utcumque, sed ut petita ab eodem Spiritu sancto exigatur. Et licet decisio hujus dubii ex dictis pro præcedenti colligatur : nihilominus, ut rationes D. Thomæ pro ea melius capiantur et aliquibus argumentis Scoti fiat satis, idcirco illud sigillatim excitamus.

§ I.

Explicatio tituli.

55. Pri[ill] Quod ut melius intelligatur, notandum est primo, dupliciter posse requiri plures personas ad productionem alicujus. Primo quidem ita ut hæc pluralitas personarum non petatur per se et ab intrinseco ex parte rei productæ, sed solum ex parte virtutis productivæ, quæ alias est talis conditionis, ut non possit non esse in pluribus personis, nec valeat una ex illis operari per illam virtutem, quin omnes per eamdem operentur : quo pacto creaturæ procedunt a tribus personis Trinitatis : non quidem quia ex parte creaturæ ab intrinseco omnes tres personæ ad illius productionem exigantur, sed quia virtus creativa Dei est alias talis conditionis, ut non possit non eademmet esse in tribus personis divinis : ac proinde nec possit una ex illis operari per eam, quin omnes illæ simul operentur. Et propterea si per impossibile Deus non esset trinus, sed tantummodo

tantummodo unus : nihilominus Petrus v. g. productus per illam esset ejusdem rationis.

Secundo vero, ita ut prædicta pluralitas personarum per se, et ab intrinseco requiratur ex parte rei productæ, et productionis illius. Ita quidem, ut si non daretur hæc personarum pluralitas in ejus productionem influens, tunc res producta non esset ejusdem prorsus rationis : quo pacto Verbum divinum, ut q. 34 explicuimus, per se procedit ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo, sive formaliter, sive eminenter : quia cognitio horum omnium per se exigitur ad productionem Verbi, tanquam quid petitum ex parte ipsius, et suæ processionis : ac proinde, si per impossibile deesset cognitio alicujus ex istis, ut v. g. cognitio eorum, quæ eminenter sunt in Deo, nempe creaturarum possibilium, tunc Verbum divinum, vel non procederet, vel non intelligeretur procedere ut Verbum ejusdem rationis, ac modo est.

Unde, ut in titulo denotaremus, illum non intelligi de qualicumque processione Spiritus sancti a duabus personis divinis, sed de processione ab illis hoc posteriori modo, idcirco in eo non est inquisitum solummodo, an Spiritus sanctus procedat a duabus personis; sed additum est : *an utraque persona per se, et ex parte Spiritus sancti, ac suæ proprietatis personalis ad ejus productionem exigatur.*

56. Secunda animadversio. Secundo notandum est, quod Spiritus sanctus dupliciter potest considerari. Vel secundum omnia, quæ habet ex vi suæ proprietatis personalis, ut nunc est : ac proinde secundum omnia, quæ nunc per se petit. Vel secundum ea, quæ exprimit, ut præcise dicit esse impulsum divinum, et in Deo existentem; non curando de aliis, quæ implicite in hoc involvuntur, sed solum de illis, quæ secundum hanc rationem exprimuntur. Quæ quidem ratio Spiritus sancti intelligeretur manere eadem quoad id, quod per hæc nomina præcise exprimit, etiamsi per impossibile non distingueretur realiter a Filio, nec realiter ab eodem procederet; imo licet per impossibile intellectus divinus non esset fœcundus, et productivus Verbi, et voluntas divina haberet fœcunditatem, et vim ad producendum impulsum divinum : quia tunc intelligeretur manere hæc inadæquata ratio Spiritus sancti, secundum quod præcise exprimit impulsum divinum in Deo existentem.

Titulus igitur non intelligitur de Spiritu sancto secundum hanc posteriorem considerationem, ac proinde nec de Spiritu sancto (ut aliqui loquuntur) ut sic, seu formaliter sumpto in quovis statu, id est, prout abstrahit ab Spiritu sancto, prout modo est, et secundum ea, quæ ex se, et ex vi sua modo affert, et ab Spiritu sancto, qui datis prædictis hypothesibus intelligeretur esse, et in sensu dicto manere; sed solum de Spiritu sancto, prout nunc est, et secundum omnia, quæ ex vi suæ proprietatis personalis per se, et ab intrinseco exigit. Siquidem planum est, Spiritum sanctum præcise secundum suam illam inadæquatam rationem consideratum non exigere pluralitatem personarum ad sui productionem : cum certum sit, posse intelligi, manere prædictam rationem inadæquatam, absque eo quod tunc Spiritus sanctus distingueretur realiter, aut procederet a Verbo, et absque eo quod produceretur Verbum per intellectum divinum (si hoc alias non implicaret), sed solum conciperetur manere in Deo intellectio essentialis.

Ultimo notandum est, ab aliquibus dubium hoc solum proponi his, aut similibus verbis, nempe : *An Spiritus sanctus per se procedat a duabus personis?* ab aliis vero : *An procedat a duabus, ut duabus?* Cæterum uterque inquirendi modus coincidit cum eo, quem nos in titulo proposuimus. Quoniam si Spiritus sanctus non procedit a duabus personis divinis, ita ut ex parte ipsius pluralitas personarum exigatur, tunc non per se, sed quasi per accidens procedit ab illis : quatenus per hoc denotatur, quod illi veluti accideret ad sui productionem, quod duæ personæ in eam influerent : ac proinde esset ejusdem rationis, etiamsi non plures, sed una tantummodo illum produceret. Et similiter si Spiritus sanctus non procederet a duabus, ut duabus, tunc non procederet per se a duabus, nec per se, et ex parte sua earum pluralitatem exigeret. 57. Ultima animadversio.

§ II.

Vera Augustini, et D. Thomæ, ac aliorum Patrum sententia, et prima illius ratio.

Dicendum ergo est, Spiritum sanctum per se procedere a duabus personis, ita ut hoc ex vi ejusdem Spiritus sancti et suæ proprietatis personalis exigatur. Assertio 58. Conclusio.

hæc videtur deduci ex illo Pauli 2 ad Co-
1 ad Cor. 13. rinthios 13 : *Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus.* Ubi Spiritum sanctum appellat communicationem Patris et Filii, idest, nexum utriusque. Quia, ut exponit
D.Thom. Angelicus Doctor ibidem, ipse est communis utrique, seu est mutuus amor utriusque, ut id magis explicuit quæst. sequenti art. 1 ad 3. Ac proinde per se, et ex vi suæ proprietatis personalis exigit, ut procedat ab utroque, ut ex se, et ex statim dicendis amplius patebit.

August. Idem etiam docuit Augustinus 6 de Trinitate c. 5 his verbis : *Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate subsistantiæ, et æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive ideo unitas, quia charitas, et ideo charitas, quia sanctitas, manifestum est, quod non aliquis duorum (scilicet Pater et Filius) est, quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicujus, sed suo proprio servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis, etc. Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est : at ipsa communio consubstantialis, et coæterna, quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur.*

Idem August. Prosper. Quod etiam tuentur, idem Augustinus tractatu 105 in Joannem, Prosper. in lib. Sentent. sententia 371 : *Spiritus sanctus* (ait) *Spiritus est Patris et Filii, tanquam charitas substantialis et consubstantialis*
Anselm. *amborum;* Anselmus in Monologio c. 48
Bernard. et 52, Bernardus sermone 8 in Cantica et
Rich. de S. Vict. sermone 3 de Pentecoste, Richardus de Sancto Victore toto fere libro 3 de Trini-
Hieron. tate, Hieronymus in Psalmum 17, Am-
Ambros. brosius in Symbolum Apostolorum c. 1,
Isidorus. Isidorus lib. 7 Etymologiarum c. 3, Con-
Conc. Tolet. XI. cilium Toletanum XI in confessione fidei his verbis : *Neque Patris tantum, neque Filii tantum, sed simul Patris, et Filii Spiritus dicitur.* Et infra : *Simul ab utrisque processisse monstratur : quia charitas, sive sanctitas amborum esse agnoscitur.*

59. D.Thom. Et tandem hoc ipsum docuit D. Thomas articulo 4 hujus quæstionis in solutione ad 1, ubi sic ait : *Dicendum, quod si attendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, etc. Si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt plures. Procedit enim ab eis, ut amor unitivus duorum.* Et similiter in 1 dist. 11 quæst. 1 art. 2 his verbis : *Dicendum, quod omnis actus refertur ad duo originaliter, scilicet, et ad agentem, et ad principium actionis. Agens autem est ipsum suppositum, ut homo, vel ignis : et principium actionis est aliqua forma in ipso substantialis, vel accidentalis. Dico ergo, ly in quantum potest dicere conditionem agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis, vel operantis, sic procedit Spiritus sanctus a Patre, et Filio, in quantum sunt plures, et in quantum sunt distinctæ personæ.* Et art. 4 ejusdem quæstionis in solutione ad 2 ponit discrimen inter creationem, et productionem Spiritus sancti, his verbis : *Creatio est actus trium personarum, non secundum quod distinctæ sunt, sed secundum quod uniuntur in essentia : quia etiam per intellectum remota distinctione personarum, adhuc remanebit creatio, sed spiratio est actus conveniens pluribus suppositis quodammodo, secundum quod distinguuntur.* Et tandem dist. 29 art. ultimo ad 2 ubi hoc ipsum discrimen his verbis docet : *De creatione non est similis ratio, et spiratione : quia spiratio præexigit distinctionem in suppositis : unde est aliquo modo a pluribus suppositis in quantum distincta sunt, cum sit operatio personalis. Sed creatio est opus essentiæ divinæ : unde est opus suppositi indistincti, prout essentia significatur id, quod est, ut hoc nomine Deus.*

Unde hanc sententiam sequuntur Albertus 1 p. quæst. 31 membro 1 ad 3 et membro 2 ad 10, quamvis dissentire videatur membro 3 prope fin., Richard. in 1 dist. 11 art. unico q. 3, Gregorius quæst. unica art. 2 et dist. 12 quæst. unica, Henricus de Gandavo art. 54 q. 6 ad 7, 8, 9 et 11, Argentina in 1 dist. 11, quæst. 2 columna penultima et ultima, Capreolus dist. 12 quæst. unica conclusione 4, Ferrara 4 contra Gentes c. 25 ad finem, Valentia 1 p quæst. 10 puncto 5 in fine, Vasquez disput. 150 c. 2, Suarez lib. 10 de Trinitate c. 6, Bannez, Zumel, Ripa. Nazarius, Cajetanus, Torres in præsenti, et alii; ac tandem Arrubal disput. 130, Granado tomo 3 in 1 p. tract. 10 disput. 3 sectione 1 et 2, Ruiz. de Montoya alios referens disp. 71 sectione 1.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex locis citatis ex Angelico Doctore et aliis Patribus. Quoniam Spiritus

Spiritus sanctus ex vi sua, et suæ proprietatis personalis exigit, ut sit unio, et nexus duorum, seu mutuus amor per modum termini Patris et Filii : ergo per se, et ex parte sui, ac suæ personalis proprietatis exigit, ut procedat a prædictis duabus personis. Antecedens habetur ex testimoniis citatis. Consequentia vero ex antecedenti constat. Quoniam mutuus amor duorum per modum termini per se, et ex vi eorum, quæ sunt propria illius, exigit, quod procedat ab illis.

D.Thom. Quam rationem adduxit etiam Angelicus Præceptor de Potentia quæst. 10 art. 2 ad 15 his verbis : *Dicendum, quod Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio, in quantum sunt plures, si habeatur respectus ad supposita spirantia. Cum enim Spiritus sanctus sit amor mutuus, et nexus duorum, oportet, quod a duobus spiretur. Sed si habeatur respectus ad id, quo spirantes spirant, sic procedit ab eis, in quantum sunt unum in natura divina. Non enim potest ab aliquo procedere Deus, nisi a Deo.*

§ III.

Solutiones adversariorum, et earum eversiones.

61. Evasio. Nec obest, si occurras ex aliquibus, quod connectere, unire, et similia, non conveniunt Spiritui sancto ex proprietate personali, sed ex amore essentiali : ac proinde ex vi hujus rationis non probatur, Spiritum sanctum ex vi sua, et suæ proprietatis personalis procedere a duabus personis.

Explo-ditur. Nam contra hoc est, quod licet connectere, et unire sic absolute conveniant amori, ut amor est, et ad amorem essentialem in Deo pertineant; connectere tamen, et unire per modum unius impulsus, et termini mutui amoris duorum habentium unam et eamdem voluntatem, ac volitionem, soli convenit amori personali, nempe Spiritui sancto, ex ejus proprietate

D. Thom. constitutiva, ut notavit D. Thomas in 1 dist. 10 quæst. 1 art. 3 his verbis : *Quando autem aliquis placet sibi in aliquo, trahit se in illud, et conjungit se illi, quantum potest, ita ut illud efficiatur suum : et inde est, quod amor habet rationem uniendi amantem, et amatum. Et quia Spiritus sanctus procedit ut amor, ex modo processionis habet, ut sit unio Patris ac Filii.* Ubi (ut constat) Angelicus Præceptor tribuit Spiritui sancto, quod ex vi suæ processionis procedat ut amor, et nexus Patris et Filii : ac proinde ut amor per modum termini : et per consequens, quod hoc habeat ex vi suæ proprietatis personalis : siquidem quod convenit Spiritui sancto ex vi suæ processionis, competit illi, ut petitum ex vi proprietatis personalis.

Quod adhuc magis explicuit idem Angelicus Præceptor in verbis, quæ in eodem articulo in solutione ad 3 addidit, dicens : *Pater et Filius dicuntur uniri Spiritu sancto, non effective, sed quasi formaliter. Sed forma est duplex. Quædam enim manens, et quiescens in his, quorum est forma : et sic per modum formæ se habet ad personas divinas essentia, et sic uniuntur formaliter amore essentiali. Est etiam aliquid formaliter uniens, non quasi inhærens, sed sicut procedens ab utroque unitorum : ac si diceremus, aliqua duo corpora uniri per aliquem liquorem ab eis procedentem. Et ita Pater et Filius uniuntur Spiritu sancto.* In quibus verbis (ut patet) præter unionem et nexum convenientem amori essentiali, ut tali, admittit nexum et unionem Patris, et Filii per modum termini, qui sit Spiritus sanctus, a quoque formaliter, et modo nuper dicto Pater et Filius maneant uniti.

Potestque hoc magis elucidari, et explicari ex doctrina ejusdem Angelici Præceptoris supra quæst. 34 artic. 3 ad 1 et de Veritate quæst. 4 art. 5. Nam sicut Verbum in divinis dicitur ex vi suæ proprietatis personalis, et ex vi suæ processionis habere hoc, quod est, repræsentare creaturas possibiles : non quidem quia præcise ratione ejusdem proprietatis personalis talis repræsentatio ei formaliter competat : siquidem ratione essentiæ formaliter habet illas repræsentare ; sed quia ex vi ejusdem proprietatis personalis exigit, ut ex vi suæ processionis ei communicetur essentia divina, ut est repræsentativa earumdem creaturarum. Nam eo ipso habet per modum termini producti, quod solummodo prædictum Verbum habeat formaliter sic per modum termini repræsentare creaturas possibiles, et quod hoc ei conveniat ex vi suæ proprietatis personalis, idest, ut petitum ab ea, et eidem debitum, ut est terminus suæ processionis, atque adeo ex vi ejusdem processionis. Ita similiter ad hoc, ut Spiritui sancto conveniat ex vi suæ proprietatis personalis ratio unionis, et nexus per modum termini producti, quo sic formaliter uniantur Pater et Filius, non est

62. Elucidatur ex D.Thom.

necesse, ut præcise ex vi ejusdem proprietatis personalis hoc formaliter ei competat, sed satis erit, quod ex vi illius exigatur, ut ei communicetur ex vi suæ processionis amor essentialis, ut modificatus per prædictam proprietatem personalem. Nam eo ipso habebit per modum termini producti, quod solummodo ipse Spiritus sanctus habeat sic per modum termini unire Patrem et Filium, et quod hoc ei competat ex vi suæ proprietatis personalis, idest, petitum ab ea, et ipsi debitum, ut est terminus suæ processionis, ac proinde ex vi ejusdem processionis.

63. Illustratur amplius ratione. Deinde hoc ipsum ratione desumpta ex aliis locis D. Thomæ statim referendis elucidatur et magis declaratur. Nam Spiritui sancto, et soli ipsi per se, et ex parte sua, ac suæ proprietatis personalis convenit, quod procedat per modum termini intrinseci producti per perfectissimum amorem, ut ex terminis ipsis constat : et propterea dicitur procedere per modum amoris, et impulsus perfectissimi : ergo ex vi sua, et ejusdem proprietatis personalis exiget, quod procedat per amorem perfectissimæ charitatis et amicitiæ, et quod prædictus amor amicitiæ ei communicetur : ac proinde etiam postulabit, quod procedat a duobus, nempe a Patre et Filio. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Quoniam amor amicitiæ necessario petit mutuum duorum amorem. Et ita si Spiritus sanctus ex vi sua, et suæ proprietatis personalis exigit procedere per amorem amicitiæ, et hunc illi communicari, etiam postulabit procedere per mutuum duorum amorem, ac proinde a duobus se mutuo amantibus, scilicet a Patre et Filio.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam amor inter omnes perfectissimus est amor amicitiæ : ex eo quod perfectio amoris consistit in perfectiori vinculo amantis cum re amata, ut docet D. Thomas in 1 distinct. 10 quæst. unica art. 3. (D.Thom.) Constat autem, amorem amicitiæ esse perfectissimum vinculum ex parte utriusque extremi : siquidem utrumque extremum unitur in ratione objecti amati cum amante, et insuper habet efficienter unire sibi rem amatam, quatenus producit terminum amoris, per quem res amata est in amante, illique intime unitur. Ergo si Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis exigit, quod procedat per modum amoris, et impulsus perfectissimi, exiget ex vi ejusdem proprietatis personalis, quod procedat per amorem amicitiæ perfectissimæ, eique prædictus amor communicetur.

64. Confirmatur ulterius. Confirmatur, et explicatur ex discrimine, quod solet adduci inter amorem amicitiæ, et amorem concupiscentiæ, vel simplicis benevolentiæ. Quod ille consistit in quadam redamatione plurium convenientium in aliquo uno, atque adeo ex propria ratione postulat, quod procedat a pluribus suppositis se mutuo amantibus secundum quod habent inter se aliquam vitæ unionem, ut constat ex Aristotele 8 Ethicorum cap. 11 et lib. 9 c. 9 et ex D. Thoma 1, 2 quæst. 27 art. 3 et quæst. 28 art. 1. (Aristoteles. D.Thom) At vero amor simplicis benevolentiæ, seu concupiscentiæ consistit in simplici motu, vel inclinatione appetitus in objectum diligibile, quæ est quædam unio tenens se ex parte unius extremi tantum, nempe, ipsius amantis ad rem amatam : et per consequens non est ita perfecta, nec requirit ex propria ratione redamationem inter amantem, et rem amatam, nec pluralitatem suppositorum se mutuo amantium sicut eam requirit amor amicitiæ, ex eo quod est amor perfectus. Unde propter hanc rationem Richardus de S. Victore lib. 3 de Trinitate cap. 2, 3 et deinceps inquit, (Richard) amorem esse non posse perfectum, nec jucundum, nisi sit saltem duorum : et amoris plenitudinem ex sui natura postulare plura supposita : et c. 16 et 17 inquit, plenitudinem sapientiæ salvari in una persona; plenitudinem tamen amoris exigere ad minus duo : nam perfectus amor debet esse mutuus.

65. Alia solutio Suarez. Ex quo etiam constat, nihil obesse id, quod respondet Suarez lib. 10 de Trin. c. 6 n. 4, ubi inquit, quod ratio adducta ex D. Thoma, et explicatio illius a nobis ex diversis ejusdem Angelici Præceptoris locis modo adducta tantum convincit Spiritum sanctum de facto procedere a duabus personis, quia de facto est nexus duorum : non vero quod hoc ei per se conveniat ex vi ejusdem proprietatis personalis. Nam quando Augustinus (ac proinde et alii Patres) inquit, (Augus) Spiritum sanctum esse nexum, non vult, denominationem hanc illi convenire sub illa formalitate, seu perseitate, idest, ex vi suæ proprietatis personalis, sed solum de facto ita esse. Nec etiam hoc formaliter pertinet ad rationem, vel perfectionem amoris. Amor enim Patris, quatenus diligit seipsum, non minus perfectus est, quam sit amor Patris et Filii, quatenus se mutuo diligunt. Et ideo si esse posset Pater

ter prima persona seipsam diligens absque Filio, non minus esset productiva per amorem, quantum est ex perfectione amoris.

Roboratur. Potestque hæc solutio a Suarez tradita juvari ex iis, quæ in hoc tract. disp. 6 dub. 2 et præcipue a n. 76 et deinceps diximus, nempe, quod amor notionalis consideratus, sive (ut sic dicamus) per modum viæ, et originis, sive per modum termini, et impulsus producti, non affert, nec addit aliquid perfectionis, ex eo quod sit notionalis, seu ex relationibus superadditis, ac proinde neque ex eo quod sit mutuus amor Patris, et Filii, sed totam ejus perfectionem convenire illi ex eo, quod affert, ut est amor essentialis : et per consequens, cum hic esset in Patre, si per impossibile Pater esse posset prima persona seipsam diligens absque Filio, fit inde, ut non minus esset tunc, quam nunc productivus per amorem, quantum est ex perfectione ejusdem amoris.

66. Enervatur hæc responsio. Ex dictis igitur constat solutionem hanc nihil obesse. Tum, quia testimonia Augustini, D. Thomæ, et aliorum Patrum non solum intendunt, de facto, et veluti per accidens convenire Spiritui sancto, quod sit nexus, et amor per modum termini Patris et Filii; sed quod hoc ei per se, et modo dicto competat, ut patebit intuenti illa, et modum, quo de Spiritu sancto veluti difinientes illum loquuntur. Tum etiam, quia licet amor essentialis, quo se Pater, et Filius mutuo diligunt, non crescat in perfectione ex eo, quod sit in illis, sive ex relationibus Paternitatis et Filiationis : nihilominus optime colligeremus a posteriori, non esse intra suam lineam summe perfectum ac proinde nec esse sub conceptu expresso amoris amicitiæ, nisi communicaret se utrique personæ, et redderet eas se mutuo per amorem amicitiæ diligentes : ita quidem, ut amor ille quoad perfectionem requisitam ad rationem amicitiæ non proveniat a relationibus prædictis; bene tamen quoad pluralitatem personarum ad eamdem amicitiam desideratam. Sed Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis secundum ea, quæ modo per se, et indispensabiliter habet (secundum quam rationem de illo loquimur) exigit procedere per amorem perfectissimum intra suam lineam, et explicantem totam suam perfectionem, ac proinde et pertingentem ad hoc, ut sit expresse et formaliter amor amicitiæ : quia in hoc summa vis unitiva, atque adeo summa perfectio amoris explicatur, et exprimitur, ut dictum est. Ergo debet procedere ut quid petitum ex vi ejusdem proprietatis personalis ex Patre, et Filio, ut se mutuo per amorem amicitiæ diligentibus.

Confirmatur, et explicatur. Nam sicut potentia generativa in divinis non habet suam perfectionem ex relatione Paternitatis, sed ex natura divina : et nihilominus prædicta natura non explicat suam fœcunditatem per modum potentiæ generativæ, nisi sit in Patre : quia ad ejus rationem, ut est sub hoc conceptu, desideratur, quod sit realiter distincta a Filio genito, et hanc distinctionem habet a Paternitate adjuncta : ita licet amor amicitiæ, qui est inter Patrem, et Filium, non habeat suam perfectionem a Paternitate et Filiatione, sed ab amore essentiali : nihilominus non explicat suam summam perfectionem fœcundam ad productionem Spiritus sancti, nec est sub conceptu expresso perfectissimi amoris quoad vim expressam uniendi, et amoris amicitiæ ad intra, nisi communicet se duabus saltem personis, et reddat illas mutuo se amore amicitiæ diligentes : quia ad expressam rationem amoris amicitiæ desideratur amor duorum realiter distinctorum se mutuo amantium. Ac proinde hoc ipso, quod Spiritus sanctus debeat ex vi suæ proprietatis personalis procedere per amorem perfectissimum, seu exprimentem perfectissimam vim uniendi, qui est amor amicitiæ, debet ex vi ejusdem proprietatis personalis procedere a duabus personis, nempe, a Patre et Filio : siquidem dempto Spiritu sancto, istæ solæ personæ possunt præsupponi, ut mutuo se diligentes ad illum. 67. Confirmatur.

Adde primo, quod ex parte personarum producentium Spiritum sanctum per se, et ex vi suarum proprietatum personalium exigitur, quod utraque producat Spiritum sanctum per amorem amicitiæ, quo se mutuo diligunt, ut communiter docent Theologi : ergo etiam ex parte Spiritus sancti exigetur ex vi suæ proprietatis personalis, quod procedat ex amore amicitiæ Patris et Filii. Patet consequentia. Quia Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis habet, quod sit terminus intrinsecus productus ad intra per voluntatem divinam : terminus autem intrinsecus, et principium *quod* illius habent summam adæquationem, ita ut idem prorsus requiratur ex parte principii, et ex parte termini intrinseci. Et propterea quia subsistentia comparatur per modum termini intrinsec 68. Elucidatur amplius.

respectu essentiæ, idcirco habent summam adæquationem : et quidquid requiritur ex parte essentiæ ad hoc, ut sit terminabilis per illam, tanquam per terminum intrinsecum, desideratur, sive petitur etiam ex parte ejusdem subsistentiæ, tanquam ex parte termini intrinseci, ad hoc ut illam intrinsece terminet. Et similiter, quia Verbum est terminus intrinsecus dictionis, propterea est summa adæquatio inter illud, et suum principium; ita ut id solum ex parte principii petatur influere in illud, quod prædictum Verbum ex parte sua exigit, ut influat. Et deinde, quia actio vitalis est actus intrinsecus potentiæ vitalis, et ejus intrinseca determinatio, idcirco exigit hanc eamdem adæquationem.

Angel. Præcept. Quæ probatio videtur innui ab Angelico Doctore quæstione sequenti art. 1 in solutione ad 3, ubi ideo infert, Spiritum sanctum esse nexum Patris, et Filii : quia Pater unica dilectione amat se, et Filium, et e converso : ut innuat hanc summam correspondentiam et adæquationem, quæ est inter terminum intrinsecum hujus amoris, et principium illius : et propterea sic ibidem inquit : *Spiritus sanctus dicitur esse nexus Patris, et Filii, in quantum est amor : quia cum Pater amet unica dilectione se, et Filium, et e converso, importatur in Spiritu sancto, prout est amor, habitudo Patris ad Filium, et e converso, ut amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso, quod Pater et Filius se mutuo amant oportet, quod mutuus amor, qui est Spiritus sanctus, ab utroque procedat.*

69. Roboratur ulterius. Adde secundo, quod Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis exigit, quod producatur ab aliqua persona divina : at non a solo Patre, nec solo Filio, nec ab aliqua persona divina vage sumpta : ergo ex vi ejusdem proprietatis personalis exiget, quod procedat a Patre et Filio. Major et consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Nam sicut Pater ideo producit per intellectum tanquam quid petitum ex parte Verbi, quia habet naturam divinam, et non communicatam per intellectum : ita persona, vel personæ divinæ, quæ producunt per voluntatem, idcirco producunt per illam, ut quid petitum ex parte termini voluntatis, quia habent naturam, et voluntatem divinam non communicatam eis per eamdem voluntatem : ergo cum hoc non conveniat soli Patri, aut soli Filio, aut soli personæ divinæ vage sumptæ, et hoc modo abstrahenti a Patre et Filio, sed competat his duabus personis in particulari, et determinate sumptis, siquidem secundum nullam sui rationem habent, quod procedant per voluntatem : consequens est, ut Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis exigat, quod procedat ab utroque.

Maxime, quia persona determinata qualis est Spiritus sanctus, debet ex vi suæ proprietatis personalis exigere determinatam, aut determinatas personas, a quibus procedat : ut ita terminus determinatus correspondeat suo principio determinato, et non principio vago; et Spiritus sanctus habeat aliquod principium per se, a quo ex vi suæ proprietatis personalis exigat produci. Nam si non petit utramque personam, ut principium per se sui, nullum utique exiget principium per se, ut ex illis, quæ nostri Complutenses in lib. Physicorum disp. 15 a n. 32 usque ad n. 40 proportionaliter ad præsens applicatis, constat. N. Compl.

70. Tandem impugnatur. Adde tandem, quod Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis postulat produci per actionem personalem, sicut creaturæ per actionem naturæ divinæ, et essentialem : ergo sicut creaturæ, quia producuntur per actionem naturæ divinæ, idcirco per se exigunt, ut causam sui, hunc Deum, ut est hoc determinatum individuum : ita quia Spiritus sanctus per se procedit per actionem personalem, per se etiam exiget tanquam principium sui, aliquam, vel aliquas individuas, vel determinatas personas, a quibus determinate, et per se procedat : ergo cum non exigat per se, et determinate solam personam Filii, oportet, ut per se exigat utramque, ut sunt personæ omnino individuæ, sive singulares, et determinatæ. Quæ probatio desumitur ex D. Thoma loco supra citato ex 1 Sententiarum dist. 29 art. ultimo ad 2. D.Tho.

Neque id, quod pro se adducit Suarez, ei favet. Nam si per impossibile Pater posset esse prima persona solum seipsam diligens, absque eo, quod Pater et Filius se mutuo diligerent, et hoc modo produceret Spiritum sanctum, tunc amor ille, necnon et Spiritus sanctus productus essent diversæ rationis, ac nunc : et non dicerent tantam perfectionem, quantam modo dicunt : sicut si natura divina tantum posset esse in Patre, et Spiritu sancto, tunc esset diversæ rationis, ac modo est; neque exprimeret tantam perfectionem, quantam nunc exprimit. Quia natura, quæ est communicabilis tribus suppositis, et eo ipso est fœcunda tam per intellectum, quam per voluntatem,

luntatem, affert, et exprimit majorem perfectionem, quam illa, quæ solum potest esse in duabus personis, quæque solum per voluntatem communicari queit. Ad id autem, quod ad juvandam solutionem a Suarez adductam addidimus, satis ex dictis patet.

71. Aliud effugium. Nec tandem obest alia solutio, quæ ex Scoto desumitur, nimirum, quod esse amorem mutuum in Spiritu sancto, tantum addit supra illum quamdam relationem rationis : sicut in ipso amore, qui est in Patre et Filio, quod sit mutuus, non addit distinctum amorem, sed solum quamdam relationem rationis : ac proinde non potest colligi, quod petatur ex parte proprietatis personalis Spiritus sancti pluralitas personarum Patris et Filii ad sui productionem, ex eo quod Spiritus sanctus sit amor mutuus, seu ex eo, quod in eo intelligatur esse prædicta relatio rationis : cum hæc ad illius proprietatem personalem et constitutionem ejus in *esse* personæ non pertineat.

Præcluditur. Non igitur hæc solutio obest. Quoniam aliud est, an ratio et identitas mutui amoris, qui est inter Patrem et Filium, fundet relationem realem inter eos ; an vero solum rationis : et an Spiritus sanctus, ut est mutuus amor Patris et Filii per modum termini, dicat relationem realem ad eos, fundatam, aut quasi fundatam in identitate mutui amoris, qui illi communicatur ; an vero solum addat ex hoc capite relationem rationis : aliud vero, an Pater et Filius vere et realiter se mutuo diligant et an ratio amoris mutui vere, realiter et proprie Spiritui sancto conveniat per modum termini, seu vere et proprie, ac realiter sit terminus intrinsecus amoris mutui, qui vere reperitur inter Patrem et Filium, ac proinde an talis amor, quo se mutuo diligunt, ei vere communicetur. Sicut aliud est, an relatio æqualitatis, vel similitudinis, quæ est inter tres divinas personas, sit realis, vel solum rationis ; aliud vero an vere et proprie sint æquales inter se, habeantque veram similitudinem in natura ; licet talis similitudo non dicat relationem, sed eamdem naturam in illis.

72. Etsi ergo ratio mutui amoris inter Patrem et Filium non dicat relationem realem inter ipsos, fundatam in prædicto amore : ex eo quod ratio fundandi illam est unus et idem amor residens in utraque persona : ac proinde tantum ibi superaddatur relatio quædam rationis : et similiter in Spiritu sancto esse mutuum amorem per modum termini non dicat relationem realem ad Patrem et Filium fundatam in identitate amoris sibi communicati : quia hic est idem prorsus ex parte amoris, ac ille, qui est in Patre et Filio : et per consequens ex hoc capite solum ille superaddatur relatio rationis : nihilominus Pater et Filius per unum et eumdem simplicissimum amorem realiter se mutuo diligunt et Spiritus sanctus vere et proprie est per modum termini mutuus amor Patris et Filii : quia revera terminat per modum termini intrinseci hanc mutuam dilectionem utriusque personæ. Constat autem, quod ad hoc, ut Spiritus sanctus per se et ex vi suæ proprietatis personalis exigat pluralitatem personarum Patris et Filii ad sui productionem, satis est, quod revera sit mutuus amor per modum termini Patris et Filii, seu terminus intrinsecus amoris vere et proprie mutui inter Patrem et Filium, licet talis amor non dicat relationem illam realem inter illos, nec ex eo, quod communicetur ei idem prorsus amor, superaddat aliquid aliud præter relationem rationis : quia prædicta pluralitates non petitur ex superaddita relatione rationis, sed ex eo quod revera est terminus intrinsecus illius mutuæ dilectionis estque mutuus amor Patris et Filii. Quemadmodum ad hoc, ut sit æqualitas et similitudo inter personas divinas, v. g. Filii et Spiritus sancti, requiritur unica natura illis, ut realiter distinctis, communicata, licet talis æqualitas et similitudo non dicat relationem realem : quia ad hoc satis est, esse inter eas veram æqualitatem et similitudinem jam explicatam.

Adde (id, quod in idem cum præcedenti redit) quod etsi relatio superaddita sit rationis : attamen fundamentum in omnibus his est quid reale : et ad hoc fundamentum exigitur pluralitas suppositorum : ac tandem Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis petit exhibere prædictum fundamentum, et per consequens exigere pluralitatem personarum ad sui productionem. Illustratur amplius.

§ IV.

Aliæ duæ rationes pro D. Thomæ sententia.

Secundo probatur assertio ratione alia desumpta ex D. Thoma locis supra disp. 14 num. 15 relatis, quam ibidem late prosecuti sumus, quæque ad præsens potest 73. Secunda assertionis ratio. D.Thom.

sub hac forma proponi. Quoniam amor ex propria et intrinseca ratione petit, ut procedat a dicente, et ab objecto intellecto, et a verbo concepto præsupposito ad eumdem amorem : ergo Spiritus sanctus, qui per se, et ex vi suæ processionis, ac proprietatis personalis procedit ut amor, procedet etiam per se ex Verbo, nempe ex Filio, et ex dicente prædictum Verbum, nimirum ex Patre, ita ut hoc sit petitum ex capitibus jam dictis. Antecedens constat ex dictis locis citatis, et ex iis, quæ (proportione servata) reperiuntur in amore, verbo, et dicente creatis. Consequentia vero ex antecedenti constat.

74. Occurrunt adversarii. Scotus. Suarez. Rada.

Nec obest, si occurras cum Scoto, Suarez, et Rada, hinc solum probari, quod de facto Spiritus sanctus procedat ex duabus personis, nempe, Patre et Filio, non tamen, quod id petatur per se, et per locum intrinsecum, sive ex vi proprietatis personalis ab Spiritu sancto. Et ideo si per impossibile Deus non esset fœcundus per intellectum, sed tantum per voluntatem, tunc produceretur Spiritus sanctus, et non a Verbo, sed sufficeret intellectio essentialis : atque adeo Spiritus sanctus per se, et per locum intrinsecum non exigit produci a duabus personis.

Impugnatur.

Non igitur hoc obest. Quoniam hæc solutio, et alia, quæ huc spectant, manent satis impugnata ex illis, quæ disputatione citata a num. 18 usque ad num. 91 late diximus. Quibus etiam addendum est id, quod in explicatione tituli diximus, scilicet, non fieri hic sermonem de Spiritu sancto utcumque, sed secundum id, quod modo dicit petitum ex vi suæ proprietatis personalis adæquate sumptæ, quoad omnia, quæ ad suam intrinsecam rationem pertinent, non vero secundum id, quod datis hypothesibus impossibilibus habere intelligeretur, secundum quam rationem solum inadæquate conciperetur habere rationem Spiritus sancti. Constat autem, quod loquendo sic de Spiritu sancto, petit ex vi suæ proprietatis personalis, et per locum intrinsecum, quod procedat per processionem secundam ex illis, quæ possunt esse in Deo : ac proinde quod procedat per processionem per voluntatem præsupponentem processionem intellectus, et Verbi : ac tandem, quod habeat etiam procedere a Verbo, ut loco nuper citato latius diximus.

75. Ultima ratio.

Tertia tandem et ultima ratio desumitur etiam ex D. Thoma locis disput. 14 num. 77 citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam Spiritus sanctus ex vi suæ processionis, et proprietatis personalis habet distingui realiter a Patre et Filio : siquidem per se, et ab intrinseco, et non per accidens ; aut quasi per accidens distinguitur ab illis ; et non aliunde quam ex sua proprietate personali habet ab eisdem distingui : ergo per se, et ex vi suæ proprietatis personalis procedit ab illis. Patet consequentia. Quia realis distinctio in divinis non est, nisi per oppositionem relativam : siquidem ibidem nequit inveniri distinctio orta ex limitatione : et nullum aliud caput invenitur, unde oriatur distinctio realis aliquorum, nisi vel limitatio eorum, vel oppositio inter ipsa. Constat autem ex dictis loco citato, oppositionem relativam repertam in divinis solum posse esse ejus, *a quo est alius*, et ejus, *qui est ab alio*, seu oppositionem relativam originis. Et ideo hoc ipso, quod Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis distinguatur a Patre et Filio, debebit ex vi illius exigere, quod procedat ab utroque.

Nec necesse erit evasiones, quas adversarii huic rationi tradunt, referre : quia omnes illæ satis ex dictis in hoc dubio, et ex illis, quæ loco citato latius asseruimus, corruunt.

V.

Opposita sententia, cum suis fundamentis et responsionibus ad illa.

Contrariam tamen sententiam, nempe, Spiritum sanctum per se, et ex vi suæ processionis, et proprietatis personalis non exigere pluralitatem personarum Patris et Filii, et sic quasi per accidens ad illius productionem concurrere, tenent Scotus in 1 dist. 12 quæst. 1, Gabriel ibidem, Durandus dist. 11 quæst. 3, et alii. 7[illegible]

Probatur primo. Quoniam ad productionem alicujus effectus, vel termini per accidens se habet, quod virtus operativa sit in hoc, vel illo supposito, aut in uno, vel pluribus; per se autem, quod detur virtus operativa sufficiens ad illum ; sive hæc sit in hoc, vel illo supposito, aut subjecto, et sive in uno, sive in pluribus : ergo ad productionem Spiritus sancti per se, et ex parte Spiritus sancti solum desiderabitur virtus spirativa sufficiens, et in aliquo supposito non procedente per voluntatem ; per accidens autem, quod sit in hoc, vel illo

illo determinate, aut quod sit in pluribus. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur in humanitate Christi Domini, ad cujus operationes, et effectus per se requiritur virtus operativa illius, et per accidens se habet, quod sit in supposito divino, aut quod sit in uno, vel pluribus; et actiones ejus in ordine Physico sunt ejusdem rationis nunc, dum est supposita in Verbo, ac essent, si haberet propriam personalitatem.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia quando in aliquo supposito est æque perfecta virtus, ac est in pluribus, tunc per accidens se habet pluralitas suppositorum; et non petita ex parte termini producti. Et propterea pluralitas personarum in divinis per accidens se habet ad productionem creaturarum, et non petitur ex parte earumdem creaturarum, quia virtus creativa æque perfecta est in singulis, ac in omnibus personis : et ita, si per impossibile tantum esset unica, eaque absoluta persona in Deo, tunc æque et eodem modo produceret creaturas. Sed virtus spirativa æque perfecta est in una, ac in pluribus personis divinis : ergo Spiritus sanctus quasi per accidens, et non ut quid petitum ex parte sua habet, quod procedat a pluribus personis, nempe a Patre et Filio.

Secundo. Confirmatur secundo. Quoniam vel Pater perfecte spirat Spiritum sanctum; vel non? Si hoc secundum dicatur : ergo ponitur aliqua imperfectio in illo. Si vero primum : ergo non desi leratur per se influxus Filii.

Tertio. Confirmatur tertio. Quoniam processio amoris ut sic non exigit ex se, quod sit a pluribus : ergo nec processio amoris divini id ex se postulabit, sed quod, sicut processio amoris creati est ab unico supposito, ita et divini, quamvis cum hoc discrimine, quod illa sit a supposito involuto imperfectionibus, ista vero a supposito perfectissimo, nempe divino.

77. Satisfit fundamento primæ conclusioni. Respondetur, antecedens esse verum, nisi alias ex parte effectus, aut quasi effectus ob specialem rationem suam exigatur peculiariter aliquod suppositum determinate, vel pluralitas suppositorum, ut in præsenti contingit ob rationes traditas pro assertione. Et similiter ad primam confirmationem neganda est major universaliter intellecta. Quia fieri potest, ut ob specialem rationem effectus, aut quasi effectus, exigatur pluralitas suppositorum, non quidem per modum virtutis et rationis agendi, sed per modum conditionis ad illam actionem requisitæ : quatenus conditio ad actionem dicit totum id, quod non est ipsa virtus agendi, sive sit personalitas, aut pluralitas personalitatum, sive aliquod aliud, quodcumque illud sit, ut in præsenti contingit. Nam voluntas et amor Dei, aut relatio spirationis activæ non habent necessariam conditionem ad spirandum requisitam ex parte principii *quod*, nisi subsistant in duabus personis mutuo se amantibus, nempe in Patre et Filio et hæc conditio petitur ex parte Spiritus sancti. Nec id, quod de creaturis adducitur, obest. Quoniam ad productionem creaturarum non requiritur pluralitas personarum, ut afferentium majorem virtutem, quam sit in unica solummodo persona, ut in individuo Deitatis, nec tanquam conditio ex parte creaturarum petita ad earum productionem. Quia cum actio creativa pertineat ad essentiam, quippe quæ est communis omnibus personis, satis est ad illam principium et ratio agendi essentialis et per modum conditionis solum petitur ex parte effectus subsistentia absoluta. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 dist. 29 articulo ultimo ad 2. D.Thom.

78. Diluitur secunda confirm. Ad secundam confirmationem respondetur, quod Pater perfecte spirat Spiritum sanctum, si per spirare perfecte intelligatur, quod tota perfectio requisita ad spirandum quæ est simul in Patre et Filio, reperiatur etiam in solo Patre. Et ratio est. Quoniam perfectio ista non provenit ex relationibus Paternitatis et Filiationis, sed ex essentia divina et amore essentiali. Cæterum cum hoc stat, ut solus Pater non possit producere eumdem Spiritum sanctum. Quia licet relationes Paternitatis et Filiationis non sint id, unde provenit perfectio requisita ad spirandum : sunt tamen conditiones requisitæ ad prædictum actum spirandi : ex eo quod ad illum requiruntur duæ personæ Patris et Filii propter rationes dictas. Et ita conditiones omnimodæ ad spirandum non sunt in solo Patre, aut Filio, sed in utroque simul. Unde, sicut tota perfectio requisita ad generandum provenit ab essentia divina et nihilominus essentia sola non generat, nec hinc aliquid imperfectionis in ea ponitur, ex eo quod persona Patris per modum conditionis non afferentis ex expresso suo conceptu relativo perfectionem ad generandum desideretur : ita in præsenti, proportione servata, hoc ipsum dicendum est.

79. Respondetur ad tertiam. Ad tertiam confirmationem transeat antecedens, et negetur consequentia. Quoniam in creaturis non potest una et eadem voluntas esse in pluribus suppositis creatis : et ideo processio amoris nequit esse a prædictis duabus personis : cæterum in divinis una et eadem voluntas, et unus et idem amoris actus potest esse in duabus personis. Cumque hic amor non exprimat totam suam perfectionem, nisi ut est sub conceptu expresso amoris amicitiæ, et amor iste necessario exigat pluralitatem personarum se mutuo diligentium, oportet, ut processio amoris in divinis, seu processio Spiritus sancti, qui exigit procedere per actum amandi exprimentem summam perfectionem in ratione amoris, debeat per prædictum actum, et a pluribus suppositis procedere, ita ut pluralitatem hanc per modum conditionis in suo principio *quod* requirat.

80. Replica. Sed urgebis non cohærere inter se ea, quæ in solutionibus ad primum argumentum, et ejus confirmationes diximus. Nam inde colligimus, deesse Filio potentiam generativam, quia etsi non desit ei essentia, deest tamen illi Paternitas, quæ est conditio requisita. Et similiter ex eo deducimus, non esse in Spiritu sancto potentiam spirativam, quoniam licet sit in eo voluntas, et amor essentialis una cum divina natura, deest tamen illi relatio spirationis activæ, quæ est conditio requisita. Ergo nequit inter se cohærere, quod ex una parte dicamus, Patrem solum habere perfecte potentiam spirativam, et similiter Filium; et quod requiratur per modum conditionis utraque relatio Paternitatis et Filiationis, et utraque non sit in Patre, aut in solo Filio.

Confirmatur primo. Confirmabis primo. Quia etsi fieri possit, aliquid habere virtutem, aut potentiam aliquam operativam; et quod nihilominus per accidens, et aliquando desit illi aliqua ex conditionibus requisitis : non tamen quod habeat prædictam potentiam, et quod semper et necessario illi desit. At Patri v. g. semper et necessario deest Filiatio : ergo si Filiatio desideratur per modum conditionis, non poterit Pater solus habere potentiam spirativam.

Secundo. Confirmatur secundo. Quoniam potentia spirativa ex se affert omnes conditiones ad spirandum : alioqui non haberet ex se, et necessario influere in spirationem : ergo si in patre præcise sumpto deest illa conditio, nempe Filiatio, imo talis conditio ei repugnat, deerit etiam ei, et illi repugnabit potentia spirativa.

Tertio. Confirmatur tandem. Quoniam juxta superius dicta in hac disputat. num. 24 potentia spirativa, non dicit, adhuc in obliquo, nisi solam relationem spirationis activæ; non vero relationes Paternitatis, et Filiationis : ergo Spiritus sanctus non petet ex vi suæ processionis, et proprietatis personalis, quod procedat a duabus personis. Patet consequentia. Quoniam si Spiritus sanctus ex prædictis capitibus id peteret, tunc etiam exigeret, quod potentia spirativa diceret, saltem in obliquo, utramque relationem Paternitatis, et Filiationis.

81. Solvitur replica. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, ideo colligi, non esse in Filio potentiam generativam, et in Spiritu sancto potentiam spirativam, ex eo quod illi deest Paternitas, et huic relatio spirationis activæ : quia Paternitas est connotatum potentiæ generativæ, et relatio spirationis potentiæ spirativæ; ita ut potentia v. g. generativa ex essentia, et Paternitate coalescat. Cæterum Paternitas, et Filiatio non sunt hoc modo conditiones, aut connotatum potentiæ spirativæ; et ideo prædicta potentia non coalescit ex eis, et ex voluntate divina, potestque reperiri, v. g. in Patre; sed sunt conditiones requisitæ ad ipsum actum spirandi : ex eo quod ad hunc non solum desideratur potentia spirativa, sed etiam principium *quod* : ac proinde, quoad præsens attinet, desiderantur duæ personæ constitutæ per prædictas relationes, quæ sint unicum principium *quod* spirativum, quæque dicuntur per modum conditionis requiri propter rationem num. 23 tactam.

Ad primam et secundam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod ad hoc, ut Pater spiret, non requiritur per modum conditionis, quod ipse sit Filius; sed quod simul cum eo Filius spiret. Hæc autem conditio semper adest, semperque est conjuncta cum Patre et influxus illius. Per quod ad secundam confirmationem satis patet. Quoniam ad rationem potentiæ spirativæ non requiritur, quod ipsa se sola formalissime sit, tam potentia spirativa, quam omnes aliæ conditiones ad spirandum requisitæ; sed satis est, quod habeat nexum cum illis, ut in præsenti contingit, ubi potentia spirativa semper est conjuncta cum Patre et Filio, qui per modum conditionis ad spirandum requiruntur.

Per

82. Ad tertiam. Per quod etiam ad tertiam confirmationem patet, concedendum esse antecedens et negandam consequentiam. Quoniam ad hoc, ut Spiritus sanctus ex vi suæ processionis et proprietatis personalis exigat duas personas ad sui productionem, non est necessarium, quod potentia spirativa ex parte sui et ad sui constitutionem illas exigat, sed satis erit, quod actus spirandi sit talis conditionis, ut ex se exigat, quod ex parte potentiæ spirativæ dentur, quæ sunt propria illius, ex parte vero principii *quod* petat, quæ sunt propria ejusdem, ut per se desiderati ad productionem, qualia sunt duæ personæ Patris et Filii.

83. Secundum fundamentum. Secundo principaliter probatur eadem sententia. Quoniam si spirare per se exigeret pluralitatem suppositorum, tunc Pater quodammodo haberet a Filio, quod spiraret : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Sequela videtur certa. Quoniam Pater nequit spirare, nisi spiret Filius et conjunctus cum eo : ergo quodammodo habet spirare a Filio. Falsitas autem consequentis constat : quandoquidem quidquid habet Pater, habet a se.

Evertitur. Respondetur negando sequelam. Quia illum ipsum influxum, quem præstat Filius, habet communicatum a Patre : et influxus ille non desideratur tanquam dans Patri virtutem ad influendum et spirandum, sed tanquam quid datum a Patre et requisitum per modum conditionis ad hoc, ut Pater spiret. Sicut licet ad hoc, ut creatura producat aliquem effectum, requiratur ex parte illius, ut a creatura eliciti, influxus Dei : et ad hoc ut Deus influat in illum, ut actu productum a creatura, desideretur etiam influxus creaturæ : nihilominus aliter et aliter hoc ibidem invenitur. Nam influxus creaturæ petitur, non utcumque, sed etiam ut datus a Deo : at influxus Dei, ut dans influxum creaturæ; et non ut quid datum ab illa. Et propterea Deus non habet a creatura, quod influat; licet ad productionem illius effectus, ut hic et nunc producti, desideretur concursus creaturæ, sed potius e contra creatura habet producere illum a Deo. Et similiter, licet actio, prout ab agente, sit ab agente et a fine, et non sit ab hoc, nisi sit ab illo; et e converso : nihilominus, quia quod sit ab agente, non desideratur, ut dans fini, quod moveat; econtra vero, quod sit a fine, petitur tanquam dans agenti in genere causæ finalis, quod agat, ex eo quod movet illum ad agendum : idcirco non ideo finis habet ab agente finalizare; secus vero agens habet a fine, quod agat.

Tertio probatur prædicta sententia. Quoniam si Spiritus sanctus per se procederet a duabus personis Patris et Filii, tunc vel procederet ab illis, ut unum sunt; aut ut plures? Si ut unum : ergo per accidens esset ibi pluralitas : et ita per accidens procederet a pluribus personis. Si autem procederet ab illis, ut sunt plures : ergo Spiritus sanctus non esset unicus et idem quasi effectus productus. Patet consequentia. Quia unus et idem effectus, aut quasi effectus specificatus a suo principio productivo, qualiter in præsenti contingit, non potest retinere unitatem, nisi respiciat illud, ut unum. Nam sicut potentia, v. g. intellectiva, nequit esse una, nisi suum objectum sit unicum et ut unicum inspiciatur : ita quia relatio constitutiva Spiritus sancti est unica et indivisibilis, idcirco debet habere unicum et indivisibile principium. 84. Tertium.

Dissolvitur. D.Thom. Respondetur ex dictis et ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum distinct. 11 quæst. unica art. 2, ubi sic habet : *Actus est alicujus, ut agentis ; et alicujus, ut principii actionis. Si ergo ly in quantum, replicet conditionem agentis, sic Pater et Filius, in quantum sunt plures, spirant Spiritum sanctum. Si autem replicet conditionem principii actionis, sic in quantum sunt unum in virtute spirativa, spirant Spiritum sanctum.* Ubi (ut constat) tribuit Spiritui sancto, quod procedat a pluribus personis, ut sunt plures in ratione personarum et unum in virtute spirativa : ac proinde ut absolute et simpliciter sunt unum principium spirativum. Quia principium spirativum sumitur substantive et ad ejus multiplicationem requiritur multiplicatio, tam suppositorum, quam virtutis spirandi; quæ tamen in præsenti non invenitur : et ideo satis est prædicta unitas in principio spirativo ad hoc, ut Spiritus sanctus sit unicus et idem.

Additamentum. Adde, quod si loquamur de relatione constitutiva Spiritus sancti præcise sumpta et de termino relativo ei correspondente, tunc terminus formalis illius est unicus et indivisibilis, scilicet, relatio spirationis activæ communis Patri et Filio; quamvis terminus materialis per se inspectus sint Pater et Filius, quorum quilibet, quia est terminus materialis inadæquatus, idcirco, licet inter se distincti sint, non refundunt realem distinctionem in Spiritu sancto.

85. Ultimum. Ultimo probatur eadem sententia. Quoniam si per impossibile Pater non haberet intellectum; vel si in eo esset intellectus, non tamen fœcundus, haberet tamen voluntatem fœcundam, tunc produceret Spiritum sanctum, non aliter, ac nunc illum producit : ergo concomitantia Filii, quæ de facto reperitur, per accidens se habet ad talem spirationem. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quoniam relatio Filiationis nihil addit virtuti spirativæ in Patre existenti : ergo ea seclusa et per consequens quod Pater non esset fœcundus per intellectum producendo Filium, nihilominus eodem modo produceret Spiritum sanctum.

Enodatur. Respondetur negando antecedens. Quoniam Spiritus sanctus tunc productus esset diversæ rationis, ac nunc, ut constat ex dictis. Et ad probationem dicendum est, quod etsi relatio Filiationis nihil addat virtuti spirativæ existenti in Patre, imo neque virtuti spirativæ existenti in ipso Filio, ita ut ex parte illius se teneat, et ad ejus constitutionem quodammodo ingrediatur : nihilominus addit aliquam conditionem per se petitam ex parte actus spirandi ad spirandum, imo et per se petitam a potentia spirativa, non tanquam aliquid ejus, sed tanquam aliquid, quod debet inveniri in integro principio *quod*, imo si non daretur Filiatio, tunc optime colligeremus, virtutem spirativam non esse ibidem summe perfectam : quia ad ejus summam perfectionem desideratur, quod se communicet Patri et Filio, ut suppositis, in quibus subsistat, quæque ab ea formaliter reddantur mutuo se amantia : et ita desideratur utrumque suppositum ad hoc, ut remaneat eadem virtus spirativa, et idem Spiritus sanctus productus.

§ VI.

Ex dictis in hac disputatione deducitur solutio cujusdam argumenti num. 13 adducti, et in hunc locum remissi.

86. Objectio. Ex quibus omnibus deducitur, quid dicendum sit ad quamdam objectionem quam in hac disputat. num. 13 adduximus ad probandum, Patrem et Filium non esse unicum principium Spiritus sancti, cujus solutionem in hunc locum remisimus, quæque sic se habebat. Quod cum dicitur, Patrem, et Filium esse unicum principium Spiritus sancti, non est pro quo supponat illud prædicatum, nempe, *unum principium* : ergo non habebunt rationem unius principii respectu ejusdem Spiritus sancti. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia nec potest supponere pro uno principio, quod sit Pater, alioqui Filius esset Pater : nec pro uno principio, quod sit Filius, alias Pater esset Filius : nec tandem pro uno principio, quod sit simul Pater, et Filius, alioqui Pater, v. g. non posset esse illud unum principium ; ergo, etc.

Ex dictis igitur in hac disputatione facile deducitur, quid ad hanc objectionem dicendum sit. Etenim hoc nomen *principium*, secundum quod diversimode sumitur, diversimode potest significare, aut supponere. Quando enim in hac propositione dicitur, *Pater et Filius sunt unum principium*, tunc supponit pro utroque supposito, quatenus afficitur eadem virtute : et sic dicit principium perfectum cum omni conditione ad spirandum requisita. Et principium secundum hanc suppositionem nunquam verificatur de sola una persona, sed de utraque, prout afficitur tali virtute. At quando in alia propositione dicitur, *Pater est principium*, ly *principium* supponit pro uno supposito habente perfectam rationem spirandi cum quadam conditione ad spirandum requisita. Nec mirum est, quod nomen *principii* in diversis suppositionibus diversimode supponat. Cum enim nomen principii de se sit aptum ad quamlibet ex prædictis significationibus : inde est, ut ratione subjectorum, cum quibus conjungitur in propositione, limitetur ad supponendum hoc, vel illo modo : cum juxta regulam Dialecticorum : *Talia sint prædicata, qualia permittuntur a subjectis.* Respondetur.

Potestque hoc amplius explicari sequenti exemplo. Etenim hac propositione, *Pater et mater sunt causa filii*, ly *causa* supponit collective pro patre et matre, quatenus utrumque est causa adæquata ipsius : et secundum hanc suppositionem pro neutro seorsum determinate, et sigillatim supponere potest. At in ista propositione, *Pater est causa filii*, ly *causa* non supponit pro causa adæquata, sed pro sola causa requisita ex parte patris : et sic potest illud prædicatum verificari de patre, et supponere pro illo. Sic ergo in præsenti, proportione servata, dicendum est. 87. Elucidatur exemplo.

Unde juxta hæc (ut notarunt plures ex recentioribus Thomistis) intelligendum est id, quod D. Thomas artic. 4 hujus quæstionis D. Th

tionis in solutione ad 4 inquit, nempe, quod *in hac propositione Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, hoc quod dico principium, non habet determinatam suppositionem; imo confusam pro duabus personis simul :* quia non sumit suppositionem confusam in eo sensu et rigore, quo illam Dialectici accipiunt; sed quia sumpto principio Spiritus sancti adæquate, ut dicit rationem formalem spirandi, et simul omnem conditionem necessariam ad spirandum, tunc supponit immediate pro Patre et Filio per modum cujusdam collectionis : ita quod neutrum liceat determinate designari sub tali prædicato, cui determinate, et soli competat esse prædictum principium integrum Spiritus sancti.

DUBIUM VI.

Utrum Spiritus sanctus procedat ex amore omnium, quæ formaliter et necessario sunt in Deo, necnon ex amore creaturarum possibilium, ut talium, aut in aliqua differentia temporis existentium?

88. Postquam egimus de principio *quo*, et *quod* in *esse* rei Spiritus sancti, restat, ut agamus de objecto, ex cujus amore procedit. Quia vero quoad hoc eadem est ratio de Verbo et de Spiritu sancto, loquendo de iis, quæ formaliter et necessario sunt in Deo, ex quorum amore poterat dubitari, an procederet; et quoad creaturas possibiles quid dicendum sit, constat ex his, quæ loco statim referendo diximus; ac tandem quoad creaturas existentes eodem proportionali modo philosophandum est in processione Verbi, et Spiritus sancti : idcirco dubium hoc brevissime absolvemus : et ita non tam in eo veritas decidetur, quam, ubi decisa sit, ostendetur.

Conclusio. Dicendum ergo est, Spiritum sanctum per se procedere ex amore omnium, quæ formaliter et necessario sunt in Deo, non tamen ex amore creaturarum possibilium; et multo minus existentium in aliqua differentia temporis. Ita quoad primam partem omnes Theologi, quos quoad processionem Verbi in simili disputatione 12 numer. 5 retulimus. Et quoad secundam partem omnes illi Doctores, quos in 2 tomo tractatu 4 disputat. 5 num. 13 adduximus. Ac tandem quoad tertiam, nempe, quoad creaturas existentes, idem tuentur cuncti Theologi quos in hoc tractatu disputat. 12 num. 113 citavimus.

Ratio autem assertionis pro priori parte constat ex dictis in hoc tractatu disputatione nuper citata a num. 8 quoad præsens applicatis. Nam sicut Verbum ad sui processionem exigit cognitionem perfectissimam, et propterea debet procedere ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter et necessario in Deo : ita etiam Spiritus sanctus postulat procedere per amorem perfectissimum, et (ut sic dicamus) universalissimum : et ideo debet procedere ex amore omnium, quæ formaliter et necessario in Deo inveniuntur. 89. Ratio ejus pro prima parte.

Ratio autem ejusdem assertionis quoad secundam partem, nempe, Spiritum sanctum non procedere ex amore creaturarum possibilium, ut talium, est. Quoniam creaturæ possibiles, ut tales præcise, nullam habent bonitatem, ut in 2 tomo tractatu et disputatione citatis a num. 13 usque ad num. 40 late prosecuti sumus, ubi etiam explicuimus, cui prædictæ creaturæ, ut possibiles, debeant necessario cognosci a Deo, ad hoc ut ejus cognitio sit comprehensiva propriæ essentiæ; non tamen desideratur, eas necessario, aut absolute amari a Deo, quatenus sunt possibiles : et per consequens nec hunc amorem esse necessarium ad hoc, ut Deus perfectissime, et (ut sic dicamus) comprehensive, seu adæquate seipsum amet. Ratio pro secunda.

Ratio autem ejusdem assertionis quoad tertiam partem satis liquet ex illis, quæ in hoc tractatu disputatione citata num. 113 diximus. Quoniam sicut Verbum non potest procedere ex cognitione creaturarum existentium, quia non est ita necessaria sicut ipsum Verbum : ita nec Spiritus sanctus poterit procedere ex amore earum creaturarum existentium : quia nec ipse, nec prædictus amor earum est ita necessarius, sicut Spiritus sanctus. Nec necesse erit ultra prædicta, suppositis illis, quæ locis citatis adduximus, aliquid aliud huic dubio addere. 90. Fundamentum pro tertia parte.

QUÆSTIO XXXVII

De nomine Spiritus Sancti, quod est amor.

PROŒMIUM

Deinde quæritur de nomine amoris.

ARTICULUS 1.

Utrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti?

I dist. 10 art. 4 et dist. 27 q. 2 art. 2 q. 2 cor. Et verit. q. 4 art. 2 ad 7.
* Lib. 15 de Trin. cap. 17 ante medium, tomo 3.
* Cap. 4 part. 2 et part. 1 non remote a fin.
* Q. 36 art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod amor non sit proprium nomen Spiritus Sancti. Dicit enim Augustinus * 15 de Trinitate: Nescio cur sicut sapientia dicitur et Pater et Filius et Spiritus Sanctus et simul omnes, non tres, sed una sapientia, non ita et charitas dicatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus et simul omnes una charitas. Sed nullum nomen, quod de singulis personis prædicatur et de omnibus in communi singulariter, est nomen proprium alicujus personæ. Ergo hoc nomen amor non est proprium Spiritus sancti.

2. Præterea, Spiritus sanctus est persona subsistens. Sed amor non significatur, ut persona subsistens; sed ut actio quædam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Præterea, amor est nexus amantium : quia secundum Dionysium * cap. 4 de Divinis nominibus, est quædam vis unitiva. Sed nexus est medium inter ea, quæ connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio (sicut ostensum * est) videtur, quod non sit amor, aut nexus Patris et Filii.

4. Præterea, cujuslibet amantis est aliquis amor. Sed Spiritus sanctus est amans. Ergo ejus est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor, erit amor amoris et Spiritus a Spiritu. Quod est inconveniens.

* Homil. 30 in Evangel. circa princ. illius.

Sed contra est, quod Gregorius dicit in * homil. Pentecostes : Ipse Spiritus sanctus est amor.

* Q. 27 artic. 2, 3, 4 et 5.
* Q. 27 artic. 4 ad 3.

Respondeo dicendum, quod nomen amoris in divinis sumi potest essentialiter et personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen filii. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod cum in divinis, ut supra ostensum * est, sint duæ processiones, una per modum intellectus, quæ est processio Verbi; alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris : quia prima est nobis magis nota ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinventa, non autem in processione voluntatis. Unde et quibusdam circumlocutionibus utimur ad significandam personam procedentem : et relationes etiam, quæ accipiuntur secundum hanc processionem et processionis et spirationis nominibus nominantur, ut supra dictum * est, quæ tamen sunt magis nomina originis, quam relationis, secundum proprietatem vocabuli. Et tamen similiter secundum utramque processionem considerari oportet. Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum : ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit, quædam impressio (ut ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente. Ita quod, cum aliquis se ipsum intelligit et amat, est in se ipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente et amatum in amante. Sed ex parte intellectus sunt vocabula adinventa ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam, ut patet in hoc, quod dico, intelligere. Et sunt etiam alia vocabula adinventa ad significandum processum intellectualis conceptionis, scilicet ipsum dicere et verbum. Unde in divinis intelligere solum essentialiter dicitur, quia non importat habitudinem ad verbum procedens; sed verbum personaliter dicitur, quia significat id, quod procedit : ipsum vero dicere dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principii Verbi ad Verbum ipsum. Ex parte autem voluntatis præter diligere et amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc, quod amat, ad suum principium, aut e converso. Et ideo, propter vocabulorum inopiam, hujusmodi habitudines significamus vocabulis amoris et dilectionis : sicut si Verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. Sic igitur, in quantum in amore, vel dilectione non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam, amor et diligere essentialiter dicuntur, sicut intelligentia et intelligere : in quantum vero his vocabulis utimur ad exprimendam habitudinem ejus rei, quæ procedit per modum amoris, ad suum principium et e converso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens et per diligere intelligatur spirare amorem procedentem, sic amor est nomen personæ et diligere, vel amare est verbum notionale, sicut dicere, vel generare.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de charitate, secundum quod essentialiter sumitur in divinis, ut dictum * est.

* In corp. art. q. artic. ad 4
* Q. artic.

Ad secundum dicendum, quod intelligere et velle et amare licet significentur per modum actionum transeuntium in objecta; sunt tamen actiones manentes in agentibus (ut supra dictum est *) ita tamen, quod in ipso agente important habitudinem quamdam ad objectum. Unde amor, etiam in nobis, est aliquid manens in amante et verbum cordis manens in dicente; tamen cum habitudine ad rem verbo expressam, vel amatam. Sed in Deo, in quo nullum est accidens, plus habet : quia tam verbum, quam amor est subsistens. Cum ergo dicitur, quod Spiritus Sanctus est amor Patris in Filium, vel in quidquam aliud, non significatur aliquid transiens in alium; sed solum habitudo amoris ad rem amatam, sicut et in verbo importatur habitudo verbi ad rem verbo expressam.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur esse nexus Patris et Filii, in quantum est amor : quia cum Pater amet unica dilectione se et Filium et e converso, importatur in Spiritu Sancto (prout est amor) habitudo Patris ad Filium et e converso, ut amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso, quod Pater et Filius se mutuo amant, oportet, quod mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus, ab utroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus Sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona. Secundum vero prædictam habitudinem est medius nexus duorum ab utroque procedens.

Ad quartum dicendum, quod sicut Filio, licet intelligat, non tamen sibi competit producere verbum, quia intelligere convenit ei ut verbo procedenti : ita licet Spiritus Sanctus amet essentialiter accipiendo; non tamen convenit ei, quod spiret amorem, quod est diligere notionaliter sumptum : quia sic diligit essentialiter, ut amor procedens, non ut a quo procedit amor.

Conclusio :

Conclusio : Amor, secundum quod personaliter sumitur, est proprium numen Spiritus Sancti, sicut verbum est proprium nomen Filii.

Circa hunc articulum, suppositis illis, quæ disputatione præcedenti et præcipue dubio quinto diximus necnon et iis, quæ supra quæstione 27 artic. 3 et 4, late asseruimus, nihil peculiariter occurrit dicendum, nec aliquid aliud ad ea, quæ in eo traduntur, desideratur.

ARTICULUS II.

Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto ?

list.14 1 art. cor. t dist. 2 q. 1 . 1 et con. p. 23 a. et . q. 2 t. 3, et q. art. 9, 13.
Lib. 7 Trin. p. 1 fin. ascr. m, n. 3. Art. c. et 27 ar- t. 3.
Lib. 6 Trin. p. 5 irca inc. n. 3.
Lib 1 ract. . 26 quan- dum rinc. 90 i.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Pater et Filius non diligant se Spiritu Sancto. Augustinus enim * in 7 de Trinitate probat, quod Pater non est sapiens sapientia genita, ita Spiritus Sanctus est amor procedens, ut dictum est *. Ergo Pater et Filius non diligunt se amore procedente, qui est Spiritus Sanctus.

2. Præterea, cum dicitur Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, hoc verbum, diligere, aut sumitur essentialiter, aut notionaliter ? Sed non potest esse vera, secundum quod sumitur essentialiter : quia pari ratione posset dici, quod Pater intelligit Filio. Neque etiam secundum quod sumitur notionaliter : quia pari ratione posset dici, quod Pater et Filius spirant Spiritu Sancto; vel quod Pater generat Filio. Ergo nullo modo hæc est vera, Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto.

3. Præterea, eodem amore Pater diligit Filium et se et nos. Sed Pater non diligit se Spiritu Sancto, quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus : non enim potest dici, quod Pater generat se, vel spirat se. Ergo etiam non potest dici, quod diligat se Spiritu Sancto, secundum quod diligere sumitur notionaliter. Item. Amor, quo diligit nos, non videtur esse Spiritus Sanctus : quia importatur respectus ad creaturam et ita ad essentiam pertinet. Ergo hæc est falsa, Pater diligit Filium Spiritu Sancto.

Sed contra est, quod Augustinus dicit * 6 de Trinitate, quod Spiritus Sanctus est, quo genitus a generante diligitur, genitoremque suum diligit.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem difficultatem affert, quod cum dicitur, Pater diligit Filium Spiritu Sancto, cum ablativus construatur in habitudine alicujus causæ, videtur, quod Spiritus Sanctus sit principium diligendi et Patri et Filio : quod est omnino impossibile. Et ideo quidam dixerunt, hanc esse falsam, Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto. Et dicunt hanc esse retractatam ab * Augustino in suo simili cum scilicet retractavit istam, Pater est sapiens sapientia genita. Quidam vero dicunt, quod est propositio impropria : et est sic exponenda, Pater diligit Filium Spiritu Sancto, id est amore essentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construitur in habitudine signi, ut sit sensus, Spiritus Sanctus est signum, quod Pater diligat Filium, in quantum procedit ab eis Spiritus Sanctus, ut amor. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construitur in habitudine causæ formalis : quia Spiritus Sanctus est amor, quo formaliter Pater et Filius se invicem diligunt. Quidam vero dixerunt, quod construitur in habitudine effectus formalis : et isti propinquius ad veritatem accesserunt. Unde ad hujus evidentiam considerandum est, quod cum res communiter denominentur a suis formis, sicut album ab albedine et homo ab humanitate : omne illud, a quo aliquid denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ : ut si dicam, Iste est indutus vestimento, iste ablativus construitur in habitudine causæ formalis, quamvis non sit forma. Contingit autem, aliquid denominari per id, quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim, quod ignis est calefaciens calefactione; quamvis calefactio non sit calor, qui est forma ignis, sed actio ab igne procedens. Et dicimus quod arbor est florens floribus, quamvis flores non sint forma arboris, sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet et notionaliter : secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto, sed essentia sua. Unde Augustinus in * 15 de Trinitate. Quis audet dicere, Patrem nec se, nec Filium, nec Spiritum Sanctum diligere, nisi per Spiritum Sanctum? Et secundum hoc procedunt primæ opiniones. Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere verbum et florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo vel Filio se et creaturam : et Pater et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente et se et nos.

* Lib. 15 de Trin. cap. 7 inter princ. et medium, tomo 3.

Ad primum ergo dicendum, quod esse sapientem, vel intelligentem in divinis non sumitur nisi essentialiter. Et ideo non potest dici, quod Pater sit sapiens, vel intelligens Filio. Sed diligere sumitur non solum essentialiter, sed etiam notionaliter. Et secundum hoc possumus dicere, quod Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto, ut dictum est *.

* In corp. artic.

Ad secundum dicendum, quod quando in intellectu alicujus actionis importatur determinatus effectus, potest denominari principium actionis ab actione et ab effectu : sicut possumus dicere, quod arbor est florens floritione et floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non potest principium actionis denominari ab effectu, sed solum ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem flore; sed productione floris. In hoc igitur quod dico spirat, vel generat, importatur actus notionalis tantum : unde non possumus dicere, quod Pater spiret Spiritu Sancto, vel generet Filio. Possumus autem dicere, quod Pater dicit Verbo, tanquam persona procedente et dicit dictione, tanquam actu notionali : quia dicere importat determinatam personam procedentem : cum dicere sit producere verbum. Et similiter diligere, prout notionaliter sumitur, est producere amorem : et ideo potest dici, quod Pater diligit Filium Spiritu Sancto, tanquam persona procedente et ipsa dilectione tanquam actu notionali.

Ad tertium dicendum, quod Pater non solum Filium, sed etiam se, et nos diligit Spiritu Sancto : quia (ut dictum est *) diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde, sicut Pater dicit se, et omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, et omnem creaturam : ita diligit se, et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se, et omnem creaturam. Et sic etiam patet, quod respectus importatur ad creaturam, et in Verbo, et in amore procedente quasi secundario, in quantum scilicet bonitas, et veritas divina est principium intelligendi, et amandi omnem creaturam.

* In isto artic.

Prima conclusio : Si diligere sumatur essentialiter, tunc Pater, et Filius non diligunt se Spiritu Sancto.

Secunda conclusio : Si diligere accipiatur notionaliter, Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto.

Circa doctrinam hujus articuli peculiare dubium disputatione sequenti excitabimus, quia tam ea, quæ in hoc articulo, quam illa, quæ in quæstione sequenti D. Thomas docet, unicam solummodo, eamque brevem disputationem exigunt. D.Thom.

QUÆSTIO XXXVIII

De nomine Spiritus Sancti, quod est donum.

PROOEMIUM.

Consequenter quæritur de dono.

ARTICULUS I.

Utrum donum sit nomen personale?

1 dist. 18 artic. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit nomen personale. Omne enim nomen personale, importat aliquam distinctionem in divinis. Sed nomen doni non importat aliquam distinctionem in divinis. Dicit etiam Augustinus * 15 de Trinitate, quod Spiritus Sanctus ita datur, sicut Dei donum, ut etiam se ipsum det, sicut Deus. Ergo donum non est nomen personale.

Lib. 15 de Trin. cap. 19 a med. tom. 3.

2. Præterea, nullum nomen personale convenit essentiæ divinæ. Sed essentia divina est donum quod Pater dat Filio, ut patet per Hilarium * 8 de Trinitate. Ergo donum non est nomen personale.

D.Thom. * Lib. 8 circa medium, et paulo post.

3. Præterea, secundum Damascenum * nihil est subjectum, aut serviens in divinis personis. Sed donum importat quamdam subjectionem, et ad eam, cui datur, et ad eum, a quo datur. Ergo donum non est nomen personale.

* Colligitur ex lib. 4 cap. 19 a medio, et lib. 3 cap. 21.

4. Præterea, donum importat respectum ad creaturam : et ita videtur de Deo dici ex tempore. Sed nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, ut Pater et Filius. Ergo donum non est nomen personale.

* Lib. 15 de Trin. cap. 19 a med. tom. 3.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit 15 de Trinitate : sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic donum Spiritus nihil aliud est, quam Spiritus Sanctus. Sed Spiritus Sanctus est nomen personale. Ergo et donum.

Respondeo dicendum, quod in nomine doni importatur aptitudo ad hoc, quod donetur. Quod autem donatur, habet aptitudinem, vel habitudinem, et ad id, a quo datur, et ad id, cui donatur. Non enim daretur ab aliquo, nisi esset ejus : et ad hoc alicui datur, ut ejus sit. Persona autem dicitur esse alicujus, vel secundum originem, sicut Filius est Patris; vel in quantam ab aliquo habetur. Habere autem dicimur id, quo libere possumus uti, vel frui, ut volumus. Et per hunc modum divina persona non potest haberi, nisi a rationali creatura Deo conjuncta. Aliæ autem creaturæ moveri quidem possunt a divina persona; non tamen sic, quod in potestate earum sit frui divina persona, et uti effectu ejus : ad quod quandoque pertingit rationalis creatura, ut puta, cum sic fit particeps divini Verbi, et procedentis amoris, ut possit libere Deum vere cognoscere, et recte amare. Unde sola creatura rationalis potest habere divinam personam. Sed ad hoc, quod sic eam habeat, non potest propria virtute pervenire : unde oportet, quod hoc ei desuper detur. Hoc enim dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Et sic divinæ personæ competit dari, et esse donum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen doni importat distinctionem personalem, secundum quod donum dicitur esse alicujus per originem. Et tamen Spiritus Sanctus dat se ipsum, in quantum est sui ipsius, ut potens se uti, vel potius frui, sicut et homo liber dicitur esse sui ipsius. Et hoc est, quod Augustinus dicit super Joannem. Quid tantum est quam tu? Vel dicendum, et melius, quod donum oportet esse aliquo modo dantis. Sed hoc esse hujus, dicitur multipliciter. Uno modo per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Joannem. Et sic donum non distinguitur a Patre, sed ab eo, cui datur : et sic dicitur, quod Spiritus Sanctus dat se. Alio modo dicitur aliquid esse alicujus, ut possessio, vel servus. Et sic oportet, quod donum essentialiter distinguatur a dante : et sic domum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse hujus per originem tantum : et sic Filius est Patris et Spiritus Sanctus utriusque. In quantam ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur a dante personaliter, et est nomen personale.

Ad secundum dicendum, quod essentia dicitur esse donum Patris primo modo : quia essentia est Patris per modum identitatis.

Ad tertium dicendum, quod donum, secundum quod est nomen personale in divinis, non importat subjectionem, sed originem tantum in comparatione ad dantem. In comparatione vero ad eum, cui datur, importat liberum usum; vel fruitionem, ut dictum * est.

* In corp. art.

Ad quartum dicendum, quod donum non dicitur ex eo, quod actu datur; sed in quantum habet aptitudinem, ut possit dari. Unde ab æterno divina persona dicitur donum, licet ex tempore detur. Nec tamen per hoc, quod importatur respectus ad creaturam, oportet, quod sit essentiale; sed quod aliquid essentiale in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu personæ, ut supra dictum * est.

* Qua[est.] 29 ar[t.] et q. [...] art. [...] ad [...]

Conclusio : Divinæ personæ convenit esse donum, et dari.

ARTICULUS II.

Utrum donum sit proprium nomen Spiritus Sancti?

1 dist[.] art. [...] ver. [...] art. [...]

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit proprium nomen Spiritus Sancti. Donum enim dicitur, ex eo quod datur. Sed sicut dicitur Isaias 9 : Filius datus est nobis. Ergo esse donum convenit Filio, sicut Spiritui Sancto.

2. Præterea, omne nomen proprium alicujus personæ significat aliquam ejus proprietatem. Sed hoc nomen donum non significat proprietatem aliquam Spiritus Sancti. Ergo donum non est nomen proprium Spiritus Sancti.

3. Præterea, Spiritus Sanctus potest dici spiritus alicujus hominis. Sed non potest dici donum alicujus hominis, sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus Sancti.

* L[ib.] [...] de T[rin.] cap. [...] a m[ed.] tom[.] [...]

Sed contra est, quod Augustinus dicit in * 4 de Trinitate : Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita Spiritum Sanctum donum Dei esse, est a Patre, et Filio procedere. Sed Spiritus Sanctus sortitur proprium nomen, in quantum procedit a Patre, et Filio. Ergo et donum est proprium nomen Spiritus Sancti.

Respondeo dicendum, quod donum, secundum quod personaliter sumitur in divinis, est proprium nomen Spiritus Sancti.

Ad cujus evidentiam sciendum est, quod donum proprie est datio irreddibilis secundum Philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. Et sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis, est quod amor : ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonum. Unde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur.

donantur. Unde cum Spiritus Sanctus procedat ut amor (sicut jam dictum * est) procedit in ratione doni primi. Unde dicit Augustinus * 15 de Trinitate, quod per donum, quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.

Quæst. art. 1. Lib. 15 Trin. cap. 19 ante med. ...m. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Filius, quia procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet, quod sit similitudo sui principii, dicitur proprie imago: licet etiam Spiritus Sanctus sit similis Patri : ita etiam Spiritus Sanctus, quia a Patre procedit ut amor, dicitur proprie donum: licet etiam Filius detur. Hoc enim ipsum, quod Filius datur, est ex Patris amore, secundum illud Joannis 3 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Ad secundum dicendum, quod in nomine doni importatur, quod sit dantis per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus Sancti, quæ est processio.

Ad tertium dicendum, quod donum, antequam detur, est tantum dantis; sed postquam datur, est ejus, cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici, quod sit donum hominis; sed donum Dei dantis. Cum autem jam datum est, tunc hominis est, vel Spiritus, vel datum.

Conclusio : Donum personaliter sumptum in divinis est nomen proprium Spiritus Sancti.

DISPUTATIO XVI.

De Spiritu Sancto, ut est amor, et donum.

1. Quia, ut nuper dicebamus, cuncta, quæ D. Thomas in his duabus quæstionibus, nempe 37 et 38, docet, non longa suppositis illis, quæ alibi cum ipso in hoc tractatu explicuimus egent discussione; idcirco in hac disputatione ea, quæ ad exactam intelligentiam eorum, quæ in his quæstionibus D. Thomas docuit, discussione indigent, disseremus. Thom.

DUBIUM I.

Utrum Pater, et Filius diligant se Spiritu Sancto?

2. Pro tituli intelligentia recolendum est id, quod supra tetigimus, et D. Thomas hic quæst. 37 art. 1 docet, nempe, quod ea, quæ pertinent ad processionem per intellectum, habent nomina, quibus explicentur, distincta a nominibus, quibus denotantur ea, quæ ad eumdem intellectum, et *intelligere* essentiale spectant; secus vero ea, quæ ad processionem per voluntatem pertinent. Et ideo processio per intellectum explicatur nomine dictionis, et terminus productus appellatur Verbum; actio vero essentialis ad intellectum pertinens, quæ consistit in habitudine, aut quasi habitudine intellectus ad objectum intellectum, nuncupatur *intelligere*. At vero in voluntate, propter inopiam vocum, eadem vox, scilicet *diligere*, significat tam actionem essentialem diligendi correspondentem ipsi *intelligere* essentiali, et denotantem habitudinem diligentis ad objectum dilectum, quam actionem notionalem, et processionem per voluntatem significantem habitudinem ad terminum productum, qui est quædam propensio in rem dilectam : imo eadem vox *amoris* significat tam amorem essentialem, quam notionalem, seu actum diligendi notionaliter, consistentem in prædicta habitudine ad terminum productum, ut ex communi usu hujus vocis constat, necnon eumdem terminum procedentem per talem dilectionem, scilicet Spiritum sanctum, ut colligit Augustinus 15 de Trinitate cap. 17 ex illo 1 Joannis 4 : *Deus charitas est.* August. 1 Joan. 4.

In præsenti ergo non sumitur *diligere* pro dilectione essentiali, sed pro notionali. Nam loquendo de dilectione essentiali, planum est, Patrem et Filium non diligere se Spiritu sancto, ut notavit D. Thomas loco citato, et in 1 dist. 32 quæst. 1 art. 1 et id concedunt omnes fere Theologi. Quoniam loquendo de prædicta dilectione essentiali, Pater et Filius diligunt se sua essentia, suoque amore essentiali, tanquam forma, aut quasi forma; non vero diligunt se Spiritu sancto, aut tanquam forma, aut tanquam termino : siquidem Spiritus sanctus non est terminus productus per *diligere* essentiale, sed per notionale. Et ideo licet per impossibile non daretur Spiritus sanctus, nihilominus Pater et Filius se diligerent dilectione essentiali. Quare tota difficultas hujus dubii est, an loquendo de amore notionali, hæc propositio : *Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto*, sit vera in rigore et proprietate sermonis Theologici? D.Thom.

§ I.

Ex mente D. Thomæ, et aliorum Patrum dubium deciditur.

Dicendum ergo est, Patrem et Filium diligere se Spiritu sancto, si ly *diligere* sumatur notionaliter : ac proinde hanc propositionem : *Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto*, esse veram in rigore et proprietate sermonis. Ita D. Thomas in præsenti, et in 1 distinct. 32 art. 1. Hieronymus in Psalmum 17 ubi inquit : *Spiritum sanctum esse dilectionem, quam habet Pater in Filio, et Filius in Patre*; Bernard. 3. Conclusio. D.Thom. Hieron. Bernard.

lib. de Amore Dei cap. 7 : *Amas te, o amabilis Domine, in te ipso, cum a Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, amor Patris ad Filium, et Filii ad Patrem.* Richardus de Sancto Victore in declarationibus ad D. Bernardum, cap. cui titulus : *Quomodo Spiritus sanctus est amor Patris et Filii,* sic ait : *Si recte diceris amare amore, qui a te procedit, cur non Pater et Filius dicuntur amare amore, qui ab ipsis procedit?* Augustinus 6 de Trinitate cap. 5 dicens, Spiritum sanctum esse amorem, quo genitus diligit suum genitorem, et ab illo diligitur. Et 15 de Trinitate cap. 7 ait, Spiritum sanctum esse charitatem mutuam, qua mutuo se diligunt Pater et Filius.

Richard. August.

Nec obest id, quod respondet Canariensis in præsenti, et alii relati ab Scoto in 1 dist. 32 quæst. 1, nempe, Augustinum retractasse virtualiter suam sententiam in alia simili propositione, quam lib. 83 quæstionum quæst. 23 dixerat, nempe : *Patrem esse sapientem sapientia genita, aut Filio,* quamque retractavit primo Retractationum cap. 26 et 6 de Trinitate cap. 1 et 2, et lib. 7 cap. 3 et lib. 15 cap. 7. Nam cum eadem sit ratio de hac propositione, et de illa, de qua nunc est controversia, videtur, quod retractata priori propositione, nempe, quod : *Pater est sapiens sapientia genita, aut Filio,* ibidem virtualiter retractavit, quod : *Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto.*

Canariens. Scotus. August.

Non itaque hoc obest : tum, quia, ut ex statim dicendis patebit, est diversa ratio in una, et in alia propositione : tum etiam, quia postquam Augustinus retractavit illam propositionem, nempe, quod : *Pater est sapiens sapientia genita,* lib. 15 de Trinit. cap. 7 docuit hanc, de qua est præsens dubium, in cap. 17 ejusdem libri. Unde hanc eamdem propositionem, et sententiam omnes fere Theologi tuentur.

August.

4. Animadversio prima pro ratione D. Thomæ.

Ut autem rationem fundamentalem, quam D. Thomas art. 2 quæstionis 37 adducit, tradamus, et explicemus, notandum est primo, actiones esse in duplici differentia. Quædam enim sunt, inter quas, et objectum, quod ultimo attingitur, mediat, sive mediare significatur aliquis effectus proximus et immediatus talium actionum : sicut inter ignem, et lignum calefactum mediat calor, quo lignum calefit, et est immediatus terminus calefactionis : et in actionibus immanentibus inter dictionem, et rem cognitam per illam mediat verbum mentale, quod est terminus immediatus dictionis ; et est veluti forma, et objectum immediatum, quo mediante res cognita attingitur ab intellectu : et similiter inter volitionem, et rem amatam per illam mediat amor per modum termini intrinseci, qui est impulsus intrinsecus productus per volitionem, quo mediante attingit rem amatam ; quamvis ipsa res amata non sit producta. Aliæ vero sunt actiones inter quas, et objectum, quod ultimo attingitur, non mediat aliquis terminus, aut non significatur mediare : sicut inter generationem, et Filium productum, et inter ædificationem, et ædificium per illam factum.

Inter has ergo actiones hoc est discrimen. Quod agens non solum denominatur ab actionibus primi generis ; sed etiam a terminis immediatis productis per illas : sicut ignis dicitur calefaciens, non solum calefactione, sed etiam calore producto : et homo dicitur dicens, non solum ipsa dictione mentali, sed etiam verbo, quatenus verbo a se producto dicit rem cognitam. Agens vero actionibus secundi generis solum denominatur ab ipsis actionibus ; non vero a terminis productis per illas, ut in exemplis adductis patet. Et ratio est plana ex nuper dictis. Quoniam in prioribus illis actionibus, quippe non attingentibus terminum, sive objectum ultimum, nisi mediante alio priori termino, potest agens denominari tam ab actione, quam a termino illo priori : siquidem mediante actione, et prædicto termino attingit objectum, sive terminum omnino ultimum : secus vero in actionibus posterioris generis, in quibus termini immediate producti non habent ulteriorem terminum, ad quem ordinentur, inter quemque, et inter agens prædicti termini medient, ut ita agens eis mediis possit attingere ulteriorem, et ultimum terminum sive objectum : siquidem, ut supponimus, prædictæ actiones non habent, sive non significantur habere ulteriorem alium terminum, et objectum.

5. Animadversio secunda.

Ex quo secundo notandum est, quod actiones illius prioris generis, inter quas, et inter objectum ultimum mediat, seu mediare significatur aliquis terminus, sunt talis conditionis, ut in intellectu earum importetur determinatus effectus, ut docet D. Thomas quæst. 37 nuper citata art. 2 ad 2. Hoc autem non ideo est, quia solum istæ actiones dicant intrinsece et essentialiter ordinem, aut quasi ordinem ad determinatum effectum, sed quia prædictus effectus

D. Thom.

effectus determinatus speciali ratione est de intellectu actionis : quatenus prædictus terminus immediatus tenet se peculiariter ex parte actionis secundum illud munus, secundum quod est id, quo mediante actio attingit terminum, seu objectum ultimum : quia ipsa non nisi, ut ei quodammodo subest, et ut prædictus terminus ex parte ejus se tenet, est attactiva termini, sive objecti ultimi.

6. Ex dictis formatur ratio assertionis. His ergo suppositis, ratio ex D. Thoma loco citato desumpta pro nostra assertione, potest ad hanc formam reduci. Nam quando in intellectu actionis clauditur formaliter effectus, seu quando actio habet aliquem terminum immediatum, medio quo attingit objectum omnino ultimum, et secundum istam rationem significatur, tunc agens potest denominari tale ab actione, et ab effectu : sed dilectio notionaliter sumpta Patris et Filii, includit in suo conceptu formali per modum veluti effectus producti Spiritum sanctum, seu prædictus Spiritus sanctus mediat inter Patrem et Filium, et objectum omnino ultimum attactum per talem dilectionem : ergo Pater et Filius dicuntur diligentes se, non solum a dilectione notionali, sed etiam a termino per illam producto, scilicet Spiritu sancto.

Major patet ex exemplis, et ratione adducta in primo notabili, et insuper exemplo, quod adducit D. Thomas loco citato, (D. Thom.) nempe arboris, quæ dicitur florere, non solum floritione, sed etiam floribus : quia inter ipsam, ut florentem, et actionem productivam florum mediant ipsi flores, ut termini immediati, quibus arbor se ipsam florescere facit, attingitque ipsam, ut florentem. Tum etiam ratione (quæ est major explicatio rationis nuper insinuatæ in secundo notabili) quia actio denominat agentem, ut actio est formaliter, et secundum ea, quæ ex parte ejus se tenent, ut attingat aliquem terminum, seu objectum, ac proinde secundum id, quod est de formali conceptu illius sic sumptæ : ergo quando effectus formaliter includitur in conceptu actionis ut aliquid se tenens ex parte illius, modo dicto, tunc talis actio denominabit agentem formaliter, et secundum se, et secundum quod includit effectum.

Minor vero probatur. Quia dilectio notionaliter sumpta est talis conditionis, ut in intellectu ejus importetur formaliter Spiritus sanctus ex vi talis dilectionis productus, seu est talis conditionis, ut inter ipsam et inter objectum ultimo dilectum mediet Spiritus sanctus, tanquam terminus immediatus, medio quo attingitur objectum ultimum : sicut in creatis (proportione tamen servata) inter dilectionem et objectum dilectum, ac ultimum mediat aliquis terminus intrinsecus : et ideo illo mediante attingitur prædictum objectum ultimum. Et similiter in divinis inter objectum ultimo intellectum et dictum mediat, tanquam terminus intrinsecus et immediatus, ipsum Verbum productum et eo mediante, tanquam termino intrinseco dicuntur tam personæ divinæ, quam omnes creaturæ possibiles.

7. Illustratur amplius hæc ratio. Potestque tota hæc ratio D. Thomæ confirmari et explicari alia via præcedenti satis affini et cum ea nexum habente. Nam tam in Deo, quam in nobis operationes productivæ termini duobus modis significari possunt. Primo, secundum habitudinem, quam dicunt præcise ad terminum productum : et ut sic denominant terminum solum. Secundo vero, quantum ad habitudinem etiam, quam simul dicunt ad subjectum, vel ad objectum : et ut sic subjectum, vel objectum denominatur ab ipsis. Unde, quia productio caloris ut sic significata denotat actionem productivam caloris secundum priorem illam habitudinem tantummodo, idcirco solum denominat terminum productum. Quia vero calefactio significat eamdem secundum posteriorem habitudinem, propterea non denominat calorem productum, sed subjectum : unde non dicitur calor calefieri, sed prædictum subjectum. Ex quo etiam fit, quod quando actio præcise significatur secundum habitudinem ad terminum : non denominatur agens agere a termino producto, sed ab actione : sicut non dicimus, quod ignis producit calorem calore illo, qui est terminus productus, sed actione ipsa. At vero quando actio significatur secundum habitudinem ad subjectum, recte potest aliquando agens denominari ab ipso termino producto : sicut si dicamus, quod ignis comburit lignum calore, id est, calore, non solum existente in igne, sed etiam calore producto in eodem ligno.

Sic ergo in divinis actus notionalis aliquando significatur præcise secundum habitudinem ad terminum productum, non vero ad objectum : et tunc non potest denominari persona producens a termino, sed ab ipsa productione. Unde non dicimus, quod Pa-

ter generat Filio, aut Pater et Filius spirant Spiritu sancto; sed quod Pater generatione generat, et uterque spiratione spirat. Si vero actus notionalis ita significetur, ut ex vi nominis significantis dicat habitudinem etiam ad objectum, optime potest persona producens denominari a termino : sicut recte dicitur, Pater Verbo dicit se ipsum et omnia, quæ ejus scientia
D.Thom. continetur, ut ex D. Thoma quæst. 34 vidimus : quia Pater intelligendo se, dicit omnia ista; et dicendo Verbum, intelligit illa. Et similiter in productione Spiritus sancti : quia cum dicitur Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto tunc per verbum illud *diligunt* significatur etiam habitudo ad objectum. Et ideo optime potest affirmari, quod Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto : quoniam sensus illius est, quod Pater et Filius producendo Spiritum sanctum diligunt se.

§ II.

Aliquæ objectiones contra dicta, et earum solutio.

8. Cajetan. Aureol. Scotus. Ex dictis facile solvuntur aliquæ objectiones adductæ a Cajetano ex Aureolo, Scoto, et aliis, quas omnes in præsenti adducere, suppositis his, quæ diximus, supervacaneum erit. Et ideo aliquam, vel aliquas tantum referemus, et insuper aliæ a Cajetano non adductæ una cum solutionibus earum afferentur. Primo igitur con-
Prior objectio. tra assertionem, et rationem pro illa objici potest, quod Pater non potest dici sapiens sapientia genita : ergo nec Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto : ac proinde tam assertio, quam ratio ex D. Thoma pro ea adducta corruent. Antecedens patet ex his,
August. quæ ex Augustino diximus, nempe, illum locis citatis propositionem illam retractasse. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur constare. Quoniam sic se habet sapientia genita, seu Verbum ad Patrem, sicut Spiritus sanctus ad Patrem, et Filium. Quia sicut Verbum est terminus intrinsecus processionis a Patre per intellectum, sic Spiritus sanctus processionis a Patre, et Filio per voluntatem : ergo si semel Pater non est sapiens sapientia genita, nec Pater et Filius diligent se Spiritu sancto. Secunda vero consequentia ex hac priori constat ut intuenti patebit.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam si actio notionalis sumatur, ut præcise dicit habitudinem ad terminum productum, tunc agens non dicitur agere termino producto : et propterea Pater non dicitur generare Filio : quia verbum *generare* denotat, et exprimit præcise habitudinem ad terminum productum. Sed *diligere* notionaliter tantum denotat, et exprimit habitudinem ad terminum productum : et ideo D. Thomas art. 2 hujus D.Thom.
quæst. 37 loquens de *diligere* notionali sic inquit : *Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, et florere est producere flores.* Imo et ex his verbis D. Thomæ colligitur, non recte juxta S. Doctoris mentem deduci, quod Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto : ex eo quod per hanc propositionem significatur, non sola habitudo ad terminum productum, sed etiam ad objectum ultimo dilectum : siquidem S. Doctor inquit, quod *diligere* notionaliter (in quo sensu intelligitur prædicta propositio) nihil aliud est, quam spirare amorem.

Respondetur ex dictis, esse disparem ra- 9. Occurritur objectioni.
tionem inter hanc propositionem, *Pater est sapiens sapientia genita, sive Filio*, et istam, *Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto*. Quod in illa priori, ly *sapere* sumitur essentialiter : ex eo quod ea, quæ pertinent ad intellectum, habent specialia nomina, aut verba, quibus explicentur essentialia; et alia, quibus denotentur notionalia, et inter nomina, aut verba significantia essentialia connumerantur *sapere*, aut *intelligere*. Constat autem, quod Pater non sapit, aut intelligit essentialiter sapientia genita, sive Filio; sed essentia, et sapientia sua essentiali : sicut nec Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto, sed essentia, et dilectione essentiali, si *diligere* sumatur essentialiter. Cæterum, quia *diligere* sumitur etiam notionaliter propter penuriam nominum, et verborum in ordine ad denotandum ea, quæ pertinent ad processionem per voluntatem : idcirco sumpto *diligere* notionaliter, debet concedi ista propositio, *Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto* : sicut et hæc, *Pater dicit se, et totam Trinitatem Verbo suo* : ex eo quod *dicere* sumitur notionaliter, et eo proportionali modo, quo *diligere* in propositione modo dicta.

Ad confirmationem respondetur, sanc- Solvitur confirmatio.
tum Doctorem solum velle, quod *diligere* notionaliter sumptum nihil est aliud, quam spirare amorem, prout amor non solum exprimit hoc, quod est, esse terminum, et impulsum

impulsum intrinsecum voluntatis per eam productum, sed etiam esse id, mediante quo attingitur objectum ultimum. Sumpto autem sic *diligere*, constat ex dictis, quomodo verum sit, Patrem, et Filium diligere se Spiritu sancto. (D. Thom.) Unde S. Doctor in solutione ad 3 hujus artic. 2 quæst. 37, referens id, quod in prædicto articulo præmiserat, nempe, quod *diligere* notionaliter nihil est aliud, quam spirare amorem, sic se ipsum explicat : *Quia (ut dictum est) diligere, prout notionaliter sumitur, non solum importet productionem divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde, sicut Pater dicit se, et omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, et omnem creaturam : ita diligit se, et omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se, et omnem creaturam.* Per quod etiam ad id, quod in eadem confirmatione additur, satis constat.

10. Secunda objectio. Secundo objici potest, quod dilectio notionalis in voluntate correspondet generationi in intellectu : at non potest dici, quod Pater generat se Verbo : ergo neque quod Pater et Filius dilectione notionali diligunt se Spiritu sancto.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam idem est notionalis dilectio, quod spiratio : sed Pater, et Filius non spirant se Spiritu sancto : ergo neque notionaliter diligunt se illo.

Satisfit objectioni. Respondetur ex dictis, dilectionem notionalem explicatam per verbum *diligo*, ut in prædicta propositione, de qua loquimur, contingit, non correspondere processioni per intellectum per correspondentiam omnimodam, ut talis processio significatur per verbum *genero*, qualiter explicatur in hac propositione a Theologis rejecta, *Pater generat se Verbo*. Quoniam processio per verbum *diligo* in prædicta propositione exprimit habitudinem, aut quasi habitudinem quam dicit processio ista tam ad terminum productum, quam ad objectum medio illo attractum, et dilectum licet non productum : at processio per intellectum, ut explicata per verbum *genero*, exprimit habitudinem solummodo ad terminum productum, non vero ad objectum intellectum, sive dictum in Verbo : et ideo diligere notionaliter non correspondet per omnimodam correspondentiam processioni per intellectum, ut explicatur per *generare*, sed per *dicere*. Per quod etiam patet ad confirmationem. Et confirmationi. Quoniam *diligere* notionaliter in prædicta propositione, de qua est controversia, non habet omnimodam correspondentiam ex parte modi significandi cum hoc, quod est *spirare*, quatenus sic significatur, dum dicitur, Patrem et Filium spirare Spiritu sancto : quia tantum exprimitur ordo ad terminum productum : et propterea prædicta præpositio est neganda.

11. Tertia. Tertio objici potest. Quoniam alioqui posset concedi, Patrem et Filium diligere creaturas Spiritu sancto : hoc autem admitti nequit : ergo, etc. Sequela probatur. Quia sicut Pater hoc ipso, quod dicat se ipsum Verbo, dicit etiam creaturas eodem Verbo : ita si Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, diligent etiam eo creaturas. Falsitas autem consequentis inde constat. Quoniam dilectio notionalis solum dicitur illius objecti, quod primario et per se respicitur, aut saltem quod necessario concomitatur primarium. Creaturæ autem neque sunt objectum primarium dilectionis notionalis, ut patet ; nec necessario illud concomitantur : quippe quæ liberam habent connexionem cum divina bonitate et libere etiam diliguntur.

Enodatur. D. Thom. Bonavent. Respondetur, concedendo sequelam cum D. Thoma art. 2 hujus quæstionis 37 in solutione ad 3 et cum Bonaventura in 1 dist. 22 quæst. 1 art. 1 ad penultimum argumentum, necnon et cum communi Thomistarum schola. Et deinde neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, quod ad hoc, ut per dilectionem notionalem diligantur creaturæ, ac proinde et Spiritu sancto, ut est terminus productus per illam, non est necessarium, quod creaturæ dilectæ, nempe, creaturæ existentes in aliqua differentia temporis, sint objectum primarium prædictæ dilectionis, aut habeant necessariam connexionem cum divina bonitate, aut cum prædicta dilectione et processione Spiritus sancti ; sed satis est, quod ex suppositione, quod diligantur, debeant per prædictam dilectionem diligi. Circa hæc tamen videantur illa, quæ in 2 tomo tractatu 4 disput. 5 n. 87 diximus.

12. Ultima. Ultimo objici potest, quod exemplum D. Thomæ ad rationem pro hac assertione confirmandam non est ad rem. Nam florere non significat producere flores, sed esse floridum : cum tamen ad hoc, ut esset ad rem, de qua agimus, oportebat, ut significaret hoc, quod est producere flores.

Diluitur. Respondetur, falsum esse, quod florere arboris denotet præcise esse floridum et non producere flores et mediis illis arborem florescere. Nam etsi daremus, quod Deus se solo produceret flores in aliqua arbore, tunc arbor illa diceretur florida, non tamen florere : quia florere dicit esse principium vitale quo producantur flores ab illa re, quæ florere dicitur, quibusque prædicta res floreat.

DUBIUM II.

Utrum esse donum dicatur tam essentialiter, quam personaliter, seu notionaliter in divinis.

13. Consulto inquirimus, an donum dicatur in divinis tam essentialiter, quam personaliter. Nam licet D. Thomas art. 1 hujus quæst. 38 tantum inquirat, an donum sit nomen personale : nihilominus in proœmio ejusdem quæstionis referens ea, de quibus in illa agendum erat, aliter inscribit articulum primum ejusdem quæstionis, nempe : *Utrum donum possit esse nomen personale*. Quia, ut explicat Cajetanus in eodem articulo, intentio ejus est quærere, an donum sit nomen personale, non necessario, sed possibiliter, idest, an secundum aliquam ejus significationem sit nomen personale, cum eo utimur in divinis : ut ita innueret, posse etiam esse nomen essentiale. Et propterea in eodem articulo 1 Angelicus Præceptor non solum docet, donum esse quid personale, sed etiam quid essentiale. Et ita ut omne id, quod in hoc articulo S. Doctor explicare intendit, maneat explicatum, inquisivimus : *An donum in divinis tam essentialiter, quam personaliter dicatur?* Sicut etiam data opera in eodem titulo sciscitamur, utrum donum dicatur personaliter, seu notionaliter, non determinando, an dicatur notionaliter respectu unius personæ præ aliis, sed an tantum dicatur notionaliter, saltem respectu aliquarum personarum? Nam utrum esse donum sit peculiari aliqua ratione proprium unius tantummodo personæ, scilicet Spiritus sancti, dubio sequenti discutietur.

D.Thom. Cajetan.

§ I.

Decisio dubii ex mente Angelici Præceptoris.

14. Dicendum ergo est, quod donum in divinis dicitur tam essentialiter, quam personaliter, seu notionaliter. Unde in Scriptura sæpissime invenitur, Deum nobis donari : sicuti etiam de tota Trinitate dicitur Joannis 14 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Et deinde Joannis 3 Filius dicitur speciali ratione datus a Patre, tanquam quid ejusdem Patris per originem : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Et Spiritus sanctus dicitur etiam hac ratione datus a Filio juxta illud : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*. Unde assertionem hanc tuentur D. Thomas art. 1 hujus quæst. 38, Cajetanus, Nazarius et alii plures in præsenti.

Resolutio dubii. Joan. 14. Joann. 3. Joan. 15. D.Thom. Cajetanus. Nazarius.

Ut autem rationem fundamentalem prædictæ assertionis adducamus, oportebit præmittere conditiones desideratas ad rationem doni et deductas ex iis, quæ D. Thomas q. 38 citata, necnon et Aristoteles 4 Topicorum cap. 4 prope finem docent, quæ quidem explicari possunt per hoc, quod donum sit : *Res alicujus, qui liberaliter eam alteri conferre potest ad usum, aut fruitionem.*

Animadversio pro intelligentia rationis. D.Thom. Aristot.

Dicitur ergo primo, quod donum est *res alicujus*. Quia ad hoc, ut aliquid donari possit ab aliquo, ac proinde esse donum, oportet, ut sit illius, a quo donatur, ut ex terminis ipsis constare videtur. Quia vero tripliciter potest esse res alicujus, ut notavit D. Thomas in præsenti, nempe, vel per identitatem, juxta illud Augustini relatum ab eodem Angelico Doctore : *Quid tam tuum est, quam tu?* vel per originem, quo pacto Filius dicitur esse Patris; vel tandem tanquam possessio, ut servus : idcirco ad rationem doni solum desideratur, quod sit alicujus uno ex tribus prædictis modis.

D.Thom. August.

15. Additur deinde : *qui liberaliter eam alteri conferre potest*. Tum, ut denotetur, quod actio, per quam res illa conferenda est, conferrique petit, debet esse omnino liberalis, ut docuit D. Thomas art. 2 hujus quæstionis : ex eo quod actio donandi non debet esse quæcumque datio, sed datio irreddibilis, ut tenet Aristoteles loco citato, hoc est, non quæ recompensationem non habeat, sed quæ recompensationem non quærat, nec utilitatem aliquam, aut quæstum, aut alicujus mali carentiam, sed omnino et pure sit gratuita et ex pura liberalitate profecta. Unde, licet Pater communicet Filio suam naturam et uterque Spiritui sancto : nihilominus proprie loquendo

D.Thom. Aristoteles.

quendo natura divina, ut communicata Filio, aut Spiritui Sancto, non habet respectu illorum rationem doni : non quidem quia excludatur a ratione doni per priorem illam particulam nuper explicatam, D.Thom. siquidem (ut notavit D. Thomas loco citato ad secundum) essentia divina est Patris per identitatem : sed quia illa actio, per quam communicatur, non est omnino gratuita et liberalis; sed est omnino necessaria et ex inclinatione et propensione naturæ, et Filio, ac Spiritui sancto talis communicatio debetur. Quamvis lata quadam et impropria significatione, loquendo de dono, possit divina natura communicata, v. g. Filio, dici donum respectu il- Joan. 10. lius, juxta illud Joannis 10 : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.*

Tum etiam prædicta particula additur, ut innuatur discrimen quod est inter datum, seu donatum, et donum. Quoniam ad rationem doni non est necessaria actualis datio ; sed satis est, quod possit potentia proxima et expedita tale donum dari. Unde Filius v. g. ab æterno habuit esse donum ; non tamen donatum, aut datum. August. Quod quidem docuit Augustinus 5 de Trinitate cap. 15 in fine his verbis : *Aliter intelligitur, cum dicitur donum ; aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse, et antequam detur, donatum vero nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Quod etiam D.Thom. fatetur D. Thomas in 1 distinctione 18 quæst. unica art. 2 et apud nos etiam frequens est hæc acceptio doni. Et ideo dicimus, Regem habere multa dona : et similiter sponsum plura retinere dona parata sponsæ, antequam actu ei conferantur.

Additur tandem particula illa : *ad usum aut fruitionem* : ut denotetur, quod cum usus, et fruitio sint actus voluntatis quorum alter circa finem, alter circa media est, donum proprie sumptum dicit necessario ordinem ad rem voluntate præditam, tanquam ad id, cui confertur : quoniam illi soli proprie loquendo fit donum, qui eo uti, et frui potest.

Quod etiam licet non ita clare innuebatur in præcedenti particula, in qua dicitur, actionem, per quam confertur donum, debere esse donationem liberalem et gratuitam. Quia creatura, quæ non est capax gratitudinis, non videtur proprie capax esse gratiæ, aut liberalitatis. Quia ergo irrationalis creatura gratitudinis capax non est, neque doni proprie capax erit. Parit enim donum ex natura sua in subjecto, cui confertur, gratitudinis obligationem ; licet hæc a donante non intendatur.

17 Ex dictis deducitur ratio fundamentalis. His ergo suppositis, ratio fundamentalis pro nostra assertione ex D. Thoma desumpta potest ad hanc formam reduci. Quoniam ad rationem doni requiritur, quod sit res alicujus, et quod hæc conferri possit ab illo creaturæ rationali ad usum, et fruitionem ejus ; et non utcumque, sed ita ut actio, per quam conferenda est, debeat esse gratuita, et omnino liberalis : sed omnia hæc competunt, tum essentiæ Dei, tum etiam divinis personis : ergo omnia ista habebunt veram et propriam rationem doni : ergo donum in divinis dicetur tam essentialiter, quam personaliter seu notionaliter. Major constat ex nuper dictis.

18 Minor autem etiam constat. Quoniam divina essentia est sui ipsius, et aliarum divinarum personarum per identitatem, sicut etiam singulæ personæ sunt hoc modo sui ipsius ; et insuper Filius est Patris per originem, et Spiritus sanctus est Patris et Filii per processionem ab illis. Et deinde tam essentia divina, quam personæ possunt conferri rationali creaturæ ad usum, et fruitionem ab eo, cujus tam essentia, quam personæ sunt aliquo ex modis prædictis. Quia ad hoc, ut conferantur, et sint rationalis creaturæ, non est necessaria aliqua mutatio ex parte Dei, aut personarum divinarum, sed satis est mutatio ex parte creaturæ rationalis, quatenus per productionem novi effectus ad id idonei prædicta essentia, et personæ sunt cum creatura illa speciali vinculo unitæ, ipsaque creatura potest speciali ratione habere prædictam essentiam, et personas divinas. Quo pacto Deus dicitur donari homini justo : quia per mutationem ipsius mediante gratia, et charitate incipit esse in eo speciali modo, tanquam in templo, et amico suo, et ut objectum intimæ cognitionis, et amoris. Et similiter in patria Deus donatur beatis : quia per mutationem eorum mediante gratia consummata lumine gloriæ, et charitate, est illis divina essentia unita, et ipsi ea fruuntur. Et persona Verbi donata est humanitati Christi per mutationem ipsius humanitatis. Ac etiam Spiritus sanctus donatur a Patre et Filio justis, ut ab eis speciali vinculo teneatur, in ipsisque peculiariter media gratia, et charismatibus ea informatis inhabitet. Et tandem actio, per quam omnia ista donantur, est omnino gratuita

et liberalis, et nullo modo debita : quia cuncta prædicta sunt supra facultatem creaturæ rationalis, et Deus in illis conferendis quæstum suum et utilitatem non quærit; sed ipse, quippe maxime liberalis, ex pura et gratuita voluntate, et non ex debito hæc omnia illis confert.

19. Prima vero consequentia ex utraque præmissa satis constat. Ultima vero ex priori, et ex duabus præmissis jam dictis etiam liquet. Quoniam etsi omnibus jam dictis competat ratio doni in communi : nihilominus postea inter se differunt persona Filii, et Spiritus sancti ex una parte; et divina essentia, necnon et persona Patris, imo et persona Filii, et Spiritus sancti, ut intelliguntur donari a se ipsis, ex alia. Quoniam diversimode participant rationem doni : siquidem Filius, quia est Patris, et Spiritus sanctus, quia est Patris et Filii per originem, sicut habent diversam rationem essendi alicujus, ac habent essentia, et omnes personæ, ut sunt sui ipsius per identitatem, ita et participant diversimodam rationem doni. Et propterea Filius, et Spiritus sanctus sunt donum notionaliter, et personaliter : quia esse donum, ut alicujus per originem, tantum competit ipsis. Essentia vero divina, et omnes personæ, ut sunt unus Deus, sunt donum essentialiter, quemadmodum et omnes personæ, ut se ipsas donare possunt, suntque sui ipsius, possunt omnes illæ dici donum essentialiter, prout ly *essentialiter* distinguitur a dono notionaliter præcise, idest, ab illo, quod est proprium alicujus, vel aliquarum personarum tantummodo, non vero omnium.

20. Illustratur testimonio D. Thomæ. Quæ omnia optime explicuit D. Thomas in 1 dist. 18 quæst. unica art. 1 his verbis : *Dicendum, quod sicut supra dictum est, dare, vel donare dicitur dupliciter. Uno modo illud, quod habetur per modum dominii, ut possessio. Alio modo illud, quod habetur quasi intrinsecum sibi, sicut aliquis habet se ipsum, vel materiam suam, vel qualitatem. Quamvis autem in divinis personis non sit dominium unius respectu alterius : tamen est ibi auctoritas principii. Dicendum igitur, quod datio potest importare authoritatem respectu dati : et sic donum, vel datum est notionale. Potest etiam non importare authoritatem, sed tantum hoc, quod id, quod datur, libere habeatur : et hoc modo ipsa essentia dicitur dari, vel donari. Et secundum hoc, donum, vel datum non est personale, sed essentiale : tamen semper importat distinctionem dantis ad eum, cui datur, quamvis non ad id, quod datur.*

Quod adhuc magis explicuit idem Angelicus Doctor in eodem loco ad Annibaldum his verbis : *Dicendum, quod donum respectu dati potest dicere authoritatem in dante. Et sic cum in divinis non sit authoritas, nisi ratione originis, donum est personale. Vel tantum libertatem respectu dati, ut scilicet illud, quod datur, libere habeatur. Et sic cum tota Trinitas libere habeat se ipsam, potest dare se ipsam : quia sic non requiritur distinctio dati a dante, sed ab eo, cui datur : et sic donum est essentiale.*

§ II.

Aliquæ objectiones et earum solutio.

Nec obest si objicias primo cum Durando in 1 dist. 18 q. 1 n. 5, hanc distinctionem doni in essentiale et notionale, non esse secundum differentias pertinentes per se ad rationem doni; sed tantum secundum differentias per accidens et materiales, hoc est, se tenentes ex parte rei, quæ denominatur donum, quæ vel potest esse persona, vel essentia. Sicut ad pretium per accidens est, quod sit aurum, vel argentum, vel vestes etc. Quoniam quod aliquid sit donantis per identitatem, aut sit ejusdem donantis per originem, potius videtur pertinere ad diversum modum, quo res donata est donantis, quam ad diversitatem doni ut sic : ergo etc. 21. Prior objectio Durand.

Respondetur enim, quod ex diversis modis quibus donum est donatoris, quasi oriuntur in ipso diversæ etiam potestates ad donandum ac per consequens diversæ habitudines in dono ad eum, qui sic, vel aliter potest illud donare. Et ideo, quamvis omnis donatio debeat esse liberalis et gratuita, tamen alia est potestas ad donandum id, quod est alicujus per identitatem; alia ad id, quod est illius per dominium et possessionem; et alia ad id, quod est ejusdem per originem, quæ, ut nuper ex D. Thoma diximus, peculiarem dicit auctoritatem respectu rei donatæ. Potestque hoc explicari ex eo, quod fundamentum doni est potentia ad donandum : et potentia ad donandum habet pro fundamento, quod donum sit donatoris. Constat autem, quod in essentialiter subordinatis variato fundamento, variatur etiam et id, quod supra illud fundatur, ut in pulchritudine et in similitudine liquet. Dissolvitur. D.Thom

Nec

22. Secunda. Nec etiam obest, si secundo objicias, quod omnis ratio reperta in divinis et connotans effectum in creatura dicitur tantum essentialiter : siquidem omnes effectus creati sunt indivisibiliter a tota Trinitate : sed donum dictum de Deo connotat effectum in creatura : ergo dicitur tantum essentialiter. Minor probatur : tum, quia donum importat habitudinem ad creaturam, cui donatur tanquam ad recipientem : ac proinde importat effectum in eadem creatura : tum etiam, quia Spiritus sanctus v. g. dicitur donari, quatenus donatur creaturæ in aliquo effectu illius.

Fit obviam. Respondetur enim, dupliciter posse aliquod nomen Dei et rationem per ipsum significatam afferre effectum aliquem in creatura et respectum, aut quasi respectum ad illam. Vel ita ut non determinet aliquid, quod peculiariter conveniat uni personæ, potius quam alteri : et hæc nomina dicuntur essentialia. Vel ita, quod determinet aliquid peculiariter competens uni personæ ultra id, quod omnibus personis divinis ibidem correspondet : et ratione hujus, quod superaddit, potest prædictum nomen esse personale, ut constat in assumptione humanæ naturæ et incarnatione, ubi importatur actio quædam unitiva uniens naturam humanam cum Verbo, quæ est communis toti Trinitati ; et insuper reperitur terminatio ejusdem naturæ humanæ a Verbo, quæ terminatio est propria solius Verbi. Et ideo duo priora nomina, ut denotantia actionem prædictam, sunt essentialia; terminatio vero ejusdem naturæ denotans id, quod præcise est a Verbo, dicitur notionaliter. (Imo quia assumptio et incarnatio principaliter denotant terminationem factam a persona Verbi, ideo peculiariter dicuntur de illo.) Sic etiam in præsenti, licet donum debeat aliquem effectum in creatura importare, et quantum ad hoc præcise sumptum sit nomen commune et essentiale : nihilominus quia importat in Filio peculiarem habitudinem procedentis a Patre et in Spiritu sancto processionem ab utroque, ideo donum de Filio et Spiritu sancto peculiariter dicitur.

D. Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 18 quæst. unica art. 1 in solutione ad 1 his verbis : *Dicendum, quod dupliciter potest nomen connotare effectum in creatura. Vel secundum rationem principii alicujus operationis tantum : et sic cum operatio sit totius Trinitatis, est essentiale. Vel ita, quod cum ratione principii respectu creaturæ connotat aliquod notionale, ut incarnatio, quæ et operationem importat, quæ tribus est personis communis, et operationis terminum, in quem terminata est carnis assumptio, quod proprium est personæ Filii : et hujusmodi est hoc nomen donum : quia præter respectum, quem connotat ad illum, cui donabile est, potest importare respectum ad illum, a quo est, sicut a principio, et ex hac parte est notionale.*

Nec etiam obest, si tertio objicias, quod in præsenti loquimur de dono realiter tali : donum autem realiter tale debet distingui realiter a donante : ergo falsum est, quod ad rationem doni sufficiat, quod sit alicujus, scilicet donantis, per identitatem. Minor probatur. Tum, quia donum constituitur inter alia per habitudinem ad donantem : ergo ad rationem doni realiter talis requiretur habitudo realis ad donantem : et per consequens distinctio realis inter utrumque. Tum etiam, quia ad hoc, ut detur in Deo potentia, sive vis generativa Verbi realiter talis, requiritur distinctio realis inter Patrem generantem, et Filium genitum : ergo eadem ratione ad hoc, ut detur in divinis potentia, sive vis ad donandum aliquod donum realiter tale, desiderabitur distinctio realis inter donum, et Deum donantem. 23. Tertia.

Respondetur enim, negando minorem. Et ad primam probationem dicendum est, ad rationem doni ut sic repertam in divinis non requiri habitudinem formaliter talem inter donantem, et donum ; sed satis esse habitudinem fundamentalem. Hæc autem non requirit distinctionem realem : quia in eis, quæ sunt unum et idem realiter, potest reperiri relatio fundamentalis, seu fundamentum ad hoc, ut secundum rationem nostram referantur. Enodatur.

Ad secundam vero probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quia potentia generativa importat ordinem originis formaliter talem, modo tamen alibi dicto : at vis ad donandum non importat necessario ordinem originis prædictum ; sed satis est, quod donum sit illius, a quo donatur aliquo ex modis realibus, quibus unum potest esse alterius, inter quos connumeratur, quod aliquis sit alterius per realem identitatem : quia (ut nuper innuebamus) ratio doni non importat habitudinem formaliter talem inter donum, et donantem, sed solum fundamentalem.

DUBIUM III.

Utrum esse donum ex vi suæ processionis sit proprium solius Spiritus sancti?

24 Postquam explicuimus donum dici essentialiter in divinis, quatenus dicit rem alicujus per identitatem, cum aliis conditionibus jam explicatis ; et insuper sumi etiam notionaliter, et convenire soli Filio, et Spiritui sancto, quatenus dicit inter alia jam insinuata rem alicujus per originem, non determinando, an sit per originem secundum ea, quæ origo ex vi sua, et secundum quod ponit terminum primarium, dicit; an vero per originem, non consideratam præcise ex vi sua, et secundum quod tantummodo attingit terminum primarium ; sed secundum alia vel identica, vel annexa eidem processioni, aut tandem secundum quod per se secundo terminatur ad terminum secundarium, ac proinde postquam explicuimus, quomodo esse donum per processionem hoc posteriori modo sumptam, conveniat Filio et Spiritui sancto tantummodo : restat, ut explicemus, an esse donum per processionem, et ex vi processionis formalissime, prout attingit terminum primarium, sit proprium solius Spiritus sancti : et per consequens, an sumpto dono in hoc sensu, nomen doni solum significet ipsum Spiritum sanctum.

Et licet hoc dubium possit aliis verbis excitari, nimirum an ratio primi doni sit propria solius Spiritus sancti ; vel an ratio doni ex natura sua talis sit propria ejusdem Spiritus sancti, et non alicujus alterius personæ divinæ : nihilominus isti duo inquirendi modi in idem coincidunt. Quia (ut ex dicendis patebit) ideo Spiritui sancto convenit ratio primi doni, quia ex vi suæ processionis præcise, et formalissime sumptæ, prout terminatur ad suum terminum primarium, est donum. Et similiter idcirco ex natura sua habet rationem doni, quia ex vi suæ processionis hoc ei competit. Et pari ratione alius inquirendi modus, nimirum, an Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis sit donum, in idem redit cum præcedentibus. Quia nomine proprietatis personalis intelligitur, quoad præsens, relatio spirationis passivæ non præcise in abstracto sed in concreto, prout dicit se ipsam, quatenus incommunicabiliter subsistentem in amore divino : sic autem dicit se ipsam secundum id, quod habet ex vi suæ processionis, ut est terminus primarius *qui* illius. Et ita in idem coincidit inquirere, an Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis sit donum : ac quærere, an hoc ei competat secundum id, quod habet ex vi suæ processionis, ut est terminus primarius illius?

§ I.

Difficultas dubii ex Augustini et Angelici Doctoris mente expeditur.

Dicendum ergo est, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis præcise, et prout attingit suum terminum primarium, esse donum : et sumpto dono in hoc sensu, soli ipsi rationem doni convenire, seu (quod in idem, quoad præsens redit) Spiritum sanctum ex vi suæ proprietatis personalis esse donum. Assertio hæc est Augustini 5 de Trinitate cap. 11 his verbis : *Sed tamen ille Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur : cum et ad Patrem, et ad Filium refertur : quia Spiritus sanctus et Patris, et Filii Spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine : apparet autem cum dicitur donum Dei : donum enim est Patris, et Filii.* Et paulo infra : *Donum ergo donatoris, et donator doni, cum dicimus relative, utrumque ad invicem dicimus.* 25. Assertio Probatur ex Augustino

In quibus verbis Augustinus non solum docet, relationem Spiritus sancti ad Patrem, et Filium esse ipsam rationem doni : sed etiam eam magis exprimi nomine doni, quam nomine Spiritus : ac proinde sentit, hoc, quod est esse donum, convenire soli Spiritui sancto ; et non utcumque, sed ex sua proprietate personali formalissime sumpta, prout est terminus per se primus suæ processionis : et per consequens quod esse donum ex vi suæ processionis formalissime, sit proprium solius Spiritus sancti ; siquidem idem est esse proprium aliquid solius Spiritus sancti ex vi suæ proprietatis personalis in sensu dicto, ac esse proprium solummodo illius ex vi processionis formalissime acceptæ, prout præcise terminatur ad terminum primarium.

Idem etiam docuit idem Augustinus 4 de Trinitate cap. 20, dum inquit : *Et sicut Spiritui sancto donum Dei esse, est a Patre procedere : ita illi, est cognosci, quod ab illo procedat.* In quibus verbis pro eodem sumit, 26. Idem Augu

mit, quod Spiritus sanctus sit donum, et quod a Patre procedat. Quare, cum a Patre procedere eo modo, quo convenit Spiritui sancto, nempe a Patre, simul et Filio, sit proprietas solius Spiritus sancti, conveniatque illi ex vi processionis, oportet, ut juxta Augustinum, ratio doni, quæ est idem juxta eumdem Augustinum, ac procedere a Patre et Filio, conveniat illi ratione suæ proprietatis personalis, et ex vi suæ processionis : ac proinde quod esse hoc modo donum, conveniat ipsi solummodo.

uadetur ex D. Thoma. Deinde hoc ipsum tuetur D. Thomas in hac quæst. 38 art. 2 ubi ex eo probat, esse proprium solius Spiritus sancti esse donum, quia id habet ex vi suæ processionis : atque adeo sentit, quod esse donum hoc speciali modo, nempe ex vi suæ processionis, est proprium solius Spiritus sancti. Quod etiam docuit in 1 distinct. 18 quæst. unica art. 4 ubi cum inquisisset : *An Spiritus sanctus processione sua habeat esse donum?* respondet, quod si processio accipiatur pro ipsa relativa proprietate Spiritus sancti, nempe relatione Processionis, tunc Spiritus sanctus processione sua habet esse donum, non vero esse Deum : quia proprietate relativa non habet esse Deum, sed essentia sua. Si vero processio accipiatur pro origine, tunc est Deus processione sua absolute sumpta, non determinando, an illa ex vi sua solummodo, secundum quod præcise terminatur ad terminum primarium, an vero eademmet absolute accepta communicet illi esse Deum : quia quidquid habet, communicatur ipsi per suam processionem absolute acceptam. Unde nomine processionis sic sumptæ non intelligitur, juxta communem usum Theologorum, processio ipsa formalissime secundum id, quod præcise dicit, ut terminatur ad suum terminum primarium : sicut nomine proprietatis personalis absolute acceptæ solet ipsa proprietas personalis, seu ipsa relatio spirationis passivæ, ut præcise subsistit, vel est ratio subsistendi in amore divino, non vero ut est ratio subsistendi in natura Dei intelligi.

27. D.Thom. Verba autem S. Doctoris, quibus rem hanc explicuit, sunt hæc : *Dicendum, quod sicut in Filio est significare proprietatem ejus per modum relationis, ut cum dicitur Filiatio, et per modum exitus, vel emanationis, ut cum dicitur generatio passive, vel nativitas : ita esset etiam in Spiritu sancto, si nomina essent posita. Sed propter defectum nominum utimur eodem nomine ad significandum emanationem ipsius, et proprietatem, vel relationem, scilicet nomine processionis. Dico igitur, quod processio potest dicere emanationem Spiritus sancti, vel relationem, sive proprietatem ejus. Si relationem, vel proprietatem, sic Spiritus sanctus proprietate sua, formaliter loquendo, est Spiritus sanctus, et donum, et amor, non autem Deus : sicut nec Filius Filiatione est Deus, formaliter loquendo; sed Filiatione est Filius, et Deitate Deus, et sapientia sapiens. Si dicat emanationem, tunc potest dici, quod Spiritus sanctus sua processione est Deus, et donum : sicut etiam Filius sua nativitate est Filius, et Deus : sed diversimode, quia Deitas se habet ad generationem, solum ut accepta per generationem; sed Filiatio, secundum rationem intelligendi, est consequens generationem. Et simili ratione conceditur, quod Filius nascendo accipiat Divinitatem : et non solum ita, quod gerundium importet concomitantiam, ut dicitur de aliquo, Currendo est homo, sed importat ordinem ad acceptum, ut sit sensus, Filius nascendo accepit Deitatem, idest, per nativitatem accepit Divinitatem. Et similiter est de processione Spiritus sancti.*

Consulto autem, antequam verba D. Thomæ quoad hoc traderemus, illa ad brevem formam redegimus, et quid in illis vellet, explicuimus. Quia contextus illorum, nisi juxta ea, quæ præmisimus, intelligatur, non cohæret cum aliis, quæ alibi ex eodem S. Doctore tradidimus. Sicut etiam, ut omnis difficultas, quæ circa illa quoad præsens poterat suboriri, maneat soluta, et verba ista et omni parte cum alibi a S. Doctore traditis cohæreant, placuit breviter addere, quod, dum Angelicus Præceptor comparat Filium, et Spiritum sanctum quoad hoc, quod est, esse Deum processione sua, loquitur de processione non determinando, an ex vi processionis, et ut præcise terminatur ad terminum primarium, an vero per processionem ipsam alio modo sumptam id habeant. Et ita solum vult, quod processione sua uterque habeat esse Deum, quamvis ex alibi dictis ab Angelico Doctore, constet, quod diversimode habeant Filius, et Spiritus sanctus, quod processio sua sint Deus, ut ex solutione ad 1 ejusdem articuli quam Angelicus Præceptor statim subjungit, satis constat.

Quæ omnia clarius, et se ipsum magis explicando tradidit idem S. Doctor in eodem loco ad Annibaldum, ubi cum inquisisset hoc ipsum, nimirum, *An eodem Spi-* 28. D.Thom.

ritus sanctus sit donum, et Deus? sic inquit: *Cum quæritur, an eodem sit Deus, quo donum, si quæratur de identitate rei, dicendum, quod sic : quia in divinis essentia, et proprietas idem sunt in re. Si autem quæratur de identitate rationis, distinguendum est : aut enim ablativus construitur cum hoc verbo sic, in ratione formæ : et sic non eodem est Deus, quo donum : quia Divinitate Deus est, proprietate donum. Aut in ratione principii : sic eodem, scilicet eadem processione, Deus est, et donum : quia per processionem istam debet, quidquid habet, et sic quod sit Deus, et quod sit donum.*

Bonavent. Capreol. Marsilius. Vasquez. Suarez. Joann. de Portugal. Arrubal. Montoya. Unde assertionem hanc tuentur Bonaventura in 1 dist. 18 quæst. 5, Capreolus quæstione unica, Marsilius quæst. 21 art. 3 dubio 4, Vasquez disp. 154 cap. 2, Suarez lib 11 de Trinitate cap. 4, Joannes de Portugal ex Inclyta Prædicatorum familia tomo 1 de Gratia increata lib 6 cap. 2 in 2 part. illius, Arrubal disp. 124 cap. 2, Ruyz de Montoya disp. 75 sect. 1 ubi plures alios refert.

§ II.

Ratio assertionis ex Angelico Doctore deprompta.

29. Ratio fundamentalis. D.Thom. Ratio autem fundamentalis pro assertione desumitur ex D. Thoma art. 2 hujus quæstionis 38, quæ potest ad hanc brevem formam reduci. Quoniam Spiritus sanctus ex vi suæ processionis habet, quod procedat per modum amoris, seu ut amor spiratus ; non vero Verbum : ergo solus Spiritus sanctus ex vi suæ processionis erit donum, seu (quod in idem quoad præsens redit) solus ipse ex vi suæ proprietatis personalis habebit esse donum, sive solus ipse erit primum donum : et per consequens sumpto dono in hoc sensu, tunc nomen doni erit nomen personale illius tantummodo.

Antecedens constat ex illis, quæ late in hoc tractatu explicantes articulum 2 et 4 quæstionis 27 diximus. Prima vero consequentia (in qua posterior innititur) facile ex antecedenti deducitur. Nam cum donum proprie loquendo sit datio irreddibilis secundum Philosophum, idest, non data intentione retributionis, importat gratuitam donationem ortam ex gratuito, et pure liberali amore : et ita amor iste est ratio cujusvis donationis gratuitæ, et primum donum, quod donatur tribuit illi, cui per amorem vult alia dona. Ergo hoc ipso, quod solus Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedat per modum amoris, seu ut amor spiratus, habebit solus ipse ex vi suæ processionis procedere per modum doni, seu per modum primi doni : et per consequens eo ipso (ut in explicatione tituli dicebamus) ex vi suæ proprietatis personalis habebit, quod ipse solummodo sic sit donum; non vero Verbum, cui hæc non competunt.

Confirmatur, et explicatur primo ratione, quam tradit D. Thomas in eodem artic. in solutione ad 1. Quoniam etsi tam Spiritus sanctus, quam Verbum sint similes Patri : nihilominus, quia solus Filius procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet, quod sit similitudo sui principii, ideo solummodo Verbum dicitur proprie imago Patris ; non vero Spiritus sanctus, qui de ratione sua non habet, ut procedat per modum similis. Ergo cum ad rationem primi doni requiratur, quod procedat per modum amoris, et hanc competat Spiritui sancto, non autem Verbo, consequens est, ut ratio primi doni soli competat Spiritui sancto, non vero Verbo : ac proinde eo ipso (ut in explicatione tituli diximus) ipse solus erit ex vi suæ processionis, sive ex sua proprietate personali donum. 30. Confirm. D.Thom.

Confirmatur secundo, et explicatur ratione alia ejusdem Angelici Doctoris locis statim referendis. Quoniam quod convenit alicui per se, et ratione sui, et aliis quodammodo per illud, convenit ei ex vi suæ rationis formalis, necnon ex vi suæ processionis, saltem quoties talis res adæquat virtutem, ex qua procedit : sed Spiritui sancto per se, et ratione sui convenit esse donum notionale, et aliis (ut exempli gratia Verbo divino) convenit quodammodo ratio doni per eumdem Spiritum sanctum, ipseque Spiritus sanctus adæquat virtutem productivam, ex qua procedit, ut ex se patet : ergo ex vi suæ processionis, et rationis formalis, proprietatisque personalis habebit esse donum. Major videtur certa. Nam ideirco calor per se, et ex vi suæ rationis formalis, suæque processionis habet vim ad calefaciendum, quia hoc illi per se, et ratione sui formaliter ei convenit, et cæteris aliis per ipsum, ipseque adæquat emanationem illam per quam emanat ab igne. 31. Confirm.

Minor autem quoad ultimam partem non indiget probatione. Quoad primam vero,

vero, nempe, quod Spiritui sancto per se, et ratione sui conveniat formaliter, quod sit donum, constat ex nuper dictis. Quoad secundam autem partem, nimirum, quod Verbo quodammodo conveniat esse donum per Spiritum sanctum, probatur. Quoniam cum ad rationem doni requiratur, quod sit donabile ex puro et gratuito amore, et Verbum ex vi suæ processionis, et rationis formalis per se primo ei convenientis hunc amorem non dicat, bene tamen Spiritus sanctus, oportet, ut verbum quodammodo habeat ab Spiritu sancto, quod sit donum: quatenus quodammodo ex amore qui est Spiritus sanctus, habet donari. Et propterea D. Thomas in hac quæst. 38 art. 2 in solutione ad 1 sic concludit : ***Hoc enim ipsum, quod Filius datur, est ex Patris amore, secundum illud Joannis 3 : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*** Sicut etiam, quia Verbum ex vi suæ processionis est quid dictum, ideo Spiritus sanctus quodammodo per Verbum habet dici.

§ III.

Objectio duplex contra rationem D. Thomæ, et illius enodatio.

32. Prima objectio. Nec obest, si objicias primo, quod etsi Verbo divino non conveniat ex vi suæ processionis, quod procedat per modum amoris : convenit tamen illi ex vi ejusdem processionis ratio amoris : ergo convenit illi ex vi quidem processionis, quod sit donum. Consequentia videtur perspicua. Quoniam hoc ipso, quod Verbo communicetur ex vi suæ processionis amor, qui est primum donum, primaque ratio donandi, non poterit non esse ex vi ejusdem processionis donum.

Antecedens autem probatur. Quoniam Verbo ex vi suæ processionis communicatur natura divina : ergo ex vi ejusdem processionis communicatur illi amor, qui se habet per modum proprietatis ejusdem naturæ : siquidem cui ex vi processionis communicatur natura, debet ex vi ejusdem processionis communicari proprietas, aut quasi proprietas talis naturæ. Et propterea, quia homini genito ab altero homine, communicatur ex vi suæ processionis natura humana, idcirco ex vi ejusdem processionis communicatur ei risibilitas, quæ est passio prædictæ naturæ.

33. Respondetur. Respondetur enim, hinc solum haberi, quod Verbo communicetur ex vi suæ processionis per se secundo ratio amoris; non vero quod communicetur illi talis amor ex vi ejusdem processionis formalissime, idest, secundum quod præcise attingit terminum primarium *qui*. Cum tamen Spiritui sancto ex vi suæ processionis formalissime, et secundum quod præcise attingit terminum primarium *qui*, communicetur amor : et propterea terminus primarius *qui* illius est amor spiratus. Et ita soli Spiritui sancto conveniet, quod ex vi suæ processionis formalissime sumptæ, idest, secundum id, quod est in ea formalissimum ; et per se primum producatur ut donum, et ut amor notionalis.

Quæ solutio coincidit cum alia, quæ huic eidem objectioni solet adhiberi, nempe, Verbo non communicari ex vi processionis formalissime sumptæ amorem, sed solum ex vi ejusdem processionis materialiter acceptæ. Quia quidquid non competit ex vi processionis, ut præcise terminatur ad terminum primarium jam dictum, vel ut terminatur ad terminum primarium *quo*, dicitur convenire ex vi processionis materialiter, vel per processionem materialiter sumptam. Et propterea licet creatio hominis per se secundo terminetur ad tribuendum illi naturam humanam : non tamen ideo dicitur ex vi processionis illius formalissime acceptæ esse hominem ; sed communicari ipsi rationem entis ex nihilo ex vi illius sic acceptæ, et solum per eam materialiter sumptam tribui naturam humanam.

Sed urgebis, quod Spiritus sanctus ex vi 34. Replica.
suæ processionis formalissime sumptæ nec procedit ut amor creaturarum possibilium, quippe quæ, ut tales, non amantur a Deo, juxta ea, quæ in 2 tomo tractatu 4 disp. 5 n. 13 diximus. Neque etiam creaturarum futurarum : cum amor iste sit liber, et Spiritus sanctus, ac ejus processio sit omnino necessaria. Ergo ex eo, quod procedat per modum amoris secundum id, quod habet, ut est terminus per se primus suæ processionis, non potest colligi, quod ex vi suæ processionis formalissime sumptæ procedat ut donum. Quia sicut ipse, ut donum, tantum est respectu creaturarum : ita ad hoc, ut ex processione per modum amoris colligeretur, quod procedit per modum doni, deberet procedere per modum amoris creaturarum.

Confirmatur. Quia si non obstante, Confirmatur.
quod Spiritui sancto ex vi suæ processionis non communicetur, quod sit amor

creaturarum, nihilominus ex vi suæ processionis est donum, tunc eadem ratione Verbum erit donum, et amor ex vi suæ processionis, ac Spiritus sanctus. Quandoquidem si Spiritus sanctus ex vi suæ processionis formalissime non procedit ut amor creaturarum, solum communicabitur illi prædictus amor secundario : et hoc modo non minus communicatur Verbo, quam Spiritui sancto.

Diluitur replica cum confirm. Respondetur, quod ad rationem doni importantis solummodo rem alicujus, aptam proxime donari, satis est amor, qui, quantum est ex se, habeat omnem actualitatem requisitam ad hoc, ut sit amor gratuitus et pure liberalis creaturarum rationalium, quibus donum conferendum est. Sic autem sumpto amore, Spiritus sanctus ex vi suæ processionis formalissime sumptæ procedit ut amor notionalis creaturarum ; secus vero Verbum : et propterea ille, non vero istud, habet, quod ex vi suæ processionis formalissime sit, et procedat ut donum. Per quod etiam ad confirmationem patet.

35. Secunda objectio. Nec etiam refert, si secundo, et principaliter objicias, quod in Spiritu sancto esse donum, et esse amorem, sunt duæ rationes formales virtualiter distinctæ : ergo ex eo, quod ex vi suæ processionis procedat ut amor, et per modum amoris, non bene colligitur, quod ex vi ejusdem processionis procedat ut donum, et per modum doni. Consequentia videtur legitima. Nam propterea in eodem Spiritu sancto non bene infertur, quod ex vi suæ processionis procedat ut Deus, licet ex vi processionis procedat ut amor, quia ratio amoris, et naturæ divinæ sunt in divinis duæ rationes formales : ergo eadem ratione, si ratio doni, et amoris sunt in Spiritu sancto duæ rationes formales eodem modo distinctæ, non bene colligetur, Spiritum sanctum ex vi suæ processionis procedere ut donum ex eo, quod ex vi ejusdem processionis procedat ut amor.

Antecedens autem probatur : tum, quia ratio doni desumitur ex ordine ad creaturas, quibus donari potest : et ita dicit de formali ordinem donabilitatis ad id, cui donandum est : ratio vero amoris solum dicit tendentiam affectivam in objectum dilectum, unionemque affectivam cum illo. Tum etiam, quia de ratione doni est, quod fiat, aut fieri possit ejus, cui datur, darive potest, in eoque recipiatur : cum tamen amor non recipiatur in amato, sed in amante : ergo, etc.

Respondetur enim prænotando, quod sicut Verbum in divinis eo formaliter est Filius, quo Verbum, et e contra, ut constat ex illis, quæ in hoc tractatu disp. 2 n. 112 late diximus : ita etiam Spiritus sanctus eo est spiritus, et amor notionalis, quo est donum, et e converso, ut patet ex testimoniis Augustini, et D. Thomæ in hoc dubio num. 25 relatis. Unde, sicut Verbum dicit in recto suam relationem realem personalem, quatenus terminatam ad Patrem, ut est principium *quod* dicendi, et ut subsistentem in natura divina quatenus accepta a Patre intellectuali modo ; et similiter Filius dicit in recto eamdem relationem, ut terminatam ad Patrem, ut est sub conceptu Patris, et ut subsistentem in eadem omnino natura divina Patris ; et prædicta relatio non multiplicatur virtualiter, ut est Verbi, et ut est Filii, sed est eadem omnimode ex parte rei conceptæ, et utrobique importatur natura divina in obliquo, non utcumque, sed ut est Filii, et Verbi, idest, ut accepta a Patre per generationem, et dictionem, et ex vi ejusdem generationis, et dictionis : ita etiam in Spiritu sancto esse spiritum, esse donum, et esse amorem notionalem ut notionalem, idest, esse amorem spiratum, ut talem, ac tandem esse Spiritum Sanctum, ut exprimitur nomine amoris, non distinguuntur ex parte rei conceptæ ; sed ex parte solius nostri modi concipiendi. Et ita, quemadmodum Spiritus sanctus dicit in recto relationem spirationis passivæ ad Patrem, et Filium, ut sunt relative unus spirator ; et in obliquo dicit amorem divinum, non qualitercumque, sed ut est ejusdem Spiritus sancti, idest, ut est quid acceptum et communicatum illi a Patre et Filio per voluntatem ex vi processionis : sic esse donum, et esse amorem notionalem, ut talem, dicit eamdem relationem in recto, et prædictum amorem in obliquo. Et ideo ibidem nulla in relatione, aut in amore importato intervenit distinctio ex parte rei conceptæ ; sed solum ex parte nostri modi concipiendi : quatenus ut significatur nomine spiritus, aut amoris spirati, ut talis, significatur eadem relatio, ut subsistit in amore divino, ut habet rationem cujusdam impulsus in rem amatam, et ut terminatur ad Patrem et Filium, ut dicunt relationem spirationis activæ secundum quoddam munus ipsius correspondens huic muneri relationis spirationis passivæ : et ut significatur nomine amoris, dicit eamdem relationem,

36 Corrui[...] August[...] D.Thom[...]

relationem, ut subsistit in amore divino, ut est unio quædam affectiva amantis cum re amata : et tandem ut exprimitur nomine doni, dicit eamdem relationem, ut subsistentem in eodem amore divino, ut est ratio donandi ea, quæ sunt propria amantis, estque primum donum. Et unicuique ex his muneribus correspondent ex parte relationis spirationis activæ, existentis in Patre et Filio, munera alia eisdem proportionata.

37. Ratio solutionis. Et ratio horum omnium est. Tum, quia (ut jam diximus) sicut ratio Verbi et Filii est relativa ad Patrem, et ad principium *quod* dicendi : ita etiam ratio doni notionalis habet esse relativam ad donatorem : et similiter ratio spiritus, aut amoris spirati, ut talis, necnon et ratio spiritus, ut nomine amoris ob penuriam nominum exprimitur. Et ideo, quemadmodum in Filio una et eadem relatio absque distinctione virtuali importatur in recto in ipso, ut Verbo, et ut Filio, eademque natura in obliquo utrobique affertur : quia Filius in ordine ad Patrem non potest habere, nisi unicam tantummodo relationem : ita in Spiritu sancto, ut spiritu, et ut amore, modis dictis sumpto, ac tandem ut dono, tantum importabitur una et eadem relatio absque distinctione virtuali : quia in ipso nequit in ordine ad Patrem et Filium esse, nisi unica relatio : et (ut nuper dicebamus) relatio amoris, ut spirati, et Spiritus sancti, ut talis, necnon et relatio doni est in ordine ad Patrem et Filium, quorum est ipse Spiritus sanctus.

Tum etiam. Quia sicut amor essentialis, consideratus veluti per modum viæ, habet se ipso formaliter, absque additione alicujus a se virtualiter distincti, quod sit unio per modum viæ, aut quasi viæ amantis cum objecto amato, quod sit eodem modo impulsus et inclinatio quædam in illud, ac tandem quod habeat modo dicto, idest, veluti per modum viæ esse primum donum, primaque ratio donandi omnia alia : ita hoc ipso, quod prædictus amor intelligatur fœcundus, qualiter intelligitur in Patre et Filio oportebit, ut ibidem secundum id præcise, quod requiritur ad ejus fœcunditatem, absque eo quod aliquid aliud intelligatur ei superaddi, habeat esse productionem termini, qui se ipso formalissime sit, tam unio per modum termini cum objecto amato, quam inclinatio in illud, necnon primum donum, primaque ratio donandi alia : non secus (proportione tamen servata) ac in Verbo contingit, in quo est idem absque distinctione virtuali, quod sit Verbum et quod sit Filius; quia actio, per quam producitur, est simul absque eodem distinctione dictio et generatio.

Hinc ergo ad formam hujus secundæ 38. Solvitur in forma objectio.
objectionis respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem negandum est antecedens. Quia, ut ex D. Thoma D.Thom.
et Augustino vidimus, donum notionale August.
potius dicit de formali et in recto relationem ad donatorem. Et similiter amor, ut notionalis, seu ut spiratus, qui est idem in Spiritu sancto, ac donum notionale, hoc habet; quamvis utrumque, in obliquo dicat amorem, ut communicatum per voluntatem.

Ad secundam vero probationem respondetur, quod loquendo de primo dono, non est de ratione ejus, quod fiat amati per inhæsionem, sed satis erit, quod fiat ejus per unionem affectivam : quatenus amans una cum amore et medio illo intelligitur esse quodammodo unitus cum amato et sic ab illo possideri.

Desumiturque tota hæc solutio ex D. 39.
Thoma in hac quæst. 38 art. 1 ad 4, ubi D.Thom.
postquam in solutione ad 3 dixit, quod donum, secundum quod est nomen personale in divinis, non importat subjectionem, sed originem tantum in comparatione ad dantem et quod affert etiam ordinem, aut quasi ordinem ad id, cui datur, nempe creaturam : postea in prædicta solutione ad 4 addidit : *Nec tamen per hoc, quod importatur respectus ad creaturam, oportet, quod sit essentiale, sed quod aliquid essentiale in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu personæ, ut supra dictum est.* In quibus verbis (ut constat) ratio doni notionalis non est quid essentiale, sed personale; licet includat aliquid essentiale, sicut persona. Cumque persona in obliquo illud includat, sic et donum. Ac proinde in Filio v. g. ut tali, ratio doni non dicet aliquid relativum distinctum virtualiter a Filiatione; neque in Spiritu sancto importabit rationem relativam virtualiter diversam ab spiratione passiva : siquidem Spiritus sanctus tantum gaudet unica relatione reali : et Filius similiter, ut Filius est, et ut in ratione Filii est donum, non habet in se multiplicem, adhuc virtualiter, relationem realem, ut ex communi Theologorum sententia liquet.

Nec refert, si contra solutionem hanc 40.
urgeas, quod si semel donum notionale Replica.

dicit in recto, et formaliter relationem realem ad donatorem cujus est, fiet inde, quod sicut Spiritus sanctus ex vi suæ processionis et proprietatis personalis est donum, ita etiam Verbum : siquidem ex vi suæ processionis et proprietatis personalis habet relationem illam, nempe Filiationem, ratione cujus est Patris per originem ; et dicit naturam Dei in obliquo, ratione cujus habet dicere ordinem, aut quasi ordinem ad creaturas, ut ad id, cui donabile est : sicut Spiritus sanctus in ratione doni dicit ex vi suæ processionis relationem ad spiratorem, cujus est per originem et in obliquo amorem, ratione cujus quasi respicit creaturas, ut eas quibus donabilis est.

Enodatio. Respondetur enim, quod etsi Filio conveniat ex vi processionis relatio ad donatorem, nempe Patrem, necnon et natura divina : nihilominus non ideo convenit ei ratio doni ex vi ejusdem processionis formalissime sumptæ, ut terminatur præcise ad terminum primarium, sicut convenit Spiritui sancto. Quoniam ad rationem doni potissime desideratur, quod procedat ex amore pure gratuito et liberali, ac proinde requiritur prædictus amor : siquidem donum non habet rationem talis, nisi ut ex amore est donabile. At Verbum amorem hunc non includit ex vi processionis formalissime sumptæ, ut explicatum est ; bene tamen Spiritus sanctus : et ideo illud non est donum ex vi processionis, seu ex vi illius formalissime sumptæ ; secus tamen iste.

Roboratur ex D. Thoma. Unde ob hanc rationem D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 18 quæst. unica art. 2 excludit Verbum ab hoc, quod ex vi suæ processionis sit donum, his verbis : *Dicendum, quod in hoc differt donum et datum principaliter. Quia datum potest dici aliquid quocumque modo detur : sed donum dicitur illud, quod de sua ratione habet, quod detur. Spiritus sanctus autem ex ratione suæ processionis habet, quod detur : quia procedit, ut amor, qui est primum donum. Filius autem non habet ex ratione suæ processionis, ut detur. Et ideo proprie loquendo Spiritus sanctus solus est donum* (intellige, prout donum dicit esse tale ex vi processionis), *sed uterque potest dici datum.*

41. Quod adhuc magis explicuit idem Angelicus Doctor in 1 scripto Sententiarum loco citato, dum inquit, quod donum dicit aptitudinem ad hoc, ut detur : et hæc potest attendi, vel ex parte ipsius dati, ut nimirum dicit potentiam quasi passivam, vel ex parte dantis, idest, ut denotat potentiam quasi activam : et talis aptitudo ei competit ut est a donante dabile liberaliter, idest, ex amore gratuito. Constat autem, Verbum non habere hunc amorem ex vi processionis, bene tamen Spiritum sanctum. Verba autem S. Doctoris, quibus hoc dilucide explicat sunt hæc : *Donum importat aptitudinem ad dandum, etc. Aptitudo autem ad dandum potest attendi dupliciter. Vel ex parte ipsius dati, quasi passiva, sicut calefactibile ad calefactionem aptitudinem importat. Vel ex parte dantis, quia activa : et talis aptitudo est secundum rationem, qua aliquid datur liberaliter. Ratio autem omnis liberalis collationis est amor : quod enim propter cupiditatem datur, vel propter timorem, non liberali donatione datur ; sed talis datio magis dicitur quæstus, vel redemptio. Quia igitur Spiritus sanctus est amor, ex ratione suæ processionis habet in se et quod detur et quod sit ratio dandi : unde est donum per se et primo. Alia autem, quæ dantur, non sunt dona nisi secundum quod participant aliquid amoris, ut ex amore data.*

Cæterum circa totam hanc solutionem istius secundæ objectionis videantur ea, quæ circa Verbum disputatione 2 hujus tractatus jam citata dubio 4 diximus, ubi plures objectiones adduximus et solvimus, quæ contra dicta in ista solutione possunt, proportione servata, militare.

§ IV.

Aliæ objectiones contra eamdem D. Thomæ rationem proponuntur et ex dictis solvuntur.

Unde nihil obstat, si objicias tertio et principaliter, quod dato, rationem primi doni convenire amori divino, tunc deberet hoc competere amori essentiali : ergo non bene inde colligetur, rationem doni esse propriam Spiritus sancti, potius quam Filii. Consequentia videtur legitima. Tum, quia Spiritus sanctus non procedit, ut donum et amor essentialis magis quam Filius : siquidem essentialia sunt utrique communia. Tum etiam, quia sicut Spiritus sanctus est donabilis ex amore essentiali, ita etiam Filius. Antecedens autem probatur. Quoniam Spiritus sanctus non habet rationem doni, nisi quia includit amorem essentialem et ratione illius : ergo amor essentialis 42. Tertia objectio.

essentialis habebit perprius, et per consequens per se primo, quod sit donum.

urritur. Respondetur ex dictis, quod etsi ratio primi doni essentialis conveniat amori essentiali ; non vero Spiritui sancto : secus tamen ratio primi doni notionalis : nam hæc per se primo convenit amori notionali. Unde negandum est antecedens hujus objectionis intellectum de primo dono notionali, seu de primo dono divino realiter procedente a donatore. Et ad probationem dicendum est, Spiritum sanctum non habere rationem doni notionalis ab amore essentiali, tanquam a ratione formali et in recto importata in dono notionali, ut tali ; sed amorem istum solum importari in obliquo a dono ; et non utcumque, sed ut est quodammodo proprius Spiritus sancti, idest, ut communicatus per voluntatem eidem Spiritui sancto et ex vi processionis ipsius formaliter sumptæ. Amor autem sic sumptus et communicatus non convenit Verbo, sed soli Spiritui sancto : et ideo solus ipse est amor et donum notionale.

13. dica. Nec obest, si urgeas contra hanc solutionem, hinc fieri, dandum esse in divinis duplex primum donum, alterum improductum, nempe amorem essentialem, alterum vero productum, nempe Spiritum sanctum, hoc autem dici nequit, sicut nec quod detur in Deo duplex voluntas, aut intellectus, alter productus, alter vero improductus.

va- scit. Respondetur enim, quod donum, ob inopiam nominum, dicitur non solum de amore essentiali, sed etiam de tertia persona Trinitatis, tanquam nomen proprium, sicut amor de utroque dicitur. Et ita non inconvenit concedere duo prima dona, unum essentiale et alterum notionale includens, modo dicto, essentiale. Juxta quem modum D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 18 art. 3 ad 4 concedit expresse in Deo duplicem amorem, scilicet essentialem et personalem. Cumque ad multiplicationem amoris sequatur multiplicatio doni, hinc est, ut juxta mentem S. Doctoris debeat concedi duplex primum donum, inter quæ sit distinctio virtualis includentis et inclusi, ex quibus alterum sit essentiale, alterum vero personale, seu notionale, non dicens aliam speciem amoris, sed eumdem amorem essentialem, ut per voluntatem ex vi processionis illius communicatur.

rta tio. Ex quo etiam fit, nihil obstare, si objicias quarto, quod si Spiritus sanctus procedit ut amor et ut donum, hoc ipso quod procedat per voluntatem et per modum amoris, habebit duplicem notionem, per quam notificetur, nempe notionem amoris, seu spirationis passivæ et notionem doni : hoc autem dici nequit, siquidem juxta communem Theologorum sententiam, Spiritus sanctus tantum habet unicam notionem, ergo, etc.

Ex dictis igitur fit, hoc nihil obstare. Diluitur. Quoniam ratio doni et amoris producti, seu spirati solum dicit in recto eamdem relationem Spiritus sancti absque distinctione virtuali, ut explicatum est et in obliquo dicit eumdem amorem, ut communicatum per voluntatem, necnon respectum fundamentalem ratione amoris et essentiæ inclusæ ad creaturas, quibus donum donandum est. Constat autem, notiones reales et positivas non multiplicari, nisi ratione alicujus relationis virtualiter distinctæ et in recto importatæ, necnon habentis terminum ad intra : quæ quidem in præsenti non inveniuntur. Et ita, sicut Verbum, ut Verbum et ut Filius, non dicit duplicem notionem propter hanc rationem : ita neque Spiritus sanctus, ut spiritus, ut amor spiratus et ut donum, non afferret multiplicem notionem, sed eamdem sub diversis muneribus ex parte solius nostri modi concipiendi distinctam.

Quam solutionem adduxit eidem objectioni D. Thomas in 1 ad Annibaldum D.Thom. dist. 18 quæst. unica art. 2 ad 5 his verbis : *Dicendum, quod sicut una essentia secundum rem materialiter significatur, ut differens ratione ; sic una proprietas secundum rem significatur materialiter et ut differens ratione. Hinc est, quod proprietas Spiritus sancti significatur et nomine spiritus quoad actum procedendi, et nomine amoris quoad modum processionis et nomine doni quoad rationem donationis superadditam, quamvis sit una proprietas realiter Spiritus sancti.*

Nec tandem obstat, si objicias ultimo 15. Ultima objectio. contra eamdem rationem D. Thomæ, Deum non agere in creaturas, nec donare illis aliquid per amorem proprium unius personæ, sed per amorem communem toti Trinitati ; alioqui plus ageret in creaturas una persona, quam altera : quod est contra illud axioma, nempe, quod : *opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*. Ergo ratio primi doni nulla ratione potest convenire Spiritui sancto ex vi suæ processionis et proprietatis personalis. Patet consequentia.

Quia si Spiritus sanctus sic esset primum donum et ratio donandi, deberet peculiari modo esse principium omnis liberalis collationis factæ creaturæ : quia primum in unoquoque genere est ratio aliorum intra idem genus, ut docent D. Thomas in 1 dist. 18 quæst. 1 art. 3 et Aristoteles 2 Metaphysicæ cap. 23.

D.Thom. Aristotel.

Responsio. Respondetur enim ex dictis dubio 1 hujus disputationis, quod nullum est inconveniens, quod Deus donet, aut diligat creaturas per amorem proprium unius personæ : non quidem tanquam per rationem agendi, ita ut secundum illud, quod superaddit amori essentiali, sit ipsa ratio agendi : sed tanquam termino : qua ratione Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto et eodem modo diligunt creaturas eodem Spiritu sancto, tanquam termino, ut constat ex illis, quæ Angelicus Doctor quæst. 37 art. 2 ad 3 docuit. Et ideo Filius datur et ratione amoris essentialis a tota Trinitate, tanquam a ratione quodammodo agendi : quatenus ad rationem agendi, saltem in obliquo, desideratur prædictus amor : et insuper datur a Patre amore personali, scilicet Spiritu sancto, tanquam termino : quia, ut loquitur D. Thomas loco citato, Pater non solum Filium, sed etiam se et nos diligit Spiritu sancto : quia *diligere*, prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde, sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo, quod genuit : ita diligit se et omnem creaturam Spiritu sancto, ut dubio 1 hujus disputationis explicuimus.

Angel. Doct.

46. Ex dictis manent soluta fundamenta oppositæ sententiæ.

Nec necesse erit referre oppositam sententiam nostræ assertioni asserentem, donum non esse nomen personale Spiritus sancti, neque ei ex vi suæ processionis, proprietatisque personalis convenire, sed solum illi appropriari, eo quod per appropriationem dicitur procedere per modum amoris et amor habet rationem primi doni, quam docuit Durandus in 1 dist. 18 quæst. 1. Non igitur necesse erit sententiam hanc referre et multo minus illius fundamenta adducere. Quoniam nititur in illis, quæ supra disputatione 1 ex eodem Durando adduximus ad probandum, Verbum non procedere per intellectum, nec Spiritum sanctum per voluntatem : et omnia ista ibidem solvimus, sententiamque Durandi impugnavimus. Et deinde, si quæ sunt alia, quæ in favorem ejusdem Durandi alia via adduci possent, sufficienter ad illa ex his, quæ pro ratione D. Thomæ elucidanda diximus, potest occurri : imo fere omnia jam a nobis ad prædictam rationem Angelici Doctoris examinandam adducta et soluta sunt.

Durand.

QUÆSTIO XXXIX

De personis ad essentiam relatis.

PROOEMIUM

Post ea, quæ de personis divinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, et ad proprietates, et ad actus notionales, et de comparatione ipsarum ad invicem.

ARTICULUS I.

Utrum in divinis essentia sit idem quod persona?

Supra q. 3 art. 3 et I dist. 31 q. 1 art. 1. * Q. 30 art. 2 et q. 18 art. 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in divinis essentia non sit idem, quod persona. In quibuscumque enim essentia est idem, quod persona, seu suppositum, oportet, quod sit tantum unum suppositum unius naturæ, ut patet in omnibus substantiis separatis. Eorum enim, quæ sunt idem re, unum multiplicari non potest, quin multiplicetur et reliquum. Sed in divinis est una essentia, et tres personæ, ut ex * supra dictis patet. Ergo essentia non est idem quod persona.

2. Præterea, affirmatio, et negatio simul, et semel non verificantur de eodem. Sed affirmatio, et negatio verificantur de essentia, et persona : nam persona est distincta ; essentia vero non est distincta. Ergo persona, et essentia non sunt idem.

3. Præterea, nihil subjicitur sibi ipsi. Sed persona subjicitur essentiæ : unde suppositum, vel hypostasis nominatur. Ergo persona non est idem, quod essentia.

Durand.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit 7 de Trinitate : Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris.

* Lib. de Tr[in.] cap. ... circ[a] prin[c.] tomo ...

Respondeo dicendum, quod considerantibus divinam simplicitatem quæstio ista in manifesto habet veritatem. Ostensum

* Q. 3 art. 3. Ostensum * est enim supra, quod divina simplicitas hoc requirit, quod in Deo sit idem essentia, et suppositum, quod in substantiis intellectualibus nihil est aliud, quam persona. Sed difficultatem videtur ingerere, quia multiplicatis personis divinis, essentia retinet unitatem. Et quia, ut * Boetius dicit, relatio multiplicat personarum Trinitatem, posuerunt aliqui, hoc modo in divinis differre essentiam, et personam, quo relationes dicebant esse assistentes, considerantes in relationibus solum, quod ad alterum sunt, et non quod res sunt. Sed (sicut supra * ostensum est) sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt : ita in Deo sunt ipsa essentia divina. Ex quo sequitur, quod in Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem : et tamen quod personæ realiter ab invicem distinguantur. Persona enim (ut dictum est * supra) significat relationem, prout est subsistens in natura divina. Relatio autem ad essentiam comparata, non differt re, sed ratione tantum. Comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem. Et sic remanet una essentia, et tres personæ.

* Boëtius lib. de Trin. non procul a fine.

* Q. 28 art. 2.

* Q. 26 art. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod in creaturis non potest esse distinctio suppositorum per relationes; sed oportet, quod sit per essentialia principia : quia relationes non sunt subsistentes in creaturis. In divinis autem relationes sunt subsistentes. Ideo secundum quod habent oppositionem ad invicem, possunt distinguere supposita. Neque tamen distinguitur essentia : quia relationes ipsæ non distinguuntur ab invicem, secundum quod sunt realiter idem cum essentia.

Ad secundum dicendum, quod in quantum essentia, et persona in divinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero : et per consequens, quod supposito uno, non supponatur alterum.

Ad tertium dicendum, quod rebus divinis nomina imponimus secundum modum rerum creatarum, ut supra dictum est. Et quia naturæ rerum creatarum individuantur per materiam, quæ subjicitur naturæ speciei, inde est, quod individua dicuntur subjecta, vel supposita, vel hypostases. Et propter hoc etiam divinæ personæ supposita, vel hypostases nominantur : non quod ibi sit aliqua suppositio, vel subjectio secundum rem.

Conclusio : In divinis essentia, et persona sunt idem secundum rem : et differunt secundum intelligentiæ rationem.

Circa hunc articulum, suppositis his, quæ quæst. 28 art. 2 late diximus circa distinctionem divinæ essentiæ, et relationum, nihil amplius occurrit dicendum. Videantur tamen ibidem dicta.

ARTICULUS II.

Utrum sit dicendum, tres personas esse unius essentiæ?

* dist. 34 q. 1 art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non sit dicendum, tres personas esse unius essentiæ. Dicit enim Hilarius in * lib. de Synodis, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. Sed substantia Dei est ejus essentia. Ergo tres personæ non sunt unius essentiæ.

* In fine fol. a princ. numerati.

2. Præterea, non est affirmandum aliquid de divinis, quod auctoritate Scripturæ sacræ non est expressum, ut patet per Dionysium * 1 cap. de divinis nominibus. Sed nusquam in Scriptura sacra exprimitur, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unius essentiæ. Ergo hoc non est asserendum.

* Cap. 1 parum a princ. et paulo post idem repetitur.

3. Præterea, natura divina est idem quod essentia. Sufficeret ergo dicere, quod tres personæ sunt unius naturæ.

4. Præterea, non consuevit dici, quod persona sit essentiæ, sed magis, quod essentia sit personæ. Ergo neque convenienter videtur dici, quod tres personæ sunt unius essentiæ.

5. Præterea, Augustinus * dicit, quod non dicimus tres personas esse ex una essentia, ne intelligatur in divinis aliud esse essentia, et persona. Sed sicut præpositiones sunt transitivæ, ita et obliqui. Ergo pari ratione non est dicendum, quod tres personæ sunt unius essentiæ.

* Lib. 7 de Trin. cap. 6 paulo post med. tom. 3.

6. Præterea, id, quod potest esse erroris occasio, non est in divinis dicendum. Sed cum dicuntur tres personæ unius essentiæ, vel substantiæ, datur erroris occasio : quia, ut Hilarius dicit in * lib. de Synodis : Una substantia Patris, et Filii prædicata, aut unum, qui duas nuncupationes habet, subsistentem significat, aut divisam unam substantiam duas imperfectas fecisse substantias, aut tertiam priorem substantiam, quæ a duobus, et usurpata sit, et assumpta. Non est ergo dicendum, tres personas esse unius substantiæ.

* Lib. de Synod. in tertio folio a princip. lib.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in * lib. tertio contra Maximinum, quod hoc nomen Omousion, quod in Concilio Nicæno adversus Arrianos firmatum est, idem significat, quod tres personas esse unius essentiæ.

* Lib. 3 contra Maximinum, c. 14 ante medium tom. 6.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est *) intellectus noster res divinas nominat, non secundum modum earum, quia sic eas cognoscere non potest; sed secundum modum in rebus creatis inventum. Et quia in rebus sensibilibus, a quibus intellectus noster scientiam capit, natura alicujus speciei per materiam individuatur, et sic natura se habet ut forma, individuum autem ut suppositum formæ : propter hoc etiam in divinis quantum ad modum significandi essentia significatur ut forma trium personarum. Dicimus autem in rebus creatis, formam quamcumque esse ejus, cujus est forma, sicut sanitatem, vel pulchritudinem hominis alicujus. Rem autem habentem formam non dicimus esse formæ, nisi cum adjectione alicujus adjectivi, quod designat illam formam : ut cum dicimus, ista mulier est egregiæ formæ, iste homo est perfectæ virtutis. Et similiter quia in divinis multiplicatis personis non multiplicatur essentia, dicimus, unam essentiam esse trium personarum, et tres personas unius essentiæ, ut intelligantur isti genitivi construi in designatione formæ.

* Q. 13 art. 1 et II.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia sumitur pro hypostasi, et non pro essentia.

Ad secundum dicendum, quod licet tres personas esse unius essentiæ non inveniatur in sacra Scriptura per hæc verba : invenitur tamen quantum ad hunc sensum, sicut ibi : Ego, et Pater unum sumus. Et, Ego in Patre, et Pater in me est. Et per multa alia haberi potest idem.

Ad tertium dicendum, quod quia natura designat principium actus, essentia vero ab essendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturæ, quæ conveniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed unius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est unum esse. Et ideo magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt unius essentiæ, quam si diceretur, quod sunt unius naturæ.

Ad quartum dicendum, quod forma absolute accepta consuevit significari, ut ejus, cujus est forma, ut virtus Petri. E converso autem res habens formam aliquam non consuevit significari, ut ejus; nisi cum volumus determinare, sive designare formam. Et tunc requiruntur duo genitivi, quorum unus significet formam, et alius determinationem formæ, ut si dicatur, Petrus est magnæ virtutis. Vel etiam requiritur unus genitivus habens vim duorum genitivorum, ut cum dicitur, Vir sanguinum est iste, idest, effusor multi sanguinis. Quia igitur essentia divina significatur ut forma respectu personæ, convenienter essentia personæ dicitur, non autem e converso; nisi aliquid addatur ad designationem essentiæ, ut si dicatur, quod Pater est persona divinæ essentiæ, vel quod tres personæ sunt unius essentiæ.

Ad quintum dicendum, quod hæc præpositio, ex, vel de, non designat habitudinem causæ formalis; sed magis habitudinem causæ efficientis, vel materialis : quæ quidem causæ in omnibus distinguuntur ab his, quorum sunt causæ. Nihil enim est sua materia, neque aliquid est suum principium activum : aliquid tamen est sua forma, ut patet in omnibus rebus immaterialibus. Et ideo per hoc, quod dicimus, tres personas unius essentiæ, significando essentiam in habitudine formæ, non ostenditur aliud esse essentia, quam persona : quod ostenderetur, si diceremus, tres personas ex eadem essentia.

Ad sextum dicendum, quod sicut Hilarius * dicit in lib. de Synod. Male sanctis rebus præjudicatur, si, quia non sanctæ a quibusdam habentur, esse non debeant. Sic, si male intelligitur Omousion, quid ad me bene intelligentem? Sit ergo una substantia ex una geniti proprietate : non sit autem ex portione, aut ex unione, aut ex communione.

* Lib. de Synod. in ult. folio ante finem lib.

Conclusio : Catholice dicitur, unam essentiam esse in tribus personis, et tres personas esse unius essentiæ.

Circa conclusionem istam nihil peculiare oportebit animadvertere præter illa, quæ disp. 1 hujus tractatus fuse adduximus.

ARTICULUS III.

Utrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis?

I dist. 42 art. 2 ad 5, et Boët. Trinit. q. I art. 4. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia (ut hoc nomen Deus) non prædicentur singulariter de tribus personis, sed pluraliter. Sicut enim homo significatur, ut habens humanitatem; ita Deus significatur, ut habens Deitatem. Sed tres personæ sunt tres habentes Deitatem. Ergo tres personæ sunt tres Dii.

2. Præterea, Genesis I ubi dicitur : In principio creavit Deus cœlum et terram, Hebraica veritas habet, Elohim, quod potest interpretari Dii, sive Judices : et hoc dicitur propter pluralitatem personarum. Ergo tres personæ sunt plures Dii, et non unus Deus.

3. Præterea, hoc nomen res (cum absolute dicatur) videtur ad substantiam pertinere. Sed hoc nomen pluraliter prædicatur de tribus personis. Dicit enim Augustinus in lib. * de Doctrina Christiana. Res quibus fruendum est, sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Ergo et alia nomina essentialia pluraliter prædicari possunt de tribus personis.

* Lib. I de Doct. Christian. cap. 5 tom. 3.

4. Præterea, sicut hoc nomen Deus significat habentem Deitatem : ita hoc nomen persona significat subsistentem in natura aliqua intellectuali. Sed dicimus tres personas. Ergo eadem ratione dicere possumus tres Deos.

Sed contra est, quod dicitur Deuteronomii 6 : Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.

Respondeo dicendum, quod nominum essentialium, quædam significant essentiam substantive, quædam vero adjective. Ea quidem, quæ substantive essentiam significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter. Quæ vero adjective essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali. Cujus ratio est, quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiæ; nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subjecto. Substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel multitudinem. Unde et singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem, et multitudinem. Et ideo in adjectivis attenditur singularitas, et pluralitas secundum supposita. In creaturis autem non invenitur una forma in pluribus suppositis nisi unitate ordinis, ut forma multitudinis ordinatæ. Unde nomina significantia talem formam, si sint substantiva, prædicantur de pluribus in singulari; non autem si sint adjectiva. Dicimus enim, quod multi homines sunt collegium, vel exercitus, aut populus. Dicimus tamen, quod plures homines sunt collegiati. In divinis autem essentia divina significatur per modum formæ, ut dictum est *, quæ quidem simplex est, et maxime una, ut supra * ostensum est. Unde, nomina significantia divinam essentiam substantive singulariter, et non pluraliter de tribus personis prædicantur. Hæc igitur est ratio, quare Socratem, et Platonem, et Ciceronem dicimus tres homines, Patrem autem, et Filium, et Spiritum sanctum non dicimus tres Deos, sed unum Deum : quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates; in tribus autem personis est una divina essentia. Ea vero, quæ significant essentiam adjective, prædicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem suppositorum. Dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, et increatos, et immensos, si adjective sumantur : si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, et æternum, ut Athanasius * dicit.

* Art. præc. et q. 3 art. 3. * Q. 3 art. 7, et q. 11 art. 4.

* In symbolo suo Fidei.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Deus significet habentem Deitatem : est tamen alius modus significandi. Nam Deus dicitur substantive; sed habens Deitatem dicitur adjective. Unde, licet sint tres habentes Deitatem; non tamen sequitur, quod sint tres Dii.

Ad secundum dicendum, quod diversæ linguæ habent diversum modum loquendi. Unde, sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases : ita et in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque substantias : ne pluralitas ad substantiam referatur.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen res est de transcendentibus. Unde secundum quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in divinis; secundum vero quod pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur. Unde Augustinus * dicit ibidem, quod eadem Trinitas quædam summa res est.

* Loco citato in arg.

Ad quartum dicendum, quod forma significata per hoc nomen persona non est essentia, vel natura, sed personalitas. Unde, cum sint tres personalitates, idest tres personales proprietates in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.

Prima conclusio : Nomina essentialia substantiva, non prædicantur in divinis in numero plurali.

Secunda conclusio : Nomina essentialia adjectiva habent in divinis in numero plurali prædicari.

ARTICULUS IV.

Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona?

I dist. 4 q. I art. 2. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia concretiva non possunt supponere pro persona, ita quod hæc sit vera, Deus genuit Deum. Quia (ut Sophistæ dicunt) terminus singularis idem significat, et supponit. Sed hoc nomen Deus videtur esse terminus singularis, cum pluraliter prædicari non possit, ut dictum est *. Ergo cum significet essentiam, videtur, quod supponat pro essentia, et non pro persona.

* Art. præc. et q. 13 art. 9.

2. Præterea, terminus in subjecto positus non restringitur per terminum positum in prædicato ratione significationis; sed solum ratione temporis consignificati. Sed cum dico, Deus creat, hoc nomen Deus supponit pro essentia. Ergo cum dicitur, Deus genuit, non potest iste terminus Deus ratione prædicati notionalis supponere pro persona.

3. Præterea, si hæc est vera, Deus genuit, quia Pater generat : pari ratione hæc erit vera, Deus non generat quia Filius non generat. Ergo est Deus generans, et Deus non generans, et ita videtur sequi, quod sint duo Dii.

4. Præterea, si Deus genuit Deum, aut se Deum, aut alium Deum? Sed non se Deum : quia, ut Augustinus dicit in * 1 de Trinitate, nulla res generat se ipsam. Neque alium Deum : quia non est, nisi unus Deus. Ergo hæc est falsa, Deus genuit Deum.

* Lib. I de Trin. cap. I ante medium, tom. 3.

5. Præterea, si Deus genuit Deum, aut Deum, qui est Deus Pater; aut Deum, qui non est Deus Pater? Si Deum, qui est Deus Pater : ergo Deus Pater est genitus. Si Deum, qui non est Deus Pater : ergo Deus est, qui non est Deus Pater, quod est falsum. Non ergo potest dici, quod Deus genuit Deum.

Sed contra est, quod in Symbolo dicitur : Deum de Deo.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod hoc nomen Deus, et similia proprie secundum suam naturam supponunt pro essentia; sed ex adjuncto notionali trahuntur ad supponendum pro persona. Et hæc opinio processisse videtur ex consideratione divinæ simplicitatis, quæ requirit, quod in Deo idem sit habens, et quod habetur. Et sic habens Deitatem, quod significat hoc nomen Deus, est idem, quod Deitas. Sed in proprietatibus locutionum non tantum attendenda est res significata; sed etiam modus significandi. Et ideo, quia hoc nomen Deus significat divinam essentiam, ut in habente ipsam, sicut hoc nomen homo humanitatem significat in supposito, alii melius dixerunt, quod hoc nomen Deus ex modo significandi habet, ut proprie possit supponere pro persona, sicut et hoc nomen homo. Quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia, ut cum dicitur, Deus creat : quia hoc prædicatum competit subjecto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas. Quandoque vero supponit personam; vel unam tantum, ut cum dicitur, Deus generat : vel duas, ut cum dicitur, Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, et 1 Timothei 1.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen Deus licet conveniat cum terminis singularibus in hoc, quod forma significata non multiplicatur : convenit tamen cum terminis communibus in hoc, quod forma significata invenitur in pluribus suppositis. Unde non oportet, quod semper supponat pro essentia, quam significat.

Ad

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit contra illos, qui dicebant, quod hoc nomen Deus non habet naturalem suppositionem pro persona.

Ad tertium dicendum, quod aliter se habet hoc nomen Deus ad supponendum pro persona, et hoc nomen homo. Quia enim forma significata per hoc nomen homo, id est humanitas, realiter dividitur in diversis suppositis, per se supponit pro persona, etiamsi nihil addatur, quod determinet ipsum ad personam, quæ est suppositum distinctum. Unitas autem, sive communitas humanæ naturæ non est secundum rem : sed solum secundum considerationem. Unde iste terminus homo non supponit pro natura communi nisi propter exigentiam alicujus additi, ut cum dicitur, homo est species. Sed forma significata per hoc nomen Deus, scilicet essentia divina, est una, et communis secundum rem. Unde per se supponit pro natura communi; sed ex adjuncto determinatur ejus suppositio ad personam. Unde cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis supponit hoc nomen Deus pro persona Patris. Sed cum dicimus, Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad personam Filii; unde datur intelligi, quod generatio repugnet divinæ naturæ. Sed si addatur aliquid pertinens ad personam Filii, vera erit locutio : ut si dicatur, Deus genitus non generat. Unde etiam non sequitur, est Deus generans, et Deus non generans, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas, ut puta si dicamus, Pater est Deus generans, et Filius est Deus non generans. Et ita non sequitur, quod sint plures Dii : quia Pater, et Filius sunt unus Deus, ut dictum est *.

* Art. præc.

Ad quartum dicendum, quod hæc est falsa, Pater genuit se Deum : quia ly se (cum sit reciprocum) refert idem suppositum. Neque est contrarium, quod Augustin. * dixit ad Maximum, quod Deus Pater genuit alterum se : quia ly se, vel est casus ablativi, ut sit sensus, genuit alterum a se; vel facit relationem simplicem : et sic refert identitatem naturæ; sed est impropria, vel emphatica locutio : ut sit sensus, genuit alterum simillimum sibi. Similiter et hæc est falsa, Genuit alium Deum : quia licet Filius sit alius a Patre (ut supra dictum * est) non tamen est dicendum, quod sit alius Deus; quia intelligeretur, quod hoc adjectivum alius poneret rem suam circa substantivum, quod est Deus : et sic significaretur distinctio Deitatis. Quidam tamen concedunt istam, Genuit alium Deum, ita quod ly alius sit substantivum, et ly Deus appositive construatur cum eo. Sed hic est improprius modus loquendi, et evitandus, ne detur occasio erroris.

* In epist. ad Maximum Medicum, quæ est 66, paulo ante medium, tom. 2.

* Quæst. 31 art. 2.

Ad quintum dicendum, quod hæc est falsa, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater : quia cum ly Pater appositive construatur cum ly Deus, restringit ipsum ad standum pro persona Patris : ut sit sensus, genuit Deum, qui est ipse Pater : et sic Pater esset genitus, quod est falsum. Unde negativa est vera, Genuit Deum, qui non est Deus Pater. Si tamen intelligeretur constructio non esse appositiva, sed aliquid esse interponendum, tunc e converso affirmativa esset vera, et negativa falsa : ut sit sensus, Genuit Deum, qui est Deus, qui est Pater : sed hæc est exorta expositio. Unde melius est quod simpliciter affirmati a negetur, et negativa concedatur. Præpositivus tamen dixit, quod tam negativa, quam affirmativa est falsa : quia hoc relativum, qui, in affirmativa potest referre suppositum : sed in negativa refert, et significatum, et suppositum. Unde sensus affirmativæ est, quod esse Deum Patrem, conveniat personæ Filii. Negativæ vero sensus est, quod esse Deum Patrem non tantum removeatur a persona Filii, sed etiam a Divinitate ejus. Sed hoc irrationabile videtur : tum * secundum Philosophum de eodem, de quo est affirmatio, possit etiam esse negatio.

* Lib. 2 Perher. ex cap. ult. tom. I.

Prima conclusio : Nomina essentialia concreta non supponunt pro natura divina in abstracto

Secunda conclusio : Nomina essentialia in concreto possunt proprie supponere pro persona.

I dist. 5 q. I art. I.

ARTICULUS V.

Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona?

* Lib. 7 de Trin. cap. I circa fin. et c. 2 in princ. tom. 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona, ita quod hæc sit vera, Essentia generat essentiam. Dicit enim August. * 7 de Trinitate : Pater, et Filius sunt una sapientia, quia una essentia : et sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.

2. Præterea, generatis nobis, vel corruptis generantur, vel corrumpuntur ea, quæ in nobis sunt. Sed Filius generatur. Ergo cum essentia divina sit in Filio, videtur, quod essentia divina generetur.

3. Præterea, idem est Deus, et essentia divina, ut ex supra dictis patet *. Sed hæc est vera, Deus generat Deum, sicut dictum est *. Ergo hæc est vera, Essentia generat essentiam.

* Quæst. 13 art. 3 et 4.

* Art. præc.

4. Præterea, de quocumque prædicatur aliquid, potest supponere pro illo. Sed essentia divina est Pater. Ergo essentia potest supponere pro persona Patris. Et sic essentia generat.

5. Præterea, essentia est res generans, quia est Pater, qui est generans. Si igitur essentia non sit generans, erit essentia res generans, et non generans : quod est impossibile.

6. Præterea, Augustinus dicit in * 4 de Trinitate : Pater est principium totius Deitatis. Sed non est principium, nisi generando, vel spirando. Ergo Pater generat, vel spirat Deitatem.

* Lib. 4 de Trin. cap. 20 declinando ad finem, tom. 3.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in * 1 de Trinitate, quod nulla res generat se ipsam. Sed si essentia generat essentiam, non generat nisi se ipsam : cum nihil sit in Deo, quod distinguatur a divina essentia. Ergo essentia non generat essentiam.

* Lib. I de Trin. cap. I ante med. tom. 3.

Respondeo dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Joachim, asserens, quod sicut dicitur, Deus genuit Deum : ita potest dici, quod essentia genuit essentiam, considerans, quod propter divinam simplicitatem non est aliud Deus, quam divina essentia. Sed in hoc deceptus fuit. Quia ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi, ut dictum est *. Licet autem secundum rem sit idem Deus, quod Deitas : non tamen est idem modus significandi utrobique. Nam hoc nomen Deus, quia significat divinam essentiam, ut in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro persona. Et sic ea, quæ sunt propria personarum, possunt prædicari de hoc nomine Deus : ut dicatur, quod Deus est genitus, vel generans, sicut dictum est *. Sed hoc nomen essentia non habet ex modo suæ significationis, quod supponat pro persona : quia significat essentiam, ut formam abstractam. Et ideo ea, quæ sunt propria personarum quibus ab invicem distinguuntur, non possunt essentiæ attribui. Significaretur enim, quod esset distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in suppositis.

* Art. præc.

* Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod ad exprimendam unitatem essentiæ, et personæ sancti Doctores aliquando expressius locuti sunt, quam proprietas locutionis patiatur. Unde hujusmodi locutiones non sunt extendendæ; sed exponendæ : ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia : ut cum dicitur, essentia de essentia, vel sapientia de sapientia, sit sensus, Filius, qui est essentia, et sapientia, est de Patre, qui est essentia, et sapientia. In his tamen nominibus abstractis est quidam ordo attendendus. Quia ea, quæ pertinent ad actum, magis propinque se habent ad personas, quia actus sunt suppositorum : unde minus impropria est ista, natura de natura, vel sapientia de sapientia, quam essentia de essentia.

Ad secundum dicendum, quod in creaturis generatum non accipit naturam eamdem numero, quam generans habet, sed aliam numero, quæ incipit in eo esse per generationem de novo, et desinit esse per corruptionem : et ideo generatur, et corrumpitur per accidens. Sed Deus genitus eamdem naturam numero accipit, quam generans habet. Et ideo natura divina in Filio non generatur, neque per se, neque per accidens.

Ad tertium dicendum, quod licet Deus et divina essentia sint idem secundum rem : tamen ratione alterius modi significandi, oportet loqui diversimode de utroque.

Ad quartum dicendum, quod essentia divina prædicatur de Patre per modum identitatis, propter divinam simplicitatem : nec tamen sequitur, quod possit supponere pro Patre, propter diversum modum significandi. Ratio autem procederet in illis, quorum unum prædicatur de altero, sicut universale de particulari.

Ad quintum dicendum, quod hæc est differentia inter nomina substantiva, et adjectiva. Quia nomina substantiva ferunt suum suppositum, adjectiva vero non, sed rem significatam ponunt circa substantivum. Unde Sophistæ dicunt, quod nomina substantiva supponunt; adjectiva vero non supponunt, sed copulant. Nomina igitur personalia

substantiva possunt de essentia prædicari propter identitatem rei. Neque sequitur, quod proprietas personalis distinctam determinet essentiam; sed ponitur circa suppositum importatum per nomen substantivum. Sed notionalia, et personalia adjectiva non possunt prædicari de essentia, nisi aliquo substantivo adjuncto. Unde non possumus dicere, quod essentia est generans : possumus tamen dicere, quod essentia est res generans, vel Deus generans, si res, et Deus supponant pro persona; non autem si supponant pro essentia. Unde non est contradictio, si dicatur, quod essentia est res generans, et res non generans : quia primo res tenetur pro persona, secundo pro essentia.

Ad sextum dicendum, quod Deitas, in quantum est una in pluribus suppositis, habet quamdam convenientiam cum forma nominis collectivi. Unde, cum dicitur, Pater est principium totius Deitatis, potest sumi pro universitate personarum, in quantum scilicet in omnibus personis divinis ipse est principium. Nec oportet, quod sit principium sui ipsius : sicut aliquis de populo dicitur Rector totius populi, non tamen sui ipsius. Vel potest dici, quod est principium totius Deitatis, non quia eam generet, et spiret; sed quia eam generando, et spirando communicat.

Conclusio : Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro personis. Et ita hæc est falsa, essentia generat.

DISPUTATIO XVII.

De modo, quo nomina essentialia et personalia prædicantur, et supponunt in divinis.

1. Quia cuncta, quæ in tribus articulis immediate præcedentibus continentur, ad modum, quo nomina essentialia et personalia in divinis prædicantur, et supponunt, spectant : idcirco disputatio præsens ad omnia ista explicanda instituitur, et de omnibus illis titulus ejus inquirit.

DUBIUM I.

Utrum nomina essentialia in concreto prædicentur pluraliter in divinis?

2. Prior animadversio pro intelligentia tituli.

Pro tituli intelligentia notandum est primo, tria nomina communia in divinis reperiri. Alia quidem essentialia, quæ significant essentiam, vel attributa, ut *Deus*, vel *sapiens*, aut *æternus*. Alia, quæ significant aliquid personale, ut *persona*. Alia tandem, quæ sunt transcendentia, ut *res*. De his igitur postremis duobus nominum generibus planum est prædicari pluraliter in divinis : et ideo dantur in divinis plures personæ, pluresque res, ut ex dictis disput. 10 et ex communi omnium Theologorum consensu constat. Quare tota controversia est de nominibus essentialibus, an nimirum pluraliter in divinis prædicentur ? Consulto autem de his nominibus in concreto sumptis loquimur : quia de eis in abstracto extra omnem controversiam est, non pluraliter, sed singulariter dici : et ideo neque plures essentiæ, neque plures sapientiæ, etc. in divinis reperiuntur.

Secundo notandum est, hæc nomina essentialia, alia esse substantiva ; alia vero adjectiva. Titulus ergo absolute procedit de nominibus essentialibus, sive illa sint adjectiva, sive substantiva : ut ita plenior nominum essentialium, et modi prædicandi illorum, quantum ad præsens attinet, notitia habeatur. Posterior animadversio.

§ I.

Assertio prior ex mente Angelici Præceptoris, et aliorum Patrum.

Dicendum ergo est primo, nomina essentialia in divinis, si sint adjectiva, et ut talia sumantur, prædicari pluraliter in divinis. Ita Innocentius III capite *Firmiter, De summa Trinitate*, ubi sic ait : *Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens consubstantiales, et coæquales, et coomnipotentes, et coæterni.* Damasus I in Concilio Romano tertio in professione fidei, et Anathematismis adversus hæreses Apollinaris, et Arrii, ac Sabellii : *Si quis tres personas non dixerit veras Patris, et Filii, et Spiritus sancti, æquales, semper viventes, omnia continentes, visibilia, et invisibilia, omnipotentes, omnia indicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia salvantes : anathema sit.* Et in Symbolo Athanasii : *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.* 3. Conclusio prima, Innocent. III. Damas. I. Symbol. Athanasii.

Idem etiam docuerunt Augustinus in quæstionibus Veteris Testamenti quæst. 9, Nazianzenus Oratione 13 quæ est 2 de Pace, Athanasius in quæstionibus de Natura Dei quæst. 13, Epiphanius in Ancorato, quos refert Montoya disput. 77 sectione 4, D. Thomas in 1 distinct. 9 quæst. 1 artic. 2, his verbis : *Termini significantes substantiam adjective per modum inhærentis, vel assequentis substantiam, ut dicit Damascenus, prædicantur in plurali de tribus personis, propter pluralitatem suppositorum.* Et in articulo 3 hujus quæstionis, ubi sic ait : *Respondeo dicendum, quod nominum essentialium, quædam significant essentiam substantive, quædam vero adjective. Quæ adjective essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali.* Unde hanc sententiam sequuntur communiter Theologi : et ideo ab illis in particulari referendis abstinemus. August. Nazianz. Athan. Epiphan. Montoya. D.Thom.

4. Ratio autem fundamentalis hujus primæ assertionis

Fundamentum D. Thom. assertionis desumitur ex D. Thoma in præsenti articulo citato, et ex loco relato ex 1 Sententiarum, potestque ad hanc brevem formam reduci. Quoniam nomina adjectiva, etsi aliquando significent substantiam, significant tamen illam per modum accidentis, id est, per modum alteri adjacentis : ergo prædicta nomina, etsi significent substantiam in divinis, sintque essentialia, prædicabuntur pluraliter ibidem. Antecedens constat ex diffinitione adjectivorum. Consequentia autem videtur legitima. Nam sicut accidentia, quia habent esse in subjecto, idcirco ex pluralitate subjectorum plurificantur : ita quæ significantur per modum accidentis, seu per modum alteri adjacentis, plurificabuntur ad pluralitatem suppositorum ; ac proinde adjectiva in divinis, licet sint nomina essentialia, seu significantia aliquid pertinens ad essentiam, prout essentia distinguitur a relationibus, ut contingit in hoc nomine *æternus*, prædicabuntur pluraliter in divinis.

5. Objectio prima. D. Thom. Nec obest, si contra rationem hanc objicias primo cum D. Thoma in 1 dist. 9 quæst. 1 art. 2 in primo argumento ex adductis pro contraria parte, quod juxta Athanasium in divinis non dantur tres æterni, sed unus æternus : et tamen nomen hoc est adjectivum : ergo etc.

Diluitur. Respondetur enim ex eodem S. Doctore ibidem ad primum, quod nomina adjectiva solent sumi in vi substantivorum, et sic sumpta dicuntur singulariter ; quamvis accepta, ut sunt adjectiva, debeant dici pluraliter. Et propterea idem Athanasius (Athanas.) inquit : *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales* : ex eo quod *coæternus* est nomen adjectivum. Quamvis sit (ut id obiter dicamus) sua disparitas inter *coæternus*, et *æternus*, quod *æternus* potest dici de tribus personis singulariter, non tamen *coæternus* : quia nomen hoc, quovis modo sumatur, debet dici pluraliter : ex eo quod importat habitudinem personæ ad personam : ideoque duplici titulo prædicatur pluraliter, nempe, et quia adjectivum, et quia importat prædictam habitudinem unius personæ ad aliam. Unde, postquam Angelicus Præceptor (Angel. Præcept.) in solutione citata dixit, quod *æternus* potest dici, et singulariter, et pluraliter, statim addidit : *Sed coæternus semper debet pluraliter prædicari, propter habitudinem personæ ad personam, quam importat*.

6. Secunda objectio. Neque etiam obstat, si secundo objicias, quod nomina adjectiva præcipue significant formam : imo, si loquamur de significato directo, significant solam formam, juxta illud Aristotelis (Aristot.) : *Album solam qualitatem significat* : ergo nisi forma multiplicetur, nequibit prædictum nomen pluraliter prædicari.

Confirmatur. Confirmabis. Quoniam etsi accidentia multiplicentur ex subjecto, tanquam ex radice : attamen accidentia ipsa in se formaliter multiplicantur : nec stare potest multiplicatio radicalis, seu multiplicatio subjecti sine multiplicatione formali accidentium : et ideo, licet albedo significata per album habeat suam unitatem ex subjecto, ut ex radice ; attamen ipsa est hæc, et non illa formaliter ex se. Ergo ex hoc, quod nomina adjectiva significent formam, ut alteri adjacentem, non sequitur, prædicta nomina multiplicari, aut prædicari pluraliter immultiplicata forma, et multiplicatis suppositis ; sed solum, utrumque esse multiplicandum ad hoc, ut nomen illud pluraliter dicatur, quamvis hæc plurificatio et multiplicatio debeat ex suppositis, tanquam ex prima radice, oriri.

Respondetur, distinguendo antecedens : *Præcipue significant formam*, utcumque, negandum est : per modum adjacentis subjecto, concedendum est. Et deinde distinguendum est consequens : *Nisi forma multiplicetur*, ratione subjectorum, quibus adjacet, et ut in obliquo affert illa, concedi debet ratione sui, aut secundum se absolute, negandum est. Itaque forma significata per nomen adjectivum quia significatur per modum adjacentis alteri, atque adeo per modum accidentis, idcirco ejus unitas, vel pluralitas est (ut sic dicamus) quasi respectiva, idest, non desumitur ex ipsa forma ratione sui, et secundum se absolute ; sed ex adjacentia ad subjectum. Et ideo licet forma secundum se, et absolute sit unica : si tamen demus, quod vel supernaturaliter, vel ratione suæ amplitudinis, et eminentiæ sit in subjectis, aut quasi subjectis realiter distinctis, poterit nomen illam sic significans pluraliter dici. Quia eo ipso prædicta forma habet diversas adjacentias ; non quidem ex parte sui quia adjacet illis, ut subjectis inadæquatis ; sed ex parte subjectorum : et ipsa, ut in obliquo dicit unum ex illis subjectis, ut id, cui adjacet, distinguitur realiter ratione prædicti subjecti a se ipsa, ut in obliquo dicit aliud, tanquam id cui adjacere habet. Et quia tota hæc diversitas oritur a subjectis, et non petitur, quod sit in ipsa

7. Occurritur objectioni.

forma ratione sui, aut secundum se absolute : idcirco, licet ipsa, ut sic adjacens, et ut modo dicto involvit subjectum, plurificetur ratione illius, nihilominus dicitur non requiri ad plurificationem nominis adjectivi pluralitas formæ, idest, pluralitas illius secundum se absolute; sed sola pluralitas subjectorum ; idest, quæ solum sit in subjectis ratione sui; aut in formis, præcise quia in obliquo dicunt prædicta subjecta, ût ea, quibus adjacent.

Unde, quia (quoad præsens attinet) nomen *æternus*, sumptum in divinis adjective significat æternitatem per modum adjacentis tribus suppositis divinis inter se realiter distinctis : ideo ad ejus pluralitatem non requiritur, æternitatem ratione sui, et secundum se absolute plurificari ; sed solum quod ratione distinctorum suppositorum, quibus adjacet, habeat distinctas adjacentias : ac proinde ipsamet, ut in obliquo dicit unum suppositum, et significatur, ut est in illo, tanquam in eo, cui adjacet, distinguatur realiter, a se ipsa, ut in obliquo dicit aliud suppositum, tanquam id, cui adjacere significatur.

8 Ad confirmationem. Ad confirmationem patet ex dictis; quomodo cum accidens tantum habet unum subjectum, tunc plurificatur quoad suam entitatem ex subjecto, tanquam ex radice; et ex se ipso formaliter, seu ex habitudine ad prædictum subjectum, tanquam a ratione formali, et proxima. Si tamen daremus aliquod accidens, quod esset in pluribus subjectis realiter distinctis, et eidem inadæquatis, tunc ex plurificatione talium subjectorum non sequeretur plurificatio prædicti accidentis ratione sui, seu secundum suam entitatem, sed solum esse in illo distinctas adjacentias : non quidem ita, ut ex parte illius, tanquam ex ratione formali, realiter distinguerentur; sed solum ex parte subjectorum, et ratione eorumdem formaliter : quatenus prædictum accidens, ut dicit in obliquo unum ex illis subjectis, tanquam id, cui adjacet, distinguitur realiter ratione prædicti obliqui a se ipso, ut dicit in obliquo aliud subjectum, tanquam id, cui adjacere significatur. Quare, quia nomen *æternus* adjective sumptum significat, ut diximus, æternitatem, ut adjacentem tribus suppositis divinis, ut suppositis ipsi inadæquatis : idcirco ad ejus pluralitatem satis est multiplicatio suppositorum, et ipsius æternitatis; non quidem secundum suam entitatem, seu secundum se, sed ut in obliquo dicentis (modo dicto) talia supposita.

§ II.

Posterior assertio ex eodem Angelico Præceptore et aliis Patribus deprompta.

Dicendum est secundo, nomina concreta essentialia, et substantiva non prædicari pluraliter in divinis. Ita Damasus primus in Professione fidei, et Anathematismis adversus hæreses Apollinaris, et Arrii, et Hormisda Papa Epistola 1 adversus Nestorium et Eutichem cap. 2, Nazianzenus Oratione 37 quæ est 5 de Theologia, Cyrillus N. Alexandrinus Dialogo de Trinitate lib. 6 columna 4, Gregorius Nyssenus toto libro ad Ablabium, cui titulus est *Non tres dii*, Augustinus lib. 5 de Trinitate c. 8 et 11 et lib. 8 c. 1, Boetius lib. de Trinit. non longe post principium. Quod etiam docuerunt Ambrosius, Fulgentius, Richardus Victorinus, et alii Patres relati a Montoya in suo tomo de Trinitate disput. 22 sectione 3. 9. Assertio secunda. Damasus. Hormisda. Nazianz. N. Cyrill. Gregorius Nyssenus. August. Boetius. Ambros. Richard. Montoya.

Idem etiam tuetur D. Thomas in præsenti artic. 3 his verbis : *Ea quidem, quæ substantive essentiam significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter*. Et in 1 distinct. 9 quæst. 1 art. 2, ubi sic ait : *Dicendum igitur, quod omnes termini significantes substantiam per modum substantiæ, sicut sunt substantiva, non prædicantur in plurali de tribus personis*. Et ideo sententiam hanc sequuntur communiter omnes, vel fere omnes Theologi. D.Thom.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex eodem Angelico Præceptore locis citatis, potèstque ad hanc formam reduci. Quoniam nomina concreta essentialia et substantiva in divinis non plurificantur quoad formam significatam secundum se sumptam, et significant per modum substantiæ : ergo non plurificantur nec prædicantur in numero plurali in divinis. Antecedens quoad primam partem satis constat : siquidem nihil essentiale plurificatur realiter quoad suam formam in divinis : quoad secundam vero partem ex diffinitione nominis substantivi satis liquet. Consequentia autem ex antecedenti videtur aperte sequi. Quoniam substantia, sicut ratione sui, et suæ formæ habet per se esse, ita ratione sui, et ejusdem formæ habet unitatem, et pluralitatem : et ideo non potest plurificari, non plurificata sua forma : ergo eadem ratione ea, quæ significantur per modum substantiæ, significabuntur per modum 10. Ratio fundamentalis.

dum per se stantis, et habentis per se *esse*, et non poterunt plurificari, non plurificata forma ibidem significata : ac proinde nec nomen significans prædictam formam poterit plurificari, aut prædicari pluraliter : siquidem eatenus nomina plurificantur, aut prædicantur pluraliter, quatenus ea, quæ per illa significantur, habent plurificari, ut sunt significata illorum, et subsunt modo significandi eorumdem.

11. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quoniam ideo adjectiva plurificantur in divinis, quia forma significatur per modum alteri adjacentis, et hoc ipso, quod significetur per modum adjacentis diversis suppositis, habet (modo nuper explicato) distinctas adjacentias ratione eorumdem suppositorum, et plurificari ratione illorum : ergo hoc ipso, quod forma significetur per nomen substantivum non per modum adjacentis, sed per modum per se stantis, per seque habentis *esse*, non plurificabitur prædictum nomen, nec significatum illius, nisi forma ipsa absolute, et ratione sui plurificetur : ergo cum in divinis non plurificetur forma significata per nomen substantivum, nec etiam prædictum nomen plurificabitur, aut pluraliter dicetur.

12. Confirmatur secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam etsi forma significata per nomen substantivum revera adjaceat, aut quasi adjaceat alteri, ab eoque ut a prima radice (saltem multoties) desumat in creaturis suam unitatem, vel pluralitatem : non tamen significatur, quantum est ex vi modi significandi, per modum adjacentis : quia non curatur, an ipsa forma habeat re ipsa adjacere suo subjecto, aut dependere ab illo ; vel an a subjecto, ut a prima radice, accipiat suam unitatem, vel pluralitatem ; sed tantum de hoc, quod est, prædictam formam secundum se, et suam entitatem habere proxime, et formaliter a se ipsa suam unitatem, vel pluralitatem, esseque per sui unitatem, vel pluralitatem, rationem formalem unitatis, vel pluralitatis sui concreti, ac tandem ipsammet in concreto sumptam non pendere ab altero supposito, ut a sustentante ; sed involvere secum suppositum, illudque afferre, ad hoc ut per modum per se stantis significetur. Ergo unitas vel pluralitas nominis concreti, et substantivi, sic significantis formam, et subjectam, aut suppositum illius, non desumitur ex forma, ut adjacente alteri, neque ex subjecto, aut ex supposito, ut est id, cui adjacet forma : alioqui non significaretur prædicta forma per modum per se stantis, seu per modum substantiæ : siquidem oppositum hujus in substantivis, ut talibus, contingit ; sed desumetur ex ipsa forma secundum se, et absolute sumpta, et ut per se, et ratione sui, id est, non ab alio ut a ratione formali proxima, est proxima et formalis ratio suæ unitatis, et pluralitatis, et per sui unitatem, vel pluralitatem habet esse proximam et formalem rationem unitatis, vel pluralitatis sui concreti. Et ita ea non plurificata secundum se, et suam entitatem, nequibit concretum illud, quantumvis supposita multiplicentur, plurificari. Ac proinde, cum in divinis non plurificetur forma significata per concretum substantivum, non poterit prædictum concretum, et nomen substantivum plurificari, aut pluraliter dici.

13. Confirmatur ultimo. Confirmatur, et explicatur tandem. Quoniam licet in substantia materiali forma habeat unitatem a materia, tanquam a radice : nihilominus, si prædicta substantia significetur nomine substantivo, ut v. g. *leo*, non significatur per modum adjacentis illi subjecto ; sed per modum per se stantis, et habentis per se *esse*, et unitatem ; et ideo, quod ibi principaliter per modum formæ significatur, est ipsa forma totalis ibidem inventa, scilicet, natura leonis includentis per modum partis materiam : ut ita prædicta forma significetur, ut per se, et ratione sui habens unitatem, et tribuens illam suo concreto. Ergo prædicta nomina, sicut significant formam, ut habentem esse, et unitatem per se, et dantem illam suo concreto, sic non possunt plurificari, non plurificata prædicta forma : et per consequens nomina concreta essentialia, et substantiva in divinis non poterunt plurificari, nec prædicari pluraliter ibidem : siquidem forma significata per illa significatur per modum substantiæ : et hæc secundum se non plurificatur in divinis.

§ III.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et solutionibus eorum.

14. Contraria sententia. Gabriel. Marsil. Contra sententiam tamen Angelici Præceptoris opinatus est Gabriel in 3 distinct. 1 quæst. 2 artic. 3 dubio 4, referturque Marsilius quæst. 2 artic. dubio 2 qui asserunt, tam concreta adjectiva, quam substantiva essentialia posse prædicari pluraliter in divinis, si attendatur solum ad rigorem, et proprietatem sermonis ; licet

ex usu Ecclesiæ prohibeatur hæc prædicatio, ut v. g. quod *in divinis sint tres Dii*, ne videamur convenire cum Hæreticis, qui in diversis personis diversas naturas fatebantur, ut Arrius, etc.

Arrius.

Primum argumentum. Genes. 1. Probatur primo. Nam Genesis 1 ubi dicitur, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, Hebraica veritas habet *Elohim*, quod potest interpretari *Dii*, sive *Judices* : hæc autem translatio est vera propter pluralitatem personarum : ergo attendendo ad rigorem sermonis, tres personæ erunt plures Dii, et non unus Deus.

Dissolvitur. Respondetur, quod si in Hebræo dicitur *Elohim*, id est, *Dii* in numero plurali, hoc ideo est, quoniam apud Hebræos nomen *Elohim* significat principalius proprietatem personalem : sicut apud Græcos dicuntur *tres hypostases*, et apud Latinos *tres personæ*. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma artic. 3 hujus quæstionis in solutione ad 2.

D.Thom.

15. Secundum. Secundo probatur. Quia concreta substantiva, sicut et adjectiva, significant suppositum : ergo substantiva multiplicabuntur propter multiplicationem suppositorum, sicut et adjectiva.

Confirmatio. Confirmatur. Quia propter multiplicationem suppositorum concedimus in divinis tres habentes Deitatem : ergo tres Deos ex rigore sermonis.

Ad secundum. Respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis patet ex dictis in 1 et 2 nostra assertione, et amplius constabit ex illis, quæ 2 dubio dicemus.

Ad confirmationem. D.Thom. Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma art. 3 hujus quæstionis in solutione ad 1, quod licet *Deus* significet *habentem Deitatem* : est tamen alius modus significandi in hoc termino *Deus*, et in hoc : *habens Deitatem* : nam ille significat substantive, iste vero adjective. Et ideo, licet de rigore sermonis sint concedendi tres habentes Deitatem : non tamen tres Dii. Et sane, si in rigore sermonis essent concedendi tres Dii, et solum ex prohibitione Ecclesiæ hoc negandum esset, merito ex hoc Hæretici arma sumerent contra nos, ex eo quod, si concedimus, tres personas esse unum Deum, ut fides Catholica docet, non loquamur secundum proprietatem, et rigorem sermonis : ac proinde quod multo melius loqueremur, si in divinis plures Dii admitterentur, sicut plures habentes Deitatem admittuntur : ex eo quod in rigore sermonis pluralitas habentium illam debet concedi. Sed hæc amplius dubio sequenti elucidabuntur.

DUBIUM II.

Utrum generaliter loquendo ad multiplicationem concreti substantivi requiratur multiplicatio formarum, et suppositorum ; an vero sufficiat sola multiplicatio formarum ?

Quia divus Thomas ut explicet, quomodo nomina concreta essentialia, et substantiva singulariter prædicentur in divinis, loquitur generaliter de multiplicatione concreti substantivi : ideo placuit dubium hoc excitare ad explicandum, quomodo universaliter loquendo concreta substantiva multiplicentur. 16.

§ I.

Angelici Doctoris sententia.

Dicendum ergo est, ad multiplicationem nominis substantivi generaliter requiri multiplicationem formæ, et suppositorum. Assertio hæc quoad priorem partem, nempe, quod ad prædictam multiplicationem requiratur pluralitas formarum, est D. Thomæ in 1 dist. 9 quæst. 1 art. 2 et in art. 3 hujus quæstionis, ubi sic inquit : *Unde et singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen.* Quod etiam docuit Angelicus Præceptor supra quæst. 36 art. 4 his verbis : *Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen principium significet proprietatem : tamen significat eam per modum substantivi : sicut hoc nomen pater, et filius etiam in rebus creatis. Unde numerum accipit a forma significata sicut et alia substantiva. Sicut igitur Pater et Filius sunt unus Deus, propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus : ita sunt unum principium Spiritus sancti, propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium.* Et 3 p. quæst. 3 art. 6 ad 1 : *Si tres personæ assumerent unam humanam naturam, verum esset dicere, quod tres personæ essent unus homo propter unam naturam humanam. Sicut enim nunc verum est dicere, quod tres personæ sunt unus Deus, propter unam divinam naturam : sic verum esset dicere, quod essent unus homo, propter unam naturam humanam.*

Assertio. D.Thom.

Et similiter tam quoad hanc, quam quoad 17.

quoad secundam partem, nempe, quod etiam desideretur multiplicatio suppositorum, docuit assertionem nostram idem Angelicus Præceptor in hac 1 p. quæst. et art. nuper citatis in solutione ad 2 ubi sic inquit : *Dicendum, quod cum dicitur, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, designatur una proprietas, quæ est forma significata per nomen. Non tamen sequitur, quod propter plures proprietates possit dici Pater plura principia : quia implicaretur pluralitas suppositorum.* Ubi (ut constat) ideo negat S. Doctor Patri, quod possit dici plura principia, licet habeat plures proprietates, quia eo ipso involveretur ibidem, quod essent in Patre plura supposita. Si autem ad pluralitatem hujus nominis substantivi *principium* non requireretur, ultra pluralitatem formæ, pluralitas suppositorum, hæcque non involveretur in pluralitate illius, non implicaretur, seu involveretur pluralitas suppositorum ex eo, quod Pater habens plures proprietates diceretur plura principia.

Eamdem etiam pluralitatem suppositorum requiri ad pluralitatem nominis concreti substantivi, docuit idem S. Doctor 3 p. quæst. 3 art. 7 ad 2 his verbis : *Nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Homo enim qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus vestimentis : et qui habet duas qualitates, dicitur singulariter qualis secundum duas qualitates. Natura autem assumpta quantum ad aliquid se habet per modum indumenti. Et ideo si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo, habens duas naturas humanas.* Unde hanc sententiam sequuntur Cajetanus art. 3 hujus quæstionis, et quæst. 36 art. 4 ubi etiam Molina, Ferrara 4 contra Gentes c. 11 conclusione 4, Jabellus, Torres, Canariensis, Bannez, Zumel, Valentia, Nazarius art. 3 nuper citato, Arrubal disput. 135 cap. 3, Granado tomo 3 in 1 p. tractatu 11 disput. 1, Suarez tomo 1 in 3 p. disput. 13 sectione 3, Ruiz de Montoya in præsenti disp. 77 sectione 6 referens Marsilium, Almainum, et alios.

Cajetan. Molina. Ferrara. Jabellus. Torres. Canariens. Bannez. Zumel. Valent. Nazar. Arrubal. Granado. Suarez. Montoya. Marsil. Almain.

18. Ratio fundamentalis quoad priorem partem.

Ratio autem hujus assertionis quoad priorem ejus partem satis constat ex illis, quæ præcedenti dubio ex D. Thoma adduximus. Quoniam sicut concretum substantivum significat formam per modum per se stantis, habentisque esse per se : ita significat eamdem formam, ut habentem per se unitatem, vel pluralitatem, et dantem eam suo concreto. Et ideo, nisi prædicta forma multiplicetur, nequibit prædictum concretum multiplicari.

Ratio quoad posteriorem.

Ratio vero ejusdem assertionis quoad secundam partem, nempe, concreta substantiva non multiplicari, non plurificatis suppositis, potest deduci ex locis D. Thomæ pro eadem secunda parte modo adductis, et ad hanc formam redigi. Quoniam etsi forma in concretis substantivis sit ratio formalis unitatis, vel pluralitatis eorum : nihilominus ad pluralitatem prædictorum concretorum requiritur per modum conditionis pluralitas suppositorum : ergo nisi hæc multiplicentur, nequibunt prædicta concreta plurificari. Consequentia liquet. Antecedens autem probatur, tum duplici exemplo in testimoniis citatis contento. Nam etsi in Patre æterno sint duæ potentiæ activæ, nempe, potentia generativa, et spirativa : non tamen ideo dicitur duo principia. Et similiter licet Verbum assumeret duas naturas humanas : non tamen idcirco diceretur duo homines, sed unus : ex eo quod utrobique deest pluralitas suppositorum requisita ad multiplicationem concretorum substantivorum. Tum etiam, quia cum nomina concreta substantiva significent formam per modum substantiæ, seu per modum per se stantis, nequeunt multiplicari, non multiplicatis suppositis, in quibus forma subsistit, et est per se.

19. Effugium. Vasquez.

Nec satis est id, quod respondet Vasquez loco infra referendo. Nam ad primum exemplum ait, posse Patrem dici duo principia eo modo, quo habet duplicem potentiam activam : et quia solum potentiæ istæ distinguuntur in eo secundum rationem ; non vero realiter, ideo potest dici duplex principium secundum rationem ; non vero duplex principium realiter. Et ideo cum D. Thomas dixit, non posse Patrem dici duo principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum, debet intelligi de dualitate reali, in qua prædicta pluralitas suppositorum involveretur. D.Thom.

20. Præcluditur.

Ad secundum vero exemplum inquit, falsum esse, quod si Verbum v. g. assumeret duplicem humanitatem, non esset duo homines. Quamvis addat, quod tunc non diceretur duo : quia illæ naturæ essent unitæ in uno et eodem supposito. Et tandem ad secundam probationem antece-

dentis inquit, quod etsi nomina substantiva significent formam ut habentem esse per se : non est necesse plurificari supposita, in quibus forma est per se ; sed satis erit multiplicari formam, quæ est principale, et directum significatum.

20. Præcluditur. Non itaque hæc solutio satisfacit. Quoniam in multiplicatione nominis substantivi debet involvi multiplicatio suppositi, tanquam conditio illius multiplicationis : ita quidem, ut si multiplicatio fuerit secundum rationem, multiplicetur suppositum, sive subsistens secundum rationem : si vero multiplicatio fuerit realis, multiplicetur etiam suppositum realiter. Et ratio est. Nam ut multiplicentur concreta, et dentur, v. g. duo homines, oportet, ut non verificetur, quod unus sit alius ; sed ad hoc desideratur multiplicitas suppositorum : ergo etiam ad pluralitatem eorumdem concretorum prædicta pluralitas suppositorum petetur. Major videtur perspicua. Nam hoc ipso, quod unum concretum sit aliud, et unus homo sit alter, non manebunt illa concreta multiplicata et distincta : siquidem multiplicatio et distinctio concretorum intrinsece importat, quod unum non sit aliud : sicut multiplicatio et distinctio formarum et naturarum indispensabiliter affert, quod una non sit altera.

Minor autem etiam liquet. Nam hoc ipso quod duæ formæ et naturæ sint in uno et eodem supposito, verificatur, quod concretum unius sit concretum alterius. Et propterea in Christo Domino, in quo duæ naturæ, nempe divina et humana, sunt in una, et eadem persona Verbi, verificatur, quod hic homo (signato Christo) est hic Deus, et quod hic Deus est hic homo. Quod si in Christo Domino id est verum, propter unitatem suppositi ; multo magis in aliis concretis : siquidem natura divina, et humana unitæ in Christo Domino multo magis distant inter se, quam duæ humanitates assumptæ per divinam potentiam a Verbo. Et ideo si modo unio naturæ divinæ, et humanæ in uno et eodem supposito sufficit ad hoc, ut concretum naturæ humanæ et divinæ ita inter se comparentur, ut de eorum uno verificetur, quod sit aliud : multo magis id verificaretur, dato quod Verbum plures humanitates simul assumeret.

21. Confirmatur primo. Confirmatur. Quoniam etsi prædicatum realiter distinctum a subjecto possit in prædicatione formali prædicari de illo, ut constat ex hac propositione : *Homo est quantus :* attamen hoc ideo est, quia prædicatum hoc, et alia similia habent se per modum formæ respectu subjecti. At dato, quod Verbum assumeret duas humanitates, et prædicaretur, quod unus homo esset alius, tunc non ideo propositio ista esset vera, quia unus homo haberet se per modum formæ respectu alterius : ergo idcirco vere diceretur, quod unus homo esset alius, quia prædicta concreta realiter non multiplicarentur.

Confirmatur secundo. Quoniam communicatio idiomatum, quæ reperitur in Christo, debet fundari in aliqua unitate et identitate ibidem reperta : at nulla est aptior, quam ea, quæ tollit multiplicitatem concretorum substantivorum in eo : siquidem eo ipso optime verificabitur, quod hic Deus (signato Christo) est mortuus, et hic homo est creator : ergo ob eamdem rationem, nempe, ob defectum multiplicationis suppositorum, dabitur identitas concretorum substantivorum, quotiescumque plures formæ per modum substantiæ in concreto significatæ attulerint unum et idem suppositum. Confirmatur secundo.

Deinde contra eamdem solutionem obstant plura alia exempla concretorum substantivorum, in quibus, propter unitatem suppositi, non multiplicantur prædicta concreta ; licet in eis sint plures formæ. Et ideo licet unus homo habeat plures artes, non dicitur plures artifices, sed unicus. Et similiter nec dicitur plures Magistri, aut Doctores, licet habeat plures scientias, et doctrinas, quas in alios diffundat. Impugnatur deinde.

Nec obest id, quod respondet Vasquez nomina ista significare naturam ipsam substantialem subsistentem, cui conveniunt formæ significatæ per illa. Cumque in uno homine tantum sit unica natura substantialis et subsistens, ideo nomina prædicta non plurificantur. Nam contra hoc est. Quod prædicta nomina, hoc ipso quod sint substantiva, significant formam per modum per se stantis, v. g. artem, aut scientiam per modum substantiæ ; non vero naturam ipsam substantialem, cui conveniunt prædicta accidentia : alioqui prædictum concretum non esset concretum substantivum formæ accidentalis significatæ per modum substantiæ ; sed potius concretum naturæ substantialis, quod quoad significatum formale esset quid substantiale, et non haberet solum hoc, quod est significari per modum substantiæ. 22. Evasio Vasquez. Exploditur.

tiæ. Per quæ ad omnia, quæ in favorem solutionis Vasquez adducta sunt, satis constat.

Unde etiam fit, non ita bene addidisse eumdem Vasquez, quod dato casu, quod Verbum assumeret duas humanitates, tunc diceretur duo homines; non tamen duo. Quoniam ratio, propter quam negat, Verbum tunc dicendum esse duo, nempe, quia illæ duæ humanitates essent in eodem supposito, convincit utique, nec dicendos esse duos homines, ut ex nuper dictis constare videtur.

§ II.

Opposita sententia, fundamenta, et enodationes eorum.

23. Contraria sententia. Vasquez. Altisiod. Scotus. Capreol. Probatur primo ex D. Thoma.

Oppositam tamen sententiam, nempe, ad pluralitatem concretorum substantivorum sufficere pluralitatem formarum, tuetur Vasquez in præsenti disputat. 155 cap. 4, pro qua etiam refert Altisiodorensem, Scotum, et Capreolum. Probat autem eam, primo ex divo Thoma in hoc artic. 3 ubi sic inquit : *Unde, et singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen.*

Nec satis erit, si occurras S. Doctorem solum voluisse, necessariam esse pluralitatem formarum ad plurificationem nominis concreti substantivi : inde tamen non colligi, quod hæc pluralitas sola sufficiat, sed ultra eam, juxta D. Thomæ mentem, requiritur pluralitas suppositorum, ut ex locis pro assertione adductis constat. Nam contra hoc arguit Vasquez, quod S. Thomas non dixit ad pluralitatem, vel unitatem nominis concreti substantivi esse attendendam et considerandam unitatem, vel pluralitatem formæ : sic enim solum significaret, id esse necessarium, non tamen denotaret id sufficere : sed dixit, singularitatem, vel pluralitatem nominis attendi secundum formam significatam. Attendi autem secundum formam, est ex illa solum desumi. Nam si aliunde necessario oriretur, non diceretur attendi secundum formam : siquidem existentibus plurimis formis, contingeret, nomen singulariter significare. Et ita quotiescumque dicimus, proprietatem aliquam attendi secundum formam, vel secundum materiam, significamus, inde tantum oriri.

(Vasquez.)

24. Confirmatur primo. D. Thom.

Confirmatur primo. Nam D. Thomas in hoc articulo nullam fecit mentionem pluralitatis suppositorum ad docendam pluralitatem concreti substantivi ; sed solum pluralitatis formæ : ergo existimandus est assignasse pluralitatem formarum pro principio necessario, et sufficienti multiplicationis prædictorum concretorum. Consequentia (præter quam quod ex se patere videtur) potest suaderi. Tum ex eo, quod eodem modo loquatur de singularitate, quo de pluralitate : et ad singularitatem sufficiat unitas formæ, idque S. Doctor significet, cum ait, singularitatem nominis substantivi ex singularitate formæ attendendam esse.

Tum etiam. Quia unde sumitur unitas, ab eodem multiplicato sumitur pluralitas. Et ideo a forma multiplicata sumitur pluralitas specifica, quia ab eadem accipitur unitas secundum speciem : et a materia plurificata debet desumi plurificatio numerica, quia ab eadem sumitur unitas numerica.

Confirmatur secundo. Quoniam in ratione, quam Angelicus Præceptor adducit ad probandam multiplicationem substantivorum, et adjectivorum, docet, eodem proportionali modo multiplicari adjectiva ex suppositis, quo substantiva ex formis : sed adjectiva quia significantur per modum accidentis, et accidentia multiplicantur ex subjecto, tanquam ex prima ratione veluti formali suæ pluralitatis, idcirco juxta Angelicum Præceptorem multiplicantur ex sola multiplicatione subjectorum : ergo substantiva, quia multiplicantur ex forma, tanquam a ratione formali, debebunt ex sola multiplicatione earum multiplicari. (Secundo.)

Confirmatur tandem ex eodem D. Thoma in 3 dist. 1 q. 2 art. 5 ad 2 et 3 ubi sic inquit : *Si Filius Dei assumeret duas humanas naturas, dicerentur duo homines, propter pluralitatem formæ significatæ ; quamvis unum tantum esset suppositum.* (Tertio. D. Thom.)

Respondetur admittendo solutionem inter arguendum datam. Et ad impugnationem contra eam dicendum est, sanctum Doctorem solum voluisse explicare in hoc articulo id, per quod nomina concreta substantiva et adjectiva habent unitatem, vel pluralitatem, tanquam ex prima ratione formali, aut quasi formali ; non vero totum id, quod ad hanc unitatem, vel pluralitatem etiam per modum conditionis concurrit. Unde loquendo de eo, a quo, tanquam a prima ratione formali, oritur unitas, vel pluralitas nominis substantivi, optime dixit, unitatem, vel pluralitatem prædicti nominis attendi ex unitate, vel pluralitate 25. (Solvitur fundamentum.)

formæ : siquidem ex sola ipsa, tanquam ex prædicta ratione formali, desumitur : et pluralitas suppositorum, requisita ad multiplicationem nominis substantivi, solum petitur per modum conditionis.

26. Solvitur prior confirmat. Ex quo ad primam confirmationem satis constat. Nam cum D. Thomas non intenderet, nisi tantum assignare, unde oriatur, tanquam a ratione formali, multiplicatio substantivorum, non debuit facere mentionem, nisi prædictæ rationis formalis, nempe pluralitatis formarum; non vero suppositorum, quæ per modum conditionis se habent. Cur autem Angelicus Præceptor in prædicto articulo tantum meminerit rationis formalis, unde substantiva, et adjectiva multiplicantur, est : quia id ei satis erat ad explicandum, quomodo concreta essentialia substantiva prædicentur singulariter in divinis; concreta vero adjectiva pluraliter. Siquidem forma significata per prædicta nomina substantiva semper est unica, et nunquam plures : et ideo deficiente ratione formali pluralitatis substantivorum, deficiet pluralitas eorum, et ipsa singulariter prædicabuntur. Sicut econtra in adjectivis accidit, quia adjectiva plurificantur ex pluritate suppositorum.

27. Ad primam autem probationem consequentiæ ejusdem confirmationis, quatenus contra hæc obstare potest, nempe, D. Thomam eodem modo loqui de unitate, et pluralitate nominis substantivi, ac proinde sicut ad unitatem requiritur sola unitas formæ, ita ad pluralitatem sufficiet pluralitas ejusdem formæ, patet etiam ex dictis, id esse verum in sensu, quo Angelicus Præceptor loquitur, nempe, quod sicut unitas formæ est ratio formalis unitatis nominis concreti substantivi, ita etiam pluralitas ejusdem formæ erit ratio formalis pluralitatis prædicti concreti : quamvis cum hoc stet, quod ad unitatem non requiratur per modum conditionis unitas suppositi; cum tamen ad pluralitatem suppositorum petatur. Quia (ut jam diximus) pluralitas denotat inter alia quamdam negationem in concretis, quæ dicuntur plura, nempe, quod unum non sit aliud, quæ non potest convenire prædictis concretis, nisi præter pluralitatem formarum habeant etiam plura supposita, ut explicatum est : e contra vero unitas in his concretis non applicat illis negationem unius de alio; sed potius affirmationem quamdam ad quam sufficit indivisio in supposito, ut jam diximus; vel saltem quod multiplicatis suppositis, remaneat indivisio in natura : quia cum hæc significetur per modum substantiæ, et per se stantis, significatur per modum habentis ex se unitatem, dantisque illam supposito, aut suppositis illius naturæ, quatenus concurrunt ad constituendum concretum prædictæ naturæ.

Per quod etiam patet ad secundam probationem ejusdem consequentiæ. Nam etsi unde sumitur unitas, ab eodem multiplicato desumatur pluralitas, ut a ratione formali : potest tamen contingere, ut aliquid pro conditione requiratur ad pluralitatem, præter id, quod fuit ratio formalis unitatis, præter eamdem rationem formalem plurificatam, ut explicatum est.

Ex quo etiam ad secundam confirmationem patet, majorem solum esse veram de ratione formali multiplicationis substantivorum, et adjectivorum. Nam sicut adjectiva multiplicantur ex multiplicatione suppositorum, tanquam ex ratione formali : ita etiam substantiva ex multiplicatione formarum, ut ex formali ratione, ex qua provenit prædicta multiplicatio : quamvis (ut sæpe diximus) ad pluralitatem substantivorum requiratur per modum conditionis pluralitas suppositorum, et eam non fuerit oblitus D. Thomas locis a nobis pro assertione relatis. 28. Enodat secun confir mat.

Ad tertiam confirmationem respondetur cum Cajetano, Suarez, Arrubal, et aliis, D. Thomam loco citato ex 3 p. retractasse id, quod in illo loco ex 1 Sententiarum docuerat. Deinde addimus, posse etiam exponi S. Doctorem, ita ut tantum velit, quod quantum est ex parte formarum, essent in eo eventu duo homines; quamvis ex defectu conditionis requisitæ, nempe multiplicationis suppositorum, tantum esset unus homo. Ad tertian Cajetai Suarez Arruba

Secundo probatur eadem sententia. Nam sicut concretum naturæ connotat suppositum, vel personam, et formaliter significat naturam : ita econtra persona formaliter significat personalitatem; connotat vero naturam : sed persona pluraliter prædicatur, propter distinctionem in personalitatibus; quamvis sit unitas in natura, ut in divinis cernitur : ergo econtra concretum naturæ, v. g. homo, pluraliter prædicabitur, si plures naturæ sint; quamvis detur tantum unicum suppositum. 29. Secundum fundamentum

Respondetur, hoc esse peculiare in concretis personalitatum divinarum, quod hoc ipso, quod multiplicentur personalitates, multiplicantur etiam concreta, in quibus personalitates Corruit

personalitates se habent per modum formæ . quia prædictæ personalitates ferunt secum suas personas, ex eo quod constituunt personas per simplicitatem, suntque ipsæ personæ constitutæ : et ideo multiplicabitur ibidem tam forma, quam suppositum, sive persona : ac proinde adsunt omnia requisita ad multiplicationem concretorum substantivorum.

DUBIUM III.

Utrum nomina essentialia concreta in divinis possint supponere pro personis? et quando de facto pro una v. g. aut duabus, etc. supponant.

). Quia Angelicus Præceptor, postquam explicuit, an nomina essentialia in concreto sumpta prædicentur singulariter de divinis personis, statim disputat, an prædicta nomina supponant pro eisdem personis : idcirco nos ejus vestigia sectantes, ad hoc explicandum præsens dubium movemus.

§ I.

Assertio prior juxta D. Thomæ mentem.

ima clu- io. hom. Dicendum ergo est primo, nomina essentialia in concreto sumpta posse supponere pro personis. Ita D. Thomas artic. 4 hujus quæstionis, ubi sic inquit : *Quia hoc nomen Deus significat divinam essentiam, ut in habente ipsam, sicut hoc nomen homo humanitatem significat in supposito, alii melius dixerunt, quod hoc nomen Deus ex modo significandi habet, ut proprie possit supponere pro persona sicut et hoc nomen homo*

Idem etiam docuit in 1 distinct. 4 quæst. 1 artic. 2 et ibidem ad Annibaldum his verbis : *Sciendum est, quod hoc nomen Deus quandoque supponit pro essentia, quandoque pro persona, quandoque pro una, quandoque pro pluribus. Quod supponere possit pro essentia, hinc est, quia in divinis res naturæ, et natura non differunt, ut Deitas, et Deus. Quod pro una persona hoc est ex vi nominis, quia imponitur ad significandum essentiam in supposito, cum sit nomen substantiale concretum, ut homo. Quod pro pluribus personis, hoc est, quia forma, a qua imponitur Deus, est una non multiplicata, scilicet ipsa essentia in tribus personis.* Unde S. Doctorem sequuntur ejus discipuli : et ideo non erit necessarium singulos in particulari referre.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma in verbis relatis ex ipso, potestque ad hanc brevem formam reduci. Quia nomina essentialia v. g. hoc nomen *Deus*, potest supponere pro habente Deitatem : sed tres personæ divinæ sunt habentes Deitatem . ergo hoc nomen *Deus* potest supponere pro illis. 31. Ratio fundamentalis. D.Thom.

Confirmatur exemplo adducto ex eodem Angelico Doctore. Quoniam hoc nomen *homo* ex modo significandi supponit pro personis humanis : quia ex vi modi significandi habet supponere pro habente humanitatem : ergo cum hoc nomen *Deus* ex modo significandi habeat supponere pro habente Deitatem, poterit supponere pro personis divinis habentibus ipsam. Confirmatur.

Nec obest, si objicias, quod hoc nomen *Deus* non significat personas divinas proprie loquendo : siquidem non est impositum ad significandum illas, et nihil significat, nisi ex impositione : ergo neque potest proprie supponere pro illis. Nam juxta Aristotelem in libris Perihermenias, suppositio propria est acceptio termini pro re, quam ex primæva impositione significat. 32. Objectio.

Respondetur enim, quod etsi personæ divinæ non sint significatum proprium, et immediatum hujus nominis *Deus*, sunt tamen significatum proprium, licet mediatum illius. Quia sicut essentia divina per se primo, et immediate subsistit per subsistentiam absolutam, et ea mediante, habet deinde subsistere in tribus personis divinis afferentibus proprias subsistentias relativas : ita etiam nomen *Deus* significat proprie, et immediate hunc Deum subsistentem subsistentia absoluta, et proprie, ac mediate personas. Solutio.

§ II.

Assertio posterior ex Angelico Doctore desumpta.

Dicendum est secundo, quod licet nomina essentialia, et concreta, ut *Deus*, possint supponere pro singulis personis : nihilominus aliquando eorum suppositio limitatur, et distrahitur, ita ut supponant pro una, vel pro duabus, aut tribus simul : aut solum pro essentia divina subsistente per subsistentiam absolutam, juxta naturam termini adjuncti, per quem illorum suppositio limitatur, vel distrahitur. Assertio hæc est D. Thomæ in hoc artic. 4, ubi postquam dixit, nomina essentialia, ut 33. Secunda conclusio. D.Thom

Deus, posse supponere pro personis, statim addidit: *Quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia, ut cum dicitur, Deus creat: quia hoc prædicatum competit subjecto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas. Quandoque vero supponit personam, vel unam tantum, ut cum dicitur, Deus generat; vel duas, ut cum dicitur, Deus spirat: vel tres, ut cum dicitur, Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, etc.* Ubi (ut constat) nomen *Deus* restringitur, vel distrahitur ad supponendum, non pro singulis, sed pro una, aut duabus personis, etc. ratione alicujus termini adjuncti: ac proinde si terminus adjunctus non sit proprius alicujus personæ; sed limitaverit, ut nomen *Deus* solum accipiatur pro essentia in concreto, debebit etiam tunc nomen *Deus* solum pro illa sic sumpta supponere. Unde hanc eamdem assertionem tuentur ejus discipuli.

Fundamentum. D.Thom. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis innuitur a D. Thoma, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam in his propositionibus, *Deus est Trinitas: Deus est realiter communis Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, subjectum supponit pro hoc Deo, et nullo modo pro personis: ex eo quod adjungitur illi prædicatum, quod convenit ipsi soli, non vero personis: ergo eadem ratione, quoties adjungitur aliquod aliud prædicatum, aut terminus, qui competat uni, aut duabus personis, etc. ut contingit in his propositionibus, *Deus generat: Deus spirat*, tunc nomen *Deus* in priori ex illis tantum supponit pro Patre, qui solus generat; et in posteriori pro Patre, et Filio, quibus tantummodo competit spirare. Sicut etiam in hac propositione, *Deus genuit Deum*, diversimode afficiens prædicatum, et subjectum, supponit, prout habet rationem subjecti, pro Patre tantummodo, et ut est prædicatum, pro solo Filio.

§ III.

Objectiones contra hanc secundam assertionem, et responsiones ad illas.

34. Prior objectio. Nec obest, si objicias primo, quod in hac propositione, *Deus creat*, nihil ponitur limitans, et distrahens suppositionem hujus nominis *Deus*, ad hoc ut accipiatur, sive supponat tantum pro hoc Deo, et non pro personis: siquidem creare, est quid commune omnibus illis: et nihilominus, ut ex testimonio adducto pro hac assertione ex D. Thoma constat, nomen *Deus* solum supponit pro essentia in concreto, seu pro hoc Deo: ergo falsum est id, quod in assertione diximus, nempe, nomen *Deus* posse supponere pro personis, nisi aliunde ejus suppositio limitetur.

Dissolvitur. Respondetur ex dictis, D. Thomam solum velle, quod in hac propositione, *Deus creat*, subjectum taliter supponit pro essentia in concreto, scilicet pro *hoc Deo*, quod supponat immediate, et principaliter pro illo; pro personis vero mediate, et minus principaliter. Nam Pater, et Filius, et Spiritus sanctus creant, in quantum sunt *hic Deus*, ut docet D. Thomas infra q. 45 art. 6, et ita prædicatum illud *creat* non determinat subjectum; sed ita convenit prædicto subjecto, ut subjectum supponat immediate pro hoc *Deo*, et mediate pro personis. Sicut etiam in hac propositione, *Soli Deo honor, et gloria*, quia nulla fit determinatio subjecti, ideo ille terminus *Deus* habet supponere immediate pro *hoc Deo*, et mediate pro personis. (margin: D.Tho)

35. Replica. Nec obest, si urgeas, quod Angelicus Præceptor in testimonio nuper citato constituit discrimen inter hanc propositionem, *Deus creat*, et inter istam, *Soli Deo honor, et gloria* quod in posteriori subjectum supponit pro tribus personis.

Evanescit. Respondetur enim, quod discrimen constitutum a D. Thoma inter prædictas propositiones non consistit in hoc, quod aliqua ex illis non supponat immediate pro *hoc Deo* communi tribus personis, et mediate pro personis, ut bene notavit Cajetanus: sed quoad modum supponendi talis subjecti: ex eo quod in prima taliter supponit immediate pro *hoc Deo*, quod habeat mediate supponere pro singulis personis seorsum, et ideo de quavis sigillatim verificatur, quod creat: in secunda vero ita supponit pro *hoc Deo* immediate, ut non supponat, nec supponere valeat pro personis seorsum, sed pro omnibus illis collective: et ideo sub ista propositione, *Soli Deo honor, et gloria*, non licet seorsum personas designare, ita ut inferatur, ergo soli Patri honor, et gloria; sed designandæ sunt omnes personæ collective. Et ideo Augustinus 6 de Trinitate cap. 9 dixit, quod in prædicta propositione ille terminus *Deus* supponit pro tota Trinitate per modum collectionis: cum tamen (ut dicebamus) sub illa, *Deus creat*, liceat designare quamlibet personam seorsum, inferendo, (margins: Cajet., Aug.)

ferendo, ergo Filius creat, et sic de aliis.

36. ...jectio ...unda. Vas- quez.

Nec etiam obstat, si contra eamdem assertionem secundo objicias cum Vasquez disp. 157 c. 4 et sequentibus, quod in hac propositione *Deus generat*, nomen *Deus* non supponit determinate pro Patre; sed pro individuo Deitatis, connotando vage aliquam personam. Et ratio est. Quia subjectum non determinatur ad supponendum determinate pro aliqua persona ratione adjuncti, nisi adjunctum se teneat ex parte ejusdem extremi : ergo cum terminus ille adjunctus non se teneat ex parte subjecti, sed habeat se per modum prædicati, non limitabit illud ad hoc, ut sumatur determinate pro Patre ; sed relinquet illud in sua significatione, et suppositione, qua supponit pro individuo Deitatis, connotando vage aliquam personam.

...curritur.

Respondetur enim, satis esse, quod terminus adhuc per modum prædicati adjungatur subjecto, licet non se teneat ex parte subjecti, ad hoc ut limitet, sive distrahat suppositionem ejusdem subjecti, ut patet in his propositionibus , *Deus est Trinitas* : *Deus est realiter communis Patri, et Filio, et Spiritui sancto* : in quibus subjectum supponit determinate pro *hoc Deo*; et nihilominus terminus adjunctus non se tenet ex parte subjecti, sed se habet per modum prædicati. Et similiter hæc propositio, *Deus generat Deum*, est admittenda, juxta illud : *Deum de Deo* : et tamen in prædicta propositione subjectum supponit pro Patre, et prædicatum pro Filio; quamvis verbum *geniti* non se teneat ex parte subjecti, aut prædicati eo modo, quo vult Vasquez. Ratio autem, propter quam dicimus, subjectum, et prædicatum hujus propositionis supponere modo dicto, et non pro individuo Deitatis, est : quia quod convenit individuo Deitatis, competit omnibus personis divinis : cum tamen hoc, quod est *generare et generari*, non competat omnibus illis.

Nec obest, si urgeas ex eodem Vasquez, quod in prædicta propositione in confuso connotatur aliqua persona, ratione cujus verificatur. Non igitur hoc obstat. Quia prædicatum non dicitur expresse de eo, quod subjectum connotat in confuso ; sed de illo, pro quo supponit determinate, et in recto.

37. ...tur.

Nec etiam refert, si tertio objicias, quod in hac propositione, *Deus non generat*, apponitur aliquid, quod posset limitare, et distrahere suppositionem subjecti ad hoc, ut tantum supponeret pro duabus personis divinis, nempe pro Filio, et Spiritu sancto : et nihilominus non ideo suppositio hujus nominis *Deus* limitatur, aut distrahitur ad hoc, ut supponat pro prædictis personis : ergo, etc. Major videtur perspicua. Quoniam ideo in hac propositione, *Deus generat*, apponitur aliquid, quod limitet subjectum ad hoc, ut supponat pro solo Patre, quia hoc, quod est *generare*, soli ipsi convenit inter personas divinas : ergo cum hoc quod est *non generare*, conveniat soli Filio, et Spiritui sancto inter easdem personas, consequens erit, ut in ista propositione, *Deus non generat*, apponatur aliquid, quod possit limitare subjectum ad hoc, ut supponat pro solo Filio, et Spiritu sancto. Minor autem etiam constat. Quoniam si hoc, quod est *non generare* limitaret subjectum in prædicta propositione ad hoc, ut supponeret tantum pro Filio, et Spiritu sancto, tunc esset vera, cujus oppositum docet D. Thomas art. 4 hujus quæstionis in solutione ad 3. D.Thom.

Enodatur.

Respondetur, quod cum prædicta negativa reducantur ad affirmativa, et hæ duæ propositiones, *Deus generat*, *Deus non generat*, sint contradictoriæ : oportet ut subjectum supponat pro eodem, et prædicatum utriusque limitet subjectum ad hoc, ut pro eodem supponat. Et ideo sicut in hac, *Deus generat* ly *Deus* supponit pro Patre : sic in ista, *Deus non generat*, habet subjectum supponere pro eodem Patre ; et propterea est omnino falsa.

38. Aliter occurritur.

Adde, quod in hac propositione, *Deus non generat*, ille terminus *Deus* virtualiter distribuitur, ratione negationis ibidem positæ. Et ita ad veritatem illius non satis est, quod unum, aut alterum suppositum Deitatis non generet ; sed requiritur, quod nullum ex divinis suppositis habeat generare. Et ideo prædicta propositio est falsa, et opposita est vera.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 4 q. 1 art. 2 in solutione ad 3, ubi sic ait : *Dicendum, quod hoc nomen Deus habet naturam termini communis in hoc, quod potest multis communicari, scilicet tribus personis : et ideo potest reddere locutionem veram pro uno. Et ideo hæc est vera, Deus generat Deum : quia pro Patre habet unitatem. Habet etiam naturam termini singularis : quia imponitur a forma non multiplicabili. Et ideo quidquid negatur de ipso, pro tota Trinitate negatur. Unde falsum est, Deus non generat.* D.Thom.

DUBIUM IV.

Utrum nomina abstracta essentialia possunt in divinis supponere pro personis.

39. Tota hujus dubii difficultas patebit, si discusserimus, an hæc propositio sit vera: *In divinis essentia generat.* Nam si vera fuerit, planum erit, nomina abstracta, et essentialia in divinis posse supponere pro personis : siquidem tunc idcirco esse vera, quia in prædicta propositione, essentia posita per modum subjecti supponeret pro Patre. Ideoque totum hoc dubium circa discussionem istius propositionis versabitur.

§ I.

Vera sententia.

40. Assertio. Dicendum ergo est, nomina essentialia abstracta non posse supponere pro personis : ac proinde hanc propositionem esse falsam, *Essentia generat :* et sic de aliis similibus, ut *Essentia generatur, et procedit.*

Conc. Lateranense. Assertio hæc diffinita fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III contra Abbatem Joachim, ubi ipse suam retractavit sententiam, habeturque in c. *Damnamus, De summa Trinitate, et fide Catholica* his verbis : *Essentia seu natura divina principium est universorum præter quod aliud inveniri non potest, et illa res non est generans, nec genita, nec procedens ; sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit.* Idem etiam diffinitum

Conc. Tolet. I. fuerat prius in Concilio Toletano primo in confessione fidei, ubi sic asseritur : *Si quis dixerit, aut crediderit, Deitatem esse nascibilem, anathema sit.* Unde idem etiam

D.Thom. tuetur D. Thomas art. 5 hujus quæstionis, et in 1 distinct. 5 quæst. 1 art. 1, et communiter omnes Patres, ac Theologi.

41. Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma in præsenti, quæ potest sub hac forma proponi. Nam hoc nomen Deus, quia significat divinam essentiam, ut in habente, ideo ex modo suæ significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro persona. Et sic ea, quæ sunt propria personarum, possunt prædicari de Deo, ut hoc nomine significatur, ut si dicatur quod *Deus est genitus, vel generans :* sed hoc nomen *essentia* non habet ex modo suæ significationis, quod significet divinam essentiam, ut in habente : quia significat illam, ut formam abstractam : ergo neque etiam habebit, quod possit supponere pro personis : ac proinde hæc propositio, *Essentia generat*, erit falsa, sicut et aliæ similes.

Confirmatur. Confirmatur. Nam si ea, quæ sunt propria personarum, quibus ad invicem distinguuntur, qualia sunt *generare, et generari, spirare, spirari*, attribuantur essentiæ, significabitur, quod est distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in personis : hoc autem est contra fidem, ut ex dictis constat : ergo, etc.

Nec obest, si contra rationem hanc, et ejus confirmationem objicias, quod non minus distinguuntur Pater, Filius, et Spiritus sanctus Paternitate, Filiatione, et Processione, quam distinctis originibus, quales sunt *generare, generari, et procedere :* sed per hoc, quod concedatur, essentiam esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, non significatur, quod sit distinctio in essentia, nec aliquid falsum ibidem nuntiatur : ergo neque per hoc, quod concedatur, *essentiam generare, generari, et procedere.* 42. Objectio.

Respondetur ex D. Thoma art. 5 hujus quæstionis in solutione ad 5 ubi inquit, in hoc differre nomina substantiva, et adjectiva, quod substantivis competit ferre secum suum suppositum; adjectivis vero nonnisi rem significatam ponere circa substantivum. Unde Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quia habent rationem nominum substantivorum, ideo, quatenus talia sunt, convenit eis ut quantumcumque importent realem distinctionem ad invicem, non applicent illam naturæ divinæ, sed eam secum retineant in propriis suppositis : et ideo hæc est vera, *Essentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Cæterum *generare, generari, et procedere* habent rationem nominum adjectivorum, et propterea distinctionem realem, quam important, ponunt circa substantivum, et sic applicant illam naturæ divinæ, pro qua essentia supponit, cum de illa enuntiatur, quod *essentia generat, generatur, aut procedit.* Diluitur D.Tho.

Nec refert, si urgeas, hinc sequi, concedendam esse hanc propositionem, *Essentia est generans, generatur, et procedit,* si hæc verba adjectiva sumantur in vi prædicatorum substantivorum : quod tamen videtur non esse admittendum : alioqui Concilia non damnarent prædictam propositionem. 43. Repli.

propositionem. Sicut quia hæc propositio, *Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt unus æternus, et non tres æterni*, est vera, sumpto nomine *æternus* in vi substantivi, et falsa, si accipiatur ut adjectivum : propterea propositio ista non damnatur a Conciliis.

Responsio. Respondetur, prædictam propositionem posse concedi, si aliud prædicatum sumatur in vi substantivi, ut si dicatur, *Essentia est generans*, et exprimatur simul, quod prædicatum sumitur substantive : reddit enim hunc sensum, *Essentia est res generans* : et sic eamdem concedere videtur D. Thomas in præsenti, dum docet, notionalia substantiva prædicari de essentia in abstracto : absolute tamen semper debet negari : quia ut in plurimum ly *generans* sumitur adjective : et sic damnata est loco supra citato. (D. Thom.)

§ II.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et solutionibus ad illa.

44. Opposita sententia. Joachim. Primum fundamentum. Contrariam tamen sententiam tenuit Abbas Joachim relatus a D. Thoma art. 5 hujus quæstionis. Et probatur primo. Quoniam in Deo est summa simplicitas : et propterea idem omnino est in illo essentia divina, et Deus : ergo sicut Deus potest supponere pro personis, et hæc est vera, *Deus generat* : ita et essentia divina pro illis supponere poterit : et sic hæc erit vera : *Essentia generat.*

Corruit. D.Thom. Respondetur ex D. Thoma art. 5 hujus quæstionis, quod quamvis sint idem ex parte rei conceptæ essentia divina, et Deus : nihilominus differunt in modo significandi. Ad hoc autem, ut duo nomina habeant eumdem modum supponendi, non solum debet attendi ad rem significatam, sed etiam ad modum significandi.

45. Replica. Nec obest, si urgeas, quod si diversus modus significandi inter Deum, et essentiam divinam, seu Deitatem, est sufficiens ad hoc, ut non possit supponere Deitas pro eo, pro quo supponit Deus : ergo similiter erit sufficiens ad hoc, ut unum de altero prædicari non possit : et sic hæc erit falsa, *Deus est Deitas.*

Solutio. Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quoniam cum prædicatur Deus de Deitate, tunc in eo sensu, in quo est vera, solum significatur, quod ex parte rei conceptæ, et significatæ Deitas est Deus : quod quidem est verum.

46. Secundum fundamentum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam si ob aliquam rationem prædicta propositio esset falsa, maxime, quia actiones sunt suppositorum, et essentia non significatur ut suppositum, ac proinde illi non potest tribui actio generandi : sed hæc ratio non obstat : ergo, etc. Minor probatur. Quia etiamsi *esse* et *operari* conveniat supposito, nihilominus de essentia divina dicuntur prædicata, quæ denotant existentiam, et operationem, ut quod intelligit existit, etc.

Respondetur, concedendo majorem, et negando minorem. Et ad probationem dicendum est, dari aliqua verba, quæ possunt prædicari de abstractis, scilicet illa, quæ significant proprium actum respectu formæ, quæ in abstracto significatur, ut cum dicitur quod *intellectus intelligit* : *sapientia disponit omnia suaviter* : nam in his propositionibus, non significatur, quod forma illa in abstracto sit producens, aut agens *ut quod*, sed tantum, quod sit producens *ut quo*, seu sit principium formale producendi : et prædicatum, quod significatur per verbum adjectivum non denotat distinctionem realem formæ in abstracto significatæ ab aliquo, quod sit intra Deum, qualiter significstucum dicitur, quod *essentia generat*, *generatur, aut procedit.* Evertitur.

47. Ultimum. August. Ultimo probatur eadem sententia ex Augustino 7 de Trinitate cap. 2 ubi inquit, essentiam esse de essentia, et sapientiam de sapientia.

Evanescit. Respondetur, Augustinum, et alios Patres sæpe uti abstractis pro concretis ad denotandam divinam simplicitatem. Unde apud Augustinum idem est, essentiam esse de essentia, aut sapientiam de sapientia, quod Deum esse de Deo, et sapientem de sapiente. Imo in Symbolo etiam sumitur abstractum pro concreto, ut cum dicitur, *lumen de lumine*. Cæterum cum hoc stat, quod dum hujusmodi propositiones, ut notavit D. Thomas, inveniuntur apud sanctos Patres, aut Concilia, tunc explicandæ sunt a nobis, non vero usurpandæ. (Symbol. Nicænum.) (D.Thom.)

ARTICULUS VI.

Utrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod personæ non possint prædicari de nominibus essentialibus concretis, ut dicatur, Deus est tres personæ, vel est Trinitas. Hæc enim est falsa, Homo est omnis homo : quia pro nullo (1 dist. 48 q. 2 art. 2 ad 5.)

suppositorum verificari potest : neque enim Sortes est omnis homo, neque Plato, neque aliquis alius. Sed similiter ista, Deus est Trinitas, pro nullo suppositorum naturæ divinæ verificari potest. Neque enim Pater est Trinitas, neque Filius, neque Spiritus sanctus. Ergo hæc est falsa, Deus est Trinitas.

2. Præterea, inferiora non prædicantur de suis superioribus, nisi accidentali prædicatione, ut cum dico, Animal est homo : accidit enim animali esse hominem. Sed hoc nomen Deus se habet ad tres personas, sicut commune ad inferiora, ut Damascenus dicit *. Ergo videtur, quod nomina personarum non possint prædicari de hoc nomine Deus, nisi accidentaliter.

* Lib. 3 Orth. fid. c. 4 circa princ.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit in lib. de Fide ad Petrum : Credimus, unum Deum unam esse divini nominis Trinitatem.

* In ferm. 129 de tempore et ferm. in cœna Domini.

Respondeo, dicendum, quod (sicut jam dictum est *) licet nomina personalia, vel notionalia adjectiva non possint prædicari de essentia : tamen substantiva possunt propter realem identitatem essentiæ, et personæ. Essentia autem divina non solum idem est realiter cum una persona, sed cum tribus. Unde et una persona et duæ, et tres possunt de essentia prædicari, ut si dicamus, Essentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et quia hoc nomen Deus per se habet, quod supponat pro essentia (ut dictum est *), ideo sicut hæc est vera, essentia est tres personæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ.

* Art. præd.

* Art. 4 hujus q.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut supra dictum est *) hoc nomen homo per se habet supponere pro persona; sed ex adjuncto habet, quod stet pro natura communi. Et ideo hæc est falsa, Homo est omnis homo : quia pro nullo supposito verificari potest. Sed hoc nomen Deus per se habet, quod stet pro essentia. Unde licet pro nullo suppositorum divinæ naturæ hæc sit vera, Deus est tamen vera pro essentia. Quod non attendens Porretanus, eam negavit.

* Art. 4 hujus q.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, Deus vel divina essentia est Pater, est prædicatio per identitatem; non autem sicut inferioris de superiori : quia in divinis non est universale. Unde, sicut est per se ista, Pater est Deus : ita et hæc, Deus est Pater, et nullo modo per accidens.

Conclusio : Nomina tam personalia, quam notionalia, si sint adjectiva, non prædicantur de essentia : si vero sint substantiva, prædicantur de illa.

Circa hunc articulum nihil peculiare oportebit notare : quia ex jam dictis liquet, quomodo hæc, et similes proportiones sint falsæ, *Essentia generat* : quia aliquid notionale adjectivum prædicatur de illa. Et quomodo hæc, et similes sint veræ : *Essentia est tres personæ, aut essentia est Pater* : Quia aliquid substantivum, licet notionale, de illa enuntiatur.

ARTICULUS VII.

Utrum nomina essentialia sint approprianda personis?

1 dist. 31 q. 1 a. 2.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod nomina essentialia non sint approprianda personis. Quod enim potest vergere in errorem fidei vitandum est in divinis : quia ut Hieronymus * dicit, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Sed ea quæ sunt communia tribus personis, appropriare alicui, potest vergere in errorem fidei : quia potest intelligi, quod vel illi tantum personæ conveniant, cui appropriantur; vel quod magis conveniant ei, quam aliis. Ergo essentialia attributa non sunt approprianda personis.

* Habetur in Magist. sent. lib. 4 dist. 13 in fine.

2. Præterea, essentialia attributa in abstracto significata significant per modum formæ. Sed una persona non se habet ad aliam, ut forma : cum forma ab eo, cujus est forma, supposito non distinguatur. Ergo essentialia attributa, maxime in abstracto significata, non debent appropriari personis.

3. Præterea, proprium prius est appropriato : proprium enim est de ratione appropriati. Sed essentialia attributa secundum modum intelligendi sunt priora personis, sicut commune est prius proprio. Ergo essentialia attributa non debent esse appropriata.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1 Corinth. 1, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

Respondeo dicendum, quod ad manifestationem fidei conveniens fuit, essentialia attributa personis appropriari. Licet enim Trinitas personarum demonstratione probari non possit (ut supra dictum est *) convenit tamen, ut per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem, quam propria personarum : quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum : non autem in cognitionem personalium proprietatum, ut supra dictum est *. Sicut igitur similitudine vestigii, vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et essentialibus attributis. Et hæc manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur. Possunt autem manifestari personæ divinæ per essentialia attributa dupliciter. Uno modo per viam similitudinis : sicut ea, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, ut verbum. Alio modo per modum dissimilitudinis : sicut potentia appropriatur Patri (ut Augustinus dicit) quia apud nos patres solent esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemur in Deo.

* Q. art.

* Q. art. 1

Ad primum ergo dicendum, quod essentialia attributa non sic appropriantur personis, ut eis esse propria asserantur; sed ad manifestandum personas per viam similitudinis, vel dissimilitudinis, ut dictum est *. Unde nullus error fidei sequitur; sed magis manifestatio veritatis.

* In corp art.

Ad secundum dicendum, quod si sic appropriarentur essentialia attributa personis, quod essent eis propria, sequeretur, quod una persona se haberet ad aliam in habitudine formæ. Quod excludit Augustinus * in 6 de Trinitate ostendens, quod Pater non est sapientia, quam genuit, quasi solus Filius sit sapientia : ut sic Pater, et Filius simul tantum possint dici sapientia, non autem Pater sine Filio. Sed Filius dicitur sapientia Patris, quia est sapientia de Patre sapientia. Uterque enim, per se est sapientia, et simul ambo una sapientia. Unde Pater non est sapiens sapientia, quam genuit; sed sapiens sapientia, quæ est sua essentia.

* Lib. de Tri cap. adjun to : tom.

Ad tertium dicendum, quod licet essentiale attributum secundum rationem propriam sit prius, quam persona secundum modum intelligendi : tamen, in quantum habet rationem appropriati, nihil prohibet, proprium personæ esse prius, quam appropriatum. Sicut color posterior est corpore, in quantum est corpus : prius tamen est naturaliter corpore albo, in quantum est album.

Conclusio : Ad manifestationem fidei conveniens fuit, essentialia attributa personis appropriari.

1 dist 2. q. art. un co. E ibidem q. 3 art. 1 et dist 34 q. art. un co. Aug. gust. lib. 6 Trin. cap. 1

ARTICULUS VIII.

Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa?

Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa. Dicit enim Hilarius in 2 de Trinitate : Æternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere. In quibus verbis ponit tria nomina propria personarum, scilicet, nomen patris, et nomen imaginis, quod est proprium Filio (ut supra dictum est *) et nomen muneris, sive donum, quod est proprium Spiritus sancti (ut supra habitum est *.) Ponit etiam tria appropriata. Nam æternitatem appropriat Patri, speciem Filio, usum Spiritui sancto. Et videtur, quod irrationabiliter. Nam æternitas importat durationem essendi : species vero est essendi principium : usus vero ad operationem pertinere videtur. Sed essentia et operatio nulli personæ appropriari invenitur. Ergo inconvenienter videntur ista appropria a personis.

* Lib. de Tri paulo post. princip.

* Q. 3 art. 2

* Q. 3 art. 2

2. Præterea, Augustinus in 1 de Doctrina * Christiana sic dicit : In Patre est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto æqualitatis unitatisque concordia. Et videtur, quod inconvenienter. Quia una persona non denominatur formaliter per id, quod appropriatur alteri. Non enim est sapiens Pater sapientia genita, ut dictum est *. Sed sicut ibidem subditur, tria hæc unum omnia sunt propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum, non ergo convenienter appropriantur

* Lib. c. 5 in fine tom. 3

* Art præc. ad 2 et q. 37 art. 2 arg. 1

priantur personis. Item secundum Augustinum Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas. Et videtur hoc esse inconveniens. Nam virtus ad potentiam pertinet. Virtus autem invenitur appropriari Filio, secundum illud 1 ad Corint. 1 : Christum Dei virtutem ; et etiam Spiritui sancto, secundum illud Luc. 6. Virtus de illo exibat et sanabat omnes. Non ergo potentia Patri est approprianda.

* Lib. 6 de Trin. c. 10 in fine illius tom. 3.

3. Item. Augustinus in lib. de Trinitate * dicit : Non confuse accipiendum est, quod ait Apostolus : Ex ipso, et per ipsum, et in ipso. Ex ipso dicens, propter Patrem : per ipsum, propter Filium : in ipso, propter Spiritum sanctum. Sed videtur, quod inconvenienter. Quia per hoc, quod dicit, in ipso, videtur importari habitudo causæ finalis, quæ est prima causarum. Ergo ista habitudo causæ deberet appropriari Patri, qui est principium non de principio.

4. Item, invenitur veritas appropriari Filio, secundum illud Joannis 14 : Ego sum via, veritas, et vita. Et similiter liber vitæ, secundum illud Psalm. 39 : In capite libri scriptum est de me. Glossa *, idest, Apud Patrem, qui est caput meum. Et similiter hoc, quod dico, qui est. Quia super illud Isaiæ 65 : Ecce ego ad gentes, dicit Glossa *. Filius loquitur, qui dixit Moysi : Ego sum qui sum. Sed videtur, quod propria sint Filii, et non appropriata. Nam veritas, secundum August. * in lib. de Vera religione, est summa similitudo principii absque omni dissimilitudine. Et sic videtur, quod proprie conveniat Filio, qui habet principium. Liber etiam vitæ videtur proprium aliquid esse : quia significat ens ab alio : omnis enim liber ab aliquo scribitur. Hoc etiam ipsum, qui est, videtur esse proprium Filio. Quia, si cum Moysi dicitur : Ego sum qui sum, loquitur Trinitas. Ergo Moyses poterat dicere : Ille, qui est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, misit me ad vos. Ergo et ulterius dicere poterat : Ille, qui est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, misit me ad vos, demonstrando certam personam. Hoc autem est falsum. Quia nulla persona est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Non ergo potest esse commune Trinitati : sed est proprium Filii.

* Glossa ordinaria ibid. * Glossa interlinealis ibidem. * Cap. 26 post medium illius tom. 1.

Respondeo dicendum quod intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet, quod Deum consideret secundum modum, quem ex creaturis assumit. In consideratione autem alicujus creaturæ quatuor per ordinem nobis occurrunt. Nam primo consideratur res ipsa absolute, in quantum est ens quoddam. Secunda autem consideratio rei est, in quantum est una. Tertia consideratio rei est, secundum quod inest ei virtus ad operandum et ad causandum. Quarta autem consideratio rei est secundum habitudinem, quam habet ad causata. Unde hæc etiam quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit. Secundum igitur primam considerationem, qua consideratur absolute Deus secundum esse suum, sic sumitur appropriatio Hilarii, secundum quam æternitas appropriatur Patri, species Filio, usus Spiritui sancto. Æternitas enim, in quantum significat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio. Species autem, sive pulchritudo habet similitudinem cum propriis Filii. Nam ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas, sive perfectio : quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. Et debita proportio, sive consonantia. Et iterum claritas. Unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.

* Lib. 6 de Trin. c. 10 paulo a princ. tomo 3.

Quantum igitur ad primum, similitudinem habet cum proprio Filii, in quantum est Filius, habens in se vere, et perfecte naturam Patris. Unde ad hoc innuendum Augustinus * in sua expositione dicit : Ubi scilicet in Filio, summa et perfecta vita est, etc.

* Loco nunc proxime dicto.

Quantum vero ad secundum, convenit cum proprio Filii, in quantum est imago expressa Patris. Unde videmus quod aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfecte repræsentat rem, quamvis turpem. Et hoc tetigit Augustinus * cum dicit : Ubi est tanta convenientia, et prima æqualitas, etc.

* Lib. 1 c. 8 parum ante medium et Cap. 18.

Quantum vero ad tertium, convenit cum proprio Filii, in quantum est Verbum, quod quidem lux est, et splendor intellectus, ut Damascenus * dicit. Et hoc tangit Augustinus *, cum dicit : Tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quædam omnipotentis Dei, etc. Usus autem habet similitudinem cum propriis Spiritus sancti, largo modo accipiendo usum, secundum quod uti comprehendit sub se etiam frui : prout uti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis, et frui est cum gaudio uti, ut August. * 10 de Trinitate dicit. Usus

* Loco nunc proxime dicto. * Lib. 10 de Trin. c. 11 ante medium.

ergo, quo Pater, et Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritus sancti, in quantum est amor. Et hoc est, quod Augustinus * dicit : Illa dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo, usus ab illo appellatus est. Usus vero, quo nos fruimur, similitudinem habet cum proprio Spiritus sancti, in quantum est donum. Et hoc ostendit Augustinus *, cum dicit : Est in Trinitate Spiritus sanctus, genitoris, genitique suavitas, ingenti largitate, atque ubertate nos, vel creaturas perfundens. Et sic patet, quare æternitas, species, et usus personis attribuantur, vel approprientur ; non autem essentia, vel operatio : quia in ratione horum, propter sui communitatem, non invenitur aliquid similitudinem habens cum propriis personarum.

* Lib. 6 de Trin. c. 10 in medio. * Loco nunc dicto.

Secunda vero consideratio Dei est in quantum consideratur, ut unus. Et sic Augustinus * Patri appropriat unitatem, Filio æqualitatem, Spiritui sancto concordiam, sive connexionem. Quæ quidem tria unitatem importare manifestum est ; sed differenter. Nam unitas dicitur absolute, non præsupponens aliquid aliud : et ideo appropriatur Patri, qui non præsupponit aliquam personam, cum sit principium non de principio. Æqualitas autem importat unitatem in respectu ad alterum : nam æquale est, quod habet unam quantitatem cum alio. Et ideo æqualitas appropriatur Filio, qui est principium de principio. Connexio autem importat unitatem aliquorum duorum. Unde appropriatur Spiritui sancto, in quantum est a duobus. Ex quo sensu etiam intelligi potest, quod dicit Augustinus *, tria esse unum propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum sanctum. Manifestum est enim, quod illi attribuitur unumquodque, in quo primo invenitur : sicut omnia inferiora dicuntur vivere propter animam vegetabilem, in qua primo invenitur ratio vitæ in istis inferioribus. Unitas autem statim invenitur in persona Patris, etiam per impossibile remotis aliis personis. Et ideo aliæ personæ a Patre habent unitatem. Sed remotis aliis personis non invenitur æqualitas in Patre : sed statim posito Filio invenitur æqualitas, et ideo dicuntur omnia æqualia propter Filium : non quod Filius sit principium æqualitatis Patri ; sed quia, nisi esset Patri æqualis Filius, Pater æqualis Filius, Pater æqualis non posset dici : æqualitas enim ejus primo consideratur ad Filium. Hoc enim ipsum, quod Spiritus sanctus Patri æqualis est, a Filio habet. Similiter excluso Spiritu sancto, qui est duorum nexus, non posset intelligi unitas connexionis inter Patrem et Filium. Et ideo dicuntur omnia esse connexa propter Spiritum sanctum. Quia posito Spiritu sancto, invenitur ratio connexionis in divinis personis. Unde Pater et Filius possunt dici connexi.

* Lib. 1 de doctr. Christian. c. 5 tom. 3. * Lib. 1 de Doct. Christian. c. 5 in fine tom. 8.

Secundum vero tertiam considerationem, quia in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum, dicitur sumi tertia appropriatio, scilicet, potentiæ, sapientiæ, et bonitatis. Quæ quidem appropriatio fit, et secundum rationem similitudinis, si consideretur, quod in divinis personis est ; et secundum rationem dissimilitudinis, si consideretur, quod in creaturis est. Potentia enim habet similitudinem cum Patre cœlesti, qui est principium totius Divinitatis. Deficit autem interdum patri terreno propter senectutem. Sapientia vero similitudinem habet cum Filio cœlesti ; in quantum est Verbum, quod nihil aliud est, quam conceptus sapientiæ. Deficit autem interdum filio terreno, propter temporis paucitatem. Bonitas autem, cum sit ratio, et objectum amoris, habet similitudinem cum spiritu divino, qui est amor. Sed repugnantiam habere videtur ad spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quamdam, et impulsionem : prout dicitur Isaias 26 : Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem. Virtus autem appropriatur Filio, et Spiritui sancto, non secundum quod virtus dicitur ipsa potentia rei, sed secundum quod interdum virtus dicitur id, quod a potentia rei procedit : prout dicimus, aliquod virtuosum factum esse virtutem alicujus agentis.

Secundum vero quartam considerationem, prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio, ex quo, per quem, et in quo. Hæc enim præpositio, ex, importat habitudinem quamdam causæ materialis, quæ locum non habet in divinis. Aliquando vero habitudinem causæ efficientis : quæ quidem competit Deo ratione suæ potentiæ activæ. Unde et appropriatur Patri, sicut et potentia. Hæc vero præpositio, per, designat quidem quandoque causam mediam : sicut dicimus, quod faber operatur per martellum. Et sic hoc, per, quandoque non est appropriatum, sed proprium Filii, secundum illud Joannis 1 : Omnia per ipsum facta

sunt : non quia Filius sit instrumentum: sed quia ipse est principium de principio Quandoque vero designat habitudinem formæ, per quam agens operatur : sicut dicimus, quod artifex operatur per artem. Unde sicut sapientia, et ars appropriantur Filio : ita et ly, per quem. Hæc vero præpositio, in, denotat proprie habitudinem continentis. Continet autem Deus res dupliciter. Uno modo secundum suas similitudines : prout, scilicet, res dicuntur esse in Deo, in quantum sunt in ejus scientia : et sic hoc quod dico, in ipso, esset appropriatum Filio. Alio vero modo continentur res a Deo, in quantum Deus sua bonitate eas conservat, et gubernat, ad finem convenientem adducendo : et sic ly, in quo appropriatur Spiritui sancto, sicut et bonitas Nec oportet. quod habitudo causæ finalis (quamvis sit prima causarum) approprietur Patri, qui est principium non de principio. Quia personæ divinæ, quarum Pater est principium, non procedunt, ut ad finem (cum quælibet illarum sit ultimus finis), sed naturali processione, quæ magis ad rationem naturalis potentiæ pertinere videtur.

Ad illud vero, quod de aliis quæritur, dicendum, quod cum veritas pertineat ad intellectum (ut supra dictum
* Q. 16 est *) appropriatur Filio : non tamen est proprium ejus.
art. 1. Quia veritas, ut supra dictum est, considerari potest, prout est in intellectu, vel prout est in re. Sicut igitur intellectus, et res essentialiter sumpta, sunt essentialia, et non personalia, ita et veritas. Diffinitio autem Augustini inducta datur de veritate, secundum quod appropriatur Filio. Liber autem vitæ in recto quidem importat notitiam, sed in obliquo vitam. Est enim, ut supra dic-
* Q. 24 tum est *, notitia Dei de iis, qui habituri sunt vitam
art. 1. æternam. Unde appropriatur Filio, licet vita approprietur Spiritui sancto, in quantum importat quemdam interiorem motum : et sic convenit cum proprio Spiritus sancti, in quantum est amor. Esse autem scriptum ab alio, non est de ratione libri, in quantum est liber; sed in quantum est quoddam artificiatum. Unde non importat originem, neque est personale; sed appropriatur personæ. Ipsum autem nomen, qui est, appropriatur personæ Filii; non secundum propriam rationem, sed ratione adjuncti : in quantum, scilicet, in locutione Dei ad Moysen præfigurabatur liberatio humani generis, quæ facta est per Filium. Sed tamen secundum quod ly, qui, sumitur relative, posset referri interdum ad personam Filii : et sic sumeretur personaliter : ut puta, si dicatur, Filius est genitus, qui est : sicut et Deus genitus personale est; sed infinite sumptum est essentiale. Et licet hoc pronomen, iste, grammatice loquendo, ad aliquam certam personam videatur pertinere : tamen quælibet res demonstrabilis grammatice loquendo persona dici potest; licet secundum rei naturam non sit persona. Dicimus enim, iste lapis, et iste asinus. Unde et grammatice loquendo essentia divina, secundum quod significatur, et supponitur per hoc nomen, Deus, potest demonstrari hoc pronomine, iste, secundum illud Exodi 15 : Iste Deus meus, et glorificabo eum.

Prima conclusio : Secundum considerationem, qua Deus secundum suum esse absolute consideratur, æternitas appropriatur Patri, species Filio, usus Spiritui sancto.

Secunda conclusio : Secundum considerationem, qua Deus ut unus consideratur, unitas appropriatur Patri, æqualitas Filio, concordia, seu connexio Spiritui sancto.

Tertia conclusio : Secundum considerationem, qua Deus, ut habens virtutem sufficientem ad operandum, concipitur, potentia appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto.

Quarta conclusio : Secundum considerationem, qua Deus in habitudine, aut quasi habitudine ad suos effectus intelligitur, appropriatur Patri, quod sit id, ex quo omnia; Filio, quod sit, per quem : et Spiritui sancto, quod sit id, in quo.

Circa hos duos articulos animadvertendum est, quod appropriari aliquid alicui personæ, dicit, quod attributum commune omnibus personis accommodetur alicui specialiter, ob peculiarem aliquam rationem. Et ita cuncta, quæ a sanctis Patribus appropriantur uni ex divinis personis, competunt essentialiter, omnibus. Unde, dum Augustinus 6 de Trinitate c. 10 hujusmodi appropriata nuncupat propria personarum : et Magister in 1 dist. 31 inquit, ea esse personarum proprietates : non ideo sic loquuntur, quia existiment, illa non esse communia omnibus personis, sed quia, quatenus sic appropriantur alicui personæ, habent quasi propria illius reddi.

Augus[tinus]. Magister.

Nec necesse erit circa hos articulos aliquam aliam animadversionem adducere. Qnoniam quæ in eis D. Thomas tradit, sunt adeo perspicue et ordinate tradita, ut non tam animadversione, quam lectione eorumdem indigeant, ut bene Cajetanus asseruit.

Cajetanus.

QUÆSTIO XL

De personis in comparatione ad relationes, sive proprietates.

PROOEMIUM

Deinde quæritur de personis in comparatione ad relationes, sive proprietates.

ARTICULUS I.

Utrum relatio sit idem quod persona?

1 dist. 2 q. 2 art. 1 et dist. 33 art. 2. et opus 3 c. 18, 66 et 67

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in divinis non sit idem relatio quod persona. Quæcumque enim sunt idem, multiplicato uno eorum, multiplicatur et aliud. Sed contingit, in una persona esse plures relationes, sicut in persona Patris est Paternitas et communis spiratio : et iterum unam relationem in duabus personis esse, sicut communis spiratio est in Patre et Filio. Ergo relatio non est idem quod persona.

2. Præterea, nihil est in se ipso secundum Philosophum in 4 Physicorum *. Sed relatio est in persona. Nec potest dici, quod ratione identitatis. Quia sic esset etiam in essentia. Ergo relatio, sive proprietas et persona non sunt idem in divinis.

[* Lib. 4 Physic. text. 24 et sub-seq. tomo 2.]

3. Præterea, quæcumque sunt idem, ita se habent, quod quidquid prædicatur de uno, prædicatur et de alio. Non autem quidquid prædicatur de persona, prædicatur de proprietate. Dicimus enim, quod Pater generat : sed non dicimus, quod Paternitas sit generans. Ergo proprietas non est idem, quod persona in divinis.

Sed contra. In divinis non differunt, quod est et quo est, ut habetur a Boetio * in lib. de Hebdom. Sed Pater Paternitate est Pater. Ergo Pater idem est quod Paternitas : et eadem ratione aliæ proprietates idem sunt cum personis.

[* Titulus lib. est. An omne, quod est, bonum sit, post medium illius.]

Respondeo dicendum, quod circa hoc aliqui diversimode opinati sunt. Quidam enim dixerunt, proprietates neque esse personas, neque in personis. Qui fuerunt moti ex modo significandi relationum, quæ quidem non significant ut in aliquo, sed magis ut ad aliquid. Unde dixerunt, relationes esse assistentes, sicut supra expositum est *. Sed quia relatio, secundum quod est quædam res in divinis, est ipsa essentia : essentia autem idem est quod persona (ut ex dictis patet *) oportet, quod tunc relatio sit idem quod persona. Hanc igitur identitatem alii considerantes dixerunt, proprietates quidem esse personas ; non autem in personis : quia non ponebant proprietates in divinis, nisi secundum modum loquendi, ut supra dictum est *. Necesse est autem ponere proprietates in divinis, ut supra ostendimus * : quæ quidem significantur in abstracto ut quædam formæ personarum. Unde cum de ratione formæ sit, quod sit in eo, cujus est forma, oportet dicere, proprietates esse in personis : et eas tamen esse personas : sicut essentiam esse in Deo dicimus, quæ tamen est Deus.

[* Q. 28 art. 2. * Q. præc. art. 2. * Q. 32 art. 2. * Loco nunc citato.]

Ad primum ergo dicendum, quod persona et proprietas sunt idem in re : differunt tamen secundum rationem. Unde non oportet, quod multiplicato uno, multiplicetur reliquum. Considerandum tamen est, quod propter divinam simplicitatem consideratur duplex realis identitas in divinis eorum, quæ differunt in rebus creatis. Quia enim divina simplicitas excludit compositionem formæ et materiæ, sequitur, quod in divinis idem est abstractum et concretum, ut Deitas et Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subjecti et accidentis, sequitur quod quidquid attribuitur Deo, est ejus essentia : et propter hoc sapientia et virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secundum hanc duplicem rationem identitatis, proprietas in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto : sunt enim ipsæ personæ subsistentes, ut Paternitas est ipse Pater et Filiatio Filius et Processio Spiritus sanctus. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis secundum aliam rationem identitatis, qua illud, quod attribuitur Deo, est ejus essentia. Sic igitur communis spiratio est idem cum persona Patris et cum persona Filii : non quod sit una persona per se subsistens : sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas, ut supra dictum est *.

[* Q. 30 art. 2.]

Ad secundum dicendum, quod proprietates dicuntur esse in essentia per modum identitatis tantum : in personis autem dicuntur esse per modum identitatis : non quidem secundum rem tantum, sed quantum ad modum significandi, sicut forma in supposito. Et ideo proprietates determinant et distinguunt personas, non autem essentiam.

Ad tertium dicendum, quod participia et verba notionalia significant actus notionales. Actus autem suppositorum sunt. Proprietates autem non significantur ut supposita, sed ut formæ suppositorum. Et ideo modus significandi repugnat, ut participia et verba notionalia de proprietatibus prædicentur.

Prima conclusio : Relatio est, idem secundum rem quod persona.

Secunda conclusio : Relatio differt a persona, sicut abstractum a concreto et sicut forma ab eo, cujus est forma.

Tertia conclusio : Relationes sunt in personis, sicut forma est in eo, cujus est forma.

Circa titulum animadvertendum est, nomine *relationis* non intelligi omnes relationes reales, de quibus supra q. 28 diximus, esse in Deo, sed tantum tres relationes personales, quæ sunt proprietates constitutivæ divinarum personarum, nempe, Paternitas, Filiatio et spiratio passiva. Et ideo Angelicus Præceptor in corpore articuli nuncupat eas absolute proprietates ; quamvis nos in conclusionibus, claritatis gratia, ad eas denotandas usi fuerimus nomine *relationis*. Conferuntur autem in titulo prædictæ relationes, non quidem cum personis, quas respiciunt tanquam terminos et cum quibus opponuntur, quoniam respectu istarum, satis constat, non dici proprietates et distingui realiter : sed ad personas, quas referunt et denominant, ac constituunt, ut Paternitas ad Patrem et Filiatio ad Filium : et eodem modo habent comparari prædictæ relationes in conclusionibus. 1.

Circa primam conclusionem et errorem Porretani, quem in ea Angelicus Præceptor impugnat, inspicienda sunt illa, quæ supra q. 28 art. 2 asseruimus.

Circa secundam conclusionem animadvertendum est, intelligendam esse de distinctione rationis. Tum, quia saltem hæc distinctio debet intervenire inter abstractum et concretum et inter formam et id, cujus est forma. Tum etiam, quia supponitur prima conclusio, in qua dicitur, relationem et personam non distingui inter se realiter. Tum denique, quia D. Thomas fatetur expresse hoc ipsum. Utrum autem hæc distinctio sit solum ex parte nostri modi concipiendi et significandi, an vero rationis ratiocinatæ et cum fundamento in re, ac proinde præsupponens distinctionem, non quidem realem actualem, sed realem virtualem et fundamentalem, satis constat ex illis, quæ supra q. 29 asseruimus. 2.

ARTICULUS II.

Utrum personæ distinguantur per relationes.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod personæ non distinguantur per relationes. Simplicia enim se ipsis distinguuntur. Sed personæ sunt maxime simplices. Ergo distinguuntur se ipsis et non relationibus.

[1 Dist. 26 q. 2 art. et pot. q. 8 art. 3 et q. 9 art. 5 ad 18.]

2. Præterea, nulla forma distinguitur, nisi secundum suum genus. Non enim album a nigro distinguitur, nisi secundum qualitatem. Sed hypostasis significat individuum in genere substantiæ. Non ergo relationibus hypostases distingui possunt.

3. Præterea, absolutum est prius, quam relativum. Sed prima distinctio est distinctio divinarum personarum. Ergo divinæ personæ non distinguuntur relationibus.

4. Præterea, id, quod præsupponit distinctionem, non potest

potest esse primum distinctionis principium. Sed relatio præsupponit distinctionem : cum in ejus diffinitione ponatur : esse enim relativi est ad aliud se habere. Ergo primum principium distinctivum in divinis non potest esse relatio.

* Boëtius, de Trinit. non procul a fine lib.

Sed contra est, quod Boetius dicit in lib. de Trinitate * quod sola relatio multiplicat Trinitatem divinarum personarum.

Respondeo, dicendum quod in quibuscumque pluribus invenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid distinctivum. Unde cum tres personæ conveniant secundum essentiæ unitatem, necesse est quærere aliquid, quo distinguantur, ad hoc quod plures sint. Inveniuntur autem in divinis personis duo, secundum quæ differunt, scilicet origo et relatio : quæ quidem quamvis re non differant, differunt tamen secundum modum significandi. Nam origo significatur per modum actus, ut generatio : relatio vero per modum formæ, ut Paternitas. Quidam igitur attendentes, quod relatio consequitur actum, dixerunt, quod hypostases in divinis distinguuntur per originem : ut dicamus, quod Pater distinguitur a Filio, in quantum ille generat et hic est genitus. Relationes autem, sive proprietates manifestant consequenter hypostasum, sive personarum distinctiones : sicut et in creaturis proprietates manifestant distinctiones individuorum, quæ fiunt per materialia principia. Sed hoc non potest stare, propter duo. Primo quidem. Quia ad hoc, quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est, eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique : sicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam. Origo autem alicujus rei non significatur, ut aliquid intrinsecum; sed ut via quædam a re, vel ad rem : sicut generatio significatur, ut via quædam ad rem genitam et ut progrediens a generante. Unde non potest esse, quod res genita et generans distinguantur sola generatione; sed oportet intelligere, tam in generante, quam in genito ea, quibus ab invicem distinguuntur. In persona autem divina non est aliud intelligere, nisi essentiam et relationem, sive proprietatem. Unde, cum in essentia conveniant, relinquitur, quod per relationes personæ ab invicem distinguantur. Secundo. Quia distinctio in divinis personis non est sic intelligenda, quasi aliquid commune dividatur : quia essentia communis remanet indivisa; sed oportet, quod ipsa distinguentia constituant res distinctas. Sic autem relationes, vel proprietates distinguunt vel constituunt hypostases, vel personas, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes : sicut Paternitas est Pater et Filiatio est Filius : eo quod in divinis non differunt abstractum et concretum. Sed contra rationem originis est, quod constituat hypostasim, vel personam. Quia origo active significata significatur, ut progrediens a persona subsistente : unde præsupponit eam. Origo autem passive significata (ut nativitas) significatur, ut via ad personam subsistentem et nondum ut eam constituens. Unde melius dicitur, quod personæ, seu hypostases distinguantur relationibus, quam per originem. Licet enim distinguantur utroque modo : tamen prius et principalius per relationes secundum modum intelligendi. Unde hoc nomen, Pater, non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim. Sed hoc nomen, genitor, vel generans, significat tantum proprietatem. Quia hoc nomen, Pater, significat relationem, quæ est distinctiva et constitutiva hypostasis. Hoc autem nomen, generans, vel genitus, significat originem, quæ non est distinctiva et constitutiva hypostasis.

Ad primum ergo dicendum, quod personæ sunt ipsæ relationes subsistentes. Unde non repugnat simplicitati divinarum personarum, quod relationibus distinguantur.

Ad secundum dicendum, quod personæ divinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solum secundum id, quod ad aliquid dicuntur. Unde ad earum distinctionem sufficit relatio.

Ad tertium dicendum, quod quanto distinctio prior est, tanto propinquior est unitati. Et ideo debet esse minima. Et ideo distinctio personarum non debet esse nisi per id, quod minimum distinguit, scilicet per relationem.

Ad quartum dicendum, quod relatio præsupponit distinctionem suppositorum, quando est accidens. Sed si relatio sit subsistens, non præsupponit, sed secum fert distinctionem. Cum enim dicitur, quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly, aliud, intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura.

Conclusio : Licet personæ distinguantur relationibus et originibus : tamen prius et principalius distinguuntur relationibus secundum nostrum modum intelligendi.

DISPUTATIO XVIII.

De constitutivo et distinctivo divinarum personarum?

1. Quia D. Thomas in his articulis, et præcipue articulo 2 agit de proprietate constitutiva, et distinctiva divinarum personarum : idcirco ad hujus discussionem præsentem disputationem excitamus.

DUBIUM I.

Utrum in divinis personis sint aliquæ proprietates, quibus constituantur, et distinguantur?

Quia quæstio *an est* ad quæstionem *quid est* præsupponitur : ideo merito, antequam sciscitemur, quænam sint proprietates constitutivæ, et distinctivæ divinarum personarum, inquirimus, an in illis sint aliquæ proprietates, quibus constituantur, et distinguantur.

§ I.

Vera et communis sententia.

Dicendum ergo est, concedendas esse proprietates in divinis personis, quibus constituantur, et distinguantur. Assertio hæc est adeo certa, ut oppositum, dicant, esse temerarium, Molina in præsenti § *Non dubito*, Suarez lib. 7 de Trinitate cap. 3, Vasquez disput. 158 cap. 2; imo Torres credit, id esse errorem. Unde in decretis Hormisdæ Papæ ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum dicitur : *Proprietatem tamen suam scimus in esse personis.* Et inferius : *Personas proprietatibus designantes.* Et in VI Synodo generali, quæ est Constantinopolitana III sub Agathone, Actione 11. in Epistola Sophronii dicitur, quod *Spiritus sanctus non est Pater propter alterificas trium proprietates.* Et post pauca : *Sicut ergo esse Deum, unaquæque inconvertibiliter possidet, ita et proprietatem, per quam ipsa persona figuratur, immutabilem, et immobilem obtinet, quæ eidem soli est infinita, et ab ipsis aliis personis eam discernit.* Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III asseritur : *Sancta Trinitas secundum personales proprietates est discreta.* Et

2. Conclusio. Molina. Suarez. Vasquez. Torres. Hormisdas Papa. Concil. gener. VI.

Conc. Lateran.

Conc. Flor. Et in Concilio Florentino Sessione 8. § *Divina substantia*, Joannes Theologus ex Latinis sic ait : *Nam persona ex substantia, proprietatibusque consistit.* Et Sessione 19 dicitur : *Per suas proprietates re ipsa differunt personæ.* Constat autem, idem esse (modo tamen supra dicto) distinctivum, et constitutivum. Et ita, si dantur in divinis personis proprietates, quibus distinguuntur, etiam dabuntur in illis proprietates, quibus habeant constitui. Et tandem hoc ipsum docuit Concilium Tolet. XI in confessione fidei, ubi sic dicitur : *Est tamen unicuique personæ sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine nativitate Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus sanctus processionem sine nativitate.* Conc. Tolet. XI.

3. Præpositiv. Thom. Nec obest, si ad hæc, et similia cum Præpositivo (quem refert D. Thomas supra q 32 art. 2) occurras, quod in his testimoniis accipitur abstractum pro concreto, idest, proprietas pro persona, ut cum dicimus, *Rogo sanctitatem, aut benignitatem tuam* : nam tunc abstracta ista sumuntur pro suis concretis : et ita sensus est, *Rogo te sanctum aut te benignum.* Et ideo sensus horum testimoniorum tantum est, personas se ipsis distingui.

Non itaque hoc obest. Tum, quia etsi aliquoties soleat in Scriptura, et apud Patres sumi abstractum pro concreto, non tamen quando fit sermo de abstracto, ut aliquo modo distincto a suo concreto, ut ex terminis ipsis constare videtur : alioqui, sicut unum sumeretur pro alio, non fieret sermo de illis, ut quodammodo inter se distinguuntur. At in prædictis testimoniis expresse fit sermo de proprietatibus, ut aliquo modo distinctis a personis, ut cum dicitur, proprietates inesse personis, eis figurari, a personis obtineri; et personas eisdem proprietatibus distingui, et discerni.

Tum etiam. Quoniam Concilia non solum dicunt personas habere proprietates, quibus distinguantur; sed etiam unam et eamdem naturam, in qua conveniunt, ut patet ex epistola citata Sophronii ad Sergium, ubi dicitur : *Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse tres personas, et unum Deum* : et statim additur : *Hoc quidem, propter naturam, et identitatem substantiæ : illud vero, propter alterificas horum trium proprietates.* Si autem personæ se ipsis distinguerentur, ita ut nihil esset in eis assignabile, cui potius quam alteri tribueretur hoc, quod est, esse principium distinctionis, non esset cur magis Concilia tribuerent proprietatibus, quam naturæ, esse principium distinguendi.

Ex quo etiam fit, nihil referri id, quod ex Gregorio, loco infra referendo, posset responderi testimoniis allatis, nempe, intelligenda esse per constructionem intransitivam : ac proinde non esse sensum, quod personæ constituantur, et distinguantur proprietatibus; sed quod constituantur se ipsis, quæ sunt ipsæ proprietates. 4. Gregor.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Tum, quia verba illa, in quibus dicuntur proprietates inesse personis, et personas proprietatibus figurari, nequeunt hanc Gregorii interpretationem admittere. Non enim potest dici, quod persona, quæ est proprietas, inest sibi ipsi; vel quod se ipsam figurat, aut quod a se ipsa obtinetur, et possidetur. Adde, quod hæc interpretatio est contra communem intelligentiam omnium Theologorum, qui verba Concilii intelligunt, ut jacent, et non per constructionem intransitivam.

§ II.

Ratio duplex D. Thomæ pro vera sententia.

Prima autem, et fundamentalis ratio hujus assertionis adducitur a D. Thoma in hoc articulo, potestque ad hanc brevem formam reduci. Quoniam unumquodque debet constitui, et distingui per suam formam, aut quasi formam : ergo etiam in personis divinis assignandæ sunt suæ formæ, aut quasi formæ, quibus constituantur, et distinguantur : ergo cum hæ nihil aliud sint, quam proprietas personalis uniuscujusque, oportebit, dari in illis prædictas proprietates personales, quibus habeant constitui, et distingui. 5. Prior ratio. D.Thom.

Deinde eadem assertio probatur ratione alia desumpta ex eodem Angelico Præceptore articulo 2 hujus quæstionis, et supra quæst. 32 art. 2. Nam quoties aliqua conveniunt, et simul inter se distinguuntur, debemus assignare aliquam rationem, in qua conveniant, et aliam, in qua, et per quam distinguantur, ut inductione facta in omnibus rebus cernitur : sed personæ divinæ conveniunt inter se, et simul distinguuntur : ergo debet assignari in eis aliqua ratio in qua habeant convenire, et alia, in qua, et per quam distinguantur : ergo cum tantum sit in illis essentia, et aliæ rationes, Secunda ratio. D.Thom.

in quibus conveniunt, et insuper proprietas personalis (si quæ enim sunt alia, in quibus distinguuntur, hæc sunt posteriora, quam prædictæ proprietates) oportebit, ut conveniant in illis prioribus rationibus, et distinguantur in proprietate, et per ipsam proprietatem : ac proinde ab eademmet in *esse* propriæ personæ constituentur : sicque dabuntur in illis proprietates personales, quibus habeant constitui, et distingui in suo *esse* personali.

6. Effugium. Præpositiv. Gregor. Nec obest, si occurras ex doctrina Præpositivi, et Gregorii ad utramque rationem. Ad primam quidem, antecedens illius ad summum esse verum in iis, quæ non sunt summe, seu infinite simplicia, non vero in illis, quæ summe simplicia fuerint, quales sunt personæ divinæ : quià istæ ratione summæ simplicitatis suæ non habent formas, quibus constituantur, et distinguantur. Ad secundam vero, majorem illius solum etiam esse veram in iis, quæ sunt composita compositione, saltem Metaphysica, non vero in illis, quæ propter summam simplicitatem carent prædicta compositione. Nam ista se ipsis distinguuntur, et non est in eis assignare aliquid, quo habeant constitui.

Præcluditur primo. Non itaque hæc obsunt. Primo quidem. Nam etsi constitutio realis ex pluribus realiter distinctis, et per veram ac realem compositionem deroget infinitæ simplicitati : non tamen constitutio absque prædicta compositione, quæ est, vel per simplicitatem omnimodam, vel ex pluribus rationibus virtualiter tantum per distinctionem includentis, et inclusi distinctis : at constitutio, quæ est in divinis pérsonis, non est constitutio per compositionem realem, sed vel per simplicitatem omnimodam, vel ex pluribus rationibus virtualiter solummodo per distinctionem includentis, et inclusi distinctis : ergo quod prædicta constitutio in divinis personis admittatur, ac proinde dentur in illis suæ quasi formæ hoc modo constitutivæ, et distinctivæ earumdem, non derogabit infinitæ simplicitati ipsarum.

7. Major videtur perspicua. Nam constitutio per omnimodam simplicitatem, satis ex terminis ipsis constat, quomodo non deroget summæ simplicitati : sicut etiam perspicuum est, non obesse eidem summæ simplicitati, quod in re illa, quæ dicitur summe simplex, dentur plures formalitates virtualiter (modo dicto) diversæ, per quas constituatur. Ex eo quod non est contra rationem infinitæ simplicitatis, quod sit eminentissima, æquivaleatque rebus pertinentibus ad distinctas lineas : ac proinde quod sint in ea plures formalitates, virtualiter tamen, et modo dicto distinctæ, ex quibus habeat constitui : ut constat in essentia divina, quæ, ut dicit se ipsam et attributa, est infinite simplex : et nihilominus, quia hæc infinita simplicitas est eminentissima, idcirco æquivalet pluribus rebus pertinentibus ad distinctas lineas, et eo ipso sunt in ea plures formalitates sic virtualiter distinctæ, ex quibus entitas illa simplicissima, prout omnia prædicta formaliter ambit, constituitur.

Minor autem etiam constat. Quoniam si loquamur de personis quoad id, quod in 8.
recto dicunt, idest, prout dicunt rationes incommunicabiliter subsistendi in natura divina, et id quod incommunicabiliter subsistit *ut quod* in illa, tunc hæc constitutio est per omnimodam simplicitatem : prout constitutio per omnimodam simplicitatem dicit, quod constituens, et constitutum non distinguantur, adhuc virtualiter; sed ipsa forma ponendo formaliter se ipsam, ponit suum concretum, quod absque aliqua distinctione cum fundamento in re, est ipsa forma constituens. Quia in Patre v. g. tam ratio subsistendi incommunicabiliter in essentia divina quam id, quod subsistit *ut quod* in illa, pertinet ad eamdem lineam relativam Paternitatis : sicut id, quod est ratio communicabiliter subsistendi in natura divina qualis est subsistentia absoluta, et id, quod subsistit hoc modo *ut quod* in illa, spectant ad eamdem lineam, et ideo non est ibidem distinctio virtualis. Si vero loquamur de constitutione adæquata divinarum personarum, prout nimirum persona, v. g. Patris, dicit etiam in obliquo divinam naturam, ac proinde dicit constitutum quoddam quasi coalescens ex divina natura, ut habet rationem naturæ, et ex Paternitate, ut est ratio specialis incommunicabiliter subsistendi in divina natura, et per omnimodam simplicitatem ponendo se ipsam, ponit etiam id, quod incommunicabiliter subsistit *ut quod* in eadem natura : tunc constitutio hæc est ex duabus rationibus virtualiter modo dicto distinctis, una quidem importata in recto, et alia in obliquo et ut obliquum intrinsecum : et id, quod ex utraque ratione veluti consurgit, explicatur hoc nomine complexo, nempe, persona Patris.

Deinde contra utramque solutionem 9.
etiam

Refellitur secundo. etiam obstat. Quod infinita simplicitas, quæ reperitur in persona Patris, non tollit, quominus Pater sit Pater, et Deus, ita ut non eo formalissime sit Deus, quo est Pater. Tum, quia hoc docent Augustinus 7 de Trinitate cap. 4 et Anselmus de Incarnatione cap. 3. (August. Anselm.) Tum etiam, quia alioqui sicut Pater intelligit formalissime per Deitatem, et ratione illius : ita etiam haberet intelligere formalissime per Paternitatem, et ratione ejusdem. Tum denique quia sicut eadem infinita simplicitas non tollit, quominus Pater spiret Spiritum sanctum formalissime loquendo per voluntatem, et non per intellectum; et quod generet per intellectum, non vero per voluntatem, atque adeo voluntas sit ei ratio volendi, non vero intelligendi : ita etiam prædicta simplicitas non obstabit, quominus Pater sit Deus Deitate, non vero Paternitate; e contra vero sit Pater Paternitate, non vero Deitate. Ergo non obstante prædicta simplicitate infinita, dabitur in persona Patris sua quasi forma, nempe Paternitas, per quam in suo *esse* personali constituatur, et distinguatur. Et ratio est eadem in omnibus istis. Quia (ut ex alibi dictis constat) ad hoc ut detur in aliquo sua quasi forma, per quam in aliqua ratione habeat constitui, et distingui, non desideratur realis distinctio, sed satis est, quod sit res eminens æquivalens formæ, et concreto illius, quæ in aliis rebus inferioribus realiter distinguuntur.

Confirmatur. Confirmatur tandem, et explicatur. Nam si attente inspiciatur secunda ratio assertionis, non satis enervatur ejus vis per id, quod in prædicta solutione adducitur. Quoniam non obstante summa simplicitate Patris, planum est illum non distingui secundum omnem rationem, quam in se habet, a Filio : ergo dabitur in ipso aliqua ratio, nempe Deitas, per quam cum eo conveniat; et alia per quam distinguatur ab ipso, scilicet Paternitas : ac proinde hæc eadem ratio erit constitutiva illius in ratione Patris.

§ III.

Opposita sententia, cum suis fundamentis, et solutionibus ad illa.

10. Opposita sententia Præpositivi. Oppositam tamen sententiam tenuit Præpositivus, qui (ut refert D. Thomas art. 2 hujus quæstionis) duo asserebat. Primum, non esse in divinis personis proprietates aliquas. Secundum vero, prædictas personas nullis proprietatibus constitui, aut distingui, sed se ipsis. Quam sententiam postea secutus est Gregorius in 1 distinc. 26 et 27 quæst. 1 art. 2. (Gregor.) Probatur primo. (Probatur I.) Quoniam tam simplex est persona, sicut essentia : ergo sicut essentia propter suam simplicitatem non admittit aliquam constitutionem ex aliquibus extremis, sic nec debet admittere eam persona.

Respondetur. Respondetur, personam esse ita simplicem sicut essentiam, quoad hoc, quod est, non constitui ex extremis realiter, aut ex natura rei distinctis, non tamen dicit ex omni capite tantam simplicitatem, sicut essentia. Quia dicit duas rationes virtualiter distinctas, quarum unam affert in recto, nempe personalitatem, et aliam in obliquo, nempe naturam : quas tamen essentia cum præcisione sumpta non dicit : et ideo in persona optime potest esse illa constitutio ex duabus prædictis rationibus.

Adde, quod sicut Deus, et Deitas solum distinguuntur ex parte nostri modi concipiendi : et nihilominus in Deo est sua Deitas, per quam constituitur, quia hæc constitutio est per simplicitatem : ita licet persona divina non constitueretur (modo dicto) ex duobus extremis virtualiter distinctis, posset in ea esse constitutio per simplicitatem talem, qualis reperitur in constitutione Dei per suam Deitatem. Sicut etiam de facto eadem persona, v. g. Pater, attendendo ad id quod dicit in recto, constituitur per omnimodam simplicitatem sua Paternitate : quia secundum illud, quod affert in recto, non distinguuntur Pater, et Paternitas, nisi tantum ex parte nostri modi concipiendi.

Secundo probatur eadem sententia. Quia si persona constituitur ex essentia, et proprietate, tunc essentia comparabitur per modum partis respectu hujus constitutionis, et persona erit totum respectu ejusdem essentiæ : hoc autem dici nequit; ergo, etc. Major videtur perspicua. Quoniam id, quod ingreditur ad constitutionem alicujus, comparatur per modum partis respectu illius. Minor autem etiam constat. Quia ratio partis dicit imperfectionem. 11. Secundum fundamentum.

Confirmatur. Nam quoties duo constituunt aliquod tertium, tunc unum eorum habet rationem actus, et alterum rationem potentiæ : in divinis autem nihil potentiale admitti potest : ergo, etc. Confirmatio

Respondetur negando majorem. Et ad probationem dicendum est, proprietatem Dissolvitur fundamentum cum confirm.

personalem in divinis includere per modum transcendentis divinam essentiam; et similiter divina essentia continet radicaliter, et eminenter personalitatem. Cum autem extrema sic comparantur, tunc nullum eorum habet rationem partis, sed puram rationem extremorum constituentium, liberam ab imperfectione partis, et potentialitatis. Per quod etiam ad confirmationem patet.

12. Tertium. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam in divinis personis nequeunt esse aliquæ proprietates, quibus constituantur constitutione reali, aut constitutione rationis : ergo non dabuntur in ipsis proprietates constitutivæ et distinctivæ earumdem. Consequentia est perspicua. Siquidem si istæ darentur in prædictis personis, constituerent illas aliqua ex his constitutionibus.

Antecedens quoad constitutionem realem probatur. Tum quia inter constitutivum, et constitutum constitutione reali debet esse realis distinctio. Et propterea constitutio hominis ex animalitate, et rationalitate non est realis, sed rationis, quia etsi extrema, nempe animalitas, et rationalitas, sint realia; non tamen distinguuntur realiter, sed secundum rationem. Constat autem, extrema, nempe essentiam, et Paternitatem, ex quibus constitui posset persona Patris, non distingui inter se realiter. Tum etiam, quia constitutio alicujus requirit adunationem multorum in uno constituto : ergo ubi illa solummodo per rationem fuerint plura, qualiter in præsenti contingit, ibidem adunatio ac proinde constitutio non erit secundum rem, sed solum secundum rationem.

Quoad secundam vero partem idem antecedens probatur. Quoniam constitutio secundum rationem, ex qua colligatur, dari in constituto aliquam rationem, per quam constituatur secundum rationem, exigit, ut extrema illius constitutionis, saltem secundum rationem, se ad invicem excludant, ut patet in constitutione hominis secundum rationem ex animalitate, et rationalitate : alioqui committeretur ibidem nugatio : siquidem idem extremum bis ingrederetur ad constitutionem illius constituti, semel quidem secundum se, semel autem ut inclusum in altero extremo. Ergo cum essentia divina, quæ poterat esse alterum extremum hujus constitutionis, imbibatur in Paternitate v. g. quæ esset aliud extremum ejusdem constitutionis, fiet inde, ut nequeant constituere constitutione, adhuc secundum rationem, personam Patris.

Respondetur, constitutionem hanc esse realem actualem per omnimodam simplicitatem, si loquamur præcise de eo, quod persona Patris in recto affert, prout est ratio subsistendi incommunicabiliter in natura divina, et simul est id, quod subsistit *ut quod* in eadem natura : quia (ut jam diximus) ad hujusmodi constitutionem per omnimodam simplicitatem non desideratur aliqua distinctio actualis, vel virtualis inter constituens et constitutum; sed quod ratio constituens sit ita ampla et universalis, ut ponendo seipsam, ponat et suum concretum, ut in Deitate collata cum *hoc Deo*, prout præintelligitur personis, cernitur. 13. Evertitur.

Et deinde dicimus, prædictam constitutionem adæquate sumptam esse realem virtualem : quia extrema, nempe divina natura, ut habet rationem naturæ et Paternitas distinguuntur realiter virtualiter, licet non realiter actualiter. Et ita loquendo de adæquata constitutione, est ibidem constitutio per simplicitatem omnimodam, prout simplicitas omnimoda tollit compositionem realem, vel virtualem, quæ aliquid potentialitatis includat; non vero erit per simplicitatem omnimodam, prout simplicitas hæc excludit omnem distinctionem virtualem inter constitutum, et constitutivum. Ac tandem addimus, prædictam constitutionem adæquatam esse etiam secundum rationem, si loquamur de constitutione actuali : ei tamen aliquid reale ex parte uniuscujusque ex extremis correspondere.

Et ad primam probationem pro prima parte antecedentis respondetur ex dictis, ad constitutionem realem actualem per omnimodam simplicitatem, qualis est v. g. inter Deum et Deitatem, non esse necessariam aliquam distinctionem inter constituens, et constitutum, quæ sit realis actualis. Sicut etiam ad constitutionem realem virtualem solum desideratur, extrema esse realiter virtualiter distincta, ut in præsenti, loquendo de constitutione adæquata divinæ personæ, et in compositione Metaphysica cernitur. Per quod etiam ad secundam probationem patet. Quoniam constitutio realis per omnimodam simplicitatem non fit per adunationem multorum, ut explicatum est : et constitutio virtualis tantum exigit adunationem 14.

nationem plurium virtualiter tantummodo distinctorum.

Ad probationem vero ejusdem antecedentis quoad secundam ejus partem satis constat ex illis, quæ in hoc tractatu disp. 5 n. 115 diximus, quomodo licet personalitates divinæ includant divinam essentiam per modum transcendentis, nihilominus non ideo committitur vitiosa nugatio, ex eo quod bis includatur in divina persona essentia Dei : quia semel ingreditur ad constitutionem illius, ut habet rationem transcendentis; semel autem sub conceptu naturæ, secundum quam rationem distinguitur aliquo modo a se ipsa, ut habet rationem transcendentis, ut constat ex illis, quæ in 2 tomo tract. 4 disp. 7, n. 72 diximus.

15. ...atio ...rsionis. Ratio autem, ob quam essentia divina secundum utramque rationem debet ingredi ad constitutionem divinarum personarum, satis constat ex his, quæ in hoc tractatu disp. 5 num. citato adduximus, nempe, quod nec essentia divina haberet summam et infinitatem universalitatem et amplitudinem, nisi includeretur per modum transcendentis in omnibus personalitatibus divinis ; nec personæ divinæ essent formaliter Deus sub conceptu Dei, nisi ultra inclusionem essentiæ divinæ, ut habet rationem transcendentis, includerent eamdem essentiam, et constituerentur ex illa, ut dicit naturam Dei sub conceptu naturæ, quamvis non constituantur ex illa, tanquam ex aliquo in recto, sed tanquam ex aliquo intrinseco, in obliquo tamen importato.

16. ...plica. Nec obstat, si urgeas, quod si hæc constitutio adæquata personæ non est realis actualis, sed virtualis tantummodo, non poterit absolute verificari, quod persona divina constituitur in *esse* personæ per suam proprietatem personalem, aut in *esse* Dei per Deitatem : sicut quia distinctio, quæ est inter personalitatem, et naturam divinam, tantum est virtualis, ideo non potest absolute concedi, quod distinguuntur; sed cum addito, nimirum, quod distinguuntur virtualiter.

...esc...it. Respondetur enim, quod ad hoc, ut absolute concedatur, personas divinas constitui per suas proprietates, satis est, illas esse proprietates reales ; quamvis non sint realiter actualiter, sed solum virtualiter distinctæ. Sicut ad hoc, quod absolute concedatur, hominem constitui per rationalitatem, satis est, eam esse rationem differentialem realem ipsius, licet solum virtualiter sit ab eo distincta. Quia ex communi modo concipiendi Metaphysicorum, et Theologorum, nomine constitutivi alicujus entis realis absolute sumpti non intelligitur, quod tale constitutivum debeat esse realiter distinctum a suo constituto; sed sufficit, illud esse reale, et virtualiter distinctum : imo hæc distinctio virtualis non requiritur, ut patet in Deo constituto per suam Deitatem. E contra vero ad hoc, ut aliqua entia realia dicantur absolute distingui, solet desiderari, quod distinguantur realiter actualiter. Cujus nulla alia potest aptior reddi ratio, quam quod juxta communem concipiendi, et loquendi modum solet nomine prædictæ distinctionis absosolute et simpliciter sumptæ intelligi distinctio realis, sive ex natura rei.

DUBIUM II.

Utrum proprietates, quibus personæ divinæ constituuntur, et distinguuntur, sint absolutæ, vel relativæ?

Quia quodvis ens, quævisque proprietas debet esse, vel absoluta, vel relativa : ideo, ut explicare incipiamus, quænam sint proprietates, quibus personæ divinæ habent constitui, et distingui, primo loco inquirimus, an sint absolutæ, vel relativæ. 17.

§ I.

Ex Scriptura, et Patribus dubii nodus dissolvitur.

Dicendum ergo est, personas divinas non constitui, aut distingui proprietatibus aliquibus absolutis, sed relativis. Assertio hæc aperte desumitur ex Scriptura, quæ semper divinas personas nominibus relativis significat, ut Matthaei ultimo : *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti.* Et 1 Joannis ultimo : *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.* Assertio et ejus probatio ex Scriptura. Matth. ultimo. 1 Joannis ultimo.

Nec obest id, quod respondet Scotus, nempe, hinc solum haberi prædictas relationes esse in divinis personis : non tamen has constitui per illas. Ratio autem, ob quam divinæ personæ significantur in Scriptura nominibus relativis, non obstante, quod personæ non constituantur, nisi per proprietates absolutas, est : tum, quia melius cognoscimus distinctionem perso- 18. Evasio.

narum ex distinctis relationibus, quam ex proprietatibus absolutis : tum etiam, quia nominibus relativis non solum significatur realis distinctio earum, sed etiam ordo originis inter ipsas.

Exploditur primo. Non itaque hoc obest. Tum, quia Concilia, et Patres ex his testimoniis desumpserunt, quod personæ divinæ constituuntur, et distinguuntur relationibus : siquidem doctrinam hanc de constitutione personarum per proprietates relativas, quippe gravissimam, et adeo principaliter, et intrinsece ad mysterium Trinitatis spectantem, non ex proprio cerebro, nec sine fundamento gravissimo, quale sunt Scripturæ testimonia, tradidissent. Constat autem, non esse alia loca pro hac eadem doctrina apertiora, quam ea, quæ a nobis adducta sunt : ergo signum planum est, quod testimonia ista non solum denotant, in personis esse relationes, sed personas ipsas constitui, et distingui eisdem relationibus : quandoquidem prædicta testimonia debent habere eum sensum, quem Concilia, et Patres in eis intellexerunt : et per consequens non constituentur, et distinguentur proprietatibus absolutis : siquidem nequeunt habere duo constitutiva, et distinctiva ad distinctas lineas spectantia.

Secundo. Tum etiam. Quia Christus Dominus voluit tradere nobis explicitam notitiam Trinitatis, dum tradidit formam baptismi, cujus explicitam fidem professuri erant credentes, et accedentes ad baptismum : ergo cum usus fuerit nominibus relativis, et non absolutis, consequens erit, Trinitatem constitui, et distingui proprietatibus, non absolutis, sed relativis. Maxime, quia nulla videtur apparere ratio, propter quam Christus celaret proprietates absolutas divinarum personarum suæ Ecclesiæ, si vere per illas constitui, et distingui haberent.

Neque id, quod pro solutione adducit Scotus, ei favet. Quia nos ex creaturis melius cognosceremus proprietates divinarum personarum per nomina absoluta, si vere absolutæ essent : siquidem in creaturis personalitates, et personæ sunt quid absolutum. Sicut etiam si prædictæ proprietates essent absolutæ, tunc etiam processiones haberent, quod essent ex omni capite absolutæ, seu non relativæ *secundum esse*, ut in creaturis contingit : et ideo optime prædictæ processiones per nomina absoluta a nobis intelligerentur.

Eamdem etiam assertionem docet Concilium Toletanum XI (quod quidem tacita Pontificum et Theologorum authoritate esse munitum, vult Ruyz in præsenti disput. 87 sectione 2) in quo in confessione fidei cap. 1 sic habetur : *In relativis personarum nominibus Pater ad Filium et Filius ad Patrem, et Spiritus Sanctus ad utrosque refertur, quæ cum relative tres personæ dicantur, una tamen natura per substantiam creditur.* Et inferius : *In relatione personarum numerus cernitur.* Et post pauca : *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt : et in hoc numero carent, quod in se sunt.* In quibus verbis (ut constat) satis aperte dicitur, tum personas divinas esse relativas, atque adeo relationibus distingui, et constitui : tum etiam personas divinas esse quid in se, nempe, quoad absoluta, et esse ad invicem, nimirum quantum ad relationes : et easdem personas non habere inter se numerum, ac proinde nec distingui quoad absoluta, sed solum quoad relationes et ex consequenti has solummodo esse constitutivas, et distinctivas divinarum personarum. 19. Sradc ex Conciliis. Conc. Tolet. X Montoya.

Conc. Florentinum. Idem etiam habetur in Concilio Florentino Sessione 18 ubi Joannes Theologus in hæc verba prorupit : *Ipsa substantia cum personis communicat; proprietates vero nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur evenire.* Et paucis interpositis : *Ob id Pater et Filius sunt, quod Pater principium est, Filius autem ex principio. In quo quidem nequaquam communicant : cum cæteris in rebus inter se dubio procul communicent.* Et infra : *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores divina processione personas multiplicat.* Et non longe post : *Siquidem igitur relationes hujusmodi personas multiplicant, ita ut non ulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac una persona ab alia differant.* Et Sessione 19 idem Joannes de personis loquens sic ait : *Ita ut in nullo alio differant, nisi quod Pater est Pater et Filius est Filius.*

In quibus testimoniis satis aperte assertio nostra continetur. Et licet in verbis in eis contentis non habeatur Concilii diffinitio : nihilominus sunt magni habenda : ex eo quod fuerunt adducta, ut recepta communi consensu Doctorum Græcorum, et Latinorum, et ut talia videntur ab omnibus Patribus Concilii admissa.

Eamdem

20. Eamdem etiam Florentini Concilii approbationem continet Oratio pro unione, quæ habetur post illius finem, in cujus capite 6 Besarion Patriarcha, postquam præmisit realem identitatem relationis et originis, sic inquit : *Ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ personæ : prius tamen, et principaliter secundum modum intelligendi per relationes per quas etiam constituuntur divinæ personæ.* Et post pauca : *Utroque quidem modo distinguuntur divinæ personæ ; sed principalius relatione, sive proprietatibus.*

Unde in eodem Concilio Sessione ultima in litteris sanctæ unionis, in quibus habetur diffinitio Concilii, sic dicitur : *Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, etc.* In quibus verbis satis denotatur nostra assertio : quandoquidem certum est, proprietatem personalem Patris, per quam constituitur, et distinguitur a Filio, non esse ei communicatam. Cumque in hac diffinitione Concilii Florentini habeatur, omnia alia, præter esse Patrem, ac proinde præter Paternitatem, communicata esse Filio : consequens est, ut juxta Concilii diffinitionem idem formalissime sit relatio Paternitatis, ac proprietas constitutiva et distinctiva personæ Patris : atque adeo quod juxta prædicta Concilii verba persona Patris non constituatur, et distinguatur proprietate aliqua absoluta, sed solum relativa.

21. Roboratur a Patribus. Boetius. D. Thom.

Eamdem etiam assertionem docuerunt Patres, ut Boetius relatus a D. Thoma in argumento *Sed contra* art. 2 hujus quæst. his verbis : *Sed contra est, quod Boetius dicit in lib. de Trin. quod sola relatio multiplicat Trinitatem divinarum personarum.* Quod quidem fusioribus verbis explicat idem Boet. in prædicto lib. dicens : *Quoniam nulla relatio ad se ipsam referri potest : idcirco quod ea secundum se ipsum est prædicatio, quæ relatione caret, facta est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis : sed servata est substantiæ unitas in eo, quod est in differentia vel substantiæ, vel operationis, vel omnino ejus, quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola sigillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt.*

Anselm.

Anselm. de Incarnatione Verbi c. 3 ubi sic ait : *Non sic Pater et Filius sunt duæ res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Et paulo post medium ejusdem capitis : *Relatio nullatenus est, nisi secundum hoc, quod alii sunt ad invicem.* Et in Epist. de Processione Spiritus Sancti plurima dicit, ex quibus omnibus, et singulis plane infertur axioma, quod ex Anselmo circumfertur ab Scholasticis, nempe : *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio,* ut constat ex cap. 2, 3, 6, et aliis sequentibus, et cap. penult. ac ultimo, cujus verba refert Ruyz in suo tomo de Trinitate disputat. 9 sect. 5. Montoya.

Cyrillus N. Alexand. lib. 2 Thesauri cap. 3 : *Cum simplex natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inveniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem.* Et lib. 7 cap 1 : *Sola diversitate relationis, quæ diversis nominibus significatur, nec alia re ulla distinguuntur.* N. Cyrill. Alexand

Augustinus multis in locis, ut 5 de Trinit. c. 5 ubi inquit, solum secundum relationem Patrem esse alterum a Filio. Et 7 de Trinit. cap. ultimo explicans illa verba Christi, Joann. 10 : *Ego, et Pater unum sumus*, inquit : *Et unum dixit, et sumus. Unum secundum essentiam, quod idem Deus. Sumus secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius.* Et 9 de Trinitate cap. 1 : *Credamus, Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum esse unum Deum, universæ creaturæ conditorem, atque rectorem : nec Patrem esse Filium, neque Spiritum Sanctum vel Patrem esse, vel Filium, sed Trinitatem relatarum ad invicem personarum, et unitatem æqualis essentiæ.* 22.

Idem etiam docuerunt Ambrosius lib. 1 de Fide ad Gratianum cap. 1, Hieronymus in expositione Symboli ad Damasum, quæ habetur tomo 9 suorum operum, Athanasius Dialogo 1 de Sancta Trinitate, Basilius Epistola 37 ad Gregorium fratrem, et lib. 2 adversus Eunomium circa finem, Gregorius Nyssenus Epistola contra Apollinarem, Nazianzenus Oratione 5 de Theologia, quæ est 37 in ordine, Damascenus lib. 1 de Fide cap. 10; quorum omnium, vel fere omnium verba magna ex parte referunt Torres in 2 parte commentarii hujus articuli, Molina disput. 2 membro 1, Vasquez disput. 158 cap. 4, et Suarez lib. 7 de Trinitate cap. 5 num. 7. Ambros. Hieron. Athanas. Basilius. Nyssenus. Nazianz. Damasc. Torres. Molina. Vasquez. Suarez.

Et tandem D. Thomas in 1 dist. 26 quæst. 2 artic. 2 : *Et ideo dicimus, quod nihil aliud est principium distinctionis in divinis nisi relatio.* Et quæst. 8 de Poten- 23. D Thom.

tia art. 3 : *Sed quia fides Catholica ponit unam essentiam in tribus personis, non potest intelligi divina essentia, ut distinctiva, et constitutiva hypostasis in divinis. Divinitate enim intelligitur constitui Deus, quod est commune tribus personis : et ita significatur, ut dictum de pluribus et non ut hypostasis incommunicabilis. Et eadem ratione nihil, quod dicitur absolute de Deo, potest intelligi, ut distinctivum, et constitutivum hypostasis in personis : cum ea, quæ absolute dicuntur de Deo, significentur per modum essentiæ.* Et infra : *Sicut Paternitas, licet sit essentia divina, tamen non est communis, sicut essentia : ita Pater, licet sit id ipsum quod Deus, non tamen est commune, ut Deus, sed proprium. Pater ergo Deus, in quantum est Deus, est commune habens naturam divinam ; et in quantum est Pater, est proprium ab aliis distinctum. Unde est hypostasis, quæ significat subsistens in natura aliqua distincta ab aliis. Et per hunc modum Paternitas constituendo Patrem constituit hypostasim.*

Unde assertionem hanc communiter
Durand. tuentur Theologi, ex quibus Durandus in 1 distinct. 26 quæst. 1 putat esse adeo certam, ut sentiat, oppositam esse contra
Torres. determinationem Ecclesiæ : et Torres in 2 part. commentarii hujus articuli asserat esse errori quam proximam, et parum abesse, ne simpliciter dicatur erronea : et
Vasquez. Vasquez disputat. 158 cap. 3 doceat, auctores oppositæ sententiæ fuisse mani-
Suarez. feste lapsos : et Suarez lib. 7 de Trinitate cap. 5 num. 5 dicat, contrarium nostræ assertioni esse improbabile, et contrarium
Molina. consensui Theologorum : ac tandem Molina, non posse defendi sine ingenti temeritate, et periculo errandi contra fidem. De his tamen, et aliis oppositæ sententiæ censuris nos nihil.

§ II.

Ratio triplex pro assertione.

24. Ratio prior et fundamentalis. Ratio autem prior, et satis fundamentalis pro assertione non aliunde, quam ex testimoniis adductis depromenda est, quæ quidem potest sub hac forma proponi. Quoniam de sacrosancto Trinitatis mysterio, ac proinde de personis divinis, et earum constitutivis et distinctivis, ex quibus omnibus prædictum mysterium intrinsece constat, non aliter sentiendum est, quam secundum id, quod Scriptura, Concilia, Patres, et communis Theologorum consensus tradunt, ut ex terminis ipsis constare videtur : maxime, quia sicut mysterium hoc sola fide cognoscimus : ita etiam, quæ ad ipsum intrinsece pertinent, qualia sunt constitutiva, et distinctiva divinarum personarum, petenda sunt ex iis, quæ Scriptura, et Concilia ac per consequens Patres, et Theologi docent. Sed ex Scriptura, Conciliis, et Patribus, ac communi Theologorum consensu habemus, personas constitui, et distingui proprietatibus relativis, non vero absolutis : ergo ita, et non aliter de constitutivo, et distinctivo divinarum personarum sentiendum est.

25. Evasio Vasquez. Nec obest id, quod ex doctrina Vasquez loco citato posset responderi, nempe, falsum esse id, quod in hac ratione supponitur, videlicet, haberi ex Conciliis, et Patribus, personas divinas constitui per proprietates relativas. Nam etsi ex Conciliis, et Patribus habeatur, proprietates distinctivas personarum esse relativas : non tamen id ita est certum de proprietatibus constitutivis earumdem. Quia sancti Patres uno ore confitentur, distinctionem realem inter personas divinas desumi ex sola relatione : cum tamen non ita aperte dicant, easdem personas constitui relationibus ; imo nec videantur loqui de earum constitutione, sed solum de distinctione.

Impugnatur. Conc. Florentinum. Non itaque hoc obest. Tum, quia oppositum hujus constat ex iis, quæ adduximus ex Concilio Florentino in Oratione pro unione, ubi expresse dicitur, personas divinas per relationes constitui. Tum etiam, quia in eodem Concilio Florentino Joannes Theologus sessione 19 in fine docet, personam divinam ex substantia, proprietateque constare : at constare quoad præsens idem est, quod constitui. Et Sessione 18 post medium, § *Divina substantia*, dixerat, personam ex substantia, proprietatibusque constitui. Et paulo inferius, § *Dixi equidem*, probat, hanc proprietatem esse relationem principii, et procedentis a principio, ex omnium Græcorum et Latinorum consensu. Tum deinde, quia nomine *distinctivi* divinarum personarum comprehenditur etiam constitutio uniuscujusque personæ in se ipsa in ratione incommunicabilis : cum sine hac nequeat intelligi distinctio inter easdem personas. Constat autem, quod apud Patres, et Concilia, personæ solum redduntur incommunicabiles per relativas proprietates : ergo, etc.

Tum denique. Quia etsi non omne id, quod

quod distinguit unam personam ab alia, sit constitutivum illius : attamen id, quod primo distinguit aliquam ex personis divinis ab altera, licet non ab omnibus, debet esse constitutivum ejusdem. Et propterea spiratio activa non est constitutiva personæ Patris : quoniam licet distinguat illum ab Spiritu Sancto : attamen alia relatio, nempe Paternitas, est id, quod primo distinguit illum ab altera persona, nempe a Filio. Ergo cum Concilia, et Patres, dum assignant, personas divinas distingui per relationes, loquantur potissime de primo distinctivo earumdem personarum : consequens est, ut etiam loquantur de constitutivo illarum : siquidem sumpto distinctivo in hoc sensu, non solum apud Concilia, et Patres, sed etiam apud omnes Theologos, et Metaphysicos idem est distinctivum, et constitutivum. In quo etiam sensu nos dubio præcedenti deduximus, divinas personas constitui proprietatibus relativis, ex eo quod eisdem distinguuntur.

26. Secunda ratio. D.Thom. Secunda vero, et etiam fundamentalis ratio assertionis desumitur ex D. Thoma supra q. 36 artic. 2 et 4 contra Gentes cap. 24, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam personæ divinæ nequeunt distingui realiter, nisi per relationes, et relativam oppositionem : ergo neque possunt constitui, nisi per easdem relationes; et per consequens proprietates, quibus constituuntur, et realiter distinguuntur, non erunt absolutæ, sed relativæ. Hæc secunda consequentia ex priori aperte patet. Prima vero ex antecedenti. Quia id ipsum, quod realiter (modo tamen nuper dicto) distinguit, debet constituere.

Antecedens autem probatur. Quoniam omnis distinctio realis debet provenire, vel ex limitatione utriusque extremi, ut contingit in duobus lignis; vel ex limitatione unius, ut cernitur in distinctione, quæ est inter Deum, et creaturam; vel ex oppositione. In divinis autem personis nequit reperiri limitatio : ergo oportebit, distinctionem realem ibidem inter illas repertam oriri ex oppositione : ergo ex oppositione relativa : quia nulla alia oppositio præter istam potest esse ratio distinctionis realis, ubi deest limitatio, ut supra q. 36 late ostendimus. Et propterea ut ibidem diximus licet aliqua in creaturis, in quibus est limitatio, distinguantur realiter propter oppositionem quodammodo contrariam, sive formalem, quam habent : attamen in divinis, ubi non est aliqua limitatio, sola oppositio relativa potest esse ratio distinctionis realis.

27. Confirmatur. Confirmatur ratione, quam loco citato tetigimus, nempe, quod personæ divinæ non possunt inter se realiter distingui secundum aliud genus oppositionis, præterquam oppositionis relativæ : ergo nequibunt distingui, vel constitui, nisi per proprietates relativas. Consequentia ex se, et ex nuper dictis patet. Antecedens autem probatur. Quoniam in primis non possunt distingui per oppositionem contradictoriam, aut privativam : quia unum ex extremis harum oppositionum debet esse quid negativum, vel privativum : quod tamen nulli ex personis divinis competit. Neque etiam oppositione contraria : quia semper alterum contrariorum est sicut nobilius; et alterum sicut vilius, et sicut privatio, ut patet in albo et nigro, frigido et calido, aliisque contrarie oppositis : tum etiam, quia quæ contrarie opponuntur, et non relative, dicunt quid absolutum, et eo ipso unumquodque extremum hujus oppositionis affert propriam perfectionem : ex eo quod omnis realitas absolute illam ex se necessario importat. Cumque prædicta extrema specie distinguantur, oportebit, ut se excedant in perfectione, sicut et cæteræ aliæ species absolutæ : atque adeo, quod unum se habeat ut nobilius, alterum vero ut imperfectius : quod quidem cum summa perfectione divinarum personarum pugnat. Ergo cum non restet aliud oppositionis genus, præter oppositionis relativæ, hæcque oppositio, ut pure relativa est, non afferat, quod unum ex extremis sit nobilius, alterum vero ignobilius : quia relationes ex vi suæ lineæ cum præcisione sumptæ non dicunt expresse perfectionem, ut late disput. 6 n. 20 diximus . inde erit, ut in divinis non distinguantur personæ realiter, nisi per oppositionem realem relativam : et per consequens quod solis proprietatibus relativis habeant constitui, et realiter distingui.

28. D.Thom. Quam confirmationem deduximus ex Angelico Præceptore 4 contra Gentes cap. 24 et in 1 dist. 26 q. 1 artic. 2 his elegantibus verbis : *Quia omnis distinctio, vel divisio est, vel per quantitatem, vel per formam secundum Philosophum 5 Metaphysicæ, secundum quantitatem, vel materiam divisio in divinis non est, cum non sit ibi quantitas, et materia. Omnis autem distinctionis formalis principium est aliqua oppositio, ut largo modo sumatur oppositio, secundum*

quod etiam imperfectum, et perfectum opponuntur, in quantum in uno est negatio, vel privatio alterius. In omnibus autem oppositionibus alterum est ut perfectum, alterum ut imperfectum præter relationem. Quod patet per se in affirmatione, et negatione, et privatione, et habitu. Patet etiam in contrarietate. Quia secundum Philosophum Physicorum primo, semper alterum contrariorum est sicut nobilius, alterum sicut vilius, et sicut privatio, ut album et nigrum, frigidum et calidum, et hujusmodi omnia. Et ideo nulla talis distinctio potest esse in divinis, ubi est omnimoda perfectio. In relativis autem neutrum est, sicut privatio alterius, vel defectum aliquem importans. Cujus ratio est. Quia in relativis non est oppositio secundum id, quod relativum in aliquo est; sed secundum id quod ad aliud dicitur. Unde quamvis una relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem supposito: non tamen ista negatio importat aliquem defectum : quia defectus non est, nisi secundum aliquid quod in aliquo natum est esse. Unde cum id, quod habet oppositionem relativam ad ipsum secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio, vel defectus. Et ideo sola talis oppositio competit distinctioni personarum.

29. Objectio. Nec obest, si objicias, quod etsi quæ opponuntur contrarie contrarietate propria, debeant comparari ut perfectum, et imperfectum; non tamen id est universaliter necessarium in iis, quæ opponuntur contrarietate large sumpta, quæ comprehendit omnia illa, quæ habent rationes formales positivas, et disparatas : ergo personæ divinæ possent opponi oppositione hac, et ratione illius realiter distingui, quamvis non opponerentur oppositione relativa, nec ratione istius oppositionis essent realiter distinctæ. Consequentia videtur legitima.

Antecedens autem probatur. Tum, quia quod formæ disparate se habentes comparentur secundum perfectum, et imperfectum, provenit ex limitatione. Et ideo, quæ disparate opponuntur, et omnis limitationis expertes fuerint, poterunt contrarie contrarietate large sumpta opponi; etiamsi non comparentur per modum perfecti et imperfecti. Tum etiam, quia relationes creatæ, consideratæ precise secundum *ad* relativum, ut paternitas, et similitudo, habent opponi realiter hac oppositione disparata, et contraria : et nihilominus non comparantur inter se per modum perfecti et imperfecti, si cum prædicta præcisione sumantur : quandoquidem sic sumptæ nullam dicunt perfectionem.

Respondetur negando antecedens, intellectum de oppositione contraria large sumpta, sive disparata, reali tamen. Et ad primam probationem fatendum est, provenire ex limitatione, quod formæ oppositæ oppositione reali contraria large sumpta, sive disparata comparentur per modum perfecti, et imperfecti. Cæterum hæc limitatio necessario debet importari a formis oppositis hac oppositione reali disparata. Quia (ut disputatione 14 num. 82 diximus) hoc ipso, quod aliqua forma sit infinita, et expers totius limitationis, debet identificare sibi ea, quæ sunt libera ab imperfectionibus, licet dicant rationes inter se, et cum prædicta forma disparate se habentes, ut in essentia divina, et attributis justitiæ, et misericordiæ constat. Et ideo ubi est defectus limitationis, non potest inter aliqua esse oppositio realis, quæ præcise sit disparata; sed debet ibidem necessario intervenire oppositio realis relativa, ad hoc ut vere et realiter opponantur. 30. Diluitur.

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod etsi oppositio disparata, et realis duarum relationum creatarum, et præcise secundum quod expresse dicunt esse *ad* sumptarum, non arguat, eas sic præcise quoad id, quod exprimunt, acceptas comparari per modum perfecti, et imperfecti : involvit tamen, quod secundum aliquam aliam rationem, quam intrinsece important, nempe, secundum *in* absolutum proprium uniuscujusque (juxta ea, quæ disp. 5 n. 92 diximus) comparentur per modum perfecti, et imperfecti. Et ratio videtur aperta. Quoniam tam oppositio disparata, quæ secundum esse *ad* est inter prædictas relationes creatas, quam *in* absolutum, quod indispensabiliter important, debent dicere limitationem : et ita unumquodque *ad* importat distinctum esse *in* absolutum : ex eo quod illæ solæ relationes, illaque sola *ad*, quæ non dicunt limitationem, possunt includere unum et idem *in* : et illud solum *in* absolutum, quod non est limitatum, potest idemmet includi in distinctis relationibus, seu in distinctis esse *ad* : ac proinde tales relationes, et distincta esse *ad* habebunt quoad distincta esse *in* absoluta ab eisdem adducta comparari secundum perfectum, et imperfectum : siquidem omnia absoluta inter se distincta, atque adeo dicentia limitationem, debent sic 31.

sic inter se conferri, ut inductive constat.

Nec necesse erit objectiones alias, aut evasiones, quas ad enervandam hanc D. Thomæ rationem adducit Scotus, hic proponere. Quoniam de hoc late in hoc tractatu disp. 14 dub. 3 egimus, ubi prædictas objectiones attulimus, et solvimus, et simul evasiones impugnavimus.

Scotus.

32. Tertia, et principalis ratio pro assertione desumitur ex iis, quæ fuse ex Augustino, et D. Thoma disput. 6 n. 20 asseruimus, quæ potest ad hanc brevem formam reduci. Quoniam personæ divinæ debent esse æqualis, et ejusdem omnino perfectionis, ita ut tantus sit Filius, quantus Pater, et e converso : et tantus Filius solus, quantus Pater, et Spiritus Sanctus : ergo nequeunt distingui, et constitui per proprietates absolutas, sed solum per relativas. Antecedens constat ex ibidem dictis, et ex illo Symboli Athanasii : *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus*; *sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.*

Tertia assertionis ratio. August. D.Thom. Symbolum Athan.

Consequentia vero etiam liquet. Quoniam si constituerentur, et distinguerentur realiter proprietatibus absolutis, tunc unaquæque ex illis diceret ratione sui constitutivi, et distinctivi propriam et peculiarem perfectionem, eamque infinitam, et quasi specie distinctam, quæ non esset in alia persona : siquidem (ut ex dictis loco citato liquet) quævis ratio absoluta, et divina affert ex se perfectionem infinitam : et propria constitutiva, ac distinctiva divinarum personarum sunt quasi specie distincta, et unumquodque ex illis tantum invenitur in persona per ipsum constituta : ergo prædictæ personæ non essent æqualis, et ejusdem omnino perfectionis. Quandoquidem species, aut quasi species, afferentes ex se, et ex vi suæ rationis formalissimæ perfectionem, sunt sicut numeri : ac proinde sunt inæqualis perfectionis. Et similiter nec solus Filius esset tantus, quantus Pater, et Spiritus Sanctus, seu quanta tota Trinitas : siquidem deessent illi perfectiones proprietatum absolutarum, quibus Pater et Filius constituerentur, et ab eodem Filio essent distincti. Nec oportebit evasiones, quæ huic rationi poterant adhiberi, adducere, et impugnare. Quoniam ex iis, quæ loco citato a num. 41 usque ad num. 46 fuse attulimus, manent impugnatæ.

§ III.

Contraria sententia, fundamenta illius, et responsiones ad illa.

Contrariam tamen sententiam, nempe, personas divinas distingui, et constitui proprietatibus absolutis, tenent Joannes de Ripis relatus a Scoto in 1 dist. 26 quæst. unica § *Tertia opinio,* Lichetus ibidem, Linconiensis, et alii relati a Granado tomo 3 in primam partem tractatu 12 disputat. 3. Quam sententiam probabilem reputat Scotus ubi supra. Probatur primo ex illo Apocalypsis 19 ubi de Verbo divino dicitur : *Habens nomen scriptum, quod nemo novit.* Et ex Proverbiorum 30 : *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* In quibus testimoniis significatur, esse notum nomen relativum verbi, et filii; et inquiritur, seu significatur, ignorari nomen proprium illius : ergo signum est, Filium, seu Verbum non constitui, et distingui proprietate relativa, nempe Filii, sed aliqua alia absoluta, quæ ibidem ignoratur, et inquiritur. 33.

Contraria sententia. Joannes de Ripis. Scotus. Lichetus. Lincon. Granado. Primum fundamentum. Apocalypsis 19. Prov. 30.

Respondetur, quod quamvis secunda persona Trinitatis appelletur Filius, et Verbum, hocque sit nomen proprium illius, attamen nec hoc, nec aliquod aliud nomen sufficienter, et adæquate nobis explicat ipsam secundam personam Divinam, ut in se est : sicut non est aliquod nomen adæquate significans nobis Deum ipsum, ut in se est. Et ideo licet hoc nomen *Deus* sit nomen proprium illius : nihilominus quærit Sapiens, *Quod est nomen ejus?* quia nullum est nomen, quod nobis adæquate significet, quid sit Deus, prout est in se.

Dissolvitur.

Adde, non esse necessarium recurrere ad hoc, quod nomen Filii, aut verbi non significet adæquate ipsam secundam personam Trinitatis ; sed satis esse, si dicatur, in iis testimoniis innui, quod ignoratur nomen proprium Filii ; in illisque inquiri, non quidem quia sit aliud nomen absolutum, seu alia proprietas personalis absoluta, per quam Verbum, seu Filius constituatur ; sed quia prædictum nomen relativum filii, ac proinde prædicta proprietas relativa per illud significata, non scitur quidditative, et prout est in se : et propterea hæc illius notitia inquiritur, et carentia talis notitiæ ibidem innuitur. Quæ solutio aliqualiter insinuatur a D. Thoma supra q. 13.

Aliter enodatur. D.Thom.

34. Secundum fundamentum. August. Secundo probatur eadem sententia testimonio Augustini lib. 7 de Trinitate cap. 1, ubi inquit, relativum esse aliquid præter relationem : ac proinde sentit, Patrem v. g. in divinis constitui, et distingui in sua prima ratione formali per aliquid absolutum.

Confirmatur. August. Confirmatur ex eodem Augustino cap. 1, ubi asserit, personam ad se dici : ergo putat, personam constitui, et distingui per absolutum, et non per relativum : alioqui persona non ad se, sed ad alterum diceretur.

Fit obviam fundamento. D.Thom. Respondetur ex D. Thoma supra quæst. 28 artic. 2 ad 2, quod mens Augustini tantum est, quod sicut in relativis creatis præter relationem est invenire aliquid absolutum : ita etiam in Deo. Hoc tamen absolutum in divinis pertinet ad essentiam, estque quid essentiale, et non distinctum, nisi tantum virtualiter a relativo, in creatis autem est aliquid absolutum, nempe, fundamentum ipsum relationis, habetque realiter ab ea distingui.

Ad confirmationem. D.Thom. Ad confirmationem vero respondetur ex D. Thoma supra quæst. 29 artic. 4 ad 1, quod mens Augustini tantum est, quod persona dicatur ad se, quatenus per hoc significatur, quod, ut per hoc nomen denotatur, non dicit expresse munus potissimum relationis, nempe *ad*; sed tantum exprimit aliud munus ejusdem relationis divinæ in concreto sumptæ, nempe, esse incommunicabiliter subsistentem. Sed de his videantur ea, quæ nos ibidem disp. 9 n. 44 diximus,

35. Tertium. D.Thom. Tertio probatur prædicta sententia testimonio D. Thomæ quæst. 8 de Potent. artic. 3 ad 7 ubi sic inquit : *Relationes autem in divinis etsi constituant hypostases, et sic faciant eas subsistentes : hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina. Relatio enim, in quantum est relatio, non habet, quod subsistat, vel subsistere faciat : hoc enim solius substantiæ est. Distinguunt vero relationes, in quantum relationes sunt : sic enim oppositionem habent.* In cujus testimonii prioribus verbis Angelicus Præceptor non tribuit relationi, quod constituat personam, sed alicui proprietati absolutæ. Quod expressit, dum dixit, quod *relationes constituunt hypostases, in quantum sunt essentia divina.* Quia (ut ex loco nuper citato ex eodem D. Thoma, nempe in corpore hujus articuli tertii quæstionis 8 de Potentia constat) ea, quæ absolute dicuntur de Deo, significantur per modum essentiæ : et ita quoad præsens idem est, personas constitui per relationes, ut sunt essentia, ac constitui per easdem, ut dicunt proprietates absolutas, quæ, hoc ipso quod absolutæ, habent, ut significentur per modum essentiæ. Sicut etiam in posterioribus verbis satis innuit Angelicus Præceptor, quod etsi relationes, ut relationes, distinguant personas; non tamen illas constituunt : atque adeo sentit, proprietates constitutivas earumdem personarum esse absolutas.

Confirmatur. Nam quod secundum intellectum sequitur substantiam, non potest esse principium alicujus distinctionis in substantiis : sed relatio est de assequentibus substantiam in Deo, sicut bonitas, et sapientia, ut dicit Damascenus lib. 3 de Fide cap. 6 : ergo cum hypostasis sit substantia, nequibit earum distinctio a relationibus provenire. Confirmatur. Dama.

36. Responsio ad tertium et ejus confirmat. Respondetur, sensum priorum verborum D. Thomæ non esse, quod constitutio divinarum personarum proveniat formaliter, et proxime ab essentia divina, seu ab illis, ut sunt essentia divina; sed solum, quod id ortum ducat, tanquam ex radice, sive conditione indispensabiliter requisita, ex identificatione cum prædicta essentia : ex eo quod prædictæ relationes non haberent, quidquid intra suam lineam petitur ad hoc, ut essent constitutivæ personarum, ac proinde neque ad hoc, ut essent substantiales, et non accidentales, nisi identificarentur cum divina essentia, essentque in Deo. Attamen data hac identificatione, ipsæ relationes ex se proxime, et ex vi suæ lineæ habent constituere personas. Sicut licet processio per voluntatem non haberet producere impulsum perfectissimum, qualis est Spiritus Sanctus, nisi illa processio esset in Deo, et cum divina essentia identificaretur, in eaque esset radicata : attamen si semel cum ea identificetur, tunc ipsa processio per voluntatem per se et ex vi suæ lineæ habet proxime, et formaliter producere perfectissimum impulsum.

Ex quo ad posteriora verba ejusdem testimonii dicendum est, sensum illorum tantum esse, quod ex generali ratione relationis realis adhuc mutuæ non proveniat, quod relatio subsistat, aut subsistere faciat, alioqui relatio realis creata, et mutua id haberet; sed id provenit ex relatione, secundum quod est idem essen- 37.

tiæ

tiæ divinæ, ly *secundum quod* reduplicante radicem, vel conditionem indispensabilem ad hoc, ut relatio ex vi suæ lineæ præstet formaliter proxime prædictum effectum, aut quasi effectum.

Fecitque D. Thomas (ut id obiter dicamus) ad explicandam hanc vim proximam relationum, mentionem identitatis earum cum divina essentia : quia ex hac identitate optime colligitur, dari in eis id, quod pertinet formaliter, et proxime, ac intra suas lineas ad supremas species relationum Paternitatis, Filiationis, et Processionis, nempe, esse constitutivas, et distinctivas personarum.

Unde, cum idem S. Doctor addidit, quod relationes, in quantum sunt relationes, habent distinguere realiter, licet non constituere hypostasim, solum voluit, quod ex generali ratione relationum realium, adhuc mutuarum, habeant distinguere realiter unum relativum ab alio correlative ; quamvis ex hoc præciso capite non habeant distinguere illud per modum personæ, et personæ ; sed hoc proveniat (modo dicto) ex essentia divina, et ex relationibus divinis, ut divinis, ly *ut divinis* reduplicante supremas species, easque infinitas prædictarum relationum realium. Sicut cum dicitur, processionem per voluntatem, ut divinam, producere tantummodo impulsum perfectissimum est verum, si ly *ut divinam* solummodo reduplicet processionem perfectissimam, sive supremam intra suam lineam ; non vero si reduplicet processionem divinam identice, id est, quæ identificatur cum natura divina.

D. Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 distinct. 26 quæst. 2 artic. 2 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod relatio divina habet aliquid, in quantum est relatio : et aliquid, in quantum est divina. In quantum enim divina habet, quod sit subsistens hypostasis : quia ibi nihil est accidens neque aliqua forma inhærens non subsistens. Unde, quamvis ex hoc, quod est relatio, non habeat, quod distinguat hypostasim, quia sic omnis relatio hoc faceret : tamen] habet hoc, in quantum est relatio divina : sic enim non assequitur substantiam :] imo est ipsa substantia*, id est non assequitur substantiam, quæ est hypostasis : sed est ipsa substantia, cui competit esse hypostasim. Per quod ad confirmationem patet.

38. Quartum. Quarto probatur eadem sententia. Quoniam cum actiones sint suppositorum, oportet, ut suppositum constitutum debeat illas præcedere, necnon et relationes ad easdem actiones consecutas, in eisdemque quasi fundatas : ergo etiam oportebit, personas, v. g. personam Patris non constitui in suo esse personali per relationem Paternitatis, aut aliquam aliam relationem, sed per aliquid absolutum, Patet consequentia. Quia quævis relatio reperta in persona Patris, quia est relatio originis, præsupponit actionem in qua quasi fundatur ; et hæc actio, ac proinde multo magis relatio in ipsa quasi fundata, præsupponit personam Patris constitutam : ergo non poterit non per aliquid absolutum constitui.

Respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem constabit ex infra dicendis dubio ultimo hujus disputationis, quomodo, loquendo de constitutione personæ Patris (de qua potissime procedit difficultas hujus objectionis, ut loco citato dicetur) quatenus secundum nostrum imperfectum, et confusum concipiendi modum intelligitur constitui, et de ipsa relatione Paternitatis, prout secundum hunc nostrum imperfectum concipiendi modum intellecta, tunc habeant duo munera, aliud quidem formæ hypostaticæ, seu formæ tribuentis incommunicabiliter subsistere, et aliud relationis, ut expresse dicit respicere Filium ; et quod primum quodammodo præsupponitur ad secundum : ac tandem, quod secundum prædictum prius munus præsupponitur ad generationem activam, et constituit personam consideratam secundum imperfectum nostrum modum concipiendi ; cum tamen secundum ultimum munus confuse et imperfecte conceptum non constituat illam, sed præsupponat ipsam jam constitutam, et simul actionem generandi. Ac tandem ex ibidem num. 67 dicendis patebit, quomodo considerata hac constitutione, secundum quod persona Patris est a parte rei, sive ut intelligitur constitui secundum nostros conceptus perfectos, ultimatos, et distinctos, quos adjuti fide, et vera Theologia de illa formamus, comparentur inter se relatio Paternitatis, ut dicit *ad*, et ipsa generatio activa : an nimirum illa sic sumpta ad istam quodammodo præsupponatur, necne? Enodatur.

39. Quintum. Quinto probatur prædicta sententia. Nam ordo distinguentium debet respon-

dere ordini distinctionum : sed inter omnes distinctiones rerum prima est distinctio divinarum personarum, cum processio earum sit causa processionis creaturarum : ergo oportebit, ut sicut primum in entibus est substantia, et quid absolutum, ita principium primæ distinctionis inter omnes non sit relatio, sed substantia.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam distinctio divinarum personarum debet esse omnium maxima : siquidem omnis ratio intra quamvis lineam in Deo inventa debet esse omnium maxima, ut patet in justitia, misericordia, et aliis attributis, quæ hoc ipso, quod in Deo inveniantur, debent ibidem supremum gradum attingere : sed distinctio, quæ fit per relationes non est omnium maxima; secus tamen ea, quæ fit per aliquid absolutum : quia sicut ens absolutum excedit ens relativum, ita distinctio ab illo orta est major, quam ea, quæ ab isto provenit : ergo, etc.

40. Evertitur quintum. Respondetur, concedendo majorem, et minorem, et negando consequentiam. Nam etsi primum (saltem secundum rationem nostram) in entibus sit aliquid absolutum; nihilominus id, a quo formaliter provenit prima distinctio, non potest esse absolutum, sed relativum. Quoniam prima omnium distinctionum realium debet esse omnium minima : quia hoc ipso quod sit prior, est quæ minus recedit ab unitate : hæc autem non potest præstari ab aliqua ratione absoluta; bene tamen ab aliqua ratione relativa. Quia distinctio relativa stare potest cum unitate essentiæ inter sic relative distincta; non tamen distinctio realis per rationes absolutas. Ex eo quod distinctio realis relativa non petit necessario limitationem, sed solam oppositionem realem relativam, et ubi deest limitatio, et est infinitas, potest ibidem una et eadem natura esse in tribus realiter oppositis relative : at distinctio per rationes absolutas exigit necessario limitationem, ut n. 30 diximus : ubi autem est limitatio, non potest una et eadem natura esse in pluribus realiter distinctis : ac proinde prima distinctio realis, quæ debet esse omnium minima, quippe exigens identitatem omnimodam in eadem numero natura in his, quæ sic realiter distinguuntur, non poterit provenire a rationibus absolutis, sed solum a relativis.

Cæterum (ut id obiter dicamus) cum hoc stat, ut prædicta distinctio realis omnium minima in sensu explicato quodammodo sit major aliis in dignitate secundum aliam rationem considerata; sive hanc dignitatem habeat ex vi suæ lineæ (ut aliqui volunt) sive quia per modum transcendentis debet includere omnem excogitabilem perfectionem provenientem illi ab essentia divina per modum transcendentis in ea inclusa. Ac tandem cum his etiam stat, imo ex eis sequitur, quod sit prima quodammodo in causalitate, quatenus distinctio personarum, seu personæ, ut distinctæ, sunt causa distinctionum omnium aliarum rerum.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma, 41. D.Thom tum artic. 2 hujus quæstionis in solutione ad 3, tum etiam in 1 distinct. 26 quæst. 2 art. 2 ad 2 his verbis : *Dicendum, quod ordo distinctionis potest dupliciter considerari. Vel quantum ad quantitatem distinctionis; vel quantum ad dignitatem et causalitatem. Si quantum ad quantitatem distinctionis, sic distinctio divinarum hypostasum est minima distinctio realis quæ possit esse, ut supra habitum est : Et ideo tali distinctioni competit ens minimum, scilicet relatio. Sed quantum ad ordinem dignitatis, et causalitatis, illa distinctio excellit omnes distinctiones. Et similiter relatio quæ est principium distinctionis, dignitate excellit omne distinguens, quod est in creaturis : non quidem ex hoc, quod est relatio; sed ex hoc, quod est relatio divina. Excellit etiam causalitate : quia ex processione personarum divinarum distinctarum causatur omnis creaturarum processio, et multiplicatio.*

Ad confirmationem respondetur, primam distinctionem realem debere esse maximam, quæ depurari potuerit ab imperfectionibus. At distinctio realis maxima, quæ sic depurari queit, coincidit cum distinctione reali minima, estque relativa, ut dictum est. Ad confirmationem.

Adde (id, quod in idem cum præcedenti redit) negandam esse majorem. Et ratio disparitatis inter alia attributa, v. g. misericordiam, et primam distinctionem, est. Quod ratio maximæ misericordiæ inter omnes excogitabiles non dicit imperfectionem; sed potius maximam perfectionem : at distinctio omnium maxima necessario involvit imperfectionem, cum tamen distinctio minima inter reales, quæ sit per relationes, nihil involvat imperfectionis, ut explicatum est.

Plura

Plura alia argumenta pro hac sententia adduci possent. Sed quia dubio 4 hujus disputationis afferentur, et ibidem melius eorum solutiones intelligentur ; ideo in præsenti hic sistendum est.

DUBIUM III.

An proprietates relativæ, quibus personæ divinæ secundum nostrum modum concipiendi constituuntur, et distinguuntur, sint relationes secundum rationem originum; vel potius secundum aliquam aliam rationem relativam?

42. Semel explicato, quomodo proprietates constitutivæ et distinctivæ divinarum personarum non sint aliquid absolutum formaliter loquendo, sed aliquid relativum, restat explicare, secundum quam rationem relativam hoc habeant : et ideo, ut istud explicare incipiamus, præsens dubium excitatur.

§ I.

Explicatio tituli.

43. Prior animadversio pro hoc tituli. Pro tituli tamen intelligentia, notandum est primo, in eo supponi id, quod D. Thomas in hoc articulo docet, nimirum, relationes, et origines in divinis identificari inter se realiter, et solum esse distinctas secundum rationem; non disputando nunc, in quonam hæc distinctio in particulari consistat (quoniam de hoc plura supra quæst. 27 diximus, et de eo iterum quæstione sequenti sermo redibit), sed potius permittendo, quod in rationibus relativis in divinis inventis sint duæ rationes virtualiter distinctæ : quæ dicant ipsas origines, v. g. generationem activam sub conceptu talis; aliæ vero, quæ habeant dicere ipsas relationes secundum aliud munus virtualiter distinctum ab hoc conceptu. Et ita in præsenti sciscitamur, an relationes, secundum quod dicunt origines, an vero secundum aliam rationem, sive munus etiam relativum sint proprietates constitutivæ, et distinctivæ divinarum personarum?

44. Animadversio secunda. Diximus, *sed potius pro nunc permittendo, etc.* Quia juxta sententiam satis probabilem, nempe, origines dicere in recto aliquid absolutum, et solum in obliquo relationes, nulla restat difficultas in decisione hujus dubii, loquendo de constitutione divinarum personarum secundum nostrum modum concipiendi, et suppositis iis, quæ dubio præcedenti diximus, nempe, proprietates constitutivas et distinctivas divinarum personarum non posse formaliter loquendo, ac proinde in recto, consistere in proprietate aliqua absoluta, sed in relativa.

Secundo notandum est, relationes, et origines quoad præsens non conferri utcumque; sed ita ut tantum conferantur inter se illa relatio, et origo, quæ unicuique personæ competit : ita nimirum, ut loquendo de persona Patris, comparentur inter se generatio activa, et Paternitas : et loquendo de persona Filii, aut Spiritus Sancti, conferantur ad invicem Filiatio, et generatio passiva, vel relatio Processionis, et productio passiva Spiritus Sancti, et inquiratur, an proprietas distinctiva, et constitutiva personæ Patris, v. g. sit generatio activa, vel Paternitas secundum aliud munus relativum distinctum ab ipsa generatione activa; et personæ Filii, generatio passiva, vel Filiatio eodem proportionali modo sumpta? Quoniam certum est, unam personam non constitui per originem, quæ alteri attribuitur, ut Patrem per generationem passivam : nec etiam per originem, quæ licet ei attribuatur, non tamen est ipsi propria, sed communis illi cum altera persona, qualis est spiratio activa, quæ est communis Patri et Filio.

Tertio notandum est, consulto in titulo additam esse particulam illam *secundum nostrum modum concipiendi.* Quia in præsenti non utcumque loquimur de constitutivo, et distinctivo divinarum personarum; sed de eo, juxta nostrum concipiendi modum. Tertia.

§ II.

Mens Angelici Præceptoris, et prior ratio pro ea.

Dicendum ergo est, personas divinas non constitui, et distingui secundum nostrum modum concipiendi per relationes, ut exprimunt rationem originis; sed ut aliquod aliud munus relativum habent exprimere. Assertio hæc habetur in Oratione pro unione Concilii Florentini cap. 6, tacitam Concilii approbationem quodammodo continens, estque D. Thomæ 45. Resolutio dubii. Conc. Florentinum. D.Thom.

art. 2 hujus quæstionis, et in 1 distinct. 26 quæst. 2 art. 2 de Potentia quæst. 8 art. 3, ubi loquens de persona Filii, et ejus formali constitutivo, sic inquit : *Oportet ergo, quod Filiatio sit formaliter constituens, et distinguens hypostasim Filii; non autem origo, neque relatio intellecta in origine. Quia relatio intellecta in origine, sicut et ipsa origo, non significat aliquid, adhuc subsistens in natura, sed in naturam tendens.* Idem etiam tuentur Scholastici in 1 distinct. 26 quæst. 3, ut Durandus, Richardus, Ægidius, O'Kam, Gabriel, Carthusianus, Capreolus, Henricus, Marsilius, Ferrara, Cajetanus, Canariensis, Vasquez, Suarez et communiter Thomistæ, quos omnes refert, et sequitur Ruys de Montoya in præsenti disputat. 87 sectione 5 num. 14, et alii plures.

Durand. Richard. Ægidius. O'Kam. Gabriel. Carthus. Capreol. Henricus. Marsil. Ferrara. Cajetan. Canariens. Vasquez. Suarez.

46. Ratio fundamentalis. D.Thom.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma artic. 2 nuper citato, potestque sub hac forma proponi. Quoniam origo active sumpta concipitur a nobis, ut egrediens a persona producente, ac proinde ut præsupponens eam constitutam : siquidem actiones personales, qualis est origo active sumpta, debent intelligi, ut procedentes a personis : et ita præsupponunt illas jam constitutas. E contra vero origines passive acceptæ concipiuntur a nobis, ut viæ ad personam producendam, atque adeo ut aliquid antecedens per modum viæ ad eamdem personam : id autem, quod antecedit aliquam rem per modum viæ ad illam, nequit esse intrinsecum constitutivum illius : ergo constitutivum, et distinctivum divinarum personarum non erit aliquid relativum, prout exprimit rationem originis; sed prout habet exprimere aliquod aliud munus, præter istud. Patet hæc consequentia. Quoniam hoc ipso, quod proprietates constitutivæ, et distinctivæ divinarum personarum nequeant esse proprietates absolutæ, sed relativæ, oportet, quod si non sint aliquid relativum, ut exprimunt origines, sint aliquid relativum exprimens aliquod aliud munus.

Confirmatur primo. D.Thom.

Confirmatur ratione desumpta ex D. Thoma art. citato ex quæst. 8 de Potentia. Quoniam loquendo de formali constitutivo alicujus, nihil constituitur per suam productionem, sive originem, tanquam per formale constitutivum; sed talis productio passiva rei tantum est via ad constitutivum. Et ideo ea sola ratione dicitur constituere, quia inducit constitutivum : et nisi per prædictam productionem induceretur constitutivum aliquo modo secundum rationem nostram distinctum, non maneret res illa constituta : sicut si per generationem hominis non induceretur humanitas, quæ constitueret hominem, maneret homo sine formali constitutivo. Ergo persona Filii v. g. nequit formaliter constitui per nativitatem, seu per suam generationem passivam formalissime sumptam; sed per id, quod per eam inducitur proprium Filii, nempe per Filiationem, ut aliquo modo secundum rationem nostram à generatione passiva distinctam.

Confirmatur secundo

Confirmatur secundo ratione ejusdem S. Doctoris loco nuper citato. Quoniam id, quod constituit, et distinguit personam, debet concipi, ut subsistens (saltem *ut quo*) in natura intellectuali communicata, sive habita : constat autem, quod generatio passiva v. g. non intelligitur ut subsistens in natura communicata, sive habita ; sed ad summum ut subsistens per modum viæ, ad hoc ut communicetur , et habeatur prædicta natura : ergo prædicta origo, sive generatio non erit formale constitutivum Filii.

47 Illustratur ex D. Thoma.

Quia vero utramque hanc confirmationem eleganter, et dilucide Angelicus Præceptor loco citato explicat, ideo placuit ejus verba quoad præsens referre, quæ quidem sic se habent : *Distinctivum enim, et constitutivum hypostasis potest intelligi dupliciter. Uno modo, quo distinguitur et constituitur formaliter sicut homo humanitate, et Socrates Socrateitate. Alio modo quo distinguitur, et constituitur quasi via ad distinctionem, et constitutionem : sicut si diceremus quod Socrates est homo sua generatione, quæ est via ad formam, qua formaliter constituitur. Patet ergo, quod origo alicujus non potest intelligi ut constitutiva, et distinctiva ejus, nisi propter hoc, quod formaliter constituit et distinguit. Si enim generatione non induceretur humanitas, nunquam generatione constitueretur homo. Impossibile est ergo dici, quod hypostasis Filii constituatur sua nativitate nisi in quantum intelligitur, quod nativitas ejus terminatur ad aliquid, quod formaliter constituit. Ipsa autem relatio, ad quam terminatur nativitas, est Filiatio. Oportet ergo, quod Filiatio sit formaliter constituens, et distinguens*

guens hypostasim Filii; non autem origo, neque relatio intellecta in origine : quia relatio intellecta in origine, sicut et ipsa origo, non significat aliquid, adhuc subsistens in natura, sed in naturam tendens.

Prior objectio. Ex quo manent solutæ duæ objectiones, quæ contra hanc priorem rationem D. Thomæ, et ejus confirmationes fieri poterant. Prima quidem. Quod si quid probarent, non solum suaderent, quod proprietates constitutivæ, et distinctivæ personarum magis essent relationes secundum aliquod aliud munus, quam secundum rationem originis ; sed etiam quod prædictæ proprietates nullo modo sint relationes, ut exprimunt origines; D.Thom. cum tamen Angelicus Doctor artic. 2 hujus quæstionis non dixerit, personas divinas non constitui, et distingui originibus ; sed prius, et principalius constitui relationibus, quam originibus.

48. Enodatur. Respondetur enim ex modo dictis, quod D. Thomas, cum dicit, personas divinas constitui aliquo modo per originem, loquitur (ut sic dicamus) de viali non vero formali constitutivo, id est de eo, quod est via ad constitutivum, per quodque passive tanquam per productionem passivam formale constitutivum attingitur. Unde etiam loquitur de eo, ex quo nos constitutivum indagamus : quia nos ex reali processione unius personæ ab alia intelligimus realem distinctionem inter eas, et realia constitutiva illarum. Et ideo hoc (ut sic dicamus) constitutivum viale solet appellari constitutivum *ex consequenti*, sive constitutivum *consequenter* : quia ex illo sequitur cognitio proprii et formalis constitutivi. Bessarion. Et propterea Bessarion in Oratione pro unione Concilii Florentini cap. 6 sic inquit : *Relatio et origo, etsi secundum modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formæ, ut Paternitas) re tamen non differunt. Ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ personæ : prius tamen, et principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur divinæ personæ : consequenter autem per diversum processuum modum, sive per originem. Non enim generare, et genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam : sed Paternitas et Filiatio, sive Patrem, et Filium esse, quod relationis est. Sed quia relatio et origo idem sunt re, et relatio consequitur originem : ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ personæ , sed principalius relatione, sive proprietatibus.*

Secunda vero objectio peculiariter procedit contra duas confirmationes. Quoniam ad summum videntur probare intentum de personis procedentibus, nempe, de Filio, et Spiritu sancto, quorum origines sunt viæ ad easdem personas et productiones earum : non tamen de persona Patris. Nam generatio activa, de qua est controversia, an constituat personam Patris, non est via ad illum, neque productio suæ personæ. 49. Posterior objectio.

Respondetur enim, utramque confirmationem per se primo et directe probare intentum quoad personas procedentes. Semel autem hoc habito, optime sequitur, idem esse dicendum de persona Patris, nempe, quod non constituitur et distinguitur per generationem activam, sed eodem proportionali modo, ac personæ procedentes : quia omnes subsistunt in eadem numero natura divina. Fit satis.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma loco proxime citato, ubi post verba ex eodem adducta sic inquit : *Et quia omnium hypostasum ejusdem naturæ est eadem ratio constitutionis et distinctionis : ideo similiter oportet ex parte Patris intelligere, quod hypostasis Patris constituatur et distinguatur ipsa Paternitate ; non autem generatione activa, neque relatione inclusa.* D.Thom.

§ III.

Posterior ratio pro mente D. Thomæ.

Deinde probatur eadem assertio et mens Angelici Doctoris ratione alia ejusdem in hoc eodem art. 2, quæ potest sub hac forma proponi, per quamque præcedens magis confirmatur et elucidatur. Quoniam proprietates constitutivæ divinarum personarum debent concipi, ut formæ intrinsecæ in ipsis personis : siquidem concipiuntur, ut constitutivæ illarum in *esse* personali : at origines non concipiuntur, ut formæ intrinsecæ in ipsis personis : ergo non erunt formæ constitutivæ et distinctivæ illarum : et per consequens proprietates constitutivæ earum non erunt relationes, secundum quod exprimunt easdem origines, sed secundum quod expresse dicunt aliquod aliud munus relativum. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quoniam origo activa, ut talis, v. g. generatio activa, concipitur a 50. Alia assertionis ratio. D.Thom.

nobis, ut egrediens a supposito producente : et origo passiva intelligitur etiam a nobis, ut via v. g. ad genitum : ergo neutra ex his originibus concipitur, ut forma intrinseca ipsis personis divinis.

51. Prior objectio contra eam. Sed objicies primo contra rationem hanc, quod vel in ea fit sermo de relationibus et originibus secundum communem rationem accidentis consideratis, sive de eo, quod in divinis correspondet huic communi rationi accidentis inventæ in quavis relatione et origine creata; vel fit sermo de originibus et relationibus secundum suas ultimas et atomas rationes. Si primum, tunc tam relationes, quam origines concipiuntur, ut quid inhærens, sive per modum formæ intrinsecæ. Si vero secundum asseratur, tunc neque origines, neque relationes concipiuntur, ut formæ intrinsecæ. Vel si istæ concipiuntur per modum formæ intrinsecæ, etiam et illæ. Quoniam sicut generatio activa, v. g. intelligitur ut egrediens a generante : ita etiam relatio, v. g. Paternitatis concipitur, ut tendens ad Filium et veluti exiens a Patre et terminata ad eumdem Filium : ergo si hoc non obstante relatio potest concipi per modum formæ intrinsecæ, etiam generatio activa hoc habebit.

Confirmatur. Confirmabis. Quoniam sicut relatio Paternitatis, v. g. potest concipi, ut identificata cum Patre et in eo manens et propterea potest intelligi per modum formæ intrinsecæ : ita etiam generatio activa potest intelligi, ut intrinseca per identitatem cum Patre, in eoque manere, et ipsum intrinsece denominare generantem : ergo poterit intelligi per modum formæ intrinsecæ respectu illius : ac proinde ex hoc capite nihil oberit, quominus sit proprietas constitutiva et distinctiva personæ Patris.

52. Occurritur objectioni et confirm. Respondetur quod juxta mentem D. Thomæ in hac ratione, nomine formæ intrinsecæ non intelligitur quævis ratio inhærens, aut quasi inhærens; sed illa quæ inhæret, aut quasi inhæret, tribuitque *esse* fixum et permanens, quodque sit tale *in facto esse*; non vero ratio illa, quæ, etsi inhæreat, aut quasi inhæreat, seu sit intrinseca, tantum consistit in *esse* quodam veluti viali et *in fieri*, tantumque tribuit *esse* quodammodo viale, et (ut sic dicamus) quasi inquietum, et *in fieri*. Quoniam prædicta ratio, quantumvis inhærens, aut quasi inhærens, vel intrinseca, non tam est forma intrinseca, quam via ad communicandam, vel producendam formam intrinsecam. Hoc autem potiori ratione erit verum, quoties agitur de constitutivo rei fixæ, permanentis, et *in facto esse* consistentis. Nam forma intrinseca ejus non debet esse utcumque intrinseca, sed intrinsecitate (ut sic dicamus) permanenti et *in facto esse*, et quæ ut talis concipi possit et debeat. Quare, cum origines concipiantur per modum fluxus et viæ et veluti *in fieri*, non vero ut dantes se ipsis formaliter *esse* quietum et fixum, ac *in facto esse* : inde est ut non concipiantur per modum formæ intrinsecæ : et per consequens, quod juxta nostrum modum concipiendi non sint proprietates constitutivæ et distinctivæ divinarum personarum, quæ ex se dicunt quid fixum, permanens et *in facto esse*.

Unde ad formam hujus objectionis dicendum est, fieri in ratione D. Thomæ sermonem de originibus et relationibus secundum suas ultimas rationes consideratis. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod etsi tam relationes, quam origines dicant aliquid intrinsecum : quia relationes afferunt suum *in* relativum et origines intelliguntur esse per identitatem intrinsecæ ipsis personis : nihilominus relationes, secundum quod aliquo modo distinguuntur ab originibus tribuunt se ipsis formalissime aliquod *esse* fixum, permanens et *in facto esse*, quod non tribuunt origines : et ideo origines proprie et in rigore loquendo non concipiuntur per modum formæ intrinsecæ; secus vero relationes, ut ab eisdem aliquo modo distinctæ. Per quod ad confirmationem ejusdem objectionis satis patet. Solvitur in forma.

53. Elucidatur ex D. Thoma. Quæ solutio insinuatur ab eodem Angelico Præceptore in hoc art. ubi ipse explicuit, quid intellexerit per esse, aut non esse aliquid formam intrinsecam, seu (quod in idem quoad præsens redit) per esse quid intrinsecum absolute et simpliciter loquendo. Nam articulo 2 hujus quæstionis inquit : *Origo autem alicujus rei non significatur, ut aliquid intrinsecum : sed ut via quædam a re, vel ad rem.* In quibus verbis ideo dixit, origines non significari ut aliquid intrinsecum, quia significantur ut viæ. Quoniam sicut esse aliquid absolute et simpliciter tale, dicit esse tale in *esse* quieto et *in facto esse* : et propterea paries, ut albefit, non dicitur absolute et simpliciter albus : sed solum, ut habet albedinem in *esse* quieto, ac *in facto esse* : ita esse aliquid absolute et simpliciter intrinsecum, dicit esse intrinsecum in *esse* quieto;

quieto; et non sufficit, quod dicat aliquid intrinsecum per modum viæ.

Nec solum in hoc articulo, sed etiam supra quæst. 33 art. ad 2, hanc eamdem
Thom. solutionem Angelicus Præceptor insinuavit. Nam ut explicaret, quare potius *Pater*, quam *generans*, sit proprium nomen personæ divinæ, sic inquit : *Denominatio rei maxime debet fieri a perfectione et fine. Generatio autem significat, ut in fieri, sed Paternitas significat complementum generationis : et ideo potius est nomen divinæ personæ Pater, quam generans, vel genitor.*

In quibus verbis loquitur Angelicus Præceptor de denominatione intrinseca, ut constat : et cum sermonem faciat de denominatione absolute et simpliciter dicta, ut ex illa particula *denominatio rei* patet, consequens est, ut loquatur denominatione intrinseca, seu de *esse* intrinseco absolute et simpliciter tali in ratione intrinseci : et de hoc inquit, sumi maxime a perfectione et fine, ac proinde a forma, non ut concipitur esse in via, sed ut est in *esse* quieto et *in facto esse* : et ex hoc concludit, cur, potius hoc nomen *Pater* sit proprium nomen divinæ personæ, significans propriam rationem constitutivam illius, quam hæc nomina *genitor*, vel *generans* : quia ista significant aliquid, ut *in fieri*, atque adeo non tribuunt aliquod *esse* absolute et simpliciter intrinsecum, sed cum addito, nempe per modum viæ : *Paternitas* autem significat formam tribuentem *esse* intrinsecum absolute et simpliciter, ac sine addito : quia tribuit quemdam quasi effectum consistentem in *esse* quieto et *in facto esse* : ac proinde denotat formam præstantem denominationem intrinsecam absolute et simpliciter. Et ideo hæc nomina *Pater* et *Paternitas*, sunt idonea ad significandam ipsam personam Patris et constitutivum ejus.

54. Secundo contra eamdem rationem objicies, quod *intelligere* Dei significatur per modum viæ et per modum actionis procedentis ab intellectu divino : et nihilominus est constitutivum Dei in *esse* Dei : ergo, quod origines significentur in divinis per modum viæ et veluti *in fieri*, non tollit, quominus possint adhuc secundum nostrum modum concipiendi concipi, ut constitutivæ divinarum personarum : siquidem personæ non petunt constitutivum magis consistens in *esse* quieto et *in facto esse*, quam illud exigat Deus sub conceptu Dei.

Instetur secundo. (margin)

Suarez. Nec satis erit, si occurras cum Suarez 7 de Trinitate cap. 6 in fine, ubi inquit, quod *intelligere* non est *esse* Dei, ut intelligitur quasi *in fieri*, vel fluxu quodam ab alio, vel in aliud; sed ut est actus perfectissimus et maxime permanens et quasi *in facto esse*, vel potius ut actus manens in ipso Deo per essentiam et ita potest esse constitutivum Dei : cum tamen origo, ut talis, debeat concipi sub conceptu viæ et tendentiæ. Et propterea sub hoc conceptu nequit esse secundum nostrum modum concipiendi constitutivum et distinctivum divinæ personæ.

Nam contra hoc est. Tum, quod si in *intelligere* Dei distinguuntur duæ rationes, et secundum unam concipitur quasi *in fieri* et secundum alteram quasi *in facto esse*, concedendum erit, rationem, qua concipitur ut *in fieri*, esse priorem, atque adeo non posse secundum alteram concipi, ut primum *esse* essentiale Dei. Tum etiam, quia si in *intelligere* Dei distinguuntur hæ duæ rationes consideratæ sub conceptu intellectionis, seu ipsius *intelligere*, non est cur etiam in originibus, adhuc secundum conceptum originum, non possimus distinguere alias duas rationes, secundum quarum unam concipiantur per modum viæ et quoad aliam secundum *esse* permanens ita ut secundum priorem non constituant personas, bene tamen secundum posteriorem, sicut in *intelligere* collatum cum ipso Deo in ratione Dei contingit.

Respondetur primo, posse admitti solutionem ex Suarez adductam. Et ita ad primam impugnationem contra eam occurri queit ex dictis num. 46, quod non omnes rationes, quæ primo inveniuntur in aliqua re, debent esse constitutivæ ejusdem secundum nostrum modum concipiendi, quando prædicta res dicit quid veluti *in facto esse* et quietum et ratio illa prior concipitur per modum viæ : quia tunc solum intelligitur res illa veluti in via ad *esse* constitutivum; non vero ut constitutiva. Et ideo, licet filius in humanis procedat per generationem specie distinctam ab aliis generationibus et hæc generatio passiva sit propria illius et prior quam natura humana illi communicata in *esse* quieto per talem generationem : nihilominus non constituitur in primo *esse* essentiali per prædictam generationem, sed per naturam humanam. Et ita talis generatio solum est via ad constitutivum primum et essentiale; non vero est prædictum constitutivum. 55. Prima solutio.

Ad secundam vero probationem respon- 56.

detur, non esse contra rationem intellectionis essentialis, ut est sub hoc conceptu, quod intelligatur, saltem ex parte nostri modi concipiendi, per modum viæ; et insuper, ut habet *esse* quietum, ac *in facto esse*. Quia, ut est sub conceptu intellectionis essentialis, non dicit, quod sit productio actualis alicujus, termini, sive personæ immanentis intra Deum; sed dicit, tum quod ex parte nostri modi concipiendi veluti fluat ab intellectu Dei, tum etiam quod sit perfectissima contemplatio in *esse* quieto ipsius Dei: at contra rationem originum sub conceptu expresso originum est, quod concipiantur secundum *esse* quietum: quia si concipiantur sub conceptu expresso originum, debent concipi, ut productiones, sive activæ, sive passivæ: sic autem expresse intellectæ, concipiuntur a nobis per modum viæ et non ut dicunt *esse* quietum. Quoniam in hoc, quod intelligantur per modum viæ et ut dicunt *esse* veluti inquietum, nihil aliud significatur, nisi quod debent concipi per modum alicujus *fieri*, sive productionis activæ, aut passivæ tendentis ad communicandum aliquid veluti *in facto esse* et sub *esse* quieto. Unde hoc ipso, quod origines concipiantur secundum aliquod aliud munus, ratione cujus sint *in producto esse* seu in *esse* quieto, jam intelliguntur, non ut origines, sed ut relationes: quia *productum esse* illarum nihil est aliud, quam relatones ipsæ, v. g. Filiationis et processioniis passivæ in concreto sumptæ.

Adde, quod (ut ex dictis constat) est contra rationem originum, quod in eis conceptis sub conceptu formalissimo originum concipiantur plures rationes talis conditionis, ut secundum earum aliquam sint constitutivæ personæ. Quia origines activæ repertæ in personis producentibus supponunt personas ipsas producentes: ex eo quod actiones sunt suppositorum, sive personarum, et origines passivæ sunt via ad personam, et constitutivum ejus; non vero formalissime sumptæ sunt ipsum constitutivum. At contra rationem intellectionis essentialis non est, quod concipiatur per modum veluti fluentis ex parte nostri modi concipiendi ab intellectu Dei, et per modum contemplationis in *esse* quieto, seu (ut sic dicamus *in facto esse*): quia est forma perfectissima consistens in *esse* quieto, et ut est sub conceptu intellectionis essentialis, non habet terminum productum per eam.

57. Secundo respondetur, intellectionem essentialem, in qua consistit ipsa Dei natura non dicere ex parte rei conceptæ aliquid viale, et consistens quasi in fluxu, et veluti in *esse* inquieto; sed hoc tantum competere ei ex parte nostri modi concipiendi, ita ut ex parte illius se solummodo teneat, et ad rem conceptam non transeat. Ex eo quod intellectus, et intellectio essentialis in divinis non distinguuntur, adhuc virtualiter; sed solum ex parte nostri modi concipiendi: cùm tamen ad hoc, ut ex parte rei conceptæ diceret aliquid viale, et veluti in fluxu consistens, oporteret, ut prædicta intellectio distingueretur virtualiter ab intellectu Dei. Cæterum juxta modum illum dicendi, juxta quem n. 43 diximus dubium hoc procedere, origo, v. g. generatio activa dicit ex parte rei conceptæ aliquid viale, et consistens in fluxu, et veluti in *esse* inquieto, et distinctum virtualiter a divino intellectu, et ab ipsis relationibus secundum alia munera consideratis: quamvis cum hoc stet (ut id obiter dicamus) hoc viale non dicere imperfectionem ex parte rei conceptæ: quia non se habet per modum motus dicentis, quod sit actus entis in potentia, secundum quod in potentia, sed per modum puræ productionis non dicentis motum, sed identificatæ cum tota actualitate divini intellectus, licet tendentis ad productionem termini, qui se habet veluti per modum *facti esse* respectu illius, quoque producto, est prædicta productio (ut dicamus) sic in *esse* quieto. Posterior enodatio.

§ IV.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et eorum enodationibus.

Oppositam tamen sententiam, nempe, proprietates, quibus personæ divinæ constituuntur, et distinguuntur, esse relationes secundum rationem originum et non secundum alia munera relativa, tenent Bonaventura in 1 dist. 26 q. 2, et Richardus de Sancto Victore lib. 4 de Trinitate cap. 15. Et licet fundamenta eorum ex dictis in hoc dubio facile dissolvantur: placuit tamen majoris claritatis gratia, ea breviter adducere, et eorum solutiones tradere. 58. Contraria sententia. Bonaventura. Rich. de S. Victore.

Probatur primo prædicta sententia. Quoniam in unaquaque persona divina, v. g. in Patre, reperitur origo, quæ ei attribuitur ut propria, nempe generatio activa, tanquam aliquid prius ad relationem propriam ipsius, scilicet Paternitatem, ac proinde tanquam Primum fundamentum.

tanquam aliquid prius ad alia munera relativa : ergo prædicta origo, seu (quod in idem quoad præsens redit, ut n. 43 dicebamus) aliquid relativum sub conceptu originis, non vero sub aliis muneribus relativis, constituet, et distinguet personam Patris. Consequentia videtur perspicua. Quoniam illa ratio, quæ primo et immediate convenit alicui rei, tanquam propria illius, est constitutiva, et distinctiva ejusdem : ergo si origo, seu aliquid relativum sub conceptu originis, non vero aliquid relativum sub aliis muneribus consideratum, est hujusmodi respectu personæ Patris, consequens erit, ut origo, seu aliquid relativum sub conceptu originis, non vero sub prædictis muneribus, sit id, per quod persona Patris constituitur, et distinguitur.

Antecedens autem probatur. Quoniam relationes sub aliis muneribus, ut sub conceptu v. g. referendi præsupponunt origines, tanquam fundamenta, sive rationes fundandi easdem relationes sub prædictis muneribus. Nam Paternitas fundatur in generatione activa, et Filiatio, ac Processio in productionibus passivis Filii et Spiritus Sancti.

59 Occurritur ex dictis. Respondetur ex dictis, quod etsi generatio activa præsupponatur secundum rationem ad aliqua ex muneribus relativis importatis in ipsa relatione Paternitatis : non tamen ideo constituet personam : quia non præsupponitur per modum formæ, veluti *in facto esse*, sed per modum *fieri*, aut quasi *fieri* et habentis *esse* veluti inquietum : et ideo secundum nostrum modum concipiendi non constituit personam : quia ad formam secundum nostrum modum concipiendi constitutivam personæ desideratur, quod concipiatur per modum formæ *in facto esse*, et habentis *esse* quietum. Sicut etiam ob hanc rationem, licet passivæ productiones Filii, et Spiritus Sancti præsupponantur quodammodo ad alia munera relativa Filiationis et Processionis, tanquam quid proprium Filii, et Spiritus Sancti : non tamen sunt constitutivæ harum personarum.

Adde, quod ad generationem activam præsupponitur aliud munus relativum in Paternitate, nempe, ratio formæ hypostaticæ, et tribuentis hoc, quod est, incommunicabiliter subsistere, connotando, quod non habeat hoc ab alio. Et ideo secundum hoc munus potest constituere, et distinguere personam Patris.

60. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam Patres originibus tribuunt distinctionem personarum. Nam D. Augustinus lib. de Fide ad Petrum cap. 1 sic inquit : *Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque est procedere, quam genuisse, vel natum esse : manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus :* et idem habet 5 de Trinitate cap. 6. Cui consonat Anselmus in epistola de Processione Spiritus Sancti contra Græcos, et Damascenus lib. 1 de Fide cap. 2 ubi inquit, *Patrem, Filium et Spiritum Sanctum omnino esse unum, excepta ingeniti, generationis, et processionis proprietate.* Secundum fundamentum. Augustinus. Anselm. Damasc.

Respondetur, hos Patres non loqui ibidem de formali, et primario divinarum personarum distinctivo, et constitutivo ; sed de illo quoad nos, et ex quo prædictum primarium constitutivum, et distinctivum possumus colligere. Enodatur.

Secundo respondetur, per nomina originum intellexisse relationes originum : ut de Augustino docet D. Thomas quæst. 8 de Potentia art. 3 ad 14 et eodem modo explicat aliud testimonium Richardi ibidem in solutione ad 13. D. Thom.

DUBIUM IV.

Utrum proprietates constitutivæ, et distinctivæ divinarum personarum, et peculiariter persona Patris, sint relationes divinæ, adhuc prout exprimunt esse ad, seu munus respiciendi ; an vero secundum aliud munus relativum?

61. Postquam explicuimus, proprietates constitutivas, et distinctivas secundum nostrum modum concipiendi divinarum personarum esse aliquid relativum, et hoc non esse relationes sub conceptu originum (dato, quod origines in recto consistant in aliquo relativo), sed sub aliis muneribus, restat, ut explicemus, an sit aliquid relativum secundum expressum conceptum *ad*, an vero secundum alia munera relativa?

§ I.

Explicatio tituli.

62. Pro tituli intelligentia notandum est primo quod relationes divinæ, quippe eminentissimæ in ratione relationum, plura habent munera, pluresque rationes, saltem ex parte nostri modi concipiendi distinctas. Nam inter alia habent esse ratio- Prior animadversio pro intelligentia tituli.

nes subsistendi incommunicabiliter et simul rationes referendi, seu expressum munus *ad*. Unde tota difficultas hujus dubii est, an proprietates constitutivæ, et distinctivæ personarum divinarum sint relationes, ut dicunt utrumque munus pertinens ad earum rationem? An vero secundum primum illorum tantummodo, nempe, secundum quod sunt rationes subsistendi incommunicabiliter, non vero secundum expressum munus *ad*?

Consulto autem in titulo inquisitum est peculiariter de persona Patris, an constituatur, et distinguatur per aliquid relativum exprimens munus *ad*, seu Paternitatem, ut exprimit ordinem, et respectum ad Filium? Quia in persona Patris est peculiari ratione explicatu difficile, quomodo constituatur per aliquid relativum, scilicet per Paternitatem, ut dicit expressum ordinem ad Filium : quia personam Patris videtur, præsupponendam esse nostro modo intelligendi constitutam ad generationem activam, tanquam principium *quod* illius : et ideo difficile est intelligere, quo pacto præsupponantur constituta per Paternitatem, ut exprimit munus referendi, seu ut exprimit proprium esse *ad* : siquidem hoc videtur resultare ex eadem generatione, et præsupponere illam tanquam rationem fundandi. At vero in reliquis personis hæc specialis difficultas, quæ in persona Patris specialiter urget, non habet locum. Ex eo quod processiones passivæ in illis non præsupponunt, sed potius præsupponuntur ad personas constitutas, et ad relationes, quibus constituuntur, necnon et ad propria esse *ad* uniuscujusque ex illis. Et ita generatio passiva præsupponitur ad relationem Filiationis, ut exprimit rationem respiciendi Patrem : et processio passiva Spiritus Sancti præsupponitur etiam ex parte nostri modi concipiendi ad relationem spirationis passivæ; ut exprimit munus referendi proprium ipsius.

63. Animadversio secunda. Secundo notandum est, personas divinas posse considerari dupliciter, scilicet, vel prout in se sunt a parte rei, ac proinde secundum quod concipiuntur conceptu distincto et perfecto, qualiter concipiuntur a beatis, vel a nobis adjutis vera fide, per conceptus perfectos, et Theologicos, quos per veram Theologiam possumus formare de illis, et de earum constitutivis. Secundo, prout concipiuntur a nobis ex creaturis, et conceptibus imperfectis, et confusis, ac per analogiam ad constitutionem personarum creatarum : ac proinde, ut intelliguntur constitui eo proportionali modo, quo personæ creatæ dummodo ibidem nulla exprimatur imperfectio et limitatio, sed idemmet proportionale constitutivum personæ creatæ, sublata finitate, et addita infinitate, in divinis personis assignetur : ita tamen, quod etsi concipiatur (ut sic loquamur) veluti in genere, prædictum constitutivum esse liberum ab omni potentialitate, in imperfectione; non tamen in particulari, et expresse concipiatur, quænam sint imperfectiones, aut potentialitates, sive potentialitatum vestigia, a quibus est liberum. Nam si hæc omnia distincte et in particulari attingerentur, tunc fieret sermo de constitutivis divinarum personarum, prout concipiuntur per conceptus perfectos et distinctos, non vero per conceptus imperfectos et confusos.

§ II.

Assertio prior ex mente Angelici Doctoris, et aliorum Patrum.

Dicendum ergo est primo, quod si loquamur de divinis personis, prout sunt a parte rei, ac proinde prout concipiuntur a beatis, quatenus in se sunt, vel ut a nobis intelliguntur per conceptus perfectos et distinctos, quos adjuti vera fide, et Theologia de illis, et de earum constitutivis, et distinctivis formamus, tunc proprietates constitutivæ earum sunt relationes, adhuc secundum quod exprimunt esse *ad*. Assertio hæc satis efficaciter colligitur ex testimoniis Conciliorum, quæ dubio 2 hujus disputationis num. 19 adduximus, necnon ex illis, quæ ibidem ex Boetio, Anselmo, Cyrillo N. Alexandrino, Augustino, Basilio, Gregorio Nysseno, et Nazianzeno et Angelico Præceptore attulimus, necnon ex iis, quæ ex eodem D. Thoma supra quæst. 36 artic. 2 a nobis dicta sunt, ubi pluribus testimoniis ejusdem S. Doctoris ostendimus, distinctionem realem divinarum personarum, prout in se sunt, esse per oppositionem relativam earum : atque adeo personæ divinæ distinguentur, et constituentur, prout in se sunt, per sua propria esse *ad*. — 64. Prima conclusio. — Boetius. Anselm. N. Cyrill. Aug. Basilius. Gregorius Nyssenus. Nazianz. Angel. Præcept.

Unde assertionem hanc tuentur Zumel ad articulum 4 hujus quæstionis in sua quæst. 1 conclusione 5, Nazarius controversia unica conclusione 13, Suarez lib. 7 de Trinitate cap. 7, Arrubal ad quæstionem — Zumel. Nazar. Suarez. Arrubal.

31 hujus tractatus disput. 112 cap. 3, Ruyz de Montoya disput. 89 sect. 1 referens Durandum in 1 dist. 26 quæst. 1 num. 15 et sequentibus, et dist. 27 quæst. 1, Gabrielem dist. 26 q. 1 art. 3 dubio 4 quæstiuncula 2, Scotum in 1 distinct. 28 quæst. 3 § *Ad quæstionem* et § *Ad primum argumentum principale*, et quodlibeto 4 ad argumentum principale, Carthusianum dist. 26 q. 2 circa medium. Ac tandem eamdem assertionem absolute intellectam tenent Cajetanus in præsenti art. 4, Torres Canariensis ibidem, et probatiores discipuli D. Thomæ.

65. Prior ratio. Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex testimoniis citatis, potestque ad hanc formam redigi. Quoniam Concilia asserunt, personas divinas, prout in se sunt, constitui, et distingui per relationes; et insuper in divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio, ac proinde easdem personas divinas distingui, et constitui per relativam earum oppositionem : ergo sentiunt, illas, prout sunt a parte rei in se ipsis, constitui per prædictas relationes, non solum ut dicunt rationem incommunicabiliter subsistendi, sed etiam ut dicunt ipsum esse *ad* : quandoquidem oppositio relativa provenit formaliter ex ipso *ad* et ideo formalissime loquendo personæ opponuntur relative, quia mutuo per opposita *ad* se respiciunt : ergo eædem personæ conceptæ per conceptus nostros distinctos et perfectos : et correspondentes eis, ut sunt a parte rei in se ipsis, debent concipi, ut constitutæ, non solum per relationes ut dicunt prædictam rationem incommunicabiliter subsistendi, sed etiam per easdem, ut dicunt *ad*.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia Paternitas v. g. secundum suum esse *ad* tribuit Patri peculiare *subsistere* relativum specie, aut quasi specie distinctum a *subsistere*, quod est in Filio, ut constat ex disp. 9 n. 71, ac proinde tribuit illi *subsistere* incommunicabiliter distinctum ab eo, quod est in Filio : siquidem *subsistere* relativum, quod est in Patre, quia Pater est, debet esse incommunicabile aliis : ergo prædicta Paternitas, prout est in se ipsa, et constituit Patrem in se ipso, debebit secundum proprium esse *ad* constituere ejus personam : et per consequens hoc ipsum habebit, ut concipitur a nobis per conceptus perfectos jam dictos.

Confirmatur, et explicatur secundo. Quia personæ divinæ conceptæ per nostros conceptus confusos et imperfectos, constituuntur, et distinguuntur per ipsas relationes, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi : ergo eædemmet personæ prout sunt in se ipsis a parte rei, et ut concipiuntur a nobis per conceptus perfectos et distinctos, debent concipi ut constitutæ, non solum per prædictas relationes, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, sed etiam per easdemmet, ut sunt rationes referendi, seu ut expresse dicunt esse *ad*. Antecedens constabit ex dicendis conclusione sequenti.

Consequentia vero ex antecedenti videtur aperte sequi, potestque sic explicari, et probari. Quoniam si illa ratio incommunicabiliter subsistendi, et tribuendi personis, quod incommunicabiliter subsistant, concipiatur perfecte et distincte, ac proinde deprehendatur, in quonam in se ipsa formalissime, et adæquate consistat, invenietur, eam etiam consistere in ipso esse *ad*, et ex prædicto esse *ad*, quod, ut est ratio incommunicabiliter subsistendi, implicite dicit, quod prædicta relatio sit ratio incommunicabiliter subsistendi, et distinguendi unam personam ab alia. Et ita tota ratio, ob quam nos per nostros conceptus confusos et imperfectos non pertingimus ad concipiendum eam secundum esse *ad*, est, quia non concipimus illam distincte et perfecte; sed solum cognoscimus, ipsam esse rationem incommunicabiliter subsistendi; non tamen intelligimus, quatenus sistimus in prædictis conceptibus confusis et imperfectis illud munus, quod implicite dicit, nempe, ipsum esse *ad* : ac proinde nec etiam distincte et perfecte intelligimus, in quonam in particulari, et adæquate consistat ratio illa quæ tribuit incommunicabiliter subsistere, et unde rationem suam desumat : an nimirum in ordine ad se; an vero in ordine ad terminum : cum tamen quævis ratio, ut in particulari, et distincte ac perfecte cognita, debeat concipi ut consistens in aliquo in ordine ad se, et esse absoluta, vel, ut consistens in aliquo in ordine ad terminum, et esse, ac concipi ut relativa, et ut respiciens eumdem terminum, ut in præsenti debet contingere eo ipso, quod prædicta ratio non sit absoluta, sed relativa : et per consequens personæ, ut intelliguntur per conceptus nostros perfectos et distinctos, non concipiuntur ut præcise constitutæ per relationes, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, non pertingendo per eosdem conceptus nostros ad conci- 66.

piendum id, quod implicite afferunt secundum hoc primum munus, seu non pertingendo ad cognoscendum rationem illam, ut etiam expresse et distincte dicit esse *ad;* sed ulterius devenitur ad concipiendum, illas constitui per ipsas relationes, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi per modum relationum, et ut dicunt ordinem, et oppositionem ad correlativum.

§ III.

Assertio posterior ex Angelico Doctore deprompta.

67. Secunda conclusio. Dicendum est secundo, si loquamur de personis divinis, ut concipiuntur per conceptus nostros confusos et imperfectos, et per analogiam ad modum, quo personæ creatæ constituuntur, et ut ex eisdem creaturis cognoscuntur, tunc proprietates constitutivæ, et distinctivæ earum sunt relationes, secundum quod habent esse rationes incommunicabiliter subsistendi, non vero secundum quod exprimunt *ad,* seu munus D.Thom. respiciendi. Assertio hæc est Angelici Præceptoris supra quæst. 29 art. 4 et in aliis locis, quæ nos ibidem disp. 9 num. 44 adduximus ad probandnm cum eodem Angelico Præceptore, quod significandum formale, et directum *personæ divinæ* conceptæ per conceptus nostros confusos, et imperfectos (de quo S. Doctor ibidem loquitur) non est aliquid relativum secundum expressum munus *ad*, sed ut dicit *subsistere* incommunicabiliter in natura divina.

68. Idem etiam docuit D. Thomas art. 4 hujus quæstionis in corpore, et ad 1 ubi hanc Magistri propositionem explicat, scilicet : *Pater semper est, quia genuit Filium,* dicens, quod in hac propositione, *accipitur nomen Patris, secundum quod designat relationem tantum, non autem secundum quod significat personam subsistentem : sic enim oportet e converso dicere, quod, quia Pater est generat.* In quibus verbis loquitur de personis divinis, ut concipiuntur secundum nostrum imperfectum modum concipiendi, constitutæ : et ex quo capite docet de Patre, quod, quia genuit Filium, est Pater, ac proinde quod prius est, illum genuisse, quam esse Patrem, satis denotat non constitui in *esse* personæ Patris per eamdem Paternitatem, ut exprimit ordinem ad Filium : at ex quo capite inquit, quod quatenus Pater significat personam subsistentem, tunc, quia Pater est, generat, atque adeo præsupponitur persona Patris, ut subsistens ad generationem, satis etiam innuit, illam constitui per relationem Paternitatis, ut est ratio subsistendi incommunicabiliter.

Unde S. Doctorem sequuntur Nazarius art. 4 quæst. 29 controversia unica, § *Ex dictis sequitur primo;* Author tabulæ aureæ in verbo *Persona* n. 21, Sylvester in suo conflatu quæst. 29 art. 4, Vasquez 1 part. disp. 127 cap. 2, Suarez lib. 7 de Trinit. c. ultimo, Ruyz in præsenti disput. 32 sect. 7, et alii plures, tam intra quam extra Scholam divi Thomæ. Naz. Berg. Silv. ter Vas que Suar. Ruy

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma quæst. 29 art. 4 nuper citato, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam persona ut sic constituitur per rationem subsistendi incommunicabiliter in natura rationali, et persona creata per rationem subsistendi incommunicabiliter in natura rationali creata : ergo persona divina, ut intelligitur constitui per analogiam ad personas creatas, ac secundum nostrum confusum et imperfectum concipiendi modum, constituetur per rationem incommunicabiliter subsistendi in natura divina : non vero per munus expressum referendi : ergo cum constituatur in *esse* personæ divinæ per relationem, ut dubiis præcedentibus ostensum est, oportebit, ut constituatur per illam, quatenus est ratio subsistendi incommunicabiliter in natura divina, non vero per prædictum munus expressum respiciendi. 69 Rati fund m nta D.Th

Confirmatur. Quia nostro modo concipiendi imperfecto non concipimus divina, nisi ex creaturis, ut ait D. Thomas, quæst. sequenti art. 2, sed in creaturis suppositum jam constitutum habet præsupponi ad generationem, et hæc ad relationem Paternitatis ut ratio fundandi illam : ergo juxta eumdem imperfectum concipiendi modum prius debemus concipere personam Patris constitutam, quod concipiamus ipsam generare; et non utcumque, sed ita ut ipsa generatio sit fundamentum, sive ratio fundandi Paternitatem, ut est ratio respiciendi Filium : ergo nostro imperfecto concipiendi modo non concipiemus, illam constitui per Paternitatem, ut est ratio respiciendi Filium, secundum quam rationem subsequitur ad generationem; sed per prædictam Paternitatem, ut est ratio incommunicabiliter subsistendi : siquidem ratio ista est, quæ in relatione divina Paternitatis habet se Confi matu

se ad instar constitutivi personarum creatarum, ex quarum cognitione devenitur secundum hunc imperfectum modum concipiendi ad cognitionem constitutivi, et distinctivi divinarum personarum.

§ IV.

Objectio prior contra priorem assertionem, prior ejus solutio, et duplex illius impugnatio.

70. Prior …jectio. …Thom. Sed objicies primo, quod contra priorem assertionem militat testimonium illud D. Thomæ art. 4 hujus quæstionis, quod supra a nobis relatum est. Nam in eo Angelicus Præceptor distinguit inter relationem, ut relatio est, et inter eamdem, ut habet constituere personam : at nomine relationis, ut relatio est, intelligit relationem quatenus exprimit *ad*, ut ex contextu ipso constat : ergo juxta ipsius sententiam relatio secundum hoc munus non est constitutiva personæ : ac proinde male nos diximus in priori assertione, relationem, adhuc secundum suum esse *ad* esse constitutivam personæ, prout est in se ipsa, aut secundum quod concipitur a nobis per conceptus perfectos et distinctos.

…onfirmatur. Confirmatur. Quoniam secundum eumdem Angelicum Præceptorem in eodem loco, relatio Paternitatis, ut dicit *ad*, supponit generationem activam, tanquam fundamentum, sive rationem fundandi : ergo nequibit secundum hanc rationem constituere personam Patris : alioqui Paternitas, ut dicit *ad*, præsupponeretur ad generationem : et per consequens generatio non esset fundamentum, sive ratio fundandi illius.

71. Vasquez. …rrara. Ad hanc objectionem omissis, tum solutione tradita a Vasquez in hac 1 p. disput. 159 cap. 5 tum etiam responsione adhibita a Ferrara 4 contra Gentes c. 26 §. *Ad evidentiam secundi dubii* : quoniam prior ex illis manet impugnata ex iis, quæ disp. 11 num. 52 et 55 diximus; et posterior ex dictis disp. 9 n. 59 ostendentes, dari in divinis tres subsistentias relativas, solet responderi ex Cajetano art. 4 hujus quæstionis § *Ad evidentiam*, in solutione secundæ difficultatis, ubi inquit, Paternitatem v. g. secundum propriam rationem talis relationis, et secundum proprium esse *ad* posse sumi duobus modis : scilicet, vel ut conceptam, seu præcise secundum suam essentiam, et quoad conceptum essentialem ipsius ; vel ut exercitam, idest, ut exercet actu munus referendi : et sumptam primo modo constituere personam Patris in *esse* personali relativo realiter, et formaliter, sed non relative exercito, et præsupponi ad generationem activam : at sumptam secundo modo non constituere personam in *esse* personali, nec præsupponi, sed consequi ad eamdem generationem activam : ac proinde tribuere personæ jam constitutæ, quod in actu exercito habeat exercitum respiciendi Filium : et per consequens juxta hæc explicat Cajetenus testimonium D. Thomæ in hac objectione adductum. Quam solutionem tradunt etiam Canariensis 3 part. commentarii articuli 4 hujus quæstionis, § *Cæterum aliter respondendum*, et alii.

…sponsio …ima. …jetanus. Cajetan. Canariensis.

72. Refutatur hæc solutio. Cæterum licet hæc solutio sit valde probabilis : nihilominus probabilius judicamus cum aliis discipulis D. Thomæ, Paternitatem v. g. secundum suum esse *ad* exercitum constituere, et distinguere personam Patris, prout est in se ipsa, et ut concipitur a nobis per conceptus perfectos et distinctos. Et ideo contra prædictam solutionem potest objici, quod Paternitas, ut concepta secundum propriam ultimam rationem suam, seu secundum proprium esse *ad*, non potest concipi, ut unita alicui quasi subjecto, nisi concipiatur, ut exercens munus referendi, et tribuens illud suo quasi subjecto : ergo nec poterit concipi, ut constituens secundum suum proprium esse *ad* personam Patris, abstrahendo ab exercitio referendi.

Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam quævis forma unita suo quasi subjecto debet concipi ut tribuens ei exercitium formale, quod in genere causæ, aut quasi causæ formalis eidem competit et ita calor, v. g. nequit concipi sic unitus suo subjecto, nisi concipiatur ut exercens ibidem exercitium, quod in genere causæ formalis ei convenit : ac proinde nisi intelligatur tribuere actu exercito *esse* calidum, quod quidem est exercitium proveniens in genere causæ formalis ab eodem calore.

73. Evasio. Unde nihil obest id, quod in favorem solutionis Cajetani solet adduci, nimirum, quod etsi in formis omnino absolutis nequeat concipi forma unita subjecto, maximo si sit subjectum connaturale, quin tribuat illi suum exercitium, quod ab ea in genere causæ formalis provenit ; secus tamen in formis aliquo modo relativis. Nam istæ possunt concipi unitæ suis sub-

jectis, aut quasi subjectis, quin tribuant illis prædictum exercitium, sed solum vim ad tale exercitium, seu actum primum requisitum ad illud.

Explicatur exemplis. Hoc autem explicant aliqui sequentibus exemplis. Nam in primis, Generalissimum prædicamenti relationis in concreto sumpti intelligitur unitum suo quasi subjecto, et non tribuere ei exercitium respiciendi terminum : quia non potest concipi, ut habens alterum correlativum sibi æquale, ad quod importet hujusmodi exercitium : cum omnia relativa contineantur sub relativo in communi. Et deinde relationes similitudinis, et æqualitatis, sumptæ in communi, et in concreto, non habent exercitium referendi, seu referri in actu secundo, sed solum vim ad hoc exercitium, seu *esse* relativum in actu primo : ex eo quod nec simile in communi habet alterum simile adæquatum sibi, ad quod actu, et in exercitio referatur, neque æquale alterum æquale : cum omnia similia, et æqualia contineantur sub æquali, et simili in communi.

Et deinde relatio paternitatis in creatis, unita patri habenti priorem filium, tribuit ei exercitium referendi respectu ejusdem filii, non tamen respectu filii nondum nati : quia hoc exercitium non tribuitur, usquedum prædictus filius nascatur : et nihilominus relatio paternitatis tribuit vim ad hoc exercitium, antequam secundus filius generetur : et propterea per eamdem relationem, per quam respiciebat primum filium, respicit secundum. Et similiter species intelligibiles inditæ Angelis in sua creatione sunt repræsentativæ singularium, antequam existant : et tamen non repræsentant ea actu, nisi supposita illorum existentia. Ac tandem scientia Dei, ut intelligitur ordine rationis antecedere ad decretum de futuritione creaturarum, est visiva, seu intuitiva earum quasi in actu primo : et nihilominus ex defectu termini, idest, futuritionis earumdem creaturarum in illo signo, non est in actu exercito visio, aut intuitio earum.

74. Refellitur. Ex dictis igitur constat, nihil obesse hanc solutionem. Quoniam quævis forma, sive absoluta, sive relativa, quæ concipitur unita suo subjecto, aut quasi subjecto capaci effectus formalis talis formæ, et exercitii illius, quod ab ea in genere causæ formalis provenit, debet tribuere ei prædictum exercitium, hoc ipso quod sic unita concipiatur. Quoniam prædictum exercitium tantum dicit formam datam suo quasi subjecto et causalitatem formalem, qua ipsa semetipsam illi communicat : ac proinde, sicut repugnat concipi formam unitam proprio subjecto, et non concipi ibidem actualitatem sui effectus primarii, prædictamque formam, ut datam in genere causæ formalis illi subjecto, et causalitatem, ac exercitium, quo illi datur : sic etiam repugnantiam involvit, concipi talem formam unitam proprio subjecto, et non tribuere illi exercitium, quod ab ea in genere causæ formalis provenit.

Confirmatur. Nam sicut in causis efficientibus data virtute efficiendi, et causalitate illius in genere causæ efficientis, datur in actu exercito effectus proprius illius, et exercitium prædicti effectus in ratione effectus : ita etiam in causis formalibus, si concipiatur forma ut data, ac proinde una cum causalitate illius, debet concipi, quod eo ipso datur effectus proprius illius in actu exercito, et exercitium, quod in genere causæ formalis ab eadem provenit. 75. Confirmatur primo.

Retorquentur exempla pro evasione adducta. Confirmatur secundo exemplis, quæ in favorem solutionis Cajetani adducta sunt. Et in primis exemplis Generalissimi relationis, aut relationum æqualitatis, vel similitudinis in communi sumptarum. Nam relationes istæ ideo possunt concipi in concreto, ut unitæ suis subjectis, quin tribuant exercitium referendi, quia non concipiuntur, ut formæ singulares, et individuæ, nec unitæ subjecto singulari et individuo : ex eo quod exercitium cujusvis formæ non convenit illi, nisi in singulari sumptæ, et unitæ suo subjecto singulari. Et propterea hoc ipso, quod relatio similitudinis, v. g. quæ in communi considerata non tribuebat exercitium referendi, concipiatur in singulari, et unita suo subjecto singulari, debet concipi, ut tribuens suum exercitium referendi : ac proinde hoc ipso, quod Paternitas in divinis, quæ est forma singularissima, concipiatur ut unita secundum suum esse *ad* Patri æterno, debebit concipi, ut tribuens in actu exercito suum exercitium referendi.

Et deinde ex tribus posterioribus exemplis hoc ipsum declaratur. Nam relatio, v. g. paternitatis creatæ, et singularis, residens in hoc numero patre, non potest concipi ut unita illi, quin concipiatur tribuere ipsi exercitium referendi respectu termini formalis, et primarii, qui est filius a se genitus, sive sit hic, sive ille, necnon respectu 76.

pectu filii prioris et existentis : et quando nascitur secundus filius, solum additur nova pars termini materialis, non vero exercitium relationis paternitatis secundum id, quod ex parte illius se tenet : quia non dicitur additale exercitium ex eo quod aliquid ex parte ipsius se tenens illi in *esse* entis addatur (alioqui id, quod dênuo adderetur, solo numero distingueretur ab eo, quod præerat, nempe ab exercitio respiciendi priorem filium : et ita darentur simul duo exercitia solo numero distincta in eodem subjecto, nempe in eodem patre), sed dicitur addi exercitium, quia additur novus terminus ad illud requisitus. Et ita nequit relatio illa concipi, ut unita huic numero patri, quin concipiatur tribuere, quidquid ex parte sui requiritur ad tale exercitium. Et per consequens etiam relatio Paternitatis increatæ, concepta secundum suum esse *ad*, et unita suo quasi subjecto, debebit concipi, ut tribuens exercitium referendi respectu sui termini formalis, et primarii, nempe unici, et adæquati Filii divini. Et data hypothesi impossibili, quod possent in divinis esse plures filii, tunc omne exercitium referendi, quod posset tribui a prædicta Paternitate, deberet concipi, ut tributum (quantum est ex parte ipsius) hoc ipso quod concipiatur, ut unita Patri. Et propterea nequiret concipi, ut constitutiva personæ secundum suum esse *ad*, nisi conciperetur constituere illam secundum exercitium ejusdem *ad* quoad omne, quod ex parte prædictæ Paternitatis ad illud requiritur. Cujus oppositum vult Cajetanus.

77. Impugnatur amplius. Deinde eadem solutio principalis ex Cajetano adducta potest secundo, et principaliter ratione alia non parum urgenti impugnari. Nam si semel admittitur, quod in relatione Paternitatis increatæ debet dari, tum *esse* relativum quasi in actu primo, tum etiam *esse* relatum quasi in actu secundo, seu exercitium referendi, non potest ex uno capite admitti, quod prædicta relatio secundum suum *esse ad* speciale et atomum, consideratum in actu primo, sit constitutiva personæ Patris : et ex alio quod non sit constitutiva ejusdem personæ secundum prædictum *esse ad*, ut tribuit *esse* relatum in actu secundo, seu ut tribuit exercitium referendi.

Et ratio videtur aperta. Quoniam constitutio personæ divinæ debet esse perfectissima, et per modum actus purissimi : non sic autem esset, nisi forma constitutiva ipsius, ut constitutiva est, pertingeret usque ad ultimam actualitatem suæ lineæ relativæ, nempe, usque ad ipsum exercitium referendi, quod est ultima actualitas prædictæ lineæ. Sicut constitutio divinæ naturæ non esset perfectissima, et per modum actus purissimi, nisi forma constitutiva ipsius, quatenus constitutiva est, pertingeret usque ad ultimam actualitatem suæ lineæ, nempe, usque ad actuale *intelligere* primordiale, et secundum prædictum *intelligere* constitueret Deum in ratione intelligentis in actu exercito.

§ V.

Vera solutio præcedentis objectionis, et confirmationis illius.

Quare melior solutio prædictæ objectionis videtur esse illa, quæ deducitur ex dictis, nimirum, quod cum D. Thomas inquit relationem, ut relatio est, non constituere personam, loquitur de constitutione divinæ personæ, non secundum omne id, per quod a parte rei constituitur, aut de constitutione ejus, ut concipitur constitui per nostros conceptus perfectos et distinctos; sed de constitutione ejusdem, ut concipitur per nostros conceptus imperfectos et confusos, et de relatione, ut exprimit munus respiciendi terminum. Nam sic concepta constitutione divinæ personæ, non pertingitur usque ad intelligendam adæquate ejus constitutionem, et constitutivum, alioqui conciperetur per conceptus perfectos et distinctos constituta; sed præcise sistitur in alio munere relativo proveniente ab eadem relatione, nimirum, in munere incommunicabiliter subsistendi in natura divina ut explicatum est, et statim amplius explicabitur. 78. Ex dictis traditur vera objectionis enodatio.

Ad confirmationem respondetur etiam ex modo dictis, quod D. Thomas tantum vult, relationem Paternitatis divinæ, ut conceptam secundum nostros conceptus imperfectos et confusos, et ut dicit *ad*, idest, ut exprimit præcise munus referendi, ac proinde munus præcise æquivalendi relationi creatæ paternitatis, ut exprimenti ordinem ad filium, supponere secundum eumdem modum concipiendi generationem activam (modo tamen statim explicando) tanquam fundamentum sive rationem fundandi ejusdem Paternitatis secundum prædictum munus sumptæ; non vero quod relatio Paternitatis, concepta secundum nostros 79. Solvitur confirm.

conceptus perfectos et distinctos, aut prout videtur a beatis, sive prout est in se ipsa, supponat generationem activam secundum suam ultimam rationem consideratam, tanquam rationem fundandi eamdem Paternitatem sic sumptam. Quia relatio Paternitatis sic accepta, nempe, quoad id, quod correspondet in ipsa nostris conceptibus perfectis et omnino distinctis, non supponit generationem activam secundum suam ultimam rationem consideratam; sed potius, adhuc secundum suam esse *ad*, ut exprimit munus respiciendi, supponitur prædictæ generationi sic acceptæ.

Unde Paternitas priori modo sumpta, ut concipitur per nostros conceptus confusos et imperfectos nuper dictos, nequit (loquendo de constitutione personæ Patris secundum prædictum modum concipiendi nostrum imperfectum et confusum) constituere illam, ut prædicta Paternitas exprimit munus referendi, quia sic supponit generationem activam, modo statim dicendo, bene tamen, ut exprimit munus aliud relativum quodammodo præcedens ad prædictam generationem, nempe, munus subsistendi incommunicabiliter in natura divina, ut jamjam magis explicamus. Et similiter ipsamet Paternitas, ut concipitur per conceptus perfectos et distinctos, habet (ad huc ut exprimit munus referendi, non qualecumque, sed eminens, et dicens peculiarem modum subsistendi proprium Patris) constituere personam Patris : quia sic sumpta præsupponitur ad generationem activam secundum suam ultimam rationem consideratam, et tribuit Patri, quod subsistat incommunicabiliter modo illo peculiari, qui est proprius Patris : eo quod ipsa, secundum hanc rationem considerata, et perfecte cognita, concipitur ut ratio atoma, a qua Pater habet suum atomum *subsistere*, perfecte, et distincte conceptum.

80. Replica. Nec obest, si urgeas contra hanc solutionem, quod quævis relatio realis, quæ pertinet, aut reducitur ad secundum genus relationum, debet, non solum secundum nostrum imperfectum modum concipiendi, sed etiam prout est in se, et secundum quod sic sumpta exprimit munus referendi, habere pro ratione fundandi actionem, vel passionem : quia hoc per se petitur ad prædictum genus relationum et in hoc distinguuntur ab omnibus aliis : ergo etiam in divinis Paternitas, non solum ut concipitur a nobis per conceptus confusos et imperfectos, sed etiam prout est in se, et secundum quod sic accepta exprimit munus referendi, exigit pro ratione fundandi generationem activam : et per consequens prædicta generatio præsupponetur ad eam sic sumptam, et ipsa Paternitas sic accepta nullo modo constituet personam Patris, quæ ad generationem activam debet præsupponi constituta.

Confirmatur. Quoniam non possunt hæc duo inter se cohærere, nimirum, quod relatio Paternitatis, concepta per nostros conceptus imperfectos et confusos, præsupponat, secundum quod exprimit munus referendi, generationem activam; et quod eadem, ut concepta per conceptus perfectos et distinctos, præsupponatur secundum prædictum munus ad eamdem generationem activam. Et ratio est. Quia per hoc, quod constitutio alicujus concipiatur a nobis per conceptus imperfectos et confusos solum significatur, quod res illa, et ejus constitutivum non concipitur adæquate, et distincte quoad omnia, quæ in se formaliter habet, sed quod aliquid illius cognoscitur, et aliquid non concipitur, ex eo quod non scitur distincte et in particulari, in quonam res illa sic confuse concepta consistat, non tamen cognoscitur aliter, ac in se ipsa est, ita ut ipsi attribuatur ratio aliqua, quæ in illa non sit. Ergo hoc ipso, quod relatio Paternitatis concepta, prout est in se ipsa, et prout sic exprimit munus referendi, præsupponatur quodammodo ad generationem activam, non poterit cum hoc cohærere, quod concepta secundum nostrum modum imperfectum concipiendi, et ut secundum illum constituit personam Patris, præsupponat, secundum quod exprimit munus referendi, generationem activam, sed ad summum, quod secundum hoc munus non concipitur per prædictos conceptus confusos et imperfectos, et ut constitutiva personæ : ex eo quod sic concepta quoad munus referendi non pertingitur ad concipiendum, an secundum hoc munus tribuat peculiarem modum subsistendi Patri, sed hoc pertineat ad ipsam, prout est in se, sive prout concipitur a nobis per conceptus perfectos et distinctos.

81. Fit obviam replicæ. Respondetur, quod ad hoc, ut relatio Paternitatis, quatenus, prout est in se, exprimit munus referendi, habeat quodammodo pro fundamento, sive ratione fundandi generationem activam, non est necesse, ut prædicta generatio secundum omnem sui rationem quodammodo præcedat

dat Paternitatem secundum munus jam dictum consideratam, sed satis erit (ut jam explicamus) quod generatio secundum unam sui rationem quodammodo habeat præcedere, et secundum aliam quodammodo subsequatur in ordine ad nostros conceptus perfectos et distinctos. Quod tamen in ea invenitur, ut in solutione ad confirmationem hujus replicæ dicemus.

Adde, hoc esse discrimen inter relationes creatas spectantes ad secundum genus, imo et alias relationes reales divinas fundatas, aut quasi fundatas in processione passiva ex una parte, et relationem increatam Paternitatis ex alia, quod relationes creatæ quoad omnia spectantia ad lineam relativam præsupponunt actionem, vel passionem, quod idem de aliis relationibus divinis nuper dictis dicendum est, si in illis ratio processionis activæ, aut passivæ (ut multi probabiliter volunt) non consistit : si autem sint ipsa processio passiva, ut de Filiatione, et relatione spirationis passivæ diximus, tunc prima ratio spectans ad lineam relativam in illis inventa debet esse prædicta ratio processionis passivæ. At vero relatio increata Paternitatis hoc non habet, sed concepta per conceptus confusos, præsupponitur secundum primam sui rationem ad generationem activam, et adhuc concepta distincte quoad omnia sua, præsupponit secundum aliquod sui munus generationem activam inadæquate conceptam, et præsupponitur ad eam secundum suam ultimam rationem consideratam ut statim explicabimus.

82. Illustratur ratione. Et ratio disparitatis desumitur, tum ex eo, quod licet Paternitas divina, adhuc ut exprimit munus referendi, sit simul natura, et cognitione cum Filiatione, atque adeo non sit causalitas inter eas, nec detur aliquod prius *in quo*, sive durationis, sive intellectionis, id est, in quo unum possit esse, aut concipi sine alio, aut non concepto alio, ut ei correspondet : attamen est inter eas ordo originis, et secundum hunc ordinem Paternitas est prior prioritate originis (ut sic dicamus) *a quo*, quam Filiatio, adhuc ut est passiva processio Filii, ut Filius est. Et similiter eadem Paternitas erit simul eisdem proportionalibus modis cum generatione activa, ut est productio Filii secundum munus respiciendi : et tamen quodammodo erit prior virtualiter illa sic sumpta per virtualem ordinem (ut sic dicamus) originis *a quo* : quia ex Patre, ut ultimate constituto in sua ratione personali, adhuc in ordine ad nostros conceptus distinctos, debet quasi oriri ipsa generatio activa, ut est productio Filii quoad suam ultimam rationem considerati, idest ut exprimit munus referendi constitutivum suæ personæ distincte et perfecte cognitæ. Quare, cum hic ordo originis non reperiatur in relationibus creatis, nec inter alias relationes divinas fundatas in processione passiva, et collatas cum illa : inde est, ut non intelligantur secundum aliquam considerationem prius prioritate, aut ordine originis *a quo*, quam processiones.

Tum etiam ex eo, quod natura creata, v. g. hominis, aut ejus potentia generativa, vel etiam ipse homo, ut v. g. Petrus, non est sufficienter determinatus ad habendam relationem paternitatis, nisi per generationem. Et ideo nisi hæc adsit, nequit dari prædicta relatio exigens sufficientem rationem, et determinationem, media qua habeat resultare. Et deinde aliæ relationes increatæ, scilicet Filiatio, et processio passiva, ex se habent præsupponere actiones, et veluti passiones quibus producuntur, quia sunt relationes realiter productæ.

Cæterum natura divina ex se, et ab intrinseco habet sufficientem determinationem, prout est in se ipsa, et ratione sui, ad hoc ut detur in divinis relatio Paternitatis absque eo, quod ad illam adæquate sumptam præsupponatur generatio, aut alia actio notionalis. Nam ipsa natura per se, et ab intrinseco habet esse fœcundam per modum actus purissimi, et non utcumque, sed ita ut ex sua communicabilitate, et fœcunditate habeat esse in tribus suppositis habentibus inter se ordinem originis : ita ut in uno sit ut non communicata ab alio, et in aliis communicata. Et ideo etiam ex se prædeterminat sibi quamdam personalitatem constitutivam personæ, quæ non producatur ab alia. Et rursus, quia ratione suæ infinitatis, et simplicitatis nequeunt ejus supposita esse inter se distincta per proprietates absolutas : idcirco in hac persona non producta habet determinare sibi certam quamdam personalitatem relativam, et non absolutam. Et tandem, quia prædictæ naturæ ex sui ratione competit, quod prius habeat communicari ut natura, et per consequens per generationem, quam ut amor, ac proinde per spirationem : propterea determinat sibi

in eadem persona non producta talem personalitatem relativam, quæ sit Paternitas, et non alia relatio : quamvis (ut nuper dicebamus) semel prædeterminata Paternitate quoad primam sui rationem, primumque sui munus, absque eo quod ad illam sic sumptam præeat generatio, ut ratio fundandi, postmodum quoad munus referendi, præsupponit quodammodo generationem activam, in sensu statim in sequenti solutione explicando sumptam.

83. Occurritur confirm. Ex quoad confirmationem respondetur, quod hoc ipso, quod relatio Paternitatis concipiatur, prout est in se, sive per conceptus nostros perfectos et distinctos, apparent in ea respectu cognoscentis illam per prædictos conceptus, plura munera, sive plures rationes eorumdem munerum, ex parte saltem nostri modi concipiendi diversæ, quam appareant respectu cognoscentis eamdem per conceptus imperfectos et confusos. Et ideo quoad hæc munera, seu peculiares rationes munerum, quæ quodammodo super crescunt respectu prædictæ cognitionis perfectæ, potest relatio Paternitatis concipi, ut quodammodo prior secundum munus expressum referendi (modo statim dicendo) ibidem denuo apparens, quam generatio activa, considerata secundum suam ultimam rationem, et secundum quod concipitur per conceptus perfectos et distinctos : quamvis prædicta Paternitas, ut concepta per conceptus imperfectos et confusos, et non pertingentes ad hæc posteriora munera, sive rationes peculiares eorum, nequeat quoad munus expressum referendi secundum eam rationem, quæ de illa tunc apparet, concipi, ut quodammodo præcedens eamdem generationem activam.

84. Animadversio prior pro pleniori explicatione solutionis. Explicatur hoc, supponendo tamen duo. Primum est dari plura munera in Paternitate, et similiter in generatione activa. Nam in primis in Paternitate invenitur munus incommunicabiliter subsistendi, non acceptum per realem processionem ab alio : et hoc præsupponitur ad generationem. Deinde subsequitur prædicta generatio, ut est productio Filii, quatenus Filius præcise exprimit subsistens incommunicabiliter in natura divina productum per primam processionem, non exprimendo munus referendi, et respiciendi Patrem, nec generationem ipsam, prout expresse communicat hoc munus : quia a prima persona constituta in *esse* subsistentis incommunicabiliter, oportet, ut intelligatur procedere Filius, ut eodem modo subsistens.

Et ulterius post generationem sic inadæquate sumptam subsequitur quodammodo relatio Paternitatis, ut exprimit munus referendi, et ipsamet ut distincte et perfecte concipitur : quatenus secundum hoc munus dicit, non qualecumque *respicere* suum Filium, idest, prout æquivalet expresse relationi creatæ filiationis : sed *respicere* talis conditionis, ut dicat et exprimat peculiarem et atomum modum incommunicabiliter subsistendi relativum, secundum quem habet constituere Patrem in ratione propria, et atoma suæ personæ, et æquivalere atomæ personalitati creatæ, quæ per possibile vel impossibile esset talis conditionis, ut peteret conjunctionem cum relatione Paternitatis, non vero Filiationis.

Et tandem ab eodem Patre, ut sic constituto per hoc ultimum munus distincte et perfecte cognitum, intelligitur quasi oriri generatio Filii, ut habet producere eumdem Filium, secundum quod exprimit ulterius aliud munus, nimirum hoc, quod est, esse Filium : non solum quia exprimat subsistens incommunicabiliter in natura divina accepta per generationem tribuentem hanc rationem ; sed etiam ut exprimit prædictum subsistens, ut expresse dicit munus referendi, et respiciendi Patrem ; et non utcumque, ac nude sumptum, sed quatenus secundum hoc munus perfecte ac distincte cognitum deprehenditur, esse in eo rationem ita respiciendi Patrem, et æquivalendi expresse Filiationi creatæ, ut simul in hoc respectu inveniatur ratio tribuendi Filio propriam et atomam subsistentiam relativam, per quam expresse, et perfecte cognoscitur constitui in ratione ultima personæ relativæ : atque adeo ratio quædam expresse æquivalens subsistentiæ, et personalitati creatæ, quæ per possibile, vel impossibile exigeret conjunctionem cum relatione Filiationis, non vero Paternitatis : siquidem a prima persona, ut ultimate intelligitur constitui per conceptus perfectos, non potest non oriri, aut quasi oriri propria, et prima operatio ipsius, scilicet generatio, secundum hanc ultimam rationem jam dictam considerata, seu ut per conceptus perfectos et distinctos concipitur, sicut ipsamet, ut concepta per conceptus imperfectos et confusos, oriri debet ab eadem prima persona, ut intelligitur constituta per nostros conceptus confusos et imperfectos. 85.

86. Animadversio secunda. Secundum, quod supponimus, est, quod loquendo de muneribus constituentibus personam

sonam Patris, et de generatione activa, ut habet aliquem quasi ordinem (ut sic dicamus) originis respectu illius, tunc reddendo sua objecta singulis ex his modis concipiendi, dicendum est, quod per conceptus imperfectos et confusos pervenitur expresse, tum ad Paternitatem, et ad constitutionem personæ Patris, ut dicit subsistens incommunicabiliter in natura divina, non acceptum ab alio per realem processionem, tum ad generationem activam secundum priorem considerationem modo dictam, nempe, ut præcise attingit expresse subsistens incommunicabiliter in natura divina accepta per primam processionem; non vero per hos conceptus ultra progredimur ad concipiendum eamdem Paternitatem, ut secundum munus expressum referendi dicit peculiarem rationem subsistendi incommunicabiliter, ac proinde peculiarem rationem constitutivam personæ: et per consequens nec pervenitur ad generationem activam, ut secundum sui posteriorem considerationem quodammodo oritur a Paternitate, quatenus secundum hoc ultimum munus respiciendi exprimit etiam proprium modum incommunicabiliter subsistendi constitutivum personæ Patris in sua atoma et ultima ratione personæ: at vero per conceptas perfectos et distinctos, quatenus diversi sunt a conceptibus imperfectis, concipiuntur istæ rationes, et si quæ sint aliæ, quæ supersint.

87. dictis ucida- tur latio nfirm. Ex his ergo duobus manet explicata solutio confirmationis quoad id, quod in illa explicari desiderabatur. Nam ex quo capite per conceptus imperfectos et confusos tantum pervenitur ad prædictas rationes, oportet, ut relatio Paternitatis, quatenus sic intellecta, concipiatur ut præcedens nostro modo concipiendi, generationem activam, prout prædicta relatio tantum exprimit munus illud incommunicabiliter subsistendi non acceptum ab alio per realem processionem: quia munus hoc collatum cum munere generationis activæ est talis conditionis, ut si per impossibile generatio activa distingueretur ab illo, esset realiter prius ipsa: quod idem de aliis muneribus eo modo et ordine, quo a nobis descripta sunt, dicimus. Et ita adhuc beati, qui concipiunt Paternitatem quoad hæc munera expressa jam dicta, et correspondentia huic nostro imperfecto modo cognoscendi (licet in eis non sistant, quippe qui cognoscunt illa per conceptus perfectos et distinctos) nequeunt concipere, quod secundum illa sit alius ordo inter Paternitatem, et generationem, quam ille, quem imperfecte nos concipimus per conceptus imperfectos et confusos.

Cæterum ex quo capite nos per conceptus perfectos et distinctos ulterius progredimur ad alia munera, in quibus e contra res se habet, et relatio, secundum quod exprimit munus referendi, non qualecumque, sed tale, ut si perfecte cognoscatur, appareat ibi peculiaris quædam ratio ejusdem muneris, nempe, peculiaris modus subsistendi incommunicabiliter jam dictus, præsupponitur quodammodo ad generationem secundum ultimam illam sui rationem consideratam, ut explicatum est: oportet, ut concipiendo prædictam relationem Paternitatis per hos conceptus perfectos et distinctos, deprehendatur, esse quodammodo priorem generatione activa non quidem quoad illa munera, quæ sunt intra sphæram cognitionis imperfectæ et confusæ; sed quoad posterius munus jam dictum, quod est extra hanc sphæram, et continetur intra sphæram cognitionis perfectæ et distinctæ, secundum quod excedit, et supergreditur cognitionem eorum munerum, ad quæ potest pertingere cognitio imperfecta et confusa.

§ VI.

Posterior objectio contra secundam assertionem, et enodatio illius.

Secundo objicies contra secundam assertionem. Quod si semel per nostros conceptus imperfectos et confusos non constituitur persona Patris per relationem, ut exprimit *ad*, nec etiam poterit constitui secundum prædictos conceptus per aliquid relativum, sed per aliquid absolutum. Nam vel illud per quod secundum hos conceptus constituitur, exprimit hoc, quod est, respicere terminum, et esse in ordine ad illum, vel non? si hoc secundum dicatur, fiet hinc, illud exprimere aliquid absolutum quia conceptus expressus alicujus non respicientis terminum est conceptus expressus rei in ordine ad se, et non in ordine ad aliud, et hic est conceptus expressus alicujus absoluti. Si autem primum asseratur, consequens erit, ut persona Patris constituatur, adhuc secundum prædictos conceptus, per relationem, ut exprimit *ad*. Cujus oppositum in eadem assertione diximus. 88. Secunda objectio.

Confirmatur. Confirmatur. Nam relationes divinæ, prout sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, non habent unde distinguant personas divinas ab invicem, nisi una concipiatur per modum Patris, et alia per modum Filii, etc. ac proinde, nisi prædictæ relationes concipiantur, ut tribuunt distinctum esse *ad*, non concipientur ut formæ constitutivæ et distinctivæ divinarum personarum : ergo male diximus in secunda assertione, quod secundum nostrum modum imperfectum concipiendi relationes divinæ sunt constitutivæ, et distinctivæ divinarum personarum, quatenus concipiuntur, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, non vero ut dicunt *ad*.

89. Diluitur objectio. Respondetur, negando antecedens. Quia (ut ex dictis constat) constitutivum personæ, v. g. Patris, secundum nostrum imperfectum et confusum modum concipiendi debet esse quid formaliter, et expresse relativum; licet non dicat formaliter, et expresse munus respiciendi. Quia conceptus adæquatus Paternitatis, ut dicit quid formaliter, et expresse relativum, ac proinde conceptus adæquatus ipsius *ad* ab ea importati, non est solummodo munus expresse respiciendi; sed etiam munus speciale incommunicabiliter subsistendi. Et ideo aliqui dicunt, quod personæ divinæ, adhuc secundum nostrum imperfectum modum concipiendi, constituuntur per ipsum *ad* : quia sumunt ly *ad*, prout complectitur quodvis munus formaliter, et expresse pertinens ad lineam relativam. Alii vero nobiscum asserunt, prædictas personas sic sumptas non constitui per ly *ad* : quia sumunt *ad* pro munere per antonomasiam dicto *ad*, id est, pro expresso munere respiciendi.

90. Et ad probationem eligenda est posterior pars illius dilemmatis. Inde tamen non fit, quod constitutivum personæ Patris secundum nostrum modum concipiendi sit conceptus expressus alicujus absoluti; sed solum quod non sit conceptus expressus alicujus relativi, prout relativum dicit præcise munus quoddam inadæquatum, quod per antonomasiam dicitur munus relativum, seu appellatur *ad*, nempe, munus expressum respiciendi correlativum. Unde falsum est, quod conceptus expressus alicujus non respicientis expresse terminum sit conceptus expressus rei in ordine ad se, et non in ordine ad aliud, qualiter requiritur ad rationem conceptus rei absolutæ. Quia bene potest conceptus alicujus non esse conceptus expressus respiciendi terminum; et nihilominus non esse conceptus expressus rei in ordine ad se : imo neque ille conceptus præcise secundum id, quod importat ex vi suæ lineæ, esse absolutus et in ordine ad se, ut in præsenti contingit. Quia conceptus expressus incommunicabiliter subsistendi a se, et non ab alio in natura divina, non exprimit, munus referendi : non tamen exprimit, quod hoc habeat Pater in ordine ad se, sed ab hoc conceptu expresso præscindit : imo nec conceptus iste, adhuc secundum id, quod implicite dicit ex vi præcise suæ lineæ, est in ordine ad se, aut absolutus : quia etsi ex vi prædicti conceptus incommunicabiliter subsistendi non exprimatur, unde suam desumat specificationem : attamen, si id distincte et expresse intelligatur, invenietur, quod eam accipiat per ordinem ad terminum, ac proinde ex munere respiciendi, quem implicite dicit. Et ita talis ratio incommunicabiliter subsistendi nequit esse absoluta, aut in ordine ad se : quia ad hoc desiderabatur, ut distincte cognitio suo quasi specificativo deprehenderetur, illam non desumere suam quasi speciem ex munere respiciendi implicite importato, sed ex se, et in ordine ad se : ac proinde talis ratio debet esse formaliter et expresse relativa, prout ly *relativa* negat conceptum rei formaliter absolutæ, et exprimit aliquod munus, quod formaliter et expresse pertineat ad lineam relativam; licet non dicat expresse munus relativum per antonomasiam tale nempe munus expressum respiciendi.

Ad confirmationem, respondetur, quod prædictæ relationes personales, sicut conceptæ secundum nostrum imperfectum modum concipiendi conveniunt in hoc, quod est, esse rationes incommunicabiliter subsistendi : ita sic intellectæ habent suas speciales rationes, secundum quas sunt rationes diversimode incommunicabiliter subsistendi, quæ possunt explicari per hoc, quod Paternitas sit talis ratio incommunicabiliter subsistendi, ut necessario connotet non produci ab aliquo per realem processionem : Filiatio autem taliter tribuat incommunicabiliter subsistere, quod necessario connotet, ut persona constituta per illam habeat hunc modum subsistendi per generationem, modo n. 84 dicto consideratam : et similiter spiratio passiva tribuit taliter incommunicabiliter 91. Occurritur confirm

cabiliter

cabiliter subsistere, ut ille modus incommunicabiliter subsistendi necessario petat produci per processionem. Et ita absque eo, quod expresse concipiatur Paternitas, v. g. secundum *ad*, seu secundum munus expressum respiciendi, potest Pater, seu prima persona Trinitatis concipi, ut distincta a Filio, seu a secunda persona.

ARTICULUS III.

Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases?

dist. 26 q. 1 art. 2 et pot. q. 8 art. 4 et opusc. 3 cap. 61 et 62.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod abstractis per intellectum proprietatibus, seu relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases. Id enim, ad quod aliquid se habet ex additione, potest intelligi remoto eo, quod sibi additur : sicut homo se habet ad animal ex additione, et potest intelligi animal, remoto rationali. Sed persona se habet ex additione ad hypostasim : est enim persona hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Ergo remota proprietate personali a persona, intelligitur hypostasis.

2. Præterea, Pater non ab eodem habet, quod sit Pater, et quod sit aliquis. Cum enim Paternitate sit Pater : si Paternitate esset aliquis, sequeretur, quod Filius, in quo non est Paternitas, non esset aliquis. Remota ergo per intellectum Paternitate a Patre, adhuc remanet, quod sit aliquis, quod est esse hypostasis. Ergo remota proprietate a persona, remanet hypostasis.

Lib. 5 de Trin. c. 6 in princ. tom. 3.

3. Præterea, Augustinus dicit 5 de Trinitate * : Non hoc est dicere ingenitum, quod est dicere Patrem : quia si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum. Sed si Filium non genuisset, non inesset ei Paternitas. Ergo remota Paternitate, adhuc remanet hypostasis Patris, ut ingenita.

Lib. 4 de Trin. non multum remote a princ.

Sed contra est, quod Hilarius dicit 4 de Trinit. * : Nihil habet Filius, nisi natum. Nativitate autem est Filius. Ergo remota Filiatione, non remanet hypostasis Filii. Et eadem ratio est de aliis personis.

Respondeo dicendum, quod duplex fit abstractio per intellectum. Una quidem, secundum quod universale abstrahitur a particulari, ut animal ab homine. Alia vero secundum quod forma abstrahitur a materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili.

Inter has autem abstractiones hæc est differentia, quod in abstractione, quæ fit secundum universale, et particulare, non remanet id, a quo fit abstractio. Remota enim ab homine differentia rationalis, non remanet in intellectu homo, sed solum animal.

In abstractione vero, quæ attenditur secundum formam a materia, utrumque manet in intellectu. Abstrahendo enim formam circuli ab ære, remanet seorsum in intellectu nostro, et intellectus circuli, et intellectus æris. Quamvis autem in divinis non sit universale, neque particulare, nec forma, et materia secundum rem : tamen secundum modum significandi invenitur aliqua similitudo horum in divinis. Secundum quem modum Damascenus * dicit, quod commune est substantia, particulare vero hypostasis. Si igitur loquamur de abstractione, quæ fit secundum universale, et particulare, remotis proprietatibus, remanet in intellectu essentia communis; non autem hypostasis Patris, quæ est quasi particulare. Si vero loquamur secundum modum abstractionis formæ a materia, remotis proprietatibus non personalibus, remanet intellectus hypostasum et personarum : sicut remoto per intellectum a Patre, quod sit ingenitus, vel spirans, remanet hypostasis, vel persona Patris. Sed remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. Non enim proprietates personales sic intelliguntur advenire hypostasibus divinis, sicut forma subjecto præexistenti : sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut Paternitas est ipse Pater. Hypostasis enim significat aliquid distinctum in divinis, cum hypostasis sit substantia individua. Cum igitur relatio sit, quæ distinguit hypostases, et constituit (ut dictum est *), relinquitur, quod relationibus personalibus remotis per intellectum, non remaneant hypostases. Sed (sicut dictum est *) aliqui dicunt, quod hypostases in divinis non distinguuntur per relationes, sed per solam originem, ut intelligatur Pater esse hypostasis quædam per hoc, quod non est ab alio : Filius autem per hoc, quod est ab alio per generationem. Sed relationes advenientes quasi proprietates ad dignitatem pertinentes constituunt rationem personæ : unde et personales dicuntur. Unde remotis hujusmodi relationibus per intellectum, remanent quidem hypostases, sed non personæ. Sed hoc non potest esse, propter duo. Primo. Quia relationes distinguunt, et constituunt hypostases, ut ostensum est *. Secundo. Quia omnis hypostasis naturæ rationalis est persona, ut patet per diffinitionem Boetii * dicentis, quod persona est rationalis naturæ individua substantia. Unde ad hoc, quod esset hypostasis, et non persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationalitatem; non autem ex parte personæ proprietatem.

Lib. 3 orth. fidei c. 6 in princ.

* Art. præc.

* Art. præc.

* Art. præc.

* Boëtius lib. de duabus naturis a princ. lib.

Ad primum ergo dicendum, quod persona non addit supra hypostasim proprietatem distinguentem absolute : sed proprietatem distinguentem ad dignitatem pertinentem. Totum enim hoc est accipiendum loco unius differentiæ. Ad dignitatem autem pertinet proprietas distinguens, secundum quod intelligitur subsistens in natura rationali. Unde remota proprietate distinguente a persona, non remanet hypostasis; sed remaneret, si tolleretur rationalitas naturæ : tam enim persona quam hypostasis est substantia individua. Unde in divinis de ratione utriusque est relatio distinguens.

Ad secundum dicendum, quod Paternitate Pater non solum est Pater, sed est persona, et est quis, sive hypostasis. Nec tamen sequitur, quod Filius non sit quis, sive hypostasis, sicut non sequitur, quod non sit persona.

Ad tertium dicendum, quod intentio Augustini non fuit dicere, quod hypostasis Patris remaneat ingenita, remota Paternitate : quasi innascibilitas constituat, et distinguat hypostasim Patris. Hoc enim esse non potest : cum ingenitum nihil ponat, sed negative dicatur ut ipsemet dicit. Sed loquitur in communi : quia non omne ingenitum est Pater. Remota ergo Paternitate, non remanet in divinis hypostasis Patris, ut distinguitur ab aliis personis, sed ut distinguitur a creaturis, sicut Judæi intelligunt.

Conclusio est negativa : Quia cum hypostases per relationes constituantur, ablatis relationibus, hypostases remanere non possunt.

ARTICULUS IV.

Utrum actus notionales præintelligantur proprietatibus?

1 dist. 27 q. 1 art. 2 et pot. q. 10 art. 3 et opusc. 3 c. 63 et 64.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod actus notionales præintelligantur proprietatibus. Dicit enim Magister * 27 dist. 1 Sent. quod Pater semper est, quia genuit Filium. Et ita videtur, quod generatio secundum intellectum præcedat Paternitatem.

* Lib. 1 dist. 27 parag. 6. Opusc. 6 c. 65.

2. Præterea, omnis relatio præsupponit in intellectu id, supra quod fundatur : sicut æqualitas quantitatem. Sed Paternitas est relatio fundata super actione, quæ est generatio. Ergo Paternitas præsupponit generationem.

3. Præterea, sicut se habet generatio activa ad Paternitatem : ita se habet nativitas ad Filiationem. Sed Filiatio præsupponit nativitatem : ideo enim Filius est, quia natus est. Ergo et Paternitas præsupponit generationem.

Sed contra. Generatio est operatio personæ Patris. Sed Paternitas constituit personam Patris. Ergo prius est secundum intellectum Paternitas, quam generatio.

Respondeo dicendum, quod secundum illos, qui dicunt, quod proprietates non distinguunt, et constituunt hypostases, sed manifestant hypostases distinctas, et constitutas, absolute dicendum est, quod relationes secundum modum intelligendi consequuntur actus notionales, ut dici possit simpliciter, quod quia generat, est Pater. Sed supponendo, quod relationes distinguant, et constituant hypostases in divinis, oportet distinctione uti. Quia origo significatur in divinis active, et passive. Active quidem, sicut generatio attribuitur Patri, et spiratio sumpta pro actu notionali attribuitur Patri, et Filio. Passive autem, sicut nativitas attribuitur Filio, et processio Spiritui sancto : origines enim passive significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium, etiam personales. Quia origo passive significata significatur, ut via ad personam proprietate constitutam : similiter et origo active significata prior est secundum intellectum, quam relatio personæ originantis, quæ non est

personalis : sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relativam innominatam, communem Patri, et Filio. Sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est relatio : et sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem : quia relatio, inquantum hujusmodi fundatur super actum. Alio modo, secundum quod est constitutiva personæ : et sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.

Ad primum ergo dicendum, quod cum Magister dicit, quod quia generat, est Pater, accipitur nomen Patris, secundum quod designat relationem tantum ; non autem secundum quod significat personam subsistentem : sic enim oporteret e converso dicere, quod quia Pater est, generat

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de Paternitate, secundum quod est relatio, et non secundum quod est constitutiva personæ.

Ad tertium dicendum, quod nativitas est via ad personam Filii. Et ideo secundum intellectum præcedit Filiationem, etiam secundum quod est constitutiva personæ Filii. Sed generatio activa significatur, ut progrediens a persona Patris. Et ideo præsupponit proprietatem personalem Patris.

Prima conclusio : Origo passiva præcedit proprietates, etiam personales personarum procedentium. Origo vero activa præcedit relationem personæ producentis; non autem proprietatem personalem, ut constitutivam personæ.

Secunda conclusio : Paternitas, ut relatio, sequitur generationem; præcedit vero illam, ut est constitutiva personæ.

Circa hos duos articulos, nihil peculiare oportet adnotare, suppositis illis, quæ disputatione præcedenti diximus, ut intuenti patebit.

QUÆSTIO XLI

De personis in comparatione ad actus notionales.

PROŒMIUM

Deinde considerandum est de personis in comparatione ad actus notionales.

ARTICULUS I.

Utrum actus notionales sint attribuendi personis?

Opusc. 6 c. 65. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod actus notionales non sint personis attribuendi Dicit enim Boetius * in lib. de Trinit. quod omnia genera, cum quis in divinam vertit prædicationem, in divinam mutantur substantiam, exceptis relativis. Sed actio est unum de decem generibus. Si igitur actio aliqua Deo attribuitur, ad ejus essentiam pertinebit, et non ad notionem.

* In medio lib.

2. Præterea, Augustinus * dicit 5 de Trinitate, quod omne, quod de Deo dicitur, aut dicitur secundum substantiam, aut secundum relationem. Sed ea, quæ ad substantiam pertinent, significantur per essentialia attributa : quæ vero ad relationem, per nomina personarum, et per nomina proprietatum. Non sunt ergo præter hæc, attribuendi personis notionales actus.

* Lib. 5 de Trin. c. 4 et 5 tomo 3.

3. Præterea, proprium actionis est ex se passionem inferre. Sed in divinis non ponimus passiones. Ergo neque actus notionales ibi ponendi sunt.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit in lib. de Fide ad Petrum. Proprium quidem Patris est, quod Filium genuit. Sed generatio actus quidam est. Ergo actus notionales ponendi sunt in divinis.

* Cap. 2 in princ. tom. 3.

Respondeo dicendum, quod in divinis personis attenditur distinctio secundum originem. Origo autem convenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. Ad significandum igitur originis ordinem in divinis personis, necessarium fuit attribuere personis actus notionales.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis origo designatur per aliquem actum. Duplex autem ordo originis attribui Deo potest. Unus quidem, secundum quod creatura ab eo progreditur : et hoc commune est tribus personis. Et ideo actiones, quæ attribuuntur Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso, ad essentiam pertinent. Alius autem ordo originis in divinis attenditur secundum processionem personæ a persona. Unde actus designantes hujus originis ordinem, notionales dicuntur : quia notiones personarum sunt personarum habitudines ad invicem, ut ex dictis patet *.

* Q. 33 art. 3.

Ad secundum dicendum, quod actus notionales secundum modum significandi tantum differunt a relationibus personarum; sed re sunt omnino idem. Unde Magister dicit in 1 Sentent. 26 dist. * quod generatio, et nativitas aliis nominibus dicuntur Paternitas, et Filiatio.

* Paragraph. 2 circa finem.

Ad cujus evidentiam attendendum est, quod primo oportet cognoscere originem alicujus ab alio ex motu. Quia enim aliqua res a sua dispositione removeretur per motum, manifestum fuit, hoc ab aliqua causa accidere. Et ideo actio secundum primam nominis impositionem importat originem motus. Sicut enim motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio : ita origo ipsius motus, secundum quod incipit ab alio, et terminatur in id, quod movetur, vocatur actio. Remoto igitur motu actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, secundum quod a causa aliqua, vel principio procedit in id, quod est a principio Unde, cum in divinis non sit motus, actio personalis producentis personam nihil aliud est, quam habitudo principii ad personam, quæ est a principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones. Quia tamen de divinis, et intelligibilibus rebus loqui non possumus, nisi secundum modum rerum sensibilium, a quibus cognitionem accipimus, et in quibus actiones, et passiones, in quantum motum implicant, aliud sunt a relationibus, quæ exactionibus, et passionibus consequuntur, oportuit seorsum significari habitudines personarum per modum actus, et seorsum per modum relationum. Et sic patet, quod sunt idem secundum rem; sed differunt solum secundum modum significandi.

Ad tertium dicendum, quod actio, secundum quod importat originem motus, infert ex se passionem : sic autem non ponitur actio in divinis personis. Unde non ponuntur ibi passiones, nisi Grammatice loquendo, quantum ad modum significandi, sicut Patri attribuimus generare, et Filio generari.

Prima conclusio est affirmativa.

Et constat ex illo Psal. 2 : *Ego hodie genui te*. Et Psalm. 109 et habetur c. *Firmiter*, Psal. 2 et 109.

ter, De summa Trinitate, constatque satis ex dictis a nobis q. 27.

Secunda conclusio desumpta ex solutione ad secundum.
Actus notionales differunt a relationibus secundum modum significandi tantummodo.

Notationes circa hunc articulum.

1. Circa hunc articulum longa posset excitari disputatio, nisi, quæ ad illum spectant, essent jam a nobis supra q. 27 disp. 1, maxime vero dubio 3 et 4 discussa : et ideo circa secundam conclusionem solum oportebit in memoriam recolere et aliquantulum elucidare illa, quæ ibidem n. 62 adduximus ad declarandum ea, quæ in hoc articulo in solutione ad 2 Angelicus Præceptor docet.

nimadversio prima. Notandum igitur ex ibidem dictis est, quod S. Doctor in secunda conclusione hujus articuli loquitur de eo, quod addit actus notionalis, v. g. *dicere,* super actum essentialem, nempe *intelligere* constitutivum divinæ naturæ. Nam id, quod addit supra illud, solummodo ex parte modi significandi distinguitur a relatione Paternitatis. Et ita ipsa absque additione virtuali est connotatum et obliquum quoddam importatum ab ipso actu notionali. Et hoc modo significatur per modum actionis (ut statim dicemus) et simul prædicta relatio est constitutiva personæ Patris.

2. cunda. Thom. Secundo notandum est, hanc explicationem esse valde consonam menti D. Thomæ, tum propter testimonia, quæ dubio 3 nuper relato num. 62 ex ipso adduximus, tum etiam propter verba ipsius de Potentia q. 2 art. 5 ubi sic inquit : *Generatio significat actionem cum aliquo respectu : et potentia generandi significat potentiam cum respectu. Unde ipsa generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantum.* In quibus verbis satis denotat, generationem, quæ est actus notionalis, non consistere in solo respectu, sed in actione aliqua, nempe, in ipso intelligere Dei cum prædicto respectu : ac proinde, cum Angelicus Præceptor in præsenti inquit, actus notionales, v. g. generationem seu dictionem solum distingui ex parte modi significandi a relatione Paternitatis, loquitur de eo, quod prædictus actus notionalis addit supra operationem essentialem, nimirum, supra prædictum *intelligere.* Nam ut nuper dicebamus, id, quod addit, quodque in obliquo importatur a prædicto actu, tantum est ipsa Paternitas diversimode significata, ut est constitutiva personæ Patris et ut concurrit ad integram constitutionem ejusdem actus notionalis.

Tum etiam. Quia si attente legatur contextus verborum D. Thomæ in hoc art. in solutione ad 2 invenietur, hunc esse eorum sensum : ait enim : *Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, secundum quod a causa aliqua, vel principio procedit in id, quod est a principio. Unde, cum in divinis non sit motus, actio personalis producentis personam nihil aliud est, quam habitudo principii ad personam, quæ est a principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones.* Constat autem, sensum horum verborum non esse, quod remoto per intellectum motu ab actione creata, solum remaneat relatio : siquidem adhuc tunc manebit formalitas ipsa actionis, necnon et prædicta relatio, ut ex parte illius quodammodo se tenens et ut aliquid ei superadditum : ac proinde in actibus notionalibus divinis, ubi motus relegandus est, remanebit ipsa formalitas divinæ actionis, v. g. divinum *intelligere,* cum superaddita relatione. Et ita, cum D. Thomas inquit, actus notionales solum differre secundum modum significandi a relationibus, non loquitur de prædictis actibus adæquate sumptis, sed quoad id, quod superaddunt supra actus et operationes essentiales. Et ideo infert, quod sicut in actione creata et sensibili actiones et passiones, in quantum motum implicant, aliud sunt a relationibus, quæ ex eisdem consequuntur : idcirco, quia de divinis et intelligibilibus rebus loqui non possumus, nisi secundum modum rerum sensibilium, a quibus cognitionem accipimus, oportuit seorsum significari habitudines personarum per modum actus, idest, secundum quod se tenent ex parte actus, constituentes per modum obliqui prædictum et seorsum per modum relationum.

3. D.Thom.

Potestque hæc eadem explicatio confirmari ex eodem Angelico Præceptore infra q. 45 art. 3 ad 1 ubi de creatione activa, quæ nullum includit motum, ait, quod non significat solam relationem, sed actionem Dei, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturas, idest, cum relatione fundamentali rationis ad prædictas creaturas. Et ita eadem proportionali ratione, ex eo quod juxta Angelicum Præ-

ceptorem actus notionales Dei sint liberi a motu, solum intendit, eos dicere actionem essentialem Dei cum quodam respectu : taliter quod id, quod superadditur, tantum sit prædictus respectus et in eo solum ex parte modi significandi distinguatur ratio relationis, ut non consideratur per modum obliqui importati ab ipso actu notionali et una cum ipso indivisibiliter significatur per modum operationis, et ipsamet ut significatur per modum prædicti obliqui et indivisibiliter una cum suo recto denotatur, per modum operationis : ex eo quod totum illud conjunctum habet significari per modum operationis.

4. Tertia animadversio. D.Thom. Tertio notandum est, hinc plura et diversa loca Angelici Præceptoris, in quibus ait, actus notionales et relationes personales solum distingui ex parte modi significandi, ut constat ex iis, quæ docet in 1 dist. 27 q. 1 art. 1 ad 5 et Opusculo 2 c. 65, de Potentia q. 2 art. 5 ad 8 et q. 10 art. 3, optime conciliari cum aliis supra disp. 1 num. 62 adductis, in quibus inquit, quod actus notionalis, nempe *dicere*, est formaliter intellectio, exprimendo verbum, ac proinde includens relationem ad illud : et per consequens prædictum *dicere* non distinguetur solum ex parte modi significandi a relatione Paternitatis.

Ex dictis igitur hæc diversa loca facile conciliantur. Quoniam priora intelliguntur de eo, quod addit actus notionalis, v. g. *dicere*, supra divinum *intelligere* et de hoc inquit in aliquibus ex prædictis locis, quod sicut Deus et Deitas solum distinguuntur ex parte modi significandi, ita relationes et actus notionales distinguuntur : in posterioribus autem loquitur Angelicus Præceptor de eisdem actibus adæquate.

5. Objectio. D.Thom. Nec obest, si objicias cum quodam juniore, quod Angelicus Præceptor de Potentia q. 9 art. 9 ad 3 constituit hoc discrimen inter potentiam generativam et generationem, quod potentia generativa dicit aliquid absolutum ; generatio vero tantum dicit relationem : ergo sentit, quod generatio in divinis, saltem formaliter et in recto solum consistit in relatione : alioqui nullum esset discrimen inter potentiam generativam et generationem ipsam : siquidem apud eumdem sanctum Doctorem in hac eadem q. 41 art. 4, potentia generativa dicit in recto essentiam et in obliquo relationem.

Enodatur. D.Thom. Respondetur enim S. Doctorem loco citato ex q. 9 de Potentia non dixisse, potentiam generativam esse aliquid absolutum ; sed quod *potentia absolutum quoddam est, et ideo non distinguitur in divinis, sicut nec bonitas, nec aliquid sic dictum. Generare vero et generare in divinis non significant aliquid absolutum : sed solum relationem in divinis.* Nam mens D. Thomæ ibidem tantum est, quod licet Pater possit generare in divinis, non vero Filius : nihilominus non inde colligitur, esse aliquam potentiam in Patre, quæ non sit in Filio : quia potentia est quoddam absolutum, quod proinde non distinguitur, aut multiplicatur per differentias extraneas, et aliarum linearum, nempe relativas ; sed per differentias intraneas et absolutas, quæ in divinis reperiri non possunt, ad hoc ut sit aliqua potentia sic divisa in Patre et non in Filio : quippe cum in illis omnia absoluta sint communia et omnino idem.

Cæterum cum hoc stat, quod in Patre sit potentia generativa, et non in Filio : quia potentia generativa, sive activa, sive passiva non dicit distinctam specie, aut numero potentiam in *esse* potentiæ, sed solum eamdem prorsus potentiam in *esse* potentiæ, modificatam tamen diversis relationibus Paternitatis et Filiationis in obliquo importatis. Et ita, licet loquendo de potentia generativa et de generatione activa, non stet discrimen adductum a D. Thoma, nec hoc discrimen ab eo intendatur ; secus tamen loquendo de potentia in esse potentiæ, et de generatione in divinis. Quia potentia sic sumpta absolutum quoddam est, et non constituitur intrinsece ex absoluto in recto et ex relativo in obliquo : cum tamen generatio activa coalescat ex absoluto et relativo et loquendo de eo, quod superadditur absoluto, solum dicat relationem, ut S. Doctor tam in præsenti, quam in locis supra relatis vult.

ARTICULUS II.

Utrum actus notionales sint voluntarii?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod actus notionales sint voluntarii. Dicit enim Hilarius * 1 lib. de Synod. : Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium.

2. Præterea, Apost. Col. 1 : Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ. Dilectio autem voluntatis est. Ergo Filius genitus est a Patre voluntate.

3. Præterea, nihil magis est voluntarium, quam amor. Sed Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio ut amor. Ergo procedit voluntarie.

4. Præterea, Filius procedit per modum intellectus ut verbum. Sed omne verbum procedit a dicente, per voluntatem. Ergo Filius procedit a Patre per voluntatem, et non per naturam.

5. Præterea, quod non est voluntarium, est necessarium.

I dist. art. I, et 3 e pot. q. art. 8. * In medio lib. et est diffi nitio 2 et etia aliquan tulum a medi lib.

rium. Si igitur Pater genuit Filium non voluntate, videtur sequi, quod necessitate genuerit. Quod est contra Augustinum * in lib. ad Orosium.

* Hic lib. ad Orosium inscribitur, Dialog. 65. Quæst. hab. tom. 4 c. 7 in principio.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in eodem lib. * quod neque voluntate genuit Pater Filium, neque necessitate.

Respondeo, dicendum, quod cum dicitur, aliquid esse, vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut ablativus designet concomitantiam tantum : sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici, quod Pater genuit Filium voluntate, sicut et est voluntate Deus : quia vult se esse Deum, et vult se generare Filium. Alio modo sic, quod ablativus importet habitudinem principii : sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundum hunc modum dicendum est, quod Deus Pater, non genuit Filium voluntate; sed voluntate produxit creaturam. Unde in lib. de Synod. * dicitur, quod si quis voluntate Dei, tanquam unum aliquid de creaturis, Filium factum dicat, anathema sit. Et hujus ratio est. Quia voluntas, et natura secundum hoc differunt in causando ; quia natura determinata est ad unum ; sed voluntas non est determinata ad unum. Cujus ratio est. Quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit : manifestum est autem, quod unius rei non est, nisi una forma naturalis, per quam res habet esse. Unde quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est una tantum : sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectæ. Unde, quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, et illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem, quæ non possunt, nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longe est a natura divina : sed hoc pertinet ad rationem creaturæ : quia Deus est per se necesse esse; creatura autem est facta ex nihilo. Et ideo Arriani volentes ad hoc deducere, quod Filius sit creatura, dixerunt, quod Pater genuit Filium voluntate, secundum quod voluntas designat principium. Nobis autem dicendum est, quod Pater genuit Filium, non voluntate, sed natura. Unde Hilarius * dicit in lib. de Synod. : Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit; sed naturam dedit Filio, ex impassibili, ac non nata substantia, perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit. Filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis Deus est.

* Inter opera Hilar. in lib. de Syn. circa medium. In Symbolo Firmiensi.

* In 2 post med. lib.

Ad primum ergo dicendum, quod authoritas illa inducitur contra illos, qui a generatione Filii etiam concomitantiam Paternæ voluntatis removebant dicentes, sic eum natura genuisse Filium, ut tamen voluntas generandi ei non adesset : sicut et nos multa naturali necessitate contra voluntatem patimur, ut mortem, senectutem, et hujusmodi defectus. Et hoc patet per præcedentia, et subsequentia : sic enim ibi dicitur * : Non enim nolente Patre, vel coactus Pater, vel naturali necessitate inductus genuit Filium.

* Loco in arg. citato.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus nominat Christum Filium dilectionis Dei, in quantum est a Deo superabundanter dilectus; non quod dilectio sit principium generationis Filii.

Ad tertium dicendum, quod etiam voluntas, in quantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult : sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult, et amat seipsum. Sed circa alia a se, voluntas Dei se habet ad utrumque quodammodo, ut dictum est *. Spiritus autem Sanctus procedit ut amor, in quantum Deus amat seipsum. Unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat.

* In corp. art. et q. 19 art. 3 præcipue.

Ad quartum dicendum, quod etiam in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima, quæ naturaliter intelliguntur. Deus autem naturaliter intelligit se ipsum. Et secundum hoc conceptio Verbi divini est naturalis.

Ad quintum dicendum, quod necessarium dicitur aliquid per se, et per aliud. Per aliud quidem dupliciter. Uno modo sicut per causam agentem, et cogentem : et sic necessarium dicitur, quod est violentum. Alio modo sicut per causam finalem : sicut dicitur, aliquid esse necessarium in his, quæ sunt ad finem, in quantum sine hoc non potest esse finis, vel bene esse. Et neutro istorum modorum divina generatio est necessaria : quia Deus non est propter finem, neque coactio cadit in ipsum. Per se autem dicitur aliquid necessarium, quod non potest non esse : et sic Deum esse, est necessarium. Et hoc modo Patrem generare Filium, est necessarium.

Prima conclusio : Actus notionales sunt voluntarii voluntate concomitante.

Secunda conclusio : Actus notionales non sunt voluntarii voluntate antecedenti, seu principiante.

Tertia conclusio : Actus notionalis, quo procedit persona Spiritus Sancti, est voluntarius voluntate antecedenti, et principiante; non ut voluntas est, sed ut natura est.

Circa primam, et secundam conclusionem non oportebit aliquid peculiare animadvertere : quia satis perspicue habentur in littera D. Thomæ. Circa ultimam vero conclusionem videantur ea, quæ quæst. 27 art. 3 et 4 late asseruimus.

ARTICULUS III.

Utrum actus notionales sint de aliquo ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod actus notionales non sint de aliquo. Quia si Pater generat Filium de aliquo : aut de se ipso, aut de aliquo alio : Si de aliquo alio : cum id, de quo aliquid generatur, sit in eo, quod generatur, sequitur, quod aliquid alienum a Patre sit in Filio. Quod est contra Hilarium * 7 de Trinitate, ubi dicit : Nihil in his diversum est, vel alienum. Si autem Filium generat Pater de se ipso, id autem, de quo aliquid generatur, si sit permanens, recipit ejus prædicationem, quod generatur : sicut dicimus, quod homo est albus : quia homo permanet, cum de non albo fit albus. Sequitur igitur, quod Pater, vel non permaneat genito Filio, vel quod Pater sit Filius, quod est falsum. Non ergo Pater generat Filium de aliquo, sed de nihilo.

1 dist. 5 q. 2 art. I ad 2 et 3 dis. II art. I ad I.

* Lib. 7 de Trin. non procul a fine libri.

2. Præterea, id, de quo aliquid generatur, est principium ejus, quod generatur. Si ergo Pater generat Filium de essentia, vel natura sua, sequitur, quod essentia, vel natura Patris sit principium Filii. Sed non principium materiale : quia materia locum in divinis non habet. Ergo est principium quasi activum, sicut generans est principium geniti. Et ita sequitur, quod essentia generet. Quod supra improbatum est *.

* Q. 39 artic. 5.

3. Præterea, Augustinus * dicit, quod tres personæ non sunt ex eadem essentia : quia non est aliud essentia, et persona. Sed persona Filii non est aliud ab essentia. Ergo Filius non est de essentia Patris.

* Lib. 7 de Trin. c. 7.

4. Præterea, omnis creatura est ex nihilo. Sed Filius in Scripturis dicitur creatura. Dicitur enim Ecclesiastici 24 ex ore Sapientiæ : Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam. Et postea ex ore ejusdem Sapientiæ dicitur : Ab initio, et ante sæcula creata sum. Ergo Filius non est genitus ex aliquo, sed ex nihilo. Et similiter potest objici de Spiritu Sancto, propter hoc, quod dicitur Zach. 12 : Dixit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et creans Spiritum hominis in eo. Et Amos 4 secundum aliam litteram : Ego formans montes, et creans spiritum.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit in lib. de Fide ad Petrum : Pater Deus solus est de sua natura, sine initio genuit Filium sibi æqualem.

* Cap. I circa finem, tom. 3.

Respondeo, dicendum, quod Filius non est genitus de nihilo; sed de substantia Patris. Ostensum est enim supra *, quod Paternitas, et Filiatio, et nativitas vere et proprie est in divinis. Hoc autem interest inter generationem veram, per quam aliquis procedit ut Filius, et factionem, quod faciens facit aliquid de exteriori materia : sicut scamnum facit artifex de ligno; homo autem generat Filium de se ipso. Sicut autem artifex creatus facit aliquid ex materia : ita Deus facit ex nihilo (ut infra ostendetur *). Non quod nihilum cedat in substantiam rei : sed quia ab ipso tota substantia rei producitur, nullo alio præsupposito. Si ergo Filius procederet a Patre, ut de nihilo existens, hoc modo se haberet ad Patrem ut artificiatum ad artificem : quod, manifestum est, nomen filiationis proprie habere non posse; sed solum secundum aliquam similitudinem. Unde relinquitur, quod si Filius Dei procederet a Patre, quasi existens ex nihilo, non esset vere et proprie Filius. Cujus contrarium dicitur I Joan. ultimo : Ut simus

* Q. 27 artic. 2 et q. 33 artic. 2 et 3.

* Q. 45 artic. I.

in vero Filio ejus Jesu Christo. Filius igitur Dei verus non est ex nihilo, nec factus, sed tantum genitus. Si qui autem ex nihilo a Deo facti Filii Dei dicantur, hoc erit metaphorice secundum aliquam assimilationem ad eum, qui vere Filius est. Unde, in quantum solus est verus, et naturalis Dei Filius, dicitur unigenitus, secundum illud Joannis 1.: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. In quantum vero per assimilationem ad ipsum alii dicuntur filii adoptivi, quasi metaphorice dicitur esse primogenitus, secundum illum illud Roman. 8 : Quos præscivit, et prædestinavit fieri conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Relinquitur ergo, quod Dei Filius sit genitus de substantia Patris, aliter tamen, quam Filius hominis. Pars enim substantiæ hominis generantis transit in substantiam geniti. Sed divina natura impartibilis est. Unde necesse est, quod Pater generando Filium, non partem naturæ in ipsum transfuderit; sed totam naturam ei communicaverit remanente distinctione solum secundum originem, ut ex dictis pa-
* Q. 27. tet. *

Ad primum ergo dicendum, quod cum Filius dicitur natus de Patre, hæc præpositio, de, significat principium generans consubstantiale, non autem principium materiale. Quod enim producitur de materia fit per transmutationem illius, de quo producitur, in aliquam formam. Divina autem essentia non est transmutabilis, neque alterius formæ susceptiva.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur Filius genitus de essentia Patris, secundum expositionem Magist. 5 distinct. 1 Sententiarum, designat habitudinem principii quasi activi, ubi sic exponit : Filius est genitus de essentia Patris, id est, de Patre essentia, propter hoc
* Lib. 15 de Trin. cap. 13 in fine, tomo 3. quod Augustinus 15 lib. de Trinit. * dicit : Tale est, quod dico de Patre essentia, ac si expressius dicerem, de Patris essentia. Sed hoc non videtur sufficere ad sensum hujusmodi locutionis. Possumus enim dicere, quod creatura est ex Deo essentia; non tamen quod sit ex essentia Dei. Unde aliter dici potest, quod hæc præpositio, de, semper denotat consubstantialitatem. Unde non dicimus, quod domus sit de ædificatore : cum non sit causa consubstantialis. Possumus autem dicere, quod aliquid sit de aliquo, quocumque modo illud significetur, ut principium consubstantiale, sive illud sit principium activum, sicut filius dicitur esse de patre; sive sit principium materiale, sicut cultellus dicitur esse de ferro; sive sit principium formale in his dumtaxat, in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes, et non advenientes alteri : possumus enim dicere, quod Angelus aliquis est de natura intellectuali Et per hunc modum dicimus, quod Filius est genitus de essentia Patris, in quantum essentia Patris, Filio per generationem communicata, in eo subsistit.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, Filius est genitus de essentia Patris, additur aliquid, respectu cujus potest salvari distinctio. Sed cum dicitur, quod tres personæ sunt de essentia divina, non ponitur aliquid, respectu cujus possit importari distinctio per præpositionem significata. Et ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Sapientia est creata, potest intelligi, non de sapientia, quæ est Filius Dei; sed sapientia creata, quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Eccl. 1 : Ipse creavit eam, scilicet sapientiam, Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua. Neque est inconveniens, quod in uno contextu locutionis loquatur Scriptura de sapientia genita, et creata : quia sapientia creata est participatio quædam sapientiæ increatæ. Vel potest referri ad naturam creatam assumptam a Filio, ut sit sensus : Ab initio, et ante sæcula creata sum, id est, prævisa sum creaturæ uniri. Vel per hoc, quod sapientia creata, et genita nuncupatur, modus divinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. In creatione vero creans non mutatur; sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus, et genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, et ex generatione unitas naturæ in Patre et Filio. Et sic exponitur intellectus
* Lib. de Synodis in 2 fol. post lib. princip. hujus Scripturæ a Hilar. * lib. de Synodis. Auctoritates autem inductæ non loquuntur de Spiritu Sancto, sed de Spiritu creato, qui quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quæcumque substantia invisibilis.

Prima conclusio : Pater genuit Filium de sua substantia.

Secunda conclusio : Quando dicitur, Patrem genuisse Filium de sua substantia, illa præpositio *de* significat principium formale, non materiale.

Circa has conclusiones notandum est, ideo inter alia dici, Filium esse de substantia Patris, ut denotetur, ipsum esse a Patre ut consubstantialem : ex eo quod communicatur eidem ipsamet essentia Patris. Videantur tamen illa, quæ supra disput. 2 num. 83 diximus, ubi explicuimus, quomodo ad rationem geniti in viventibus requiratur, quod procedat a principio conjuncto, quod in divinis idem est in Filio, ac procedere de substantia Patris.

ARTICULUS IV.

Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium ?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in divinis non sit potentia respectu actuum notionalium. Omnis enim potentia est vel activa, vel passiva. Sed neutra hic competere potest. Potentia enim passiva in Deo non est, ut supra ostensum est *. Potentia vero activa non competit uni personæ respectu alterius : cum personæ divinæ non sint factæ, ut ostensum est *. Ergo in divinis non est potentia ad actus notionales. 1 dist. q. 1 artic. 1 et pot. q. 2 artic. 1 * Q. 25 art. 1. * Art. præc.

2. Præterea, potentia dicitur ad possibile. Sed divinæ personæ non sunt de numero possibilium, sed de numero necessariorum. Ergo respectu actuum notionalium, quibus divinæ personæ procedunt, non debet poni potentia in divinis.

3. Præterea, Filius procedit ut verbum, quod est conceptio intellectus : Spiritus autem Sanctus procedit ut amor, qui pertinet ad voluntatem. Sed potentia in Deo dicitur per comparationem ad effectus; non autem per comparationem ad intelligere, et velle, ut supra habitum est *. Ergo in divinis non debet dici potentia per comparationem ad actus notionales. * Q. 25 art. 1 ad 3 et 4 arg.

Sed contra est, quod dicit Augustinus contra * Maximinum Hæreticum : Si Deus Pater non potuit generare Filium sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris? Est ergo in divinis potentia respectu actuum notionalium. * Lib. 3 cont. Maximinum c. 12 circa finem tom. 6.

Respondeo dicendum, quod sicut ponuntur actus notionales in divinis : ita necesse est ibi ponere potentiam respectu hujusmodi actuum : cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicujus actus. Unde, cum Patrem intelligamus, ut principium generationis, et Patrem, et Filium, ut principium spirationis, necesse est, quod Patri attribuamus potentiam generandi; et Patri et Filio potentiam spirandi. Quia potentia generandi significat id, quo generans generat. Omne autem generans generat aliquo. Unde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, et in spirante potentiam spirandi.

Ad primum ergo dicendum quod sicut secundum actus notionales non procedit aliqua persona ut facta; ita neque potentia ad actus notionales dicitur in divinis per respectum ad aliquam personam factam; sed solum per respectum ad procedentem personam.

Ad secundum dicendum, quod possibile, secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passivam, quæ non est in divinis. Unde neque in divinis est aliquid possibile per modum istum : sed solum secundum quod possibile continetur sub necessario. Sic autem dici potest, quod sicut Deum esse est possibile, sic Filium generari est possibile.

Ad tertium dicendum, quod potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo, cujus est principium Consideratur autem duplex distinctio in his, quæ dicuntur in Deo. Una secundum rem, alia secundum rationem tantum. Secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam a rebus, quarum est per creationem principium : sicut una persona distinguitur ab alia, cujus est principium secundum actum notionalem. Sed actio

actio ab agente non distinguitur in Deo nisi secundum rationem tantum : alioqui actio esset accidens in Deo. Et ideo respectu illarum actionum, secundum quas aliquæ res procedunt distinctæ a Deo, vel essentialiter, vel personaliter, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principii. Et ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo : ita possumus ponere potentiam generandi, vel spirandi. Sed intelligere, et velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicujus rei a Deo distinctæ, vel essentialiter vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, et significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus, et intelligere : cum tamen ipsum intelligere Dei sit ejus essentia, non habens principium.

ARTICULUS V.

Utrum potentia generandi significet relationem, et non essentiam?

[…]ist. 7 q. I […]ic. 2 pot. q. 2 […]ic. 2. Lib. 5 Metaph. […]x. 17 […]no 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod potentia generandi, vel spirandi significet relationem, et non essentiam. Potentia enim significat principium, ut ex ejus diffinitione patet. Dicitur enim potentia activa esse principium agendi, ut patet in 5 Metaphysicæ *. Sed principium in divinis respectu personæ dicitur notionaliter. Ergo potentia in divinis non significat essentiam, sed relationem.

2. Præterea, in divinis non differt posse, et agere. Sed generatio in divinis significat relationem. Ergo et potentia generandi.

3. Præterea, ea, quæ significant essentiam in divinis, communia sunt tribus personis. Sed potentia generandi non est communis tribus personis, sed propria Patri. Ergo non significat essentiam,

Sed contra est, quod sicut Deus potest generare Filium, ita et vult. Sed voluntas generandi significat essentiam. Ergo et potentia generandi.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod potentia generandi significat relationem in divinis. Sed hoc esse non potest. Nam illud proprie dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit. Omne autem producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam, qua agit. Sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cujus virtute pater potest generare hominem. Illud ergo est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti. Filius autem Dei similatur Patri gignenti in natura divina. Unde natura divina in Patre est potentia generandi in ipso. Unde Hilarius * dicit in 2 de Trinitate : Nativitas Dei non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam. Nec enim aliud, quam Deus subsistit, quod non aliunde, quam de Deo subsistit.

[…]ib. 2 Trin. […]on […]cul fine […]ib. 5 […]am […]nem.

Sic igitur dicendum est, quod potentia generandi principaliter significat divinam essentiam, ut Magister dicit 7 dist. I Sent., non autem tantum relationem, nec etiam essentiam, in quantum est idem relationi, ut significet ex æquo utrumque. Licet enim Paternitas, ut forma Patris significetur : est tamen proprietas personalis, habens se ad personam Patris, ut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem ; non autem est, quo generans generat : alioquin Sortes generaret Sortem. Unde neque Paternitas potest intelligi, ut quo Pater generat ; sed ut constituens personam generantis : alioquin Pater generaret Patrem. Sed id, quo Pater generat, est natura divina, in qua sibi Filius assimilatur. Et secundum hoc Damascenus * dicit, quod generatio est opus naturæ, non sicut generantis, sed sicut ejus, quo generans generat. Et ideo potentia generandi significat in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem.

[…]ib. I […]fid. […]8.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non significat ipsam relationem principii : alioquin esset in genere relationis ; sed significat id, quod est principium : non quidem sicut agens dicitur principium ; sed sicut id, quo agens agit, dicitur principium. Agens autem distinguitur a facto et generans a generato. Sed id, quo generans generat, est commune genito et generanti et tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde, cum divina generatio sit perfectissima, id, quo generans generat, est commune genito et generanti et idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo, quod dicimus, quod essentia divina est principium, quo generans generat, non sequitur, quod essentia divina distinguatur, sicut sequeretur, si diceretur, quod essentia divina generat.

Ad secundum dicendum, quod sicut est idem in divinis potentia generandi cum generatione : ita essentia divina cum generatione et Paternitate est idem re, sed non ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dico potentiam generandi, potentia significatur in recto et generatio in obliquo, sicut si dicerem, essentiam Patris. Unde quantum ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis : quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris.

Conclusio : Potentia generandi importat essentiam in recto et relationem in obliquo.

Circa hos duos articulos inspiciantur illa, quæ disputatione 1 hujus tractatus dubio 3 late diximus.

ARTICULUS VI.

Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita quod sint plures personæ genitæ, vel spiratæ in divinis. Cuicumque enim inest potentia generandi, potest generare. Sed Filio inest potentia generandi. Ergo potest generare : non autem se ipsum : ergo alium Filium. Ergo possunt esse plures Filii in divinis.

I dist. 7 q. 2 art. 2 et in lib. et pot. q. 2 art. I ad I0 et art. 4.

2. Præterea, Augustinus * dicit contra Maximinum : Filius non genuit creatorem : neque enim non potuit ; sed non oportuit.

* Lib. 3 c. 12 circa finem, tom. 6.

3. Præterea, Deus Pater est potentior ad generandum, quam pater creatus. Sed unus homo potest generare plures filios. Ergo et Deus. Præcipue cum potentia Patris uno Filio generato non diminuatur.

Sed contra est, quod in divinis non differt esse et posse. Si igitur in divinis possent esse plures Filii, essent plures Filii. Et ita essent plures personæ quam tres in divinis, quod est hæreticum.

Respondeo dicendum, quod sicut Athanasius * dicit : In divinis est tantum unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus. Cujus quidem ratio quadruplex assignari potest. Prima quidem ex parte relationum, quibus solum personæ distinguuntur. Cum enim personæ divinæ sint ipsæ relationes subsistentes, non possent esse plures Patres, vel plures Filii in divinis, nisi essent plures Paternitates et plures Filiationes : quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem rerum distinctionem. Formæ enim unius speciei non multiplicantur, nisi secundum materiam, quæ in divinis non est. Unde in divinis non potest esse, nisi una tantum Filiatio subsistens : sicut et albedo subsistens non posset esse nisi una. Secunda vero ex modo processionum. Quia Deus omnia intelligit et vult uno et simplici actu. Unde non potest esse, nisi una persona procedens per modum verbi, quæ est Filius ; et una tantum per modum amoris, quæ est Spiritus Sanctus. Tertia vero sumitur ex modo procedendi. Quia personæ ipsæ procedunt naturaliter, ut dictum est *. Natura autem determinatur ad unum. Quarta ex perfectione divinarum personarum. Ex hoc enim est perfectus Filius, quod tota Filiatio divina in eo continetur et quod est tantum unus Filius. Et similiter dicendum est de aliis personis.

* In suo Symbolo fidei.

* Art. 2 hujus quæstionis.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis simpliciter concedendum sit, quod potentiam, quam habet Pater, habeat Filius : non tamen concedendum est quod Filius habeat potentiam generandi, si generandi sit gerundium verbi activi, ut sit sensus, quod Filius habeat potentiam ad generandum. Sicut licet idem esse sit Patris et Filii : non tamen convenit Filio esse Patrem, propter notionale adjunctum. Si tamen hoc, quod dico generandi, sit gerundium verbi passivi, potentia generandi est in Filio, id est, ut generetur. Et similiter si sit gerundium verbi impersonalis, ut sit sensus, potentia generandi, id est, qua ab aliqua persona generatur.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod Filius posset generare Fi-

lium ; sed quod hoc non est ex impotentia Filii, quod non generet, ut infra patebit *.

* Q. 42 artic. 6 ad 3.

Ad tertium dicendum, quod immaterialitas et perfectio divina requirit, ut non possint esse plures Filii in divinis, sicut dictum est. Unde, quod non sint plures Filii, non est ex impotentia Patris ad generandum.

Conclusio est negativa.

Et satis perspicue habetur in corpore articuli. Circa quam videri possunt illa, quæ supra q. 28 ad explicationem articuli 4 diximus, necnon et ea, quæ supra disput. 8 num. 49 asseruimus ad probandum, quomodo in divinis tantum possit dari unicum verbum.

QUÆSTIO XLII

De æqualitate, et similitudine divinarum personarum ad invicem.

PROOEMIUM.

Deinde considerandum est de comparatione personarum ad invicem. Et primo, quantum ad æqualitatem, et similitudinem. Secundo, quantum ad omissionem.

ARTICULUS I.

Utrum æqualitas locum habeat in divinis?

3 q. 58 art. 3 et I dist. 10 q. I art. I et 4 con. cap. 9. * Tex. 20 tomo 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod æqualitas non competat divinis personis. Æqualitas enim attenditur secundum unum in quantitate, ut patet per Philosophum 5 Metaphysicæ *. In divinis autem personis non invenitur, neque quantitas continua intrinseca, quæ dicitur magnitudo, neque quantitas continua extrinseca, quæ dicitur locus et tempus. Neque secundum quantitatem discretam invenitur in eis æqualitas : quia duæ personæ sunt plures, quam una. Ergo in divinis personis non convenit æqualitas.

* Q. 39 artic. 2.

2. Præterea, divinæ personæ sunt unius essentiæ, ut supra dictum est *. Essentiæ autem significatur per modum formæ. Convenientia autem in forma non facit æqualitatem, sed similitudinem. Ergo in divinis personis est dicenda similitudo et non æqualitas.

* Lib. 6 de Trin. c. 10 parum a pr. tomi 3.

3. Præterea, in quibuscumque invenitur æqualitas, illa sunt sibi invicem æqualia : quia æquale dicitur æquali æquale. Sed divinæ personæ non possunt sibi invicem dici æquales. Quia, ut Augustinus * dicit 6 de Trinitate : Imago, si perfecte implet illud, cujus est imago, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. Imago autem Patris est Filius. Et sic Pater non est æqualis Filio. Non ergo in divinis personis invenitur æqualitas.

4. Præterea, æqualitas relatio quædam est. Sed nulla relatio est communis omnibus personis : cum secundum relationes personæ ab invicem distinguantur. Non ergo æqualitas divinis personis convenit.

* In suo Symbolo fidei.

Sed contra est, quod Athanasius * dicit, quod tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales.

* Lib. 10 Metaph. tex. 15, 16 et 17, tomo 3. * In lib. de Trin. paulo a princ.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere æqualitatem in divinis personis. Quia secundum Philosophum in 10 Metaphysicæ *. Æquale dicitur quasi per negationem minoris et majoris Non autem possumus in divinis personis ponere aliquid majus et minus : quia, ut Boetius dicit * in lib. de Trinitate : Eos differentia, scilicet Deitatis, comitatur, qui vel augent, vel minuunt, ut Arriani, qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt. Cujus ratio est. Quia inæqualium non potest esse una quantitas numero Quantitas autem in divinis non est aliud, quam ejus essentia. Unde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in divinis personis, quod non esset in eis una essentia : et sic non essent tres personæ unus Deus, quod est impossibile. Oportet igitur æqualitatem ponere in divinis personis.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est quantitas, una scilicet, quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimensiva, quæ in solis rebus corporalibus est : unde in divinis personis locum non habet. Sed alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicujus naturæ, vel formæ : quæ quidem quantitas designatur, secundum quod dicitur aliquis magis, vel minus calidum, in quantum est perfectius, vel minus perfectum in tali caliditate. Hujusmodi autem quantitas virtualis attenditur, primo quidem in radice, id est, in ipsa perfectione formæ, vel naturæ : et sic dicitur magnitudo spiritualis, sicut dicitur magnus calor propter suam intensiorem et perfectionem. Et ideo dicit Augustinus 6 * de Trinitate, quod in his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse : nam melius dicitur, quod perfectius est. Secundo autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ. Primus autem effectus formæ est esse : nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio : nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis et secundum esse et secundum operationem. Secundum esse quidem, in quantum ea, quæ sunt perfectioris naturæ, sunt majoris durationis. Secundum operationem vero, in quantum ea, quæ sunt perfectioris naturæ, sunt magis potentia ad agendum Sic igitur, ut Augustinus dicit * in lib. de Fide ad Petrum, æqualitas intelligitur in Patre et Filio et Spiritu Sancto, in quantum nullus horum. aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

* Lib[...] de T[...] cap. [...] circ[...] me[...] tom.

* Ca[...] ant[...] medi[...] tomo

Ad secundum dicendum, quod ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem et aliquid plus : quia excludit excessum. Quæcumque enim communicant in una forma, possunt dici similia, etiamsi inæqualiter illam formam participant : sicut si dicatur aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si unum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solum una est natura Patris et Filii, sed etiam æque perfecte est in utroque : ideo non solum dicimus, Filium esse similem Patri, ut excludatur error Eunomii; sed etiam dicimus æqualem, ut excludatur error Arrii.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas, vel similitudo dupliciter potest significari in divinis, scilicet per nomina, et per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in divinis personis et similitudo : Filius enim est æqualis et similis Patri et e converso. Et hoc ideo, quia essentia divina non magis est Patris, quam Filii. Unde, sicut Filius habet magnitudinem Patris, quod est esse eum æqualem Patri : ita Pater habet magnitudinem Filii, quod est esse eum æqualem Filio. Sed quantum ad creaturas (ut Dionysius * dicit 9 cap. de Divinis nominibus) non recipitur conversio æqualitatis et similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis, in quantum

* Cap[...] a med[...]

tum habent formam causarum; sed non e converso : quia forma principaliter est in causa et secundario in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in divinis; est tamen ibi accipere Quia igitur Filius accipit a Patre, unde est æqualis ei et non e converso, propter hoc dicimus, quod Filius coæquatur Patri et non e converso.

Ad quartum dicendum, quod in divinis personis nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant et relationes, in quibus distinguuntur. Æqualitas autem utrumque importat, scilicet, distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur æquale) et unitatem essentiæ : quia ex hoc personæ sunt sibi invicem æquales, quod sunt unius magnitudinis et essentiæ. Manifestum est autem, quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum una relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod Paternitas opponitur Filiationi, oppositio non est relatio media inter Paternitatem et Filiationem : quia utroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo æqualitas et similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus; sed in suo intellectu includit et relationes distinguentes personas et essentiæ unitatem. Et propterea Magister dicit in trigesima prima distinctione primi Sentent. quod in his appellatio tantum est relativa.

Conclusio : Necesse est ponere æqualitatem in divinis personis.

Circa conclusionem hanc solet inquiri, an relationes æqualitatis et similitudinis in divinis sint reales. De hoc tamen supra disputat. 8 dub. 2 egimus. Deinde videnda etiam sunt circa eamdem conclusionem plura, quæ late disput. 6 a n. 39 usque ad n. 49 diximus.

ARTICULUS II.

Utrum persona procedens sit coæterna suo principio, ut Filius Patri?

[contra ...ap. 11 ...l pot. q 2 art. 3 ...on. et ...æ-t. 3 ...tic. 13 opusc. ...ap. 41.]

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod persona procedens non sit coæterna suo principio, ut Filius Patri. Arrius enim 12 modos generationis assignat. Primus modus est, juxta fluxum lineæ a puncto : ubi deest æqualitas simplicitatis. Secundus modus est juxta emissionem radiorum a sole : ubi deest æqualitas naturæ. Tertius modus est juxta characterem, seu impressionem a sigillo : ubi deest consubstantialitas et potentiæ efficientia. Quartus modus est juxta immissionem bonæ voluntatis a Deo : ubi etiam deest consubstantialitas. Quintus modus est juxta exitum accidentis a substantia : sed accidenti deest subsistentia. Sextus modus est juxta abstractionem speciei a materia, sicut sensus accipit speciem a re sensibili : ubi deest æqualitas simplicitatis spiritualis. Septimus modus est juxta excitationem voluntatis a cogitatione, quæ quidem excitatio temporalis est. Octavus modus est juxta transfigurationem, ut ex ære fit imago, quæ materialis est. Nonus modus est motus à movente : et hic etiam ponitur effectus et causa. Decimus modus est juxta eductionem specierum a genere, qui non competit in divinis : quia Pater non prædicatur de Filio, sicut genus de specie. Undecimus modus est juxta ideationem, ut arca exterior ab ea, quæ est in mente. Duodecimus modus est juxta nascentiam, ut homo est a patre : ubi est prius et posterius secundum tempus. Patet ergo, quod in omni modo, quo aliquid est ex altero, deest æqualitas naturæ, aut æqualitas durationis. Si igitur Filius est a Patre, oportet dicere, vel eum esse minorem Patre, aut posteriorem, aut utrumque.

2. Præterea, omne, quod est ex altero, habet principium. Sed nullum æternum habet principium. Ergo Filius non est æternus, neque Spiritus Sanctus.

3. Præterea, omne, quod corrumpitur, desinit esse. Ergo omne, quod generatur, incipit esse : ad hoc enim generatur, ut sit. Sed Filius est genitus a Patre. Ergo incipit esse et non est coæternus Patri.

4. Præterea, si Filius genitus est a Patre : aut semper generatur, aut est dare aliquod instans suæ generationis? Si semper generatur (dum autem aliquid est in generari, est imperfectum, sicut patet in successivis, quæ sunt semper in fieri, ut tempus et motus) sequitur, quod Filius semper sit imperfectus : quod est inconveniens. Est ergo dare aliquod instans generationis Filii. Ante illud ergo instans Filius non erat.

Sed contra est, quod Athanasius dicit * quod totæ tres personæ coæternæ sibi sunt. [* In suo Symbolo fidei.]

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, Filium esse coæternum Patri.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod aliquid ex principio existens posterius esse suo principio, potest contingere ex duobus. Uno modo ex parte agentis : alio modo ex parte actionis. Ex parte agentis quidem, aliter in agentibus voluntariis, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem voluntariis, propter electionem temporis. Sicut enim in agentis voluntarii potestate est eligere formam, quam effectui conferat, ut supra dictum est * : ita in ejus potestate est eligere tempus in quo effectum producat. [* Q. 41 artic. 2.] In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agens aliquod non a principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum; sed ei advenit post aliquod tempus, sicut homo non a principio generare potest. Ex parte autem actionis impeditur, ne id, quod est a principio, simul sit cum suo principio, propter hoc quod actio est successiva. Unde dato, quod aliquod agens tali actione agere inciperet, statim cum est, non statim eodem instanti esset effectus, sed in instanti, ad quod terminatur actio. Manifestum est autem secundum præmissa *, quod Pater non generat Filium voluntate, sed natura : [* Q. præced. artic. 2.] et iterum, quod natura Patris ab æterno perfecta fuit : et iterum, quod actio, qua Pater producit Filium, non est successiva : quia sic Filius Dei successive generatus esset, et ejus generatio materialis, et cum motu esset : quod est impossibile. Relinquitur ergo, quod Filius fuit, quandocumque fuit Pater. Et sic Filius coæternus Patri, et similiter Spiritus Sanctus utrique.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus * dicit in lib. de verbis Domini, nullus modus processionis alicujus creaturæ perfecte repræsentat divinam generationem. [* Serm. 38 per totum, tom. 10.] Unde oportet ex multis modis colligere similitudinem : ut quod deest ex uno, aliqualiter suppleatur ex altero. Et propter hoc dicitur in Synodo Ephesina : Coexistere semper coæternum Patri Filium, splendor tibi denuntiet : impassibilitatem nativitati ostendat verbum; consubstantialitatem Filii nomen insinuet. Inter omnia tamen expressius repræsentat processio verbi ab intellectu : quod quidem non est posterius eo, a quo procedit, nisi sit talis intellectus, qui exeat de potentia in actum. Quod in Deo dici non potest.

Ad secundum dicendum, quod æternitas excludit principium durationis; sed non principium originis.

Ad tertium dicendum, quod omnis corruptio est mutatio quædam. Et ideo omne, quod corrumpitur, incipit non esse, et desinit esse. Sed generatio divina non est transmutatio, ut dictum est supra *. Unde Filius semper generatur, et Pater semper generat. [* Q. 27 artic. 2.]

Ad quartum dicendum, quod in tempore aliud est, quod est indivisibile, scilicet instans; et aliud est, quod est durans, scilicet tempus. [* Q. 10 artic. 4.] Sed in æternitate ipsum nunc indivisibile est, et semper stans, ut supra dictum est *. Generatio vero Filii non est in nunc temporis, aut in tempore, sed in æternitate. Et ideo ad significandum præsentialitatem, et permanentiam æternitatis potest dici, quod semper nascitur, ut Origenes dixit. Sed (ut Gregorius, et Augustinus * dicunt) melius est, quod dicatur semper natus : ut ly semper, designet permanentiam æternitatis, et ly natus, perfectionem geniti. Sic ergo Filius non imperfectus est neque erat, quando non erat, ut Arrius dixit. [* Origen. Hom. in cap. 1 Joan. a medio, tom. 3 Aug. in Ps. 2 super id, *Hodie genui te*, tomo 8. Greg. 29 l. moral. cap. 1.]

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS III.

Utrum in divinis personis sit ordo naturæ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in divinis personis non sit ordo naturæ. Quidquid enim in divinis est, vel est essentia, vel persona, vel notio. Sed ordo naturæ non significat essentiam, neque est aliqua personarum, aut notionum. Ergo ordo naturæ non est in divinis. [1 dist. 12 art. 1 et dist. 20 artic. 3. Et pot. q. 10 a. 3 cor.]

2. Præterea, in quibuscumque est ordo naturæ, unum est prius altero, saltem secundum naturam, et intellectum.

Sed in divinis personis nihil est prius, et posterius, ut Athanasius * dicit. Ergo in divinis personis non est ordo naturæ.

* In suo Symbolo fidei.

3. Præterea, quidquid ordinatur, distinguitur. Sed natura in divinis non distinguitur. Ergo non ordinatur : ergo non est ibi ordo naturæ.

4. Præterea, natura divina est ejus essentia. Sed non dicitur in divinis ordo essentiæ. Ergo neque ordo naturæ.

Sed contra. Ubicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio. Sed in divinis personis non est confusio, ut * Athanasius dicit. Ergo est ibi ordo.

* In suo Symbolo fidei.

Respondeo dicendum, quod ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Unde, sicut dicitur principium multipliciter, scilicet, secundum situm, ut punctus; secundum intellectum, ut principium demonstrationis; et secundum causas singulas : ita etiam dicitur ordo. In divinis autem dicitur principium secundum originem absque prioritate, ut supra dictum est *. Unde oportet, ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate. Et hæc vocatur ordo naturæ secundum Augustinum *, non quo alter sit prius altero; sed quo alter est ex altero.

* Q. 33 artic. 1 ad 3 præcipue.

* Ex l. 4 sup. Gen. cap. 34 et 35 tom. 3. Et ex oratione de quinque hæresibus, a medio, tomo 7.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo naturæ significat notionem originis in communi, non autem in speciali.

Ad secundum dicendum, quod in rebus creatis etiam cum id, quod est a principio, sit suo principio coævum secundum durationem; tamen principium est prius secundum naturam, et intellectum, si consideretur id, quod est principium. Sed si considerentur ipsæ relationes causæ, et causati, et principii et principiati, manifestum est, quod relativa sunt simul natura, et intellectu, in quantum unum est in diffinitione alterius. Sed in divinis ipsæ relationes sunt subsistentes personæ in una natura. Unde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum una persona potest esse prior alia, neque etiam secundum naturam, et intellectum.

Ad tertium dicendum, quod ordo naturæ dicitur, non quod ipsa natura ordinetur; sed quod ordo in divinis personis attenditur secundum naturalem originem.

Ad quartum dicendum, quod natura quodammodo importat rationem principii; non autem essentia. Et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam ordo essentiæ.

Conclusio : Necesse est ponere in divinis ordinem originis absque prioritate, et hic vocatur ordo naturæ secundum Augustinum, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

Circa hos duos articulos inspiciantur illa, quæ quæst. 34 asseruimus.

ARTICULUS IV.

Utrum Filius sit æqualis Patris secundum magnitudinem?

1 dist. 9 q. 1 art. 2 et 4 contra, cap. 7 ratione 11 et c. 21 cont. et pot. q. 2 art. 3 cor. fil. et q. 20 artic. 4 cor. et Boet. de Trinit. q. 3 art. 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Filius non sit æqualis Patri in magnitudine. Dicit enim ipse Joannis 14 : Pater major me est. Et Apost. 1 Corinth. 15 : Ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia.

2. Præterea, Paternitas pertinet ad dignitatem Patris. Sed Paternitas non convenit Filio. Ergo non quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Ergo non est æqualis Patri in magnitudine.

3. Præterea, ubicumque est totum, et pars, plures partes sunt aliquid majus, quam una tantum, vel pauciores : sicut tres homines sunt aliquid majus, quam duo, vel unus. Sed in divinis videtur esse totum universale, et pars. Nam sub relatione, vel notione plures notiones continentur. Cum igitur in Patre sint tres notiones, in Filio autem tantum duæ, videtur, quod Filius non sit æqualis Patri.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2 : Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, Filium esse æqualem Patri in magnitudine. Magnitudo enim Dei non est aliud, quam perfectio naturæ ipsius. Hoc autem est de ratione paternitatis, et filiationis, quod filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ est in patre, sicut et pater. Sed quia in hominibus generatio est transmutatio quædam exeuntis de potentia in actum, non statim a principio homo filius est æqualis patri generanti; sed per debitum incrementum ad æqualitatem perducitur, nisi aliter eveniat propter defectum principii generationis. Manifestum est autem ex dictis *, quod in divinis est proprie et vere paternitas, et filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei Patris fuerit defectiva in generando, neque quod Dei Filius successive, et per transmutationem ad perfectionem pervenerit. Unde necesse est dicere, quod ab æterno fuerit Patri æqualis in magnitudine. Unde, et Hilarius * dicit in lib. de Synod. : Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, et omnem humanam necessitatem, omnis filius secundum naturalem nativitatem æqualitas patris est : quia est et similitudo naturæ.

* Q. artic et

* Lib Syn in te fol. a fine lib

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa intelliguntur dicta de Christo secundum humanam naturam, in qua minor est Patre, et ei subjectus. Sed secundum naturam divinam æqualis est Patri. Et hoc est, quod Athanasius * dicit : Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Sed secundum Hilarium * in 9 lib. de Trinitate. Donantis authoritate Pater major est : sed minor non est, cui unum esse donatur. Et in lib. de Synod. * dicit, quod subjectio Filii naturæ pietas est, id est, recognitio authoritatis Paternæ : subjectio autem cæterorum, creationis infirmitas.

* In Symb fide.

* Lib de Tr inte mediu et fin lib.

* Par a me illiu Habe hic li inte ope Hilar

Ad secundum dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ (ut dictum est *) et ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in divinis et similitudo secundum essentialia attenditur : nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Unde Augustinus * dicit contra Maximinum : Originis quæstio est, quid de quo sit : æqualitatis autem, qualis, aut quantus sit. Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut et essentia Patris : nam dignitas est absoluta, et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio : ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Neque sequitur, Paternitatem habet Pater : ergo Paternitatem habet Filius : mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia, et dignitas Patris, et Filii : sed in Patre est secundum relationem dantis; in Filio secundum relationem accipientis.

* Ar prim huju q. ad argu

* Lib cont Max minu cap. post mediu tom.

Ad tertium dicendum, quod relatio in divinis non est totum universale, quamvis de singulis relationibus prædicetur : quia omnes relationes sunt unum secundum essentiam, et esse : quod repugnat rationi universalis, cujus partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona (ut supra dictum est *) non est universale in divinis. Unde neque omnes relationes sunt majus aliquid, quam una tantum : nec omnes personæ majus aliquid, quam una tantum : quia tota perfectio divinæ naturæ est in qualibet personarum.

* Q. artic. ad 3

Conclusio est affirmativa.

De qua constat ex illis, quæ disputatione 6 num. 39 late adduximus.

ARTICULUS V.

Utrum Filius sit in Patre, et e converso?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod Filius non sit in Patre, et e converso. Philosophus enim in 4 Physicorum * ponit octo modos essendi aliquid in aliquo, et secundum nullum horum Filius est in Patre, aut e converso, ut patet discurrenti per singulos modos. Ergo Filius non est in Patre, nec e converso.

2. Præterea, nihil, quod exivit ab aliquo, est in eo. Sed Filius ab æterno exivit a Patre, secundum illud Micheæ 5 : Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. Ergo Filius non est in Patre.

3. Præterea, unum oppositorum non est in altero. Sed Filius, et Pater opponuntur relative. Ergo unus non potest esse in alio.

1 dist. q. 1 art et 4 contr cap. 9 fi. et Et Joa 10 lec. fi. et c. l. 7.

* Tex. tomo

Sed contra est, quod dicitur Joannis 14 : Ego in Patre, et Pater in me est.

Respondeo dicendum, quod in Patre, et Filio tria est considerare, scilicet, essentiam, et relationem, et originem. Et secundum quodlibet istorum Filius est in Patre, et

e

e converso. Secundum essentiam enim Pater est in Filio : quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, quod in Filio sit Pater ; et similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur, quod sit in Patre, in quo est ejus essentia. Et hoc est, quod Hilarius * dicit 5 de Trinitate : Naturam suam (ut ita dicam) sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus : cum in Deo Deus insit. Secundum etiam relationes manifestum est, quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam, quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spiritu Sancto.

* Lib. 5 de Trin. ult. fol. lib.

Ad primum ergo dicendum, quod ea, quæ in creaturis sunt, non sufficienter repræsentant ea, quæ Dei sunt. Et ideo secundum nullum eorum modorum, quos Philosophus enumerat, Filius est in Patre, aut e converso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille, secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante : nisi quod deest unitas essentiæ in rebus creatis inter principium, et id, quod est a principio.

Ad secundum dicendum, quod exitus Filii a Patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit a corde, et manet in eo. Unde exitus iste in divinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentialem aliquam distantiam.

Ad tertium dicendum, quod Pater, et Filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam : et tamen oppositorum relative unum est in altero, ut dictum est *.

* In corpore articuli.

Conclusio est affirmativa, et de fide Joannis 14 : Ego in Patre, et Pater in me est. De quaque satis patet ex illis, quæ disput. 1, 2 et 3 circa processionem Filii, et Spiritus Sancti per actus immanentes intellectus, et voluntatis dicta a nobis sunt.

ARTICULUS VI.

Utrum Filius sit æqualis Patri secundum potentiam ?

dist. 30 art. 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod Filius non sit æqualis Patri secundum potentiam. Dicitur enim Joannis 5 : Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Pater autem a se potest facere. Ergo Pater major est Filio secundum potentiam.

2. Præterea, major est potentia ejus, qui præcipit, et docet, quam ejus, qui obedit, et audit. Sed Pater mandat Filio, secundum illud Joan. 14 : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Pater etiam docet Filium, secundum illud Joan. 5 cap. : Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Similiter et Filius audit, secundum illud Joan. 5 : Sicut audio, judico. Ergo Pater est majoris potentiæ, quam Filius.

3. Præterea, ad omnipotentiam Patris pertinet, quod possit Filium generare sibi æqualem. Dicit enim Augustinus * in lib. contra Maximinum : Si non potuit generare sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris ? Sed Filius non potest generare Filium, ut supra ostensum est *. Non ergo quidquid pertinet ad omnipotentiam Patris, potest Filius. Et ita non est ei in potestate æqualis.

* Lib. 3 cont. Maxim. cap. 7 circa finem, tom. 6.

* Q. 41 art. 6 ad 1.

Sed contra est, quod dicitur Joannis 5 : Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod Filius est æqualis Patri in potestate. Potentia enim agendi consequitur perfectionem naturæ. Videmus enim in creaturis, quod quanto aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est majoris virtutis in agendo. Ostensum est autem supra *, quod ipsa ratio divinæ Paternitatis, et Filiationis exigit, quod Filius sit æqualis Patri in magnitudine, id est, in perfectione naturæ. Unde relinquitur quod Filius sit æqualis Patri in potestate. Et eadem ratio est de Spiritu Sancto respectu utriusque.

* Art. 1 et 4 hujus q.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc, quod dicitur : Filius non potest a se facere quidquam, non subtrahitur Filio aliqua potestas, quam habeat Pater : cum statim subdatur, quod quæcumque Pater facit, Filius similiter facit : sed ostenditur, quod Filius habet potestatem a Patre, a quo habet naturam. Unde dicit Hilarius * 9 de Trinitate : Naturæ divinæ hæc unitas est, ut ita per se agat Filius, quod non a se agat.

* Lib. 9 de Trin. in 2 fol. post medium lib.

Ad secundum dicendum, quod in demonstratione Patris et auditione Filii non intelligitur, nisi quod Pater communicat scientiam Filio, sicut et essentiam. Et ad idem potest referri mandatum Patris, per hoc quod ab æterno dedit ei scientiam et voluntatem agendorum, eum generando. Vel potius referendum est ad Christum secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod sicut eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio : ita eadem est potentia, qua Pater generat et qua Filius generatur. Unde manifestum est, quod quidquid potest Pater, potest Filius : non tamen sequitur, quod possit generare : sed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio significat relationem in divinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam, quam Pater : sed cum alia relatione. Quia Pater habet eam ut dans : et hoc significatur, cum dicitur quod potest generare : Filius autem habet eam ut accipiens : et hoc significatur, cum dicitur, quod potest generari.

Conclusio est affirmativa.

Et satis liquet ex disp. 2 hujus tractatus, ubi ostendimus communicari Filio a Patre ex vi processionis cuncta, quæ sunt in Patre, præter Paternitatem.

QUÆSTIO XLIII

De missione divinarum personarum.

PROOEMIUM

Deinde considerandum de missione divinarum personarum.

ARTICULUS I.

Utrum alicui personæ divinæ conveniat mitti ?

dist. 25 q. 1 art. 1 et 4 contra cap. 23 et c. 24 dialogue 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod personæ divinæ non conveniat mitti. Missus enim minor est mittente. Sed una persona divina non est minor alia. Ergo una persona non mittitur ab alia.

2. Præterea, omne, quod mittitur, separatur a mittente. Unde Hieronymus dicit super Ezech. : Quod conjunctum est et in corpore uno copulatum, mitti non potest. Sed in divinis personis nihil est separabile, ut Hilarius * dicit. Ergo una persona non mittitur ab alia.

* Hilar. 7 de Trin. non procul a fine lib.

3. Præterea Quicumque mittitur, ab aliquo loco discedit et ad aliquem locum de novo vadit. Hoc autem divinæ personæ non convenit : cum ubique sit. Ergo divinæ personæ non convenit mitti.

Sed contra est, quod dicitur Joannis 8 : Non sum ego solus; sed ego et qui misit me Pater.

Respondeo dicendum, quod in ratione missionis duo importantur. Quorum unum est habitudo missi ad eum, a quo mittitur. Aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi a mittente; vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum, vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat; vel quia prius ibi omnino non erat, quo mittitur; vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat. Missio igitur divinæ personæ convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio. Sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam : et tamen ante in mundo erat, ut dicitur Joannis 1.

Ad primum ergo dicendum, quod missio importat minorationem in eo, qui mittitur, secundum quod importat processionem a principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium : quia imperans est major et consilians est sapientior. Sed in divinis non importat nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem, ut supra dictum est *.

In corp. art.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod sic mittitur, ut incipiat esse, ubi prius nullo modo erat, sua missione localiter movetur. Unde oportet, quod loco separetur a mittente. Sed hoc non accidit in missione divinæ personæ : quia persona divina missa, sicut non incipit esse, ubi prius non fuerat, ita nec desinit esse, ubi fuerat. Unde talis missio est sine separatione; sed habet solam distinctionem originis.

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit de missione, quæ fit secundum motum localem, quæ non habet locum in divinis.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS II.

Utrum missio sit æterna, vel temporalis tantum?

1 dist. 15 q. 1 art. 2. * Homil. 26 in Evangel. paulo post princ.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod missio possit esse æterna. Dicit enim Gregorius * : Eo mittitur Filius, quo generatur. Sed generatio Filii est æterna. Ergo et missio.

2. Præterea, cuicumque convenit aliquid temporaliter, illud mutatur. Sed persona divina non mutatur. Ergo missio divinæ personæ non est temporalis, sed æterna.

3. Præterea, missio processionem importat. Sed processio divinarum personarum est æterna. Ergo et missio.

Sed contra est, quod dicitur Galat. 4 : Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.

Respondeo dicendum, quod in his, quæ important originem divinarum personarum, est quædam differentia attendenda. Quædam enim in sui significatione important solam habitudinem ad principium, ut processio et exitus. Quædam vero cum habitudine ad principium determinant processionis terminum. Quorum quædam determinant terminum æternum, sicut generatio et spiratio : nam generatio est processio divinæ personæ in naturam divinam : et spiratio passive accepta importat processionem amoris subsistentis. Quædam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio et datio. Mittitur enim aliquid ad hoc, ut sit in aliquo et datur ad hoc, quod habeatur. Personam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Unde missio et datio in divinis dicuntur temporaliter tantum. Generatio autem et spiratio solum ab æterno. Processio autem et exitus dicuntur in divinis et æternaliter et temporaliter : nam Filius ab æterno processit, ut sit Deus; temporaliter autem, ut etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam ut sit in homine secundum invisibilem missionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregorius loquitur de generatione temporali Filii, non a Patre, sed a matre. Vel quia ex hoc ipso Filius habet, quod possit mitti, quod est ab æterno genitus.

Ad secundum dicendum, quod divinam personam esse novo modo in aliquo, vel ab aliquo haberi temporaliter, non est propter mutationem divinæ personæ, sed propter mutationem creaturæ. Sicut et Deus temporaliter dicitur Dominus, propter mutationem creaturæ.

Ad tertium dicendum, quod missio non solum importat processionem a principio; sed determinat processionis terminum temporalem. Unde missio solum est temporalis. Vel missio includit processionem æternam et aliquid addit, scilicet temporalem effectum. Habitudo enim divinæ personæ ad suum principium non est nisi ab æterno. Unde gemina dicitur processio, æterna scilicet et temporalis : non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur; sed geminatio est ex parte termini temporalis et æterni.

Conclusio : Missio et datio dicuntur in divinis temporaliter tantum.

ARTICULUS III.

Utrum missio invisibilis divinæ personæ sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod missio invisibilis divinæ personæ non sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis. Divinam enim personam mitti, est ipsam donari. Si igitur divina persona mittitur solum secundum dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipsa persona divina, sed solum dona ejus. Quod est error dicentium, Spiritum sanctum non donari, sed ejus dona. 1 dist. q. 2 art. 1.

2. Præterea, hæc præpositio, secundum, denotat habitudinem alicujus causæ. Sed persona divina est causa, quod habeatur donum gratiæ gratum facientis, et non e converso, secundum illud Rom. 5 : Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ergo inconvenienter dicitur, quod persona divina secundum dona gratiæ gratum facientis mittatur.

3. Præterea, Augustinus * dicit 4 de Trinitate, quod Filius cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur. Sed Filius cognoscitur non solum per gratiam gratum facientem, sed etiam per gratiam gratis datam, sicut per fidem, et per scientiam. Non ergo persona divina mittitur secundum solam gratiam gratum facientem. * Lib. de Trin. cap. 20 in medio tomo 3.

4. Præterea, Rabanus dicit, quod Spiritus sanctus datus est Apostolis ad operationem miraculorum. Hoc autem non est donum gratiæ gratum facientis; sed gratiæ gratis datæ. Ergo persona divina non solum datur secundum gratiam gratum facientem.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit 3 de Trinitate, quod Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam. Missio autem est temporalis processio. Cum igitur sanctificatio creaturæ non sit nisi per gratiam gratum facientem, sequitur, quod missio divinæ personæ non sit nisi per gratiam gratum facientem. * Ex lib. 3 cap. 4 circa finem elicitur tom. 3.

Respondeo dicendum, quod divinæ personæ convenit mitti, secundum quod novo modo existit in aliquo : dari autem, secundum quod habetur ab aliquo. Neutrum autem horum est, nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, et præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse, sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et quia cognoscendo, et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur, et procedit temporaliter persona divina. Similiter illud solum habere dicimur, quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona, est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus sanctus habetur, et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur, et mittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis, ad hoc quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur. Et ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiæ gratum facientis; et tamen ipsa persona divina datur.

Ad secundum dicendum, quod gratia gratum faciens disponit

disponit animam ad habendam divinam personam. Et significatur hoc, cum dicitur, quod Spiritus sanctus datur secundum donum gratiæ. Sed tamen ipsum donum gratiæ est a Spiritu sancto. Et hoc significatur, cum dicitur, quod charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Ad tertium dicendum, quod licet per aliquos effectus Filius cognosci possit a nobis : non tamen per aliquos effectus nos inhabitat, vel etiam habetur a nobis.

Ad quartum dicendum, quod operatio miraculorum est manifestativa gratiæ gratum facientis, sicut et donum prophetiæ, et quælibet gratia gratis data. Unde 1 Cor. 12, gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. Sic igitur Apostolis dicitur datus Spiritus sanctus ad operationem miraculorum : quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiæ gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus sanctus, nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur, quod alicui datur spiritus propheticus, vel miraculorum, in quantum a Spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS IV.

Utrum Patri conveniat mitti?

1 dist. 15 q. 2 art. unico.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Patri etiam conveniat mitti. Mitti enim divinam personam, est ipsam dari : sed Pater dat se ipsum (cum haberi non possit, nisi se ipso donante). Ergo potest dici, quod Pater mittat se ipsum.

2. Præterea, persona divina mittitur secundum inhabitationem gratiæ. Sed per gratiam tota Trinitas inhabitat in nobis, secundum illud Joannis 14 : Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Ergo quælibet divinarum personarum mittitur.

3. Præterea, quidquid convenit alicui personæ, convenit omnibus præter notiones et personas. Sed missio non significat aliquam personam, neque etiam notionem : cum sint tantum quinque notiones, ut supra dictum est *. Ergo cuilibet personæ divinæ convenit mitti.

Q. 32 art. 3.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit in 1 lib. de Trinitate, quod solus Pater nunquam legitur missus.

Respondeo dicendum, quod missio in sui ratione importat processionem ab alio, et in divinis secundum originem, ut supra dictum est *. Unde, cum Pater non sit ab alio, nullo modo convenit sibi mitti : sed solum Filio, et Spiritui sancto, quibus convenit esse ab alio.

Lib. 2 de Trin. cap. 5 paulo post princ.

Ad primum ergo dicendum, quod si dare importet liberalem communicationem alicujus, sic Pater dat seipsum, in quantum se liberaliter communicat creaturæ ad fruendum. Si vero importet authoritatem dantis respectu ejus, quod datur, sic non convenit dari in divinis nisi personæ, quæ est ab alio, sicut nec mitti.

Art. 1 et 2 hujus quæst.

Ad secundum dicendum, quod licet effectus gratiæ sit etiam a Patre, qui inhabitat per gratiam, sicut et Filius et Spiritus sanctus : quia tamen non est ab alio, non dicitur mitti. Et hoc est, quod dicit Augustinus * lib. 4 de Trinit. quod Pater, cum in tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat.

Lib. 4 de Trin. cap. 20 post medium tomo 3.

Ad tertium dicendum, quod missio, in quantum importat processionem a mittente, includit in sui significatione notionem ; non quidem in speciali, sed in generali, prout esse ab alio est commune duabus notionibus.

Conclusio est negativa.

ARTICULUS V.

Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti?

1 dist. 15 q. 4 art. 3 et 4 contra Gent. cap. 8 Cont. 9 c. 23.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod Filio non conveniat invisibiliter mitti. Missio enim invisibilis divinæ personæ attenditur secundum donum gratiæ. Sed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum sanctum, secundum illud 1 Corinth. 12 : Omnia operatur unus atque idem spiritus. Ergo invisibiliter non mittitur, nisi Spiritus sanctus.

2. Præterea, missio divinæ personæ fit secundum gratiam gratum facientem. Sed dona, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, non sunt dona gratiæ gratum facientis : cum sine charitate possint haberi, secundum illud 1 ad Corinth. 13 : Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Cum ergo Filius procedat ut verbum intellectus, videtur, quod non conveniat sibi invisibiliter mitti.

3. Præterea, missio divinæ personæ est quædam processio, ut dictum est *. Sed alia est processio Filii, alia Spiritus sancti. Ergo et alia missio, si uterque mittitur. Et sic altera earum superflueret, cum una sit sufficiens ad sanctificandam creaturam.

* Art. præced. et art. 1 hujus quæst.

Sed contra est, quod Sapientiæ 9 dicitur de divina Sapientia : Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ.

Respondeo dicendum, quod per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secundum illud Joannis 14 : Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Mitti autem personam divinam ad aliquem per invisibilem gratiam, significat novum modum inhabitandi illius personæ, et originem ejus ab alia. Unde, cum tam Filio, quam Spiritui sancto conveniat, et inhabitare per gratiam, et ab alio esse, utrique convenit invisibiliter mitti. Patri autem licet conveniat inhabitare per gratiam ; non tamen sibi convenit ab alio esse, et per consequens nec mitti.

Ad primum ergo dicendum, quod licet omnia dona, in quantum dona sunt, attribuantur Spiritui sancto (quia habet rationem primi doni, secundum quod est amor, ut supra dictum est) aliqua tamen dona secundum proprias rationes attribuuntur per quamdam appropriationem Filio, scilicet illa, quæ pertinent ad intellectum. Et secundum illa dona attenditur missio Filii. Unde Augustinus * dicit 4 de Trinitate, quod tunc invisibiliter Filius cuiquam mittitur, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur.

* Lib. 4 de Trin. cap. 20 circa medium tomo 3.

Ad secundum dicendum, quod anima per gratiam conformatur Deo. Unde ad hoc, quod aliqua persona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet, quod fiat assimilatio illius ad divinam personam, quæ mittitur, per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus sanctus est amor, per donum charitatis anima Spiritui sancto assimilatur. Unde secundum modum charitatis attenditur missio Spiritus sancti. Filius autem est verbum, non qualecumque, sed spirans amorem. Unde Augustinus * dicit in 9 lib. de Trinitate. Verbum autem, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. Non igitur secundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius; sed secundum talem institutionem, vel instructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris, ut dicitur Joannis 6 : Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Et in Psalm. : In meditatione mea exardescet ignis. Et ideo signanter dicit Augustinus *, quod Filius mittitur, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quamdam notitiam significat : et hæc proprie dicitur sapientia ; quasi sapida scientia, secundum illud Eccles. 6 : Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus est.

* Lib. 9 de Trin. cap. 10 circa finem tomi 3.

* Loco citato in solut. 1 argum.

Ad tertium dicendum, quod cum missio importet originem personæ missæ, et inhabitationem per gratiam (ut supra dictum est *) si loquamur de missione, quantum ad originem, sic missio Filii distinguitur a missione Spiritus sancti, sicut et generatio a processione. Si autem quantum ad effectum gratiæ, sic communicant duæ missiones in radice gratiæ; sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt, illuminatio intellectus, et inflammatio affectus. Et sic manifestum est, quod una non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec una persona separatur ab alia.

* In corpore articuli, et art. 2 hujus quæst.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS VI.

Utrum missio invisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ?

1 dist. 15 q. 5 art. 1 q. 2, 3 et 4.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod missio invisibilis non fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ. Patres enim veteris Testamenti gratiæ participes fuerunt. Sed ad illos non videtur fuisse facta missio invisibilis. Dicitur enim Joan. 7 : Nondum erat spiritus datus : quia nondum erat Jesus glorificatus. Ergo missio invisibilis non fit ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

2. Præterea, profectus in virtute non est nisi per gra-

tiam. Sed missio invisibilis non videtur attendi secundum profectum virtutis : quia profectus virtutis videtur esse continuus, cum charitas semper aut proficiat, aut deficiat : et sic missio esset continua. Ergo missio invisibilis non fit ad omnes participes gratiæ.

3. Præterea, Christus, et beati plenissime habent gratiam. Sed ad eos non videtur fieri missio. Quia missio fit ad aliquid distans. Christus autem, secundum quod homo, et omnes beati perfecte sunt uniti Deo. Non ergo ad omnes participes gratiæ fit missio invisibilis.

4. Præterea, sacramenta novæ legis continent gratiam : nec tamen ad ea dicitur fieri missio invisibilis. Non ergo ad omnia, quæ habent gratiam, fit missio invisibilis.

(* Lib. 3 de Trin. cap. 4 et lib. 15 cap. 27 innuitur, tomo 3.) Sed contra est, quod secundum Augustinum *, missio invisibilis fit ad sanctificandam creaturam : omnis autem creatura habens gratiam sanctificatur. Ergo ad omnem creaturam hujusmodi fit missio invisibilis.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) missio de sui ratione importat, quod ille, qui mittitur, vel incipiat esse, ubi prius non fuit (sicut accidit in rebus creatis) vel incipiat esse, ubi prius fuit, sed quodam modo novo, secundum quod missio attribuitur divinis personis. Sic ergo in eo, ad quem fit missio, oportet duo considerare, scilicet, inhabitationem gratiæ, et innovationem quamdam per gratiam. Ad omnes ergo fit missio invisibilis, in quibus hæc duo inveniuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod missio invisibilis est facta ad Patres veteris Testamenti. Unde dicit Augustinus * 4 de Trinitate, quod secundum quod Filius mittitur invisibiliter, fit in hominibus, aut cum hominibus. Hoc autem antea factum est in Patribus, et Prophetis. Cum ergo dicitur, Nondum erat datus spiritus, intelligimus de illa datione cum signo visibili, quæ facta est in die Pentecostes. (* Lib. 4 de Trin. cap. 20 parum ante medium tomo 3.)

Ad secundum dicendum, quod etiam secundum profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit missio invisibilis. Unde Augustinus dicit * 4 de Trinitate, quod tunc cuiquam mittitur Filius, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, et percipi potest pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo. Sed tamen secundum illud augmentum gratiæ præcipue missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ : ut puta, cum aliquis proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his, quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur. (* Lib. 4 de Trin. cap. 20 tomo 3.)

Ad tertium dicendum, quod ad beatos est facta missio invisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum intentionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo : quod est usque ad diem judicii : quod quidem augmentum attenditur secundum extensionem gratiæ ad plura se extendentis. Ad Christum autem fuit facta invisibilis missio in principio suæ conceptionis, non autem postea; cum a principio suæ conceptionis fuerit plenus omni sapientia, et gratia.

Ad quartum dicendum, quod gratia est in sacramentis novæ legis instrumentaliter, sicut forma artificiati est in instrumentis artis secundum quemdam discursum ab agente in patiens. Missio autem non dicitur fieri, nisi respectu termini. Unde missio divinæ personæ non fit ad sacramenta; sed ad eos, qui per sacramenta gratiam suscipiunt.

Conclusio : Missio invisibilis fit ad omnes, qui habent gratiam cum aliqua innovatione.

ARTICULUS VII.

Utrum Spiritui sancto conveniat visibiliter mitti?

(Locis supra art. 6 inductis.) Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod Spiritui sancto non conveniat visibiliter mitti. Filius enim, secundum quod visibiliter missus est in mundo, dicitur esse minor Patre. Sed nunquam legitur Spiritus sanctus minor Patre. Ergo Spiritui sancto non convenit visibiliter mitti.

2. Præterea, missio visibilis attenditur secundum aliquam creaturam visibilem assumptam, sicut missio Filii secundum carnem. Sed Spiritus sanctus non assumpsit aliquam creaturam visibilem. Unde non potest dici, quod in aliquibus creaturis visibilibus sit alio modo, quam in aliis, nisi forte sicut in signo, sicut est etiam in sacramentis, et in omnibus figuris legalibus. Non ergo Spiritus sanctus visibiliter mittitur : vel oportet dicere, quod secundum omnia hujusmodi ejus missio visibilis attenditur.

3. Præterea, quælibet creatura visibilis est effectus demonstrans totam Trinitatem. Non ergo per illas creaturas visibiles magis mittitur Spiritus sanctus, quam alia persona.

4. Præterea, Filius visibiliter est missus secundum dignissimam visibilium creaturarum, scilicet, secundum naturam humanam. Si igitur Spiritus sanctus visibiliter mittitur, debuit mitti secundum aliquas creaturas rationales.

5. Præterea, quæ visibiliter fiunt divinitus, dispensantur per ministerium Angelorum, ut Augustinus * dicit 3 de Trinitate. Si ergo aliquæ species visibiles apparuerunt, hoc factum fuit per Angelos. Et sic ipsi Angeli mittuntur, et non Spiritus sanctus. (* Lib. 3 de Trin. cap. 4 5 et 9, tomo 3.)

6. Præterea, si Spiritus sanctus visibiliter mittatur, hoc non est nisi ad manifestandum invisibilem missionem : quia invisibilia per visibilia manifestantur. Ergo ad quem missio invisibilis facta non fuit, nec missio visibilis fieri debuit : et ad omnes, ad quos fit missio invisibilis, sive in novo, sive in veteri Testamento, missio visibilis fieri debet. Quod patet esse falsum. Non ergo Spiritus sanctus visibiliter mittitur.

Sed contra est, quod dicitur Matthæi 3, quod Spiritus sanctus descendit super Dominum baptizatum in specie columbæ.

Respondeo dicendum, quod Deus providet omnibus secundum uniuscujusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur (ut ex supra dictis patet *), et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur se ipsum Deus, et processiones æternas personarum, per creaturas visibiles, secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstravit : ita conveniens fuit, ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius, et Spiritus sanctus. Nam Spiritui sancto, in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum, Filio autem in quantum est Spiritus sancti principium, competit esse sanctificationis hujus authorem. Et ideo Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis author, sed Spiritus sanctus tanquam sanctificationis indicium. (* Q. 1 art. 12.)

Ad primum ergo dicendum, quod filius creaturam visibilem, in qua apparuit, in unitatem personæ assumpsit : sic, ut quod de illa creatura dicitur, de Filio Dei dici possit. Et sic ratione naturæ assumptæ, filius dicitur minor patre. Sed Spiritus sanctus non assumpsit creaturam visibilem, in qua apparuit, in unitatem personæ, ut quod illi convenit, de illo prædicetur. Unde non potest dici minor patre, propter visibilem creaturam.

Ad secundum dicendum, quod missio visibilis Spiritus sancti non attenditur secundum visionem imaginariam, quæ est visio prophetica : quia, ut Augustinus dicit * 2 de Trinitate, visio prophetica non est exhibita corporeis oculis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales corporum imagines. Columbam vero illam, et ignem oculis viderunt, quicumque viderunt. Neque iterum sic se habuit Spiritus sanctus ad hujusmodi species, sicut filius ad petram : quia dicitur, Petra erat Christus. Illa enim petra jam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat. Sed illa columba, et ignis, ad hæc tantum significanda repente extiterunt. Sed videntur esse similia flammæ illi, quæ in rubo apparuit Moysi, et illi columnæ, quam populus in eremo sequebatur, et fulgoribus, ac tonitruis, quæ fiebant, cum lex daretur in monte. Ad hoc enim rerum illarum corporalis extitit species, ut aliquid significaret, atque prædiceret. Sic igitur apparet, quod missio visibilis neque attenditur secundum visiones propheticas, quæ fuerunt imaginariæ, et non corporales, neque secundum signa sacramentalia veteris et novi Testamenti, in quibus quædam res præexistentes assumuntur ad aliquid significandum. Sed Spiritus sanctus visibiliter dicitur esse missus, in quantum fuit monstratus in quibusdam creaturis, sicut in signis ad hoc specialiter factis. (* Lib. 2 de Trin. cap. 6 parum a med. tom. 3.)

Ad tertium dicendum, quod licet illas creaturas visibiles tota Trinitas operata sit, tamen factæ sunt ad demonstrandum specialiter hanc, vel illam personam. Sicut enim diversis nominibus significatur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : ita etiam diversis rebus significari potuerunt : quamvis inter eos nulla sit separatio, aut diversitas.

Ad quartum dicendum, quod personam filii declarari oportuit,

* In corpore art.

oportuit, ut sanctificationis authorem (ut dictum est. *) Et ideo oportuit, quod missio visibilis filii fieret secundum naturam rationalem, cujus est agere, et cui potest competere sanctificari. Indicium autem sanctificationis esse potuit quæcumque alia creatura. Neque oportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta a Spiritu sancto in unitatem personæ : cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam, non oportuit, quod duraret, nisi quandiu perageret officium suum.

Ad quintum dicendum, quod illæ creaturæ visibiles formatæ sunt ministerio Angelorum : non tamen ad significandam personam Angeli, sed ad significandam personam Spiritus sancti. Quia igitur Spiritus sanctus erat in illis creaturis visibilibus, sicut signatum in signo, propter hoc, secundum eas Spiritus sanctus visibiliter mitti dicitur, et non Angelus.

Ad sextum dicendum, quod non est de necessitate invisibilis missionis, ut semper manifestetur per aliquod signum visibile exterius ; sed sicut dicitur I Corinth. 12 : Manifestatio spiritus datur alicui, ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ, quæ quidem utilitas est, ut per hujusmodi visibilia signa fides confirmetur, et propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum, et per Apostolos, secundum illud Hebr 2 : Cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est. Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus sancti ad Christum, et ad Apostolos, et ad aliquos primitivos Sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur : ita tamen, quod visibilis missio facta ad Christum, demonstraret missionem invisibilem, non tunc, sed in principio suæ conceptionis ad eum factam. Facta autem est missio visibilis ad Christum, in baptismo quidem sub specie columbæ, quod est animal fœcundum, ad ostendendum in Christo authoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem. Unde vox Patris intonuit. Hic est filius meus dilectus, ut ad similitudinem unigeniti alii regenerarentur. In transfiguratione vero, sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ. Unde dictum est : Ipsum audite. Ad Apostolos autem sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum. Unde dictum est eis : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Seu sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ. Unde dicitur, quod cœperunt loqui variis linguis. Ad Patres autem veteris Testamenti missio visibilis Spiritus sancti fieri non debuit : quia prius debuit perfici missio visibilis Filii, quam Spiritus sancti, cum Spiritus sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem. Fuerunt autem factæ visibiles apparitiones divinarum personarum Patribus veteris Testamenti : quæ quidem missiones visibiles dici non possunt : quia
Lib. 2 de Trin. cap. 17 circa fin. tomo 3.
non fuerunt factæ (secundum Augustinum *) ad designandum inhabitationem divinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum.

Conclusio : Conveniens fuit, Filium, et Spiritum sanctum visibiliter mitti.

ARTICULUS VIII.

Utrum aliqua persona divina mittatur, nisi ab ea, a qua procedit æternaliter?

dist. 5 q. 3 et pot. q. 10 art. 4 ad quartum.
Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod nulla persona divina mittatur, nisi ab ea, a qua procedit æternaliter. Quia sicut dicit Augustinus * 4 de Trinitate : Pater a nullo mittitur : quia a nullo est. Si ergo aliqua persona divina mittitur ab alia, oportet, quod sit ab illa.

Lib. 4 de Trin. ult. in fin. tom. 3.
2. Præterea mittens habet authoritatem respectu missi. Sed respectu divinæ personæ non potest haberi authoritas, nisi secundum originem. Ergo oportet, quod divina persona, quæ mittitur, sit a persona mittente.

Lib. 15 de Trin. cap. 16 tomo 3.
3. Præterea, si persona divina potest mitti ab eo, a quo non est, nihil prohibebit dicere, quod Spiritus sanctus detur ab homine, quamvis non sit ab eo. Quod est contra Augustinum * 3 de Trinitate. Ergo divina persona non mittitur, nisi ab ea, a qua est.

Sed contra est quod Filius mittitur a Spiritu sancto, secundum illud Isaiæ 48 : Nunc misit me Dominus Deus, et spiritus ejus. Filius autem non est a Spiritu sancto. Ergo persona divina mittitur ab ea, a qua non est.

Respondeo, dicendum, quod circa hoc inveniuntur aliqui diversimode locuti esse. Secundum quosdam enim, persona divina non mittitur, nisi ab eo, a quo est æternaliter. Et secundum hoc, cum dicitur Filius Dei missus a Spiritu sancto, referendum est hoc ad humanam naturam, secundam quam missus est ad prædicandum a Spiritu sancto. Augustinus autem dicit * 2 de Trinitate, quod Filius mittitur et a se, et a Spiritu sancto, et Spiritus sanctus etiam mittitur et a se, et a Filio, ut sic mitti in divinis non conveniat cuilibet personæ, sed solum personæ ab alio existenti : mittere autem conveniat cuilibet personæ. Utrumque autem habet aliquo modo veritatem. Quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur et ipsa persona ab alio existens, et effectus visibilis, aut invisibilis, secundum quem missio divinæ personæ attenditur. Si igitur mittens designetur, ut principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personæ. Et sic Filius mittitur tantum a Patre : Spiritus sanctus autem a Patre, et Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. Non autem propter hoc homo dat Spiritum sanctum : quia nec effectum gratiæ potest causare. Et per hoc patet solutio ad objecta.

* Lib. 2 de Trin. cap. 5 per totum tom. 3.

Prima conclusio : Si participium *mittens* designetur, ut principium personæ missæ, solum illa persona mittit, quæ est principium personæ missæ.

Secunda conclusio : Si ly *mittens* intelligatur esse principium effectus, ratione cujus fit missio, tota Trinitas mittit personam missam.

DISPUTATIO XIX.

De missione divinarum personarum.

Quia missio divinæ personæ tantum 1.
est temporalis, ut D. Thomas art. 2 hujus D.Thom.
quæstionis docet, ideo collatio divinarum personarum ad invicem quoad missionem posterior est comparatione earumdem secundum intrinseca, et æterna, tam absoluta quam relativa. Et propterea peracto jam sermone de divinis personis, ut collatis hoc posteriori modo (quod præstitit Angelicus Præceptor quæstionibus præcedentibus) merito in hac quæstione, quæ habet se per modum coronidis respectu totius hujus tractatus, agit S. Doctor de missione temporali divinæ personæ quæ est ultima comparatio earumdem personarum, ut habent inter se distingui.

DUBIUM I.

Utrum alicui personæ divinæ conveniat mitti? ubi etiam explicatur, in quo consistit missio, de qua Angelicus Præceptor articulo primo hujus quæstionis agit.

Quoniam Angelicus Præceptor de his 2.
duobus in titulo recensitis inquirit in ar- D.Thom.
ticul. 1 hujus quæstionis, et in eo explicat duas primas quæstiones, quæ de quavis re inquiruntur, scilicet *an est*, et *quid est* ipsius : ideo utrique primum dubium istius disputationis damus. Consulto au-

tem in titulo non inquirimus, an omnibus personis divinis conveniat mitti : quia hoc ex discursu hujus disputationis, et ex iis, quæ in aliis articulis præsentis quæstionis docet D. Thomas, deducendum est : sed id indiffinite de aliqua persona divina sciscitamur. Sicut etiam missio sumitur proprie, stricte, et secundum primariam ejus translationem ex his, quæ contigunt in humanis ad divina, ut ex ratione D. Thomæ statim adducenda patebit.

Ut autem hæc acceptio melius capiatur, notandum est, quod missio in creaturis, unde ad divina fuit translata, importat quamdam motionem, vel processionem unius rei ab alia transmissæ ad alium locum, vel personam, ut ibi exsequatur id ad quod mittitur, ita ut ab eo accipiat aliquam quodammodo virtutem, vel directionem ad id exsequendum : quo pacto nuntius, vel sagitta mitti dicitur. Unde missio, ut est commune nomen ad missionem in creaturis, et in divinis, significat quamdam processionem ab aliquo principio (modo statim explicando) ad aliquem terminum, ubi prius non erat, vel ubi incipit de novo esse alio modo, quam ibi antea erat. Et ita missio denotat rem missam cum duplici habitudine, scilicet ad mittentem (modo tamen in hoc dubio declarando) et ad eum, ad quem mittitur : et res missa accipit a mittente potestatem, vel vim, aut directionem ad aliquid de novo efficiendum, vel ad existendum in novo loco, ubi non erat, vel novo modo, ubi antea erat.

§ I.

Decisio dubii, et ratio D. Thomæ pro ea.

3. Conclusio. Ad Gal. 4 1 Joan. 4 Joan. 5, 6, 15 et 16. Dicendum ergo est, quod alicui personæ divinæ convenit mitti. Assertio hæc passim habetur in Scriptura, ut constat ex illo ad Galat. 4 et 1 Joannis 4 : *Misit Deus Filium suum.* Et Joannis 5 : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Et cap. 6 : *Sicut misit me vivens Pater.* Et cap. 15 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis.* Et cap. 16 : *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.* Unde assertionem hanc communiter tuentur Patres, et Theologi : et propterea ab eis in particulari referendis abstinendum est.

Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis illius deducitur ex Angelico Præceptore art. 1 hujus quæstionis, et in 1 dist. 14 quæst. 1 artic. 1 quæ potest sub hac forma proponi, et elucidari. Quoniam missio in divinis (saltem secundum primariam ejus translationem ex creaturis ad Deum) duas dicit habitudines : aliam personæ missæ ad eam, a qua mittitur, quæ consistit in hoc, quod ab ea procedat : aliam vero habitudinem, aut quasi habitudinem, saltem fundamentalem, ad terminum, ad quem mittitur : ex eo quod aliquo modo ibi incipit esse, seu ex eo quod connotet novum temporalem effectum, et terminum a persona missa ex vi missionis productum. Sed totum hoc convenit alicui personæ divinæ : ergo etiam conveniet ei hoc, quod est sic mitti. D.Thom.

Major quod primam partem, seu habitudinem videtur perspicua. Tum quia missio prædicta dicit exitum missi a mittente : sed persona divina non habet alium exitum a mittente, nisi secundum originem, et processionem æternam : ergo missio dicit hunc exitum, et habitudinem personæ missæ ad eam, a qua mittitur, quæ consistit in hoc, quod ab ea procedat. Unde Patres attendentes ad hanc priorem habitudinem prædictæ missionis, et de ea, et de missione quoad illam loquentes, explicuerunt ipsam per ordinem originis personæ missæ, v g. Filii, ad mittentem. Et ita Augustinus lib. 3 contra Maximinum cap. 14 : *Missio* (inquit) *non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ* Et 4 de Trinit. c. 20 : *Filius mittitur, non quia inæqualis est Patri ; sed quia est manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera.* Cyrillus noster lib. 4 in Joannem cap. 42 de Christo loquens, inquit : *Mittitur, ut verbum ex mente, et splendor ex sole.* Et lib. 12 Thesauri cap. 15 sic ait : *Missum se Filius a Patre dicit, non mutatione locorum (non est enim Deus in loco), sed sicut calorem ex igne, aut illuminationem ex lumine.* 4. Augustin. N. Cyrill.

Tum etiam. Quia missio in divinis necessario includit aliquid notionale, quippe quæ convenit personis divinis, et non omnibus, sed aliquibus : ergo dicit aliquid pertinens ad æternam originem, illamque importans : quandoquidem notionalia (juxta ea, quæ ex D. Thoma quæst. 32 diximus) pertinent ad ordinem originis, eamque dicunt.

Quoad secundam vero partem, nimirum, quoad secundam habitudinem, aut quasi habitudinem 5.

habitudinem ad terminum, ad quem mittitur. etiam liquet eadem major. Tum, quia persona missa non intelligitur exire a mittente, nisi in ordine ad aliquem terminum, ad quem mittitur, et ut ibi producat aliquo modo novum effectum. Et ita quatenus mittitur, dicit habitudinem, aut quasi habitudinem ad eumdem terminum : ex eo quod aliquo modo ibi incipiat esse, seu connotet ibidem novum effectum a se productum.

Tum etiam. Quia per missionem debet persona missa esse novo saltem modo in termino, seu in re, ad quam mittitur. Ad hoc autem, ut isto novo modo sit ibidem, oportet, ut connotet ibi novum effectum a se productum, mediante quo in re illa novo modo sit : ex eo quod persona divina missa nequit novo modo esse in aliqua re per mutationem sui, sed per mutationem rei, in qua est. Ergo cum hæc connotatio novi effectus involvat novam habitudinem, aut quasi habitudinem, nempe, novam habitudinem rationis, sive novum fundamentum ad illam, oportet,ut missio, ultra priorem illam habitudinem ad personam mittentem, necessario dicat hanc posteriorem habitudinem, aut quasi habitudinem ad terminum, sive ad rem, cui fit missio, ex eo quod ibi novum connotet effectum.

Tum denique. Quia ob hanc rationem, licet processio, et exitus personæ missæ a mittente sit æterna, nihilominus missio est temporalis, ut infra dicemus : quoniam ad rationem missionis oportet connotari aliquem effectum temporalem, sive novum modum existendi Dei in creatura, ratione cujus adest nova relatio rationis ad id, cui fit missio, sive novum, et temporale fundamentum ad illam. Et ita missio semper afferet hanc posteriorem habitudinem, aut quasi habitudinem ad prædictum terminum.

August. Unde Augustinus 4 de Trinitate capit. 20 inquit : *Non eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel quod ex tempore cujusquam mente percipitur, sicut scriptum est : Mitte illam, ut mecum sit, et mecum laboret. Sapientiæ* 7. Quod etiam docuit Gregorius Magnus homil. 26 in Evangelia, Beda homilia in Dominica 1 post Ascensionem, ubi sic inquit : *Cum gratia Spiritus sancti datur hominibus, profecto mittitur Spiritus sanctus a Patre, mittitur, et a Filio.*

Gregor. Bedo.

Minor autem ejusdem primi, et præcipui syllogismi hujus rationis ex se constat, siquidem Filius v. g. dicit utramque habitudinem, nempe, priorem habitudinem originis a Patre, et habitudinem aut quasi habitudinem ad terminum, cui fit missio : ex eo quod ibidem connotat novum modum existendi in eo : ut patet, dum veniens in hunc mundum assumpsit humanitatem, et dum peculiari modo per gratiam sanctificantem venit ad justos, et in eis mansionem facit.

Confirmatur, et explicatur ratione Angelici Præceptoris in 1 ad Annibaldum dist. 15 quæst. unica art. 2 his verbis : *Missio in divinis accipitur non proprie sed similitudinarie. A creaturis vero ad divina fit translatio similitudinum quoad ea, quæ sunt perfectionis, non quæ imperfectionis. In missione quidem proprie dictæ creaturæ quatuor reperiuntur. Unum ex parte mittentis, scilicet authoritas. Alterum ex parte missi, scilicet separatio, sive diversitas ejus a mittente. Tertium ex parte termini a quo, scilicet loci mutatio. Quartum ex parte termini ad quem, scilicet effectus aliquis. Primum, et ultimum perfectionis sunt ; ideo conveniunt divinæ missioni. Secundum, et tertium imperfectionis : et ideo non conveniunt personis divinis. Sed quia authoritas in mittente respectu missi non est in divinis personis, nisi quatenus una persona est ab alia : ideo missio in divinis significat exitum missi a mittente.* 6. Confirm. ex D. Th.

§ II.

Objectiones contra assertionem ac rationem D. Thomæ, et enodationes earum.

Nec obest, si contra assertionem objicias primo, quod secundum Dionysium Angelis superioribus ratione suæ dignitatis non convenit ad nos mitti, sed solum Deo assistere : ergo id multo minus competet divinis personis. 7. Prior objectio. Dionysius.

Respondetur enim ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 15 quæst. unica art. 1 ad 3 his verbis : *Dicendum, quod non est simile. Quia Angeli superiores non operantur circa nos, nisi mediantibus Angelis inferioribus : sed personæ divinæ operantur immediate circa nos. Vel dicendum, quod missio Angelorum superiorum ad nos esset imperfectionis in eis, quia locum mutarent : sed divinæ personæ, cum ad nos* Diluitur. D.Thom.

mittitur, locum non mutant : ideo missio non dicit imperfectionem in eis.

8. Secunda. Nec etiam refert, si secundo objicias contra rationem assertionis ex D. Thoma desumptam, quod persona, quæ mittitur, non incipit esse novo modo in creatura ex vi suæ processionis, sed ratione effectus temporalis, quem tota Trinitas operatur : ergo ad missionem parum attinet originis processio : ac proinde non est cur hæc ad missionem in ratione facta ex D. Thoma exigatur.

Confirmatio. Confirmatur. Quia ad hoc, ut pater in humanis mittere dicatur filium ad aliquem effectum libere elicitum ab eodem filio, non est satis, quod illi suam naturam substantialem communicaverit ; imo hoc per accidens ibidem se habet ; sed quod per se requiritur, et sufficit, est aliquis saltem moralis influxus, quo per imperium, consilium, aut preces inducat filium ad liberam ejusdem effectus executionem : ergo, ut in divinis dicatur Filius mitti a Patre, non sufficiet, communicasse illi per æternam processionem suam naturam ; sed hoc per accidens se habebit.

9. Occurritur secundæ. Respondetur enim, quod adhuc dato (de quo infra) effectum illum, ratione cujus persona missa dicitur esse novo modo in creatura, seu in termino, cui fit missio, procedere a tota Trinitate : nihilominus non inde sequeretur, non pertinere per se ad rationem missionis, et productionis prædicti effectus a persona missa originem et processionem ipsius a mittente. Quoniam persona missa, v. g. Filius non haberet producere hunc effectum, atque adeo nec esse novo modo in creatura, ad quam fit missio, nisi hoc haberet communicatum per æternam processionem a Patre, a quo mittitur. Quia sicut habet per illam communicatam naturam Patris : ita et potentiam operativam ad extra, et *velle* liberum requisitum ad talem operationem. Unde (si sic licet loqui) veluti primarias partes agit ibi persona mittens, nempe Pater : quatenus Filius non attingeret illum effectum, nisi per æternam processionem communicaretur illi vis ad illum attingendum, et actus liber ad hanc attingentiam requisitus : ac proinde nisi quodammodo (modo tamen alibi tacto) prius Pater haberet prædictam vim, et actum liberum ad productionem ejusdem effectus petitum. Sed de his videantur illa, quæ in 2 tomo tract. 4 disp. 5 num. 73 diximus, et illa quæ in hoc dub. n. 12 in fine illius ex D. Thoma dicemus.

Ex quo ad confirmationem respondetur, quod etsi in humanis, ubi missio est involuta imperfectionibus, requirantur ad hoc, ut patet mittat filium, vel imperium, ratione superioritatis, quam habet pater supra filium, vel consilium, ratione ignorantiæ habitæ a filio, vel preces : nihilominus in divinis, ubi hæc locum non habent, solum potest esse missio (de qua in hoc dubio loquimur) Filii a Patre ratione processionis æternæ ejusdem in ordine ad terminum, ad quem mittitur, quoniam cætera alia dicunt imperfectionem, non tamen ordo originis : et in eo involvitur, quidquid necessarium est ad hoc, ut mittens veluti primarias (ut sic dicamus) partes quodammodo agat in ordine ad terminum, et effectum, ad quem datur missio, ut explicatum est. Unde, sicut in missione creata datur distantia secundum locum personæ missæ a mittente : quia persona missa exit secundum locum ab illo, et incipit esse, ubi antea non erat, cum tamen hæc imperfectio non inveniatur in missione reperta in divinis : sic de influxu per imperium, consilium, aut preces hoc ipsum dicendum est : et solum ibidem debet ex parte personæ missæ collatæ ad mittentem reperiri ordo originis, ut optime notavit D. Thomas in 1 dist. 14 quæst. 1 art. 1. Solvitur confirm. D.Thom.

10. Tertia. Aureolus. Nec etiam refert, si tertio objicias ex Aureolo, quod missio, prout de ea hîc loquimur, non est idem, quod processio, nec missus est idem, quod productus; imo missio sumitur pro legatione, et missus dicitur legatus, sicut de Filio dicitur Abdiæ 1 : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit :* Ubi Glossa interlinealis : *Legatus est Christus Dominus, qui mittitur.* Sed de ratione legationis non est processio secundum originem : ergo nec de ratione missionis. Abdiæ 1. Gloss. interl.

Enodatur. Respondetur enim in primis, negando, missionem (de qua in præsenti) esse idem cum legatione, et missum esse idem ac legatum. Quia legatus non habet propriam, et ordinariam potestatem, sed communicatam ad tempus : Filius autem habet illam propriam, ordinariam, et connaturalem : siquidem non voluntarie, et libere, sed naturaliter, ac necessario communicatur ei a Patre. Et ideo testimonium hoc Abdiæ ab Hieronymo, et ab aliis expositoribus Hieron.

ribus communiter intelligitur de ipso Abdia, qui vice Dei fuit legatus ad gentes : sicuti Jeremias eodem modo vocatur *legatus*, ut constat ex cap. 49.

Je-
rem. 49.

Addita-
mentum.

Ei deinde addimus ex jam dictis, quod etsi concederetur, missionem coincidere cum speciali legatione, quæ in divinis reperitur : nihilominus objectio intentum non convinceret. Ex eo quod licet in humanis de ratione legati esset mitti, et exire a legante per missionem, et exitum distinctum ab origine, et processione legati secundum suam substantiam : at in divinis non est alius exitus, nec alia acceptio potestatis, nisi per originem. Et ideo missio secundum primariam nominis translationem, de qua in præsenti loquimur, necessario dicit prædictam originem.

11.
Quarta.

Nec deinde obstat, si quarto objicias contra id quod in eadem ratione D. Thomæ dictum est, scilicet missionem dicere aliquid notionale, ac proinde importare ordinem originis. Quoniam id, quod innotat aliquem effectum ad extra, est aliquid essentiale, non vero notionale. Quoniam sicut effectus ille connotatus fit a tota Trinitate, et per consequens a tota illa connotatur : sic id, quod prædictum effectum connotat, dicit aliquid essentiale : quia tota Trinitas nonnisi ratione alicujus essentialis producit, et connotat prædictum effectum. Sed missio necessario connotat aliquem effectum ad extra productum a tota Trinitate : ergo non dicit aliquid notionale, sed quid essentiale : et per consequens ad ejus rationem ordo originis non pertinebit.

Confir-
matio.

Confirmatur. Quoniam si missio diceret aliquid notionale, tunc notiones essent plures, quam quinque : cujus oppositum ex Angelico Præceptore quæst. 32 diximus. Sequela probatur. Quia, præterquam quod missio secundum se, et absolute sumpta esset quædam notio communis Filio, et Spiritui sancto, darentur insuper duæ quasi species missionis, altera conveniens Filio, altera Spiritui sancto.

Respon-
detur
ad quar-
tam.

Respondetur enim, ex objectione ista solum probari, missionem includere aliquid essentiale; non vero, quod non dicat etiam aliquid notionale, et per consequens pertinens ad ordinem originis. Quia in divinis sunt aliqua, quæ simul dicunt aliquid essentiale, et notionale, ut in potentia generativa, et spirativa cernitur, quæ in recto dicunt quid essentiale, et in obliquo relationes. Et similiter missio dicit de principaliori, et formaliori significato quid essentiale ; et de non ita principali, et formali aliquid notionale : ex eo quod missio secundum se non dicit expresse prædictum ordinem originis secundum substantiam personæ missæ a mittente. Et ita, si iste importatur in divinis, ideo est, quia ibidem nequit esse authoritas in mittente, nisi quatenus missus procedit ab eo secundum substantiam. Et propterea quodammodo ex consequenti, aut quasi ex consequenti missio significat in divinis quid notionale : cum tamen prædictum missionis nomen formaliter, et expresse significet novam illam habitudinem, aut quasi habitudinem, saltem fundamentalem, ad rem, cui fit missio, seu quod persona missa sit novo modo ibidem, seu attingat ibi novum effectum.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum dist. 15 quæst. unica art. 2 his verbis : *Missio in divinis duo importat, sicut jam dictum est, scilicet, exitum missi a mittente : et sic significat, quod notionale est. Connotat etiam novum effectum in creatura : et sic significat, quod essentiale est : quia omnis causalitas creaturæ est secundum attributa essentialia. Dicendum ergo est, quod missio non tantum essentiale, vel notionale, sed utrumque significat. Quidam tamen dicunt, quod principalius significat, quod notionale est. Alii autem dicunt quod principalius significat, quod essentiale est. Et hoc videtur verius : quia missio non ponit de se exitum missi a mittente secundum esse, sicut patet de servo misso a domino; sed importat solum, quantum ad aliquem effectum authoritatem mittentis respectu missi. Sed quia in divinis non potest esse authoritas in mittente, nisi, quatenus missus procedit ab eo : ideo ex consequenti significat, quod notionale est.* D.Thom.

Ad confirmationem respondetur, quod licet missio significet aliquid notionale, atque adeo originem unius personæ ab alia : non tamen ideo multiplicabuntur notiones. Quia si missio sumatur generaliter, prout dicit missionem divinam ut sic, tunc, quia non dicit aliquid commune communitate rei, idest, aliquam missionem singularem, et individuam quoad id, quod notionale est in missione, quæque cum hac unitate numerica conveniat personis missis, sed tantum aliquid commune communitate rationis, idcirco non constituit spe- 13. Ad confirmationem.

cialem notionem, nec ponit in numero cum notionibus quæst. 32 a D. Thoma recensitis : sicut nec ordo originis passivus, et divinus in communi consideratus constituit peculiarem notionem : quia communia communitate rationis non ponunt in numero cum rationibus specialibus. Et propterea D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 15 q. unica art. 2 ad 3 sic inquit : *Dicendum, quod notio potest dupliciter significari in divinis : aut proprie, sicut Paternitas, vel innascibilitas : aut communiter sicut esse ab alio, vel a quo est alius ; et hoc modo significatur notio in missione, non primo modo, ideo communis est duabus personis ab alio existentibus :* puta, communitate rationis, sicut hoc, quod est esse ab alio.

D.Thom.

Si autem missio accipiatur pro peculiari missione, v. g. Filii, tunc coincidit Filius, ut missus, quoad id, quod notionale est in eo, cum se ipso, ut est procedens per æternam generationem, ita ut hæc duo quoad prædictum notionale sint omnino unum et idem : et propterea prædicta missio non constituit specialem notionem, ut quæst. 32 explicuimus.

14. Ultima objectio. Ex quibus omnibus constat, nihil obstare, si objicias ultimo, quod id, quod mittitur, separatur a mittente. Unde super illud Ezechielis 16 : *Convertam restituens eas*, dicit Hieronymus : *Quod conjunctum est, et in uno corpore copulatum, mitti non potest.* Sed divinæ personæ conjunctæ sunt, et non solum in uno corpore, sed in una essentia copulatæ : ergo non sufficit personæ divinæ, quod habeat exitum originis ab alia persona ad hoc, ut mitti possit : siquidem adhuc cum illo exitu est magis conjuncta cum quavis ex personis divinis, quam ea, quæ in uno corpore copulata sunt.

Hieron.

Fit obviam. D.Thom. Respondetur enim ex dictis, et ex D. Thoma loco citato ad Annibaldum art. 1 ad 1 his verbis : *Ad primum de Hieronymo dicendum, quod illa authoritas intelligenda est de inferioribus, ubi propter imperfectionem oportet, quod missum sit separatum, et aliud a mittente, sed non in divinis, ubi nihil imperfectionis est.*

DUBIUM II.

An cuilibet personæ divinæ conveniat mitti? et an ex personis, quæ mittuntur, possit una mitti sine alia? ac tandem utrum ex eisdem personis missis aliqua earum possit mitti ab altera, a qua non procedit?

Merito tria in titulo recensita in eodem conjunximus, tum propter connexionem eorum : tum, quia ex eodem fere principio decisio hujus dubii quoad tria prædicta desumenda est.

§ I.

Assertio prior ex mente Angelici Præceptoris.

Dicendum ergo est primo, Patri non convenire hoc, quod est mitti : ac proinde neque cuilibet personæ divinæ id competere. Ita D. Thomas in præsenti art. 4 et Augustinus in lib. contra sermonem Arrianorum cap. 4 ubi ait : *Solus Pater legitur non missus : quia solus non habet authorem, de quo sit genitus, vel a quo procedat.* Idemque tuentur communiter Patres, et Theologi. 15. Prior assertio. D.Thom. August.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thoma art. 4 hujus quæstionis nuper citato, quam quidem ipse adduxit in 1 dist. 15 quæst. 2 art. unico sub his verbis : *Dicendum, quod sicut dictum est, in omni missione oportet, quod ponatur aliqua authoritas alicujus ad ipsum missum. In divinis autem personis non est authoritas, nisi secundum originem. Et ideo nulli personæ divinæ convenit mitti, nisi ei, quæ est ab alio, respectu cujus potest in alio designari authoritas, et ideo Spiritus sanctus, et Filius dicuntur mitti, et non Pater, vel Trinitas ipsa.* Ratio fundamentalis. D.Thom. August.

Confirmatur ratione ejusdem S. Doctoris in 1 ad Annibaldum dist. 15 quæst. unica art. 3. Quia omne mobile, sive quodammodo mobile reduci oportet ad aliquod primum movens immobile : ergo omne missum ad aliquod primum mittens non missibile ; ergo cum in divinis Filius mittat Spiritum sanctum, et Pater tam Filium, quam Spiritum sanctum, oportebit devenire ad aliquod primum mittens non missibile : quod nullum potest esse in divinis præter personam primam Trinitatis, nempe Patrem, ut ex se constat : et Confirmatur D.Thom.

et per consequens tota Trinitas omnesque personæ divinæ non erunt missibiles.

16. Objectio. Joann. 14. Nec refert, si objicias, quod Patri in divinis convenit dari, et similiter venire ad mentes justorum, et intra eos habitare, juxta illud : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* : ergo etiam Patri, ac proinde toti Trinitati conveniet hoc, quod est mitti.

Confirmatur primo. Confirmatur. Quoniam sicut dona appropriata Filio, et Spiritui sancto sunt communicabilia creaturæ, scilicet sapientia, et bonitas : ita etiam dona appropriata Patri, nimirum potentia : ergo sicut ratione illorum donorum, quæ appropriantur Filio, et Spiritui sancto, dicuntur mitti ; sic ratione donorum, quæ habent appropriari Patri, dicetur mitti.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam persona dicitur mitti, quia esse incipit in creatura novo modo : sed hoc convenit cuilibet personæ : ergo et missio.

17. Evanescit objectio. D.Thom. Respondetur concedendo antecedens et negando consequentiam. Et rationem disparitatis assignat D. Thomas quoad dationem, et missionem in 1 dist. 15 q. 1 art. 1 his verbis : *Datio autem non importat distinctionem dati a principio, a quo datur, quia idem potest dare se ipsum ; sed tantum ab eo, cui datur, ut supra dictum est. Sed missio ponit distinctionem in misso, et ad principium et ad terminum. Et ideo cum dicitur Spiritus Sanctus mitti, includitur in significatione missionis uterque respectus, scilicet temporalis, et æternus : æternus, prout a Patre, et Filio procedit : et temporalis, prout significatur in habitudine ad creaturam, quæ novo modo ad ipsum se habet.* Quare, cum Pater non dicat distinctionem sui ab aliquo, quod sit principium ejus, inde est, ut ipse nequeat mitti. Et similiter quoad inhabitationem, et missionem reddit rationem disparitatis distinctione nuper citata, quæst. 2 art. unico in solut. ad 4 his verbis : *Adventus, vel inhabitatio convenit toti Trinitati, quæ non dicuntur, nisi ratione effectus conjungentis ipsi Trinitati ; quamvis ille effectus ratione appropriationis possit ducere magis in unam personam, quam in aliam. Sed missio super hoc addit authoritatem alicujus respectu personæ, quæ mitti dicitur. Et ideo non potest convenire, nisi personæ, quæ est ab alio principio.*

Solvitur prior confirm. D.Thom. Ex quo ad primam confirmationem respondetur ex eodem Angelico Doctore loco nuper citato in solut. ad 3 his verbis : *Dicendum, quod potentia, quæ appropriatur Patri, non habet rationem, ut pertineat ad reditum in finem ; sed magis pertinet ad exitum a principio : dicit enim potentia rationem principii. Et ideo non pertinet ad missionem, quæ fit ad revocandum rationalem creaturam in Deum.* (Quæ solutio patebit ex iis, quæ dubio 4 hujus disputationis n. 54 dicemus.) Et propterea Pater, in quo est prima authoritas, non potest designari mitti : quia respectu ejus nulla habetur authoritas.

Ex quo ad secundam confirmationem satis constat. Et ideo idem D. Thomas occurrens prædictæ confirmationi in 1 ad Annibaldum dist. 15 sæpius citata art. 2 ad 2 sic inquit : *Dicendum, quod non tantum propter modum essendi in creatura dicitur persona mitti ; sed propter modum talem, quo cognoscitur esse ab alio.* Secunda diluitur. D.Thom.

§ II.

Alia assertio ex eodem Angelico Præceptore deprompta.

Dicendum est secundo, ex personis, quæ mittuntur, non posse unam personam mitti sine alia. Ita communiter Theologi, et peculiariter Angelicus Præceptor in hac quæst. artic. 5 in solutione ad 3 ubi sic inquit : *Dicendum quod cum missio importet originem personæ missæ, et inhabitationem per gratiam (ut supra dictum est) si loquamur de missione, quantum ad originem, sic missio Filii distinguitur a missione Spiritus Sancti sicut et generatio a processione. Si autem quantum ad effectum gratiæ, sic communicant duæ missiones in radice gratiæ ; sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt, illuminatio intellectus, et inflammatio affectus. Et sic manifestum est, quod una non potest esse sine alia : quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec una persona separatur ab alia.* 18. Secunda conclusio. D.Thom.

Idem etiam docuit Angelicus Præceptor in primo distinct. 15 quæst. 4 artic. 2 et ad Annibaldum quæst. unica art. 5 his verbis : *Dicendum, quod de missione Filii, et Spiritus Sancti dupliciter loqui possumus : uno modo, quantum ad concomitantiam : et sic semper hæ duæ missiones simul sunt ; quia nec Spiritus Sanctus nec Filius mittitur, nisi in donis gratiæ gratum facientis, quæ omnia connexionem ad invicem habet, etc.*

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis deducitur ex D. Thoma locis cita- 19. Suadetur ratione.

tis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam missiones Filii, et Spiritus Sancti, tam quoad primam habitudinem, quam dicunt ad id, a quo mittuntur, nempe habitudinem originis, quam quoad dona, in quibus mittuntur, quæque a prædictis personis missis causantur, ut novo modo sint in eis, ad quos mittuntur, non possunt non esse inter se necessario connexæ : ergo nequit una missio esse sine alia : ac proinde neque una persona mitti sine altera. Utraque consequentia videtur perspicua.

Antecedens autem probatur. Nam in primis quoad ordinem originis planum est, esse prædictas missiones inter se necessario connexas : siquidem origo Verbi in divinis, et processio Spiritus Sancti habent inter se necessarium, et indissolubilem nexum. Et deinde quoad dona, in quibus hæ duæ personæ mittuntur, hoc idem cernitur. Quoniam Spiritus Sanctus nequit mitti, nisi in dono gratiæ sanctificantis. Filius autem etiam mittitur in eodem dono gratiæ, et nequit istud donum causari ab Spiritu Sancto, quin causetur a Filio, et e contra : quamvis prædicta gratia sanctificans, ut est radix intelligendi intellectione sibi propria, habeat appropriari Filio, et eademmet, ut est radix amandi Deum, ut ultimum finem, et ut est in se, approprietur Spiritui Sancto.

20. Confirmatur primo. Confirmatur, et explicatur. Quoniam etsi notitia, et ea, quæ ad intellectum pertinent, approprientur Filio, et in his donis, ut eidem appropriatis, dicatur mitti speciali missione, distincta modo jam insinuato ab ea, per quam mittitur Spiritus Sanctus : nihilominus hæc notitia debet esse notitia perfecta, ad quam sequatur amor; imo talis conditionis, ut sit radicata in gratia sanctificante. At eo ipso, quod ibidem interveniat prædictus amor eodem modo perfectus, et per consequens radicatus in prædicta gratia, debet necessario infundi, et mitti Spiritus Sanctus, cui appropriatur prædictus amor, et gratia, ut eum fundat, estque illius radix, in quibusque donis idem Spiritus Sanctus mittitur, et speciali modo est in creatura rationali. Ergo eo ipso nequibunt prædictæ missiones separari. Quam confirmationem

Angel. Præcept. brevibus verbis complexus est Angelicus Præceptor dist. 15 nuper citata q. 4 art. 2 dicens : *Una missio nunquam est sine alia : quia amor sequitur notitiam notitia perfecta, secundum quam est : et missio Filii semper inducit in amorem. Et ideo simul infunduntur, et simul augmentantur.*

Confirmatur secundo Angelico Præceptore. Confirmatur ex eodem Angelico Præceptore art. 5 nuper citato ad Annibaldum, in argumento *Sed contra*, ubi sic inquit : *Filius præcipue mittitur, cum sapientia datur : sed sapientia est primum donum Spiritus Sancti : ergo in eodem dono, scilicet sapientiæ, datur Filius, et Spiritus Sanctus. Præterea Joannis 16 dicitur de Spiritui Sancto : Docebit vos omnem veritatem. Et ita docere veritatem appropriatur Spiritui Sancto. Ergo secundum idem donum datur Filius, et Spiritus Sanctus.*

21. Prima objectio. Ex quibus omnibus constat, manere solutas duas objectiones, quæ pro aliquibus oppositum nostræ secundæ assertionis tuentibus afferri possunt, easque consulto adducimus : quia ex solutionibus, quas illis divus Thomas adhibet, res hæc magis illustrata manebit. Prima ergo objectio est. Quod videmus sensibiliter, quosdam simplices ferventes esse in amore divino : qui tamen sunt valde hebetes in cognitione divinæ sapientiæ, et e converso. Cum igitur missio Filii sit secundum donum sapientiæ, et missio Spiritus Sancti sit secundum donum amoris, videtur, quod una missio sine alia possit esse.

Enodatur. Angeli Præcept. Ex dictis enim constat, objectionem hanc manere solutam. Et ita Angelicus Præceptor in 1 distinct. 15 nuper citata quæst. 4 artic. 2 ad 4 sic ad eam respondet : *Dicendum, quod illa notitia, ex qua procedit amor, viget in ferventibus divino amore, qua scilicet cognoscunt divinam bonitatem, in quantum est finis, et in quantum est largissime in eos profluens sua beneficia : et talem notitiam perfecte non habent, qui amore ipsius non accenduntur.*

22. Secunda. Secunda objectio est. Quod missio divinæ personæ fit secundum gratiam gratum facientem : sed dona pertinentia ad intellectum, quæ appropriantur Filio, non sunt gratum facientia, cum sint communia bonis, et malis, ut dicitur 1 Corinthior. 13 : ergo Filius non dicitur mitti invisibiliter in donis sibi appropriatis : et ita nullo modo missio Spiritus Sancti erit connexa cum missione Filii. I Cor. 13.

Corruit. Angeli Præcept. Ex dictis igitur etiam constat, hanc secundam objectionem manere solutam. Et ita Angelicus Præceptor, rem hanc magis explicans consequenter ad ea, quæ ex ipso adduximus in 1 distinct. 15 sæpius citata, quæst. 4 artic. 1 in solut. ad 3 sic inquit : *Dicendum quod quando aliquid participatur,*

ticipatur, non secundum suum actum perfectum, sed secundum aliquem modum, non dicitur proprie haberi. Sicuti animalia habent aliquem modum prudentiæ; non tamen dicuntur prudentiam habere : quia non habent actum rationis qui proprie est actus prudentiæ, scilicet ipsa electio. Unde magis habent aliquid simile prudentiæ, quam prudentiam. Videmus autem in cognitione duos gradus. Primum secundum quod cognitio intellectiva tendit in verum. Secundum, prout verum accipitur ut conveniens, et bonum : et nisi sit aliqua resistentia ex tali cognitione, sequitur amor, et delectatio : quia, secundum Philosophum 7 Ethicorum, delectatio consequitur operationem perfectam non impeditam. Unde felicitas contemplativa est, quando aliquis pervenit ad ultimam operationem intellectus, et ipsum sine impedimento exercet. Constat autem, quod in processione Verbi æterni est cognitio perfecta secundum omnem modum : et ideo ex tali notitia procedit amor. Unde dicit Augustinus : Verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. Quandocumque igitur habetur cognitio, ex qua non sequitur amor gratuitus, non habetur similitudo verbi, sed aliquid illius. Sed solum tunc habetur similitudo Verbi : quando habetur cognitio talis, ex qua procedit amor : qui conjungit ipsi cognito secundum rationem convenientis. Et ideo non habet Filium in se inhabitantem, nisi qui recipit talem cognitionem : hoc autem non potest esse sine gratia gratum faciente. Unde constat, quod simpliciter et proprie loquendo, Filius nec datur nec mittitur, nisi in dono gratiæ gratum facientis. Sed in aliis donis, quæ pertinent ad cognitionem, participatur aliquid de similitudine Verbi.

23. Tertia objectio. Nec refert, si objicias tertio, quod si istæ duæ missiones essent inter se necessario connexæ, tunc haberent inter se aliquem ordinem prioris, et posterioris : sed hunc non habent : ergo, etc. Minor probatur. Quia missio Filii nequit esse prior : ex eo quod, cum Spiritus Sanctus sit primum donum, non debet prius donari, et mitti Filius, quam Spiritus Sanctus. Et ex alio capite, cum dona pertinentia ad intellectum sint priora donis spectantibus ad voluntatem, et amorem, oportebit, Filium, qui mittitur in prioribus illis donis, mitti prius, quam Spiritum Sanctum, qui habet mitti in posterioribus.

...itur. ...Thom. Respondetur enim ex D. Thoma distinct. 15 et quæst. 4 nuper citata artic. 2 ad 2 his verbis : *Dicendum, quod, ut prius diximus, in divinis non est prius, et posterius : tamen exitus Spiritus Sancti præsupponit exitum Filii secundum ordinem naturæ. Et ex parte ista (si liceret ita loqui) possemus dicere, quod missio Filii ex parte exitus importati est prior missione Spiritus Sancti : sed hoc esset secundum rationem propriam utriusque, et non secundum rationem communem. Si autem considerentur istæ missiones quantum ad effectum in creatura, hoc dupliciter. Vel ex parte ipsius dantis, vel mittentis : vel ex parte ipsorum donorum, in quibus fit missio. Si ex parte donorum, tunc simpliciter naturaliter notitia præcedit amorem et ex parte illa missio Filii missionem Spiritus Sancti. Sed hoc erit secundum rationis proprie considerationem, et nos communis : sicut omnes species motus æqualiter conveniunt in ratione communi motus; tamen secundum esse suum proprium motus localis est prior aliis motibus. Si autem ex parte dantis, cum primum movens, et inclinans ad dandum sit ipse amor, sic datio Spiritus Sancti est prior datione Filii : sed hoc non ita exprimitur in ratione missionis.*

§ III.

Assertio ultima ex eodem D. Thoma et Augustino desumpta.

Dicendum est tertio, quod si missio sumatur secundum primariam ejus translationem a creatis ad divina, tunc persona missa solum potest mitti ab ea, a qua æternaliter procedit. Si vero missio accipiatur secundum translationem ejus secundariam ad divina, tunc quævis persona æternaliter procedens potest mitti ab alia, a qua æternaliter non procedit, ut Filius a Spiritu Sancto, vel a se ipso. Seu (quod in idem quoad præsens redit) si missio sumatur, prout denotat, quod persona mittens sit principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium personæ missæ : ac proinde hæc solum potest mitti a persona, a qua æternaliter procedit. Si autem missio accipiatur, prout innuit, quod persona mittens est principium effectus, secundum quem attenditur missio, tunc una persona potest mitti ab alia, licet ab ea æternaliter, seu secundum suam substantiam non procedat; dummodo persona, quæ mittitur, sit ex personis procedentibus : et per consequens sic 24. Tertia assertio continens duas partes.

sumpta missione, tota Trinitas potest esse mittens respectu personæ missæ.

25. Suadetur quoad posteriorem. Isaï. 48. Hieron. Ambros. Chrysost. August. Euseb. Athanas. Assertio hæc quoad priorem partem satis constat ex dictis dub. 1 hujus disputat. Quoad posteriorem vero videtur colligi ex illo Isaiæ 48 : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus*. Quæ verba juxta Hieronym. ibidem, Ambros. lib. 3 de Spiritu Sancto cap. 1, Chrysostomum homilia de Sancto et adorando Spiritu, Augustinum 2 de Trinit. cap. 5, Eusebium Cæsar. lib. 5 de Demonst. Evangelica cap 6, Athanasium lib. 2 contra Arrianos, intelliguntur de Christo Domino, et non utcumque, id est, secundum humanitatem præcise, sed etiam ut est persona divina, ut exponunt Angelicus Præceptor in 1 distinctione 15 quæst. 3 artic. 2 et Augustinus relatus a D. Thoma ibidem, et docere videtur Concilium Toletanum XI in confessione fidei his verbis : *Missus tamen Filius non solum a Patre, sed a Spiritu Sancto missus esse credendus est in eo, quod per Prophetam dicit ; Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus.* Quare, cum Filius non procedat ab Spiritu Sancto, et nihilominus dicatur mitti ab eo, consequens est, ut hoc tantum sit, quia missio ut in prædicto testimonio sumitur, tantum denotat, personam mittentem esse principium effectus, secundum quem attenditur missio : et per consequens, sumpta missione in hoc sensu, persona divina, et procedens poterit mitti ab alia, etsi ab ea non procedat.

(Angel. Præcept. August. Conc. Tolet. XI.)

26. Angel. Doctor. Eamdem etiam assertionem docuit idem Angelicus Doctor in hac q. art. 8 ubi postquam retulit duos modos dicendi, primum asserentium, personam divinam non mitti, nisi ab ea, a qua est æternaliter; secundum vero August. 2 de Trinit. c. 5 docentis, quod Filius mittitur et a se, et a Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus etiam mittitur et a se, et a Filio, ut sic mitti in divinis non conveniat cuilibet personæ, sed solum personæ ab alio existenti ; mittere autem conveniat cuilibet personæ. Postquam igitur Angelicus Præceptor hos duos dicendi modos retulit, statim eos conciliare intendens, sic inquit : *Utrumque autem habet aliquo modo veritatem. Quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur, et ipsa persona ab alio existens, et effectus visibilis aut invisibilis secundum quem missio divinæ personæ attenditur. Si igitur mittens designetur, ut principium personæ, quæ mittitur sic non quælibet persona mittit : sed solum illa, cui convenit esse principium illius personæ. Et sic Filius mittitur tantum a Patre : Spiritus Sanctus autem a Patre, et Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam.*

(August.)

Cajet. Quod testimonium optime explicat, et elucidat Cajet. loco citato his verbis : *Ad evidentiam tamen hujus quæstionis, scito, quod optima via omnes difficultates solvendi est dicere, quod missio est nomen multiplex, habens multas intentiones, quemadmodum nomina tractata in 5 Metaphysicæ : et quod intentiones ejus sunt hæ, quæ narrantur in littera, scilicet, processio missi a mittente secundum se, et secundum novum modum essendi, et rursus processio missi secundum se ab aliquo, et secundum novum modum essendi a mittente : et secunda intentio reducitur ad primam, tanquam ad potiorem. Et propterea in 1 artic. hujus quæst. auctor dixit, quod de ratione missionis est processio missi a mittente : loquebatur enim de primaria intentione missionis ; hic autem non oblitus distinguit, ut secundam intentionem ejusdem adjiceret. Præsertim ob reverentiam Augustini, Sanctorum, et Magistri in 1 distinct. 15.*

D. Thom. Bonav. Scotus. Gabriel. Marsil. Capreol. Ferrar. Nazar. Idem etiam docuit ipsemet S. Doctor, loco nunc citato ex 1 Sententiarum quæst. 2 art. unico, et q. 3 art. 1, Bonav. in 1 dist. 15 p. 1 q. 3 et 4, Scotus dist. 15 q. 1 § *Licet autem*, Gabriel q. 1, Marsil. q. 18, Capreol. ibidem q. unica, Ferrariensis 4 contra Gentes c. 23, Nazar. in præsenti art. controv. unica, 3 concl. 2, Canariensis in commentar. art. 8 hujus quæst., et quamplures alii ex discipulis D. Thomæ. Canariens.

27. Ratio fundamentalis. Ratio vero ejusdem assertionis quoad secundam partem (quoad primam enim constat, ut nuper dicebamus, ex dictis dub. 1 hujus disputationis) desumitur ex locis D. Thom. nuper relatis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam ad missionem, secundum hanc translationem ejus secundariam ex creaturis ad divina, tantum requiritur ex parte personæ missæ, quod procedat æternaliter ab alia, et quod novo modo sit in re, ad quam mittitur, ratione novi effectus ibidem producti : ex parte vero personæ mittentis, quod licet non sit principium personæ missæ secundum se sumptæ, sit tamen principium novi effectus, ratione cujus persona missa dicitur esse ibidem novo modo, et manifestari, quantum est ex parte prædicti effectus, ut ibi

ibi peculiariter existens per modum personæ procedentis ab altero : ac proinde missio sic sumpta dicit ex parte personæ mittentis, quod influat quodammodo in personam missam, non quidem secundum suam substantiam, sed prout ibidem peculiariter est. Ergo sumpta missione in hac significatione, bene poterit Filius v. g. mitti ab Spiritu Sancto, licet non procedat ab eo.

Consequentia videtur legitima. Quoniam ex parte personæ missæ, nempe Filii, dantur duo illa requisita in antecedenti, nempe, quod sit persona procedens ab alia, et quod novo modo existat in re, ad quam mittitur ratione novi effectus ipsum manifestantis, ut ibidem existentem per modum personæ procedentis ab altero : et ex parte personæ mittentis, nempe Spiritus Sancti, reperiuntur etiam illa, quæ ex parte ipsius in eodem antecedenti petuntur, nimirum, quod influat in novum illum modum essendi in creatura, ad quam Filius mittitur, et in effectum manifestativum, quantum est ex vi sua, ejusdem Filii, prout ibidem existentis per modum personæ procedentis a Patre : siquidem effectus ille sic manifestans Filium debet esse a tota Trinitate, imo, et peculiariter appropriari Spiritui Sancto : quatenus prædictus effectus est donum creatum, et Spiritus Sanctus est primum donum, a quo omnia dona, ut talia, procedunt : ac proinde ex parte ejusdem Spiritus Sancti ibidem etiam reperitur id, quod ultimo loco petitur, nempe, quod Filius, ut peculiariter ibidem existens, habeat quodammodo procedere ab Spiritu Sancto.

28. Antecedens autem probatur, tum testimoniis Augustini, et Angelici Præceptoris jam adductis : tum etiam communi consensu Patrum, quem quoad hoc refert, et testatur idem D. Thomas distinct. 15 sæpius citata quæst. 3 art. 1. Constat autem, standum esse, quoad nominum acceptionem, et rerum difinitiones, tantorum Patrum consensui. Tum etiam, quia potest hujus acceptionis congruentia reddi, ex eo quod sicut ad primariam translationem missionis ex creaturis ad divina, requiritur, quod persona missa sit novo modo in creatura, ad quam mittitur, et quod habeat æternaliter esse ab alio, et non utcumque, sed taliter, ut ab eadem persona, a qua mittitur, habeat non solum quoad illum novum modum essendi, sed etiam secundum suam substantiam procedere : ita ad missionem secundum translationem secundariam, et deficientem ab hac primaria non requirentur omnia ista; sed deerit id, in quo primaria excedit secundariam, nempe, quod persona missa sit, tam secundum suam substantiam, quam secundum novum modum illum essendi a persona mittente. Et propterea D. Thomas distinct. citata quæst. 3 artic. 2 loquens de eo, quod missio de necessitate requirit ad rationem missionis, sic inquit : *Sed non requiritur de necessitate, quod in mittente sit authoritas respectu missi, sed tantum efficientia respectu ejus, secundum quod missus dicitur mitti.* D.Thom.

29. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam per hoc, quod Filius mittatur missione ista ab Spiritu Sancto, tantum denotatur, quod Filius a Patre procedens factus est existens in creatura per gratiam : sed Spiritus Sanctus influit in hoc conjunctum, licet ab eo Filius secundum suam substantiam æternaliter non procedat : ergo eo ipso mittit Filium per missionem jam dictam. Consequentia videtur perspicua. Minor autem probatur. Nam sicut ad attingendum hoc conjunctum, nempe, parietem esse album, non est necessarium quod attingens illud faciat parietem ; sed quod parietem jam præexistentem faciat album esse : ita ut Spiritus Sanctus attingat hoc conjunctum, nempe, quod Filius a Patre æternaliter procedens fiat existens in creatura per gratiam, non est necessarium, quod ab eodem Spiritu Sancto procedat æternaliter Filius; sed satis erit, quod Filium æternaliter procedentem a Patre faciat existere in creatura per gratiam, producendo prædictam gratiam. Major autem ex dictis ratione præcedenti ex Augustino, D. Thoma, et aliis Patribus constat.

Quam rationem adduxit D. Thomas distinct. citata quæst. 3 artic. 1 et ad Annibaldum, quæst. unica artic. 4 ad probandum, eamdem personam mittere se ipsam, his verbis : *Cum aliquid dicitur facere totum conjunctum, sufficit, quod pro altera sui parte verificetur : sicut cum dicitur, quod pictor facit parietem album : quia sufficit, quod faciat, parietem album esse ; quamvis non faciat, eum esse parietem. Missio autem duo importat, scilicet, exitum missi a mittente, et novum modum existendi in eo, ad quem fit missio : et ratione hujus novitatis nominat aliquam factionem in misso, quamvis non secundum rem, sed secundum rationem. Et ideo ad hoc, quod una persona* D.Thom.

dicatur mittere alteram, sufficit, quod alterum eorum, quæ requiruntur in missione, faciat, scilicet novum modum existendi in creatura. Unde, cum novus modus existendi in creatura sit a persona missa, quamvis ipsa non exeat a se ipsa, missio potest prædicari de ea, ut dicatur, quod mittat se ipsam.

§ IV.

Corollaria ex præcedenti assertione deducta.

30. Corollarium primum. Suarez. Ex dictis in hac assertione infertur primo, non ita bene asseruisse Suarez lib. 12 de Trinitate cap. 3 num. 6 hanc acceptionem missionis nec esse necessario recipiendam de mente Augustini, nec in usu Scripturæ admittendam : vel quia semper *mittendi* involvit processionem, et distinctionem aliquam realem missi a mittente; vel quia talis significatio impropria est, et Scriptura cum proprietate est intelligenda, ubi aliud non constat. Ex dictis igitur constat, prædictum Doctorem non ita bene quoad hoc sensisse. Siquidem testimonium ex Scriptura a nobis adductum intelligitur (juxta expositionem Augustini, et D. Thomæ) de hac missione, et quidem in sensu proprio, licet in primario, ut ex rationibus ex D. Thoma desumptis, et ex testimoniis Patrum ab eodem Angelico Præceptore relatis constat.

Neque ea, quæ pro se adducit Suarez, obstant. Non quidem primum de processione æterna missi a mittente, ut ex dictis liquet. Neque secundum de distinctione reali personæ missæ a mittente. Quia licet hæc requiratur ad missionem secundum primariam ejus translationem ex creaturis ad Deum : non tamen secundum translationem secundariam. Et propterea D. Thomas in 1 ad Annibaldum distinc. 15 quæstione unica art. 4 ad 2 loquens de hac missione, sic inquit : *Dicendum, quod triplex est distinctio, scilicet, secundum essentiam, secundum personam, et secundum rationem, seu modum intelligendi. Hoc ultimo modo potest idem distingui a se, et sic mitti.* (D.Thom.)

31. Corollarium secundum. Secundo infertur solutio cujusdam objectionis, quæ contra assertionem fieri posset, nempe, quod si ad missionem istam non requiritur, quod persona missa secundum suam substantiam procedat a mittente, non est cur desideretur, quod talis persona sic procedat ab aliqua alia : siquidem quivis exitus missi in ratione debet esse a mittente, et omnis alius exitus per accidens se habet ad missionem. Respondetur enim, omnem exitum missi, qui non attingitur a mittente, vel secundum se, et sigillatim, vel in aliquo conjuncto, esse per accidens ad rationem missionis, non tamen exitum illum, qui attingitur a mittente, attingendo aliquod conjunctum : ex eo quod licet non attingat prædictum exitum secundum se; bene tamen conjunctum ex illo, et ex aliqua alia ratione quasi coalescens, ut in præsenti contingit.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma distinct. sæpius citata quæst. 2 artic. 1 ad 3 et 5, ubi, ut salvaret, quomodo una persona divina posset se ipsam mittere, sic inquit : *Dicendum, quod missio non ponit tantum exitum, sed cum hoc aliquod aliud, scilicet, esse in creatura secundum novam habitudinem. Et quamvis secundum alterum, scilicet exitum, non referatur ad se sicut ad principium : tamen secundum utrumque conjunctum refertur ad se sicut ad principium : ipse enim facit, se existentem ab alio secundum novam habitudinem esse in aliquo, ratione perfectionis, quam illi confert. Et ipse Spiritus Sanctus quamvis non sit principium sui ipsius simpliciter : tamen ipse facit, se existentem ab alio esse in aliquo secundum novam habitudinem. Et secundum hoc totum conjunctum refertur in se, sicut in principium ratione alterius tantum, ut patet ex prædictis*, scilicet in corpore articuli, ubi hoc latius explicuerat. (D.Th.)

32. Corollarium tertium. Suarez. Vasquez. Tertio colligitur solutio alterius objectionis, quam Suarez loco nuper citato, et Vasquez in præsenti disput. 170 contra sententiam D. Thomæ adducunt, nempe, quod si missio in hac secunda translatione proprie usurparetur in Scriptura, aut Patribus, non recte deduceretur Spiritum Sanctum procedere a Filio, ex eo quod ab eodem mittitur : cujus oppositum supra disput. 14 num. 6 ostendimus. Sequela patet. Quoniam omnia illa testimonia possent exponi de hac secunda translatione, sive significatione missionis, ex qua non colligitur, Spiritum Sanctum procedere æternaliter a Filio, sed solum a Patre.

Respondetur enim ex dictis, testimonia illa Scripturæ intelligenda esse de missione secundum primariam ejus translationem ex creaturis ad divina : et propterea argumentum ex eis deductum esse efficax ad probandam processionem Spiritus Sancti a Filio. Ratio autem, propter quam prædicta

dicta testimonia intelligenda sunt de ista missione, redditur a D. Thoma Opuscul. 1 contra errores Græcorum : ex eo quod Spiritum Sanctum procedere a Filio, non inde solum probatur, quod quomodocumque ab eo mittatur ; sed per hoc, quod dicitur mitti de essentia Filii, juxta illud : *De meo accipiet*. Cui similia ait Athanasius in sermone Concilii Nicæni, et in epistola ad Serapionem. Persona autem, quæ non procedit ab alia, nequit ab ea mitti, tanquam accipiens de illius essentia.

D.Thom. Joan. 16. Athanas.

DUBIUM III.

Utrum missio recte dividatur in visibilem, et invisibilem? et an utroque modo Filius, et Spiritus Sanctus sint missi? et tandem an utraque ex his missionibus fuerit temporalis?

33. Tria hæc in titulo conjunximus, quia inter se connexa, et breviter pertractanda sunt.

§ I.

Assertio prior ex Angelico Doctore.

Prima conclusio. Dicendum ergo est primo, missionem recte dividi in invisibilem, et visibilem, ex quibus illa prior dicitur talis, quia interno, ac speciali modo fit per productionem effectus præcise interni, absque aliquo signo visibili, adventum, v. g. Spiritus Sancti, in animam manifestante. Posterior vero dicitur talis, quia fit cum aliquo signo sensibili interioris adventus : quomodo in die Pentecostes advenisse Spiritum Sanctum in specie linguarum ignearum, manifestum est. Vel etiam cum terminus temporalis missionis est aliquod sensibile : qua ratione ad Galatas 4 dicitur : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* : misit enim Pater Verbum suum, ut carnem humanam veram, et sensibilem in unitatem personæ assumeret.

Ad Galat. 4.

Suadetur ratione. Assertionem hanc communiter tuentur Theologi, et ratio fundamentalis illius desumitur ex Angelico Præceptore. Quoniam hæc divisio missionis attenditur penes distinctos effectus causatos per missionem, ut de se constat. Cumque prædicti effectus tantum sint, vel visibiles, vel invisibiles, seu (quod in idem quoad præsens redit) sensibiles, vel insensibiles, consequens est, ut etiam missio tantum sit duplex, nempe, vel visibilis, vel invisibilis.

Nec obest, si contra assertionem hanc 34.
objicias primo, quod missio visibilis nequit divinæ personæ competere. Missio enim in divinis reperitur, secundum quod divina persona aliquo novo modo est in aliquo, quo prius non fuit : sed in nulla creatura visibili potest esse aliquo modo, quo prius non fuerit : est enim in omnibus creaturis essentialiter, potentialiter, et præsentialiter, et præter hoc est in sanctis mentibus per gratiam, quo modo in aliquo visibili corpore esse non potest : ergo videtur, quod missio visibilis non possit esse.

Objectio prima contra assertionem.

Nec satis erit, si dixeris, personam divinam esse in prædictis creaturis visibilibus alio modo : quia est in illis, sicut in signo. Nam contra hoc est, quod omnis effectus repræsentans causam suam est signum illius, quo in ipsam potest deveniri : sed omnes creaturæ repræsentant Deum, tanquam causam, per imaginem, vel vestigium : ergo secundum hoc in omnibus creaturis mittetur visibiliter; nec alio modo erit in illis visibilibus creaturis, in quibus mitti dicitur, quam prius.

Confirmatur. Confirmatur. Ratio sacramenti est, quod in ipso sit Deus sicut in signo visibili. Si igitur propter hoc dicitur visibiliter mitti, quia in rebus visibilibus est, sicut in signis, tunc illæ res essent sacramenta, et in omnibus sacramentis esset missio visibilis.

Respondetur ex D. Thoma in 1 distinct. 35.
16 quæst. 1 artic. 1 ad 1, ubi sic habet : *Dicendum, quod illa visibilis creatura secundum quam missio dicitur visibilis, aliter se habet in missione visibili Filii, et in missione visibili Spiritus Sancti. Quia in missione Filii se habet non solum, ut per quod, vel in quo ostenditur missio ; sed etiam, ut ad quod fit missio : quia naturam humanam visibilem assumpsit in unitatem personæ, secundum quam assumptionem visibiliter in carnem mitti dicitur. Et ideo in ipsa natura visibili quodam novo modo extitit, scilicet per unionem, non tantum in anima, sed etiam in corpore. Et in missione visibili Spiritus Sancti illa creatura visibilis non se habet, ut ad quod fit missio ; sed solum ut ostendens missionem invisibilem factam in aliquem. Et ideo non oportet, quod in illa creatura visibili sit novo modo, nisi sicut in signo ; sed est novo modo in eo, ad quem fit missio.*

Enodatur objectio. D.Thom.

Vindicatur solutio inter arguendum data. D.Thom. Unde solutio huic objectioni tradita, et juxta modo dicta intellecta, est legitima. Et ad impugnationem in contrarium respondetur ex D. Thoma, articulo nuper citato in solutione ad 2 ubi sic inquit: *Dicendum, quod quamvis omnis creatura significet, Deum esse, et bonitatem ipsius: non tamen significat, ipsum esse per gratiam in aliquo, nisi ad hoc specialiter instituatur, sicut illæ creaturæ visibiles ad hoc specialiter factæ sunt, ut in eis præsentia Spiritus Sancti insinuetur.*

36. Solutio D. Thomæ ad confirm. Ad confirmationem occurrit etiam Angelicus Præceptor: articulo relato in solutione ad 3 his verbis: *Dicendum, quod per sacramenta significatur præsentia divinæ inhabitationis, sicut in signis institutis, non ad tempus, sed semper: sed illæ creaturæ visibiles non fuerunt institutæ, ut significarent gratiam divinæ inhabitationis semper, sed solum in illo tempore determinato: et ideo non est simile. Vel aliter dicendum, et melius, quod sacramenta veteris legis significabant quidem gratiam affuturam, sed non præsentem: eo quod in eis gratia non conferebatur. Sacramenta vero novæ legis non tantum sunt signa, sed etiam causæ quodammodo. Et ideo non significant gratiam ut jam habitam, sed ut per sacramenta inducendam. Sed illæ species sunt tantum signa præsentis gratiæ, et non causæ: sicut patet, quod circa Christum, ad quem visibilis missio facta est nihil gratiæ invisibilis effectum est. Unde etiam omnes, ad quos missio visibilis facta est, gratiam habent, non autem omnes, quibus sacramenta conferuntur, gratiam suscipiunt: quia causalitas sacramentorum impeditur, significant enim gratiam non ut existentem; sed ut causandam quodammodo per ipsa.*

37. Secunda objectio contra rationem. Neque etiam obest, si contra rationem hujus assertionis objicias secundo, ex ea potius sequi, dandum esse tertium membrum missionis, scilicet, mixtum ex visibili, et invisibili. Nam sicut datur missio pure invisibilis, ex eo quod solummodo infert effectum invisibilem; et missio pure visibilis, inferens effectum sensibilem præcise, qualis fuit illa, qua in specie columbæ apparuit Spiritus Sanctus, dum Christus baptizatus est a Joanne, siquidem ibi non fuit infusus effectus invisibilis gratiæ sanctificantis, qui est proprius effectus invisibilis missionis, ut dubio sequenti dicemus: ita quia datur missio afferens, tam effectum visibilem, quam invisibilem, dabitur tertium membrum missionis mixtum ex visibili, et invisibili.

Respondetur, missionem visibilem nihil aliud esse, quam ipsam invisibilem, connotando exteriorem indicationem gratiæ causatæ per missionem invisibilem, et ideo non oportet adducere tertium membrum missionis mixtæ. Quia missio visibilis necessario includit missionem invisibilem, et hoc ipsum per eamdem missionem visibilem significatur. Et propterea adhuc hæc duo membra non constituunt duas species missionis, sed eamdem diversimode sumptam, nempe ut manifestatam, vel non manifestatam. Et ita persona divina non incipit esse duobus diversis modis in creatura, ad quam mittitur, nec denotatur duplici modo; sed uno et eodem inhabitat mentem et solum distinguitur penes hoc, quod signo visibili demonstratur, vel non demonstratur ejus inhabitatio. Respondetur

Quæ solutio desumpta est ex D. Thoma in 1 ad Annibaldum distinct. 16 quæst. unica art. 1 his verbis: *Sicut processio temporalis præsupponit æternam, et addit aliquem effectum in creatura; sic missio visibilis præsupponit invisibilem, et addit aliquid supra illum. Et hoc patet. Quia in missione invisibili exiguntur duo, scilicet, quod persona sit missa ab alio, et iterum effectus inhabitantis gratiæ. Istæ duo simul exiguntur in missione visibili, et additur similiter hoc tertium, scilicet, quod totum repræsentetur per visibile signum. Unde columba visibilis repræsentabat Spiritum Sanctum inhabitare per gratiam illum, ad quem dirigebatur.* 38. D.Thom

Unde ad illud, quod in hac objectione adducitur de missione Spiritus Sancti in specie columbæ super Christum Dominum in Jordane, respondeter ex Angelico Præceptore, sufficere ad hanc missionem visibilem, ut vel tunc fiat invisibilis missio, quæ visibili manifestatur; vel saltem invisibilis missio præcesserit, et tunc per visibilem indicetur: ut contingit in prædicta missione visibili, qua Spiritus Sanctus super Christum Dominum in specie columbæ descendit, et mansit: hæc enim significavit invisibilem Spiritus Sancti descensum in animam Christi, quæ tempore conceptionis ejus præcessit, et perseveranter, atque immobiliter facta est.

Nec obest, quod Athanasius Oratione 2 contre Arrianos, Hilarius 11 de Trinitate, Hieronymus Isaiæ 61 dicunt, tunc impletum 39. Replica. Athan. Hilar. Hieron. Isai. 61.

impletum esse illud ejusdem Isaiæ : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit* Psal. 44. *Dominus me ;* et illud Psalm. 44 : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* : hæc autem unctio significat infusionem gratiæ : ergo, etc.

Solutio. Respondetur enim, hos Patres solum velle, tunc manifestatam esse unctionem Spiritus Sancti ; ideoque dici tunc fieri, quia juxta Scripturæ phrasim tunc res dicuntur fieri, cum manifestantur.

§ II.

Assertio alia ejusdem sancti Doctoris.

40. Assertio secunda, et ejus probatio. Dicendum est secundo, personas divinas, nempe Filium, et Spiritum Sanctum, tam invisibiliter quam visibiliter mitti. Assertio hæc est communis inter Theologos. Et quidem quoad missionem invisibilem satis constat ex illo Roman. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* : et ex illo Sapientiæ 9 relato a D. Thoma art. 5 hujus quæst. ubi de divina sapientia dicitur : *Mitte illam de cœlis sanctis tuis.* Unde Angelicus Præceptor in præsenti art. 6 docet ex Augustino, hanc missionem invisibilem fieri ad omnes, qui sunt participes gratiæ. Quoad missionem vero visibilem Filii satis liquet in missione visibili ejus in carne humana, quæ quidem unica tantum est ; licet missio visibilis Spiritus Sancti fuerit multiplex : quia illa oportuit esse in unitatem personæ signi visibilis cum re significata, nempe cum Filio. Et ideo sicut Filius unicam tantum humanitatem sibi assumpsit, sic unica tantum missione visibili missus est.

(Marginalia: Roman. 5. — Sapient. 9. — D. Thom.)

41. Quoad missionem autem visibilem Spiritus Sancti etiam constat in pluribus apparitionibus, et visibilibus missionibus, quas, reddendo rationem multiplicitatis, D. Thom. et congruentiæ earum, explicat D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 16 quæst. unica artic. 3 his verbis : *Missio visibilis fit ad manifestationem plenitudinis gratiæ in alios redundantis. Hujusmodi autem redundantia duplex est, vel per locutionem, vel per operationem. Et secundum hoc Christo, et aliis duplex facta est apparitio, vel missio. In Christo quidem, ad significandum redundantiam operationis facta fuit in baptismo in specie columbæ, per quam spiritualis fecunditas intelligitur. Similiter ad significandum redundantiam doctrinæ, vel instructionis apparuit nubes lucida, et vox Patris in transfiguratione,* Matth. 17. *Unde addidit : Ipsum audite. In Apostolis vero ad significandum redundantiam operationis per modum ministerii, apparuit Spiritus Sanctus in flatu,* Joan. 20, *per quem ostendebatur descensus potestatis illius operationis a capite Christo in eos. Unde ibidem Dominus dixit : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, etc. Sed ad significandum redundantiam doctrinæ, vel instructionis apparuit in linguis igneis.*

Rationem autem, ob quam oportuit, divinas personas non solum visibiliter, sed etiam invisibiliter mitti, adduxit, D. Thomas 7 hujus quæstionis his verbis : *Dicendum quod Deus providet omnibus secundum uniuscujusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invibilia manuducatur. Et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur se ipsum Deus, et processiones æternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstravit : ita conveniens fuit, ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur.* D.Thom.

Neque obest, si objicias, quod si hæc ratio congruentiæ aliquid probaret, etiam suaderet, Filium, et Spiritum Sanctum eodem modo missionis visibiliter mitti : ac proinde quod sicut Spiritus Sanctus mittitur missione visibili ratione creaturarum non rationalium : ita etiam Filius : cujus oppositum nuper asseruimus. Patet sequela. Nam ad hoc, ut Deus provideret homini secundum modum ejusdem hominis, nempe, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur, satis esset, quod Filius mitteretur visibiliter in quibusvis creaturis sensibilibus, et non rationalibus. 42. Objectio.

Respondetur enim, congruentiam Angelici Præceptoris petitam esse ex parte ejus, quod petit natura hominis, qui per hæc sensibilia debet ad invisibilia manuduci : cæterum una cum hoc attendendum est ad ipsas personas missas secundum suas peculiares rationes, quas dicunt. Sic autem consideratis, congruum fuit ex parte ipsarum, ut Filius mitteretur missione visibili, manifestatus in creatura visibili, et rationali, imo et in prædicta creatura hypostatice eidem unita ; Spiritus Sanctus vero in aliis creaturis non rationalibus, ad hunc tamen finem idoneis. Dissolvitur.

43. Angel. Præcept. Rationem autem hanc disparitatis ex parte prædictarum personarum tradidit idem Angelicus Præceptor loco proxime citato, ubi postquam dixit, oportuisse, missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestari, statim adjecit : *Aliter tamen Filius, et Spiritus Sanctus. Nam Spiritui Sancto in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum : Filio autem, in quantum est Spiritus Sancti principium, competit esse sanctificationis hujus authorem. Et ideo Filius visibiliter missus est, tanquam sanctificationis author : sed Spiritus Sanctus, tanquam sanctificationis indicium.* Ubi (ut vides) quia Filius est principium amoris, nempe Spiritus Sancti, qui est sanctificationis increatum donum : idcirco missio visibiliter secundum hanc rationem, id est, ut est sanctificationis aliorum author, oportuit, ut natura sensibilis, in qua fuit missus, esset natura rationalis, cujus per antonomasiam est proprium per se, et ex se agere, cuique proinde potest convenire, ut per modum merentis esset ejusdem sanctificationis (modo explicando) principium. Quia vero Spiritus Sanctus est ipsum sanctificationis donum, et hoc optime potest manifestari per sensibiles creaturas non rationales : idcirco congruum fuit sic manifestari, ut ita discrimen, quod inter utramque personam versatur, denotaretur.

Et propterea idem Angelicus Præceptor in eodem articulo in solutione ad 4 hoc ipsum magis explicans, sic inquit : *Dicendum, quod personam Filii declarari oportuit, ut sanctificationis authorem (ut dictum est). Et ideo oportuit, quod missio visibilis Filii fieret secundum naturam rationalem, cujus est agere, et cui potest competere sanctificari. Indicium autem sanctificationis esse potuit quæcumque alia creatura. Neque oportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta a Spiritu Sancto in unitatem personæ : cum non assumeretur ad aliquid agendum ; sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam non oportuit, quod duraret, nisi quandiu perageret officium suum.*

44. Replica. Isaiæ 6. Cyrill. Justin. Neque obstat, si urgeas, quod Isaiæ 6 mittitur Filius sub specie carbonis igniti ad purificandum Isaiam, ut docent Cyrillus lib. 1 in Isaiam cap. 6, Justinus quæst. 44 ad Gentes, et alii : et tamen apparuit, ut sanctificationis author, ut patet ex eo, quod subditur : *Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua :* ergo quod Filius venerit, et missus sit visibiliter, ut author sanctificationis, non postulat, illum mitti in natura rationali.

Confirmatur primo. Quia Spiritus Sanctus venit super Discipulos, ut author gratiæ eorum, siquidem auxit illorum gratiam et ipsos in bono confirmavit : ergo venire, et mitti visibiliter, ut authorem sanctificationis, non postulat mitti in natura rationali. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam adhuc in missionibus visibilibus, in quibus mittitur Spiritus Sanctus, mittitur etiam Filius, siquidem (ut dubio præcedenti dicebamus) una persona nequit mitti sine alia : et tamen tunc non mittitur visibiliter in natura rationali : ergo, etc. Confirmatur secundo.

Respondetur ex D. Thoma in 1 dist. 6 q. 1 artic. 1 ad 3 et artic. 7 hujus quæstionis in solutione ad 2, missiones visibiles non attendi secundum visionem imaginariam : quia missio visibilis fit ad ostendendam plenitudinem gratiæ propter utilitatem aliorum. Et ideo oportet, illam fieri formis non imaginariis, sed corporalibus, et visibilibus, quæ ab aliis videantur : at ille carbo fuit figura imaginaria : et ideo fuit quædam figuratio, vel revelatio Filii, non vero ejus missio visibilis : hæc enim non fuit facta tempore legis antiquæ, ut in hac q. art. 6 idem D. Thomas docuit. 45. Responsio replicæ ex D. Thoma.

Ad primam confirmationem respondetur, quod etsi Spiritus Sanctus missus ad Discipulos, fuerit ibidem sanctificationis eorum author : nihilominus propter rationem num. 42 traditam, nempe, quia inter personas missas non est primus author illius sanctificationis, prout ly *primus* dicit non habere hoc ab alia persona missa : ideo formam visibilem, in qua fuit visibiliter missus, decuit, non fuisse naturam rationalem : quia ad hoc non attenditur, nisi ad rationem authoris gratiæ, qui non habet rationem istam ab alia persona missa. Unde Spiritus Sanctus petit personam Filii non procedentem ad alia persona missa, a qua procedat, eique peculiariter convenit esse ipsum increatum sanctificationis donum ex vi suæ processionis. Ad primam confirm.

Ad secundam confirmationem respondetur, in illis missionibus visibilibus, in quibus mittitur visibiliter Spiritus Sanctus, mitti invisibiliter Filium : non tamen missiones illas visibiles repræsentare per se primo Filium, sed Spiritum Sanctum : ac proinde non repræsentare per se primo id, quod adæquate in illa missione invisibili, Ad secundam.
ut

ut tali, est. Hic autem loquimur de missione visibili Filii per se primo destinata ad illum manifestandum.

§ III.

Assertio posterior ex D. Thoma desumpta.

46. Tertia conclusio. Dicendum est tertio, utramque missionem, tam visibilem, quam invisibilem esse temporalem, et non æternam. Ita D. Thomas art. 2 hujus quæstionis adducens ad hoc intentum illud ad Galatas 4 (Ad Galat. 4.): *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum:* quod etiam docuit in 1 dist. 15 q. 1 art. 2 quem communiter sequuntur Theologi. Fundamentum. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quia ad rationem missionis requiritur, tum processio æternæ personæ missæ, tum etiam novus, et specialis modus essendi in creatura ratione novi, et specialis effectus ibidem producti, aut aliquo modo causati : sed hic novus, et specialis modus essendi hoc ipso quod novus, debet esse temporalis : ergo etiam ipsa missio per se illum requirens, et includens erit temporalis, et non æterna.

Confirmatur primo. Angelic. Præcept. Confirmatur ratione, quam insinuat idem Angelicus Præceptor. Nam creatio, et justificatio activa, licet sint ipsi actus æterni Dei, nihilominus quia non sunt prædicti actus secundum se sumpti, sed ut inferunt effectum, et significantur per modum abstractorum, ideo non dicuntur rationes æternæ : quia ratione abstracti faciunt talem appellationem, ut denotent, quod prædicti actus, ut attingunt actu, et in exercitio suos effectus non sunt æterni : ergo similiter, licet missio sit ipsa æterna processio personæ divinæ, sive eam includat, quia tamen non dicit illam secundum se, sed ut attingit effectum temporalem, ideo non debet dici æterna : quoniam fieret sermo formalis ratione abstracti, et significaretur, quod, ut actu, et in exercitio attingit talem effectum, vel terminum temporalem, est æterna : quod (ut constat) est aperte falsum.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo ratione, ejusdem S. Doctoris loco citato. Quoniam ea, quæ important originem divinarum personarum, vel dicunt solam habitudinem ad principium, ut processio, et exitus : et hæc, satis constat, debere esse æterna, quia quidquid dicunt, est æternum : vel cum habitudine ad principium important determinatum terminum : et hæc, si terminus est æternus, etiam debent esse æterna, sicut generatio Verbi, et processio Spiritus Sancti : ergo quæ cum habitudine ad principium important terminum temporalem, qualia sunt missio, et datio divinarum personarum creaturæ rationali, dicentur temporaliter, ratione termini temporalis ab eis importati.

Ex quibus fit, nihil obesse, si objicias, quod absolute dicitur (signato Christo) quod hic homo est æternus, quia Christus affert suppositum, quod est æternum; licet etiam dicat humanitatem, quæ est temporalis : ergo si missio significat emanationem æternam, debet dici æterna; licet includat etiam aliquid temporale, nempe terminum, vel effectum, qui est temporalis. 47. Objectio.

Respondetur enim ex dictis, quod hic homo (signato Christo) est concretum substantivum; et ita cum ponitur a parte subjecti, supponit pro persona, aut supposito, ut latius dicitur 3 part. q. 16. Et quia suppositum, aut persona illa, quippe divina, est æterna, ideo quando ponitur a parte subjecti, hic homo (signato Christo) non possumus dicere, quod sit ex tempore, nisi addatur aliquod prædicatum pertinens ad naturam ex tempore assumptam, ut cum dicitur, quod Christus incipit esse homo. At missio non supponit pro processione æterna secundum se; sed ut infert prædictum temporalem effectum (modo tamen alibi tacto) et illud prædicatum *æternitatis* appellat supra missionem sic sumptam, ex eo quod est nomen abstractum. Et ideo innuitur, actus æternos Dei, ut inferentes actu, et in exercitio prædictum effectum, esse æternos : quod tamen, ut diximus, est falsum. Enodatio.

DUBIUM IV.

An missio invisibilis divinarum personarum solum fiat per dona gratiæ sanctificantis, an vero etiam per alia dona?

48. Quia sæpius diximus, missionem divinarum personarum dicere exitum æternum earum a suo principio in creaturas, ad quas fit missio, ac proinde præter prædictum exitum, dicere novum, et specialem modum essendi in eisdem creaturis, novumque, et specialem effectum, in quo dicuntur mitti, et ratione illius esse novo modo in prædictis creaturis, et ita missio-

nem importare, ut dubio 1 hujus disputationis dicebamus, novam habitudinem rationis fundamentalem personæ missæ ad rem, ad quam mittitur, ex eo quod ibi connotat prædictum effectum, hæcque habitudo fundamentalis dicit personam missam connotando hunc effectum : idcirco ex professo explicandum est, quisnam sit iste effectus in invisibili missione, an nimirum sint sola dona gratiæ sanctificantis, an vero sint aliqua alia dona, quæ vel non sint ipsa gratia sanctificans, vel non eam necessario annexam afferant, qualia sunt dona naturalia, vel fides, et spes supernaturales, et informes.

Nomine autem gratiæ sanctificantis, et donorum ejus non intelligimus solam gratiam sanctificantem, quæ est accidens, per quam accidentali modo sanctificamur; sed etiam gratiam sanctificantem substantialem, qualis est gratia unionis in unitatem personæ divinæ, quæ facta est humanitati Christi Domini, per quamque substantialiter sanctificata est, et ab ea accidentalis sanctitas in animam Christi Domini, aliique habitus supernaturales quasi dimanarunt. Sicut etiam nomine missionis divinarum personarum intelligimus missionem earum absolute et simpliciter talem; non vero missionem quodammodo, et secundum quid tantummodo earum.

§ I.

Vera Augustini et D. Thomæ sententia, et prior ratio pro illa.

19. Assertio. Dicendum ergo est, personas divinas non mitti invisibiliter missione simpliciter tali, de qua in præsenti loquimur, nisi per dona gratiæ sanctificantis, non vero per alia dona. Assertio hæc videtur colligi ex Scriptura. Nam Spiritus Sanctus proprie dicitur mitti, cum nobis donatur a Patre, juxta illud Joannis 14 : *Ergo rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Et infra : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Constat autem, Spiritum Sanctum nec inhabitare, nec manere nisi in justis, et habentibus gratiam sanctificantem, juxta illud Sapientiæ 1 : *Spiritus Sanctus disciplinæ effugit fictum*, id est, carentem gratia sanctificante. Quia, ut D. Thomas in 1 dist. 14 q. 2 art. 2 loquitur, quicumque caret gratia sanctificante, pro ficto habetur, et in eum Spiritus Sanctus non procedit. Et paulo ante : *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et Proverb. 15 : *Longe est Dominus ab impiis.*

[Margin: Probatur ex Scriptura. — Joan. 14. — Sapient. 1. — D.Thom. — Prov. 15.]

Idem etiam colligitur ex lib. Sapientiæ cap. 7, ubi de divina Sapientia dicitur : *Cum sit una omnia potest ; et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei constituit.* In quibus verbis proprius effectus illatus ex vi missionis divinæ sapientiæ, nempe Verbi, assignatur, quod *in animas sanctas se transfert*, id est, efficiendo illas sanctas : et propterea additur, *Amicos Dei constituit* : quod quidem (ut constat) non fit, nisi per gratiam sanctificantem.

[Margin: Sapient.]

Hoc ipsum etiam infertur ex illo Pauli primæ ad Corinthios cap. 6 et 3 : *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* nempe quandiu estis justi et sancti, seu estis in gratia. Et propterea addidit idem Paulus : *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Certum est autem, sanctitatem hujus templi in gratia sanctificante consistere. Et ita per hanc Spiritus Sanctus habitabit in illo, et illa sublata, discedet, et per consequens per eamdem gratiam mittetur in animam, et non nisi ea mediante hæc missio dabitur. Et propterea Angelicus Præceptor loco proxime citato ex 1 Sentent. in argumento *Sed contra* secundo in ordine, utens hoc loco Pauli primæ ad Corinth. 6 sic ex eo ad præsens intentum arguit : *Spiritus Sanctus non procedit in aliquem, nisi quem inhabitat Deus sicut in templo suo : quia per Spiritum Sanctum efficitur quis templum Dei, primæ Corinthiorum 6. Sed in nullo dicitur habitare Deus nisi per gratiam gratum facientem. Ergo secundum hoc donum tantum temporalis processio Spiritus Sancti attenditur.* 50.

[Margin: 1 ad Cor. 6 et 3. — Angel. Præcep.]

Et tandem hoc ipsum satis innuitur in illo ad Romanos 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ubi proprius effectus illatus per Spiritum Sanctum datum, ac proinde missum, assignatur charitas diffusa in cordibus nostris, quæ petit, et debet esse conjuncta cum gratia sanctificante. Et similiter 1 Joannis 4 dicitur : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* : ut significetur, hunc esse proprium effectum hujus mansionis, et missionis, nempe, charitatem conjunctam cum gratia, et ex hoc optime colligi mansionem,

[Margin: Ad Roman. — 1 Joan.]

nem, et missionem invisibilem in animam.

51. Suadetur ex Patribus. August. Eamdem etiam assertionem tuetur Augustinus lib. 15 de Trinitate cap. 18, ubi sic inquit : *Dantur et alia per Spiritum Sanctum munera : sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram, neque Spiritus proprie dicitur donum, nisi propter dilectionem.* In quibus verbis satis innuit Augustinus, Spiritum Sanctum non donari, nisi donetur dilectionis donum, ac proinde et gratia sanctificans. Cumque missio Spiritus Sancti includat donationem ejusdem, consequens est, ut si donatio ipsius sine charitate esse nequit, neque etiam poterit sine illa esse missio. Et propterea idem Augustinus inhabitationem Dei in animabus nostris requisitam ad missionem attribuit charitati, dicens : *Dilectio igitur quæ ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.*

Idem etiam docuit idem Augustinus lib. 3 de Trinitate cap. 4 circa finem, ubi inquit, *quod Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam.* Quæ D.Thom. verba sic inducit Angelicus Præceptor in argumento *Sed contra* artic. 3 hujus quæstionis : *Missio autem est temporalis processio. Cum igitur sanctificatio creaturæ non sit, nisi per gratiam gratum facientem, sequitur, quod missio divinæ personæ non sit, nisi per gratiam gratum facientem.*

52. Eamdem etiam assertionem tuetur D. Thomas artic. nuper citato his verbis : *Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur, et procedit temporaliter persona divina.* Quod etiam docuit idem D. Thomas supra quæst. 8 art. 3 ad 4 ubi sic inquit : *Nulla alia perfectio superaddita substantiæ facit. Deum esse in aliquo sicut objectum cognitum, et amatum, nisi gratia : et ideo sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus. Est autem alius singularis modus essendi Deum in homine per unionem : de quo modo suo loco agetur,* scilicet 3 part. quæst. 2. Quare, cum juxta Angelicum Præceptorem missio divinæ personæ fiat, secundum quod Deus est in aliquo, sicut objectum cognitum, et amatum, ut ex statim dicendis ex eodem S. Doctore patebit, vel sicut persona divina assumens aliquam naturam est in illa sanctifians eamdem : consequens est, ut prædicta missio solum fiat secundum gratiam gratum facientem, et ejus dona. Quod etiam docuit idem D. Thomas in 1 dist. 14 quæst. 2 art. 2.

53. Beda. Bonav. Richard. Argent. O'Kam. Gabriel. Carthus. Marsil. Capreol. Canariens. Molina. Vasquez. Bannez. Zumel. Nazar. Suarez. Eamdem tandem assertionem tuentur Beda homilia Dominicæ 1 post Ascensionem, Bonaventura in 1 dist. 14 quæst. 1 art. 2 et dist. 15 part. 2 artic. 1 quæst. 1, Richardus quæst. 2 art. 4 et 5, Argentina distinct. 14 quæst. unica art. 4 conclusione, 2 O'Kam distinct. 14 quæst. 2 post medium, Gabriel quæst. 2 artic. 2 in fine et artic. 3, Carthusianus distinct. 15 quæst. 3, Marsilius quæst. 17 artic. 1, Capreolus dist. 15 quæst. 1 art. 3 conclusione 2 et 3, Canariensis, Molina, Vasquez, Bannez, Zumel, Nazarius artic. 3 hujus quæstionis, Suarez lib. 12 de Trinitate cap. 5 et alii plures.

Ratio prior. Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex locis Scripturæ, et Patrum, quæ nuper adduximus, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam de divinis personis, et missione earum non potest aliter melius sentiri, quam secundum id, quod ex Scriptura et Patribus habetur, eisve magis consonum est : at ex Scriptura et Patribus habetur, eisve magis consonum est, missionem invisibilem divinarum personarum non fieri, nisi secundum dona gratiæ sanctificantis, ut ex testimoniis relatis liquet : ergo ita, et non aliter sentiendum est.

§ II.

Duplex alia ratio pro assertione ex D. Thoma desumpta.

54. Secunda ratio. D.Thom. Secundo probatur eadem assertio ratione alia D. Thomæ in 1 distinct. 14 quæst. 2 artic. 2 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam processiones divinarum personarum in creaturas, sive personæ, ut procedentes, sunt respectu creaturarum rationes exeundi a Deo, ut a primo principio, et redeundi in ipsum, ut in ultimum finem : atque adeo causant in creaturis, vel dona naturalia, quibus primo exeunt a Deo, vel dona supernaturalia, quibus peculiariter convenit, ut per ea in Deum redeant, ut in ultimum finem : ac prædictæ processiones non habent rationem

missionum, nec personæ, ut procedentes, habent mitti, secundum quod creaturis sunt rationem exeundi a Deo, ut a primo principio, atque adeo nec ut causant dona naturalia, quibus ab eo exeunt : ergo, ut sunt rationes creaturis redeundi in Deum, ut in ultimum finem, causantque dona supernaturalia, nempe gratiam sanctificantem, et ejus dona, quæ etsi a Deo exeant, eis tamen solummodo redimus in Deum, ut in finem supernaturalem, et ad id nobis dantur ; ergo non nisi mediante prædicta gratia fit invisibilis missio divinarum personarum.

Probatur major. Major probatur, et explicatur. Nam propterea in exitu creaturarum a Deo invenitur (ut loquitur D. Thomas), quædam circulatio, vel regyratio, eo quod omnia revertuntur sicut in finem in id, unde exierunt, et per ea, per quæ ab illo exierunt. Et ideo, sicut processiones divinarum personarum in creaturas sunt illis rationes exeundi a Deo, quia ipsæ, ut procedentes, habent etiam influere in exitum creaturarum a Deo, et hoc (saltem ex parte earumdem personarum) per locum intrinsecum petitur : ita etiam prædictæ processiones, seu personæ, ut procedentes, sunt eisdem creaturis rationes redeundi in Deum, ut in ultimum finem ; atque adeo causant, tam dona naturalia, quibus creaturæ exeunt, quam alia dona, quibus peculiariter competit, ut per ea in Deum, ut in ultimum finem redeatur.

D.Thom.

Illustratur ex D. Thoma. Unde Angelicus Præceptor non solum tribuit hunc influxum jam explicatum, Verbo divino, et Spiritui Sancto, qui sit ipsis communis cum Patre, sed etiam aliquem alium (modo alibi tacto) specialem : quatenus Pater æternus Verbo suo, tanquam intellectionis termino, et Pater, ac Filius Spiritui Sancto, ut termino suæ dilectionis, dona prædicta causant : quem quidem influxum explicuimus ex ipso quæst. 37 art. 2, et idem Angelicus Doctor illum subtiliter explicat dist. nuper citata quæst. 1 art. 1 his verbis : *Dicendum quod quamvis in personis divinis, proprie loquendo dicatur processio secundum rationem exitus a principio, qui non necessario tendit in aliud : tamen processio Spiritus Sancti ex modo suæ processionis habet, in quantum scilicet procedit ut amor, qui in alium tendit, scilicet in amatum, sicut in objectum. Et quia processiones personarum æternæ sunt causa, et ratio totius productionis creaturarum : ideo oportet quod sicut generatio Filii est ratio totius productionis creaturæ secundum quod dicitur Pater in Filio omnia fecisse : ita etiam amor Patris tendens in Filium, ut in objectum sit ratio, in qua Deus omnem effectum amoris creaturis largiatur. Et inde est, quod Spiritus Sanctus, qui est amor, quo Pater amat Filium, est etiam amor, quo amat creaturam impertiendo sibi suam perfectionem.*

Minor autem ejusdem primi syllogismi hujus rationis videtur certa. Quia sicut in generatione humana id, quod generatur, non unitur generanti, ut unum et idem in specie cum ipso, nisi in ultimo generationis, et per illa, quæ tunc illi communicantur : sic in participationibus divinæ bonitatis non invenitur immediata, et perfecta unio ad Deum, dum præcise communicantur nobis priores effectus, prioraque bona, quibus in *esse* naturæ subsistimus, quibusque præcise habemus exire a Deo, non vero redire in illum, ut in finem omnino ultimum ; sed dum communicantur posteriores effectus, posterioraque bona, quibus ad Deum, ut ad ultimum omnino finem redimus, quibusque peculiariter attribuitur, ut per illa ad Deum, ut habentem rationem prædicti finis convertamur. Ergo cum missiones attendantur secundum prædictam unionem perfectam creaturæ ad Deum, consequens est, ut processiones non habeant rationem missionum, nec personæ dicantur mitti, secundum quod præcise sunt rationes exeundi creaturis a Deo, seu secundum quod causant prædicta dona naturalia. 55. Suadet minor

Ex quibus utraque consequentia satis constat. Quoniam omnia dona, in quibus personæ divinæ debent invisibiliter mitti, comprehenduntur sub illo duplici donorum genere : et ita si nequeunt mitti in prioribus donis, debebunt in posterioribus mitti, atque adeo in donis gratiæ sanctificantis, cujus est proprium, ut per illam, et ejus dona ad Deum, ut ad ultimum finem supernaturalem, atque adeo ut ad finem nostrum simpliciter, et omnino ultimum redeamus. Probantur consequentia

Quam rationem quia valde perspicue attulit D. Thomas dist. 14 jam citata q. et art. 2 et per ejus verba, illa, quæ nos utcumque diximus, non parum elucidabuntur : ideo placuit ipsam secundum ejusdem S. Doctoris verba hic referre, quæ sic se habent : *Dicendum, quod in exitu creaturarum a primo principio attenditur quædam circulatio vel regyratio : eo quod omnia revertuntur,* Dilucidatur tota ratio ex D. Thoma

revertuntur, sicut in finem, in id, a quo sicut a principio prodierunt. Et ideo oportet, ut per eadem, quibus est exitus a principio, et reditus in finem, attendatur. Sicut igitur dictum est, quod processio personarum est ratio productionis creaturarum a primo principio, ita etiam est eadem processio ratio redeundi in finem. Quia per Filium, et Spiritum Sanctum sicut et conditi sumus, ita etiam et fini ultimo conjungimur, ut patet ex verbis Augustini positis in 3 *distinct. ubi dicit : Principium, ad quod recurrimus, scilicet Patrem, et formam, quam sequimur, scilicet Filium, etc. Et Hilarius dicit infra* 31 *dist. : Ad unum ininitiabile, omnium initium, per Filium universa referimus. Secundum hoc ergo processio divinarum personarum in creaturas potest considerari dupliciter ; aut in quantum est ratio exeundi a principio : et sic talis processio attenditur secundum dona naturalia, in quibus subsistimus, sicut dicitur a Dionysio divina sapientia, vel bonitas in creaturas procedere : sed de tali processione non loquimur hic. Potest etiam attendi, in quantum est ratio redeundi in finem : et sic est secundum illa dona tantum, quæ proxime conjungunt nos fini ultimo, scilicet Deo, quæ sunt gratia gratum faciens, et gloria : et de ista processione loquimur hic. Sicut enim in generatione naturali generatum non conjungitur generanti in similitudine speciei, nisi in ultimo generationis : ita etiam in participationibus divinæ bonitatis non est immediata conjunctio ad Deum per primos effectus, quibus in esse naturæ subsistimus ; sed per ultimos quibus fini adhæremus. Et ideo concedimus, Spiritum Sanctum non dari, nisi secundum dona gratum facientia.*

57. Tertium fundamentum D. Thom. Tertia ratio ejusdem assertionis, per quam præcedens elucidatur, desumitur ex D. Thoma art. 3 hujus quæstionis, et in 1 ad Annibaldum dist. 14 quæst. unica art. 4, quæ potest ad hanc formam redigi. Quoniam missio invisibilis divinarum personarum, præter exitum, et processionem æternam earum a suo principio, dicit, quod persona missa sit novo ac speciali modo in re, ad quam mittitur : atque adeo infert effectum talis conditionis, ut per eum divinæ personæ invisibiliter missæ novo ac speciali modo ibidem sint. Nam cum prædictæ personæ nequeant esse ibi novo ac speciali modo per mutationem ipsarum oportet, ut hoc fiat per mutationem ejus, ad quem fit missio, atque adeo per productionem alicujus effectus in illo talis conditionis, ut ratione ipsius habeant personæ missæ esse ibidem novo, ac speciali modo. Sed prædictæ personæ nequeunt esse hoc novo, et speciali modo in re, ad quam mittuntur, nisi per gratiam sanctificantem, et ejus dona : ergo missio invisibilis divinarum personarum solum potest fieri per prædicta dona gratiæ sanctificantis.

Major est perspicua, et ideo communiter 58.
asseritur a Theologis, una cum Angelico Præceptore locis citatis. Minor autem probatur, et explicatur referendo omnes modos, quibus Deus potest esse in creaturis, qui reducuntur ad tres. Nam sicut Deum esse in creaturis dicit, quod sit conjunctus cum illis : ita quia tantum sunt tres modi conjunctionis Dei cum creaturis, idcirco tantum erunt tres modi essendi illius in eisdem creaturis.

Primus quidem, quo Deus est in illis, et ipsis unitus, sicut causa suo effectui : ex eo quod quidquid in illis est, debet produci in suo *esse*, et conservari a Deo, ut a primo efficiente : qui modus, propter illa, quæ D. Thomas docet supra q. 8 D.Thom.
appellatur modus essendi Dei per essentiam, præsentiam, et potentiam. Cæterum modus iste, quia est communis respectu omnium rerum, ex eo quod Deus per illum non specialiter est in aliquibus creaturis præ aliis, nec infert specialem effectum, sed quivis effectus creatus hinc illatus est satis ad hunc modum essendi Dei communiter in quavis creatura : idcirco modus hic essendi generalis Dei non est idoneus ad specialem missionem divinarum personarum, de qua in præsenti, quæ proinde exigit modum specialem essendi Dei in re, ad quam fit missio, novumque, et specialem effectum ibidem illarum.

Secundus vero modus essendi Dei in aliqua re, isque specialis, est, secundum quod est in illa peculiariter, eo modo quo personalitas terminans aliquam naturam, est speciali modo præsens illi naturæ et eidem conjuncta. Et hoc modo Verbum divinum est novo, et speciali modo in natura ab eo assumpta : et hic specialis modus essendi in illa est per gratiam substantialem unionis hypostaticæ, prædictam naturam sanctificantis.

59. Tertius tandem modus adhuc specialior, quatenus per eum tantum potest esse in creaturis rationalibus, est, secundum quem Deus est in illis peculiari modo, nempe, sicut cognitum in cognoscente, et amatum

in amante. Ad hoc autem, ut persona divina missa habeat hoc peculiari modo esse in creatura rationali, requiruntur necessario gratia sanctificans, et ejus dona. Nam sicut persona divina specialiter missa ad aliquam creaturam rationalem, est ibidem specialiter, simpliciter ac per conjunctionem, et unionem perfectissimam cum ea ita hoc ipso quod, quatenus sic est in illa fit in ipsa ut amatum in amante debet esse in eadem, ut amatum in amante per amorem specialem, et simpliciter talem, ac tandem perfectissimum, nempe, per amorem charitatis supernaturalem, qui fine gratia sanctificante esse nequit. Et ideo quivis specialis modus essendi Dei in re, ad quam mittitur, quales sunt hi duo posteriores nuper recensiti, nequeunt esse sine dono gratiæ sanctificantis, ut in minori hujus rationis dicebatur.

Illustratur testimonio D. Thom. Quam rationem, quia eleganti discursu adduxit Angelicus Præceptor loco nuper citato ex 1 Sententiarum ad Annibaldum, ideo visum nobis fuit illius verba referre, quæ sic se habent : *Dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur dari alicui, vel procedere in aliquem secundum quod novo modo incipit esse in eo. Modi autem, quibus Deus est in creatura, distinguuntur secundum diversos modos, quibus creatura creatori unitur : quod quidem contingit tripliciter. Uno modo sicut effectus causæ efficienti, cujus similitudinem gerit : et sic est modus communis, prout est in omnibus per essentiam, præsentiam, et potentiam. Alio modo sicut objecto operationis, in quantum creatura cognoscit, et amat creatorem : et sic dicitur esse in sanctis. Tertio modo, quantum ad esse in una persona : et sic dicitur divinitas esse in Christo. Illa ergo dona solum, quæ faciunt cognoscere, et diligere Deum, quæ sunt dona gratiæ gratum facientis, faciunt Deum novo modo esse in nobis. Et ideo secundum illa tantum dicuntur Filius, et Spiritus Sanctus in nos procedere, vel mitti ad nos, vel dari nobis. Nam secundum omnia alia dona non alio modo est in nobis, quam per essentiam, præsentiam, et potentiam.*

60. Confirmatur primo. D. Thom. Confirmatur, et explicatur primo ratione, quam innuit Angelicus Præceptor. Quoniam relinquendo specialem missionem Verbi divini in naturam assumptam, de qua planum est, non posse fieri, nisi per gratiam unionis substantialem, et substantialiter sanctificantem ; et loquendo de missione, secundum quam id, ad quod fit missio, non assumitur in unitatem personæ, sed est ibi Deus ultimo ex modis specialibus nuper recensitis, nempe per modum, quo amatum est in amante, videtur rationi valde consonum, quod ad hunc specialem modum essendi requiratur charitas, et gratia sanctificans. Quoniam hoc ipso, quod ad hanc specialem missionem, et modum essendi desideretur modus essendi personæ missæ, tanquam amatum in amante : exigetur, quod sit in illo, tanquam in amante eo amore secundum speciem, quo persona missa, et ejus merita postulant amari : alioqui non esset ibidem connaturali modo, nec illa missio modo connaturali fieret. Constat autem, merita personæ missæ exigere, non qualemcumque speciem amoris, sed speciem amoris orti a charitate, et a gratia sanctificante : ergo, etc. Unde, sicut quia persona missa per specialem illam missionem hypostaticam est ibidem speciali modo hypostatico, ideo exigit modum essendi hypostaticum, qui sit talis secundum speciem, qualem merita personæ divinæ postulant, ut ita prædicta persona connaturali modo terminet, et ipsa missio modo etiam connaturali fiat : ita in missione speciali, et non hypostatica, qua Deus speciali modo per modum amati in amante est in creaturis rationalibus, ad quas specialiter mittitur, proportione servata philosophandum est.

61. D.Th. Confirmatur, et explicatur secundo ratione, quam etiam innuit idem S. Doctor loco citato ex 1 Sententiarum, nempe q. 2 art. 2. Ut autem eam tradamus, supponendum est id, quod S. Doctor ibidem satis insinuat, nempe, quod modus specialis, quo personæ divinæ missæ sunt in creaturis rationalibus, necessario includit, quod sint in illis ordinando eas in suum finem ultimum, nempe in ipsum Deum, tribuendoque illis illa dona, quibus ad ipsum sic redeunt : ac proinde prædictus modus essendi necessario includit, quod Deus sit in illis per modum ultimi finis earum (qui quidem modus coincidit cum eo, quem nuper ex Angelico Præceptore in hac quæst. art. 3 et 4 primi ad Annibaldum jam citatis adduximus, nempe, cum modo essendi in creatura rationali, sicut amatum utique per modum ultimi finis in amante). Et ratio hujus est. Quoniam hic modus specialis, et perfectissimus essendi Deum in creaturis rationalibus, dicit maximam quandam conjunctionem inter utrumque : atque adeo debet necessario includere conjunctionem

tionem cum Deo tanquam cum ultimo fine, ac proinde illa dona, quibus Deus ut ultimus finis habetur : quia hoc ipso, quod non detur hæc conjunctio, tunc personæ divinæ maxime distant, et elongantur a creatura rationali aversa ab ipsis, tanquam ab ultimo fine, juxta illud, quod in hoc eodem dubio ex Sapientiæ 1 adduximus : *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, idest, carentem donis ordinantibus in Deum, ut in ultimum finem, ut exponit D. Thomas loco supra relato : non quidem quia Deus tunc non sit conjunctus illis communi illo modo essendi in omnibus rebus ; sed quia nequit esse in eisdem speciali, et novo modo, per quem simpliciter et speciali ratione sit in illis : ac proinde nequeunt speciali missione divinæ personæ mitti ad easdem.

Sa- pient. 1. D. Thom.

62. Hinc deducitur secunda confirmatio. Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Quoniam hoc ipso, quod personæ divinæ, ut missæ speciali missione, debeant esse in creaturis rationalibus hoc specialiori modo, nempe per modum ultimi finis earum, oportet, ut sint in illis mediante inclinatione earum specialiter a Deo producta, per quam inclinentur in ipsum Deum, personasque divinas, ut in ultimum finem : quia finis non nisi hoc modo est per modum finis, et modo sibi speciali in re cujus est finis : ergo etiam oportebit, esse in prædictis creaturis media inclinatione charitatis in Deum, ut in ultimum finem : quia hæc sola est proxima inclinatio in Deum, ut in ultimum finem, et in qua est Deus sic sumptus, ut in inclinatione ad ipsum, et modo illo speciali, quo ipse, ut ultimus finis, et ut amatus per modum talis, est in re, cujus est finis, et in amante ipsum per modum ultimi finis : ergo etiam oportebit, hanc inclinationem esse radicatam in gratia sanctificante. Patet consequentia. Tum quia cum omnis inclinatio sequatur ad aliquam naturam proportionatam, et in ea radicetur, consequens est, ut hæc charitatis inclinatio debeat consequi ad aliquam naturam, et radicari in ea, quæ quidem nulla potest esse alia, nisi gratia sanctificans.

Tum etiam. Quia cum inclinari in Deum, ut in ultimum finem, sive ut in rationem finalem, est proprium Dei : ex eo quod proprium est ipsius esse in se ipso, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum per modum ultimi finis, sive rationis finalis in amante : ita etiam nihil, nisi ipse Deus, vel habens gratiam sanctificantem, quæ est participatio Deitatis, habet hanc inclinationem in Deum, ut in ultimum finem, sive ut in rationem ultimam finalem. Unde, si daretur inclinatio charitatis absque gratia sanctificante, et in ea, tanquam in inclinatione ad ipsum ut ultimum finem, esset Deus per modum prædicti finis, tunc non esset ibidem connaturali modo nec missio hæc modo connaturali fieret, nec tandem creatura rationalis habens ipsum mediante prædicta inclinatione cum præcisione sumpta haberet eum connaturaliter; sed ut hæc omnia connaturaliter fierent, deberet infundi gratia sanctificans, ut illa inclinatio esset radicata in sua propria natura.

§ III.

Corollaria ex dictis deducta, et major rationum præcedentium elucidatio.

Ex quibus omnibus fit primo, manere solutam duplicem levem objectionem, quæ contra dicta fieri poterat. Prima est. Quod Deum esse speciali modo in creatura rationali, ut amatum in amante, tantum est esse in voluntate illius : ac proinde tantum exiget dona existentia in voluntate, nempe charitatem, et alia hujusmodi; non vero donum existens in essentia animæ, quale est gratia sanctificans. 63. Prima objectio.

Secunda vero est. Quod esse aliquid in aliquo, tanquam amatum in amante, tantum exigit ipsum actum amoris : et ita Spiritus Sanctus v. g. non erit hoc speciali modo in creatura rationali, nisi dum prædictus actus duraverit : et per consequens neque hoc speciali modo erit in parvulis baptizatis : ac proinde non fiet ad eos Spiritus Sancti missio. Quod quidem videtur docuisse Angelicus Præceptor, dum explicuit hunc specialem modum essendi per hoc, quod Deus sit in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoscente et amatum in amante; non vero per hoc, quod sit tanquam cognoscibile in cognoscitivo, et amabile in amativo. Secunda. D.Thom.

64. Diluitur prima. Ex dictis igitur satis constat solutio utriusque objectionis. Ad primam quidem. Quoniam hoc ipso, quod ad hunc specialem modum essendi petatur, quod Deus sit in creatura rationali, tanquam amatum in amante, ac proinde tanquam in inclinatione ad ipsum, ut ultimum finem, petitur ibidem, ad hoc ut connaturali modo sit in ea, quod illa inclinatio sequatur

ad aliquam naturam ibi existentem, nempe, ad gratiam sanctificantem.

Enodatur secunda. Ad secundam vero etiam patet, satis esse dari actum amoris habitualiter. Nec D. Thomas explicuit hunc peculiarem modum essendi per hoc, quod Deus sit in creatura rationali, tanquam amatum in amante, quia præcise voluerit dari tantum hunc modum essendi, cum adest actus amoris, sed nomine amantis, et amati intellexit amans, et amatum, sive actualiter, sive habitualiter, sive utroque modo sumpta : ut ita comprehenderet tam missionem divinarum personarum, quæ est in adultis, quam eam, quæ est in parvulis baptizatis.

D.Thom. Unde idem D. Thom. de veritate q. 28 art. 3 sic inquit : *Ipse autem Deus qui justificat impium, tangit animam, gratiam in ea causando. Unde et in Psalmo 143 : Tange montes (Glossa) de gratia tua. Mens autem humana aliquo modo tangit Deum, eum cognoscendo, vel amando. Unde et in adultis, qui possunt Deum cognoscere, et amare, requiritur aliquis usus liberi arbitrii quo Deum cognoscant, et ament, et ista est conversio ad Deum, de qua dicitur Zachar. 1 : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Pueri autem carentes usu liberi arbitrii non possunt Deum cognoscere, et amare : unde in eis sufficit ad justificationem, quod ab eo tangantur per gratiæ infusionem.*

65. Evasio ad rationes conclusionis. Infertur secundo, manere impugnatam quamdam evasionem, quæ his rationibus D. Thomæ adhiberi poterat, nempe, quod ad hoc ut Deus sit speciali modo per modum ultimi finis, et ut amatum in amante in creatura rationali, satis est, quod prædicta creatura sit ordinata in Deum, ut in finem ultimum naturalem, communicenturque ei ea dona ordinis naturalis, quæ sint satis ad hanc conversionem.

Impugnatur primo. Ex dictis igitur patet, hanc evasionem manere satis impugnatam. Tum quia ex his sufficienter liquet, quomodo de hoc speciali modo, quo divinæ personæ sunt in creatura rationali, et per consequens de missione illarum mediante inclinatione, et amore in ipsum, ut in ultimum finem, non aliter sentiendum sit, quam juxta ea, quæ ex Scriptura, et Patribus, maxime

August. D.Thom. vero ex Augustino et D. Thoma habemus. Ex iis autem solum habetur, missionem Spiritus Sancti, v. g. solum esse secundum gratiam sanctificantem : et similiter modum specialem essendi illius in creatura rationali, ad quam mittitur, tantum esse penes prædictam gratiam ; atque adeo ordinationem in Deum, ut in ultimum finem ibidem petitam esse in ipsum, ut in ultimum finem supernaturalem : ergo sic, et non aliter sentiendum nobis est.

66. Expeditur secundo. Tum etiam. Quoniam ex dictis habetur, hunc specialem modum essendi per modum finis in creatura rationali exigere, quod absolute, et simpliciter sit ibi Deus per modum ultimi finis : constat autem, quod si creatura rationalis non est ordinata in Deum, ut in finem ultimum supernaturalem per dona gratiæ sanctificantis, quod non est ibi absolute et simpliciter Deus per modum ultimi finis : quia eo ipso creatura illa (quæ, ut supponitur, extrinsece est elevata ad ordinem supernaturalem) erit aversa a Deo, ut ab ultimo fine supernaturali, secundum quam rationem est finis simpliciter ultimus illius : imo eo ipso erit (ut multi volunt, de quo alibi) etiam aversa a Deo, ut ab ultimo fine naturali : quia ratio naturalis quodammodo, et indirecte dictat (supposita elevatione extrinseca creaturæ rationalis) conversionem in Deum, ut in finem supernaturalem. Et ideo hoc ipso, quod prædicta creatura sit aversa a Deo, ut a fine supernaturali, Deusque non sit in illa absolute et simpliciter per modum hujus ultimi finis, erit indirecte aversa a Deo, ut a fine ultimo naturali, Deusque (adhuc per modum prædicti finis naturalis) non erit absolute et simpliciter in illa, dato (sed non concesso) quod prædicto modo cum præcisione sumpto potest fieri missio divinarum personarum ad eamdem creaturam.

Refutatur tertio. Tum deinde. Quoniam ex dictis etiam liquet, quod hic specialis modus essendi in creatura rationali per modum ultimi finis infert, eam esse templum ipsius Dei, ubi modo proprio ipsius colitur, nempe, per modum ultimi finis simpliciter talis, ipsamque reddit templum sanctum illius. Certum est autem non habere debitam sanctitatem per modum templi Dei illam creaturam, quæ est aversa ab ipso, ut ab ultimo fine supernaturali, ac proinde ut ab ultimo fine simpliciter tali : siquidem eo ipso res illa est simpliciter coinquinata, fitque domicilium dæmonum. Sicut etiam planum est, in eadem creatura sic aversa non coli Deum, tanquam ultimum finem simpliciter talem.

Ultimo refellitur. Tum denique. Quoniam hoc ipso, quod hæc specialis missio divinarum personarum, hæcque unio, et conjunctio earum ita perfecta sit peculiariter respectu creaturæ rationalis,

rationalis, nequibit ei competere, nisi secundum partem supremam, et eminentissimam illius, nempe, secundum quod est perfectibilis per dona supernaturalia; et per consequens cum talis missio exigat dona quibus redeat in Deum, ut in ultimum finem, postulabit utique dona, quibus redeat in ipsum, ut in ultimum finem supernaturalem, nempe dona gratiæ sanctificantis.

7. nfir- atur mo. hom. Confirmatur primo ratione ejusdem S. Doctoris art. 3 hujus quæstionis, quæ potest ad hanc formam redigi. Quoniam hic specialis modus essendi Dei in creatura rationali per modum ultimi finis, ratione cujus ipsæ personæ mittuntur ad illam, importat, quod Deus ipse, personæque divinæ habeantur, et possideantur ab eadem creatura : hoc autem exigit gratiam sanctificantem, et conversionem per illam ad Deum, ut finem ultimum supernaturalem : ergo, etc. Major videtur perspicua, et constat etiam ex dictis.

Minor vero probatur a D. Thoma. Quoniam illud habere dicimur, quod videre possumus, et eo uti, si fuerit ex rebus ad usum pertinentibus; vel eo frui, si præcise fuerit finis ultimus, quo non utendum, sed fruendum nobis est. Constat autem, quod solum per gratiam sanctificantem, et per conversionem ejus in Deum, ut in ultimum finem supernaturalem, datur nobis *posse* radicale videndi Deum, ex eo frui in altera vita perfecte, et in hac imperfecte, ex eo quod gratia in ea non est sub modo essendi perfecto : maxime, quia fruitio debet esse ultimi finis connaturalis, et conjuncti; ut statim magis explicabimus, et Deus secundum se non intelligitur unitus per modum finis connaturalis respectu creaturæ rationalis nisi ipsa sit elevata, et perfusa dono gratiæ sanctificantis.

8. jec- 9. Unde nihil obest, si contra rationem hanc objicias, quod cum Deus est in omnibus rebus communi illo modo essendi in illis, nempe, per essentiam, præsentiam, etc. tunc etiam habetur ab eisdem creaturis, et nihilominus non ob id desideratur gratia sanctificans : ergo, etc. Non itaque hoc obest. Quoniam ille modus communis quo Deus est in creaturis non tribuit ipsis, proprie et in rigore loquendo, quod sint habentes eumdem Deum ; sed quod Deus actione sua contineat illas, producendo, et conservando earumdem *esse* : secus autem hic modus specialis, quo per gratiam sanctificantem, et ejus dona, et per modum ultimi finis supernaturalis est in justis per modum amati in amante. Unde D. Thomas artic. 3 hujus quæstionis in solutione ad 3 inquit, quod licet per aliquos effectus Filius possit cognosci a nobis ; non tamen nos inhabitat, vel etiam habetur a nobis, nisi per gratiam sanctificantem. D.Thom.

nes- it.

Quare, adhuc in eadem gratia sanctificante, et ejus donis distinguendum est de ipsis, vel prout se tenent præcise ex parte Dei, sive ut considerantur per modum effectus collati cum Deo : ut tantum habet rationem causæ efficientis ; vel prout mediis illis creatura rationalis tendit in ipsum Deum, ut in finem ultimum supernaturalem, cognoscendo, et diligendo sic ipsum, et per consequens ut mediis illis est Deus speciali modo in ea per modum cogniti in cognoscente, et amati tanquam ultimus finis in amante. Et consideratis prædictis donis secundum primam illam rationem, non tribuunt creaturis, quod sint habentes Deum, nisi ad summum initiative, vel illative : ex eo quod posterior ratio ex duabus enumeratis est necessario connexa cum hac priori. Et ideo secundum hanc considerationem solum tribuunt prædictis creaturis, quod sint (ut sic dicamus) passive habitæ, et contentæ a Deo efficiente, et conservante in illis vitam, et *esse* supernaturale, ad quod elevatæ sunt : ac proinde sunt necessario requisita ad hoc, ut Deus actu, et in exercitio sit prima causa vitæ supernaturalis creaturæ rationalis, nec non ad hoc, ut personæ divinæ mittantur, considerata missione secundum id, quod inadæquate dicit, nempe, quod prædictæ personæ exeant a suo principio in creaturam rationalem, et præscindendo ab hoc, quod prædictæ creaturæ ex parte sua sint habentes easdem divinas personas. Ceterum eadem dona secundum posteriorem illam considerationem tribuunt creaturæ rationali, quod sit in illa Deus tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, et quod simpliciter et absolute loquendo sit habens ipsum Deum, ipsequæ sit inhabitans prædictam creaturam, ut templum proprium ipsius.

Quæ tandem omnia confirmari, et elucidari possunt ratione, quam ex parte insinuat Angelicus Doctor art. 8 hujus quæstionis, dum inquit, in missione divinarum personarum non solum tribui dona creata, sed etiam ipsas personas secundum suam substantiam (de quo tamen dubio sequenti dicemus). Nam ex hoc, et ex illis, quæ in 1 tomo tractatu 2 disput. 4 n. 25 69. Elucidantur omnia prædicta.

ex eodem Angelico Doctore diximus, potest sequens deduci ratio. Nam hoc ipso, quod in missione divinarum personarum donentur ipsæ personæ secundum suam substantiam, ac proinde prout sunt in se ipsis, oportet, quod donentur, et sint in creatura rationali, prout sunt quid superexcedens, et supernaturale respectu ipsius : quia divinæ personæ secundum suam substantiam et prout sunt in se ipsis, comparantur hoc modo cum prædicta creatura. Ergo hoc ipso, quod debeant esse ibidem speciali modo, nempe, per modum ultimi finis, oportebit, ut sint ibi per modum ultimi finis, non qualiscumque, sed per modum ultimi finis supernaturalis : et per consequens hoc ipso, quod ex vi prædictæ missionis, et novi modi essendi, quo Deus est in tali creatura, debeant dari a Deo dona, quibus prædicta creatura redeat in ipsum Deum, ut in ultimum finem, debent utique conferri dona, quibus redeat in eumdem, ut in ultimum finem supernaturalem. Sicut quia essentia divina in patria unitur secundum suam substantiam, et prout est in se ipsa cum intellectu creato, idcirco unitur cum eodem per modum objecti supernaturalis, et exiguntur ex parte intellectus creati dona supernaturalia, et proportionata ad talem unionem.

§ IV.

Opposita sententia cum suis fundamentis, et eorum enodationibus.

70. Opposita sententia.

Oppositam tamen sententiam, nempe, ad missionem invisibilem divinarum personarum non requiri infusionem gratiæ sanctificantis, et donorum ipsius, tuentur

Suarez. aliqui, quos refert Suarez lib. 12 de Trinitate cap. 5 et pro eadem solet referri

Cajetan. Cajetanus art. 3 hujus quæstionis. Et licet argumenta eam suadentia non difficulter diluantur ex dictis : nihilominus majoris claritatis gratia ea in præsenti, una cum

Primum fundamentum. solutionibus illorum adducemus. Probatur ergo primo. Nam Spiritus Sanctus mittitur ad aliquem, dum est in eo novo modo, quo antea non erat, vel cum datur ipsi : sed sine infusione donorum gratiæ sanctificantis potest Spiritus Sanctus esse novo modo in aliquo, vel dari eisdem : ergo, etc.

Minor quoad primam partem probatur. Quia Deus fuit speciali modo, quo antea non erat, in Virgine, quando concepit

Lucæ 1. Filium juxta illud Lucæ 1 : *Spiritus sanctus superveniet in te*, ut explicat Bernardus Bern homilia 3 super *Missus est* ; et tamen potuit venire supra Virginem ad formandum corpus Christi sive dono gratiæ gratum facientis : alioqui ad munus matris corporalis Christi Domini, et ut solo ventre et non mente conciperet ipsum, requireretur prædicta gratia. Quoad secundam vero partem suadetur eadem minor. Quoniam cum Christus dixit Joannis 20 : *Accipite* Joan *Spiritum Sanctum*, præcipue dedit illum ad potestatem remittendi peccata, quæ per se non sanctificat habentem, nec requirit necessario in illo sanctificantem gratiam ; sed est ad modum gratiæ gratis datæ. Et cum Christus concessit Apostolis potestatem ejiciendi dæmonia, et curandi infirmos, etc. Lucæ 12, Spiritum Sanctum Luca eis dedisse, testatur Leo Papa serm. 2 Le Pap Pentecostes : cum tamen prædicta potestas non requirat dona gratiæ sanctificantis.

Respondetur, concedendo majorem, et 71 Eve tu negando minorem quoad utramque partem. Et ad probationem primæ dicendum est, ideo Spiritum speciali illo modo fuisse in Virgine, quando mater Verbi effecta est, quia ut (modo alibi dicendo) condigna ejus mater esset, repleta est donis gratiæ sanctificantis, ut ad novum illum statum, ad ordinem hypostaticum quodammodo pertinentem, disponeretur : et propterea dicitur, Spiritum Sanctum in ea supervenisse. Quod si Deus de potentia sua absoluta voluisset, quod Beata Virgo fieret Mater Christi absque gratia sanctificante : tunc Spiritus Sanctus ratione hujus maternitatis non diceretur simpliciter mitti ad illam ; sed solum secundum quid, ut num. 74 dicemus.

Ad probationem vero secundæ partis respondetur, per illa dona ibidem enumerata mitti Spiritum Sanctum, quando dantur simul cum gratia sanctificante, vel novo ejus incremento, ut D. Thomas artic. 6 D Th hujus quæstionis in solutione ad 2 et art. 3 in solutione ad 4 explicat. Unde, quia Apostolis datæ sunt potestas, et virtutes, de quibus in hoc argumento fit mentio : idcirco dicitur, tunc Spiritum Sanctum ad eosdem mitti, eisque donari. Unde Angeli- D Th cus Præceptor occurrens huic probationi 1 dist. 14 q. 2 art. 2 ad 4 sic inquit : *Dicendum, quod quamvis operatio virtutum non sit donum gratum faciens : tamen cum dono gratum faciente conferri potest. Et quia Apostoli hoc donum non sine gratia gratum faciente acceperunt : ideo dicuntur temporaliter*

liter accepisse Spiritum Sanctum in collatione hujus doni.

2. cundum. Secundo probatur eadem sententia. Quoniam omne donum, quod creaturæ confertur, ex liberalitate divinæ voluntatis procedit : sed ratio conferendi per liberalitatem est amor, et est primum donum, quod liberaliter donatur : ergo secundum quælibet dona creaturæ collata Spiritus Sanctus mittetur, et dabitur.

ssolvitur. Thom. Respondetur ex D. Thoma loco nuper citato in solutione ad 1 ubi sic inquit : *Dicendum, quod quamvis in collatione donorum naturalium, vel gratis datorum attendatur magna liberalitas : tamen perfectio liberalitatis attenditur in his, quæ ultimæ perfectioni conjungunt, et ista sunt, quæ immediate ordinant nos in finem. Et ideo secundum ista dona præcipue Spiritus Sancti processio attenditur.* Addidit autem Angelicus Præceptor particulam illam *præcipue* : quia (ut jam innuimus, et statim explicabimus) in donis supernaturalibus, licet non collatis una cum gratia sanctificante, mittitur, et datur secundum quid Spiritus Sanctus.

3. tium. Tertio probatur eadem sententia. Quoniam in collatione cujuslibet doni, creatura secundum aliquem respectum se habet ad Deum, secundum quem prius non se habebat : assimilatur enim illi secundum participationem illius perfectionis, quam de novo recipit : ergo Deus, et divinæ personæ sunt novo modo in prædicta creatura ratione novi effectus : ergo ratione illius mittentur, et venient prædictæ personæ ad talem creaturam : siquidem missio personarum tantum requirit ex parte effectus ex vi missionis illati, quod detur in creatura novus effectus, ratione cujus novo modo personæ divinæ sint in illa.

ifirtur no. Confirmatur primo. Quoniam Filius non tantum procedit ut verbum manifestans Patrem per modum cognitionis, sed etiam ut repræsentans illum secundum similitudinem naturæ : sed omnes creaturæ, etiam insensibiles, habent similitudinem generationis Filii in quantum procedunt in aliqua similitudine divinæ naturæ secundum attributa participata, sicut rationalis creatura participando sapientiam habet similitudinem ipsius, in quantum procedit ut verbum : ergo cum ratione istius assimilationis dicatur Filius mitti ad rationales creaturas, in quantum est verbum, eadem ratione debet mitti ad irrationales, in quantum est Filius : ac proinde ad prædictam missionem non desiderabitur gratia gratum faciens : siquidem creaturæ irrationales incapaces istius, sunt capaces illius.

Confirmatur secundo. Quoniam dum nobis conferuntur aliqua dona supernaturalia, qualia sunt illustrationes, et inspirationes ordinis divini, tunc Deus est in nobis novo, et speciali modo, ac superexcedenti omnem modum, quo est in creaturis irrationalibus, necnon et quemvis alium modum quo est in creaturis rationalibus secundum dona naturalia : ergo ratione prædictarum illustrationum, et inspirationum dicentur mitti ad nos personæ divinæ, nempe verbum, et Spiritus sanctus : maxime quando per dona ista prorumpimus in aliquem actum cognitionis, et amoris supernaturalis, licet non ita perfecti, ut habeat necessario adjunctam gratiam sanctificantem. Confirmatur secundo.

Respondetur ex D. Thoma loco citato ex 1 Sententiarum in solut. ad 2 ubi sic habet : *Dicendum, quod in processione Spiritus, secundum quod hic loquimur, prout scilicet claudit in se dationem Spiritus sancti, non sufficit, quod sit nova relatio, qualiscumque est creaturæ ad Deum, sed oportet, quod referatur in ipsum, sicut ad habitum : quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab illo. Persona autem divina non potest haberi a nobis, nisi vel ad fructum perfectum, et sic habetur per donum gloriæ, aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum gratiæ gratum facientis : vel potius sicut id, per quod fruibili conjungimur, in quantum ipsæ personæ divinæ quadam sui sigillatione in animabus nostris relinquunt quædam dona, quibus formaliter fruimur, scilicet amore, et sapientia : propter quod Spiritus sanctus dicitur esse pignus hæreditatis nostræ.* 74. Occurritur argumento. D.Thom.

Ad primam confirmationem respondetur ex D. Thoma in 1 dist. 15 q. art. 1 ad 3 ubi sic ait : *Dicendum, quod missio pertinet ad reditum creaturæ in finem : et ideo non potest esse missio, nisi secundum illa, quæ possunt dicere relationem in finem : sed generatio Filii, in quantum Filius est, dicitur tantum secundum exitum a principio : et ideo secundum rationem illam non pertinet ad missionem, sed magis ad creationem, secundum quod res reducuntur in esse : prout dicitur, quod per Filium omnia facta sunt. Sed ratio verbi, et amoris possunt se habere ad utrumque : et ideo ratio verbi, et amoris pertinet ad creationem, et ad missionem.* Ad primam confirm. D.Thom.

Ad secundam confirmationem respon- 75.

Ad secundam. detur, hoc esse peculiare in donis supernaturalibus, qualia sunt prædictæ inspirationes, et illuminationes, quod secundum illa secundum quid, et cum addito datur Spiritus sanctus ; quamvis non dentur simul cum gratia sanctificante. Nam sicut per gratiam sanctificantem absolute, et simpliciter mittitur, et datur Spiritus sanctus : ita per illa dona, quæ sunt ejusdem ordinis cum prædicta gratia, quæque sunt initia, vel dispositiones illius, secundum quid, et cum addito, datur etiam idem Spiritus sanctus : quatenus per hoc solum significatur, quod datur aliquod initium, sive dispositio ejusdem ordinis, licet remota, et non sufficiens ad habendum Spiritum sanctum, et ad missionem illius : ut per hoc etiam denotetur discrimen, quod intercedit inter dona naturalia ex una parte, et dona ista supernaturalia ex altera : quia cum illa sint ordinis inferioris, nec sint adhuc initium justificationis : idcirco secundum ea non dicitur mitti Spiritus sanctus, adhuc secundum quid, et in eo sensu, in quo id dicitur, quando prædicta dona supernaturalia communicantur.

DUBIUM V.

Utrum in invisibili missione, ea sola ratione dicantur mitti divinæ personæ, quia dona gratiæ sanctificantis ab eis procedentia donentur?

76. Quamvis ex dictis deduci posset, quid in hoc dubio dicendum sit : nihilominus, ut magis explicemus vim rationum D. Thomæ partem negantem suadentium, et modum peculiarem, quo Deus dicitur esse in justis, idcirco sigillatim dubium hoc

Magister. excitare placuit. Maxime, quia (ut Magister Sententiarum in 1 dist. 14 refert) sunt aliqui asserentes, ipsum Spiritum sanctum Deum non dari, sed dona ejus, quæ non sunt ipse. Et ita Spiritum sanctum dici dari, cum gratia ejus, quæ tamen non est ipse, datur homini. Unde ut aliquibus objectionibus pro istorum sententia adducendis melius satisfiat, debuit etiam ex hoc capite præsens dubium moveri.

§ I.

Ex mente D. Thomæ et Patrum dubii difficultas expeditur.

77. Dicendum ergo est, in invisibili missione divinarum personarum, non solum donari dona gratiæ sanctificantis, sed etiam simul donari, et mitti ipsas personas Spiritus sancti, et Verbi : ita ut prædictæ personæ per intimam, veram, substantialem, et realem præsentiam earum, ac novo et speciali modo incipiant inhabitare animam ejus, ad quem mittuntur : atque adeo si per impossibile prædictæ personæ non essent per essentiam, præsentiam, et potentiam in omnibus rebus : nihilominus in anima justi, ad quem mittuntur, essent secundum suam substantiam, et personas substantialiter, et personaliter præsentes et secundum suam substantiam, et easdem personas illam inhabitarent. Conclusio.

Potest autem assertio hæc explicari exemplo missionis Verbi in carne. Nam sicut adhuc dato per impossibile, quod Verbum non esset per immensitatem præsens humanitati Christi Domini : nihilominus eo ipso, quod illi hypostatice uniatur, oportet ex vi unionis, et ad illam terminandam fieri intime præsens eidem. Et ideo ratione hujus unionis dicitur nunc esse in illa humanitate realiter, et intime speciali modo, et distincto ab eo, quo est in aliis rebus, et in justis, quibus licet secundum suam substantiam, et personam sit intime, et personaliter præsens ; non tamen trahendo eorum naturas ad esse personale ejusdem Verbi. Ita, etc. Explicatur.

Assertio ista satis colligitur ex testimoniis dubio præcedenti relatis, et præcipue ex illo ad Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ubi distinguendo expresse inter dona gratiæ, et charitatis creata, et inter Spiriritum Sanctum, dicitur utrumque donari nobis. Et ideo Angelicus Præceptor in 1 dist. 14 q. 2 art. 1 ex hoc testimonio infert, tam charitatem ac proinde gratiam, quam ipsum Spiritum sanctum nobis donari. Et similiter ex illo 1 Corinth. 6 supra relato, ubi dicitur : *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo.* In quibus verbis sermo est de ipsa persona Spiritus sancti : et constat facile ex eo, quod templum Deo dicatur, non vero donis creatis : et ita ipse est, qui habitat speciali modo per suam substantialem, intimam, et realem præsentiam in animabus justorum primario, et secundario in membris eorum. Unde Angelicus Præceptor explicans hæc verba Pauli ibidem lectione 3 sic inquit : *Dicitur autem templum domus* 78. Probatur ex Script. Rom. Angel. Præcept. D. Thom.

domus Dei. Quia igitur Spiritus sanctus Deus est, conveniens est, quod in quocumque est Spiritus sanctus, templum Dei dicatur. Est autem Spiritus sanctus, principaliter quidem in cordibus hominum, in quibus charitas Dei diffunditur per Spiritum sanctum, ut dicitur Romanorum 5 : *sed secundarie etiam in membris corporalibus, in quantum exequuntur opera charitatis.*

Joan. 2. Idem etiam colligitur ex illo 1 Joannis 2 : *Unctio ejus docet vos de omnibus :* nomine autem unctionis intelligitur charitas, ut Thom. exponit D. Thomas Opusculo 4 § *Sicut ergo.* Et ideo reddens rationem, cur unctio Dei doceret de omnibus, sic inquit : *Et hoc ideo est, quia ubi charitas, ibi Spiritus sanctus, qui novit omnia, qui deducit nos in viam rectam, sicut dicitur in Psalmo* 138. Ac tandem prædicta assertio deducitur ex aliis Scripturæ locis, quæ brevitatis causa omittuntur.

79. Suadetur ex atrib. August. Unde eamdem assertionem tuentur Augustinus lib. 15 de Trinitate c. 26 his verbis : *Eumdem Spiritum sanctum datum cum insufflasset Jesus, de quo mox ait : Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, ubi maxime commendatur hæc Trinitas, non debemus ambigere. Ipse ergo est, qui etiam de cœlo datus est die Pentecostes. Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum : imo quantus Deus est, qui dat Deum?* In quibus verbis aperte dicit, Spiritum sanctum, ipsum scilicet Deum, et non solum ejus dona, donari hominibus a Patre et Filio. Quod etiam docuit idem sanctus Doctor sermone 43 de Verbis Domini, ubi sic inquit : *Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum sanctum, qui tale dat donum, qualis est ipse. Magna est misericordia Dei. Donum dat æquale sibi : quia donum ejus Spiritus sanctus est.*

Thom. D. Thomas in præsenti art. 3 ubi postquam dixit, quod secundum solam gratiam gratum facientem mittitur temporaliter persona divina, statim sic addidit : *Sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus sanctus habetur, et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur, et mittitur.* Et id solutione ad 1 sic inquit : *Dicendum, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis, ad hoc quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur. Et ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiæ gratum facientis; et tamen ipsa persona divina datur.* Quod etiam docuit idem S. Doctor in 1 dist. 14 quæst. 2 art. 1 his verbis : *Respondeo dicendum, quod ipsemet Spiritus sanctus procedit temporali processione, vel datur ; non solum dona ejus.* Idem etiam habet in 1 ad Annibaldum in eadem dist. quæst. unica art. 3 et Opusculo 4 § *Ex jam dictis,* his verbis : *Considerandum etiam , quod licet omnia dona sint a Patre luminum, istud tamen donum, scilicet charitatis, omnia alia dona superexcellit. Omnia enim alia sine charitate, et Spiritu sancto habentur : cum charitate vero necessario Spiritus sanctus habetur. Apostolus Romanorum 5 : Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto cap. 4 dicens : *Licet multi dicantur spiritus, quia legitur : Qui facit Angelos suos spiritus ; unus tamen Dei est spiritus. Ipsum ergo unum spiritum et Apostoli, et Prophetæ sunt consecuti, sicut etiam vas electionis dicit : Quia unum spiritum potavimus, quasi eum, qui non queat scindi, sed infundatur animis, et sensibus illabatur, ut sæcularis sitis restinguat ardorem. Non ergo sanctus Spiritus de substantia corporalium, etc. Sed nec de substantia invisibilium creaturarum est.* In quibus verbis aperte docet, Spiritum sanctum ipsum, qui creatura non est, mentibus nostris infundi. 80. Ambros.

Idem etiam colligitur ex Bernardo de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei, ex Alberto Magno de Adhærendo Deo cap. 12, ex Dionysio Carthusiano de Vita solitaria lib. 2 cap. 10, ex Bonaventura in 1 dist. 14 art. 2 quæst. 1. Et tandem sanctissima Mater nostra Teresia experientia edocta, novis monimentis suis hoc reliquit in libro Mansionum cap. 1 Mansionis septimæ, ubi loquens de anima charitate fervente, et a Deo peculiariter illuminata, sic inquit : *Omnes tres personæ hic se illi familiares reddunt, cum ipsa communicant, ei loquuntur, hæcque verba, quæ Dominum dixisse Evangelium testatur, se scilicet, ac Patrem, ac Spiritum sanctum ad animam, quæ ipsum diligeret, ac mandata ejus servaret, venturum, et apud ipsam mansionem facturum, eam reipsa intelligere faciunt, etc. Quotidie autem magis et magis anima hæc obstupescit, quod sanctas hasce personas nunquam exinde a se abesse aut recedere sibi persuadeat, sed evidentissime videat, eo modo quo dictum est, in intimo animæ suæ penetrali, in recessu quodam admodum profundo quod quomodo sit, ex-* Bernard. Albert. Dion. Cart. Bonavent. Sanctissima Mater N. Teresia.

plicare nequit, eo quod scientiam ac doctrinam non habet) divinum hoc contubernium sibi adesse, ipsumque in se sentiat. Et tandem hoc ipsum tenent omnes Theologi, quos dubio præcedenti pro assertione retulimus, et præter illos Cornelius a Lapide in Commentariis super caput 1 Oseæ, versiculo 12, et noster Nicolaus a Jesu Maria in libro Phrasium Mysticæ Theologiæ Venerabilis Patris Nostri Joannis a Cruce part. 2 cap. 16.

Cornel. a Lapide.

N. Nicolaus a Jesu Maria.

§ II.

Ratio duplex pro assertione ex D. Thoma accepta.

81. Prior ratio. D.Thom. Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis tacta est dubio præcedenti, desumiturque ex Angelico Doctore in hac quæst. art. 3, potestque ad hanc formam reduci. Nam missio divinæ personæ dicit processionem æternam illius cum respectu ad eum, cui fit missio, ex eo quod prædicta persona novo modo in illo sit, ipseque novo modo eam habeat : sed hoc convenit ipsi divinæ personæ missæ secundum se, et non solum ejus donis : ergo ipsa secundum se est, quæ mittitur, et donatur, et non solum illius dona.

Minor probatur. Nam ipsa persona divina habet, quod procedat æternaliter, ut ex se patet; et insuper respectum illum ad creaturam : ex eo quod creatura de novo incipit referri ad eam, adhuc secundum se sumptam, ratione novi doni in eadem creatura causati : quia prædicta creatura ratione donorum habet eamdem personam, et dona ejus : illam quidem, ut id, quo frui potest, ut dubio præcedenti diximus ; ista vero, ut quibus utitur, non vero quibus frui possit. Et ita talis creatura nova hac relatione refertur ad dona Spiritus sancti, et ad Spiritum sanctum, et hac eadem relatione ipse refertur ad eamdem creaturam, ut habitus ab ea, unitusque illi.

Illustratur ex D. Th. Quam rationem (satis tamen eleganter) adduxit idem Angelicus Præceptor in 1 dist. 14 quæst. 2 art. 1 his verbis : *Si enim consideremus processionem Spiritus sancti ex parte ejus, a quo procedit, non est dubium, quin secundum illum respectum ipsemet Spiritus sanctus procedat. Si autem consideremus processionem secundum respectum ad id, in quo procedit, tunc (sicut dictum est) respectus iste in Spiritu sancto ponitur : non quia ipse realiter referatur, sed quia alterum referat ad ipsum. Cum igitur in acceptione donorum ipsius, non solum relatio nostra terminetur ad dona, ut ipsa tantum habeamus, sed etiam ad Spiritum sanctum, quia aliter ipsum habemus, quam prius, non tantum dicentur dona ipsius procedere in nos, sed etiam ipsemet : secundum hoc enim ipse dicitur referri ad nos, secundum quod nos referimur in ipsum. Et ideo procedit ipse in nos, et dona ipsius, quia et dona ejus recipimus, et per eadem ad ipsum nos aliter habemus : in quantum per dona ejus ipsi Spiritui sancto conjungimur, per donum nos sibi assimilans.*

Quæ ratio suppositis illis, quæ dubio præcedenti diximus) sufficienter suadet intentum. Nec necesse erit immorari in referenda, et solvenda objectione quadam, quæ contra eam fieri poterat, nempe, quod creatura rationalis per receptionem cujuslibet effectus a Deo novo modo se habet, non solum ad illum effectum, sed etiam ad Deum : ac proinde novo etiam modo refertur ad ipsum : ergo per receptionem cujuscumque doni erit in ea Deus speciali modo. Non igitur necesse erit in hac objectione solvenda immorari siquidem ex dictis constat, non quemcumque novum modum se habendi creaturam ad Deum, aut quamcumque novam relationem ad ipsum sufficere ad hoc ut Deus novo et speciali modo sit in illa creatura ; sed solum illum novum effectum, illamque relationem, qua Deus respicitur, ut vere ac proprie habitus a creatura rationali. Cæterum hoc non nisi media gratia sanctificante fit, ut dubio præcedenti diximus. 82. Ex dict enodat objecti quædam

Confirmatur. Quoniam Spiritus sanctus est ex vi suæ proprietatis personalis donum, sicut et amor : at non est donum respectu divinarum personarum ad intra, ut constat ex illis, quæ q. 38 ex D. Thoma diximus, sed solum respectu aliarum rerum ad extra, qualis est creatura rationalis : ergo non solum creata dona gratiæ, sed etiam ipse cum eis donatur, ac proinde habetur. Quam rationem adduxit D. Thomas in 1 dist. 14 quæst. 2 art. 1 in argumento *Sed contra*, secundo in ordine, his verbis : *Amor habet rationem primi doni quia in ipso omnia ex liberalitate conferuntur. Cum igitur Spiritus sanctus sit amor, videtur, quod habeat rationem doni : sed non, nisi quia datur : ergo videtur, quod ipse Spiritus sanctus detur.* Diluci-datur. D.Th.

83. Secunda ratio pro assertione, per quam præcedens

Secunda ratio D. Thom. præcedens elucidatur, et explicatur, adducta est a D. Thoma in eodem art. 4 hujus quæstionis quæ potest ad hanc formam redigi. Quoniam personæ divinæ eatenus dicuntur mitti ad creaturam rationalem quatenus unaquæque earum procedit æternaliter a suo principio, et media gratia sanctificante est in illa, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante : ergo prædictæ personæ non dicentur præcise donari, et mitti, quia donetur gratia sanctificans, et ejus dona; sed etiam quia mittantur, et donentur ipsæ personæ divinæ, una cum prædictis donis. Patet consequentia. Quia dona ista non sunt id, quod directe, et *ut quod* habet esse in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante; sed ipsæ personæ divinæ mediis illis hoc habent : atque adeo ipsæ erunt, quæ una cum prædictis donis mittuntur et donantur.

Enucleatur triplici via ratio D. Th. Et licet ratio ista aliquibus videatur insufficiens ad probandum intentum assertionis, nempe, quod personæ divinæ non solum præsentia objectiva, et affectiva, sed etiam secundum substantialem, et personalem præsentiam fiunt intime præsentes creaturæ rationali, ad quam mittuntur : quia existimant, ex modo, quo cognitum est in cognoscente, et amatum in amante, non colligi nisi præsentiam objectivam, et affectivam, idest, quod amans habeat affectum, et inclinationem in amatum : nihilominus prædicta ratio recte expensa, utrumque quoad præsens suadet.

84. Prima via. Hoc autem potest triplici via probari. Prima quidem. Quoniam media gratia sanctificante, et ejus donis personæ divinæ non sunt utcumque in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, sed tanquam cognitum in cognoscente ea cognitione, quæ sit sufficiens ad perfectissimum amorem amicitiæ secundum speciem, et tanquam amatum in amante per prædictum amorem : ergo non solum erunt ibidem per solam præsentiam objectivam, et affectivam excludentem veram, realem, ac personalem præsentiam, sed simul per hanc posteriorem præsentiam. Patet consequentia. Quia proprium est amoris amicitiæ perfectissimæ, quod ex se exigat unionem inter amicos, non solum secundum affectum, sive per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam, et conjunctionem personalem, quoad fieri possit : atque adeo amicitia perfectissima, et maxime spiritualis, ac divina, qualis est illa, quæ fit per gratiam, et charitatem, suo jure ac debito petit intimam Dei præsentiam in homine, quem sibi amicum constituit, ita ut per realem, et personalem præsentiam sit intra ipsum ex vi talis amicitiæ : et per consequens, licet alio titulo non esset ibidem realiter præsens, nihilominus hic esset sufficiens ad prædictam præsentiam.

Roboratur ex Patrib. Dionysius. Unde Dionysius, c. 4 de divinis nominibus distinguens duplicem unionem amoris, inquit, unam esse secundum rem et alteram secundum affectum. Si igitur hæc duplex unio potest esse intra amoris sphæram, oportet, ut reperiatur in amicitia Dei per charitatem, et gratiam, quæ est perfectissima : ac proinde etiam secundum rem unietur Deus homini justo ex hoc speciali titulo, quod est in gratia, et amicitia ipsius.

August. Et similiter August. lib. 8 de Trin. c. 10 diffiniens amorem, sic inquit : *Amor est quasi junctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur.* Et D. Thom. 1, 2 q. 28 art. 2 in corpore explicans hæc Augustini verba, sic ait : *Quod enim dicit copulans, refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor : quod vero dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem.* D.Thom.

Et deinde idem D. Thomas in eodem articulo in solutione ad 2, postquam explicuit duo genera unionum, quæ in amore interveniunt, nempe illam, quæ est causa amoris, et unionem affectivam, statim explicat tertium unionis genus, quod est effectus hujus secundæ unionis, quoad fieri potest, et ita ait : *Quædam vero unio est effectus amoris : et hæc est unio realis, quam amans quærit de re amata. Et hæc quidem unio est secundum convenientiam amoris. Ut enim Philosophus dicit 2 Polit. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum. Sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, et decet, ut scilicet simul conversentur, et simul colloquantur, et in aliis hujusmodi conjungantur.* 85.

Quare, cum amor charitatis, qui est perfectissima unio secundum affectum, sit effectus perfectissimæ, et efficacissimæ voluntatis, nempe divinæ, infundentis gratiam, et charitatem, oportebit ut quoad fieri possit, et decet, habeat etiam pro ef-

fectu hanc ultimam unionem, nempe realem, inter creaturam amantem, et Deum ut amatum : ita ut ipse Deus, divinæque personæ missæ habeant secundum suam substantiam esse realiter præsentes creaturæ sic amanti : ac proinde prædicta creatura, quatenus sic amans, exiget connaturali jure et debito hanc intimam et realem præsentiam , et voluntas Dei , qua sicut efficaciter vult hanc perfectam amicitiam, sic etiam velit prædictam præsentiam.

86. D.Thom. Et similiter idem Angelicus Præceptor art. 2 ejusdem quæstionis, cum objecisset sibi, inhæsionem non esse effectum amoris : quia nihil potest penetrare interiora alicujus integri, nisi per aliquam divisionem, quæ tamen contraria est amori intendenti unitatem : respondet, hanc divisionem spiritualiter sic fieri, ut ratione disquirente, affectus amoris subintret in amatum. Et licet hanc subintrationem in prædicto art. 2 affectui amoris tribuat : attamen art. 5 non solum affectum amati, sed amatum ipsum, asserit quantum est ex vi amoris, subintrare. Et ita inter effectus amoris ponit ibi primo liquefactionem congelationi oppositam, dicitque, eam importare quamdam mollificationem cordis, qua cor ipsum exhibet se habile, ut amatum in ipsum subintret. Si igitur amor non tantum subintrationem affectus, sed subintrationem ipsius amati jure postulat, oportet, ut hæc perfectissima spiritualis, et divina amicitia Dei non tantum subintrationem affectus, quæ ratione disquirente fit, sed subintrationem ipsiusmet amati Dei adducat, et postulet. Et ita Angelicus Præceptor optime intulit, ex eo quod Deus est in creatura rationali mediante gratia, et charitate, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante per prædictum amorem perfectissimæ amicitiæ, quod non solum debent esse in illa prædicta dona creata, quibus reddimur amici Dei, sed etiam ipsum Deum, ipsasque personas missas debere esse realiter, ac personaliter præsentes prædictæ creaturæ.

87. Secunda via. Secunda via, per quam præcedens confirmatur, et explicatur, est. Quod Deus, quando est in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoscente per supremum actum, sive virtutem cognoscitivam supremam, qualis est visio beatifica, vel intellectus perfusus lumine gloriæ radicato in gratia sanctificante, tunc non solum est in ea per præsentiam objectivam, sed etiam per præsentiam realem substantialem jam dictam : atque adeo per se ipsum, et secundum suam substantiam debet esse unitus cum intellectu prædictæ creaturæ in ratione objecti intelligibilis, et intellecti, ut in 1 tomo tract. 2 disp. 2 late diximus. Ergo eadem ratione cum Deus, una cum divinis personis, est in eadem creatura rationali, tanquam amatum in amante per perfectissimum amorem secundum speciem, sive per perfectissimam vim ad amandum ipsum, debebit realiter, et substantialiter esse præsens eidem, et unitus ipsi, tanquam objectum amatum amori, sive virtuti perfectissimæ ad amandum.

Patet consequentia. Quoniam hoc videtur exigere summa proportio, quæ est inter intellectum, et voluntatem, et perfectissimos actus utriusque potentiæ circa Deum. Et ita si perfectissimus actus intellectus creati, quo Deus est in illo, tanquam cognitum in cognoscente, exigit, quod ipsemet Deus secundum suam substantiam sit unitus illi in ratione objecti cogniti, ac proinde quod Deus, et operatio illa sint unita secundum suam substantiam per modum operationis, et objective etiam, quando Deus est in eadem creatura rationali, ut amatum in amante per perfectissimum actum voluntatis, et amoris, debebit Deus secundum suam substantiam esse intime præsens prædicto actui, aut virtuti illi ad amandum per modum objecti dilecti, eruntque duo ista, nempe charitas, et Deus, secundum suam substantiam unita per modum virtutis amativæ, vel amoris, et objecti illius.

Confirmatur, et explicatur. Quoniam si actus cognitionis, quo Deus in via est in creatura rationali, tanquam cognitum in cognoscente, esset ejusdem speciei atomæ cum eo, quo in patria est in eadem creatura per modum cogniti in cognoscente, non esset dubium, quin hoc ipso, quod sic esset in via in creatura rationali, deberet esse ibidem, non solum secundum sua dona, et præsentiam pure objectivam, sed etiam secundum præsentiam realem substantialem, et sic unitus per modum operationis, et objecti illius : et charitas viæ, et charitas patriæ est ejusdem speciei atomæ, ut suo loco dicetur, ex eo quod utrobique tendit in Deum, ut est summum bonum, et summe dilectum, prout est in se ipso : ergo sicut in patria, ex eo quod Deus sit in creatura rationali, tanquam amatum 88. Confirm. et illustrat. 1.

amatum in amante, per gratiam, et charitatem, colligimus, illum non esse ibidem præcise per præsentiam (ut sic dicamus) pure affectivam, seu præcise per inclinationem charitatis in ipsum, sed etiam, quod est ibi per realem substantialem præsentiam, et unitus modo dicto cum charitate per modum objecti cum operatione, vel cum virtute dilectiva ipsius, prout est in se : ita etiam hoc ipsum colligemus, quoties Deus in via fuerit in creatura rationali, tanquam amatum in amante per prædictum amorem, vel vim jam dictam ad amandum ipsum.

89. Confirmatur secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam si per divinam potentiam daretur in patria gratia consummata, sine lumine gloriæ, et visione beatifica, tunc Deus secundum suam substantiam esset illi præsens, per modum objecti radicaliter visibilis, et diligibilis : sed gratia patriæ, et gratia viæ sunt ejusdem speciei atomæ, et solum differunt modaliter : ergo in via, ubi deest illi virtus proxima ad videndum Deum, prout est in se ipso, erit Deus præsens realiter, et secundum suam substantiam ipsi ; non quidem per modum speciei intelligibilis, quia hoc correspondet gratiæ, ut habenti vim proximam ad videndum Deum : nec per modum objecti actu visi, quoniam isto modo unitur cum intellectu, ut habente prædictam proximam virtutem, et actu vidente Deum ; sed per modum objecti radicaliter visibilis (idest, per suam substantiam realiter, et substantialiter illi præsentem) terminantis prædictam habitudinem radicalem gratiæ. E contra vero in eadem via, ubi est simul gratia, virtus charitatis, et amor ejusdem charitatis, erit Deus intime, realiter, et substantialiter præsens eidem creaturæ rationali per modum objecti, tam radicaliter, quam proxime diligibilis, necnon et actu dilecti. Patet consequentia. Quia alioqui gratia, et charitas viæ, ac patriæ non essent solum modaliter, sed etiam specifice, et secundum substantiam diversæ : siquidem peterent visiones sui objecti secundum speciem, et non solum quoad modum distinctas.

D. Thom. Unde D. Thomas in 1 ad Annibaldum dist. 14 quæst. unica art. 3, ex eo quod creatura rationalis unitur Deo per cognitionem, et amorem, non solum colligit, illam esse unitam donis divinis tantummodo, atque adeo secundum præsentiam objectivam, et affectivam, quæ formaliter, et præcise fit per prædicta dona ; sed hinc colligit, esse etiam unitam ipsi Deo : ac proinde ex vi hujus esse ibidem Deum realiter substantialiter intimeque præsentem : et ita ait : *Dicendum, quod ad hoc aliquid datur, ut habetur. Habetur autem aliquid per aliquem modum unionis, sicut habetur vestimentum, vel albedo. Homo autem, quando justificatur, non solum unitur dono Dei, quod formaliter in anima recipitur, sed ipsi Deo per cognitionem, et amorem actualiter : quia qui adhæret Deo, unus spiritus est* 1 *Corinthiorum* 6 : *Ille ergo, qui justificatur, non solum habet donum Spiritus Sancti, sed ipsum Spiritum Sanctum : et sic non solum donum Spiritus Sancti datur, sed ipse Spiritus Sanctus.*

Tertia tandem via, qua vis rationis D. Thomæ ad suadendam hanc præsentiam realem, et substantialem Dei, et divinarum personarum, cum dantur dona gratiæ, est. Quod dum Deus est in creatura rationali, ut amatum in amante per hunc amorem charitatis, tunc prædicta creatura quiescit, secus vero, quando cætera alia diligit, et ista sunt in ea per modum amati in amante : ergo signum est, ex una parte non haberi ista realiter, et secundum suam substantiam : vel si habentur, non esse in eis vim ad hoc, ut eis habitis creatura rationalis quiescat in illis : ex alia vero parte Deum sic dilectum esse in creatura rationali per intimam, realem, ac substantialem præsentiam, hoc ipso quod ab ea sic diligatur. Antecedens videtur perspicuum. Et quoad secundam partem experientia constat mundanis : quoad primam vero viris sanctis. Consequentia vero quoad primam partem liquet : ex eo quod res creatæ, dum non habentur, concupiscuntur a mundanis : et ita in eis nondum habitis, sed concupitis, et quæsitis, non potest eorum animus quiescere. Cum vero prædictæ res habentur, sui fastidium causant, juxta illud Gregorii Papæ homil. 36 in Evangel. ubi sic ait : *Hoc distare, fratres charissimi, inter delicias corporis, et cordis solet : quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt.* — 90. Tertia via. — Gregorius.

91. Quoad secundam vero partem eadem consequentia probatur. Quoniam cum Deus sit summum bonum, quod ex se quietat appetitum, signum est, quod hoc ipso, quod dum est in creatura rationali tan-

quam amatum in amante, quiescat in illo appetitus prædictæ creaturæ, jam habetur ab ea secundum veram, et realem, ac substantialem præsentiam; licet non sit ibidem secundum omnem, eumque perfectissimum modum per hanc præsentiam, secundum quem potest esse in prædicta creatura, nempe, secundum modum, quo ipsemet clare visus est in illa per modum cogniti in cognoscente, ut jam diximus, sed mediante gratia, et charitate, et modo essendi Dei jam dicto in anima habeat prædicta creatura pignus istius præsentiæ excellentioris, ratione cujus habet quiescere quiete huic pignori proportionata.

Elucidatur ex D. Thoma. Quam rationem insinuat D. Thomas Opusculo 4 § *Sic ergo*, his verbis : *Nullus enim vere gaudium habet, nisi existens in charitate. Quicumque enim aliquid desiderat, non gaudet, nec lætatur nec quietatur, donec illud adipiscatur. Et accidit in rebus temporalibus, quod non habitum appetatur, et habitum despicitur, tædium generat. Sed non sic est in spiritualibus : imo qui Deum diligit, habet ipsum : et ideo animus diligentis, et desiderantis quietatur in eo. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, ut dicitur* 1 *Joannis* 4. *Item, efficit pacem perfectam. Accidit enim in rebus temporalibus, quod frequenter desiderantur, sed ipsis habitis, adhuc animus desiderantis non quiescit, imo uno habito, aliud appetit. Isai.* 57 : *Cor autem impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Item ibidem : Non est pax impiis, dicit Dominus. Sed non sic accidit in charitate circa Deum. Qui enim Deum diligit pacem perfectam habet, Psal.* 118 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Et hoc ideo est : quia solus Deus sufficit ad implendum desiderium nostrum : Deus enim major est corde nostro, sicut dicit Apostolus. Et ideo dicit Augustinus in* 1 *Confessionum : Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

§ III.

Objectiones contra dicta in utraque ratione D. Thomæ, et enodationes earum.

92. Prima objectio. Nec obest, si contra id, quod diximus, nempe, amorem amicitiæ perfectissimæ inter Deum, et creaturam rationalem exigere unionem non solum secundum conformitatem affectuum, sed etiam intimam, realem, et substantialem præsentiam Dei, qua sic præsens sit in ratione objecti amati, seu terminantis prædictum amorem, objicias primo, quod non minori, nec minus perfecta amicitia amatur proximus ex charitate, quam Deus : siquidem eodem prorsus charitatis habitu uterque diligitur : sed ad amorem amicitiæ respectu proximi non requiritur hæc intima, realis, et substantialis præsentia : ergo nec ratio perfectissimæ amicitiæ versantis inter Deum, et creaturam rationalem exiget hanc unionem inter Deum dilectum, et creaturam diligentem illum.

Enodatio ejus. Respondetur enim, concedendo majorem, et similiter minorem intellectam de unione, et præsentia reali, et substantiali amantis, et amati, necessarioque ad prædictum amorem requisita, ut in eodem amore amicitiæ respectu Dei cernitur : attamen neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est. Quod Deus diligitur per charitatem amore amicitiæ, tanquam objectum per se primo dilectum; proximus vero nonnisi tanquam objectum amatum secundario, et ratione Dei, ut objecti primarii. Amicitia autem perfectissima charitatis non exigit necessario (de qua exigentia in præsenti loquimur) conjunctionem affectivam, et simul realem, ac substantialem præsentiam nisi cum objecto primario dilecto; non vero cum objecto secundario amato, et ratione primarii. Cæterum cum hoc stat, ut amor amicitiæ respectu proximi petat, ut aliquando detur sua proportionata conjunctio, et præsentia realis amati ad amantem, et e contra, quoad fieri possit, et decuerit; licet amatum secundum suam substantiam non sit unitum in ratione objecti dilecti cum amante, ut in amore charitatis contingit.

93. Secunda. Neque etiam obest, si objicias secundo, non requiri ad naturalem sympathiam, et proportionem, quæ est inter intellectum, et voluntatem, quod sicut cognitum est in cognoscente per præsentiam intimam, realem, et substantialem, ita etiam ratione amoris correspondentis illi cognitioni amatum sit in amante per prædictam præsentiam : ergo non recte intulimus ex hoc, quod Deus sit in creatura rationali cognoscente ipsum per perfectissimum actum, tanquam cognitum in cognoscente secundum intimam, realem, et substantialem præsentiam, quod debeat esse eodem modo præsens, tanquam amatum in amante ipsum Deum secundum perfectissimum amorem.

amorem. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur in Angelo, qui respectu cognitionis sui est substantialiter præsens suo intellectui, et unitus sic in ratione objecti, ac proinde est per præsentiam substantialem in suo intellectu, tanquam cognitum in cognoscente : cum tamen ipse non sit in sua voluntate, tanquam amatum in amante per prædictam præsentiam.

[Co]nfirmatio. Confirmatur. Nam potius proportio, quæ est inter intellectum, et voluntatem, videbatur exigere, quod sicut Deus in via non est in creatura rationali, et in intellectu ejus, tanquam cognitum in cognoscente, nisi per præsentiam objectivam, non vero realem, et substantialem, quia cognitio viæ, est cognitio fidei, non exigentis Deum intime, et substantialiter peculiariter unitum : ita etiam non erit unitus cum creatura rationali, et voluntate ejus, nisi per unionem affectivam.

94. [S]atisfit [s]ecundæ. Respondetur enim, dilectionem, qua Angelus se ipsum diligit, etiam exigere se ipsum, ut præsentem sibi in ratione objecti diligibilis, licet non in ratione objecti dilecti. Sicut etiam intellectio, qua Angelus se intelligit per suam substantiam, prærequirit unionem substantialem secum in ratione objecti motivi, sive intelligibilis ; non vero in ratione objecti intellecti : ex eo quod ad prædictam unionem requiritur summa et infinita actualitas in objecto, quod simul per se, et secundum suam substantiam unitur per modum objecti intelligibilis, et actu intellecti, ut in 1 tomo tract. 2 disput. 2 num. 224 explicuimus. Quomodo autem, et qua ratione Angelus uniatur secundum suam substantiam secum, in ratione objecti præcise diligibilis, constat ex eo, quod cum sic uniri secum tantum est habere inclinationem in se ipsum, quia objectum diligibile est in diligente ratione inclinationis in ipsum : et quod illa inclinatio petat, esse ibidem Angelum realiter substantialiter præsentem. Constat autem Angelum habere inclinationem in se ipsum, tum ratione voluntatis suæ necessario potentis radicationem in propria substantia, tum ratione ejusdem substantiæ, ut est radicalis inclinatio in se ipsam : et quod utraque inclinatio petit, Angelum esse ibidem realiter substantialiter præsentem in ratione objecti : quia est inclinatio ad diligendum proprium *esse* Angelicum actu ab eo, et a sua voluntate possessum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo etsi personæ divinæ non mittantur ratione cognitionis fidei cum præcisione sumptæ ; sunt tamen radicatæ in gratia sanctificante, quæ est cognitio correspondens actui charitatis, secundum quam dicitur mitti Spiritus Sanctus, et speciali ratione esse in anima justi.

95. Tertia objectio. Nec etiam refert, si tertio objicias, modum peculiarem, quo Deus est in justis, communiter explicari per hoc quod sit in illis per modum protectoris, curam eorum gerentis : ergo non debet hic specialis modus explicari per hoc, quod sit in illis tanquam amatum in amante, ut nos exposuimus ; sed potius per hoc, quod sit in eisdem, tanquam protector, et amans in protecto, et amato.

Occurritur. Respondetur enim, concedendo antecedens, et negando consequentiam : quia utroque modo est Deus una cum divinis personis in justis ; licet hæc præsentia passive sumpta, idest, secundum quod Deus habetur a justis, debeat explicari per hoc, quod ipse sit in eisdem, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, ut dubio præcedenti num. 68 tetigimus.

96. Ratio autem, ob quam utroque modo explicari potest prædicta præsentia, est quia amor amicitiæ quo creatura rationalis diligit Deum, ac proinde et gratia sanctificans, oritur ex amore amicitiæ, quo Deus diligit eamdem creaturam : et ita gratia sanctificans, et ejus dona sunt effectus prædicti amoris, et Deus, ac personæ divinæ infundendo prædictam gratiam, et ejus dona, veniunt ad creaturam rationalem : ideoque idem est venire ad illam, ac esse ibidem diligendo eamdem : et per consequens ac esse in ea per modum amici protegentis, et curam gerentis de ipsa. Cæterum quia hoc ipso, quod Deus, et personæ divinæ sic se donent sicque veniant ad animam justi, nempe per modum amantis ad amatum habetur, et possidetur ab illo peculiari, et speciali modo proprio creaturæ rationalis, nimirum cognoscendo, et amando ipsum, sive actualiter, sive habitualiter, sive solum habitualiter per gratiam sanctificantem, et ejus dona habitualia : et hic modus importat, quod Deus sit in illa, ut cognitum in cognoscente, et amatum in amante : idcirco prædictus modus optime explicatur etiam per hoc, quod Deus sit in justis, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante.

§ IV.

Opposita sententia, ejus fundamenta, et responsiones ad illa.

97. Opposita sententia. Contrariam tamen sententiam, nempe, personas divinas ea sola ratione mitti, quia earum dona infunduntur; non vero quia ipsæmet divinæ personæ secundum suam substantiam donentur, fiantque intimæ realiter, et substantialiter præsentes ex hoc præciso capite, ei ad quem mittuntur, cuique donari dicuntur, tenuerunt aliqui, quos (ut diximus) refert Magister Sententiarum dist. 14. Et probatur primo ratione desumpta ex D. Thoma loco infra referendo, quam ipse contra se affert. Nam *Illud, quod secundum se est ubique, non videtur usquam secundum se procedere* (aut mitti denuo ad aliquem), *sed Spiritus Sanctus* (et idem est de alia persona divina) *cum sit Deus, est ubique, ergo non potest in quemquam procedere.*

Magister. Probatur primo ex D. Thom.

Nec refert, *si dicas, quod potest esse secundum aliquem modum in aliquo, secundum quem prius non erat.* Nam etiam hoc admisso, *adhuc habetur propositum. Quia secundum Dionysium, et Auth. lib. de causis, Deus eodem modo se habet ad omnia, quamvis non omnia eodem modo se habeant ad ipsum. Sed iste modus diversus in creaturis est ex diversis perfectionibus, quas ex Deo consequuntur. Ergo videtur, quod ex hoc, quod Spiritus Sanctus dicitur aliter esse in isto, quam prius non fuit, non propter aliud esse, nisi quia aliquem effectum consequitur iste, quem prius non consequebatur. Et sic tota datio, vel processio refertur ad dona, et non ad ipsum Spiritum Sanctum.*

98. Respondetur. Respondetur, admittendo solutionem nuper datam. Et ad impugnationem, non requiri ad hoc, ut Deus, et personæ divinæ sint novo modo in creatura rationali, quod ipsæ mutentur; sed satis erit mutari creaturam rationalem per dona gratiæ sanctificantis, eaque esse talis conditionis, ut jure suo connaturali exigant, quod Deus absque sui mutatione uniatur modo dicto prædictæ creaturæ: ita ut si per impossibile non esset ibidem per essentiam, præsentiam etc. nihilominus ex hoc solo titulo esset eidem realiter, et substantialiter præsens.

Elucidatur ex D. Thom. Potestque hoc ipsum explicari solutione qua D. Thomas in 1 dist. 14 q. 2 art. 1 occurrit tam huic argumento, quam impugnationi solutionis in eo adductæ. Nam ad argumentum occurrit in solutione ad 1 his verbis: *Dicendum, quod cum dicitur Deus esse ubique, importatur quædam relatio Dei ad creaturam, quæ quidem realiter non est in ipso, sed in creatura. Contingit autem ex parte creaturæ istas relationes multipliciter etiam diversificari, secundum diversos effectus, quibus Deo assimilatur. Et inde est, quod significatur ut aliter se habens ad creaturam, quam prius. Et propter hoc Spiritus Sanctus, qui ubique est secundum relationem creaturæ ad ipsum, potest dici de novo esse in aliquo, secundum novam relationem ipsius creaturæ ad ipsum.*

Ad impugnationem vero contra solutionem prædictam respondet in solutione ad 2 sequentibus verbis: *Dicendum, quod quamvis ille modus aliter se habendi, diversificetur ex diversis donis receptis in creatura: tamen relatio creaturæ non sistit in donis illis, sed ulterius tendit in eum, per quem illa dona donantur. Et ideo possumus significare, nos alio modo habere Spiritum Sanctum, et Spiritum Sanctum aliter a nobis haberi. Et hoc significatur, cum dicitur ipsemet in nos procedere, vel nobis dari.*

Secundo probatur eadem sententia. Quoniam gratia sanctificans, et ejus dona sunt quidem speciales effectus Dei: ergo dato, quod Deus, et personæ divinæ essent substantialiter præsentes in anima justi per prædicta dona: tamen haberetur, esse ibidem secundum communem, et substantialem præsentiam, qua est in omnibus rebus, non vero secundum specialem. 99. Secundum argumentum.

Respondetur, Deum, et personas divinas duplici titulo esse in justis media gratia sanctificante, et ejus donis, nempe, per immensitatem: quia prædicta dona sunt effectus Dei, sicut et alia dona: et deinde speciali alio titulo, nempe, quatenus dicti effectus habent peculiariter tribuere participium divinæ naturæ, et aliorum, quæ sunt in Deo, considerato prout est in se ipso: et ideo ratione eorum Deus peculiariter habetur, et possidetur: ac proinde oportet, ut speciali ratione Deus ipse, et divinæ personæ sint ibidem ita quidem, ut prædicta gratia, et ejus dona, quatenus se tenent ex parte Dei infundentis, habeant peculiariter requiri ad hoc, ut Deus, et prædictæ personæ veniant, et donent se active, aut quasi active per modum amici; ipsa vero gratia, et ejus dona, ut se tenent ex parte creaturæ rationalis, et terminantur Dissolvitur.

tur ad Deum, requirantur ad hoc, ut Deus habeatur et possideatur per modum objecti dilecti a prædicta creatura rationali.

100. Tertium. Tertio probatur prædicta sententia. Quia si in missione divinarum personarum non tantum infunderentur dona gratiæ, sed etiam ipsæ personæ secundum realem, et substantialem præsentiam, tunc esset aliquis ordo inter ista dona, et personas divinas sic ibidem existentes : at nequit esse iste ordo : quia personæ divinæ, v. g. Spiritus Sanctus, non potest infundi posterius ad eadem dona, quia ipse est primum donum, per quod cætera alia dona donantur : et ex alio capite neque prædictæ personæ possunt infundi perprius : quia in eo eventu dona prædicta essent dispositiones ad receptionem Spiritus Sancti : dispositio autem prior est eo, ad quod est dispositio.

Enodatur. D.Thom. Respondetur ex D. Thoma in 1 dist. q. et articulo citatis in solutione ad ultimum, ubi sic habet : *Dicendum, quod ordo aliquorum secundum naturam potest dupliciter considerari. Aut ex parte recipientis, vel materiæ : et sic dispositio est prior, quam id, ad quod disponit : et sic perprius recipimus dona Spiritus Sancti, quam ipsum spiritum, quia per ipsa dona recepta Spiritui Sancto assimilamur. Aut ex parte agentis, et finis : et sic quod propinquius erit fini, et agenti, dicitur esse prius : et ita perprius recipimus Spiritum Sanctum, quam dona ejus : quia et Filius per amorem suum illa nobis donavit : et hoc est simpliciter esse prius.*

Ultimo suadetur eadem sententia. Quoniam virtus infusa non est deficientior in operibus meritoriis, quam virtus acquisita in operibus politicis : sed virtus acquisita sufficienter dirigit hominem in omnibus civilibus : ergo infusa in omnibus meritoriis : non igitur oportet, quod cum virtute infusa ipse Spiritus Sanctus detur ; sed vel solus Spiritus Sanctus, vel sola virtus. 101. Ultimum fundamentum.

Respondetur cum D. Thoma loco nuper citato in solutione ad 4 ubi sic inquit : *Dicendum, quod virtus infusa est multo sufficientior, quam virtus acquisita et ex ratione suæ perfectionis habet, quod nos maxime Deo conjungat, et assimilet : secundum quam conjunctionem innascitur nobis novus respectus ad Deum. Unde quanto sufficientior est, tanto magis in ipsa Spiritus Sanctus procedere dicitur, et cum ipsa.* Evertitur. D.Thom.

LAUS DEO



INDEX

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HOC TRACTATU DE TRINITATE CONTINENTUR.

A

ABSOLUTUM. Quomodo in absolutis sit idem constitutivum, et distinctivum; et quomodo in relativis, 592, 593. Vide Relativum.

ABSTRACTUM. Non omnia concreta in divinis identificantur cum suis abstractis omnino, et absque virtuali distinctione, 622. Quænam sic, quænam vero non, 682. Cur abstracta essentialia in divinis nunquam supponere possint pro persona, 680. Abstracta non significant formam, ut in habente; bene tamen concreta, 680. Vide Nomen.

ACTIO. Quid significet in communi acceptione, 58. In qualibet actione duplex habitudo, alia ad terminum, alia ad subjectum, 64. Actiones aliæ, inter quas et objectum ultimum mediat aliquid; aliæ vero, inter quas et objectum ultimum nihil mediat, 640. Quænam diversitas inter eas actiones, 640. Actio potius a principio specificatur, quam a termino, 53. Actionis immanentis, et transeuntis discrimen in producendo termino, 31, 120. Falsa aliorum differentia rejicitur, 30. Actionis immanentis a transeunte discrimen in habendo objectum intra agentem, et latitudo inter actiones immanentes in modo habendi objectum ad intra, 121. Quomodo intelligendum quod actio, ut actio, non significat aliquid inhærens: et quæ in hoc a relatione diversitas, 198. Actio, et passio, quare sint idem cum motu, non autem inter se, 332, 358. Sunt formalitates non res, 358. Una actio ab alia fieri potest, et quando, 404. Dupliciter dicitur unum agere per aliud, 564. Distinctio realis inter actionem immanentem, et suum principium non ex natura actionis, sed ex limitatione ejus oritur, 55. Per actiones sensuum externorum nihil ad intra procedit, 107. Hujus ratio, 110.

Actio adæquata intellectus est intellectio, 34, 41. Actiones intelligibiles prout sic, nullam dicunt imperfectionem, 50 et deinceps. Non sunt motus diffinitus in 3 Physicor., 51, 52, 64.

Generatio est formaliter actio vel essentialiter præsupponit actionem, 60. Quæ non est actio, sed eam præsupponit, est generatio imperfecta, 60. Terminus actionis ex vi terminandi nullam dicit imperfectionem, 61. Non est necesse quod ex vi actionis, qua fit, communicetur ei existentia, 90.

Processiones divinæ sunt veræ actiones, 57. Emanatio quæ non est vera actio, claudit in suo conceptu imperfectionem, 57. Operationes Dei ad extra non sunt actiones transeuntes, sed immanentes, 56. Vide Operatio.

ACTUALITAS. Alia essentiæ, alia existentiæ, 286. Quomodo in productione rei istæ duæ actualitates comparandæ, 286. In relationibus, et attributis divinis quomodo hæc duplex actualitas consideranda, 286. Existentia est ultima actualitas; et in quo sensu verum, 229, 293.

ACTUS. Distinctio realis inter actum primum, et secundum oritur ex limitatione, non ex natura actus primi, aut secundi, 55. Actus scientificus, ut modificatus, producit habitum scientiæ, 32. In quo hæc modificatio consistat, 32. Quare actus intellectus non sit formalis similitudo objecti, 151. Quomodo in volitione cujusvis objecti actus ipse sit volitus, 113. Actus charitatis supernaturalis non est supernaturalis, præcise quia a voluntate; licet ut sic, neque etiam sit naturalis, 178. Actus peccaminosus secundum materiale actus, quomodo opponatur cum gratia, 257. Cur in Deo non producatur verbum per actus virtutum intellectualium, ut scientiæ, artis, etc. sicut per intellectionem primordialem, 310.

ACTUS NOTIONALIS. Intellectio divina secundum se est actus essentialis; prout connotat relationem, notionalis, 26. Actus notionales in divinis non sunt formaliter ipsæ relationes, sed sunt actus essentiales connotando relationes, 586, 587. Quomodo intelligendus D. Thom. cum ait, quod actus notionales, et relationes non differunt, nisi in modo significandi, 587.

AD ALIQUID. Vide Relatio.

ADJECTIVUM. Vide Nomen, Concretum.

ÆQUALITAS, ÆQUALE. In divinis personis debet esse summa æqualitas in perfectione, 610. Perfectiones relativæ quare pugnent cum æqualitate earum, 246. Quomodo

cum eadem æqualitate pugnet, quod personæ constituantur proprietatibus absolutis, 610.

ÆTERNITAS, ÆTERNUM. Quæ sit ratio propria æternitatis, 285 Omnia, quæ sunt in Deo, æternitate mensurantur, 285 et 488. Quomodo quæ æternitate mensurantur, non possit unum sine alio intelligi in aliquo priori *in quo* adhuc rationis cum fundamento in re, 488.

Cur in Deo forent tres æternitates, si darentur tres existentiæ relativæ, 284 et deinceps.

AGENS. Quid isto nomine significetur in communi acceptione, 42. Agens univocum non necessario producit simile in principio radicali, et quando sic, 169.

ALIQUID. Aliquid, prout est passio entis, quid significet, 404. Non dantur in divinis tria *aliquid*, ly *aliquid* sic sumpto, 404. Cum sint tria supposita, et unumquodque sit aliquod suppositum, cur non tria *aliquid*, 404.

AMICITIA, AMOR. Amor perfectus non est nisi inter duo, 626. Quid distet inter amorem amicitiæ, et amorem concupiscentiæ, vel simplicis benevolentiæ, 626. Amor amicitiæ inter omnes amores perfectissimus, et quare, 626. Amor ex vi suæ rationis formalis petit procedere a verbo, et a dicente, et quare, 629 et deinceps, 553 et deinceps. Quomodo per amorem amans sit in amato, et amatum in amante, 118.

Amor amicitiæ petit unionem cum objecto amato, non solum affectivam, sed quoad fieri possit præsentialem, 755. Intellige cum objecto primario, non autem cum secundario, 758.

Verbo divino communicatur ex vi processionis amor divinus ad summum per se secundo, 651. Verbum essentialiter dictum in divinis per se influit in amorem essentialem, verbum autem essentiale, et simul notionale, in amorem notionalem, 555. Cur non obstet, quod essentia divina uniatur per modum verbi communiter dicti cum intellectu Dei, quominus Verbum divinum influat active in amorem, 555. Cur Spiritus Sanctus non procedat ex amore creaturarum possibilium, sicut Verbum ex earum cognitione, 517. Quomodo ex eo, quod Spiritus Sanctus procedat per modum amoris, deducendum, quod procedat a Filio, 553. Spiritus Sanctus eo amor, quo donum : sicut Filius eo Verbum, quo Filius, 652 et deinceps. Quid per amorem, quidve per donum exprimatur, 652. Essentia divina, unita per modum Verbi cum intellectu beati, per se influit active in amorem beatificum, 554.

ANALOGUM. Analogorum, et univocorum discrimen in hoc, quod inferiora univocorum non possunt existere per unam tantum existentiam; bene tamen analogata, 437. Cur non teneret hoc in materia et forma, dato quod univoce convenirent in aliqua ratione, 438. Ratio personæ divinæ est analoga, non univoca respectu trium personarum, 438 et deinceps. Ratio analoga analogia proportionalitatis non participatur inæqualiter ex vi hujus analogiæ ab analogatis, 440.

ANGELUS. Angelus est naturæ pure intellectualis, 23. Ideo non est in eo alia operatio, nisi *intelligere* et *velle*, 23. Per intellectionem, qua se ipsum cognoscit, producit verbum, 13. Si essentia ejus esset unita cum suo intellectu in ratione verbi, esset infinita : et tunc produceret Verbum ex pura fœcunditate sicut Deus, 13. Quod Angelus non producat alium Angelum, oritur ex imperfectione, et defectu fœcunditatis, 14. Natura ejus respectu cognitionis sui est simul absque distinctione actuali natura intellectiva, et species intelligibilis, 210. Cum sola virtuali distinctione inter hæc duo munia præstat, quæ natura inferior, et species intelligibilis realiter distinctæ præstarent, 210. Cur Angelorum superiorum deroget dignitati, quod ad nos mittantur; non autem dignitati divinarum personarum, 728.

ANIMA. Quomodo anima rationalis secundum unum gradum petat dispositiones, quas non exigit secundum alium, 92. Quomodo una et eadem plura operetur mediis diversis potentiis, 169.

APOSTOLI. An per dona gratiæ gratis datæ facta fuerit in eis missio invisibilis Spiritus Sancti; an potius per donum gratiæ gratum facientis. Vide Missio.

APPETITIVUM. Non potest esse prima ratio alicujus rei; sed semper ex natura sua supponit aliam priorem, 127. In divinis non pertinet ad lineam naturæ divinæ, sed eam supponit, 127 et 170.

ARGUMENTUM. Argumentum a permutata proportione quando valeat, 336.

ARTIFICIALE. Effectus artificialis quandoque exit similis suo principio præter intentionem operantis; nunquam tamen præter intentionem operis, 541. Quomodo, quando exit similis præter intentionem operantis, possit procedere ut imago sui principii, 541. Licet tunc in ratione effectus moralis, et voluntarii non exeat similis per se suo principio, bene tamen in *esse* effectus artificialis, et quare, 541.

ATTRIBUTUM. Attributorum divinorum duplex conceptus; vel per modum transcendentium, vel per modum attributorum : et quid juxta quemlibet conceptum dicant, 218 et deinceps. Duplex in eis actualitas, alia essentiæ, alia existentiæ, 305, 306. Probabile est, quod attributa afferunt proprias subsistentias, non autem existentias, et quæ dispar ratio, 384. Probabilius oppositum, 384. Attributa divina existunt per eamdem existentiam divinæ naturæ, 93. Existentia non pertinet ad eorum lineam, 93. Cur attributa, quia sunt objectum secundarium divinæ intellectionis, non sint in eodem immaterialitatis gradu cum ea, cum tamen Verbum ea ratione non obstante, sit ejusdem immaterialitatis, 98. Quodvis attributum est infinitum in *esse* talis attributi, non autem in *esse* attributi ut sic, 119. Quomodo processio per voluntatem in divinis possit terminari ad attributum amoris, quin proprius terminetur ad naturam, a qua oritur, 140. Cur hoc non possit fieri in processione per intellectum, 157. Quare hæc propositio in divinis concedenda, *Scientia est potentia* : hæc autem neganda, *Attributum scientiæ est attributum potentiæ*, 335.

AXIOMA. Quomodo intelligendum illud axioma : *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit*, etc. 13 et deinceps. Quis sensus illius : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, 313 et deinceps. Quomodo intelligendum illud axioma : *Idem est constitutivum et distinctivum*, tam in absolutis quam in relativis, 582.

B

BAPTISMUS. Baptismi forma cur nequeat tradi sub nomine Verbi, loco Filii, licet significent idem, 106.

BEATUS. Essentia divina unitur cum intellectu beati per modum speciei intelligibilis, 85. Identitas ex ea unione resultans est identitas imperfecta admixta cum distinctione potentiali, 132. Essentia divina unita per modum Verbi cum intellectu beati, active concurrit ad amorem beatificum, 554.

BONITAS. Bonitas, et perfectio quonam modo se habeant ad invicem, 247. Bonum convertitur cum ente, et cum quonam ente, 278. Bonitas sive perfectio dicitur ad se, non ad aliud, 254, 257 et deinceps. Quomodo ex hoc inferendum, nullam esse in Deo bonitatem relativam, 257. Bonitas cujuslibet rei sumitur per ordinem ad existentiam, 259, 517. Idcirco natura hominis ut sic, et Mathematicalia non sunt bona, 517. et 434. Cur relationes divinæ, connotando saltem existentiam divinæ essentiæ, non sint bonæ bonitate relativa, 278. Idem in Deo bonitas, quod magnitudo, 253. Ea, quæ dicunt essentialiter ordinem transcendentalem ad aliud, considerata ut bona, sunt in ordine ad se, 259.

Bonitas relativa in divinis pugnat cum æqualitate divinarum personarum, 260, 261. Quomodo ea bonitate concessa, plus perfectionis diceret essentia, ut affecta relationibus, quam ut præit illas, 262, 263. Perfectius est habere aliquam bonitatem, sive perfectionem formaliter et eminenter, quam solum eminenter, 263. Quomodo perfectio et bonitas non solum attendenda secundum aliquid absolutum, sed etiam secundum ordinem unius ad aliud, 268. Bonitas divina non ita perfecte quasi actuat gratiam sanctificantem, sicut divinas relationes; et in quo hæc actuatio consistat, 279. Bonitas divina, quæ est objectum primarium divinæ volitionis, non est ejusdem lineæ, ac ipsa volitio; bene tamen essentia divina et ejus intellectio, et quæ dispar ratio, 94.

C

CARENTIA. Eo specialior carentia, quo universalior forma, qua privat, 461, 475 et deinceps.

CAUSA. Nomen causæ apud Græcos idem quod principium apud Latinos, 20. Causa debet esse distinctæ essentiæ a causato, 20. Causa efficiens potest esse posterior suo effectu in aliquo genere causæ, 46. Quam prioritatem petat necessario respectu effectus, 46. In quonam ratio causæ partialis consistat, 458. Pater et mater cur concurrant ut causæ partiales ad generationem prolis, 456 et deinceps.

CHARITAS. Est proprium nomen Spiritus Sancti, 21. Ideo procedit per voluntatem, 21. Actus charitatis, prout præcise est a voluntate, non concipiendo expresse, quod sit ab habitu charitatis, non est supernaturalis: imo neque naturalis, 186.

CHRISTUS. Verus Dei Filius, 71. Quare, ut homo, dicatur creatus et factus, 19. Quare etiam ut Deus, dicatur creatus et genitus, 71. Christi Domini persona est actu composita, 204. Cur non communicetur ei existentia ex vi generationis passivæ a B. Virgine, 94. Cur non possit denominari Filius Patris a relatione existente in Patre; cum tamen denominetur Filius B. Virginis a relatione existente in ea, 175, 176. An Christus, ut Deus et homo, sit perfectior vel extensive, vel intensive quam ipse ut Deus præcise, 264.

Humanitas Christi quomodo sanctificetur a relatione personali Verbi, quomodo reddatur impeccabilis, et objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam a gratia sanctificante redderetur, 267 et deinceps. Quomodo reddat dignam adoratione latriæ, 273. Infinitas in merito Christi unde desumenda, 526, 527. An opera Christi habeant valorem infinitum a relatione personali ratione *esse* relativi, an ratione essentiæ in relatione inclusæ, 573. Unio Verbi cum humanitate Christi in quo sensu mediata, 304. Vide Humanitas.

COGNITIO. Quid ad cognitionem abstractivam necessarium, et an in suo conceptu dicat imperfectionem, 495, 496 et deinceps. Quid ad cognitionem intuitivam desideretur, 498, 499. Cur cognitio, qua Astrologus cognoscit eclipsim, sit abstractiva, 496. Quomodo cognitio, ex qua Verbum divinum procedit, sit intuitiva, 499. Cur non possit esse abstractiva, 495, 496 et deinceps.

Quid requiratur ad cognitionem comprehensivam alicujus potentiæ, 512, 509. Objectum primarium nequit cognosci cognitione comprehensiva, quin eodem modo cognoscatur secundarium, si habeat nexum cum primario, 512. Quid requiratur ad cognitionem comprehensivam divinæ essentiæ, 507, 508 et deinceps, 513.

Verbum divinum debet procedere ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter, et necessario in Deo, 485 et sequentibus. Quomodo id deducendum ex eo, quod omnia divina mensurentur æternitate, 488. Quomodo etiam deducendum ex eo, quod procedat per cognitionem comprehensivam divinæ essentiæ, 488. Verbum etiam procedit ex cognitione omnium possibilium, 504 et deinceps. Quomodo id deducendum ex eo, quod procedat ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, 507, 508 et deinceps. Cur non procedat ex cognitione futurorum, 527 et deinceps. Cognitio futurorum non est ita necessaria sicut Verbum, 528. Quomodo hinc deducendum, quod Verbum non procedat ex eorum cognitione, 528 et 529. Cognitio creaturarum possibilium est ita necessaria, ac Deus, et Verbum: non tamen est æque necessarium, creaturas esse possibiles, ac Deum esse, 523. Verbum nequit procedere ex cognitione terminata ad Patrem, quin procedat ex cognitione aliarum personarum, 489. Quomodo possit procedere ex cognitione personarum, cum personæ sint objectum secundarium divinæ cognitionis, 495. Cur debeat procedere ex cognitione eorum, quæ accipit a Patre ex vi processionis, 493. Cur ex eo, quod Verbum procedat ut imago Patris, debeat procedere ex cognitione Patris tanquam objecti, 487. Cur autem cum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, non sit imago ejus, 503, 504. Spiritus Sanctus nullo modo concurrit active ad cognitionem, ex qua Verbum procedit, 502 et deinceps. Cur sicut Verbum procedit ex cognitione creaturarum possibilium, non ita Spiritus Sanctus procedat ex earum amore, 516. Verbum non potest procedere ex scientia media, sive cognitione futurorum conditio-

natorum, 530. Cur Verbo divino non communicetur ex vi processionis cognitio futurorum, vel eorum repræsentatio, 532, 533. Quomodo possit ex cognitione futurorum non procedere, cum talis cognitio sit in eodem signo *in quo*, etiam secundum rationem, ac Verbum, 539, 535 Quid denotet ly *ex*, cum dicitur, quod Verbum procedit ex cognitione alicujus objecti, 529.

COMMUNICABILE. Esse communicabilem, et esse incommunicabilem quomodo in Patre æterno adunentur, 530.

COMMUNE. Vide Transcendens.

COMMUNICATIO, COMMUNICARE. Quid sit communicare aliquid ex vi processionis, quidve communicare per processionem, 531. Multimoda naturæ communicatio soli divinæ naturæ propria, et quare, 528. Communicare eamdem naturam sub modo essendi naturali per intellectum, solius est Dei, 28, 29. Per cognitionem creatam communicatur natura objecti cogniti sub modo imperfecto, 28, 29. Per divinam vero sub modo essendi naturali, et perfectissimo, 28, 29.

COMPOSITIO. Est distinctorum unio, 202. Compositio ex genere, et differentia omnino releganda, a Deo, 228. Licet personæ conveniant in essentia, et differant per proprietates, nulla tamen inde compositio, 16, 17. Compositio physica est fundamentum compositionis metaphysicæ, 438. Quomodo in Deo foret compositio, si ratio personæ divinæ esset communis univoce ad tres divinas personas, 437 et deinceps. Distinctio actualis, et secluso intellectu inter essentiam, et relationes poneret in Deo compositionem, 201 et deinceps. Imo omnium imperfectissimam et per aggregationem, 203. Propter hanc rationem personalitas creata facit compositionem cum natura, 202. Cur ex distinctione relationum divinarum inter se non sequatur in Deo compositio, 203, 417. Cur neque etiam ex distinctione virtuali inter essentiam, et relationes, 203. Quare numerus relationum creatarum ex vi relativi non faciat compositionem, 419. Dato tamen quod sic, cur non idem dicendum de numero divinarum relationum, 419.

COMPOSITUM. Compositum substantiale unam tantum habere debet existentiam, 291.

COMPREHENSIO. Vide Cognitio.

CONCRETUM. Cur ad pluralitatem cujusvis concreti substantivi requiratur multiplicatio, non solum formæ significatæ, sed etiam suppositorum, 664 et deinceps. Ratio formalis ejusmodi pluralitatis, vel unitatis est forma significata; suppositum vero conditio necessario requisita, 667, 664.

Nomina essentialia adjectiva, sumpta in concreto, pluraliter dicuntur in divinis, 660. Substantia vero singulariter, 662 et deinceps. Concreta substantiva significant formam per modum substantiæ, 662 et 663. Adjectiva vero per modum accidentis, sive adjacentis; licet alias res significata sit substantia, 660, 661. Concreta essentialia in divinis possunt aliquando supponere pro persona, 669. Quando ex parte termini adjuncti limitetur, vel distrahatur eorum suppositio ad supponendum pro una vel duabus, 669. Probabilius in via D. Thomæ, quod non omnia concreta in divinis identificantur omnino cum suis abstractis absque distinctione virtuali, 619. Quænam sic, quænam vero non, 619. Vide Nomen.

CONNOTATUM, CONNOTARE. Connotatum personæ divinæ in concreto in quo differat a connotato personalitatis in abstracto, 39, 40. In quo etiam differant in divinis connotatum dictionis adæquate sumptæ, et connotatum intellectionis, prout rectum dictionis est, 39, 40. Vide Rectum.

CONSTITUTIO. Constitutio divinarum personarum est constitutio per simplicitatem, 680, 681. Non derogat summæ earum simplicitati, quod detur in eis constitutio ex diversis formalitatibus virtualiter distinctis, 681. Ejusmodi constitutio et est realis actualis, et realis virtualis, et etiam rationis 682 Quomodo sit realis, cum extrema non sint realiter distincta, 682. Constitutio personæ divinæ ex diverso capite provenit, ac constitutio connaturalissima, 258. Cur natura divina bis intret ad constitutionem personæ, semel per modum transcendentis, et semel per modum naturæ, 235, 242.

CONSTITUTIVUM. In relativis quomodo intelligendum, quod sit idem constitutivum, et distinctivum, et quomodo in absolutis, 586, 587, 588.

Relationes divinæ ex diverso capite habent constituere personas; et constituere eas connaturalissime, 250. Dantur in divinis proprietates constitutivæ, et distinctivæ personarum, 679 et deinceps. Non absolutæ sunt, sed relativæ, 683 et sequentibus. Non omnis proprietas, quæ distinguit unam personam ab alia, est ejus constitutiva, 686. Omnis tamen proprietas, quæ primo distinguit, est constitutiva personæ, quam distinguit, 686. Relationes divinæ, ut origines (dato, quod origines dicant aliquid relativum) non sunt constitutivæ personæ, sed secundum aliud munus relativum, et quare, 693 et deinceps. Cur origines, quia concipiuntur per modum actionis, nequeant esse constitutivæ personæ: cum intellectio sit constitutiva divinæ naturæ, licet concipiatur per modum actionis, 697 et deinceps. Aliter loquendum de constitutivo divinæ personæ secundum conceptus perfectos, aliter secundum imperfectos, et confusos, 700. Si priori modo loquendum, tunc constitutivum divinæ personæ est relatio, adhuc secundum expressum munus *ad*, 700. Si posteriori modo, tunc constitutivum est relatio, ut est ratio incommunicabiliter subsistenti, non autem ut exprimit munus *ad*, 702, et deinceps. Vide Persona divina

CONTRADICTORIA. Cur in divinis non possit dari oppositio contradictoria, 578. Distinctio virtualis sufficit, ut de aliquo contradictoria dicantur, 207 et deinceps. An istæ sint contradictoriæ: *Hæc essentia divina est communicabilis: Hæc essentia divina est communicabilis*, 313.

CREATIO. Quandoque in sacra pagina sumitur pro sanctificatione, 19. Aliquando pro generatione, 19. Quandoque generatio sumitur pro creatione, 19.

CREATUM. Res magnæ, quando fiunt, dicuntur creatæ, 19. Quare humanitas Christi dicatur creata, 19. Quare Christus, etiam ut Deus, dicatur creatus, 19. Creatum in sacra pagina quandoque pro sanctificato, 19.

CREATURA. Creaturæ adæquata divisio, 19. Quænam processio sit propria cuilibet creaturæ, 19. Cur creaturæ ex sua intrinseca ratione non exigant procedere a tribus divinis

nis personis, 622, 631. Quo nobiliores creaturæ, eo propinquiores Deo, 23. Quæ in Deo sunt, debemus concipere ad instar eorum, quæ sunt in nobilioribus creaturis, 23 et 53. Nulla creatura intellectualis potest producere verbum ex pura fœcunditate, 14. Nec potest communicare naturam objecti, nisi tantum sub modo essendi intelligibili, 25. Quomodo ex creaturæ imperfecta communicatione deducenda sit perfectissima communicatio divinæ naturæ, 25. Possibilitas creaturarum a divina omnipotentia, ut a ratione a priori, desumenda, 167, 513, 520. Si creaturæ non essent possibiles, non esset in Deo omnipotentia, 511, 523, 8è4. Creaturæ, ut possibiles, nullam habent appetibilitatem, bene tamen intelligibilitatem, et quare, 516. Quæ sit connexio inter omnipotentiam, et creaturas possibiles : et an sit magis necessarium, Deum esse, quam eas esse possibiles, 521, et sequentibus. Licet non sit ita necessarium, creaturas esse possibiles, ac Deum esse : est tamen ita necessaria in Deo cognitio creaturarum possibilium, ac Deus, et verbum, 522. Probabile est, quod si una vel altera creatura ex iis quæ sunt esset impossibilis, nec verbum, nec omnipotentia essent ejusdem rationis, ac nunc. 523. Probabile etiam oppositum, 523. An eædem numero creaturarum perfectiones sint formaliter in Deo, seclusis imperfectionibus, 263.

Triplex modus, quo Deus est in creatura, 746, 747. Permissionem divinarum personarum ordinantur creaturæ, ad quas mittuntur, in Deum ut in ultimum finem, 747. Cur Deus, et personæ divinæ nequeant esse in creatura rationali, ut amatum per modum ultimi finis in amante, nisi media gratia sanctificante, et charitate, 747 et 748. Per missionem divinarum personarum habentur et possidentur personæ a creatura, 748. Cur nequeant sic possideri, nisi media gratia sanctificante, 748. Vide Missio.

D

DEITAS. In quo sensu Pater æternus principium Deitatis appelletur, 562. Quomodo se habeant in Patre ratio principii Deitatis, et Paternitas, 469 et deinceps.

DEUS. Deus est naturæ pure intellectualis, 23. Quomodo ex hoc deducendum, quod nulla sit in eo operatio, nisi *intelligere*, et *velle*, 23. Quæ in Deo sunt, debemus intelligere ad instar eorum, quæ sunt in creaturis perfectioribus, 24, 53. Intellige, ut perfectiores sunt, 12, 14. Cur in Deo nulla compositio, licet personæ conveniant in essentia, et differant in proprietatibus, 15. In Deo unica intellectio essentialis, unica misericordia, etc., 35. In quo sensu relegandæ a Deo juxta D. Dionysium rationes Patris, Filii, sapientiæ, etc., 78.

In Deo dantur processiones, 6. Datur processio per voluntatem, 108. Vide Processio divina.

Dantur in Deo relationes reales, 173 et deinceps. Non sunt nisi quatuor, 214. Esset in Deo compositio, si essentia distingueretur a relationibus secundo intellectu, 202 et deinceps. Imo omnium imperfectissima, et per aggregationem, 204. Cur ex distinctione reali relationum inter se hæc compositio non sequatur, 204. In Deo non est aliud, et aliud formaliter, bene tamen virtualiter, 208. Neque est compositio ex genere, et differentia, 209. Vide Essentia divina, Relatio divina, Distinctio.

An eædem numero perfectiones creaturarum sint in Deo seclusis imperfectionibus, 263. Quomodo *Deus* in concreto, et *Deitas* in abstracto de persona divina prædicentur, 360. In significato hujus nominis *Deus* importatur Deitas, secundum unam rationem in recto, secundum aliam in obliquo, 360. Hoc nomen Deus significat habentem Deitatem, non autem personam, 370. In quo distinguatur habens Deitatem a persona, 370. Cum *Deus* significet idem, quod *habens Deitatem*, cur non tres Dii, sicut tres habentes Deitatem, 664. Quomodo hoc nomen *Deus* ex adjuncto termino limitetur ad supponendum pro aliqua determinata persona, 669, 670. Pro quo supponat hoc nomen *Deus* in hac propositione, *Deus creat*, 670. Quomodo autem in hac, *Soli Deo honor et gloria*, 670. Pro quo autem in ista, *Deus generat*, vel *Deus non generat*, 670.

Unicum tantum verbum datur intra Deum, 330. Cur Deus non producat verbum per actus virium intellectualium, nempe, scientiæ, artis, etc., 330. Deus, ut præintellectus personis, est subsistens per subsistentiam absolutam, 370 et deinceps. Ut præintellectus personis intelligit, *ut quod*, 380, 381. Quomodo hinc deducendum quod ut sic subsistat *ut quod*, 381. Quare prout sic subsistens, non sit persona, 390, 391. Nulla in Deo existentia relativa, 413 et deinceps. Deus, ut præintellectus personis, concipitur existens, intelligens, volens, æternus, etc., 281. Vide Existentia divina, Relatio divina, Subsistentia divina, Persona divina.

Tripliciter Deus est in creatura, 745, 746. Cur Deus nequeat esse in creatura rationali ut amatum per modum ultimi finis in amante, nisi media gratia sanctificante, et charitate, 747, 748.

DICTIO, DICERE. Dictio, sive in divinis, sive in creatis est intellectio cum quodam modo, 31 et deinceps. Quomodo hic modus includatur in dictione creata, et quomodo in divina, 32. Dictio essentialiter includit intellectionem ; sed non e contra, 34 et deinceps. An dictio sit prior; an posterior natura intellectione, et quomodo cum illa comparanda, 45 et deinceps. Nullam supra intellectionem addit novam habitudinem ad objectum, 32. Dictio adæquate concepta dicit habitudinem ad objectum, non autem inadæquate sumpta, 49. Dicere habitudinem ad res intellectas mediante Verbo est proprium dictionis creatæ, non autem divinæ, et hujus ratio, 49 et 51. Dictio divina importat hujusmodi habitudinem ratione intellectionis essentialis, non autem ratione Verbi, 51. Dictionis, et intellectionis principium in divinis idem omnino absque distinctione virtuali, 51. Idem etiam omnino objectum formale utriusque, 51. *Dicere* et *generare*, in divinis non sunt duo conceptus, adhuc virtualiter distincti, 101,

DIFFERENTIA. Ea, quæ differunt differentia solum materiali, possunt esse incompossibilia in uno absque ulla oppositione, secus vero, quæ differunt differentiis formalibus, 576. Personarum divinarum inter se differentia, non materialis est, sed formalis, 577.

DIFFINITIO. In indagandis naturis rerum

semper diffinitionibus standum, 67. Quæ habent distinctas diffinitiones adæquatas, distinguuntur ex natura rei, non autem quæ inadæquatas, 214. Diffinitio generationis substantialis ut sic, 60. Diffinitio generationis viventium ut sic, 61. Diffinitio personæ ut sic, 341. Non convenit essentiæ divinæ, ut præintellectæ relationibus, 342. In quo sensu intelligendum ly *rationalis*, positum in diffinitione personæ, 352. In diffinitione hominis essentialiter involvitur imperfectio, 67.

DIGNITAS. Infinita dignitas operum Christi a quo desumenda, an a relatione personali Verbi, an ab essentia divina inclusa per modum transcendentis in relatione, 273. De ratione notionis est, quod dicat dignitatem. Vide Notio, Innascibilitas, Filius in divinis.

DILECTIO. Vide Amor.

DISPOSITIO. Eadem forma secundum unam considerationem petit dispositionem in subjecto, quam non exigit secundum aliam, 92.

DISTINCTIO. Alia rei a re, alia inter rem et modum sive inter duos modos, 193. Priori modo distincta nullam admittunt identitatem; bene tamen posteriori modo distincta, 193. Distinctio, sive realis sive virtualis, alia includentis, et inclusi, alia excludentis, et exclusi, 288. Omnis distinctio inter aliqua oritur, vel ex limitatione extremorum, vel ex oppositione, 16, 333, 595, 687. Distinctio inter duas essentias semper oritur ex limitatione, 687. Distinctio divinarum personarum non obstat earum infinitati, 687. Omnis distinctio realis in Deo oritur ex oppositione, 333, 455, 574 et deinceps. Nulla realis distinctio inter relationes disparatas in divinis, 595 et deinceps, 576. Distinctio inter relationes, alia relativa, alia disparata, 595, 596. Relatio non distinguitur distinctione relativa nisi a solo correlativo; ab aliis vero distinctione disparata, 596. Distinctio disparata cur semper oriatur ex limitatione, et imperfectione, saltem ex parte unius extremi, 596 et 594. Quæ distinctio requiratur, et sufficiat inter principium, et terminum, 8. Inter formalitates divinas pertinentes ad diversas lineas est distinctio virtualis, 39. Quare in divinis nulla distinctio adhuc virtualis, inter vires proximas operandi et operationem, 39. Inter essentiam divinam et relationes non est distinctio rei a re, 193. Cur ex tali distinctione sequeretur, relationes divinas fore creaturas, 195. Nulla etiam distinctio ante intellectum, adhuc minor distinctione rei a re, 198 et sequentibus. Bene tamen distinctio rationis ratiocinatæ, 199. Cur distinctio actualis secluso intellectu pugnet cum simplicitate divinarum personarum, 201 et deinceps. Quare ex ea distinctione sequeretur, fore in Deo compositionem omnium imperfectissimam, et per aggregationem, 204. Cur distinctio realis inter relationes non obstet summæ simplicitati Dei, 204. Cur non etiam distinctio virtualis inter essentiam et relationes, 205, 206. Ea sola distinctio virtualis sufficit, ut de eis contradictoria dicantur, 207 et deinceps. Distinctio virtualis, si oriatur ex summa eminentia, non obstat infinitati divinæ essentiæ, 227. Bene tamen si oriatur ex compositione ex genere, et differentia, 228. Datur distinctio realis inter divinas relationes, 312 et deinceps. Quomodo hæc distinctio cohæreat cum identitate earum in essentia, 315 et sequentibus. Relatio distinctionis inter divinas personas cur non distincta (adhuc virtualiter) a relationibus personalibus, 328. Distinctio inter divinas personas non est materialis, sed formalis, 577. Distinctio processionum divinarum non est ratio a priori distinctionis personarum, sed e converso, 578.

Distinctio virtualis inter duo ubi sufficiat, ut nequeant de se invicem prædicari in abstracto, 336. Distinctio et pluralitas naturarum in pluribus suppositis unde oriatur, 385. Distinctio, secundum analogam rationem ad distinctionem creatam, et divinam, nullam dicit imperfectionem, 412. Plura, quæ sola materiali distinctione differunt, possunt ab uno procedere absque ordine; non autem si differant distinctione plusquam materiali, et quare, 559 et deinceps. Ea, inter quæ est materialis tantum distinctio, possunt esse incompossibilia in uno absque aliqua oppositione, secus vero quæ formaliter differunt, 577.

DISTINCTIVUM. Vide Constitutivum.

DIVINUM. Divinum quandoque sumitur pro essentia divina, quandoque pro prædicato communi, et transcendenti in omnibus formalitatibus divinis, 134, 144. Quadruplex acceptio *divini*, 164 et deinceps. An ly *divinum* sit differentia intranea, an extranea respectu voluntatis, et processionis ejus, 160 et deinceps, 167. Divina a nobis concipienda ad instar eorum, quæ reperiuntur in creaturis perfectioribus, 21. Intellige, ut perfectiores sunt, 13, 14, 15. In divinis nulla compositio ex genere, et differentia, 230. Nec est ibi aliud, et aliud formaliter; bene tamen virtualiter, 218. In divinis non distinguuntur, quod est, et quo est, 201. Quomodo, si distinguerentur, vicissim limitarentur, quod est, et quo est, 201. In divinis nulla compositio est, quamvis personæ conveniant in essentia, et differant in proprietatibus, 16. In divinis unica intellectio essentialis, unica misericordia, etc., 35.

In divinis dantur processiones, 7 et deinceps. Vide Processio.

Divinæ personæ repugnat, quod sit ab alio, ut a causa, non vero ut a principio, 9. In divinis nulla existentia, præter absolutam divinæ essentiæ, 282 et deinceps. Vide Existentia, Relatio divina. In divinis unicum tantum verbum per intellectionem primordialem productum, 329. Cur non producatur aliquod verbum per actus scientiæ, artis, etc. 329.

In divinis est formaliter ratio personæ, 344 et deinceps. In divinis tres hypostases, non autem tres usiæ: et quid per hæc nomina significetur, 347. Cur dicendæ tres personæ, non autem tres substantiæ; cum substantia sit de ratione personæ, 349. Imo nec tres primæ substantiæ, 349. Possunt concedi in divinis tres substantiæ individuæ, non autem tria individua, et quare, 349. In quo sensu possint etiam concedi tres substantiæ, 351. In divinis dantur tres res, tres unitates; et quid nomine rei, vel unitatis significetur, 399, 400 et deinceps. Non sunt tres essentiæ, vel quidditates; et quid his nominibus significetur, 401 et deinceps. Nec tria *aliquid*, prout *aliquid* est passio entis, 401. Nec tres veritates, aut tria vera substantive, et quare, 399 et deinceps. In divinis non est numerus simpliciter; est tamen numerus transcendentalis personarum, 411 et deinceps. Sed non ideo est ibi totum, et pars, etiam secundum quantitatem

tem modalem discretam, 414. In divinis vere, et proprie ratio imaginis reperitur, 535 et deinceps. Vide Existentia, Subsistentia, Relatio divina, Persona divina, Processio, Imago, Notio, Essentia divina, Natura divina, Distinctio, Origo, Oppositio, Attributum.

DIVISIO. Quæ sit divisio substantiæ in primam, et secundam, 343. Quæ coordinatio, quæve prioritas inter conceptus objectivos entis, unitatis, divisionis, et multitudinis, 427 et deinceps.

DOMINUS. A quonam Deus denominetur Dominus, 173.

DONUM. Doni diffinitio, et conditiones, 645 et sequentibus. Ad rationem doni non requiritur actualis datio, bene tamen ad rationem dati, 645. Actio, per quam confertur donum, debet esse omnino liberalis, 645.

Donum in divinis dicitur tam essentialiter, quam personaliter, 644 et sequentibus. Esse donum ex vi processionis, et proprietatis personalis est solius Spiritus Sancti, et quare, 648, 649. Cur inter donum, et donantem in divinis non sit necessaria distinctio realis, bene tamen inter genitum, et generantem, 647. Spiritus Sanctus eo formalissime est donum, quo amor, sicut Filius eo verbum, quo filius, 652 et deinceps. Quid per donum, quidve per amorem exprimatur, 652. Ratio primi doni notionalis convenit Spiritui Sancto, ratio vero primi doni essentialiter dicti, amori essentiali, 654. Non inconvenit concedere in divinis duplex donum, sicut duplex amor, essentialis, et notionalis, 655. Ratio doni cur non distincta notio in Spiritu Sancto a Processione, 656.

Primum donum, quod quilibet donans tribuit, est amor : et ratione amoris cætera alia habent rationem doni, 650. Cur non requiratur ad rationem primi doni quod per inhæsionem fiat ejus, cui donatur, 653.

DURATIO. Durationum constitutiva et distinctiva, 286. Durationis adæquata divisio, 286. Omnis duratio in Deo est æternitas, 286. Duratio relationis creatæ est quid absolutum, 292.

E

EFFECTUS. Necessario debet distingui a sua causa in essentia, 20. Potest esse prior, quam sua causa in aliquo genere, 45. Non necessario communicatur illi existentia ex vi actionis, per quam producitur, 93. Quid habeat necessario ex vi actionis productivæ, quidve concomitanter. Quomodo in corruptione specierum Sacramentalium et in productione humanitatis Christi a B. Virgine id verificetur, 91. Effectus agentis univoci non necessario procedit similis agenti in principio radicali : et quando sic, 168. Effectus artificialis quandoque exit similis suo principio præter intentionem operantis, nunquam tamen præter intentionem operis, 541. Quando exit similis præter intentionem operantis, quomodo procedat ut imago sui principii, 541. Licet tunc in ratione effectus voluntarii et moralis non procedat similis per se principio, bene tamen in ratione effectus artificialis, 541. Ut aliquis effectus sit per se similis principio perfectione intra lineam similitudinis, non necessario debet procedere similis ex vi processionis, 546. Bene tamen ut procedat similis similitudine perfecta per modum imaginis : et ratio utriusque, 546.

ELOHIM. Elohim, Latine idem quod *Dii*, sive Judices, 664. Quomodo Deus Elohim Hebraice dicatur, cum Elohim Deos in plurali significet et in divinis nomen Deus pluraliter non dicitur, 664.

EMANATIO. Emanatio, quæ non est vera operatio, dicit imperfectionem, 59. Ideo a Divinis processionibus releganda, 59. Emanatio intelligibilis est processio intellectus et voluntatis, 20. Nulla in conceptu hujus emanationis clauditur imperfectio, 53. Ex vi sua est communicativa ejusdem numero naturæ, 8. Per emanationem perfectissimam communicatur eadem numero natura cum omnibus modis pertinentibus ad lineam naturæ, 9.

ENS. Quænam sit ratio primi entis, sive entis a se, 9. Entis et veri rationes quomodo se habeant ad intellectum, 86. Bonum et aliæ passiones entis cum quo ente convertantur, 277, 402. Quæ coordinatio, quæve prioritas inter conceptus objectivos entis, unitatis, divisionis et multitudinis, 428.

Ens a se dupliciter sumitur, 165. Ens a se, prout excludit esse ab alio, etiam tanquam a ratione a priori, solius est divinæ essentiæ, ut distinctæ ab attributis et relationibus, 165, 166, 243, 244. Prout vero ens a se excludit esse ab alio, præcise tanquam a causa, non est solius essentiæ, 244. In divinis tria entia adjective, non autem substantive, 401 et deinceps. Quid per nomen entis significetur, quidve per nomen entitatis, 401 et 402. Quodnam ens in divinis sit commune communitate rationis ad personas et ad alia divina, 402.

ERROR. Gilberti error circa distinctionem realem inter essentiam divinam et relationes, 196, 197 et deinceps.

ESSE. Recipere esse ab alio quando arguat indigentiam in recipiente et quando non, 16, 17. Triplex modus essendi per se, 369, 370. Essendi creati et divini discrimen in eo, quod est esse *ut qua*, vel *ut quod*, 380, 381. Esse intelligibile et naturale in divinis est omnino idem absque distinctione etiam virtuali, 75, 90, 170. In creatis vero virtualiter distinguuntur, 170.

ESSENTIA. Essentia et existentia in creatis realiter distinguuntur, 305. Quam dicat actualitatem essentia, ut distincta ab existentia, 305. Non est necessaria distinctio in essentia, ut unum procedat ab alio, 8. Sufficit distinctio in modo habendi unam essentiam, 8. Distinctio duorum in essentia oritur ex limitatione, 16. Quæ habent eamdem existentiam, sunt ejusdem essentiæ, 90. Cur non sic in materia et forma, 93. Communicare essentiam pluribus modis soli Deo proprium 121.

Essentia Angeli per se ipsam non est sufficienter unita cum suo intellectu in ratione objecti actu intellecti, 3. Si tamen esset sic unita, produceret verbum ex para fœcunditate et esset essentia infinita, 14. Simul absque actuali distinctione est natura intelligens et species intelligibilis respectu intellectionis sui, 210. Cum sola virtuali distinctione præstat, quidquid præstant natura inferior et species realiter distinctæ, 210.

In divinis non sunt tres essentiæ sive tres quidditates : et quid per hæc nomina significetur, 403 et deinceps.

ESSENTIA DIVINA. Essentia divina ut distincta virtualiter a relationibus et attribu-

tis, est ens a se, prout esse a se excludit esse ab alio, etiam tanquam a ratione a priori, 165, 244, 245. Si autem ens a se sumatur, prout excludit esse ab alio, præcise ut a causa, non est proprium solius essentiæ divinæ, 243. Essentia divina non esset infinite perfecta, nisi tribus personalitatibus terminata, 246. Quomodo plus dicat realitatis prout concipitur ut illis terminata, quam ut præit illas, 261, 262. Plus etiam diceret perfectionis, si relationes afferrent propriam perfectionem relativam, 262. Terminare essentiam divinam per modum personalitatis nullam dicit perfectionem proxime, bene tamen remote, 274. *Hæc essentia divina est communicabilis, Hæc essentia divina non est communicabilis*, an sint contradictoriæ, 312. Hæc præpositio, *Essentia est generans*, in quo sensu concedenda, in quove neganda. Sola divina essentia est pluribus modis communicabilis, 120.

Essentia divina non distinguitur realiter a relationibus, sicut res a re, 193 et sequentibus. Cur ex ea distinctione sequeretur, relationes divinas fore creaturas, 196. Nulla etiam distinctio ante intellectum, adhuc minor distinctione rei a re, reperitur, 198 et sequentibus. Bene tamen distinctio rationis ratiocinatæ, 199. Essentia divina, eo ipso quod non sit limitata ad aliquod genus, debet identificare actu et secluso intellectu relationes, 200. Quare, si ita non identificaret, limitaret personas, vicissimque limitaretur ab eis, 201. Quomodo ea distinctio simplicitati divinarum personarum obstet, 201. Imo sequeretur, relationes fore creaturas, 205. Cur distinctio realis relationum ab invicem non obstet divinæ simplicitati, 204, 205. Cur non etiam distinctio virtualis inter essentiam et relationes, 204. Essentia divina et relationes non sunt aliud et aliud formaliter, bene tamen virtualiter, 208. Non habent distinctas diffinitiones adæquatas, sed inadæquatas, 214. Sola virtualis distinctio inter essentiam et relationes sufficit, ut de eis contradictoria dicantur, 206 et deinceps. In quo sensu essentia Patris opponatur identice, licet non formaliter cum Filiatione, 208. In quo etiam sensu ad communicationem essentiæ communicetur identice Filio Paternitas, 298. Cur negandum, quod essentia divina non est communicabilis, cum possit concedi, quod est non communicabilis, 211. Quomodo possit communicari uni personæ non communicata relatione: cum non possit videri quidditative essentia, quin simul videantur relationes, 213. Essentia, ut in Filio, in quo sensu identificetur adæquate cum Filiatione; et in quo sensu inadæquate, 215, 216. Ex identificatione adæquata Filiationis cum essentia, non sequitur identificatio adæquata filiationis cum Paternitate, 216. An hæc sit prædicatio per se, *Paternitas est essentia*, 240. Ex identitate relationum cum essentia cur non sequatur identitas personarum divinarum inter se, 314 et deinceps. Cur relatio identitatis in essentia inter divinas personas non sit realis, 327.

Ex infinitate divinæ essentiæ quomodo deducenda immultiplicatio ejus et Trinitas personarum, 10. Quomodo unitas et infinitas essentiæ deducenda ex eo quod personæ sola oppositione relativa distinguantur, 10. Quomodo ex unitate divinæ essentiæ in tribus personis processio unius personæ ab alia deducenda, 10 et 7.

Essentiæ divinæ duplex consideratio vel per modum transcendentis, vel per modum essentiæ et naturæ: et quid juxta quemlibet conceptum sibi vendicet, 213 et deinceps. Vide Natura divina.

Quomodo relationes divinæ habeant ab essentia, ut a prima radice, quod constituant hypostases, 367, 690, 691. Essentia, ut præintellecta relationibus subsistit per subsistentiam absolutam, 370 et deinceps. Quomodo ex eo, quod ut sic præconcepta intelligat intellectione primordiali, deducendum, quod subsistit *ut quod*, 376, 377. Ex negatione subsistentiæ absolutæ quomodo sequatur, essentiam multiplicandam in tribus personis, 384. Quare, ut sic subsistens, non sit persona, 343, 390. Essentia est fons actualissimus, a quo dimanant virtualiter personalitates, 488.

Essentia, ut præintellecta personis existit per propriam existentiam, 281. Nulla datur existentia in divinis præter absolutam divinæ essentiæ, 282 et deinceps. Essentia divina est primum quasi perfectibile per existentiam: attributa vero quasi secundario perfectibilia, 93. Vide Existentia, Relatio divina.

Essentia est verbum communiter dictum respectu divini intellectus, 486. Sola divina essentia se ipsa potest uniri cum intellectu per modum verbi, 14. Hoc, quod est esse actu intellectam non habet a verbo divino, sed a se ipsa et quare, 76, 558. Quomodo essentia divina quasi bis constituat Patrem in esse objecti actu intellecti; semel quidem prout est in Patre, ut essentia ejus; semel autem prout in Verbo, in quo Pater se et omnia intelligit, 558. Cur non uniatur cum intellectu beati nisi solum per modum speciei intelligibilis, 84, 85. Essentia divina unita per modum verbi cum intellectu beati per se influit active in amorem beatificum, 551. Verbum divinum habet ab essentia, ut a ratione formali, repræsentare et dicere ordinem fundamentalem ad creaturas; a personalitate vero, ut a conditione, 254. Cur ejusmodi repræsentatio sit propria Verbi; cum quævis persona habeat essentiam, quæ est ratio formalis ejusmodi repræsentationis, 254.

Essentia divina non est prior prioritate *in quo*, adhuc rationis quam personæ, vel una persona, quam alia, 487 et deinceps. Cur non possit concipi intellectio divina, ut terminata ad essentiam in aliquo priori *in quo*, adhuc rationis, sine personis, 487. Cognitio divinæ essentiæ, ex qua Verbum procedit, debet esse comprehensiva, 489. Non potest esse comprehensiva quia cognoscatur essentia, ut fœcunda in actu secundo, 489, 490. Non potest cognosci, ut sic fœcunda, nisi in eodem signo cognoscantur personæ, 490.

Essentia divina, voluntas et relatio spirationis activæ concurrunt ad constitutionem principii *quo* tam proximi, quam radicalis Spiritus Sancti: et quonam modo, 646 et deinceps. Quomodo constitutivum essentiæ divinæ possit esse intellectio, quæ per modum actionis concipitur; cum constitutivum personæ nequeat esse relatio, ut origo, quia concipitur per modum actionis, 697 et deinceps. Quæ connexio inter divinam essentiam et possibilitatem creaturarum: et an sit major illius necessitas, quam istarum, 521 et sequentibus. Vide Omnipotentia, Creatura.

EXISTENTIA. Existentia est id, per quod aliquid

aliquid est actu extra causas, 29, 30. In quo sensu intelligendum, quod existentia est ultima rei actualitas, 282, 310. Existentiæ creaturæ quisnam conceptus adæquatus, 82. In composito substantiali creato intra lineam substantiæ unica dumtaxat existentia, 291. Idem non potest existere duplici existentia, 291. Existentia debet proportionari cum primario susceptibili, non autem cum secundario, 294, 295. Quæ habent eamdem existentiam debent esse ejusdem essentiæ, 90. Cur non sic in materia et forma, 92. Essentia et existentia in creatis realiter distinguuntur, 304. Existentia creata existit *ut quo*, divina vero *ut quod*: et unde hoc discrimen, 380, 381. Cur ea, quæ contrahunt aliquam rationem univocam, non possint existere per unam existentiam, bene tamen, quæ contrahunt aliquam rationem analogam, 437. Quare primum non teneret in materia et forma, esto convenirent univoce in aliqua ratione superiori, 438. In processione alicujus non requiritur productio existentiæ, sed sufficit communicatio jam productæ, 303. Non necessario communicatur existentia ex vi actionis, per quam producitur effectus, 93. Quid ex vi illius actionis necessario communicetur; quidve concomitanter per aliam actionem, 93. Quomodo in processione humanitatis Chirsti a B. Virgine et in corraptione specierum sacramentalium id verificetur, 94.

Intellectio est existentia ordinis intelligibilis, 29, 30, 45, 88. Hoc habet, non prout est dictio, sed ut est contemplatio, 88. Prout est existentia intellectus, et speciei impressæ, significatur active: prout vero est existentia Verbi, passive, 89. Quare existentia ordinis intelligibilis sit operatio; non autem existentia ordinis naturalis, 45. Actio, per quam aliquid fit, cur in ordine naturali nequeat esse ejus existentia; bene tamen in ordine intentionali, 42. Cum bonitas rei sit per ordinem ad existentiam, cur relationes divinæ, connotando existentiam divinæ essentiæ, non sint bonæ bonitate relativa, 278. Existentia relationis creatæ est quid absolutum, 292, 298. Quod sapientia creata (idem de aliis accidentibus) habeat propriam existentiam, oritur ex imperfectione, 302.

EXISTENTIA DIVINA. Existentia in divinis quandoque apud Patres sumitur pro subsistentia, 301. Est ultima actualitas essentiæ, et absque distinctione virtuali ipsa essentia, 81. Ex his duobus muneribus, quodnam sit ei potissimum, 82. Quod sit ultima actualitas quomodo intelligendum, 310. Primum quasi susceptibile existentiæ divinæ est essentia; attributa vero quasi secundaria, 93. Existentia divina existit *ut quod*, creata vero tantum *ut quo*: et unde hoc discrimen, 380. Essentia divina ut prius intellecta personis, concipitur existens, 137. Quomodo cum hoc cohæreat, quod sit ultima actualitas omnium divinorum, 281, 282. Nulla existentia in divinis, præter absolutam divinæ essentiæ, 287 et sequentibus. Si darentur tres existentiæ relativæ, essent in divinis plures æternitates, et plures [illegible] substantive, et quare, 284, et deinceps. Quomodo ex relationis creatæ existentia [illegible], tantum dari in Deo existentiam, 312. Quomodo ex unica compositi substantialis existentia id deducendum, 291 et deinceps. Cur ex infinitate divinarum relationum tres subsistentiæ deducendæ, non autem tres existentiæ, 296. Pluralitas existentiarum in divinis pugnat cum hoc, quod existentia sit ultima actualitas, 297. Existentiæ relativæ si darentur, quomodo advenirent accidentaliter divinæ essentiæ, 298. Cur non plures existentiæ in divinis, sicut plures subsistentiæ, 369. Existentia absoluta, an communicetur relationibus ab essentia in ratione transcendentis sumpta, an vero in ratione essentiæ, et naturæ, 302. Licet attributa non habeant proprias existentias, probabile tamen, quod habeant proprias subsistentias; et quæ dispar ratio, 384. Probabilius oppositum, 384. Quomodo in divinis essent tres existentiæ, si ratio personæ divinæ esset communis univoce ad tres personas, 436 et deinceps. Quomodo Spiritui Sancto, ut est terminus formalis processionis communicetur existentia, 93.

F

FŒCUNDUS, FŒCUNDITAS. Producere verbum ex pura fœcunditate absque ejus indigentia, solius est Dei, 14, 29. Fœcunditas ad communicandam naturam objecti sub modo essendi entitativo, et naturali est fœcunditas infinita, 27.

FIGURA. Cum Filius in divinis figura substantiæ Dei appellatur, pro quo supponat ly *substantiæ*, 538.

FILIATIO. Essentia divina in quo sensu adæquate identificetur cum Filiatione; in quove inadæquate, 215, 216. Ex adæquata identificatione cum essentia non sequitur, Filiationem identificandam cum Paternitate, 216. Cur Filiatio, et Paternitas non includantur per modum transcendentis in spiratione activa, bene tamen e contra, 229. In Filiatione non includitur Paternitas per modum transcendentis, vel e converso, 241 et sequentibus. Spiratio activa non distinguitur realiter, sed virtualiter a Paternitate et Filiatione, 331. Et denique, ejusmodi realis distinctio pugnat cum divina simplicitate, 332. Cum Filiatio et spiratio correspondeant duabus relationibus realiter distinctis, cur non ideo realiter distinctæ, 333. Filiatio est notio Filii, 459 et deinceps. Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, Filiatio, et Processio essent duæ personalitates solum virtualiter distinctæ, 585. Quomodo unirentur in una persona, 585. Probabile est, quod Processio non esset personalitas, sed affectio personalitatis, 586. Filiatio, præcise ut talis, et Processio, cur solum opponantur realiter radicaliter relative, 585, 589. Cur ex vi hujus oppositionis radicalis distinguerentur realiter, distinctione proxime et formaliter tali, 591. Probabile est, quod non distinguantur ex vi prædictæ oppositionis, nisi solum radiliter, 591, 599. Filiatio, et Paternitas constituunt principium *quod* adæquatum Spiritus Sancti, non autem principium *quo*, et quare, 608, 610 et deinceps.

FILIUS. Patris et Filii rationes solis competunt viventibus, 64. Probabile est, quod filius duplici formaliter ratione, licet unica realiter, referatur ad patrem et matrem, 150. Probabilius oppositum, 150, 151. Pater, et mater producunt filium generationibus partialibus, 89. Cur Filius in humanis, cum sit imago patris, non procedat per processionem primam in [illegible], 40.

FILIUS IN DIVINIS. In quo sensu primo genitus ab Apostolo nominetur, 124, 125. Filius vocatur in Scriptura Verbum, veritas, sapientia, 21. Ideo procedit per intellectum, 21. Quare dicitur factus, cum sit genitus, 20. Cur etiam dicatur creatus, et generatus, 77. Patris, et Filii rationes in quo sensu a Deo relegandæ juxta Dionysium, 77, 78. Cur Filius vocandus *genitura*, cum vere sit genitus, 78. Eadem est in divinis ratio Filii, et ratio Verbi, absque distinctione cum fundamento in re, 99 et deinceps. Non tamen hæc duo sunt synonyma, 100. Sub conceptu, et nomine Filii dicit de formali, et in recto relationem, et naturam in obliquo ; e contra vero sub conceptu, et nomine Dei geniti, 103. Quomodo sub conceptu Filii respiciat creaturas, et quomodo sub conceptu Verbi, 105, 106.

Quonam modo Paternitas identice communicetur Filio per processionem, 208. In quo sensu Pater sine Filio, et uterque sine Spiritu Sancto non esset perfectus, 269. In quo etiam sensu Pater sine Filio foret mutus, et uterque sine Spiritu Sancto non foret vivus, 269. Sicut Pater dicitur Filii Pater, cur non etiam persona Patris dicetur persona Filii, 359. Cur et in quo sensu Pater dicitur a sanctis Patribus major Filio, 464.

Non esse spiratum non est notio Filii, 460, 452 et deinceps. Non dicit in eo dignitatem, 452. Cur non esse spiratum in Filio non dicat dignitatem, bene tamen innascibilitas in Patre, 474 et sequentibus. Non præsupponere aliam personam procedentem, cur sit propria notio Filii, 465.

Ratio imaginis dicitur personaliter in divinis, et est propria solius Filii, 74, 535 et deinceps. 538 et sequentibus. Filius habet eam similitudinem cum Patre, quæ requiritur ad rationem imaginis, licet non dicat relationem realem similitudinis ad illum, 537. In quo sensu Filius imago Deitatis a sanctis Patribus dicatur, 538. Cum dicitur figura substantiæ Dei, pro quo supponat ly substantia, 538. Cur ex eo, quod Filius procedat per modum naturæ, et accipiat essentiam divinam ex vi processionis, eo ipso procedit ut imago, 539. Cur Filio ratio imaginis, non autem Spiritui Sancto conveniat, 539, 540. Aliorum rationes rejiciuntur, 541 et sequentibus. Vide Imago. Spiritus Sanctus vere procedit a Filio, 550 et deinceps. Et non utcumque, sed tanquam a principio *quod*, et per voluntatem, 557 et deinceps. In quo sensu dicatur in Scriptura, quod Filius operatur per Spiritum Sanctum, 553. Quomodo ex eo deducendum, quod procedit a Filio, 553. Non est idem in Filio absque distinctione virtuali esse Filium, et esse principium Spiritus Sancti, 557, 558. Filius, et Spiritus Sanctus cur non possint a Patre procedere absque aliquo ordine, 559 et deinceps. Quare hic ordo non possit esse alius, quam originis, 559. Cur ex eo, quod Spiritus Sanctus sufficienter procedat a Patre, non superfluat influxus Filii, 563.

Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab illo, 572 et sequentibus. Nec productiones Filii, et Spiritus Sancti (licet totales) essent realiter, sed solum virtualiter distinctæ, et quare, 582. In ea hypothesi, Filius et Spiritus Sanctus non essent duæ personæ, sed una, nec personalitates realiter distinctæ, sed virtualiter, 582. Cur, si a Patre non procederet Spiritus Sanctus, adhuc ab eo realiter distingueretur, cum tamen a Filio non distingueretur, si ab eo non procederet, 583. Si a Filio non procederet, cur non essent ejusdem rationis ac nunc Filius, et Spiritus Sanctus adæquate, bene tamen inadæquate, 586. Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 602 et deinceps. Cur non ideo Pater minus principaliter influat, quam Filius, 604. Uterque est unum principium Spiritus Sancti, 604 et deinceps. Pro quo supponat ly *principium*, 634 et sequentibus. Filius non distinguitur realiter, formaliter, et proxime a Spiritu Sancto per Filiationem, sed per spirationem activam, 589, 609, 610. Pater, et Filius non præsupponuntur ad relationem spirationis activæ, ut volentes volitione notionali, sed solum essentiali, 613. Adhuc volitione essentiali, non prioritate *in quo*; sed *a quo* : et in quo hæc prioritas consistat, 613. Pater, et Filius diligunt se Spiritu Sancto, 640 et sequentibus. Et etiam creaturas, 643. Filius ab æterno fuit donum, non tamen ab æterno fuit datus : et quod distet inter donum, et datum, 645.

Si missio sumatur in secundaria translatione a creaturis ad divina, Filius mittitur a se, et a Spiritu Sancto; non autem si sumatur in translatione primaria, 733 et deinceps. Ex eo quod Spiritus Sanctus mittitur a Filio, quomodo ab eo procedere deducendum, 551 et deinceps. Intellige de missione juxta primariam translationem a creatis ad divina, 736, 737. Cur Filius et Spiritus Sanctus, non modo invisibiliter, sed etiam visibiliter mittantur creaturis, 739. Missio visibilis Filii unica tantum, et hæc in sola creatura rationali : missio vero Spiritus Sancti multiplex, et in qualibet creatura : et quæ dispar ratio, 739 et 740. Proprium est Filii quod mittatur ut primus sanctificationis author, Spiritus Sancti vero, ut primum sanctificationis donum, 740. Vide Verbum divinum.

FORMA. Forma sacramentorum sub communioribus in unoquoque idiomate nominibus tradenda, 106. Forma baptismi non potest tradi sub nominibus Patris, Verbi, et Spiritus Sancti : etiamsi Verbum sit idem, quod Filius, 106.

Forma, et materia, cur non ejusdem essentiæ, cum gaudeant eadem existentia, 92. Plus requiritur ad connaturalem formæ receptionem, quam ad receptionem utcumque, 280.

FUTURUM. Verbum divinum non procedit ex cognitione futurorum, et quare, 527 et sequentibus. Multo minus ex scientia media futurorum conditionatorum, 530. Cognitio futurorum non est æque necessaria, ac Verbum divinum, 528 et deinceps. Cur Verbo divino non communicetur ex vi processionis cognitio futurorum, vel eorum repræsentatio, 531, 532. Quomodo possit ex cognitione futurorum non procedere, cum ea cognitio sit in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem, ac Verbum, 530, 532.

G

GENERATIO, GENERARE. Quandoque in Scriptura generare sumitur pro creare, 19. Aliquando creare pro generare, 19. Generationis substantialis diffinitio, 60, 61. Esse actu mutationem, est proprietas connaturalis generationis :

generationis : exigere illam, essentiale, 61. In generatione abstrahente a generatione viventium, et non viventium essentialiter involvitur imperfectio, 66, 67. Generatio substantialis, quomodo sit ratio superior ad generationem viventium, 67. Generatio, quæ non est vera actio, sed pura emanatio, dicit imperfectionem, 58. Quisnam sit terminus formalis generationis, ut distinguitur ab aggeneratione, 140. Processioni Verbi divini, non convenit diffinitio generationis, 64 et deinceps.

GENERATIO VIVENTIUM. Generationis viventium diffinitio, 61. Convenit processioni Verbi divini, 70 et deinceps. Productio Evæ ex costa Adami cur non sit generatio viventium, 61. Cur non etiam productio vermium a sole, 61. Neque productio vermium ex putrido humore corporis humani, 62. Cur non etiam productio pilorum, vel capillorum ex humore animalis, 62. Generatio muli ex accessu asini ad equam cur non in similitudinem naturæ, 62. 63. Generatio viventium est perfectio simpliciter simplex, 78. Imperfectiones in ea inclusæ non a generatione ut sic, sed quatenus creata emoriuntur, 80. Ejus diffinitio materialiter desumpta est ex Philosopho, 80. Generatio viventium quomodo sub generatione substantiali ut sic includatur, 66, 67. In hac propositione, *Generatio viventium, prout abstrahit a generatione creata, et divina est essentialiter generatio*, pro quo supponat prædicatum, 68, 69. Ad generationem univocam, quæ convenientia requiratur inter principium, et terminum, 81, 82. Generatio Christi Domini a B. Virgine est univoca, 82. Processio per intellectum creatum est generatio viventium secundum quid, et imperfecta, 25. Generatio imperfecta est in similitudinem naturæ in *esse* intelligibili præcise, 74. Generatio perfecta debet pertingere ad similitudinem in *esse* entitativo, et naturali, 75. Hujusmodi est Verbi divini generatio, 75.

GENERATIO IN DIVINIS. Generatio unica tantum in divinis, 125. Processio per naturam, vel per modum naturæ cur dicatur generatio. 125. Quomodo se habeant in divinis posse radicale, et posse radicaliter generare, 152. Generare, et dicere in divinis non sunt duo conceptus, adhuc virtualiter distincti, 101. Generatio activa Verbi divini dicit in recto essentiam connotando Paternitatem, 37. Non distinguitur, adhuc virtualiter, a potentia proxima generandi. 38. Est generatio univoca, 81. Pater, ut generans, et generatio dicunt in recto essentiam, et in obliquo relationem : e contra vero Filius, ut genitus : et ratio disparitatis, 103. Generatio, sive dictio non est formaliter ipsa relatio Paternitatis, sed intellectio connotando Paternitatem, 713, 714. Quomodo intelligendus D. Thomas, cum ait, quod generare in divinis non significat absolutum, sed solam relationem, 714. Quomodo ex eo, quod *intelligere* Dei est *esse* Dei, probanda generatio Verbi divini, 87 et deinceps.

GILBERTUS. Error Gilberti circa distinctionem realem essentiæ divinæ a relationibus, 196, 197 et deinceps.

GRATIA. Plus requiritur ad connaturalem receptionem gratiæ, quam ad receptionem ut sic, 280. Gratia sanctificans, prout est participatio divinæ naturæ, petit in subjecto dispositionem, quam non exigit, prout est auxilium, 91. Gratia sanctificans non reddit subjectum, in quo est, objectum formale congruum divinæ dilectionis. 272. Minus perfecte quasi actuatur a divina bonitate quam relationes personales divinæ; et in quo hæc minor actuatio consistat, 272. Cur relatio personalis Verbi reddat humanitatem Christi objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans, 272. Quomodo materiale peccati initiative opponatur cum gratia sanctificante, 271, 272.

H

HOMO. In diffinitione hominis essentialiter clauditur imperfectio, 67. Homo est quoddam artificiatum Dei, 547. Non est naturæ pure intellectualis, 22. Ideo dantur in eo aliæ operationes, præter *intelligere*, et *velle*, 22. Etiam si Verbum divinum assumeret duas humanitates, cur non diceretur duo homines, 22.

HUMANITATES. Humanitas Christi Domini quare dicitur creata, cum sit generata, 19. An personalitas Verbi secundum *esse* relativum, an potius ratione divinæ essentiæ; in ea per modum transcendentis inclusæ, sanctificet humanitatem Christi, 271 et deinceps. Quomodo reddat illam impeccabilem et objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans, 271. Quomodo reddat dignam adoratione latriæ, 273. An ratione *ad*, an potius ratione essentiæ, in relatione inclusæ tribuat valorem infinitum operibus Christi, 273 Unio Verbi cum humanitate in quo sensu mediata, 304. Si Verbum assumeret duas humanitates, cur non diceretur duo homines, 22.

HYPOSTASIS. Nomen hypostasis unde derivatum, quodnam ejus significatum, 347. In divinis tres hypostases, non autem tres usiæ, 348. Constituere hypostasim, quomodo relationes divinæ habeant a natura, ut a prima radice, 367, 690.

I

IDEM, IDENTITAS. Omnis similitudo fundatur in aliqua identitate, 158, 159. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, quomodo intelligendum, 314 et sequentibus. Cur actio, et passio sint idem cum motu, non autem inter se, 319, 321.

Identitas duorum in *esse* solum intentionali est identitas imperfecta, 75. Quare in Deo nequeat reperiri identitas in *esse* intelligibili, sine identitate in *esse* naturali, 76. Species, et verbum quæ sunt accidentia, sunt idem cum objecto formali in *esse* solum intelligibili : quæ sunt substantiæ, etiam in *esse* naturali, 76. Quomodo species impressa dicat relationem identitatis ad objectum, cum sit ejusdem numero naturæ cum illo, 327. Identitas, quæ est inter intellectum beati, et divinam essentiam, est identitas imperfecta, admixta cum distinctione potentiali, 131. Identitas affectiva (licet summa in sua linea) inter duo non potest pertingere usque ad summam identitatem in *esse* naturali, et entitativo : bene tamen identitas intelligibilis : si sit summa in hoc ordine, et quæ disparitas, 170.

Identitas naturæ in divinis personis non tollit processiones, neque relationes, 180.

Quinimo ex ea identitate quomodo processio in divinis deducenda, 9.

IMAGO. Ejus diffinitio, et conditiones, 535. Triplex genus imaginis artificialis, intentionalis, et naturalis, 535. In imagine duplex relatio, alia ad principium, alia ad prototypum, 535. Quæ illarum sit in eo potissima 536. An utraque sit realis, 536. Duplex acceptio imaginis, scilicet large pro exemplari; et stricte, 538. Primo modo dicitur essentialiter in divinis; secundo modo personaliter, 538. Cur ratio imaginis sit in creatis quid absolutum, in divinis vero quid relativum, 538. Quæ similitudo sive repræsentatio principii requiratur in termino, ut sit vera imago principii, 148 et deinceps, 83. Imago perfectissima debet esse in similitudinem omnimodam prototypi, 74. Cur in humanis imago naturalis patris non procedat per primam processionem in executione, 409. Imago artificialis quandoque exit similis suo principio præter intentionem operantis, nunquam tamen præter intentionem operis, 410. Quando exit similis præter intentionem operantis est similis per accidens, si sumatur in quantum effectus voluntarius et moralis; est tamen similis per se, in quantum effectus artificialis, 410.

Ratio imaginis dicitur personaliter in divinis, et est propria Verbi, 74, 535 et sequentibus, 698 et deinceps. Quare sit propria Filii, non autem Spiritus Sancti, 539, 540, 547. Aliorum rationes rejiciuntur, 547. In quo sensu Filius imago Deitatis a sanctis Patribus dicatur, 538. Cur id, quod procedit ut imago in divinis, debeat procedere per modum naturæ, et accipere ex vi processionis naturam divinam, 539. Imo idem dicendum in creatis, 539. Triplex gradus imaginis, alius habentis similitudinem cum principio in signo speciei, alius habentis similitudinem in specie, alius habentis eamdem naturam cum principio, 545. Cur duo priores gradus ab imagine divina relegandi, 545 et 545. Ad similitudinem perfectam in ratione imaginis requiritur, quod procedat similis ex vi processionis, 546. Hoc autem non requiritur ad similitudinem perfectam in ratione similitudinis, et ratio disparitatis, 546. Id, quod procedit, ut imago, debet procedere ex cognitione ejus ut objecti, cujus est imago, 489, 490. Non tamen omne, quod procedit ex cognitione alterius ut objecti, est ejus imago; et quid ultra requiratur, 503. Cur Verbum non sit imago Spiritus Sancti, cum procedat ex cognitione ejus ut objecti, 503 et deinceps. Si Spiritui Sancto communicaretur ex vi processionis natura divina, esset imago sui principii, 148.

IMMATERIALITAS, IMMATERIALE. Ad solam immaterialitatem constituentem peculiarem gradum subsequitur intelligibilitas propria, 410, 411. Probabile est, quod ad quamlibet immaterialitatem sequitur intelligibilitas, sive proxima, sive remota, 411. In quo consistat supremus immaterialitatis gradus, 98, 146 Relationes divinæ non constituunt peculiarem immaterialitatis gradum, distinctum a gradu immaterialitatis essentiæ, 410 et deinceps. Reducuntur tamen ad gradum essentiæ, 410. Verbum quidditative repræsentans objectum, debet esse ejusdem immaterialitatis cum illo, 13. Principium intelligendi, intellectio, et verbum debent etiam esse ejusdem immaterialitatis, 98.

IMPERFECTIO. A processione intellectuali creata possunt separari imperfectiones, et sic queit transferri ad Deum, 24.

IN. Vide Relatio.

INCLINATIO. Per voluntatem producitur ad intra inclinatio quædam sive pondus in objectum, 112 et deinceps. Terminus iste est inclinatio per modum actus secundi; voluntas vero per modum actus primi; et utraque requiritur ad volitionem, 112. Quonam modo sit volita inclinatio in actu secundo, 116. Mediante illa est amans in amato, et amatum in amante, 117. Probabile est quod Deus potest uniri cum voluntate creata per modum inclinationis in actu secundo, sicut unitur per modum verbi cum intellectu beati, 121. Probabile etiam oppositum, et ratio disparitatis, 121. Vide Pondus.

INCOMMUNICABILITAS Incommunicabilitas personæ divinæ oritur ex propria subsistentia, et fundatur in ea, 366. Vide Persona divina, Essentia divina, Relatio divina, Subsistentia.

INCOMPOSSIBILITAS. Ea, quæ materialiter tantum differunt, possunt in uno habere incompossibilitatem absque aliqua oppositione; secus vero quæ differunt formaliter, 576. Quæ in divinis non opponuntur relative, nullam habent incompossibilitatem in eodem supposito, 576.

INCREATUM. Esse quid increatum dupliciter accipiendum, 121. In Deo forent tres increati substantive si darentur tres existentiæ relativæ, 284, 288. Vide Existentia.

INDIGENTIA. Recipere *esse* ab alio non semper arguit indigentiam in recipiente, et quando sic, 17.

INDIVIDUUM. Quodnam discrimen inter nomen *suppositum* et *individuum*, 351. Nomen *individuum* quo modo accipiendum in diffinitione personæ, 352. Individuum, prout ponitur in diffinitione personæ non competit essentiæ divinæ, ut præintellectæ relationibus, 352. Individuum est quid perfectius, quam natura specifica; et unde hæc major perfectio, 344, 345. In divinis sunt tres substantiæ individuæ, non autem tria individua, et quare, 350.

INFINITAS. Ad infinitatem in actu alicujus virtutis operativæ sufficit posse producere infinitos effectus syncategorematice, 526. Infinitas divina petit identificare sibi, quidquid non est oppositum relative, 579 et deinceps, 575, 576. Infinitas in actu in merito Christi unde desumenda, 526. Infinitas, si sit relativa non exprimit perfectionem, 275. Infinitas divinæ naturæ non obstat, quominus constituat gradum intellectualitatis, 24. Neque obstat quominus operetur mediante suo intellectu, et voluntate, et non immediate, 24. Infinitati divinæ essentiæ obstat multiplicatio ejus, non autem infinitati relativæ personarum, 16. Ex infinitate divinarum personarum cur triplicitas subsistentiarum, non autem existentiarum deducenda, 410, 411. Sicut ex infinitate divinæ misericordiæ deducitur immultiplicatio ejus, cur ex infinitate subsistentiæ relativæ non deducetur ejus immultiplicatio, 368.

INGENITUM. Si in divinis non esset ordo originis darentur plures ingeniti, et plures Dii, 560. Vide Innascibilitas, Innascibile, Origo.

INNASCIBILITAS, INNASCIBILE. Innascibilitatis duplex acceptio, prout scilicet est

idem, quod non genitus, vel prout idem, quod non procedens, 477. Cur non duplex notio juxta duplicem acceptionem, 477 Innascibilitas est notio Patris, 459. Cur non *esse spiratum* non sit notio Filii nec dicat in eo dignitatem, nec esse ingenitum, vel non spirantem in Spiritu Sancto; bene tamen innascibilitas respectu Patris, 459 et 474 et deinceps. Innascibilitas non significat in recto quid positivum, neque tanquam significatum directum formale, neque directum materiale, 468 et deinceps. Negatio, sive carentia quam formaliter dicit non fundatur in essentia divina, et quare, 472. Quodnam sit ejus proximum fundamentum, 472. Pertinet ad ordinem originis negative, 473. Dicit dignitatem, non ex eo quod importat pro fundamento, 473. Quomodo cum hoc cohæreat, quod sit notio, cum etiam *non esse spiritum* in Filio dicat dignitatem ex parte fundamenti; et tamen non est notio, 474 et deinceps. Quodnam in hoc discrimen, 474.

Non dantur plures innascibiles in divinis, 8. Darentur, si nulla esset processio intra Deum, 8.

INTELLECTIO, INTELLIGERE. In natura pure intellectuali non est alia operatio, nisi intellectio et volitio et quare, 22. Intellectio est unio potentiæ cum objecto, 22. Ad hanc unionem requiritur verbum productum, vel objectum gerens vices verbi, 22. Adhuc in divinis non esset unio sine productione Verbi, 22. Intellectio creata est de prædicamento qualitatis, 22. Est tamen vera operatio, æquivalens actioni transeunti et ejus termino, 22. Intellectio non est motus diffinitus in 3 Physicorum, 51, 55, 56, 65. Non est formalis similitudo objecti, 158, 159. Intellectio, ejus principium et verbum debent esse in eodem immaterialitatis gradu, 98. Intellectio est existentia in ordine intelligibili, 45, 49, 89. Hoc habet quatenus est contemplatio, non prout est productio verbi, 88. Prout est existentia intellectus et speciei intelligibilis, significatur active: prout vero est existentia verbi, passive, 89. Intellectio, ut contemplatio, supponit verbum in creatis, ut causam quodammodo formalem sui, 89. Recipitur in verbo, ut in subjecto *quo*, 91. Sed prout est dictio præsupponitur ad verbum et non recipitur in eo, 91. Intellectionis producentis verbum triplex status, vialis, in *esse* quieto et præscindens ab utroque, 43. Quid in quolibet statu sibi vindicet, 43 et 44. Inter hos status nulla prioritas *in quo*, etiam rationis, bene tamen *a quo*: et quænam sit. Quomodo in quolibet statu sit prior, vel posterior dictione, 45. Quomodo etiam comparanda cum verbo producto, 45. Intellectio ut contemplatio nullam dicit originem. 48. Intellectio, non producens Verbum, solum est contemplatio objecti, 44. Per quam intellectionem producatur verbum, 41 et deinceps. Per quamcumque intellectionem creatam, excepta visione beatifica, formatur verbum, 36. In omni intellectione objectum debet esse intra intellectum, tam in ratione motivi, quam terminativi, 35. In omni intellectione creata, excepta visione beatifica, objectum habet esse intra intellectum in ratione terminativi per verbum, 35. Intellectio, sive in creatis, sive in divinis, non est productio verbi, secundum se sumpta, sed ut includens, 31 et deinceps. Non includit essentialiter dictionem, bene tamen e contra, 32 et sequentibus. Intellectio, prout productio verbi, non dicit novam habitudinem ad objectum, quam non exprimat sub conceptu intellectionis, 33. Intellectio, qua Angelus se ipsum cognoscit, producit verbum, 13. Omnis operatio intellectus est *intelligere*, 36, 42. In quo sensu dicatur, quod *intelligere*, est esse actu rem intellectam, 29, 48. Non est in Deo duplex intelligere, 36.

INTELLECTIO DIVINA. Est unio perfectissima intellectus divini cum sua essentia, 29. Sed non esset talis sine verbo producto, 29. Non est in Deo duplex intellectio ex æquo distincta, 37. Intellectio secundum se dicitur essentialiter et est communis toti Trinitati, 33, 48. *Intelligere* Dei est *esse* Dei, 88 et deinceps. Quomodo ex hoc deducenda generatio Verbi divini, 88. Intellectio divina perfectissime continet omnes perfectiones aliarum, 13. Continet perfectionem visionis beatificæ creatæ, quæ est, esse intuitivam et quidditativam, 13. Et perfectiones intellectionum naturalium, scilicet, fœcunditatem ad producendum verbum, 14.

Intellectio divina habet ex se, quidquid in recto requiritur ad productionem Verbi et solum indiget connotato, 33. In Filio et Spiritu Sancto est intellectio quæ alias est rectum dictionis; non autem sub conceptu recti, 34. Quid dicat intellectio, ut est rectum dictionis, 34. Quomodo intellectio, ut est rectum dictionis includat connotatum diverso modo, ac includit dictio, formaliter et adæquate sumpta, 39, 40. Intellectio connotando Paternitatem est propria ejus et dicitur notionaliter, 48. Principium intellectionis et dictionis in Deo omnino idem, absque distinctione virtuali, 51. Idem quoque objectum formale, 51. Objectum primarium divinæ intellectionis et ipsa intellectio sunt ejusdem lineæ absque distinctione virtuali; non autem objectum primarium volitionis et volitio: et quæ dispar ratio, 94. Intellectio divina, ut divina, habet producere simile in natura substantiali et quomodo sumendum ly *divina*, 163, 164 et deinceps. Sola intellectio primordialis in divinis producit verbum, 330. Cur per actus virtutum intellectualium, ut scientiæ, artis, etc. non producatur Verbum, 330. Ex quarum rerum intellectione procedat Verbum divinum. Vide Cognitio, Verbum divinum. Quomodo intellectio essentialis, licet concipiatur per modum actionis, sit constitutiva divinæ naturæ; et relatio, prout exprimit rationem originis, ea sola ratione non potest esse constitutiva divinæ personæ, 697 et deinceps.

INTELLECTUALE. Vide Natura.

INTELLECTUS. Intellectus et voluntas sunt vires proximæ naturæ pure intellectualis, 23. Operatio adæquata intellectus est *intelligere*, 35, 42. Ens et verum quomodo se habeant respectu intellectus, 86, 87. Intellectus non variatur in specie per practicum et speculativum, 152. Quod intellectus trahit ad se objectum, voluntas vero fertur ad illud, quomodo intelligendum, 115. Intellectus trahit objectum, tam ut motivum, quam ut terminativum et per quid utroque modo sit intra intellectum, 112. Discrimen in modo, quo objectum est intra intellectum mediante

verbo et intra voluntatem medio pondere seu inclinatione, 115. Quomodo intellectus determinetur per similitudinem objecti et quomodo voluntas, 163. Quomodo intellectus determinetur per speciem et quomodo per verbum, 89. Intellectus, nisi summe perfectus, nequit communicare naturam objecti cogniti sub modo essendi naturali, 89. Non unitur cum objecto intelligibiliter sine verbo producto, quando objectum se ipso non gerit vices verbi, 29. Verbum tribuit formalissime intellectui, quod sit res intellecta, 29 et 49. In quo sensu habeat hoc ab intellectione, 49. Identitas inter intellectum beati et divinam essentiam est identitas imperfecta, admixta cum distinctione potentiali, 131, 132.

INTELLECTUS DIVINUS. Est ipsum intelligere absque distinctione virtuali, 89. Pertinet ad eamdem lineam naturæ, 24. Processio per intellectum divinum quare dicatur processio per naturam, et naturalis, 26. Solus divinus intellectus potest communicare naturam objecti sub modo essendi naturali, 27.

INTELLIGI. Vide Verbum.

INTELLIGIBILE. Esse intelligibile, et naturale in Deo est idem *esse* absque distinctione virtuali, 75, 90, 170.

INTELLIGIBILITAS. Vide Veritas.

L

LINEA. Conceptus pertinentes ad eamdem lineam in divinis non distinguuntur, adhuc virtualiter, 38. Virtus proxima ad operandum, et ipsa operatio in Deo sunt ejusdem lineæ, 38. Radix ad volendum, et actualis volitio sunt diversæ lineæ, 38. Hujus ratio, 39.

M

MATER. Vide Pater, Filius.

MATERIA. Materia, et forma cur non ejusdem essentiæ, cum habeant eamdem existentiam, 92. Plus requiritur ad connaturalem receptionem formæ in materia, quam ad receptionem utcumque, 280. Materiæ primæ, ex corruptione specierum sacramentalium productæ, cur non communicetur existentia ex vi actionis per quam producitur, 93, 94.

MATERIALE. In iis, in quibus est sola materialis distinctio, possunt plura ab uno procedere absque ullo ordine; non autem si differant plusquam materialiter, et quare, 559 et deinceps. Quisnam sit ordo, 559.

MAXIMA. Quomodo intelligenda illa maximæ : *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit format verbum*, 11. Explicatio illius maximæ : *Quidquid est essentialiter tale, est tale ratione sui, cætera vero ratione illius*, 10, 117.

MENDACIUM. Vide Peccatum.

MERITUM. Meritum Christi Domini est actu infinitum, 526. Unde ejus infinitas desumenda, 526.

MISERICORDIA. Divina misericordia (et idem de aliis attributis) est infinita in ratione misericordiæ, non autem in ratione attributi, 119.

MISSIO. MITTERE. Quidnam sit missio, et an conveniat alicui personæ divinæ, 726 et deinceps. Missio non est idem quod legatio, et quare, 729. Missio, alia visibilis, alia invisibilis, et quænam, utriusque ratio, 737. Cur non alia missio mixta ex visibili et invisibili, 738. Missio visibilis et invisibilis, non sunt duæ species missionis, sed una diversimode sumpta, et invisibilis includitur in visibili 738. In missione duplex habitudo rei missæ, alia ad mittentem, alia fondamentalis ad id. cui fit missio, 726. Persona divina missa debet esse novo modo in re, ad quam mittitur, 726 et 727. Cur deroget dignitati Angelorum superiorum quod mittantur; non autem dignitati divinarum personarum, 727. Ad missionem, cur necessaria sit originis processio in persona, quæ mittitur, 727 et 726. Quare in humanis ejusmodi processio non sit necessaria, bene tamen in divinis, 728. Missio includit aliquid notionale, 726. Quomodo dicat aliquid notionale cum connotet effectum ad extra productum a tota Trinitate, 729, 730. Cur missio non sit specialis notio, 730.

Tempore legis antiquæ nulla fuit facta missio visibilis, 740. Apparitio Verbi divini in specie carbonis igniti ad purificandum labia Isaiæ, cur non fuerit missio visibilis, 740. Utraque missio, tam visibilis, quam invisibilis, est temporalis, non æterna, 740. Hujus ratio, 740. Cur missio non dicatur absolute æterna ratione originis æternæ licet connotet effectum temporalem : et tamen hic homo (signato Christo) dicitur æternus ratione suppositi æterni, licet dicat humanitatem temporalem, 741 Missio invisibilis divinarum personarum cur non possit fieri per dona gratiæ gratum facientis, 742 et deinceps, et 732, 733. Per missionem divinarum personarum ordinantur creaturæ, ad quas mittuntur in Deum, ut in finem ultimum, 732. Personæ missæ sunt in creaturis, ad quas mittuntur sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante, 737 et deinceps. Intellige, per amorem perfectissimum amicitiæ. 755 et sequentibus. Cur nequeant esse hoc modo per missionem invisibilem in creaturis, nisi media gratia sanctificante, et charitate, 755 et 747. Per missionem invisibilem habentur divinæ personæ, et possidentur a creatura, 749, 751. Cur non possint sic possideri, nisi media gratia sanctificante, 751. Missio divinarum personarum per alia dona sine gratia sanctificante, est missio secundum quid, 752. Per missionem invisibilem non solum dona gratiæ, sed etiam ipsæ personæ divinæ substantialiter, et personaliter donantur, 551 et deinceps et 751 et sequentibus. Quomodo hoc deducendum ex eo quod persona missa sit in eo, ad quem mittitur tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, 755 et deinceps.

Pater cur non possit mitti, 730. Cur possit dari nobis, et venire ad nos, non autem mitti, 731. Sicut per dona appropriata Filio, verbi gratia, per sapientiam, mittitur ad nos Filius : cur etiam per dona appropriata Patri, v. g. per potentiam non dicitur Pater mitti, 731. Inter personas quibus convenit mitti cur non possit mitti una sine alia, 731 et 732. Sumpta missione juxta translationem primariam a creatis ad divina una persona non mittitur ab alia, a qua non procedit, 733 et deinceps, 552. Sumpta autem missione juxta translationem secundariam potest mitti ab ea, a qua non procedit, 552. Quid requiratur, et sufficiat ad missionem divinam juxta translationem secundariam, 734. In missione juxta translationem secundariam

secundariam non requiritur distinctio realis personæ missæ a mittente, 736. Bene tamen in missione juxta primariam translationem. 736. In missione juxta secundariam translationem persona mittens debet esse principium personæ missæ prout novo modo est in creatura, 736.

Ex eo, quod Spiritus sanctus mittitur a Filio, quomodo deducendum, quod ab eo procedat, 550 et deinceps. Intellige de missione juxta primariam translationem, non juxta secundariam, 736. Filius, et Spiritus sanctus, quare non solum invisibiliter, sed etiam visibiliter mittantur, 739. Quare missio visibilis Filii fuerit tantum unica, et hæc in natura rationali assumpta; missio vero Spiritus sancti multiplex, et in qualibet creatura, 736 et 739. Filius mittitur, ut primus sanctificationis author, Spiritus sanctus vero ut primum sanctificationis donum, 740. Beatæ Virgini præcise ex vi maternitatis corporalis erga Christum, non fuit facta specialis missio Spiritus sancti; sed quatenus ad eam dignitatem repleta est supernaturalibus donis, 750. Imo si per absolutam Dei potentiam fieret mater Christi sine gratia sanctificante, non daretur in ea missio Spiritus sancti simpliciter, sed secundum quid, 750. Cum Apostoli dona gratiæ gratis data acceperunt, non diceretur ad eos mitti Spiritus sanctus, nisi simul cum eis donis haberent donum gratiæ sanctificantis, 750.

MOTUS. Actio, et passio cur idem cum motu, non autem inter se, 318, 319. Actio immanens non est motus diffinitus in 3 Physicorum, 54, 55.

MULTIPLICATIO. Vide Distinctio.

MULTITUDO. Vide Unitas, Numerus.

MUTATIO. Vide Generatio.

MYSTERIUM. Mysterium Trinitatis est valde difficile intellectu, 1. Est quædam immensa profunditas, 2. Quomodo in excelso solio Isaiæ figuratum, 2. Ejus incomprehensibilitas in tertia plaga Magorum Pharaonis descripta, 2. Sola fide cognoscitur, 2. Mysterium Trinitatis nullam dicit perfectionem ratione relationum secundum esse *ad*, 274, 275.

N

NATURA. In natura pure intellectuali nulla datur operatio, nisi *intelligere*, et *velle*, 22. Nulla etiam virtus proxima ad operandum nisi intellectus, et voluntas, 24 In natura intellectuali creata datur processio per intellectum, 11. Datur etiam processio per voluntatem, 109. Natura, quæ identificat sibi suas potentias proximas operandi, est natura infinita, 38 Ejusdem naturæ multimoda communicatio soli divinæ propria, 121. Persona est perfectius quid, quam natura specifica, et unde hæc major perfectio, 345. Natura Angeli est simul absque distinctione actuali natura intellectiva ut *quod*, et species intelligibilis, quoad cognitionem sui 210. Sola virtuali distinctione præstat, quæ natura inferior, et species intelligibilis cum reali distinctione præstant, 210.

NATURA DIVINA. Sola divina natura est communicabilis pluribus modis, sive processionibus, 121 Natura divina per se petit esse in tribus suppositis, et quodlibet est ei, quadratum, 34. Quomodo ex hoc oriatur, quod prout est in uno supposito, non habeat quidquid habet prout in altero, 34. Terminare naturam divinam per modum personalitatis nullam dicit perfectionem proxime, bene tamen remote, 274 Natura divina non distinguitur, adhuc virtualiter a suo intellectu, bene tamen a voluntate, 24. Ex unitate naturæ in tribus suppositis, quomodo processio unius ab alio inferenda, 8 et deinceps. Infinitas divinæ naturæ non obstat quominus pertineat ad aliquem gradum immaterialitatis, sub omni tamen actualitate, 24 Neque etiam obstat, quominus operetur mediis potentiis intellectus et voluntatis, 24. A natura divina, ut præintellecta his potentiis nulla oritur processio, 20, 21 et deinceps. Sola divina natura, ut distincta ab attributis, et relationibus, est a se, prout ens a se excludit esse ab alio sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori, 165. Ex identitate relationum cum divina natura cur non sequitur identitas earum inter se, 314 et sequentibus. Cur relatio identitatis in natura non sit realis inter divinas personas, 327. Natura, ut affecta relationibus plus dicit realitatis, quam ut præit illas, 263. Plus etiam diceret perfectionis, si relationes secundum esse *ad* afferrent perfectionem relativam, 263.

Natura divina non habet a Verbo, quod sit actu intellecta, sed a se ipsa, et quare, 76. Non communicatur Spiritui sancto ex vi processionis formalissime, sed tantum identice, 128 et sequentibus. Ejus processio non propter hoc est identice generatio, 132. Quomodo processio Spiritus sancti possit terminari ad attributum amoris, quin prius terminetur ad naturam, a qua oritur attributum, 140. Cur in processione per intellectum sit hoc impossibile, 157. Quomodo intellectio essentialis, licet concipiatur ut actio, possit esse constitutiva divinæ naturæ: cum relatio, prout exprimit rationem originis, ea sola ratione non possit esse constitutiva personæ, 697 et sequentibus. Quomodo natura divina quasi bis constituat Patrem in *esse* objecti intellecti respectu intellectionis sui; semel quidem prout est in Patre, sicut essentia ejus; semel autem prout est in Verbo, in quo Pater se, et omnia intelligit, 558, 559.

Natura divina, ut præintellecta personis, est subsistens subsistentia absoluta, 230 et deinceps. Quomodo ex eo, quod ut sic præconcepta intelligat per intellectionem primordialem, deducendum, quod ut sic subsistat *ut quod*, 376, 380. Ex negatione talis subsistentiæ cur sequeretur multiplicandam in tribus suppositis, 384. Quare ut sic subsistens, non sit persona, 390, 391. Natura est significatum indirectum, et in obliquo personæ divinæ, 358, 39. Personalitas divina in abstracto etiam connotat naturam, 39. Quænam diversitas inter personam et personalitatem in modo connotandi divinam naturam 40 Quomodo relationes divinæ habeant a natura, ut a prima radice, quod constituant hypostases, 367, 690, 691. In divinis nulla existentia relativa præter absolutam divinæ naturæ, 282 et sequentibus. Natura, ut præintellecta personis, intelligitur existens per propriam existentiam, 281. Natura, non ut transcendens, sed sub conceptu naturæ tribuit relationibus divinis *esse* existentiæ, 302, 303. Na-

turæ divinæ per se primo est debita existentia; attributis vero secundario, 93.

Naturæ divinæ duplex conceptus et per modum transcendentis et per modum naturæ: et quid juxta quemlibet conceptum importet, 218 et sequentibus. Sumpta per modum naturæ non includitur in relationibus, ut virtualiter distinctis, 219 et deinceps. Bene tamen sumpta per modum transcendentis, 219 et sequentibus. Natura, ut transcendens per transcendentiam rei, non pertinet ad lineam relationum; pertineret tamen, si esset transcendens per transcendentiam rationis, 138, 145, 164, 165, 222, 240. Cur non obstet infinitati divinæ naturæ distinctio virtualis a relationibus: cum tamen obstet eidem infinitati, quod non includatur in relationibus per modum transcendentis, 226 et sequentibus. Quare similiter non obstet infinitati relationum divinarum, quod non includantur per modum transcendentium in natura, 229. Natura divina bis includitur in persona, semel quidem per modum transcendentis, semel autem per modum naturæ, 235, 345, 346. Cur natura, per modum transcendentis inclusa in relationibus, non det eis, quod sint intelligentes: cum tamen tribuat eis, quod sint bonæ, et perfectæ, 235, 248. Quisnam sit proprius quasi effectus formalis naturæ, ut per modum transcendentis inclusæ in relationibus, 235. Quare, ut sic inclusa, non possit præscindi a relationibus, 249. Relationes divinæ, sive sumantur per modum transcendentium, sive per modum relationum, non includuntur in natura, 241 et sequentibus. Sunt tamen de intrinseco conceptu naturæ, tanquam modi intrinseci, et essentiales ejus, 245 et deinceps. Natura divina non esset infinita nec infinite fœcunda, nisi tribus relationibus terminata, 245. Vide Essentia divina.

NATURALE. Processio divina per intellectum cur dicatur naturalis, vel per naturam, 27.

NEGATIO. Vide Carentia.

NOMEN. Alicujus nominis significatum, aliud formale directum, aliud materiale directum, aliud indirectum, 353. An significatum formale directum hujus nominis persona divina sit quid relativum, et quodnam munus relativum, 354, 355. Quodve significatum materiale directum, 355. Quodnam indirectum, sive in obliquo, 358. In significato hujus nominis *Deus* importatur Deitas, secundum unam rationem in recto, secundum aliam in obliquo, 360.

Hoc nomen *Trinitas* quid ex etymologia, quidve ex hominum impositione significet, et quomodo eo utendum in divinis, 429, 430. Cur non utendum in divinis nomine *triplicitatis*, *triplicis*, aut *triformis*, et quid per hæc nomina significetur, 430, 431 et sequentibus. Hoc nomen *Deus* ex se significat habentem Deitatem, non autem personam, 370, 371. Quandoque ex adjuncto termino limitatur, ad supponendum pro aliqua determinata persona, 669. Cum *Deus* significet habentem Deitatem, cur non tres Dii, sicut tres habentes Deitatem, 664.

Tria nominum genera in divinis, alia essentialia, alia notionalia, alia transcendentia, 660. Hæc nomina alia substantiva, alia adjectiva, 660. Quodnam discrimen inter substantiva et adjectiva, 672. Nomina essentialia adjectiva in concreto sumpta dicuntur pluraliter in divinis, 660. Nomina adjectiva, etsi aliquando significent substantiam, significant tamen illam per modum accidentis, sive alteri adjacentis, 660. Quandoque nomina adjectiva sumuntur in vi substantivorum, 661. Ita nomen *æternus* et nomen *increatus*, *etc* apud Athanasium, 661. Cur nomen *æternus* possit sumi substantive; et dici singulariter in divinis, non tamen nomen *coæternus*, 661. Nomina essentialia substantiva in concreto, cur non dicantur pluraliter in divinis, 661 et deinceps. Nomina concreta substantiva a quo sumant unitatem, vel pluralitatem, sive tanquam a ratione formali, sive tanquam a conditione, 664 et sequentibus. Nomina concreta essentialia quandoque in divinis possunt supponere pro persona, 669. Quomodo ex adjuncto termino limitentur, vel distrahantur ad supponendum pro una, vel pluribus, 669, 670. Nomina vero essentialia abstracta nunquam possunt supponere pro persona, 672 et deinceps.

NOTIO. Quænam notionis bona diffinitio, 449 et deinceps. Notio est superior ad proprietatem personalem et non personalem, 459 Pertinet ad ordinem originis: et ejus numerus ex originibus desumendus, 459 et deinceps In divinis ponendæ sunt notiones, 452 et sequentibus. Quinque dumtaxat sunt, et quænam, 459 et deinceps. Per notiones occurritur interrogationi, *Quonam personæ divinæ sunt tres?* 453. Notio debet significari, quasi *in facto esse*, non ut in via, vel *fieri*, 463. Non præsupponere aliam personam procedentem, cur non sit propria notio Filii, 465. Cur innascibilitas sit notio Patris et non esse spiratum non sit notio Filii, neque esse ingenitum, vel non esse spirantem sit notio Spiritus Sancti, 460, 474 et deinceps. Potentia generativa cur non sit notio peculiaris Patris, aut potentia spirativa Patris et Filii, 462, 463. Quomodo spiratio activa sit notio Patris et Filii cum sit communis utrique, 465, 466, Cur esse principium fontale Deitatis non sit specialis notio Patris: et quomodo se habeat ad Paternitatem, 469 et deinceps. Innascibilitas prout est idem quod non procedens, et prout idem, quod non genitus, cur non duplex notio, 477. Ratio doni in Spiritu Sancto cur non sit notio distincta a Processione, 655. Quare missio, cum significet aliquid notionale, non sit specialis notio, 729.

NOTIONALE. Processiones divinæ sunt actus notionales, 26. Notionalia in suo conceptu dicunt relationes; secus vero essentialia, 36.

NOTITIA. Vide Cognitio.

NUMERUS. Numerus, secundum rationem analogam ad numerum creatum, et divinum, nullam dicit imperfectionem, 412. Numerus, alius abstractus, alius prout in rebus: et quid per quemlibet istorum significetur, et quisnam ex eis sit in divinis, 415 et sequentibus. Quomodo intelligendum, quod id, quod continetur sub numero, mensuratur per illum, 418. Quid requiratur ad numerum compositum, et quare relegandus a Deo, 417. Numerus relationum creatarum secundum esse relativum non est numerus compositus, et quare, 420. Sed dato quod sic, cur non idem dicendum de numero divinarum relationum, 420. In divinis est numerus transcendentalis personarum, non autem numerus simpliciter, 411 et deinceps. 423.

Quomodo

Quomodo fieri possit, quod numerus abstractus ex vi suæ lineæ, et ut præscindit ab hoc, vel illo numero abstracto, dicat essentialiter imperfectionem compositionis, et quod contractus ad numerum abstractum divinarum relationum, vel etiam creaturarum, careat illa, 121.

NUMERALIS. Vide Terminus Numeralis.

O

OBJECTUM. Objectum operationis immanentis debet quodammodo esse intra agens; et quæ sit latitudo in modo essendi ad intra inter objecta actionum immanentium, 111. Objectum primarium nequit cognosci comprehensive sive secundario si habeat nexum cum primario, 512. Esse objectum actu terminans intellectionem est de essentia verbi, 13, 36, 37. Objectum, quod se ipso unitur in ratione verbi, essentialiter habet actu terminare intellectionem primariam sui, 13. Quando objectum est essentialiter intellectum, productio Verbi per cognitionem quidditativam terminatam ad illud arguit infinitatem in producente, 14, 15. Non producere illud in eo eventu oritur ex imperfectione, 15. Objectum est intra intellectum in ratione motivi, per speciem impressam, in ratione terminativi per verbum, 35. Quando objectum habeat hæc a se ipso, 37. Objectum formale dictionis, et intellectionis in divinis est omnino idem, 51, 52. Objectum primarium divinæ intellectionis, et ipsa intellectio pertinent ad eamdem lineam, non autem objectum primarium volitionis, et ipsa volitio sunt ejusdem lineæ, et quare, 94. Quod voluntas feratur ad objectum, et intellectus trahat illud ad se, quomodo intelligendum, 115. Objectum volitum qua ratione sit intra volentem, 117. Discrimen in modo essendi objecti intra intellectum medio verbo, et intra voluntatem medio pondere, sive inclinatione producta, 116. In cujuslibet objecti volitione, quomodo ipsa volitio sit volita, 116. Et quomodo sit volitus terminus intrinsecus volitionis, 116.

OBLIQUUM. Vide Rectum.

OMNIPOTENTIA. Omnipotentia est ratio a priori possibilitatis creaturarum, 167, 510 et deinceps, 514. Nequit cognosci comprehensive, quin cognoscantur in eodem signo omnes creaturæ possibiles, 517 et sequentibus. Non esset in Deo omnipotentia, si non essent creaturæ possibiles, 510, 524, 525. Si implicaret una vel altera creatura ex iis, quæ nunc possibiles sunt, probabile est, quod omnipotentia non esset ejusdem rationis ac nunc, 524. Probabile etiam oppositum, 525. Quæ sit connexio inter omnipotentiam, et creaturas possibiles: et an sit magis necessarium, Deum esse, quam eas esse possibiles, 521 et sequentibus.

OPERATIO, OPERARI. Nulla datur operatio in natura pure intellectuali, nisi *intelligere*, et *velle*, et quare, 22. Quare in homine dentur aliæ operationes præter illas, 22. Operatio adæquata intellectus est intellectio, 42, 43. Esse terminum productum per operationem ex vi hujus præcise, nullam dicit imperfectionem, 57. Per operationem secundum exteriorem nihil producitur ad intra, 111. Hujus ratio, 116. Operationis immanentis a transeunte discrimen in habendo objectum ad intra: et quænam latitudo inter objecta operationum immanentium in modo essendi intra potentias, 111. Operationis immanentis a transeunte discrimen in producendo terminum, 28, 114. Operatio procedit a subsistente *ut quod*, 376, 380. Dupliciter unum dicitur operari per aliud, 553. Operatio intellectus creati producentis verbum, est generatio viventium secundum quid, et imperfecta, 25, 46. Processiones divinæ sunt veræ operationes, 52. Emanatio, quæ non est vera operatio, dicit imperfectionem, 52. Operationes intelligibiles nullam in suo conceptu dicunt imperfectionem, 53. Operationes Dei ad extra sunt actiones formaliter immanentes, 57. In quonam consistat potentia earum executiva, 57. Operationes Christi an accipiant suum valorem a relatione personali Verbi secundum esse *ad*; an ab essentia divina inclusa in relatione per modum transcendentis, 273. Vide Actio.

OPPOSITIO. Quæ distinguuntur sola oppositione relativa, participant unam numero naturam. Ea, quæ numerice tantum distinguuntur, possunt esse incompossibilia absque ulla oppositione; non autem quæ formaliter distinguuntur, et quare, 576. Oppositio disparata ex se dicit imperfectionem, et limitationem, saltem in uno extremo, 250. Inter omnes oppositiones oppositio relativa primatum tenet, et ea sola nullam ex se dicit imperfectionem, 178. In divinis nulla est oppositio nisi relativa, 10, 178, 574. Cur nequeat esse oppositio contradictoria; neque contraria, 578. Omnis distinctio realis in divinis est per relativam oppositionem, 333, 468, 574 et deinceps.

Quæ non habent oppositionem relativam, non sunt incompossibilia in divinis in eodem supposito, licet alias in creatis incompossibilia sint, 576, 580. Oppositio secundum affirmationem et negationem non potest esse prima ratio distinctionis, sive in divinis, sive in creatis, 577. Semper fundatur in alia oppositione reali, 577. In divinis debet fundari in oppositione relativa, 577. Quaenam esset oppositio inter Patrem et Spiritum Sanctum, ex hypothesi quod Spiritus Sanctus non procederet a Patre, 583. Inter Processionem, sive spirationem passivam, et Paternitatem est oppositio relativa radicalis tantum, 585. Similiter inter Filiationem et Processionem, 585 et 586. Quomodo hæc oppositio sufficiat ad distinctionem realem formaliter talem inter illas relationes, 586. Probabile est, quod ea radicalis oppositio præcise sumpta non sufficiat ut illæ relationes realiter formaliter, distinguantur, sed solum realiter radicaliter, 589, 592, 598.

ORDO. Ordo originis est quid distinctum, ac ordo prioritatis *in quo*: et quid ad cujuslibet conceptum pertineat, 487 et deinceps. In divinis nullus ordo, præter ordinem originis, et quare, 559. In rebus, quæ materialiter tantum differunt, possunt plura ab uno procedere absque ullo ordine; non autem in iis, quæ differunt formaliter, et quare, 559. Si in divinis non esset ordo originis, darentur plures ingeniti et plures Dei, et quare, 560. Vide Origo.

ORIGENES. Origenis error, quatenus negat Filium Dei esse verbum, 22. Ideo fons Arianorum a D. Thoma appellatur, 22.

ORIGO. Duplex ordo originis in divinis, nempe, *a quo alius*, et *qui ab alio*, 461 et deinceps. Nullus ordo in Divinis præter ordi-

nem originis, 559. Prioritas originis et prioritas *in quo* sunt distinctæ prioritates : et quid pertineat ad conceptum cujuslibet, 487 et deinceps. Inter essentiam divinam et personas et inter divinas personas ad invicem est ordo originis, non tamen prioritas *in quo*, adhuc rationis, 487. Quomodo ex ejusmodi ordine originis non sequatur, quod divina intellectio possit concipi, ut terminata ad essentiam in aliquo signo *in quo*, et non terminata ad personas, vel ut terminata ad unam personam et non ad aliam, 488. Si in divinis non esset ordo originis, darentur plures ingeniti, et plures Dii, et quare, 559. Personæ divinæ non constituuntur originibus, adhuc admisso, quod origines dicunt in recto aliquid relativum, 692 et deinceps. In quo sensu intelligendus D. Thomas, cum inquit, quod origines in divinis non intelliguntur, ut inhærentes personis, 696, 697. Cur relatio potius, quam origo constituat personam divinam, cum utraque concipiatur ut tendens in aliud, 697. Quare relatio, prout exprimit rationem originis, non possit constituere personam divinam, quia concipitur per modum actionis : cum intellectio divina, quæ concipitur per modum actionis, constituat naturam divinam, 697 et seqnentibus. Origo est prior relatione divina, considerata ut exprimit *ad :* posterior autem eadem relatione, ut est forma hypostatica, 701.

P

PARS. In divinis non est totum et pars etiam secundum quantitatem modalem discretam, 415.

PASSIO. Actio et passio quomodo sint idem cum motu, non autem inter se, 318, 321. Non sunt res, sed formalitates, 322. Vide Actio.

PATER. Ratio patris et filii, solum reperitur in viventibus, 63. Probabile est, quod filius refertur ad patrem et matrem duplici relatione formaliter distincta, licet realiter una, 455. Probabilibus oppositum, 456. Quomodo pater et mater sint causæ partiales in generatione prolis, 456.

PATER IN DIVINIS. Patris et Filii rationes in quo sensu relegandæ a Deo juxta D. Dionysium, 77. Conceptus dicendi et conceptus generandi in Patre, est unus et idem conceptus absque distinctione virtuali, 100, 101. Quare et quo sensu Pater dicatur a sanctis Patribus major Filio, 464. Pater pro illo priori, pro quo intelligitur ut principium Filii, est innascibilis, 472. Non est idem in Patre absque distinctione virtuali esse Patrem et esse principium Spiritus Sancti, 557. Sicut Pater dicitur Filii Pater, cur non etiam persona Patris dicetur persona Filii, 359. In quo sensu Pater sine Filio non esset perfectus et foret mutus : et uterque sine Spiritu Sancto non esset vivus et foret imperfectus, 269. Pater, ut generans, dicit in recto essentiam et in obliquo relationem ; e contra vero Filius, ut genitus et ut Verbum : et quæ dispar ratio, 104. Essentia divina Patris in quo sensu opponatur identice, licet non formaliter cum Filiatione, 208. Cur Pater non intelligat, nec sit sapiens Paternitate, cum Paternitas in abstracto includat intellectionem essentialem et sapientiam per modum transcendentium sumptas, 234, 235. Quisnam sit effectus formalis essentiæ divinæ, prout inclusæ per modum transcendentis in Paternitate et aliis relationibus, 236. Patris constitutio in esse Patris est a Paternitate secundum *esse* relativum ; constitutio vero connaturalis Patris est ab essentia divina in Paternitate inclusa, 279. Quomodo Pater quasi bis constituatur ab essentia in esse objecti intellecti, semel quidem ab ea, prout est in Patre ut essentia ejus, semel autem prout in Verbo, in quo se et omnia intelligit, 558, 559. Verbum divinum non constituit Patrem in esse objecti actu intellecti ratione suæ proprietatis personalis, sed ratione essentiæ in eo inclusæ, 559. Filius et Spiritus Sanctus, cur non possint procedere a Patre absque aliquo ordine, 559 et deinceps. Quare hic ordo non possit esse alius, quam originis, 559. In quo sensu Pater dicatur fons divinitatis, 562. Quomodo se habeant in Patre ratio Paternitatis et fontalitas, sive ratio principii fontalis divinitatis, 469 et sequentibus.

Si Spiritus sanctus a Patre non procederet, sed a Filio cur adhuc a Patre realiter distingueretur : cum tamen a Filio non distingueretur, si ab eo non procederet 583. Quomodo in ea hypothesi Spiritus sanctus, et Pater opponerentur relative mediate, licet non immediate, 583. An hæc oppositio esset per accidens, an per se, 584. Cur ex eo, quod Spiritus sanctus sufficienter procedat a Patre, non superfluat influxus Filii, 563. Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, 602. Procedit a Patre quodammodo mediate, et quodammodo immediate, 603. Non tamen minus principaliter, quam a Filio, 604. Uterque est unum principium Spiritus sancti, 604 et sequentibus. Pro quo supponat ly *principium*. 605 et deinceps. Pater non distinguitur realiter, formaliter, et proxime per Paternitatem a Spiritu sancto, sed per spirationem activam, 591, 609, 610. Pater, et Filius non præsupponuntur ad relationem spirationis activæ, ut volentes volitione notionali, sed tantum essentiali, 612. Adhuc volitione essentiali non aliqua prioritate *in quo*, sed *a quo :* et in quonam hæc prioritas consistat, 613, 614. Si per impossibile Pater non haberet intellectum, etiamsi haberet voluntatem fœcundam, non procederet Spiritus sanctus ejusdem rationis, ac nunc, 634. Cum Pater habeat duas potentias, generativam scilicet, et spirativam, cur non dicendus duo principia, 663. Pater prius nostro modo concipiendi intelligitur constitutus in esse Patris, quam quod generet, vel referatur ad Filium, 702.

Cur Pater non mittatur, sicut aliæ personæ, 730 Sicut Filius mittitur ratione doni ei appropriati, v. g. ratione sapientiæ communicatæ creaturæ, cur etiam Pater non dicetur mitti, cum communicatur creaturæ potentia, quæ appropriatur Patri, 731 Cur Pater veniat ad nos, et detur nobis, non autem mittatur, 731.

PATERNITAS. In paternitate divina plura munera inadæquata reperiuntur : et quæ prioritas, vel posterioritas inter illa, 700, 708 Paternitas prius nostro modo concipiendi intelligitur constituere Patrem, quam quod Pater generet, vel referatur ad Filium, 702, 703. In quo sensu Paternitas communicetur identice Filio, 208. Paternitas ratione esse relativi constituit Patrem in divinis; ratione vero essentiæ inclusæ per modum

transcendentis

transcendentis constituit connaturaliter : et ratio discriminis, 280. Cur Paternitas non includatur per modum transcendentis in spiratione activa, bene tamen e contra, 229. Paternitas, ut distincta virtualiter ab essentia, ratione relativi est incommunicabilis, ratione vero essentiæ in ea inclusæ communicabilis, 230. Cur ex inclusione naturæ divinæ per modum transcendentis in Paternitate, non sequatur, quod Pater intelligat Paternitate, 235. Quisnam sit effectus formalis essentiæ divinæ, ut per modum transcendentis inclusæ in Paternitate, 235. An hæc prædicatio sit per se, ***Paternitas est essentia,*** 240. Paternitas non includitur per modum transcendentis in Filiatione, neque e converso, 240 et sequentibus. Spiratio activa in divinis non distinguitur realiter a Paternitate, et Filiatione, sed virtualiter, 331 et deinceps. Quomodo si realiter distingueretur, essent in Deo quatuor res, 331. Talis distinctio pugnat cum divina simplicitate 332. Paternitas, et spiratio activa sunt duæ relationes reales, si ly *reales*, appellet supra ly *relationes,* non autem si appellet supra ly *duæ,* 336. Cur non etiam dicendæ duæ relativæ, 337. Cum Paternitas, et spiratio correspondeant duabus relationibus realiter distinctis, cur non etiam realiter distinctæ, 333, 460 454. Cur non possint de se invicem prædicari, 335.

Paternitas est notio Patris, 460 et sequentibus. Est fundamentum proximum innascibilitatis, 470 471 et sequentibus. Cur esse principium fontale Deitatis non sit in Patre notio distincta Paternitate, et innascibilitate, 469 et deinceps. Paternitas, et spiratio passiva, sive processio opponuntur radicaliter, non vero proxime formaliter, 584, 589. Licet opponantur solum radicaliter, probabile tamen est quod distinguuntur proxime formaliter, 589. Probabile quoque est quod præcise ex vi illius oppositionis, non distinguuntur proxime formaliter, sed solum radicaliter, 591, 592, 598. Paternitas, et Filiatio concurrunt ad constitutionem principii *quod* adæquati Spiritus Sancti; non autem ad constitutionem principii *quo,* et quare, 610 et deinceps. Non eo modo quo Paternitas est connotatum potentiæ generativæ, Paternitas etiam, et Filiatio, sunt connotata potentiæ spirativæ, et quodnam discrimen, 632

PECCATUM. Quomodo materiale peccati initiative opponitur cum gratia sanctificante, 271. Vide Gratia.

PERFECTIO, PERFECTUM Perfectio et bonitas quomodo se habeant ad invicem, 248. Perfectio et bonitas non ad aliud sed ad se dicitur, 254 255 et sequentibus. Quomodo etiam attendatur secundum ordinem unius ad aliud, 268. Perfectio, et bonitas rei sumitur per ordinem ad existentiam 257. Quare natura humana ut sic et Mathematicalia, ut talia non dicant bonitatem, et perfectionem, 257 et 434. Cur relationes divinæ connotando saltem existentiam divinæ essentiæ, non dicant bonitatem, et perfectionem relativam. 278. Eo, quæ dicunt essentialiter ordinem transcendentalem ad aliud, in quantum sunt perfecta, et bona, dicuntur ad se, 259. Perfectio est duplex, alia totalis alia partialis, sive inadæquata, 251. Magnitudo in Deo est idem, quod perfectio, 253 Diffinitio perfectionis simpliciter simplicis, 250. Perfectius est habere aliquam perfectionem formaliter, et eminenter, quam habere illam solum eminenter, 261.

An eædem numero perfectiones creaturarum sint formaliter in Deo, seclusis imperfectionibus, 262. Summæ perfectioni divinæ naturæ non obstat, quominus ejus processiones sint mediantibus intellectu et voluntate, 24. Perfectiones divinæ concipiendæ sunt ad instar perfectionum supremarum creaturarum, 23, 24. Intellige, secundum quod perfectiores sunt, 13, 26. Perfectio relativa in divinis pugnat cum æqualitate personarum, 260, 261. Quomodo ex eo, quod perfectio et bonitas dicitur ad se, deducendum non dari in Deo perfectiones relativas, 254, 257 et sequentibus. Quomodo essentia divina plus perfectionis haberet, ut affecta relationibus, quam ut præit illas, si semel relationes dicerent perfectionem relativam, 261 et deinceps.

Perfectum est, cui nihil deest. Quomodo intelligendum, 176. Perfectum et bonum cum quo ente convertantur, 277. Vide Bonitas.

PERSONA. Diffinitio personæ, 237 et deinceps. Cur non competat essentiæ divinæ, ut præintellectæ relationibus, 238, 239. Quomodo intelligendum ly *rationalis,* positum in diffinitione personæ, 352, 353. Persona est quid perfectius, quam natura specifica, 356, 357. Quomodo intelligendum quod sit quid perfectissimum in tota natura, 357. Persona creata, hoc ipso quod constituatur ex personalitate et natura secluso intellectu distinctis, eo ipso est composita, 203. Persona Christi est actu composita, 204.

PERSONA DIVINA. In divinis est formaliter ratio personæ, 344. An significatum formale directum hujus nominis *persona divina* sit quid relativum et quodnam munus relativum, 355, 356 Quodnam sit significatum materiale directum, 356. Quodnam indirectum et in obliquo, 358. Ratio personæ divinæ non est communis univoce, sed analogice, 435, 436 et deinceps. Æqualiter tamen participatur a qualibet : et quomodo hoc cum illo cohæreat, 444. Cur hæc convenientia univoca pugnet cum simplicitate divinarum personarum et cum unica earum existentia, 436. Ratio personæ divinæ dicitur quidditative et non denominative tantum de qualibet persona, et est sicut individuum vagum respectu determinati individui, 440 et sequentibus. Cur ratio personæ divinæ non distinguitur a ratione propria et peculiari determinatæ personæ adhuc virtualiter, 439. Essentia divina est fons et principium virtuale personarum, 488. Inter essentiam et personas, vel inter personas ad invicem nulla prioritas *in quo,* adhuc rationis, sed solum prioritas originis, 459 et sequentibus. Non potest intelligi essentia per intellectionem rei (prout est in se) in aliquo signo *in quo,* adhuc rationis, sine personis, vel una persona sine alia, 459. Personarum numerus. Vide Numerus. Dantur tres personæ et tres hypostases, non autem tres usiæ, 207, 208. Cur non dicendæ tres substantiæ, cum substantia sit de ratione personæ, 350 Quare relatio distinctionis inter personas non sit relatio realis distincta, adhuc virtualiter, a relationibus personalibus, 328. Cur neque etiam relatio inexistentiæ, sive præsentiæ unius in alia, 328. Cur relatio identitatis in essentia inter divinas personas non sit realis, 327. Distinctio realis

inter personas non obstat earum infinitati, 16. Personæ divinæ se totis differunt, sed non totaliter, 42. Quælibet ex tribus personis est inadæquata respectu naturæ divinæ, 34. Quomodo ex hoc deducendum, quod id, quod competit naturæ, prout est in una persona, non competit illi, prout in altera, 34. Cur non obstet divinæ simplicitati distinctio realis personarum, 203. Cur non etiam obstet distinctio virtualis inter personas et essentiam, 205, Cur autem obstet eidem simplicitati distinctio realis inter essentiam et personas, 201 et sequentibus. Si personæ ab essentia secluso intellectu distinguerentur, esset in eis compositio omnium imperfectissima, nempe per aggregationem, 203. Imo essent creaturæ, 278. Personæ divinæ carent omni compositione, licet conveniant in essentia et differant per proprietates, 17. Ex personarum Trinitate quomodo intra Deum processio deducenda, 8. Quæ distinctio inter personas sufficiat, ut una procedat ab alia, 8. Distinctio inter divinas personas non est materialis, sed formalis, 577. Infinitas divinarum personarum petit identificare sibi, quidquid non opponitur relative, 579 et sequentibus. Distinctio realis divinarum processionum non est ratio a priori distinctionis personarum, sed potius e converso, 579. Repugnat personæ divinæ procedere ab alio, ut a causa non vero ut a principio, 9. Non desinit esse primum ens et primum principium, licet ab alia procedat, 10 Quid intersit inter personam in concreto et personalitatem in abstracto quoad modum connotandi naturam, 40.

Persona quasi bis includit naturam semel quidem per modum transcendentis et semel per modum naturæ, 682, 346. 682. Perfectio relativa in divinis pugnat cum omnimoda æqualitate personarum, et quare, 260. Quis sensus Augustini dicentis, quod persona in divinis dicitur ad se, 359, 689. Sicut Pater dicitur Filii Pater, cur persona Patris non dicetur persona Filii, 359. Quomodo Deus in concreto, et Deitas in abstracto prædicentur de persona divina, 360. Hoc nomen *Deus* non significat personam, sed habentem Deitatem, 370, 371. In quo persona ab habente Deitatem distinguatur, 371

Personæ divinæ, ultra subsistentias relativas, important subsistentiam absolutam divinæ essentiæ, 370 et sequentibus. Cur non ideo quarta persona, 390. Personæ divinæ incommunicabilitas fundatur in subsistentia propria et relativa, et oritur ab ea, 366. Constituere personam, quomodo relatio divina habeat a natura, ut a prima radice, 367, 368. Constituere personam, et constituere connaturalissime ex diversis capitibus oritur in divinis, et quare, 281. Si natura divina non afferret propriam subsistentiam absolutam, cur multiplicaretur in tribus personis, 383. Subsistentia absoluta dupliciter communicatur personis, 390.

Personæ divinæ non existunt per aliam existentiam, quam per absolutam divinæ essentiæ, 282 et sequentibus. Cur, si existerent per proprias existentias relativas, forent in Deo tres æterni; et tres increati substantive, 284 et sequentibus. Tales existentiæ advenirent accidentaliter divinæ essentiæ, 288.

Per notiones occurritur interrogationi. *Quonam personæ divinæ sunt tres?* 453.

Quomodo Verbum procedat ex cognitione personarum, cum personæ sint objectum secundarium cognitionis divinæ, 494. Quomodo in divinis personis intelligendum, quod idem est constitutivum et distinctivum, 589, 591, 592 Cur persona divina possit distingui a creaturis distinctione disparata; ab alia vero persona divina non nisi distinctione relativa, 595. In divinis dantur proprietates constituentes, et distinguentes personas, 678 et sequentibus. Constitutio earum est constitutio per simplicitatem, 680, 681. Cur non deroget summæ simplicitati earum, quod constituantur ex formalitatibus virtualiter distinctis, 681. Quomodo hæc constitutio personarum sit realis, cum extrema non sint realiter distincta, 682. An sit realis actualis; an realis virtualis, an etiam rationis, 683. Proprietates constituentes personas sunt relativæ, non absolutæ, 684 et deinceps. Non omnis proprietas, quæ distinguit unam personam ab alia, est etiam constitutiva, 687. Proprietas vero, quæ primo distinguit, etiam constituit personam, 687. Personæ non constituuntur relationibus, ut exprimunt rationem originum, admisso, quod origo in divinis dicat de formali aliquid relativum, 693, 694 et sequentibus. Cur relatio potius, quam origo intelligatur constituere personam, cum utraque concipiatur ut tendens in aliud, 696. Cur relatio, ut origo, quia concipitur per modum actionis, non est constitutiva personæ : cum intellectio divina, licet concipiatur ut actio, constituat divinam naturam, 697 et deinceps. Aliter loquendum de constitutivo personæ divinæ, prout concipitur per conceptus perfectos; aliter vero prout concipitur per confusos, et imperfectos, 700. Si priori modo concipiantur personæ, constituuntur per relationes adhuc ut exprimunt esse *ad*, 700. Si autem posteriori modo concipiantur, constituuntur per relationes, ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, non autem ut exprimunt esse *ad*, 702 et sequentibus. Persona Patris prius nostro modo concipiendi imperfecto intelligitur constituta in *esse* personæ, quam quod generet vel referatur ad Filium, 702.

An alicui personæ divinæ conveniat mitti : et quidnam sit missio, 726 et sequentibus. In persona missa duplex habitudo, alia ad mittentem, et alia fundamentalis ad eum, cui fit missio, 726 et 727. Cur deroget dignitati Angelorum superiorum, quod ad nos mittantur, non autem dignitati divinarum personarum, 727. Cur non omnes personæ mittantur, 730. Quare ex eis quæ mittuntur, non possit una mitti sine alia, 731 et 732. Personæ divinæ non mittuntur mediis donis gratiæ gratis datæ præcise; sed per dona gratiæ gratum facientis, et quare, 731, 732. Si missio sumatur secundum primariam translationem a creatis ad divina, non potest una persona mitti ab alia, a qua non procedit; bene tamen si sumatur juxta secundariam translationem. 733, 551 et deinceps. In missione juxta secundariam translationem non requiritur distinctio realis personæ missæ a mittente; bene tamen in missione juxta primariam, 736 In missione juxta secundariam translationem, persona mittens debet esse principium personæ missæ, non secundum se sumptæ, sed prout est novo modo in creatura, 736. Quare personæ Filii, et Spiritus Sancti, non solum invisibiliter,

visibiliter, sed etiam visibiliter mittantur creaturis, 739. Cur persona Filii non mittatur nisi unica tantum missione visibili, scilicet in natura assumpta: persona vero Spiritus Sancti pluribus missionibus, 739 et 740. Per missionem divinarum personarum ordinantur creaturæ, ad quas mittuntur, in Deum ut in ultimum finem, 746 Habentur etiam personæ, et possidentur a creatura, 747. 751. Cur nequeant sic possideri nisi media gratia sanctificante, 751. Per missionem invisibilem sunt personæ missæ in eo ad quem mittuntur, tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, 747 et sequentibus. Intellige per amorem perfectissimum amicitiæ, 755 et deinceps. Personæ non mittuntur missione simpliciter post alia dona supernaturalia sine gratia sanctificante, sed solum missione secundum quid, 751. In missione invisibili non solum dona gratiæ, sed ipsæ quoque personæ personaliter, et substantialiter donantur, 751 et sequentibus, 755 et deinceps. Quomodo hoc deducendum ex eo, quod persona missa sit in eo ad quem mittitur, tanquam cognitum in cognoscente et amatum in amante, 754 et sequentibus. Vide Relatio divina. Natura divina Subsistentia. Existentia divina.

PERSONALITAS. Personalitas creata est modus naturæ, 203. Cur faciat compositionem cum natura, 203.

Personalitatum divinarum duplex conceptus, alius, prout constituunt personas, alius, prout dicunt munus *ad*, 353. Personalitates divinæ nullam perfectionem proxime important in hoc, quod est terminare divinam naturam; bene tamen remote, 274. Personalitates divinæ ex vi *esse* relativi constituunt personas: constituere autem connaturalissime, habent ab essentia in eis inclusa: et hujus discrimen, 273. Personalitas Verbi in quo sensu unitur mediate cum humanitate, 303 Quomodo sanctificet eam, et reddat impeccabilem, an ratione relativi, an ratione essentiæ in personalitate per modum transcendentis inclusæ, 271 et sequentibus. Quomodo reddat illam objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans, et dignam adoratione latriæ, 271. Quomodo tribuat valorem operibus Christi, 273.

PERSONALE. Distinctio personalis in divinis sufficit ut una persona procedat ab alia, 8.

PLURALITAS. Vide Distinctio.

PONDUS. Per volitionem creatam producitur intra voluntatem terminus quidam per modum ponderis et inclinationis in objectum, 112 et sequentibus. Hic terminus est inclinatio in actu secundo in objectum: voluntas vero est inclinatio in actu primo: utrumque tamen necessarium ad volitionem, 112. Quonam modo sit volitum hujusmodi pondus, 117 et deinceps. Quomodo per illud sit amatum in amato, et amatum in amante, 117. Probabile est, quod Deus potest unire cum voluntate creata per modum ponderis in objectum, sicut unitur cum intellectu per modum verbi, 121. Probabile etiam oppositum, 121. Vide Inclinatio.

POTENTIA. Potentia activa in suo præciso conceptu nullam dicit imperfectionem, 56. Potentia vitalis non est vitalis nisi in suo principio radicali, 168. Agens, quod per plures potentias operatur, producit simile in principio radicali solum per potentiam ad hoc destinatam, 169. Ad comprehensionem alicujus potentiæ an debeant cognosci ejus objecta in particulari, 511, 505 et deinceps. Distinctio realis inter potentiam et actum per se primo ei correspondentem, non oritur ex natura actus, sed ex limitatione, 57. Potentiæ proximæ naturæ pure intellectualis tantum sunt intellectus, et voluntas, 24. Potentia proxima, quæ cum radicali identificatur, est infinita, 24. Potentia ad operandum non distinguitur in Deo, adhuc virtualiter, ab operatione, 38. Cur potentia radicalis volendi virtualiter distinguatur a volitione, 38 et 39. Actus per se primo correspondens tali potentiæ non est volitio, sed intellectio essentialis, 39 Quomodo se habeant in Deo potentia radicalis ut sic, et potentia radicalis generandi, 152 In quonam consistat potentia executiva operationum ad extra in Deo, 57.

POTENTIA GENERATIVA. In quonam consistat potentia generativa in Deo, 35, 355, 463. Non distinguitur adhuc virtualiter ab actu generandi, 58 Dicit in recto essentiam, et in obliquo relationem: terminus autem generationis e contra, et ratio disparitatis, 103, 463. Quomodo se habeant in Deo potentia radicalis ut sic, et potentia radicalis generandi, 152. Potentia generativa cur non sit notio peculiaris Patris, 463. Non eo modo quo Paternitas per modum connotati requiritur ad constitutionem potentiæ generativæ in divinis, ita Paternitas, et Filiatio ad constitutionem potentiæ spirativæ, et in quonam discrimen, 432.

POTENTIA SPIRATIVA. Cur potentia spirativa in divinis non sit specialis notio Patris, et Filii, 475. Quid dicat in recto, quidve in obliquo, 475. Paternitas, et Filiatio non eo modo intrant in obliquo ad constitutionem potentiæ spirativæ, sicut Paternitas ad constitutionem potentiæ generativæ: et in quonam discrimen, 475.

PRACTICUM. Practicum, et speculativum non variant in specie rationem intellectus, 151.

PRÆDICATIO, PRÆDICARI. Quæ virtualiter distinguuntur, quare multoties nequeant in abstracto de se invicem prædicari, 335. Quis sensus ejus propositionis: *Quidquid prædicatur de prædicato debet prædicari de omni contento sub prædicato*, 231.

PRÆDICATUM Talia sunt prædicata, qualia exiguntur a subjectis, 69, 631. Pro quo supponat prædicatum hujus propositionis: *Generatio viventium, prout abstrahit a creata, et divina, est essentialiter generatio*, 63. Prædicata contradictoria dici possunt de uno et eodem realiter cum sola virtuali distinctione, 207 et sequentibus. Propositio affirmativa de prædicato infinito quando dicatur ad convertentiam cum negativa, 211. Quis sensus ejus propositionis: *Quidquid prædicatur de prædicato, debet prædicari de omni contento sub prædicato*, 231.

PRIMOGENITUS. Vide Filius.

PRIMUM. In quo consistat ratio primi principii, et primi entis, 9. Vide Principium, Ens.

PRINCIPIUM. Causa apud Græcos idem, quod apud Latinos principium, 10. Quæ distinctio sit sufficiens inter principium operationis et terminum, 8. Quænam vero inter

principium summe perfectum, et terminum etiam summe perfectum, 9. Distinctio realis inter actionem immanentem creatam, et ejus principium non oritur ex natura actionis; sed ex limitatione, 56. Principium proximum, et terminus formalis in agentibus univocis debent esse ejusdem rationis, 95. Principium proximum actio et terminus primarius debent esse in eodem immaterialitatis gradu, 98, 146. Quoties quis operatur per plures virtutes proximas per solam illam producit simile in principio radicali, quæ ad hoc est destinata a natura, 169. Ab uno principio possunt procedere plures termini absque ullo ordine si termini solum materialiter differant; non autem si formaliter differant, 559 et sequentibus. Quisnam debeat esse talis ordo in his, quæ formaliter differunt, 559. Principium proximum identificatum cum radicali est infinite perfectum, 24. Specificatio actionis potius a principio, quam a termino, 51.

Non possunt dari plura prima principia, 8. Cur darentur, si non esset intra Deum processio, 8. Non obstat primo principio, quod procedat ab alio, ut a principio ; bene tamen ut a causa, 9. Principium dictionis, et intellectionis, omnino idem in divinis absque distinctione virtuali, 51. Principium proximum, et radicale processionis Verbi divini pertinent ad eamdem lineam, non autem processionis Spiritus sancti, 97 Verbo divino nequit communicari principium proximum nisi ex vi processionis communicetur radicale, 97. Bene tamen Spiritui sancto, 97. In Patre æterno non est idem absque distinctione virtuali esse Patrem et esse principium Spiritus sancti, 557. Idem dicendum in Filio, 557. Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, 604 et sequentibus. Pro quo supponat ly principium, 634 et deinceps. Ex quibus coalescat hoc unum principium Spiritus sancti, tam *quo*, quam *quod*, 605 et sequentibus. Principium, tam *quo*, quam *quod*, Spiritus sancti necessario debet distingui a termino spirato, 608. Cur non sic distingueretur, si spiratio activa non intraret ad constitutionem ejusmodi principii *quo :* et quonam modo intret, 609 et sequentibus. Ad constitutionem principii *quo*, sola relatio spirationis activæ cum essentia, et voluntate concurrit. Paternitas autem, et Filiatio ad constitutionem principii *quod* adæquati, 610 et sequentibus. Cur illud Spiritus sancti principium, prout constitutum ex essentia et voluntate, et relatione spirationis activæ, non subsistens, et ut sic spiret *ut quod*, 615 et deinceps. Cur Pater non dicendus duo principia, cum habeat duas potentias, generativam, et spirativam, 665.

PRIORITAS, PRIUS. Quævis prioritas solum excludit simultatem ei oppositam, 488. Quid ad prioritatem originis quidve ad prioritatem *in quo* sive realem, sive rationis requiratur, 487. Inter divinam essentiam, et personas vel inter personas ad invicem nulla datur prioritas *in quo,* etiam rationis, 487 et sequentibus. Bene tamen prioritas *a quo*, 487. Cur ex hac prioritate non sequatur, quod cognitio Patris possit intelligi in aliquo signo *in quo* terminata ad essentiam, et non ad personas, vel ad unam personam, et non ad aliam, 488.

PROCESSIO, PROCEDERE. Multiplex processionis acceptio, 6. In natura pure intellectuali datur processio per intellectum, 11, et etiam processio per voluntatem, 110. Quisnam sit terminus formalis hujus processionis, 113 et deinceps. Quomodo sit volitus, an *ut quo* an *ut quod*, 116 et sequentibus. In natura pure intellectuali nulla alia est processio nisi per intellectum, et voluntatem, 22. Secus contingit in homine, quia non est naturæ pure intellectualis, 23. Processio intellectus creati est generatio secundum quid, 25, 74. Est vera, et propria actio, 53 Processio intellectualis ut sic nullam dicit imperfectionem, 53 et sequentibus. Quod sic realiter distincta a suo principio, non oritur ex natura actionis, sed ex limitatione, 56. Processio per intellectum ex vi sua producit terminum similem suo principio, non autem processio per voluntatem, 142 et sequentibus. Quomodo hinc deducendum quod processio Verbi divini sit generatio, non autem processio Spiritus sancti, 142. In quo sensu processio per voluntatem divinam magis differat a creata, quam duæ creatæ inter se, et in quo minus, 167.

Procedere ab aliquo, ut ex pura potentia, est imperfectio, non autem procedere ab aliquo, ut ex actu puro, 15. Quæ distinctio requiratur inter procedens, et id a quo procedit, 8. Quænam vero, si processio sit summe perfecta, 9. Procedere ab alio, ut a principio, non repugnat divinæ personæ, 10. Procedere ab alio, ut a causa, est proprium creaturæ, 9. In processione univoca principium proximum, et terminus primarius debent esse ejusdem rationis, 95. Ex vi processionis debet communicari termino primario principium proximum, et omnia, quæ ad ejus lineam spectant; non autem quæ sunt distinctæ lineæ, 97. Cui communicatur ex vi processionis differentia atoma alicujus naturæ, debet etiam communicari ex vi processionis tota natura, 97. Per quamcumque processionem agentis univoci non necessario procedit terminus similis in principio radicali : et quando sic, 169. Cur prima processio orta a vivente creato non sit generatio, bene tamen in divinis, 125. Cur id, quod procedit ut imago, debeat procedere per primam processionem, sive per processionem per modum naturæ, 539. Cur debeat communicari natura principii ex vi processionis, 540.

PROCESSIO IN DIVINIS. Dantur in divinis processiones vere, et proprie, 7. Quomodo ex Trinitate personarum deducendæ, 7. Quomodo etiam ex unitate naturæ, 8. Quomodo ex processione intelligibili creata, 11. Si non essent processiones in divinis, darentur plura prima principia, plures innascibiles, plures Dii. 8. Processiones divinæ sunt veræ operationes, 52. Non sunt immediate a natura, ut præit nostro modo concipiendi intellectum, et voluntatem, 21 Si essent immediate a natura, nulla esset ratio, cur una esset prior, quam alia, 25. Nec esset ratio, cur una sit generatio, et non alia, 25. Nec cur essent duæ, et non plures, 25. Si vero sunt a natura mediis intellectu, et voluntate, quomodo omnia hæc probanda, 25, 26. Quare processio per naturam coincidat cum processione per intellectum, 27, 124. Processio per intellectum in quo sensu dicatur naturalis, 26. Processiones divinæ sunt actus notionales, 26. Non sunt actus ex æquo distincti ab *intelligere, et velle*, 30 et sequentibus. Sed sunt

sunt iidem actus, ut modificati per relationes, 31 et deinceps. Processio activa, et passiva quomodo absolute dicantur realiter distingui cum includant essentiam, in qua sunt idem, 41. Processiones in divinis dicunt in recto quid absolutum, et in obliquo relationem; e contra vero terminus earum, ut talis; et quæ dispar ratio, 103. Datur in divinis processio per voluntatem, 108. Cur terminus ejus dicatur Spiritus sanctus : et cur Spiritus sanctus per voluntatem procedat, 109.

Verbum divinum procedit ex essentia, vel de essentia, ut ex actu purissimo, 15. Processioni Verbi divini convenit diffinitio generationis viventium, 71 et sequentibus. Non autem processioni Spiritus sancti, 123. Processio Verbi divini est generatio univoca, 81. Est infinita in ratione generationis; non autem in ratione processionis; et hujus ratio, 119. Verbo divino communicatur ex vi processionis natura divina, non solum secundum munus speciei intelligibilis, sed etiam ut est *intelligere* et *intelligi*, 85. Cur ex vi processionis communicetur Verbo principium proximum, et simul radicale; Spiritui sancto vero principium dumtaxat proximum, 97. Ex vi processionis communicatur Verbo ultima quasi differentia naturæ divinæ, 97. Quomodo ex hoc deducendum, quod communicetur ei natura sub conceptu naturæ, 97. Processio Verbi est idem conceptus formalissime, ac processio Filii, absque ulla distinctione cum fundamento in re, 101.

Processio Spiritus sancti non est per naturam, 124. Quomodo hinc deducendum, quod non sit generatio, 125. Processio Spiritus sancti, principium ejus proximum, et terminus formalis non sunt in eodem immaterialitatis gradu cum divina natura, 98. Quomodo ex hoc deducendum quod processio ejus non sit generatio, 98. Spiritui sancto non communicatur natura divina formalissime ex vi processionis, sed tantum identice. 128 et sequentibus. Quid intersit inter communicationem ex vi processionis, et inter communicationem per processionem : et quid ad quamlibet ex illis requiratur, 123. Spiritus sanctus ex vi processionis non est formaliter Deus, sed identice; absolute tamen loquendo est formaliter Deus, 130. Ejus processio non est identice generatio, quamvis identice communicet naturam, 132. Ex vi processionis communicatur ei aliquid divinum; non tamen subsistens in natura divina, 133. Ex vi processionis procedit ut subsistens subsistentia relativa, 131. Procedit ut amor divinus, et substantialis : et pro quo supponat ly *divinus*, et ly substantialis, 134. Probabile est, quod ex vi processionis non procedit ut substantialis, 134. Ex vi processionis communicatur ei ratio entis divini : et pro quo supponat ly ens, 136. Non tamen communicatur ex vi processionis natura divina, adhuc per modum transcendentis inclusa in amore divino, 137. Esto communicaretur ex vi processionis natura per modum transcendentis, cur non ideo ex vi processionis procederet ut persona, neque talis processio esset generatio, 158, 158. Quomodo processio Spiritus sancti possit ex vi sua terminari ad attributum amoris, quin prius terminetur ad naturam, a qua oritur attributum, 140 et sequentibus. Quare in processione per intellectum hoc fieri non possit, 157. Processio verbi ex conceptu processionis per intellectum est generatio : processio vero Spiritus sancti ex ratione processionis per voluntatem non est generatio, 141 et deinceps. Processio Spiritus sancti, adhuc ut processio per voluntatem divinam non est generatio : et pro quo possit supponere ly *divinam*, 144. Verbo divino ex vi processionis non tantum communicatur naturæ similitudo, sed etiam ipsa natura, 154. Processio per intellectum divinum, reduplicative ut divinum, producit simile in natura substantiali : et quomodo sumendum ly *divinum*, 165 et sequentibus. In quo sensu processio per voluntatem divinam magis differat a creata, quam duæ creatæ inter se; et in quo minus, 168. Ex vi processionis communicatur Verbo relatio spirationis activæ, 492, 500. Amor divinus ad summum per se secundo communicatur Verbo ex vi processionis, 651. Cognitio ejus, quod ex vi processionis communicatur Verbo, necessario præsupponitur in Patre, et quare, 492. Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum. Vide Cognitio, Verbum divinum. Spiritus sanctus non concurrit ullo modo active ad processionem Verbi, licet Verbum procedat ex cognitione ejus tanquam objecti, 502 et sequentibus. Cur Verbo divino non communicetur ex vi processionis cognitio, sive repræsentatio futurorum, 531, 532. Cur persona, quæ procedit, ut imago, debeat procedere per primam processionem, 539. Cur ex vi processionis debeat ei communicari natura sui principii, 540. Distinctio realis divinarum processionum non est ratio a priori distinctionis personarum, sed potius e converso, 578. Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, cur eorum processiones non essent realiter distinctæ, licet essent totales, 582. Cur etiam processiones activæ Filii, et Spiritus sancti in Patre non sint realiter distinctæ, 582. Vide Verbum divinum, Spiritus sanctus, Spiratio, Natura divina.

PROCESSIO, idest, SPIRATIO PASSIVA. Processio est notio Spiritus sancti, 459 et sequentibus. Inter Paternitatem, et Processionem est sola oppositio radicalis relativa, 585. Et similiter inter Filiationem, et Processionem, 585 et 589. Cur hæc oppositio sufficiat ad distinctionem realem proxime et formaliter talem inter eas relationes, 589. Probabile est, quod ex vi talis oppositionis solum distinguuntur realiter radicaliter, non vero proxime, et formaliter, 591, 592, 598. Processio, et Filiatio (ex hypothesi, quod Filius non procederet a Spiritu sancto) essent duæ personalitates, virtualiter solum distinctæ, 585, 586. Quomodo tunc unirentur in una persona, 586. Probabile est, quod in ea hypothesi Processio non esset personalitas, sed affectio personalitatis, 586. Ratio doni in Spiritu sancto cur non sit notio distincta a Processione, 655.

PRODUCTIO, PRODUCERE. Producere terminum est proprium actionis transeuntis; et permissum actioni immanenti, 28. Productio termini ad extra quandoque in actione immanenti reperitur, 28. Productio rei non necessario producit existentiam, sed sufficit communicare jam productam, 303. Imo non necessario communicatur existentia ex vi actionis productivæ effectu, 93. Quidnam ex vi illius productionis quidve concomitanter communicetur effectui, 93. Quomodo hoc in Christo Domino verificetur, 94. In corruptione

specierum sacramentalium productio materiæ primæ non communicat ei existentiam, 94. Per productionem agentis univoci non necessario procedit terminus similis principio radicali : et quando sic, 169. Productio verbi nullam ex se dicit imperfectionem, 14. Productio verbi, quando objectum se ipso unitur cum intellectu in *esse* objecti actu intellecti, arguit infinitam perfectionem in producente, 14, 15. Non producere illud in eo eventu, est nota imperfectionis, 14. Producere verbum ex fœcunditate absque indigentia solius est Dei, 12. Productio activa personæ in divinis quomodo simpliciter dicatur realiter distincta a productione passiva, cum utraque includat essentiam, in qua sunt idem, 41.

PROPRIETAS. In divinis sunt proprietates, quibus personæ constituantur, et distinguantur, 678 et deinceps. Non absolutæ sunt, sed relativæ, 681 et sequentibus. Non omnis proprietas, quæ distinguit unam personam divinam ab alia, eam constituit, 686. Proprietas tamen, quæ primo distinguit unam personam ab alia, debet esse constitutiva ejus, 686.

PROPOSITIO. A propositione affirmativa de prædicato infinito ad negativam quando valeat consequentia, 211. Quisnam sensus illius propositionis : *Quidquid dicitur de prædicato, debet dici de omni contento sub prædicato,* 230. Cur hæc propositio in divinis concedenda : *Scientia est potentia,* hæc autem neganda : *Attributum scientiæ est attributum potentiæ,* 334. Cur hæc sit falsa in divinis : *Paternitas est spiratio,* cum Paternitas, et spiratio solum virtualiter distinguantur, 335.

Q

QUÆSTIO. Quis sensus, quæve utilitas in ea quæstione : An si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur realiter ab illo, 564 et sequentibus.

QUIDDITAS. Vide Essentia.

R

REALITAS, REALE. Realitas relationis a quonam desumenda, a quove ejus specificatio, 164 et sequentibus. Quæ disparitas inter actionem, et relationem, in exprimenda realitate in suo peculiari conceptu, 188.

RECEPTIO, RECIPERE. Plus requiritur ex parte subjecti ad connaturalem receptionem gratiæ sanctificantis, quam ad receptionem ut sic, 280. Plus etiam ad connaturalem receptionem formæ substantialis in materia, quam ad receptionem ut sic, 280. Recipere *esse* ab alio quando arguat indigentiam, et quando non, 17.

RECTUM. Rectum sub conceptu recti non potest concipi, nisi ut connotat obliquum!, 39. Dictio in recto sumpta, est intellectio sive in creatis sive in divinis, 40. Quid intersit inter *intelligere* essentiale in divinis ut est rectum dictionis, et inter ipsam dictionem adæquate, quoad connotationem obliqui, 40.

REGULA. Regula ab Augustino tradita, quod verba Scripturæ debent accipi in proprio sensu, ubi nullum sequitur absurdum, 21. Intellige, nisi contextus aliud insinuet, 19. Regula Dialecticorum, quod ab affirmativa de prædicato infinito ad negativam valet consequentia, quando teneat, 211. Quis sensus illius regulæ : *Quidquid dicitur de prædicato, debet dici de omni contento sub prædicato,* 231. Quisnam sensus illius regulæ : *Quæ sunt eadem uni tertio,* etc., 313 et sequentibus.

RELATIO. Relationis duplex conceptus, scilicet *in,* et *ad,* 178. Conceptus *ad* bifariam sumitur; alio modo determinate, ut constituit prædicamentum relationis; alio modo indeterminate prout commune *ad* reali et rationis, 182, 183. Quid juxta quemlibet conceptum sibi vindicet, 183. Quod relatio secundum esse *ad* non sit aliquid, sed ad aliquid, quomodo intelligendum, 183. Quomodo etiam intelligendum, quod solum in relationibus inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, 184, 187. Quomodo realitas relationis sumatur a fundamento, specificatio vero a termino 185, 186. A fundamento initiativa specificatio relationis : et quomodo sumendum fundamentum, 200. Ratio accidentis intime includitur in esse *ad* relationis, 188. Relatio prædicamentalis constituitur per duplex *in,* aliud absolutum, et aliud relativum, 190, 222. Quomodo hoc duplex *in* concurrat ad ejus constitutionem, 223 et sequentibus, 269. Quonam modo per quodlibet *in* respiciat subjectum, 191, 199, 220 269. *In* absolutum relationis translatum ad Deum dicit essentiam divinam, 199, 200. In relatione creata hoc duplex *in* non est realiter distinctum, 199. Quomodo ex hoc deducenda identitas inter essentiam divinam, et relationes, 199. Cur hoc duplex *in* non obstet simplicitati generalissimi relationis, 223, 224. Relatio creata adæquate sumpta includit hoc duplex *in:* non tamen *in* absolutum includitur in *in* relativo, 225. In divinis autem *in* absolutum formaliter sumptum includitur in relativo : et quæ dispar ratio, 226. Existentia relationis creatæ est quid absolutum, 292, 298. Ejus quoque duratio est absoluta, 298. Quod relatio habeat existentiam distinctam ab existentia fundamenti, oritur ex imperfectione, 302. Quæ disparitas inter relationem, et actionem in respiciendo subjectum, 188, 189. Subjectum relationis dupliciter concipiendum; vel ut subjectum, vel ut medium relationis ad terminum, sive ut fundamentum : et quomodo utroque modo respiciatur a relatione, 200.

Relatio distincta realiter a fundamento, est imperfecta, et debilis entitatis, 176. Unde oriatur dependentia in relationibus creatis, et unde excludatur a divinis, 177. Infinitas in genere relationis non dicit perfectionem, 278. Quomodo intelligendus D. Thomas dicens, quod perfectio, et bonitas non solum attenditur secundum aliquid absolutum, sed secundum relationem unius ad aliud, 269. Quod relatio habeat fundamentum, nullam dicit imperfecnem, 326. Quomodo species intelligibilis dicat relationem identitatis ad objectum, cum habeat eamdem numero naturam cum illo, 327. Distinctio realis in relationibus creatis oritur, vel ex oppositione, vel ex limitatione, 333. Relationes, correspondentes duabus realiter, et specie distinctis, debent in creatis realiter distingui, non autem in divinis : et quæ dispar ratio, 333 et 454. Quomodo hoc teneat in relatione filiationis ad patrem, et matrem, 455. Relationum creatarum numerus, ex vi sui *esse* relativi, cur non sit compositus, 420. Esto esset compositus, cur non idem dicendum de numero divinarum relationum, 420. Relatio respiciens plures terminos quomodo pereunte

uno, vel altero, maneat quoad entitatem absque mutatione, cum sola mutatione quoad denominationem, 457. Relatio creata dupliciter ab aliis distinguitur, et distinctione relativa, et distinctione disparata, 594. A solo correlativo distinguitur distinctione relativa; ab aliis vero distinctione disparata, 594.

RELATIO IN DIVINIS. In relationibus divinis proportionabiliter ad creatas duplex conceptus, scilicet *in*, et *ad*, 178. Secundum esse *ad* etiam sunt reales, 179 et sequentibus. In relationibus divinis duplex *in*, aliud absolutum, aliud relativum, 191. Quidnam dicat quodlibet *in*, 199. 220. In divinis dantur relationes reales, 173 et sequentibus. Omnes fundantur in processione, 10, 324. 325, 574. An relatio dominii sit realis in Deo, an rationis, 173. Relatio per se subsistens, et identificata cum fundamento, non dicit imperfectionem, 176. Petit necessario correlativum : hæc autem necessitas non oritur ex indigentia, 176. Cur in relationibus divinis non sit dependentia, sicut in creatis, 177. Relationes divinæ sunt simul natura, 178. Quare unitas numerica divinæ essentiæ non obstet realitati relationum, 180. Quomodo non obstante ea unitate sint ad aliud, 180. Distinguuntur quasi specifice, 180. Non distinguuntur realiter ab essentia, sicut res a re, 193 et sequentibus. Cur ex ea distinctione sequeretur relationes fore creaturas, 195. Neque etiam distinguuntur ab essentia ex natura rei ante intellectum, 197 et sequentibus. Bene tamen distinctione rationis ratiocinatæ, 199. Non habent distinctas quasi diffinitiones adæquatas, sed inadæquatas, 214. Cur si essentia distingueretur secluso intellectu a relationibus limitaret illas, vicissimque limitaretur ab eis, 201. Cur personæ non essent in eo casu simplicissimæ, 202. Imo essent creaturæ, 232. Cur ejusmodi simplicitati non obstet distinctio realis relationum inter se, 203. Cur non etiam distinctio virtualis inter essentiam, et relationes, 204. Relatio divina, et essentia non sunt aliud, et aliud formaliter, bene tamen virtualiter, 208.

Relationes divinæ ut distinctæ virtualiter ab essentia, includunt illam sumptam per modum transcendentis, 20 et sequentibus. Non autem sumptam per modum naturæ, 219. Natura divina non esset infinite eminens, si non includeretur per modum transcendentis in relationibus, 226 et deinceps. Cur non obstet ejus eminentiæ distinctio virtualis a relationibus, 226. Cur relationum eminentiæ et infinitati non obstet, quod non includantur in essentia per modum transcendentium, 229. Cur relatio spirationis activæ includatur per modum transcendentis in Paternitate, et Filiatione, et non e contra, 229. Relationes in concreto (idest personæ) bis includunt essentiam, et ex ea bis inclusa constituuntur, 234. Natura divina ut inclusa per modum transcendentis in relationibus, non est necesse, quod sit ejusdem lineæ cum eis; bene tamen si esset transcendens transcendentia rationis, 137, 145, 163, 164, 238. Relationes divinæ neque per modum transcendentium, neque ut constitutivæ includuntur in essentia divina, 240 et deinceps. Neque una relatio in alia, 241. Relationes sunt de intrinseco conceptu naturæ, tanquam modi ejus intrinseci, et essentiales, 245 et sequentibus. Relationes ut distinctæ ab essentia sunt infinite bonæ et perfectæ, 248. Cur relationes divinæ non accipiant ab essentia per modum transcendentis inclusa, quod intelligant : cum tamen habeant ab ea quod sint infinite bonæ, 248, 235, 236. Quisnam sit proprius quasi effectus formalis essentiæ, ut inclusæ per modum transcendentis in relationibus, 248. A relationibus divinis non potest præscindi essentia per modum transcendentis inclusa, 248. Relationes divinæ, ut distinctæ virtualiter ab essentia, sunt objectum congruum divinæ dilectionis, sunt incomprehensibiles, possuntque terminare quamlibet naturam creatam, 249. Dicunt perfectionem simpliciter simplicem, 250.

Relationes divinæ secundum esse *ad* non afferunt perfectionem relativam, 252 et sequentibus. Quare ejusmodi perfectio non cohæreat cum personarum æqualitate, 260 et deinceps. Essentia divina plus realitatis intelligitur habere, dum concipitur affecta relationibus quam ut præit illas, 260. Quomodo idem dicendum esset de perfectione, si relationes haberent perfectionem relativam, 260. An relatio personalis Verbi sanctificet humanitatem Christi ratione relativi, an potius ratione essentiæ in illa per modum transcendentis inclusæ, 270 et sequentibus. Quomodo reddat humanitatem impeccabilem, 271. Quomodo ratione *esse* relativi opponatur initiative cum peccato, 271. Reddit humanitatem Christi objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam gratia sanctificans, 272. Quomodo reddat dignam adoratione latriæ, 273. An ratione *ad*, an potius ratione essentiæ tribuat valorem operibus Christi, 273. Relationes divinæ, ex eo quod terminent naturam divinam, nullam dicunt perfectionem proxime, sed remote, 274. Cur relationes divinæ sint tres res, et non tria bona, cum bonum et res sint passiones entis, 277. Quare relationes divinæ, connotando saltem existentiam divinæ naturæ, non sint bonæ bonitate relativa, 278. Constituere personam habet relatio divina ab *esse* relativo ; constituere vero connaturalissime ab *esse* absoluto, 279.

Relationes divinæ non existunt per proprias existentias relativas, 282 et deinceps. Si haberent illas, essent in Deo tres æterni, et tres increati substantive ; et quare, 284 et sequentibus. Quomodo ex relationis creatæ existentia deducendum, unicam dumtaxat dari in divinis, 292. Quomodo ex unica compositi substantialis existentia, 291 et sequentibus. Ex infinitate divinarum relationum quare tres subsistentiæ non autem tres existentiæ deducendæ, 296. An relationes habeant existere ab essentia sumpta per modum transcendentis, an per modum essentiæ, 302, 303 In relationibus divinis duplex actualitas, alia essentiæ relativæ, alia existentiæ, 305, 306. Quomodo actualitas essentiæ cum actualitate existentiæ, et utraque cum actualitatibus creaturarum comparanda, 306. Quomodo secundum actualitatem essentiæ concipiantur in *dimanari* a divina essentia, et secundum actualitatem existentiæ in *dimanato esse*, et alia huc spectantia, 306 et sequentibus. Quid habeant ab essentia, prout sunt in *dimanari* : quidve prout sunt in *dimanato esse*, 307.

Relationes divinæ realiter ab invicem distinguuntur, 313 et deinceps. Quomodo hæc distinctio realis cohæreat cum identitate earum in essentia, 313 et sequentibus. Quatuor

tantum relationes sunt in divinis, 323 et deinceps. Habere rationem fundandi nulla est imperfectio in divinis relationibus, 325. Relatio distinctionis inter divinas personas cur non distincta (adhuc virtualiter) a relationibus personalibus, 328. Nec etiam relatio præsentiæ, sive inexistentiæ unius in alia, 328. Cur relatio identitatis in natura inter personas divinas non sit realis : et cur ad ejus realitatem non sufficiat distinctio realis inter rationem fundandi et terminandi ex parte connotatorum, 327. Cur sufficiat ea sola distinctio ex parte connotati ad relationem realem fundatam in processione, 327. In relationibus divinis duplex munus inadæquatum, scilicet, esse rationes incommunicabiliter subsistendi et esse ad aliud, 354 Quodnam ex his duobus sit significatum formale directum personæ divinæ et quodnam materiale directum, 354, 355. Quodnam sit significatum indirectum sive in obliquo, 358. Constituere hypostasim habet relatio divina ab essentia, ut a prima radice, 367, 691. Relationes divinæ non constituunt gradum immaterialitatis distinctum a gradu divinæ essentiæ, 409. Dato, quod numerus relationum creatarum secundum *esse* relativum esset compositus cur non idem dicendum de numero divinarum relationum, 420. Relationes divinæ non habent propriam veritatem, sive intelligibilitatem, 410. Quomodo numerus divinarum relationum, cum sit talis numerus abstractus, careat imperfectione compositionis : cum numerus abstractus in sua communi ratione illam essentialiter includat, 421. Omnis distinctio realis debet esse inter relationes oppositas, 580 et deinceps, 333, 455. Nulla realis distinctio inter relationes disparatas, 575 et sequentibus. Distinctio inter divinas personas non est materialis, sed formalis, 577. Quomodo in relationibus divinis idem sit constitutivum et distinctivum, 592, 594, 595. Quomodo intelligendum dictum Augustini, quod in divinis relativum est aliquid præter relationem, 689. Adhuc admisso, quod origo in divinis dicat in recto aliquid relativum, non possunt relationes divinæ, ut origines, constituere personas, 693 et deinceps. Cur relatio potius, quam origo constituat personam divinam, cum utraque concipiatur ut tendens in aliud, 695. Cur relatio ut origo, quia concipitur per modum actionis, non constituit personam : et tamen intellectio divina, licet concipiatur ut actio, constituit naturam divinam, 697 et sequentibus. Origo in divinis est prior relatione secundum esse *ad;* posterior vero eadem relatione, ut est forma hypostatica, 699, 703. In relatione divina duplex conceptus inadæquatus, nempe, prout est ratio incommunicabiliter subsistendi et prout exprimit esse *ad*, 703, 708 et deinceps. Aliter loquendum de relationibus divinis, prout constituunt personas nostro modo concipiendi imperfecto, et aliter prout a parte rei constituunt, 700. Loquendo hoc posterior modo, relationes, adhuc secundum munus *ad*, constituunt personas, 701. Loquendo vero priori modo, non secundum esse *ad*, sed ut sunt rationes incommunicabiliter subsistendi, 702 et sequentibus. Actus notionales in divinis non sunt formaliter ipsæ relationes, 713, 714. Quomodo intelligendus D. Thomas, dum oppositum asserere videtur, 714.

Relatio Paternitatis, ut distincta virtualiter ab essentia, est incommunicabilis; identice vero sumpta est communicabilis, 208 et sequentibus. Adhuc ut virtualiter distincta ab essentia, quomodo dicatur communicabilis, 230. Cur non possit videri essentia divina quidditative sine relationibus; et tamen potest communicari Filio essentia sine relatione Paternitatis, 212.

Relatio spirationis activæ non distinguitur realiter a Paternitate et Filiatione, sed virtualiter, 331 et sequentibus. Si realiter distinguerentur, essent in Deo quatuor res, 331. Talis distinctio pugnat cum divina simplicitate, 332. Cur Paternitas et spiratio, cum correspondeant duabus relationibus realiter distinctis, non sunt realiter distinctæ, 332, 454. Quare de se invicem prædicari nequeant, 334, 335. Cur non dicendæ duæ res relativæ, 335. Possunt dici duæ relationes reales, si ly *reales* cadat supra ly *relationes;* non vero si cadat supra ly *duæ*, 337. Relatio spirationis activæ communicatur Verbo ex vi processionis, 492, 500. Pater et Filius non distinguuntur a Spiritu Sancto formaliter et proxime per Paternitatem et Filiationem, sed per relationem spirationis activæ, 609, 594. An et quomodo relatio spirationis activæ concurrat ad constitutionem principii *quo* Spiritus Sancti, 606 et deinceps. In relatione spirationis activæ duplex munus inadæquatum, aliud secundum quod se tenet ex parte potentiæ spirativæ constituendo illam, aliud secundum expressum munus *ad*, 611. Quomodo secundum primum munus præcedat actum spirandi et secundum posterius subsequatur ad illum, 612. Relatio spirationis activæ non præsupponit Patrem et Filium volentes volitione notionali, sed tantum volitione essentiali, 613. Imo volitione essentiali, non prioritate *in quo*, sed *a quo* : et in quo hæc prioritas consistat, 614. Quare relatio spirationis activæ non sit per se subsistens et ut sic spiret ut *quod*, 615 et sequentibus.

A relatione existente in Patre æterno cur Filius non possit denominari filius : cum tamen Christus Dominus denominetur filius B. Virginis a relatione in ea existente, 173, 174.

RELATIVUM. Relativum duplici distinctione ab aliis distinguitur et distinctione relativa et disparata, 596. A solo correlativo distinguitur distinctione relativa, ab aliis vero distinctione disparata, 596. Quomodo intelligendum dictum Augustini quod relativum in divinis est aliquid præter relationem, 689. Infinitas, si sit relativa, non exprimit perfectionem, 275. In relativis quomodo intelligendum, quod sit idem constitutivum et distinctivum et quomodo in absolutis, 589, 594, 595. Relativa, etiam in divinis, sunt simul natura, 177. Oppositio relativa inter omnes oppositiones primatum tenet, et ex se nullam dicit imperfectionem, 178. Sola ipsa reperitur in divinis, 178 et 574. Omnis distinctio realis in divinis est inter opposita relative, 333, 334, 454, 574 et deinceps, 596. Oppositio secundum affirmationem et negationem debet in divinis fundari in oppositione relativa, 577. Quæ in divinis non opponuntur relative, non sunt incompossibilia in uno supposito, licet alias in creatis sint incompossibilia, 576, 596.

RES. Quid significet hoc nomen *res*, et unde sumatur, 400. In divinis sunt tres res,

tres unitates, etc., 399. Si spiratio activa realiter distingueretur a Paternitate, et Filiatione, essent in Deo quatuor res, 331.

S

SACRAMENTUM. Forma Sacramentorum sub communioribus in unoquoque idiomate nominibus tradenda, 106.

SALOMON. In quo sensu appelletur in Scriptura unigenitus coram matre sua, 123.

SAPIENTIA. Diffinitio sapientiæ, 67. Sapientia est proprium nomen Filii Dei, 21. Cur dicatur in Scriptura creata, et genita, 77. Sapientia, ut præscindit a creata, et divina, non claudit imperfectionem qualitatis aut accidentis, 66.

SCIENTIA. Scientia practica creaturæ est causa operis externi solum per modum dirigentis; divina vero per modum dirigentis, et exequentis : et hujus ratio, 75, 83. Vide Actus.

SCRIPTURA. Non licet aliter sentire vel dicere, quam in sacra Scriptura est expressum, 561. Intellige vel expresse et formaliter, vel implicite et virtualiter, 661 Verba sacræ Scripturæ in proprio sensu accipienda, ubi nullum absurdum, 22. Intellige, nisi contextus aliter insinuet, 19. Eadem verba Sacræ Scripturæ possunt habere multiplicem sensum litteralem, 71.

SENSUS. Per actiones sensuum externorum nihil producitur ad intra. 111. Hujus ratio, 116. Quisnam sensus, quæve utilitas in ea quæstione : an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur etc., 564 et sequentibus.

SIGNIFICATUM. Alicujus nominis significatum, aliud formale directum, aliud directum materiale, aliud indirectum, 353. An significatum formale directum *personæ divinæ*, sit relativum, et quodnam munus relativum, 354, 355. An significatum ejus materiale directum sit quid relativum, et quodnam, 355. Quodnam indirectum, sive in obliquo, 358. In significato hujus nominis *Deus* importatur Deitas, secundum unam rationem in recto, et secundum aliam in obliquo, 360.

SIMILITUDO. Omnis similitudo fundatur in unitate, 158. Triplex gradus similitudinis producti cum producente; alius in signo speciei; alius in natura cum distinctione numerica; alius cum omnimoda identitate, 545. Cur duo priores gradus a Deo relegandi, 545. Quæ similitudo cum principio ad rationem imaginis requiratur, 148 et deinceps, 537. Quænam vero ad rationem imaginis summe perfectæ, 545. Similitudo cum principio, perfecta intra lineam similitudinis non exigit quod sit accepta ex vi processionis, 546. Bene tamen similitudo perfecta requisita ad rationem imaginis : et quæ dispar ratio, 546. Similitudo in natura in *esse* solum intentionali est imperfecta similitudo, 90. Si generatio sit perfecta, terminus debet esse in similitudinem naturæ in *esse* entitativo et naturali, 91. Intellectio non est formalis similitudo objecti, 158, 159. Similitudo objecti quomodo determinet intellectum ad intelligendum, et quomodo voluntatem ad volendum, 163. Vide Species intelligibilis.

SIMPLICITAS. Simplicitas summa divinarum personarum cur non cohæreat cum distinctione actuali secluso intellectu inter essentiam et relationes, 204 et sequentibus. Quare eidem simplicitati non obstet distinctio realis relationum inter se, 203, 217. Cur non etiam distinctio virtualis inter essentiam, et relationes, 204.

SPECIES. Individuum est quid perfectius, quam species : et unde hæc major perfectio, 346.

SPECIES INTELLIGIBILIS. Objectum unitur cum intellectu in ratione motivi per speciem intelligibilem, 37. Intellectus determinatur per speciem tanquam per formam in *esse* rei : voluntas vero per verbum in *esse* cognito : et quid per formam in *esse* rei, et in *esse* cognito intelligatur, 163. Quomodo species dicat relationem identitatis ad objectum, cum habeat eamdem naturam cum illo, 327. Quomodo intellectus determinetur per speciem ad intelligendum; et quomodo per verbum, 89. Species, quæ est accidens, est idem cum objecto in *esse* intelligibili solum, species vero, quæ est substantia, in *esse* etiam naturali, 75. Species divina est ipsa natura divina, exprimit *intelligere*, et *intelligi*, 85.

SPECIFICATIO. Specificatio actionis a principio potius, quam a termino, 51. Specificatio relationis a termino, realitas vero a fundamento, 185 et deinceps. A fundamento initiativa ejus specificatio : et quomodo tunc sumendum fundamentum, 200

SPECULATIVUM. Practicum et speculativum non variant intellectum in specie, 151.

SPIRITUS. Nomen *Spiritus* in Scriptura non semper stat pro Spiritu sancto, 19.

SPIRITUS SANCTUS. Spiritus sanctus appellatur in Scriptura charitas, 21. Propterea procedit per voluntatem, 21. Quare dicatur Spiritus Christi et veritas, 7. Existentia divina communicatur ei ex vi processionis tanquam secundario perfectibili per illam, 93. Probabile est quod non communicatur ei ex vi processionis, sed identice per processionem, 94. Cur non communicetur ei ex vi processionis principium radicale volendi simul cum proximo : cum Verbo utrumque ex vi processionis communicetur, 97. Principium proximum processionis Spiritus sancti, ejus processio, et terminus formalis non sunt in eodem immaterialitatis gradu cum divina natura, 98. Quomodo ex hoc inferendum, quod ejus processio non est generatio, 98. Cum Spiritus sanctus non sit objectum primarium divinæ voluntatis, sed secundarium, quomodo sit in eodem gradu immaterialitatis cum illa, 99. Spiritus sancti processio cur per voluntatem, et quare Spiritus sanctus appellandus, 108. Spiritus sanctus procedit ut amor, non ut amor nominat actum, sed ut nominat terminum actus, 118. Spiritus sancti processio non est generatio, 123. Cur non sit processio per naturam, 124. Quomodo hinc deducendum, quod non sit generatio, 125. Spiritui sancto non communicatur natura divina ex vi processionis formalissime, sed tantum identice, 128 et deinceps. Sed non ideo ejus processio est identice generatio, 132. Ex vi processionis communicatur ei aliquid divinum, et substantiale : et pro quo supponat ly *divinum*, et ly *substantiale*, 134. Probabile est, quod ex vi processionis tantum communicatur ei aliquid divinum præscindens a substantiali, 135. Ex vi processionis communicatur ei ratio

entis divini, ut transcendentis in amore divino, 136. Cur non etiam communicetur ex vi processionis natura divina, saltem ut transcendens in amore divino, 137. Esto tamen communicaretur natura ut sic transcendens, non ideo procederet ut persona, neque ejus processio esset generatio, 137 et 159. Quomodo Spiritui sancto possit ex vi processionis communicari attributum amoris, quin prius communicetur natura, a qua oritur attributum, 140 et sequentibus. Cur in processione per intellectum hoc fieri nequeat, 157. Processio Spiritus sancti, eo ipso quod sit per voluntatem, non producit terminum similem principio, ac proinde non est generatio, 141. Nec etiam in quantum est processio per voluntatem divinam : et pro quo possit supponere ly *divinam*, 144. Si Spiritui sancto communicaretur ex vi processionis natura, procederet ut Filius, et ut imago, 147. Licet non ex vi processionis, re tamen vera communicatur ei natura divina, ut natura, 150, 151. Spiritus sanctus procedit ut Deus spiratus; non tamen ut Deus, 128. Absolute loquendo formaliter est Deus; sed tamen in ratione termini suæ processionis non est formaliter Deus, sed identice, 130 et deinceps. Ut est terminus formalis suæ processionis, procedit ut distinctus a suo principio; non tamen ut subsistens in aliqua natura, 134. Quomodo procedat ut subsistens subsistentia relativa, 134. In quo sensu Pater sine Filio et uterque sine Spiritu sancto foret imperfectus, 269. In quo etiam sensu Pater sine Filio foret mutus, et uterque sine Spiritu sancto non foret vivus, 270.

Esse ingenitum, vel non esse spirantem, non est dignitas in Spiritu sancto, 460. Ideo non est ejus notio, 460. Cur Spiritus sanctus non concurrat active ad productionem Verbi, cum Verbum procedat ex ejus cognitione, 501 et sequentibus. Cur Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum possibilium sicut Verbum procedit ex earum cognitione, 517. Cur ratio imaginis non conveniat Spiritui sancto sicut Filio, 540, 547. Aliorum rationes rejiciuntur, 540 et sequentibus.

Spiritus sanctus vere procedit a Filio, 550 et deinceps. In quo sensu dicatur in Scriptura, quod Filius operatur per Spiritum sanctum, 553. Quomodo ex eo deducendum, quod procedat a Filio, 553. Spiritus sanctus procedit a Filio tanquam a principio *quod* per voluntatem operante, 557 et deinceps. Cur ex eo, quod sufficienter procedat a Patre, non superfluat influxus Filii, 465. Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, 602. Procedit a Patre quodammodo mediate, et quodammodo immediate, 603. Non tamen minus principaliter, quam a Filio, 603. Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, 604 et sequentibus. Pro quo supponat ly *principium*, 634 et deinceps. Quænam concurrant ad constituendum hoc unum principium tam *quo*, quam *quod*, 606 et deinceps. An relatio spirationis activæ concurrat ad constituendum principium *quo* Spiritus sancti : et quonam modo, 606. Cur illud principium prout constitutum ex essentia, voluntate, et relatione spirationis activæ, non intelligitur subsistens et ut sic spirans ut *quod*, 616 et deinceps. Spiritus sanctus per se, et ex vi suæ proprietatis personalis petit procedere a duabus personis, 623 et sequentibus. Cur ex vi suæ proprietatis personalis petat procedere per amorem amicitiæ, 626. Quomodo ex eo, quod procedat per modum amoris, petat per se procedere a duabus personis, 630 et deinceps. Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio ut ab uno, si ly *ut* reduplicet virtutem spirativam; si vero reduplicet conditionem agentis, ut a pluribus, 633. Absolute tamen procedit ut ab uno, 633. Cur si per impossibile Pater non haberet intellectum, et haberet voluntatem fœcundam, non procederet Spiritus sanctus ejusdem rationis ac nunc, 633. Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis est nexus Patris, et Filii, 625. An hoc habeat ratione amoris essentialis, in eo ex vi suæ proprietatis personalis inclusi; an formalissime ratione ejusdem proprietatis personalis, 624, 625, 626. Spiritus sanctus et Filius cur non possint procedere a Patre absque aliquo ordine, 559 et deinceps. Quare hic ordo non possit esse alius quam originis, 560. Pater, et Filius non distinguuntur formaliter, et proxime a Spiritu sancto per Paternitatem, et Filiationem, sed per spirationem activam, 594. Quis sensus, quæve utilitas in ea quæstione : An si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur, etc., 564 et sequentibus, 565 et deinceps. Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter ab illo, 572 et sequentibus. Nec processiones Filii et Spiritus sancti (licet totales) essent realiter distinctæ, sed virtualiter, 585. Nec Spiritus sanctus et Filius essent duæ personæ sed una : nec personalitates realiter, sed virtualiter distinctæ, 585. Si Spiritus sanctus a Patre non procederet, sed a Filio, adhuc realiter distingueretur a Patre, et quare, 600. Quomodo esset inter eos oppositio relativa mediata, licet non immediata, 600. An ea mediata oppositio esset per accidens, an per se, 600. Si a Filio non procederet, tunc Filius, et Spiritus sanctus non essent ejusdem rationis ac nunc adæquate, bene tamen inadæquate, 592. In quonam hæc inadæquata ratio consisteret, 592.

Ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus, 652, 653. Pater, et Filius diligunt se Spiritu sancto, 639 et sequentibus; et etiam creaturas, 643. Cur non concedendum, quod Pater sit sapiens sapientia genita, sicut conceditur, quod Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, 642, 643. Solus Spiritus sanctus est donum ex vi processionis, et proprietatis personalis, et quare, 648 et deinceps. Eadem omnino est in eo ratio amoris, et ratio doni; sicut in Filio ratio verbi, et ratio Filii, 652 et sequentibus. Quidnam exprimatur per donum, quidve per amorem 652. Spiritus sanctus est primum donum notionale; amor autem essentialis est primum donum essentiale, 655. Non ideo sunt duæ notiones in Spiritu sancto, 655.

Spiritus sanctus etiam mittitur a se ipso, si missio sumatur in secundaria translatione a creatis ad divina, non autem si in primaria, 735. Ex eo, quod Spiritus sanctus mittitur a Filio, quomodo ab eo procedere deducendum, 551 et deinceps. Intellige de missione secundum primariam translationem, non autem juxta secundariam, 736. Cur Spiritus sanctus non solum invisibiliter, sed etiam visibiliter mittatur creaturis, 738. Quare missio visibilis Filii sit unica tantum, scilicet in natura assumpta; missio vero Spiritus sancti multiplex, 739, 740. Spiritus sanctus mittitur, ut primum

sanctificationis donum, Filius vero ut primus sanctificationis auctor, 740. Spiritus sanctus non dicitur specialiter missus Beatæ Virgini præcise ratione maternitatis corporalis, sed ratione donorum gratiæ sanctificantis, 749. Imo si per potentiam Dei absolutam fuisset mater Christi absque gratia sanctificante, non diceretur Spiritus sanctus simpliciter ad eam mitti, sed solum secundum quid, 749. Ideo Apostolis missus est Spiritus sanctus, cum dona gratiæ gratis datæ acceperunt, quia simul cum eis gratiam sanctificantem habebant, 749. In missione invisibili Spiritus sancti non solum dantur dona ejus, sed ipse quoque Spiritus sanctus substantialiter, et personaliter donatur, 551 et deinceps, 751 et sequentibus. Quomodo hoc deducendum ex eo, quod persona missa sit in eo, ad quem mittitur tanquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, 755 et deinceps.

SPIRATIO, SPIRARE. In spiratione activa duplex conceptus inadæquatus : alius ut concipitur, prout se tenet ex parte potentiæ spirativæ constituendo illam ; alius, secundum expressum munus *ad*, 711. Quomodo secundum primum munus, præcedat actum spirandi, et secundum posterius subsequatur ad illum, 611. Relatio spirationis activæ non præsupponit Patrem, et Filium volentes volitione notionali, sed solum essentiali, et quare, 613. Adhuc volitio essentialis non prior in Patre, et Filio prioritate *in quo*, sed *a quo* : et in quo hæc prioritas consistat, 614. Spiratio activa includitur per modum transcendentis in Paternitate et Filiatione ; sed non e converso, 229. Non distinguitur realiter, sed virtualiter a Paternitate et Filiatione, 331 et deinceps. Ejusmodi realis distinctio pugnat cum divina simplicitate, 333. Licet Paternitas et spiratio correspondeant duabus relationibus realiter distinctis, cur non ideo realiter distinctæ, 333 et 455. Quare de se invicem prædicari nequeant, 334. Spiratio, et Paternitas sunt duæ relationes reales, si ly *reales* appellet supra ly *relationes*, non autem si appellet supra ly *duæ*, 337. Cur non etiam dicendæ duæ res relativæ, 337. Spiratio activa est notio Patris et Filii, 459 et deinceps. Quomodo sit notio, cum sit communis Patri, et Filio, 465. In quo sensu dicatur proprietas et in quo non, 466. Spiratio activa communicatur Verbo divino ex vi processionis, 492, 560. Pater, et Filius non distinguuntur a Spiritu sancto formaliter, et proxime per Paternitatem, et Filiationem, sed per spirationem activam, 610, 593. Spiratio activa concurrit necessario ad constitutionem principii *quo* Spiritus sancti, et quonam modo, 606 et deinceps. Quomodo si non intraret ad ejus constitutionem, principium *quo* Spiritus sancti non distingueretur realiter a termino spirato, 608. Imo sola spiratio activa cum essentia, et voluntate (non vero Paternitas, et Filiatio) constituit principium *quo* Spiritus sancti, et quare, 610 et deinceps. Cur relatio spirationis activæ, prout constituit principium Spiritus sancti, non sit per se subsistens propria subsistentia, 615 et sequentibus.

Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, Filiatio et spiratio essent duæ personalitates virtualiter solum distinctæ, 588. Quomodo possint uniri in una persona absque eo, quod una personalitas tribueret alteri suum quasi effectum formalem, 588. Probabile est, quod in ea hypothesi spiratio passiva, ut distincta virtualiter a Filiatione, non esset personalitas : sed modus sive affectio personalitatis, 589. Spiratio passiva, sive Processio et Filiatio, ut Filiatio est, solum opponuntur relative radicaliter, non vero proxime, et formaliter, 589, 592. Quomodo ea oppositio radicalis sufficiat ad hoc, ut proxime, et formaliter distinguantur, 592. Probabile est, quod ex vi hujus oppositionis solum distinguuntur realiter radicaliter, 594, 595, 599. Vide Processio.

SUBJECTUM. Talia sunt prædicata, qualia exiguntur a subjectis, 68, 69, 634. Vide Prædicatum. Subjectum relationis creatæ dupliciter considerandum, 200. Quomodo juxta quamlibet considerationem respiciatur a relatione, 200.

SUBSISTENTIA, SUBSISTENS Triplex subsistentiæ, sive subsistendi modus, 369. Quid sit de conceptu subsistentiæ, 378. Non est de ratione subsistentiæ ut sit incommunicabilis, 378. Operari est a subsistente ut *quod*, 376. Vide Suppositum.

SUBSISTENTIA IN DIVINIS. Subsistentia in divinis quandoque apud Concilia sumitur pro subsistente, 268. Quid sit de conceptu subsistentiæ divinæ, 378. Non est de ratione ejus incommunicabilitas, 378. Nomen ***subsistentia*** cur apud Patres frequentius pro relationibus accipiendum, 387. Existentia quandoque apud Patres sumitur pro subsistentia, 301. In divinis sunt tres subsistentiæ relativæ, 361 et sequentibus. Cur non tres existentiæ sicut tres subsistentiæ, 370. Quare multiplicatio subsistentiarum non obstet earum infinitati, sicut multiplicatio misericordiæ, et aliorum attributorum obstat eorum infinitati, 368. Incommunicabilitas personæ fundatur in propria subsistentia, et oritur ab ea, 366. Quare infinitas divinarum relationum postulet triplicitatem in subsistentiis, non autem in existentia, 295. Quomodo subsistentiæ relativæ habeant constituere personas a divina natura, ut a prima radice, 367. Trium subsistentiarum una tantum perfectio, 367.

Ultra subsistentias relativas datur alia absoluta divinæ essentiæ, 494 et deinceps. Cur divina essentia, ut sic subsistens subsistentia absoluta, non sit persona, 390, 391. Si non esset sic subsistens subsistentia absoluta, quomodo sequeretur, in tribus personis multiplicandam, 383. Quomodo possit subsistentia absoluta terminari per aliam relativam, cum subsistentia sit ultimus terminus, 391. Subsistentiæ relativæ quid addant supra absolutam divinæ essentiæ, 368, 379. Subsistentia absoluta dupliciter communicatur personis, 385. Dicit ex se perfectionem, secus autem relativa, 275, 369. Probabile est, quod divina attributa important proprias subsistentias, non autem existentias et quæ dispar ratio, 384. Probabilius oppositum, 384.

SUBSTANTIA. Quæ sit divisio substantiæ in primam, et secundam, 343. Cur in divinis non concedendæ tres substantiæ, bene tamen tres personæ, cum substantia sit de ratione personæ, 343. Imo nec concedendæ sunt tres primæ substantiæ, 343. Bene possunt concedi tres substantiæ individuæ, non autem tria individua, et quare, 343. Possunt concedi tres substantiæ, prout substantia distinguitur contra accidens, et dicit *esse per se*, 351. In

rigore sermonis possunt absolute concedi tres substantiæ, non autem nunc apud Latinos, 350, 386. Aliquando nomen substantiæ apud Patres sumitur in divinis pro relatione, 387; frequentius pro essentia, et quare, 387.

SUBSTANTIVUM. Vide Nomen, Concretum.

SUPPOSITUM. Quid intersit inter suppositum, et individuum, 350. Ad multiplicationem nominis concreti substantivi necessario requiritur per modum conditionis multiplicatio suppositorum, 665 et sequentibus. Vide Subsistentia.

SUPPOSITUM DIVINUM. In quo distinguantur in divinis suppositum, et habens Deitatem, 371. Hoc nomen *Deus* significat Deitatem ut in habente, non autem ut in supposito, 371. Quare in divinis tria supposita concedenda, non autem tria individua, 350. Natura divina petit esse in tribus suppositis, 34. Quomodo ex hoc oriatur, quod id, quod habet prout in uno, non habet prout in alio, 34. Quæ non opponuntur relative, non sunt incompossibilia in eodem supposito divino, licet in creatis incompossibilia sint, 575, 576.

SYLLOGISMUS. Quæ sit ratio syllogismi expositorii, 313. An hic syllogismus sit expositorius: *Hæc essentia est Pater, Hæc essentia est Filius: Ergo Filius est Pater*, 313. Quomodo in syllogismo major extremitas unienda cum minori ex vi identificationis eorum cum medio, 314.

T

TERMINUS. Esse terminum productum per actionem, ex vi hujus præcise, nullam dicit imperfectionem, 57. Terminus formalis, et principium proximum alicujus processionis univocæ debent esse ejusdem rationis, 95. Et in eodem immaterialitatis gradu, 147, 98. Terminus actionis univocæ non necessario procedit similis principio radicali: et quando sic, 169. Quænam distinctio requiratur inter principium et terminum, 8. Producere terminum est proprium actionis transeuntis, 28. Permissum vero actioni immanenti, 28 et 114. Productio termini ad extra quandoque invenitur in actione immanente; et etiam e converso non producere terminum in transeunte, 28. Actio specificatur a principio potius, quam a termino, 51. Termino producto non necessario communicatur existentia ex vi actionis, per quam fit, 94. Sufficit quod per aliam actionem in eodem instanti communicetur, 94 Quomodo id verum in generatione temporali Christi Domini, et in corruptione specierum Sacramentalium, 94. Per actiones sensuum externorum nullus producitur terminus, 111 Hujus ratio, 116. Per volitionem producitur ad intra terminus, 112 et sequentibus. Quonam modo sit volitus ejusmodi terminus, 116. Quomodo etiam medio eo termino sit objectum intra voluntatem, 117. Ab eodem agente possunt procedere plures termini absque aliquo ordine, si termini solum materialiter differant; non autem, si differant formaliter, 559 et deinceps. Vide Actio, Operatio, Principium

TERMINUS NUMERALIS. Quid ponant in divinis termini numerales, 422 et sequentibus.

TOTUM. In divinis non est totum et pars, etiam secundum quantitatem modalem discretam, 328, 329.

TRANSCENDENS, TRANSCENDENTIA. Transcendens per transcendentiam rei nobilius quid est, quam transcendens transcendentia rationis; non tamen in ratione intimitatis, 138, 144, 145, 165. In quo hæc minor intimitas consistat, 138. An transcendens communitate rationis sit ejusdem lineæ cum formalitate, in qua transcenditur: et an hoc habeat transcendens per transcendentiam rei, 138 et 222, 237, 439. 440 Quare nulla res creata possit esse transcendens transcendentia rei in pluribus; sed hoc sit proprium rei infinitæ, 225. Res transcendens non amittit per transcendentiam distinctionem, quam ex se habebat cum re illa, in qua transcendit, 242.

TRES. In divinis tres personæ, sive hypostases, non vero tres usiæ: et quid per hæc nomina significetur, 347, 348. Cur non tres substantiæ. bene tamen tres personæ, cum substantia sit de ratione personæ, 350. Imo nec tres substantiæ primæ, 350. Concedendæ sunt in divinis tres substantiæ individuæ, non autem tria individua, et quare, 350. Concedendæ etiam tres substantiæ, prout substantia distinguitur contra accidens, et dicit *esse per se*, 351. Quomodo intelligendi Patres, qui dicunt tres substantias in Deo, 350, 387. In divinis tres res, tres unitates, 399 et deinceps Tria entia adjective, non vero substantive, 401 et sequentibus. Non tamen tres essentiæ, sive quidditates: et quid per hæc nomina significetur, 403 et deinceps. Nec tria *aliquid*, prout aliquid est passio entis, 403. Nec tres veritates aut tria vera substantive, 401 et sequentibus. Per notiones occurritur interrogationi, *Quo personæ divinæ sunt tres?* 452. Cur non tres Dii, sicut tres habentes Deitatem: cum *Deus* sit idem, quod *habens Deitatem*, 664.

TRINITAS. Trinitatis nomen quid secundum etymologiam, quidne juxta hominum impositionem significet: et quomodo eo utendum in divinis, 429. Cur non utendum nominibus, *triplicis, triplicitatis, triformis*, sicut nomine *Trinitatis*, 430 et deinceps. Trinitatis mysterium intellectu difficile, 2. Ejus profunditas in excelso throno Isaiæ figurata, 2. In tertia Magorum Pharaonis plaga demonstratur, 2. Sola fide cognoscitur, 2. Quomodo ex Trinitate personarum processio in divinis deducenda, 8. Trinitatis mysterium, ratione relativi, quod affert, nullam dicit perfectionem, 274.

TRIPLEX. Vide Trinitas.

V

VALOR. Valor infinitus operum Christi an a relatione personali Verbi, an ab essentia in ea inclusa desumendus, 129.

VERBUM. Quidditas verbi consistit in hoc, quod sit objectum actu intellectum, 13, 36. Verbum est formalis similitudo objecti, ejusdemque numero naturæ cum illo in *esse* intelligibili, 54, 75. Si vero sit summe perfectum, etiam in *esse* naturali, 75. Ex duobus, quæ habet verbum, nempe, esse objectum actu intellectum et esse similitudinem formalem, quodnam sit ei potissimum, 95. Quænam conditiones verbi communiter dicti,

482, 483. Ratio verbi communiter dicti convenit essentiæ divinæ respectu intellectionis sui et visionis beatificæ creatæ, 483. Verbum est ejusdem naturæ cum suo principio et solum distinguitur in modo essendi, 8, 84. Si vero verbum sit perfectissimum, non distinguitur adhuc in modo essendi pertinente ad lineam naturæ, 9, 55. Verbum quidditative repræsentans Deum debet esse ejusdem naturæ cum eo, 12, 26. Verbum debet esse in eodem immaterialitatis gradu cum objecto primario, cum principio et cum cognitione, ex qua procedit, 12, 98. Ex duplici capite hoc habet, 98. A verbo habet intellectus esse rem intellectam, 29, 49, 76. In quo sensu tribuatur hoc intellectioni, 76. Verbum procedit ex notitia rei intellectæ, 36. Id, quod unitur cum intellectu per modum verbi, essentialiter petit terminare intellectionem primariam sui, 13. Producere verbum, nullam ex se dicit imperfectionem, 14. Producere verbum, quando objectum per se ipsum est unitum in ratione objecti actu intellecti arguit infinitam perfectionem in producente, 14, 29. Non producere illud in eo eventu, provenit ex imperfectione : et ratio utriusque, 29. Producere verbum ex pura fœcunditate absque indigentia, arguit infinitam perfectionem, 14, 29. Sine verbo producto, vel objecto gerente vices verbi non unitur potentia cum objecto sive in divinis, sive in creatis, 29. Esse verbi creati est *intelligi*: Verbi autem divini, et *intelligere* et *intelligi*, 82, 37. Intelligi non est denominatio extrinseca in verbo; bene tamen in objecto externo, 91 et deinceps. Quomodo essentia verbi sit intelligi, cum sit ejus existentia, 92. Quandoque verbum creatum est ipsum *intelligere* in *esse* intelligibili, præcise, 83. Verbum procedit per emanationem intelligibilem, 9. Objectum habet esse intra intellectum in ratione objecti terminativi per verbum, nisi habeat a se ipso : et quando habeat a se ipso, 37, 76. Quomodo verbum determinet voluntatem ad volendum, 163. Cur oriatur ex imperfectione, quod intellectus creatus producat verbum, per actus virtutum intellectualium, 330. Cur in divinis per ejusmodi actus non producatur, sed solum per intellectionem primordialem, 330. Omne verbum sive proprie sive communiter dictum per se influit in amorem, 554, 555 et sequentibus. Per intellectionem connaturalem creatam producitur verbum, 11 et sequentibus. Per visionem beatificam creatam non potest produci verbum, 12. Ea excepta per omnem intellectionem creatam producitur, 36. Sola visio per essentiam nequit illud producere et quare, 13. Angelus producit verbum per intellectionem, qua cognoscit se ipsum, 13. Verbi creati processio est generatio vitalis imperfecta, 25, 71. Quomodo ex illa deducenda Verbi divini generatio, 25, 75. Dictio creata habet a verbo habitudinem ad res intellectas, 51. Non ita in divinis, 50. Verbum creatum de formali dicit quid absolutum; verbum autem divinum quid relativum *secundum esse*, 104. Verbum est causa quodammodo formalis respectu suæ existentiæ, scilicet intellectionis, 89. Verbi triplex consideratio, ut est terminus productus, ut forma intellectus et ut imago objecti, 49. Quomodo in quolibet statu sit prius, vel posterius intellectione, 49. Dictio creata mediante verbo importat habitudinem ad res intellectas, non autem dictio divina, 50. Intellectio prout est contemplatio, recipitur in verbo ut in subjecto partiali, 91. Sed prout est dictio præsupponitur ad verbum et non subjectatur in illo, 91.

VERBUM DIVINUM. Verbum est proprium nomen Filii, 21, 482. Ideo procedit per intellectum, 482. Procedit de essentia, vel ex essentia divina, ut ex actu purissimo, 14. Nulla in hoc involvitur imperfectio, 14. Cur aliquando in Scriptura dicatur factum, 19. Cur dicatur creatum simul et generatum, 77. Conceptus adæquatus verbi divini non tantum est *intelligi*, sed etiam *intelligere* et hoc præcipue, 82, 89, 90. An *intelligi* essentiale, an notionale sit essentia verbi, 95. Verbum divinum habet duo et esse objectum actu intellectum et esse ipsam essentiam Dei, tam in *esse* repræsentativo, quam in *esse* naturali et quodnam istorum sit munus potissimum, 95. Primum munus convenit ei ex generali ratione Verbi; secundum autem ex propriis, 95. Quomodo ex propriis, cum hoc habeat ab essentia divina tanquam a ratione formali, 518. Cur verbum non vocandum *genitura*, cum vere sit genitum, 78. Procedit per generationem univocam, 80, 81, 96 et deinceps. Verbi divini processio quare dicatur per naturam, vel naturalis, 26, 125. An sit generatio viventium, 71 et sequentibus. Essentia divina non habet esse actu intellectam a Verbo, sed a se ipsa : et hujus ratio, 76, 95. Quomodo communicetur ei natura divina, non solum ut habet rationem speciei intelligibilis, sed etiam ut habet rationem naturæ, 85. Verbo divino communicatur ex vi processionis, non modo principium proximum cum præcisione sumptum, sed etiam radicale; Spiritui sancto vero, non nisi solum principium proximum : Et ratio utriusque, 97. Verbo divino ex vi processionis communicatur ultima quasi differentia naturæ divinæ, scilicet *intelligere*, 97. Quomodo hinc deducendum, quod communicetur natura adæquate sumpta, 97. Verbum divinum est in eodem immaterialitatis gradu cum divina essentia, et quare, 98. Cur Verbum cum sit objectum secundarium intellectionis essentialis, debeat esse in eodem immaterialitatis gradu : cum attributa excludantur ab eo gradu, quia sunt objecta secundaria, 99.

Eadem est ratio Verbi, et Filii in divinis, non tamen sunt synonyma, 99 et deinceps. Verbum in divinis est nomen relativum, 99. Verbum, sub nomine, et conceptu Verbi, dicit de formali, et in recto personalitatem, de connotato naturam; e contra vero sub conceptu, et nomine Dei geniti, 103. Verbum divinum de formali dicit relationem *secundum esse*, Verbum autem creatum relationem *secundum dici*, 104. Quomodo dicat respectum ad creaturas, 106. Quomodo hoc conveniat ei ex vi proprietatis personalis : cum hoc habeat ab essentia, ut a ratione formali, 518. Processio Verbi, licet sit infinita in ratione generationis, non tamen in ratione processionis : et quisnam hujus sensus, 119. Verbi divini processio, eo ipso quod sit per intellectum, producit terminum similem, et est generatio : processio autem Spiritus Sancti, eo ipso quod per voluntatem, nihil istorum habet, 141 et

sequentibus. Verbo divino, non tantum communicatur ex vi processionis similitudo naturæ, sed ipsa natura Dei, 154 et deinceps. In quo sensu identice communicetur ei Paternitatis, 208. Personalitas Verbi quomodo reddat humanitatem Christi sanctam, impeccabilem, dignam adoratione latriæ, et objectum magis congruum divinæ dilectionis, quam grat a sanctificans, 270 et deinceps. Unio Verbi divini cum humanitate in quo sensu mediata, 303. In divinis unicum dumtaxat Verbum, 329. Quare per actus virtutum intellectualium non producatur Verbum sicut per intellectionem primordialem, 329.

Verbum divinum procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter, et necessario in Deo, 485 et sequentibus. Et ex cognitione omnium creaturarum possibilium, 527 et deinceps. Non autem ex cognitione futurarum, 527 et deinceps. Cognitio ex qua Verbum procedit, non potest intelligi in aliquo signo *in quo*, etiam rationis, ut terminata ad essentiam, et non ad personas, vel ad unam personam sine alia, 487 et deinceps. Quomodo hoc deducendum ex eo, quod omnia hæc æternitate mensurentur, 488. Quomodo etiam ex eo, quod Verbum, debeat procedere ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, 488. Nequit procedere ex cognitione Patris, ut objecti, quin procedat ex cognitione omnium personarum, 488. Si per impossibile non esset Spiritus Sanctus, Verbum non procederet eodem modo, ac nunc, 492, 500. Vel nullo modo esset Verbum, 500. Verbo communicatur ex vi processionis relatio spirationis activæ, 492, 501. Cur Verbum debeat necessario procedere ex cognitione eorum, quæ accipit a Patre ex vi processionis, 501. Quomodo possit procedere ex cognitione personarum, cum personæ sint objectum secundarium cognitionis, ex qua procedit, 499. Cognitio ex qua Verbum procedit est intuitiva, 494. Cur non possit esse abstractiva, 495, 496 et deinceps. Cur ex eo quod Verbum procedat, ut imago Patris, debeat procedere ex cognitione ejus, ut objecti, 489, 490. Non autem ex eo, quod procedat ex cognitione Spiritus Sancti, est ejus imago, 503, 504. Spiritus Sanctus nullo modo active concurrit ad productionem Verbi, licet Verbum ex ejus cognitione procedat, et quare, 502 deinceps Quomodo ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ, deducendum, quod procedat ex cognitione possibilium, 507 et sequentibus. Verbum procedit ut expressivum Patris; creaturarum vero, ut expressivum, et factivum, 510. Quomodo interpretandus divus Thomas, cum ait, quod accidit Verbo, ut per ipsum creatura dicantur, 515. In quo etiam sensu Verbum per accidens, et quasi ex consequenti refertur ad creaturas, 515. Quomodo, licet procedat ex cognitione creaturarum possibilium, non procedat a creatura vel sit Verbum creaturæ, 515, 516. Cur sicut Verbum procedit ex cognitione creaturarum possibilium, non procedit Spiritus Sanctus ex earum amore, 392. Cognitio creaturarum possibilium in Deo, est ita necessaria, sicut Verbum, et Deus; licet ipsæ creaturæ non sint ita necessariæ, ac Verbum, 394. Si implicaret una, vel altera creatura ex iis, quæ nunc possibiles sunt, Verbum non procederet ejusdem rationis, ac nunc, 524. Probabile oppositum, 525. Quid denotetur per ly *ex*, cum dicitur quod Verbum procedit ex cognitione alicujus objecti, 529. Cognitio ex qua Verbum procedit debet esse æque necessaria ac ipsum Verbum, 528. Ideo Verbum non procedit ex cognitione futurorum, 529 et 528. Quomodo possit ex eorum cognitione non procedere, cum ea cognitio sit in eodem signo *in quo*, etiam secundum rationem, ac Verbum, 529, 531. Verbum divinum nequit procedere ex scientia media futurorum conditionatorum, et ejus duplex ratio, 530. Cur Verbo divino non communicetur ex vi processionis cognitio futurorum, neque eorum repræsentatio, 531, 532.

Ratio imaginis dicitur personaliter, et est propria solius Verbi, 74, 535 et deinceps, 539, et sequentibus. Verbum habet similitudinem cum Patre requisitam ad rationem imaginis, licet non dicat relationem similitudinis ad illum, 537. In quo sensu Verbum, imago Deitatis a sanctis Patribus dicatur, 538. Cum dicitur figura substantiæ Dei, pro quo supponat ly ***substantiæ***, 538. Cur ex eo, quod Verbum procedat per modum naturæ, et accipiat ex vi processionis naturam suiprincipii, eo ipso procedit, ut imago, 539. Quanam vera ratio qua Verbo convenit ratio imaginis, non vero Spiritui sancto, 539 et 546. Aliorum falsæ rationes rejiciuntur, 540 et sequentibus.

Spiritus sanctus vere procedit a Verbo 550 et deinceps, et non utcumque, sed tanquam a principio quod per voluntatem, 557. In quo sensu Verbum dicatur operari per Spiritum sanctum, 553. Quomodo ex eo deducendum, quod procedat a Verbo, 553. Quomodo idem inferendum ex eo, quod Verbum procedat per intellectum, et Spiritus sanctus per voluntatem, 553. Cur non obstet, quod essentia divina uniatur per modum Verbi communiter dicti cum intellectu Dei, quominus Verbum divinum per se influat in amorem divinum, 555. Verbum essentialiter dictum per se influit in amorem essentialem, Verbum autem notionale simulcum verbo essentiali influit in amorem notionalem, 555 Verbum, non ratione personalitatis, sed ratione essentiæ habet constituere Patrem in *esse* objecti actu intellecti, 559. Quomodo essentia quasi bis reddat Patrem objectum actu intellectum, semel quidem prout est in Verbo, in quo Pater se, et omnia intelligit; semel autem prout est in eodem Patre ut essentia ejus, 559. Cur ex eo, quod Spiritus Sanctus sufficienter procedat a Patre, non superfluat influxus Verbi, 563. Verbo divino ad summum per se secundo communicatur ex vi processionis amor divinus, 651. Si verbum assumeret duas humanitates, cur non diceretur duo homines, 663, 664. Vide Filius.

VERITAS, VERUM. Veritas est proprium nomen Filii Dei, 21. Ideo procedit per intellectum a Patre, 21. Ens et verum quomodo se habeant respectu intellectus, 86, 87. In divinis cur non tres veritates, aut tria vera substantive, 405 et deinceps. In quo ratio veri fundetur, et quid dicat in suo conceptu, 405. Veritas alia propria alia similitudinaria et quid per similitudinariam intelligatur, 407, 408. Prior veritas quomodo essentialiter, posterior vero personaliter dicatur in divinis, 408. Veritas, sive intelligibi-

litas propria non ad quamlibet immaterialitatem, sed ad eam, quæ constituit peculiarem gradum subsequitur, 410. Ad quamlibet immaterialitatem subsequitur veritas, sive proxime, sive remote, 410.

VIRTUS. Virtus ad agendum in suo formali conceptu non dicit imperfectionem, 552. Virtutes proxime intellectivæ naturæ pure intellectualis sunt intellectus et voluntas dumtaxat, 24. Virtus proxima identificata cum radicali est infinite perfecta, 24. Virtutes proximæ operandi in Deo sunt per modum actus purissimi et sunt ipsæ operationes absque distinctione virtuali, 37. Quoties agens operatur per plures virtutes, non necessario per omnes producit simile in principio radicali, sed solum per illam, quæ est ad hoc destinata, 168. Ut aliqua virtus operativa sit actu infinita, sufficit, quod possit producere. effectus syncategorematice infinitos, 525. Ex quibus coalescat virtus spirativa Spiritus Sancti, 606 et deinceps. Vide Potentia, Actio, Principium.

VISIO BEATIFICA. Visio beatifica creata est participatio visionis essentialis Dei, non autem notionalis, 12. Per visionem creatam non potest produci verbum et hujus ratio, 12 et 13, 36, 37. Visio beatifica et essentia divina unita per modum verbi cum intellectu beati per se influunt active in amorem beatificum, 554.

VITALE. Vide Potentia.

VIVENS. In vivente creato cur prima processio non sit generatio, bene tamen in Deo, 125.

UNIO. Compositio est distinctorum unio, 202. Unius mediante alio dupliciter, 303. Quæ uniuntur cum tertio, quomodo ex vi unionis unienda inter se. 313 et deinceps. Quomodo actio et passio uniantur cum motu et non inter se, 318. Intellectio est unio potentiæ cum objecto, 29. Ad hanc unionem requiritur verbum productum in creatis vel objectum gerens vices verbi, 29. Quid requiratur in divinis, 29. Probabile est quod Deus potest uniri cum voluntate creata per modum inclinationis et ponderis in objectum, sicut unitur per modum verbi cum intellectu, 121, 122. Probabile etiam oppositum et ratio disparitatis, 122. Summa unio sive identitas in esse intelligibili inter duo pertingit usque ad unionem et identitatem summam in esse naturali, non autem summa unio affectiva duorum potest hoc habere : et quæ disparratio, 169, 170. In quo sensu unio Verbi divini cum humanitate sit mediata; 304. Vide Identitas.

UNITAS. Omnis multitudo ad unitatem reducenda, 8. Omnis similitudo fundatur in unitate, 158, 159. Quid sit de conceptu unitatis prædicamentalis et in quo a transcendentali distincta, 423 et deinceps.

In divinis dantur tres unitates, 399. Quid dicat nomen unitatis, 400. Quid ponat unitas et numerus transcendentalis in divinis, 423. Et quid universaliter unum et multa dicant supra ens, 423. Quæ prioritas, quæve coordinatio inter conceptus objectivos entis, unitatis, divisionis et multitudinis, 427. Ex unitate naturæ inter divinas personas quomodo processio unius ab alia deducenda, 7. Unitas numerica naturæ in divinis nec obstat processioni, nec realitati relationum, 181.

UNIVOCUM. Ratio personæ divinæ non est univoca respectu trium personarum, sed analoga, 435 et deinceps. Univoci et analogi discrimen in hoc, quod inferiora univoci nequeunt existere per unicam existentiam; bene tamen analogata, 437. Cur primum non teneret in materia et forma, dato quod convenirent univoce in aliqua ratione, 438.

VOLUNTAS. Quod voluntas feratur ad objectum et intellectus trahat illud ad se, quomodo intelligendum, 115. Quomodo voluntas reflectatur supra suum actum in volitione cujuslibet objecti, 117. Quomodo terminus intrinsecus voluntatis sit volitus per volitionem objecti, 117. Discrimen in modo, quo objectum est intra voluntatem medio pondere, sive inclinatione et intra intellectum medio verbo, 115. Quomodo voluntas determinetur ad volendum per similitudinem objecti cogniti; et quomodo intellectus, 163. Per voluntatem creatam producitur aliquis terminus ad intra, sicut per intellectum, 110 et deinceps. Terminus iste est inclinatio in actu secundo in objectum, voluntas vero in actu primo; et utraque inclinatio requiritur ad volitionem, 112 et sequentibus. Probabile est, quod Deus potest uniri cum voluntate creata per modum ponderis, sicut cum intellectu per modum verbi, 121. Probabile etiam quod non et ratio disparitatis, 121.

VOLUNTAS DIVINA. Voluntas divina quadrupliciter dicitur divina et quid sibi vendicet ex quovis modo, 164 et sequentibus. Quonam modo ex eis quatuor sumatur ly *divina* cum dicitur, quod voluntas ut divina communicat Spiritui Sancto naturam, 165. Voluntas divina adhuc ut divina non habet producere terminum similem principio, 144 et deinceps. Ideo ejus processio non est generatio, Voluntas divina distinguitur virtualiter a natura, 24; hujus ratio, 37, 38. Voluntas, volitio et ejus terminus formalis in divinis sunt in eodem immaterialitatis gradu inter se, non tamen cum natura, 98, 146, 147. Cur Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, 109. Voluntas divina producit ad intra terminum, non ex indigentia sicut creata, sed ex pura fœcunditate, 113. Processio per voluntatem divinam in quo sensu magis differat a creata, quam duæ creatæ specie diversæ inter se; et in quo minus, 168. Essentia, voluntas et relatio spirationis activæ concurrunt ad constitutionem virtutis spirativæ, sive principii *quo* Spiritus Sancti : et quonam modo, 606 et sequentibus.

VOLITIO. Per volitionem creatam producitur aliquis terminus ad intra, sicut per intellectum et quidnam sit, 109, 110 et deinceps. In volitione cujuslibet objecti quomodo ipsa volitio sit volita, 116. Quomodo sit volitus terminus ad intra productus, 116. Volitio divina in quo sensu magis differat a creata quam duæ creatæ specie diversæ inter se et in quo minus, 168 Vide Voluntas.

VOLITIO DIVINA. Volitio divina non est actus per se primo correspondens potentiæ radicali ad volendum, 39. Volitio efficax creaturarum non est distincta ex æquo a volitione essentiali, sed ipsamet connotando creaturas, 39. Volitio divina non est in eadem linea cum suo objecto primario, bene tamen intellectio divina cum objecto suo primario et ratio disparitatis, 94. Volitio di-

vina in quo sensu plus differat a creata. quam duæ creatæ specie diversæ inter se et in quo minus, 168.


VOLITIVUM. Volitivum, sive appetitivum non pertinet ad lineam naturæ, sed supponit eam constitutam : 127, 170. Vide Appetitivum.

USIA. Quodnam significatum hujus nominis *usia*, 207. In divinis tres hypostases, sed non tres usiæ, 207.

UTILITAS. Quæ utilitas in ea questione : *An si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur*, etc., 564 et sequentibus.

FINIS

ANICII, EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.



Elias - Cursus 1082

Salamanca. Collegium S. Elias.

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

1082.

